FR. JOAN. DUNS SCOTUS ORDINIS MINORUM DOCTOR...

Bonaventura ca. Baronis, Wolfgang Kilian, ...

Digitized by Google

NAZ. CENTR.
R. BIBLIOTECA VITT. EMAN. II
204
7 H
3
ROMA

1051-52

Digitized by Google

204-7-H-3

Digitized by Google

Digitized by Google

204-Y-4-3

BARONIS INTEGER CVRSVS PHILOSOPHICVS

Digitized by Google

Digitized by Google


In portis opera eius
Prouerb: 31.
P. FR. BONAVENTVRA BARO HIBERNVS CLONMELIENSIS ÆTAT. SVÆ AN. LII
MDCLXII
Poemata
Eulogia
Portenta
Epistolæ
Quodlibeta
Logica
Physica
Metaphysica
Ethica
Theologia
Hic duplici geminum BARO pingitur icone vultum;
Extimus ære, suis intimus ille libris.
B. Schinnan delineavit
Wolfg. Kilian sculpsit.

FR. JOAN. DUNS
SCOTVS
ORDINIS MINORVM
DOCTOR SUBTILIS

PER VNIVERSAM PHILOSOPHIAM, LOGICAM, PHYSICAM, METAPHYSICAM, Ethicam, contra adverſantes

DEFENSVS,

Quæſtionum novitate

AMPLIFICATVS,

AC IN TRES TOMOS DIVISVS.

AVTHOR

BONAVENTVRA BARO

Ejuſdem Ordinis

HYBERNVS CLONMELIENSIS,

Dudùm jam in Romano Collegio S. ISIDORI *Agricolæ Philoſophiæ & S. Theologiæ emeritus & profeſſor primarius, &c.*

TOMVS PRIMVS

Logicam Complexus.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud IOANNEM BUSÆUM Bibliopolam ſub ſigno Monocerotis

M. DC. LXIV.

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis

Digitized by Google

Digitized by Google


RELIGIONE ET PRUDENTIA
REVERENDISSIMUS
PRINCEPS AC DD.
FULDENSIS S.R.I. PRIN
ARCHICANCELLARIUS PER
PRIMAS. S.R.I. COMES
ET ILLUSTRISSIMUS
IOACHIMUS ABBAS
CEPS. DIVÆ AUGUSTÆ
GERMANIAM ET GALLIAM
DE GRAVENEGG.

Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. JOACHIMO

INCLYTAE ECCLESIAE
FVLDENSIS ABBATI,
S. R. IMPERII PRINCIPI,

D. AUGUSTÆ ARCHICANCELLARIO,

Per Germaniam & Galliam Primati, Comiti de Gravenegg, &c.
Domino meo Clementiſſimo.

APologias molitus, primam mihi ipſi impendo: nempe non deerunt mihi Momi moleſtè queruli, cur ego Aulæ Romanæ tot Proceres prætervectus, fortunis maximos, dignitate etiam majores; trans Alpes, & Apeninum opus meum, quaſi lapidem fundâ jactatum Fuldam emiſi? quibus ut faciam ſatis; non factum deprecor, ſed calumniam: nego me Romanos Proceres prætervectum, quum Te acceſſi, (*Reverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps*) fide, virtute, dignitate etiam Romanum; cum ejus Vrbis regale Sacerdotium non Eccleſiam dundaxat det Orbi; ſed Imperium, cujus Tu Principatum auges ſimul & ornas. Alterum verò etiam affirmo, *miſiſſe me lapidem in acervum Mercurii.* Acervus Mercuriorum eſt Fulda, *Rhabanis* erudita, *Bertois* Facunda, *Richardis* & *Marquardis* ingenioſa, *Hattonibus* & *Strabonibus*, hodiè etiam *Joachimis* excellens: unde olim in ambitum quaquaverſum *Germaniæ*, *Italiæ*, *Galliæ* Coloniæ Sapientum ſunt deductæ. Quia tamen ego non corpus, ſed caput alloquor (quanquam etiam in hoc illud) dicam, quô magnete anceps Mœcenatis opus Tibi addixiſti; famâ beneficentiæ, famâ pietatis. Iberi Aſturcones dicuntur vento concipere; ita ego citatiſſimâ glorioſi Nominis Tui aurâ tamquam bracteâ eminus crepitante commotus, non potui temperare, quo minus teſſerâ aliquâ, quamquam chartaceâ Meorum nomine vicem aliquam referrem; Tuorum admirationem. His ego relinquo æſtimanda, ut & amplectenda Magalia operum; quæ velut alter Baſilicæ Fuldenſis Architectus, & nobiliſſimæ antiquitatis Reſtaurator ubique in Abbatiam moliris, ea munificentia; quæ Principem decet, ea pietate, quæ Archi-Mandritam. Meum eſt æſtimare Monaſteria & Miſſionum domicilia,

quæ Seraphicæ noſtræ Religioni, in ampliſſima peripheria Tuæ Diœceſeos concedis erigenda, ut alia beneficentiæ opera, quibus *Thiotonem* Abbatem Fuldenſium VII. Longè ſuperas, gratitudini noſtræ relinquam celebranda; quia, & Tu ea conferre mavis, quàm audire, ſufficit, quod Tua ſint, nam vel inde magna: pretium rebus facis, & tanquam Midas ille, quæ attrectas inauras. Illa Tuo nomine magna ſunt, Tu Tuorum

Non enim pauperum

Horat. ode ult. l. 2. *Sanguis parentum*

ad celſitudinem hanc fabrefactas induſtriæ machinas, tanquam ſcalarum gradus attuliſti, ut aliorum plerique, ſed vetuſtiſſimam Familiæ Tuæ altitudinem adhuc hodie inter rudera antiquitatis abſtruſam, ut illius auſpicium tanquam Nili Scatebra, quæ deſperatur, deliteſcat, & deſtituat quærentes. Hæc ego ſobriè & Chriſtianè Criticus, non quaſi virtus etiam ſola celſitudini nubere non poſſit, ſed quo meritorum Tuorum ſingularem ubertatem arguam & immane auctam, qui eos titulos ad hoc faſtigium attuliſti, quorum ſinguli magnis, omnes ſummis ſufficiant. Fateor me affectu magis, quàm ſcientiâ Germanum; neque tamen neſcio LL. S. R. I. de Gravenegg Baronum, Majorum Tuorum familiam, ſine qua Imperii hiſtorias neſciſſem. Ita paſſim occurrunt, qua ſago, qua toga Illuſtres; hinc nimirum Epiſcopali fulgentes gloria, ut *Fridericus* L. Baro *à Gravenegg*, Epiſcopus Auguſtanus à Cæſare Sigiſmundo delectus; hinc electi & confirmati S. R. I. Principes, ut Illuſtriſſimus Dominus D. Georgius *L. Baro* De Gravenegg Abbas Campidonenſis, modo etiam Cæſarum Archiſtrategi, ut *Gervicus* L. Baro *à Gravenegg*; ut taceam Iudices ſupremos Cameræ Spirenſis, qualis fuit Ioannes Ludovicus *Baro de Gravenegg*, & Iudicii Rotvvilenſis, cujuſmodi fuit Illuſtriſſimus progenitor Tuus *Ferdinandus* L. Baro *de Gravenegg*; alii aliis inde honorum muneribus in Imperatorum ac Principum Aulis inclyti, perpetua traduce, tam honoris, quàm meritorum. Quantis horum Illuſtriſſimæ familiæ Tuæ Majorum feliciſſimè æmulus virtutes & honores paraſangis tranſcendiſti, maxima Tuæ, ut alia prætercam, loquuntur in Domum Auſtriacam merita fidelitatis, qua in ſummum provectæ ætatis ſenium uſque in 4. diverſis Comitiis Imperii, & quovis ancipitis fortunæ ſtatu *Ferdinandum III. Ferdinandum IV.* ac noviſſimè *Leopoldum I.* conſtantiſſimè es proſecutus, Teque Tuoſque olim auguſtisſimæ Domui Auſtriacæ probatisſimos, in orthodoxa fide conſtantisſimos, ſic feciſti commendatos, quod Imperatoria *Leopoldi I.* Dextra Illuſtrisſimum Nepotem Tuum *Joachimum de Gravenegg* ſtirpis Tuæ unicum Proſatorem, unà Tecum, cunctoſque Gravenneggianæ poſteritatis deciduos celſiori Comitum Senatui connumerans, omnibuſque juribus Comitiali Ordini convenientibus auctos S. R. I. Comites ſcripſit dixit, creavit; ſcilicet intellexit Auguſtisſimus Imperator cum ſanguine illo illuſtrisſimo tranſiturum ad poſteros patrimonium fidelitatis,

ferream

ferream incudem dicam, an anchoram conſtantiæ in Cæſaream ſuam Domum in *Gravenegiis* perennaturam, *Gravenegg* namque Nomen Cæſaribus ſalutare, quod quidem experimentis poſſemus evincere, niſi tabellæ anguſtia Gigantibus ſpatium negaſſet. Quis enim Carolum Auguſtum huius nominis primum meliori operâ, majori felicitate adjuvit in ancipiti bello contra Manfredum Anno 714. ſuſcepto, quam is, quem dixi *Gervicus à Gravenegg?* quis Carinthiam & Styriam rebellantes ad priſtinam obedientiam redegit, quàm *Udalricus Baro de Gravenegg* Supremus Belli Dux in Hungaria? quis alium ſimili Marte implicatum? ſed repellor, qua dixi areæ epiſtolaris anguſtiâ. Sit ſatis addidiſſe illud certô verius, fixô conſtantius eſſe, quamdiu hiſtoriæ fides, præmium meritis, honor virtuti conſtabit, quamdiu juverit ſciri, quid ſit eſſe Germanum & Romanæ tam Eccleſiæ, quam Imperii obſequium, ſemper interim Familiæ Veſtræ finita quædam æternitas hoc ſemine metet reciprocam hanc conſtantiam & hecatomben honorum. Fallor enim an vaticinor? qui exſpectanda experior, & futura palpo, quando in Tua unius Perſona video, audio, adoro eam ſeriem honorum, quâ omnium inſtar, *A*bbas Fuldenſis, Imperii Princeps, D. Auguſtæ Archi-Cancellarius, per Germaniã & Galliam Primas, *Comes de Gravenegg* in tot Procerum & Archi-Præſulum ſenatu unus Diadema Auguſto veræ Imperatricis imponis; ut non temerè, ſed fato inſignia illa Tua *In*ſignia Familiæ Tuæ ceſſerint, quæ Mitram cum Corona præferunt, quo crederes? niſi celte & ſcalpro divinantibus, Te olim hoc Trunco generandum, qui Mitram vertice, Coronam palmo teneres; illam Tibi præferres, hanc alteri, utique Auguſtæ obducendam. Eat nunc Momus, & indignetur me morbo magis, quam judicio delectum Tui fecisse, in cujus ſinu deponerem vindicias Magni illius *Joannis Duns* Doctoris *Subtilis*, Theologorum *Maximi*, *ingeniorum Coriphæi*, qui (quod non eſt diſsimulandum) Auſtriacam Familiam Emblemate ſuo præfert: *Joannes* enim (ait Auguſtinus) *ipſe eſt Aquila.* Ego ergo Aquilis his devinctus æquè, ac devotus tibi dico opera mea, & per Te Regi, ſat gnatus, non alium in ipſa magis *A*uſtria *A*uſtriacum, nec in Imperio Imperialem. Tibi debebit orbis Seraphicus, id eſt, Franciſcanus, atque etiam Chriſtianus Scotum Defensum: Ego illum Tibi, Tu omnibus exhibebis, imprimis Pontificii Seminarii, & diſciplinæ Tuæ Alumnis, in quo ſinguli ſuum, omnes omnia habebunt. Rudimentarii Logicum, Provecti Philoſophum, Optici Perſpectivum, Oeconomi Iudicem, Morales Ethicum, Metaphyſici Divinum. Ita vult & vovet ex hac Vrbe totius Romana in provigil. S. Joachimi 1664.

Bucel. deduct. chronol.

Tract. 36. in Ioan.

Reverendiſsimæ & Illuſtriſsimæ Celſitudinis Tuæ, ac Generoſiſsimorum S. R. I. Comitum de Gravenegg.

Obſtrictus Cliens,

Fr. Bonaventura Baro.

AVTHOR

AVTHOR LECTORI.

PAtere me (mi Lector) ut moris eſt præ foribus Te affari. Scis genium ingenii humani, ut nova adoptet, vetera faſtidiat; ſua æſtimet, aliena refutet; quod paradoxon omnes odimus, ſed interim augemus. Præ pluribus autem probat noſter Iohannes Duns Scotus: ille enim vetuſtate nobilis, novitate ſubtilis non deſinit pulſari ab iis etiam, quibus prodeſt: & quomodo hæreſes cum Chriſto ipſo ceperunt à contribulibus eius motæ, ita iſte jam olim cepit à ſuis, id eſt Hybernis ipſis impugnari. Legatur Mauritius de Occamo in ipſum refractario. Tum verò labentibus annis Henrico Gandavenſi. Addicti illum oderant, quod egregiè eſſet Anti-Henricus. At enim illi paucitate ſuâ, quaſi legitima fuga paulatim ſe Scotis ſubtraxerunt, quibus deinde majori triumpho invectus eſt Aquinas. Hic enim non poſſeſſione contentus, etiam incrementis famæ eſt locupletatus, auditorum multitudine numeroſus, omnia ſecuritati, nihil timori reliquit occupandum, & jam ſi Diis placet

Virgil. 5. Æneid. *Imperium ſine fine tenet.*

Nam & à morte tanquam Phœnix ex cineribus ſuis eſt renatus ſuccreſcentibus operibus ejus quotidie etiam jam extincti. At enim ut naturæ rerum fœcunditas nunquam eſt effæta, quin vim ſuam quotidianis partubus oſtendat, ita interim *Suſcitavit Deus ſpiritum*
Daniel. 5. *pueri junioris*, Iohannis ſcilicet Scoti, qui Aquinate tricies junior, ſeniorem ingenio æquavit. Hinc anteriores illi claſſicum apertum intonarunt, qua vi, quà virtute, arte omni, & marte Iohannem impetentes; quorum conatus, quia etiam noſtri dudum jam fregerunt,
Deut. 32. proinde illis ſtatim ſubſidiarii milites *novi recenteſque venerunt*, quibuſcum nunc eſt pugnandum.

Hanc provinciam quum infiniti ſuſtinere poſſent, ſed mihi contigit ſubire auſpiciis, & delectu Reverendiſſimi Patris Fratris Iohannis à Neapoli noſtri Ordinis, id eſt totius Sancti Franciſci pridem jam Miniſtri Generalis, Ejus expectationi ut ſatisfacerem, res ipſa reſpondet, ego re; non enim verbis poſſum, niſi ut ſtatim mihi regeratur Judaicum illud;
Ioan. 8. *Tu teſtimonium perhibes de te ipſo: teſtimonium tuum non eſt verum.* Conatus tamen ſum ea præſtare, quæ titulus præfert, ut ſcilicet primò defenderem Scotum, tum etiam amplificarem, Et verò tantum abſum tumore, & familiari pleriſque jactantia, ut ingenuè fatear, me primum illud non impleſſe; multi enim ſunt Scoto-Maſtiges, quorum ego ictus non repuli, non ignavia animi, forte, nec penuriâ virium, ſed occaſionis: aliqui enim poſt me ſcripſerunt, & quomodo illos ego referirem? an quiſquam ſucceſſorem ſuum occidit? aliqui ſimul, ſed procul, ut eorum opera ad me non pervenerint: & quamvis locorum intervalla ſuperarem, id eſt abſentiæ præjudicium, at non illud penuriæ, quod certè alia mihi ſubſidia detraxit.

Quod amplificaverim Scotum, non ità intelligo, ut quorundam methodo, jam mortuo illi affixerim nova opera; abſit enim; ſed quod ea, quæ ille paucis perſtrinxit, ego quaſi bracteas in folia, & crepitum produxi, legenda oculis, auribus haurienda. Ne mentiar, etiam quoſdam intactos titulos ſcripſi, difficultates movi, & reſolvi, quam fœliciter, Tibi Lector jus judicandi, & liberum arbitrium aſſigno.

PRIVI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM

Super impreſsione Librorum Auctorum Ordinis S. FRANCISCI *Regularis & Strictioris Obſervantiæ.*

PRivilegio Cæſareæ Majeſtatis cautum eſt ne quis per Vniverſum Imperium libros à Patribus Ordinis S. FRANCISCI Regularis & Strictioris Obſervantiæ editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos intra S. Imperii Regnorumque ac Dominiorũ hæreditariorum Domus Auſtriacæ adducat vendat, vel diſtrahat, abſque conſenſu & facultate eorumdem Patrum, ſub pœna confiſcationis librorum, & mulcta viginti marcharum auri puri. Ita ſancitum & decretum in Civitate Ratisbonenſi pridie nonas Decembris. Anno 1636.

Signatum

FERDINANDVS

infra

Ad mandatum S. Cæſareæ Maieſtatis proprium
IOANNES WALDERODE

à Latere P. H. A STRALENDORFF

VIrtute privilegii S. Cæſareæ Majeſtatis ſuper impreſsione & diſtractione librorum per Fratres Minores Regularis aut ſtrictioris Obſervantiæ conceſſi, facultatem facio IOANNI BUSAEO Bibliopolæ Colonienſi, ut imprimat ac diſtrahat SCOTUM DEFENSUM & AMPLIFICATUM Authore V. A. P. F. BONAVENTURA BARONE Hyberno, Ordinis S. P. N. FRANCISCI Strictioris Obſervantiæ Lectore Generali Iubilato, Eminentiſsimi Cardinalis L. Theologo cum plenario uſu Privilegii Cæſarii præfati, idque pro primâ illius editione. Datum Coloniæ in Conventu noſtro FF. Minorum Recollect. ad Olivas dicto. Die 5. Iunii 1663. ſub noſtra Signatura officiique Sigillo minori

F. BONAVENTURA REUL Provinciæ Colonienſis
FF. Min. Recollect. Miniſt. Provincialis.

EGo etiam operis Author, quantum in me eſt ſitum, idipſum conceſſum volo eidem D. IOANNI BUSAEO pro una hac impreſsione. Colon. 12. Iunii 1663.

Fr. BONAVENTURA BARO.

CENSVRA ORDINARII

VIdi Admodum Reverendi Patris BONAVENTURAE BARONIS SCOTUM DEFENSUM. Suum commendat opus authorem à multis ante laudatum, & merito utique ſuo, non inani verborum fuco ſingulariter commendatum: magnam ſiquidem paſsim habet doctrinæ varietatem, rationum oſtentat ſubtilitatem, & in his ſi fidem ac mores ſpectes ſuam ubique ſervat integritatem. Dignus itaque eſt qui ad lucem veniat ut à pluribus videri poſsit. Lege benevole Lector & tuo experieris emolumento. Coloniæ 1663. die 16. Iunii

FERDINANDUS STROBELIUS in Univerſitate Colonienſi S.T. Doctor
Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ, Cenſor Librorum Ordinarius.

Facultates Superiorum Generalium Ordinis Authori conceſſæ pro operis editione.

PRIMA

Reverendiſsimi Patris Fr. Petri Maneri

Totius Ordinis Miniſtri Generalis.

FRater Petrus Manerus Ord. Min. Miniſter Generalis & ſervus, dilecto in Chriſto Patri Fr. Bonaventurae Baroni Provinciæ noſtræ Hiberniæ S. Theologiæ Lectori Iubilato in Domino ſalutem. Præſentium noſtrarum Litterarum tenore Tibi facultatem elargimur ut opus Philoſophicum in Doctoris noſtri Subtilis defenſionē ſub titulo Scotus Defensus & Amplificatus, à Te compoſitum & à duobus noſtri Ordinis Theologis approbatum, ac magnopere commendatum liceat typis committere; hortamurque ut alia hujus argumenti opera Theologica à Te diligenter elaborata quamprimum in lucem emittas, quæ ſperamus in maximum Ordinis decus & profectum ceſſura. Servandas tamen monemus tam ſacri Concilii Tridentini quam noſtras Conſtitutiones. Vale ex Conventu noſtro Aracœlitano Idibus Octobris 1651.

(L. S.)

Fr. Petrus Manero *Miniſter Generalis*

De mandato Reverendiſsimi Fr. Franciscus Serra
Secretarius Generalis Ordinis

SECVNDA

Reverendiſ. Patris Fr. Michaelis Angeli à Sambuca

Totius Ordinis Seraphici Patris noſtri Franciſci Miniſtri Generalis.

CVum Pat. Fr. Bonaventurae Baronis noſtri Ordinis Provinciæ Hiberniæ emeriti Lectoris Scotus Defensus & Amplificatus atque alia ejuſdem opuſcula . . . . à noſtri Ordinis Lector. lectus fuerit & approbatus juxta dicti Ordinis Statuta, præſentium tenore facultatem facimus eidem Patri Bonaventurae dicta opera prælo committendi. Dat. Romæ in noſtro Conventu S. Mariæ apud Aram Cœli &c.

Sunt circumſculpta imagini Authoris ſupra.

Fr. Michael Angelus à Sambuca *Miniſter Generalis*

FRater Iacobus de Riddere Ordinis S. Franciſci Regularis ac ſtrictioris Obſervantiæ ſuper Provincias germaniæ ſuperioris Belgii, Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ, cum plenitudine poteſtatis in utroque foro Commiſſarius Generalis Dilecto ſibi in Chriſto ac venerando Admodum P. F. Bonaventuræ Baroni Philoſophiæ ac S. Theologiæ Lectori Generali jubilato, Eminentiſſimi Principis Cardinalis Lud. S. R. E. ſupremi Pœnitentiarii Theologo &c. ſalutem ac pacem in Domino ſempiternam.

Cum intellexerimus Paternitatem veſtram ex aliis operibus jam celebratam, abſolviſſe novum opus Philoſophicum, cui titulus Scotus Defensus & Amplificatus, & ad illud pro majori Ordinis Seraphici gloria Typis evulgandum noſtram deſiderare facultatem: Hinc eſt quod eandem quatenus opus eſt, tenore Præſentium (ſervatis de cætero ſervandis ex ordinatione S. Concilii Tridentini, & Conſtitutionibus Generalibus Ordinis noſtri Seraphici) peramanter concedamus, Commendantes omnibus veſtras pro Ordine ſuſceptas Lucubrationes, Datum Coloniæ in Conventu noſtro Fratrum Minorum Recollectorum ad Olivas dicto Die 21. Iunii Anno 1663.

(L. S.)

Fr. Iacobus de Ridderen *Commiſſarius Generalis FF. Minorum Nationis Germano Belgicæ.*

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIONES PP.

Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſorum Authoris Diſcipulorum.

Prima.

Nos infraſcript. Sac. Theol: Lector: in Collegio Romano S. Iſidori præſentibus fidem facimus legiſſe nos TOMUM PRIMUM SCOTI DEFENSI cum adjuncto monumento P. F. BONAVENTURAE BARONIS, neque in eo deprehendiſſe quidquam Catholicæ fidei aut bonis moribus adverſum.

Fr. PAULUS KING S. Theologiæ Lector, Collegii S. Iſidori de Vrbe Guardianus.

Secunda.

PRimam ego partem SCOTI DEFENSI *authore R. P. Fratre* BONAVENTURA BARONE *Sacræ Theologiæ Lectore emerito jam legi, prælo autem ac lectu dignam cenſui, utpote quam deprehendi non ſolum contra mores, vel religionem nihil continere, verum etiam in quâ neque delectationem, neque fidem, neque doctrinam deſideres.*

F. FRANCISCUS MOLLOY Sacræ Theologiæ Lector jubilatus Romæ apud S. Iſidorum.

Tertia.

VIdi cum voluptate primam partem *Scoti defenſi*, P.F. BONAVENTURÆ BARONIS S. Theol. emeriti Lectoris, oblectatus interim & materiâ & modo: illa ſiquidem ſolida eſt, hic accuratus, ſive methodum ſpectes, ſive ſtylum. Parum eſt quod nihil contineat Fidei aut bonis moribus adverſum, multa habet quæ Chriſtianam Theologiam in Philoſophia juvent; propter quæ cenſeo illam non admittendam tantum, ſed optandam pręlo, ut pluribus proſit, maximè autem noſtrę Subtilium ſcholę, quę in illo ducem ſuum habet defenſum etiam amplificatum. Ita ſubſcribo Romæ &c.

F. Franciſcus Haraldus S. Theol. Lector Jubilatus.

OPus hoc Apologeticum à Reverendiſsimo P. Inquiſitore Generali Venetiarum D. meo colendiſsimo traditum mihi examinandum laborioſis lucubrationibus P. Bonaventuræ Baronis Strict. Obſerv. S. Franciſci concinnatum, veræ ac Scotiſticæ doctrinæ innixum, in baſi veritatis firmatum nihil continet quod veritati obviet. Exeat ergo & lucem adeptum addiſcentium palatum demulceat, dum cætera ad ſatietatem cupiditates expletura deſiderantur. Dat. in noſtro S. MARIAE de IESU Conventu Dominica in albis, Anno à Chriſto reſuſcitato 1656. Nono Cal. Majas.

Ita cenſeo Ego Fr. ÆGIDIUS à MELO *Ord. Min. Obſerv. Reformat. Lector Generalis, ſuprad. Conventus Guardianus, & S. Officii Venetiarum Conſultor m.p.*

Alia Teſtimonia Theologorum.

IN parte fælicitatis numero quod P. Fr. BONAVENTURÆ BARONIS Logica huc ad manus meas & oculos devenerit, quippe quam iſtis intuitus ſum, illis amplexus. Præſtat quod præmittit SCOTUM DEFENDIT, adeoque Hybernum, ea fide ut nihil contra fidem peccet, minus contra mores. Acumine adverſa penetrat, pondere ſubjecta illidit, ita utrumque ut nec in mole moleſtia ſit, nec in acie injuria. Stylum autem ſupervacaneum eſt prædicare, aliis operibus, multorum laudibus celebratum; quos proinde hoc opus tarde comprehendet, diutiſſime expectatum. Vale lector & volve, omnia experieris. Ita eſſe aio Fuldæ hac 27. Iunii 1663.

Fr. FRIDERICUS STUMELIUS *Ordinis FF. Minorum Recollectorum SS. Theologiæ Lector Iubilatus.*

VIdi & legi P.F. BONAVENTURAE BARONIS SCOTUM DEFENSUM, interim tamen hoc teſtimonium reddo veritati. Nihil habet contra Fidei, aut Eccleſiæ canones, vel morum puritatem, plura ipſo digna, quippe tot annorum in Philoſophiæ ſcholis emerito ac Profeſſore. *Expugnat*
Pſalm. 34. *impugnantes* Subtilem, *effundit frameam, & concludit adverſus eos*: quamquam non ſine ipſorum utilitate, quibus expedit, ut ſciant ſe arma inermia habere, aut fragilia aut obtuſa. Suis autem, hoc eſt Scotiſtis apprimè prodeſt, non ſolum, quod defendat eorum Doctorem, ſed quod doctrinam augeat, etiam acuat & illuſtret; quod ipſi etiam præſagire videntur, & quadantenus ſpe præ reipſa experiri, dum in tot Provinciis ac Regnis Italiâ, Hiſpaniâ, Galliâ opus avidè expectant.

Bonnæ 28. Maij 1663.

Fr. BRUNO NEUSSER *Ord. FFr. Minorum Recollectorum SS. Theologiæ Lector.*

APPARATVS OPERIS
De Natura Naturalis Philoſophiæ. Delectu, Methodo &c.

§. 1.

An expediat Philoſophicas diſciplinas nunc temporum ſcribi aut dictari?

NOn moveo jam remotam quæſtionem & dudùm profligatam, num Philoſophia gentium in Chriſtianorum ſcolas admittenda ſit, ut fideles occupare poſſit, & ipſa interim aut doceri debeat aut diſci? Iam enim dudum, & Doctorum gnomis, & Sanctorum praxi illa ad Academias noſtras liberum commeatum accepit, ut jam repelli non poſſit, niſi & arma nobis eripere, & pudorem accerſere velimus. Cui non notum quod in Concilio Nycæno poſt Apoſtolico-Hieroſolymitanum cæterorum facile Principe tranſactum cum primitiis Patrum noſtrorum, illo aurei ſæculi ſemente, quando concurrentibus ex omni oriente imo Orbe Epiſcopis, *adſuit etiam inter eos Sathan*, per ſuos ſcilicet Sophiſtas & Philoſophiæ Profeſſores: *Iob. 1.* quomodo iſti canam ſanctitatem & ſanctam canitiem Patrum publico ludibrio habuerunt circumuentam undique his technis ac muſcipulis Logicorum? Notum quas anguſtias Ambroſius jam Epiſcopus à catechumeno quodam perpeſſus; ne alia addam in hiſtoriis paſſim occurſura: ut jam nemo niſi novus Hannibal, & juratus Romæ hoſtis aut cenſere poſſit aut ſuadere Philoſophiam ſcholis profligandam. Et tamen ille aliquis fuit, vixit aliquando ille

Coluber mala gramina paſtus *Virgil 2. Æneid.*

Martinus Lutherus qui cæteris erroribus hunc etiam adjecit, non alios libros Chriſtianis permittendos eſſe ad ſtudia quam Scripturas: *Meum eſt conſilium ut libri illi Phyſici, Ethici, de anima &c. unà cum omnibus illis qui de rebus ſcripti ſunt naturalibus aboleantur.* Quod quamvis paradoxon reclamante ipſa ratione, ſed ille pluribus perſuaſit: quippe *quos magis ſuis dementaſſet.* Multi enim *Scholarium VVittembergenſium ſpiritu hoc vertiginis acti libros ſuos Vulcano conſecrarunt. Sic ut in multis locis Germaniæ tam Vniverſitatibus quam celebribus olim ſcolis magna fuerit tam Doctorum quam auditorum infrequentia.* *In epiſt. ad ad nobil. Germ. Florim Raym lib. 2. cap. 15.*

Sed enim non potuit ſententiæ Hæreticorum hæc ſanies defuiſſe quam expuendam ipſi authores eius, imo ipſamet oſtendit; nam ſibi obſtat. Quantum enim Scripturæ ſervas cui Philoſophiam abſcidiſti? Hoc tamen argumentum non proſequor, iam proſecutus in Panegyricis meis, illo qui numero & ordine eſt ſeptimus. Itaque in litem huc venit Philoſophia non quoad ſubſtantiam (ut Scholicè loquar) ſed quoad modum, tanquam quærerem an expediat eam recu[illegible]toties iam cuſam ac recuſam? Revera enim videmur Authores hic plerumque actum agere, iam nata parturire, noſtram operam, emptorum oleum ſeu impenſas perdere, & denique hominibus idem alio vultu offerre. Vnus Philoſophiam ſuam Theoremata inſcribit, alius Curſum, nonnemo Pharum, aliquis Syntagma, alii aliique aliis titulis in quibus nihil vides niſi nomina innovari: ut non falſo quiſpiam nos iriſerit Apologo (an hiſtoria?) eius qui icunculas in foro venales quamlibet in quodlibet reformabat. Ad eum ſcilicet acceſſit nonnemo; qui admiratus Ceream ſupellectilem & exercitum Deûm hominumque, Apollinem cum Muſis ſuis, Iovem fulmine, Saturnum falce, Mercurium caduceo inſtructum, omnes nitido ac niveo vultu, hæſit aliquamdiu ſuſpenſus; quod notans ille imaginum manceps, arbitratus eſt eum aliquid deſiderare quod ſibi deeſſet; unde & inquit: heus tu quid exſpectas? & ille; Alexandrum Magnum emptum veni; illum adferet & accipiam. Cui alter: Equidem Alexandrum Magnum inter hos non habeo, ſed ſtatim habebo. Et viator; non te inquit exſpectabo; non tam lente feſtino ut præſtolari te poſſim hic à fornacibus tuis redeuntem: mihi periculum eſt in mora. Et ille; nequaquam domine, hinc enim è veſtigio eum producam: quæ vix elocutus corripit ex templo dexterâ forcipem, ſiniſtrâ Mercurium, cui admotis forcipibus caduceum elepſit, alas incidit, galerum in caſſidem, caduceum in haſtam, alas in ocreas recudit, & emptori obverſus; ecce inquit Alexandrum. Ita inquam noſtrum nonnulli eadem aliter, non plura pluries emittunt: quod hinc eſt probatio illi eſt obiectio; huius Prologus alteri eſt Epilogus, formam non materiam mutant: tam inſanabile multos *Iuvenal. Satyr. 7.*

Scribendi cacoëte tenet

Vt plurium opera non aliud novi proferant quam pruritum quorumdam geſtientium illuſtri authorum choro ambitione privata magis quam publica utilitate inferri. Siquis tamen beato ſemine & bonis avibus cretus Iovi ſimilis eam fæcunditatem eſt adeptus ut Palladem aliquam ſuo cerebro parere poſſit, & patrimonium ſapientiæ novâ induſtriâ quaſi caſtrenſibus bonis locupletare; is enim vero metas & cancellos calami non habet; huic nec Hercules columnas figere poteſt quo minus plus ultra pergat, & in abyſſo naturæ alias Inſulas, novum Orbem inveniat. *Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſecula præcludetur occaſio aliud aliquid adiiciendi. Multum egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt.* *Senec. epiſt. 119.*

§. 2.

Quænam deligenda in docendo?

Huic nodo ego olim cuneum dedi, etiam intruſi in proluſionibus meis unâ ordine poſtremâ; unde non cogor novum hic acuere, ſed veterem mihi commodare: eſt autem iſte.

PROLVSIO 12.

De Peripateticæ Philoſophiæ Principatu.

POſteaquam ego hactenus [AA.] mineralia Naturæ in principiorum indagine ſcrutatus per fortunæ gradus in fatorum penetralia aſcendi, judicavi ſupereſſe hanc conatibus meis colophonem ne tyrones itineri committerem ſola temeritate ſecuros, quin in anteceſſum eorũ providerem ſubterraneæ expeditioni ducem, accenderem maritimæ velificationi Aethona ac utroq; periculo laborantibus Pharũ quamdã extruerem, certè exhiberem. Id vero etſi videri poſſim in ſingulis proluſionibus partiatim, in omnibus univerſim egiſſe, ſed interim illud ſemel ex profeſſo agendum erat, quod aliquando neceſſe, ſæpe meritò, nunquam ſatis præſtiterim. Vt digito ſaltem demonſtrarem Agamemnona copiarum, is eſt Ariſtoteles, qui ſive ſicco pede terram obieris, Imperator erit, ſive humido mare tentaveris, plus Geminis, erit polare aſtrum & Cynoſura Philoſophorum. Namque ut ad inſtituti mei repetundas ac ratiocinium poſtliminio redeam, ego immaneius abſum qui parva parvi pendunt, velut induſtriæ ſuæ imparem moram: quaſi vero illos à magnis auſpicatos, auſpicia ipſa ſequi tandem ac non occupare imprimis debuiſſent. Abſit amentia; Reſpublica agitur, quoties privatæ ſingulorum agitantur: magna quæ minoribus præſtant, etiam conſtant, quamvis altum quamlibet uno crevi. ſtillicidia ſitulas implent, meſſis in ſemine cœpit, adoleſcentia excolitur dum pueritia curatur. Incrementa in rudimentis cogitanda ſunt, & cauto cuivis, tanquam Democriticæ Philoſophiæ candidato etiam atomi curandi ſunt quibus acervus coaleſcit. Commune periculum eſt ſi corruptis ſiphonibus marcida aqua in urbem derivetur, & proinde curandi canales. Publica jactura fit ſi legitimo charactere adultera numiſmata cælentur; adeoque chymicæ fornaces obturandæ. Experientia ſi falſa, etiam fallax eſt, & univerſim, cùm objectum ſenſui, ſenſus menti mentitur. Propter quod enitendum admodum ut ipſe tamquam explorator omnia ex fide referat, ne errore imbutus, intellectui quem hauſit propinet.

Quo magis enitendum eſt nobis [AA.] ut quotquot imbuendam adoleſcentiã aut tradimus aut captamus, digno operæ exordio fundamenta ſolida æterno faſtigio ſternamus. Priuſquam in Olympum S. Theol. municipes aſcendamus, citra ſuperbiam gigantum Athon & Caphaream principiorum, mentes montibus ſupponamus. Nempe cæleſtium cognitio à noſtratibus eſt ordienda. Fides Philoſophiam, credulitas ſcientiam ſupponit. Nequit ſanctus eſſe qui nullus eſt, nec poteſt id Gratia colligere quod Natura dimiſit. Ergo priuſquam in Oceanum illum tendimus Delgis natatoribus utamur hoc eſt, didaſculis Philoſophiæ, quibus nunc ævi ita non eget orbis ut abundet, atque ibi nos operis noſtri pretium expectat, ne invenire eos, ſed deligere ſtudeamus.

Ita luxuriavit hæc Lerna ſcholarum, truncatorum capitum ſemente repullulans, quum inde ſingulæ novam ſibi venditarent, quod priorem diſſolviſſent, & multiplicatæ ſuis erroribus ſectæ orbitatem fœcunditate ſuperarent. Nam quis niſi nauſeabundus ſuſtineret me vetuſtatem illam Philoſophorum centuriantem Celtarum Druydas, Æthiopum Bracmannos, Ægyptiorum Vates Judæorum Gymnoſophiſtas; ne deinde ſingulorum capita recenſere cogat Leucippos, Melicippos, Xenophanes, Anaxagoras, Anaximenes, Anaximandros. atque alios alioſque, Græcos aliquot præſertim crepicula illa ad popularis auræ flabrum in foro vociferata, quorum quiſque ita plurimũ ſapiebat, ut incidere contingeret in majorem vulgi inſipientiam, cui impexa cæſarie & laciniosa abolla Philoſophum oſtentabat pretio admirationis venalem. Hi ergo fungi ſapientiæ nocte una adulti ſimul ac denati poſteritatem ſuam ſecum pænè, etiam memoriam, famam certè ſepelierunt. Vt ex tot agminum imperatoribus bis duo tantum in hujus gloriæ capitolium ſcholarum quadriga contendant. Academici, Peripatetici, Stoici, Epicurei. Et horum quidem ſinguli aliquando Monarchia ſua & ſolitudine freti tantæ ambitionis plauſum exceperunt ſuccedenter atque diviſe, ſive ipſius naturæ palato declinante unius crambis faſtidium, ſive tempore conditionem rerum alternante, utcunque, blandiente omnibus novitate quatuor illæ tanquam totidem anni tempeſtates lucem orbi diviſerunt. Plato inprimis qui in hoc agone ingeniorum tot ſuffragiis certavit ut palmam prius meruiſſe quam tentaſſe videretur, rationum aculeo, eloquentiæ ſucculentia, quorum utrumque olim Muſæ apes in alveario cunarum ejus cumulatiſſimè prodegerunt. Illius Academiam tota olim Græcia, deinde etiam Africa atque hæc citerior Italia ambivit, audivit. ſuſpexit, veluti Hyblam facundiæ, Heliconem veritatis, Græciæ Græciam, Athenas Athenarum. Cæterum ex noſtræ Eccleſiæ CC.PP. Auguſtinus Platoni, Hieronymus Stoicis ſubſcribit & videtur vincere, ſi lis ad tribunal pietatis decidatur. Cæterum ex quo Pytagorica metamorphoſi Philoſophia ab intellectu migravit, alia hujus nominis res eſt non quæ contentionibus ebria diſputationum crepitu vociferatur, ſed quæ ſiſtit animum, ne aut deliciis diffluat, aut injuriis perſtringatur, quæ rationis amuleto, atque anchoris defigit eum, nequando fortunæ aut blandienti arrideat aut iratæ ſuccumbat. Et ubi hæc illa niſi in Porticu philoſophatur, quæ ahenis dogmatibus & dignis cœlo, invulnerabilem animum adverſis indurat. Quæ naturæ anomiam & petulantiam paſſionum, non ut Peripatetici radere audet, ſed eradicare, quum illi compeſcere eas

tentent

tentent & velut jumentum adjectis lupatis doceant intermittere duntaxat feritatem. Ignoſcendum iſtis, illis etiam applaudendum, qui propugnaculum nobis ſtruxerunt, ut quis quovis etiã furente tyranno beatitatem ſartam tectamque ſervaret, æquam utrobique imo eamdem, ſive in ro eto laſciviat, ſive in equuleo rareſcat, quum interim Licæum egeat fortuna ad felicitatem, utpote cui virtus non ſufficit niſi cutis curetur, & ſatisfiat helluonibus ſenſuum quorum fames eſca ipſa irritatur. Quos tu pullos ab hoc nido, aquilas à columbis, expectes, cum interim Porticus ſuos reddiderit ad fortunæ flexum ferreos & per ſua funera immortales? Hoc lacte alti atque adulti fortiſſima nomina dutiſſimam pugnam vicerunt, Cato ferrum, Socrates cicutas, crucem Regulus, Marius lanceas, Ageſilaus ignes, Portia cultros. Quos ſi ob iſta ſcimus in poſſeſſionem gloriæ tranſcriptos, quanto amplius iudicabimus inter hæc felices, quum bonum numquam plus profit quam præſens. Vſque adeo Stoica diſciplina opportunè ad portum beatitatis appellit, nec lucet tantùm ut aſtrum, ſed afflat ut aura, & voluntatum noſtrarum lenta carbaſa, ac ſcapham animæ fluctuantis ita promovet ut nihil eam niſi celeritas ipſa moretur.

Enimvero apud ipſos à temeritate cavendum, quomodo in Peripato ipſe timor erat timendus. Sed abſterſit nævum hunc ſua ſpongia Epicurus qui Stoicos in adverſa præcipites magis quam properantes velut Fabius quiſpiam ſua mora moderatus, ſalebroſum iter lenitatis interpunctu temperavit. Epictetus enim, Zeno, atque omnis retro in adverſum naturæ nixa ſcæna Stoicorum velut ingenioſi pictores minio aliquo & ceruſſa fucarunt adverſa ne cui ſe proderent niſi perſonata. Illis malum erat quod animum lædit, non quod ſenſum percellit; in quo quamvis immani buccinabant nihil eſſe terribile niſi terrorem. Durè illi & ad ſpeciem ut minimum acerrimè caſtra metati expectabant Epicuri ſignum qui receptui caneret & ſuaderet dolorum aculeos in tormentis ſubterfugi non poſſe, etſi poſsint diſsimulari. Et quales illi demum, quantus iſte eſt uterque obicem agunt Peripateticæ Maieſtati ad ſummum aſpiranti, nec à faſtigio tantum ſed à clivo coercent; quibuſcum atque etiam Academia quaſi cum tricipiti Cerbero mihi eſt certandum. Atque ut appaream ab invidia content onum quantum à ſtudio abeſſe; Cedo illis ſua: non eget his manubiis meus Imperator niſi hoſti permiſsis, à quo deinde cum fœnore gloriæ repetantur. Vnde Stoicorum robur Ariſtoteli militabit, Platonis facundia ipſi perorabit, & quidquid Epicurus ille ſummus Pontifex voluptatum in pulvinaribus venereis trans lineam laſcivit Ariſtoteli noſtro ad temperandum Mediocritatis pharmacum fænerabit. Cæterum conſilium mihi non eſt pectere hic Platonem, aut ſtyli interpunctu ſingulos eius capillos diſcriminare; aliqua tamen acu tangam quibus Ariſtoteli [nam quibus non] eſt impar. Et quoniam hic campus non eſt aciem ex æquo inſtruendi, compendio totam proſequar, atque Academiæ methodum perſtringens quaſi in centro quodam radios omnes peripheriæ truncabo.

Nempe Plato Socraticæ dubitationis pertinax hæres, verſatilis, & cautus, omni ſe parti permittebat, & velut in duello neuter, inimicitias fugiens, amicitias vitabat. Et quis quæſo Academicorum tumor, qui ſe nullius Profeſſores jactabant & veritatem fuga inſequuti, ne errarent, erraverunt? Adeo Athenis non fuit opus Domitiani edicto ut Philoſophi exularent. Academia ipſos proſcripſit, degeneres Sciolos enixa, qui dum ſapientum periculo abeſſe vellent conſilio abjerunt, de quibus id mirari non deſines quod alicuius ſectæ erant qui nullius eſſent ſententiæ. Quis enim ſenſus non aliquid cenſentium? quibus ne id quidem certum erat, eſſe omnia incerta Cum ex adverſo Stoici tam certi incerta auderent, ut contenderent etiam ſomniis adhibendam fidem, & cuivis

Qui videt aut vidiſſe putat per nubila Lunam

Atque tum maximè neſcientiam ſuam prodebant cum plurima ſe ſcire profiterentur & ecce qui Ariſtotelem laceſſunt hominem [ſi quis hominum] divinum, doctorem Alexandri magnitudini parem, Philoſophiæ partum & parentem, à quo ſcientia ſeipſam didicit, per quem rerum omnis naturâ ſitum exuta atque in Vniverſi huius conſcientiam producta gratitudinem ſuam à mortalibus recuperavit. Equidem cum in eũ admirabundus reſpicio, fateor ſtrictu fulgoris reverberor, neque capio quæ ei faculæ, aut candilæ auſint aſſidere, quẽ ſcimus, non ſegnius luxiſſe Orbi quam Solem. Sed ut video maſtyges ipſius, atq; antagoniſtæ vel ex damno decerpere aliquid voluerunt, & quadantenus vincere dum vincerentur, quùm in ipſorum titulis ſummum foret quod illi eſſent congreſſi, Pygmæi giganti, Nani Coloſſo, Parides Achilli, Vlyſſes Ajaci. Et quantus ille cuius victoria hoſti militat, atque ipſum etiam quem ſupplodit, attollit.

Sanè vero ut in hoc me porro aperiam, neu quidpiam ei exiſtimetis calamo meo tamquam corniculæ alienâ plumâ adſcribendum, ſane planeque inquam, id me credo cuius citra eloquendi ambitum facile perſuaſurum, ſi vel ipſius temporis calculum legitime ponentem me ſuſtineatis. Nempe priores illi dudum iam multumque placuerunt, atque ideo multum quia dudum, non expectata ſapientiæ maturitate, cuius inopia apud populum opulentabat profeſſores. Deinde autem labentibus annis & adoleſcente poſteritate, tum enim vero illa maiorum noſtrorum impexa vetuſtas iuvare tantum ac non ſatiare eos potuit qui ad patrimonium ſapientiæ induſtriæ ſuæ proventum addiderunt. At is vero quem dicimus ac dictamus Ariſtoteles velut amaranthus æternitatem famâ ſuſtinet, faſtidium varietate profligat, ut aut nos illi præfuiſſe, aut renaſci ille videatur quoto ſeculo, omni palato. Ille Olympiade nonageſima quarta ante Chriſtum editus æſtimationis ſuæ teſtis fuit, quum Philippus rex publica voce iactavit fœlicitatis ſuæ tripodem, Ariſtotele velut pedamento conſtare, haud utique minus quam Alexandro qui per illum Magnus fuit. Huius opera L. Sylla dictator ingenti precio comparata ex Pyræo in Urbem tranſtulit. Ipſe iam ante maiori inſtructus eſt ad eorum, imo ad unius libri elucubrationem octingentis talentis. Eadem ſingulari vigilia providentiæ Dei inter tot authorum mortalitates per maximorum Imperiorum ruinas tamquam opima ſpolia quater in triumpho fuit ducta. Inprimis enim cum Attalicorum ac Ægyptiorum induſtriam evaſiſſent, & non inventa, reperta, ab Apollione Tejo, in Græciam ſuam, velut ab exilio revocarentur, ab eo quem diximus Romanorum agminum Imperatore, in hanc Urbem veſtram (cives) in triumphi pompa ſunt invecta. Tum verò eunte peſſum veſtro faſtigio ob Barbarorum Septentrionalium excurſiones, ſed & Orientis Imperio, novâ procellâ à Meridiæ perculſo, Saraceni primum latrociniis, tum etiam juſto exercitu Græciæ Provincias aggreſſi & per Ægyptum ac Africam in Mediterranei Maris inſulas deducti, inde cum reliqua præda Ariſtotelis libros convehentes Græcis & Latinis litteras cum imperio eripuerunt. Exinde autem Philoſophia apud noſtros ſexcentis

circiter

circiter annis ſopita Fridericus II. Sultani victoriâ Auguſtus ſuis ipſe ſumptibus magnam operum illius partem ex Arabo in Latinum transferri fecit, & velut Philoſophicum ſpolium ac ditiſſimas manubias Imperio Romano recuperavit. Denique Conſtantinopolis everſo Imperio per Mahumetem tyrannum Græci aliquot [Æneas appellem] Ariſtotelis Philoſophiam velut Penates ac Pallantæum ex illo incendio rapuerunt. Ita ille [quod dixi] quadam quadriga triumphorum Ariſtoteles, etſi aliquando interim victus, de victoribus ſuis ovavit. Huic patria ſua data, imo reddita eſt, non modo illi ſed ſibi quum Macedonico bello veſtata ex ruderibus ſuis ac ſepulchris ad honorem illius rurſus ſtructa reſpiravit. Ipſi veluti oraculo cuipiam ſtatua ibi poſita eſt, ſed ubi poſita non eſt ei, cujus ſcripturæ lineamentis ingeniorum omnium tabulæ figurantur. Qui centuriis librorum tamquam ſideribus Philoſophiæ firmamentum cælavit, ea facilitate, ut vomuiſſe omnes diceretur, tanta fælicitate ut ſtillaſſe ſingulos crederetur. Qui ætatum omnium authores unus occupavit priſcos in encomiis ſuis, ſequaces commentariis. Nam quid de eo ego in hac ſeculi lacinia & periodo perorabo cui tot temporum trama titulum omnem laudis præoccupavit. Dicam eũ Anagnoſten, atq; omnis eruditionis helluonem? jam dixit divinus ipſe Plato. Appellabo flumen aureum orationis? appellavit M. Cicero. Iterum appellabo hominem ad intelligendum æquè ac agendum, veluti Deum mortalem? iterum ille compellavit omnis Græciæ omniſque Barbariæ diſciplinis, inſtitutis, legibus imbutum. Dubitabo utrum ſcientia rerum, an eloquendi ſuavitate, inventionis acumine an operum varietate præſtiterit? Dubitavit dudum iam Plinius non quaſi in aliquo alteri fuerit quam ſibi ſecundus. Exclamabo denique eum exemplar quoddam Orbi objectum, in quo quantum natura mortalis capere queat, quantumque humano ingenio egredi fas ſit homines ipſi intelligere atque admirari poſſint? Exclamavit dudum Magiſter Arabum Averroes qui & appellavit eum umbelicum rerum, epilogum & oraculum naturæ, ea procella laudis, quæ videri poſſet Xenophontis pædia & celebrare non tam quid ſciverit hic Cyrus quam quid potuit ſciviſſe.

Hancne ergo Tu quiſquis es tam vulgatam celebritatem gloriæ ſquallori Porticus, aut Academiæ umbris in utriuſque magiſtellis audeas comparare? Certe autem ſatius erat eos non Ariſtoteli ſed invicem opponi tamquam ex diametro adverſos, inter quos ille arbiter ſitus eam Philoſophandi normam tradidit, qua & priorum informem methodum, & aliorum effrænem licentiam retudit. Docuit enim aliqua ſeipſis nota, velut muta formæ commendatione extra omnem aleam eſſe ut convelli non poſſint, aliqua in lubrico, quæ ſapiens nec poſſet repellere nec auderet reprobare. Organum ſuum qua apodicticum, qua dialecticum bipertitus, illo neceſſariis, hoc contingentibus impenſo, Alexandro à quo doceretur quærenti? veriſſime reſpondit ab objectis. Ita enim in Phyſicis naturæ ad numerum aſſiluit, ut aut illi res ipſæ, aut ipſe rebus meditato atque ex compoſito attemperaſſe ſe videatur. Tam ingenioſe implexa explicat, ita ſolidè obſtantia irrumpit, obtuſa acumine aſperat, acuta gravitate obtundit, pugnantia diſpeſcit, coeuntia nodat, dubia librat, arcana rimatur, ut penitus funditusque parienti Naturæ obſtetrix aſſediſſe videatur.

Illius biblia bibliotheca ſunt: Laertius ad quadringenta numeravit, nobis ſaltem ad ſeſquicenturiam ſuperſunt ex quibus digna fides eſt non illius teſtamento ſed noſtræ poſſeſſioni deeſſe quæ in eius voluminibus deſiderantur. Tantorum operum molitori quidni hiatum aliquem ignoſcamus, ſive ut pertinaci ſtudio fas ſit ſomnum obrepere, ſive ut ipſe immobili nictu auſus fulgorem veritatis laceſſere, aliquandò interim palpitarit. Non eamus ergo inficias quin hæſerit imo impegerit nonnuſquam, & veritatis ſcopum tentarit tantum. Eſto Academicis quod obiiciant, ſed eſt quod reſpondeant de Orbis æternitate, quam quidem perperam Ariſtoteles aſſeruit, ſed ſtultus Plato recuſavit. Nempe is machinam hanc Mundi tempori adſcripſit, materiam æternitati, ſupervacua providentia anxius, ne tum materia operi deeſſet quum ipſum erat defuturum. Ita ſcilicet Plato in errore omne tulit punctum, & ex hujus fabricæ opinionibus nullius ſibi ſuffragium reliquit.

Iam ad illud quod de divina Providentia adfers, fateor parcum in ea Ariſtotelem, cautum potius & proinde parcum; maluit hærere quam labi, quod quia Platoni non placuit, cùm de divinis is multa dixiſſet, plura erravit. Nempe in illius oraculis eſt illa Pythagorica fabula de migratione animarum & expiandis priſtinæ vitæ noxis in corporibus jumentorum. Atque illud item de Verbo Dei nequaquam apud ſe natum vidit ſed aliunde adoptavit: namque quum in Aſiæ Ægyptum & in Occidente noſtro ex antiquiore Græcia in majorem litteras toto Orbe fugientes perſequeretur, in divinas incidit, ex quibus pleraque in Tymæum ſuum transferre, fortè etiam corrigere auſus, erronibus ſcholam aperuit, & anticipatâ injuria Verbi ante Arium vixit Arianus. Ita in theoriæ, curriculo Academia ſuo damno Ariſtoteli concurrit, in Ethica Stoici, ad quos iam denique tamquam ad triarios vertendum eſt, quod Epicureos pudeat in ſtadium permittere, amurcam & fæcem Philoſophorum. Apage enim lutulentos ſues qui cæni ſui mephitim diſſimulant dum mollitiem palpant. Apage Circes illas hoſpitum quos receptibus ipſis & fuga feritatis in feras recudunt. Malè ſit ſcarabæis qui ingloriâ operâ pudendo figmento mancipantur. Eant effæminati illi ad Veſtales voluptatis. Nos Stoici, ſcilicet plus quam viri vocant, qui illecebras illas ſenſuum è bonorum albo expungentes, tranquillitatem in tempeſtate, beatitudinem in doloribus tuentur.

At enim buccinent hæc hianter, perſuadere certe nõ poterunt niſi erronibus ſuis qui hominis animum circumſcribi autumant corpore ſuo non iã complice ſed paludamento. Olim exploſit fumeã hanc aciẽ Stagyreus interiectu ſtyli ac diſparatis alis, inquiens in incommodis aliquando eſſe beatam animã, numquam hominem beatum. Et vero ut ſe venditent iſti naturæ, etiam rationis refractarii, ſed interim dum vapulant fortunæ flagellis, nequaquam verè beati ſunt, ſed fortiter infelices; ſi tamen. Riſum tenete: navigavit aliquando cum Gellio Ionium à Caſſiopeia Brunduſium nonnemo ex his Thraſonibus Stoicorum, cumque adverſis auſtris & bulliente mari tempeſtas naufragium minaretur, Stoicus meus mortis viciniâ perculſus conſcientiam pallore prodebat, ita non ſegniter ut notaretur à cæteris, quamquam interim naufragis, ſed adhuc avidis experiri ut ille pericula concoqueret. Tum vero cum Mare detumuiſſet, ille ab Aſiatico quodam ſibilo exceptus quod ſibi impar mortem trepidus horruiſſet quam ipſe erectus expectabat, Retulit quod quondam Ariſtippus eiuſdẽ farinæ placenta idẽ alteri ſciſcitanti reſpondit; merito eum pro nebulonis anima non fuiſſe ſollicitum, ſe autem pro illa Ariſtippi debuiſſe timere, ſcilicet cuius gibbo Reſpublica niteretur. Videte per Deum [AA] tã tumidis follibus auram crepitare, videtis fucum Philoſophiæ qui Stoico ita non alte inſedit, ut

... nec autem quidem imbuerit ne palleret. Tumidus ipſe metum perſtringebat præco eiuſdem ac deſertor, adverſus ſua vitia facundus.

Abeant ergo in rem ſuam illi gloriæ aucupes & admirationis nundinatores, quidquid quantumque ipſi ſuperbo cilio & buccis follicantibus ſtrepant, ſed denique Naturæ impetus ſupprimi poſſunt nec extingui. Habeat ſibi Porticus ſuam illam ferream fœlicitatem & conducturam chalybis indolentiam: nos in peripato ſtatuimus fœlicitatem nec in commodis corporis ſtare nec ſine illis, quin eam veluti annulum eſſe in quo fortunæ tota circulum deſcribit, virtus gemmam locat ad pretium ſimul & ornamentum. Fuerit induſtriæ, ſit modeſtiæ Platonis ex Achaja ſua in Ægyptum ad Gymnoſophiſtas, Tarentum ad Archytam conceſſiſſe ut diſceret. Ariſtotelis eſt Latium & Græciam ad ſe traxiſſe ut doceret. Qui cum dudum jam orienti ſuo occidiſſet, tum demum occiduos nos tamquam Antipodas ſuos illuſtravit.

Tranſmittamus ergo cineres tam Auguſti magiſterii. Sciant magni illi Manes ad uſuram ſe tacere; quoniam cum ſuperſtites illi unas Athenas imbuerent, jam in tot Provinciis gratiſſima Echo audiuntur. Salve igitur Auctoritas Patriæ tuæ Pater, naturæ interpres, Lucifer Philoſophorum. Salve Suadæ os, ſapientiæ oculus, utriuſque ambidexter, gemmæ columnæ adſcribens atque exhibens illud, non ultra inventionis promptu, judicii acumine, induſtriæ fœlicitate, Philoſophorum anteriorum victoria, Theologorum ſuccedentium miraculo intra famam ſupra fidem provecte. Vale olim Imperatoris, nunc vero etiam Imperii Pædagoge, atque illud aliquod operæ tuæ pretium hiſce cambii litteris ut ut illiteratis à me hodie admitti. Quamdiu veritati ſuus honor, ſcientiæ ſcientia conſtabit, Tu interim atque in diem vives laureandus Philoſophorum conſiliis, Theologorum ſuffragiis, cura Medicorum, Oratorum numeris, ſtylo Rhetorum, plectris Poëtarum.

---

§. 3.

Quiſnam ex Chriſtianis Philoſophis in ducem deligendus?

VIdere ſubinde eſt gratiam naturæ ſubſcribere tamquam dictatori & formam operis præferenti. Scimus Sacramenta, ſive inſtrumenta gratiæ eſſe ſeptem quia nimirum natura ſive corpus tot ſubſidiis eget quot per hæc animæ conferuntur. Evangelium, ſive ſcientia ſacrorum quadam quadrigâ vectum eſt in totidem Evangeliſtis; quod etiam notare eſt Philoſophiæ contigiſſe quæ hodie temporum ac ſcolarum in quatuor familias eſt ſecta, Aquinatium ſive Thomiſtarum; Subtilium ſive Scotiſtarum, Nominalium Noſtri oceani nepotum, & Neutralium, qui nullo duce, totâ libertate feruntur. Ex his in præſenti conamur delectum facere, & tyroni in limine hærenti dictum; ad quem præſtandum moveo in antecesſum oportere nos ingenii acie anatomicum divortium moliri inter Authorem & opus, ſive doctorem & doctrinam, nequando iſta ſibi mixta lectorem confundant. Etenim ſi alterum hoc attendas ſcilicet perſonam docentis, nemini dubium eſſe debet quin doctrina Aquinatium in hoc Helicone præcedat: quia nimirum ipſe alios doctores Sanctitatis eminentiâ anteit,

Et toto vertice ſupra eſt. *Virg. 7. Æneid.*

Quod operoſius probare injuria ſancto fuerit, quum id nemo neget, omnes affirment Vaticano oraculo devincti. Quoad aliorum ſingularium ſcriptorum cenſuras, imo laudes & elogia de doctrina S. Thomæ videri poteſt Ioannes Michaël Pius in tertio opere de hom. illuſt. Ordinis S. Dominici. lib. 1. à fol. 244. ex diverſis Authoribus puta Marciano Viana, Franciſco de Varges, Anton. Campano. Item Ignatius Galvan, Nazarius, & alii vix numerabiles, quamquam plerique domeſtici & fratres Sancti.

Sin autem opus non Authorem attendamus, & libeat, ut par eſt, non quis ſed quid dixerit, expendere, nullius præjudicio auſim ei aliiſque Scotum in Philoſophiâ præferre, atque adeo Logicæ Phyſicæque candidatos, Metaphyſicæ quam maxime ad illius præ cæteris ſtudium & ſequelam invitare. Hanc aſſertionem propter à veritate fretam plurium experimentis certam, ſtudentum utilitate ſalubrem pluries probabo at non in pluribus: nec enim ulli ullus eſt ſcrupulus Scotum cæteros omnes totis ſtudio & ſtadio anteiſſe, ſupereſt ergo unum, nempe unam hanc arcem excedere, ut noſtram erigamus, imo oſtendamus erectam. Quia nimirum illa doctrinæ Eulogia quæ D. Thomam circumſtrepunt nequaquam de naturalium ſed de ſacrorum ſcitu procedunt. Martyrologium Romanum in quo de Sanctis quibuſque optima quæque dicuntur D. Thomam affirmat. *Vita ſanctitate & Theologia ſcientia illuſtrem.* Ecce quam ſcientiam in eo ſuſpicit Eccleſia; certe non Philoſophiæ, audis enim expreſſe Theologiam. Ad hæc Innocent. Pontifex, [quis aut quotus incertum] Urban. Pontifex, [quis aut quotus ignoro], quum S. Thomæ doctrinam approbaſſet, ut à multis jactatur de quo alius eſt conſulendus, certe non approbarunt Logicas ipſius opiniones puta Quinionem prædicabilium, Decadem prædicamentorum, non Phyſicas de inſeparabilitate materiæ ab omni forma, nec Metaphyſicas de actu illius entitativo, & ſimilia Apoſtolico calculo indigna, ſed approbarunt eius induſtriam in diffuſione Fidei, impugnatione hæreſum &c. quæ omnia patet Theologica eſſe, nec Philoſophiam niſi in fundamento habere. *Nonis Martii.* *Pet. Al in nod. indu.*

Amplius anno 1277. Stephanus Epiſcopus Pariſienſis damnavit 222. articulos tamquam erroneos & malè ſonantes, qui multorum iudicio excerpti erant, maximâ ſui ſaltem, ex operibus S. Thomæ, quod etiam concedere videtur Dominic. Garavina Ordinis Prædicatorum in ſuo *Cherubim Paradiſi* id eſt de *Excellentia* S. THOMÆ. lib. 4. c. 1. ubi fatetur quod *olim cum Magiſtro ſententiarum circumferebatur impreſſus libellus de articulis Pariſiis damnatis* hoc titulo: *Liber continens articulos reprobatos à Facultate Pariſienſi contra doctrinam* S. THOMÆ. Quum

vero

vero deinde anno 1323. fuiſſet Angelicus Doctor à Ioan. 22. inter ſanctos relatus, Epiſcopus Pariſienſis etiam Stephanus cum tota Univerſitate revocavit ſententiam prædeceſſoris, irritavit cenſuras, & Sancti doctrinam approbavit poſt 46. annos à reprobatione eius; ut manifeſtè appareat delatum eſſe ſanctitati hominis, atque eius declarationi.

Quanto conſultius majores noſtri iidemque Minores cenſuerunt in certamine Litterario non ſanctitati ſed ſcientiæ deferendum, quando repetitis Edictis Generalium Comitiorum ſtatuerunt ſibi Philoſophici belli ducem IOANNEM cognomento DUNS ingenio magis quam titulo SUBTILEM, etſi nondum faſtis Sanctorum adſcriptum: nonne enim id illi cenſuerunt egeſtate ulla aut neceſſitate ſed judicio. non iis interim defuerunt viri numero multi; ſanctitate celebres, Philoſophiæ etiam Profeſſione illuſtres: ſed voluerunt conſultum ſuis pro materiâ ſubiectâ & re nata; atque ita ſtatuerunt Ioannem cotem ingeniorum acuendis illis adhibere. Nempe in quovis opificio reſpiciendum eſt quod illud integrat & conſtituit: quo ſibilo exciperetur qui Muſicum aut militem vultu aut capillis, non voce aut viribus metiretur, atque ita imminente hoſte & iam fores pulſante puellarum exercitum conſcriberet? Liceat mihi ſemel ſeria ludicris temperare; fuit in Hiſpaniis, [Hiſpali, niſi erro] quiſpiam civis opibus & authoritate inſignis qui veſtem feſtivum, adeoque pretioſam ex purpura, aut biſſo ſibi factam volens, acuto famulo mandavit ut optimum ſartorem advocaret, cui metiendum ſe & materiam compingendam committeret. Fecit ille quam potuit accuratè, ſed infæliciter, duxit enim burdum & imperitum qui neque veſtem aptè compinxit & pannum deſtruxit. Actus in iram herus accitum famulum inquiſivit, nonne [inquiens] imperavi tibi ut optimum ſartorem advocates? Et ego, ait famulus, nonne advocavi? iſte enim eſt Hiſpalenſium omnium plane optimus; quaque hebdomada purgat ſe peccatorum Exomologeſi & quaque Dominicâ ſuſcipit Euchariſtiam. Quid expectares ab hero niſi in mediâ irâ cachinnum, quem illi merentur qui res non ſuis metris metiuntur. Quam abſonus qui multitudinem ſuperficie, latitudinem gravitate exploraret? unde mirari coactus ſum ne dolere dicam Regias vices Iacobi I. qui cum calamum arriperet adverſus Robertum Bellarminum Maieſtatem ſuam pro ratione attulit, & putavit ſe cauſa vincere quem fortunâ viciſſet, *quippe imparem Regio fulgori & ineptum utveluti æquali, maieſtate cum eo poſſit ad certamen componi: nam & multa millia* [addit] *in ſubditis habeo qui ſplendore natalium Bellarmino non concedant.* Summa ſit ſanctum pietate, Doctorem ſcientiâ æſtimandum quæ nullo ſanctitatis acceſſu compenſari poteſt, licet poſſit ornari. Adeo quam merito PP. noſtri in Comitiis conſcripti tulerunt *dignam Iohanne ſententiam* quando cenſuerunt eum Scolis Philoſophicis præficiendum, non quia alium non haberent ſi plauſu illo & vulgari celebritate ducerentur. Ad manum erat eis Alexander ille Magnus ipſius Thomæ eruditor, ad manum ille Aquinati ſanctitate ſimilis, dignitate etiam ſuperior, ſanctus & Seraphicus BONAVENTURA, Albanenſis Epiſcopus, Rom. E. Cardinalis, ut alios Minoris Scenæ gradus omittam, quum tamen THOMAS vix ullo Magiſtratu Ordinis ſui functus, etſi omni digniſsimus, quam œconomiam non capiens aut non advertens quiſpiam Recentiorum, tametſi aliàs Ordini noſtro addictus, obiicit ei tum BONAVENTURÆ neglectum, tum Scoti delectum. Quum enim Sanctum meritis ideſt maximis laudibus extuliſſet, ſubdit: *Vt fatear mirum ſæpe mihi accidiſſe ab iis quorum intererat denſam tenebricoſitatem hominis* D. BONAVENTURÆ *ætate & gradu in* D. FRANCISCI *familia ac etiam in univerſa Eccleſia tanto poſterioris prælectam fuiſſe ut unam patritiarum in Scola Theologica familiarum ductaret, cum ſuppeteret Doctor ſine controverſia Sanctus, Ordinis quandoque Generalis Miniſter & & Eccleſiæ Cardinalis qui poſſet cum maiori partiariorum decore eas partes ſuſtinere.* Ita ille, zelum habens, quo ſi nos duceremur, eo denique veniremus ut pueros Scolis præficeremus, quidni enim ſi ſanctos: ſed abſit amentia ut prædâ relictâ parerga proſequamur, ut ex ſpinis uvas, à tribulis ficus expectemus. In certamine ſanctitatis BONAVENTURAM, etiam THOMAM SCOTO præferimus, in ſcitu & ſubtilitate nequaquam, neutrum illi, ipſum utrique: nam denique *Ioannes ipſe eſt Aquila.*

Iacob 1. Brit Rex in præf. monit.

Hier. in epiſ. ad Galat.

Theophil. Raynaud. de ſanct. Lugdun.

Auguſtin. Tract. 36.

Unum addam ad devinciendam mihi ſententiam Lectoris, eſtque S. THOMAM longe longiorem vitam Scoto duxiſſe: obiit enim quinquagenarius, cum hic vix trigeſimum tertium exceſſerit, ut proinde plus vacaverit priori naturalibus ſcribendis vacaret, neque tamen plus Noſtro ſcripſit in hoc genere, ſed paulo minus, texamus indicem utriuſque.

S. THOMÆ OPERA

Philoſophica ex Edit. Roman quæ iuſſu PII V. *confecta omnium optima cenſetur.*

1. Commentaria in lib. Periher.
2. Commentaria in lib. Poſter. Analit.
3. Commen. in octo lib. Phyſic.
4. in 4. de Cælo & Mundo
5. in 2. de Generat.
6. Comment. in quatuor Meteororum.
7. in lib. de Anima
8. in parva naturalia
9. Comment. in duodecim Metaphyſ. libros
10. Tractatus de Ente & Eſſentia
11. Expoſitio in librum de cauſis
12. Comment. in decem lib. Ethicorum
13. in octo lib. Politicorum.

IO. SCOTI OPERA.

Philoſophica ex edit. Lugdunen. ut maximè facta opera PP. Hybernorum Romæ.

1. De modis ſignificandi ſive grãmatica ſpeculativa
2. De primo Principio.
3. Theoremata
4. De cognitione Dei
5. Quæſtiones ſuper Porphyrium
6. Quæſtiones ſuper Prædicamenta
7. Super lib. Periherm.
8. Super lib. Priorum
9. Super lib. Poſterior.
10. In Elenchos
11. In octo lib. Phyſicorum
12. In Meteora
13. De Anima
14. In lib. Metaphyſ. quæſtiones
15. Expoſitio 12. lib. Metaphyſ.
16. Collectiones concluſ. Metaphyſ.

Et quo-

Digitized by Google

Et quoniam laus omnis inſtrumenti non in ſe deſinit, ſed in termino, & iam convenit inter nos, profanas ſcientias adoptandas eſſe nobis ut ſacrarum inſtrumenta, exploremus cuius hic Philoſophia felicius hunc finem aſſequatur. Iudæi olim in pretio erant quia Chriſto gravidi, & aliquando eum parituri; ita inquam genetica Philoſophia eotenus æſtimanda eſt quo in Chriſtianam Theologiam redundat, eatur ad examen, ſed alibi fuſe, hic preſsè pro Prologi compendio unâ inſtantiâ, ut maximè ſecundâ. Tenet D. THOMAS & ſui in nulla materia poſſe eſſe plures formas, nequidem ſi ſubordinentur; quin contractum illius cum forma quaſi matrimonialem eſſe unius cum unâ. Subtilis obſtat & ait, plures poſſe in una eſſe modo ſibi invicem ſubordinentur: atque ita in omni vivente maxime animali duas eſſe, unam corporis, (vulgo Scotiſtarum, corporeitatis), alteram animæ ſeu vitæ. Hac lite adhuc pendulà itur utrimque ad Theologiam, & quæritur quid ſit illud corpus Chriſti vi verborum in Euchariſtia conſtitutum? illi evadere non poſſunt quin ſit anima: nam apud ipſos corpus fit corpus per animam, alia enim forma non eſt in illa materia; & tamen certò certius, verò verius eſt vi rigida verborum poni corpus exanime in Euchariſtia, hoc eſt animam non poni. Noſtri facile has ſyrtes evadunt per illam corporis formam ſeu corporeitatem. Veritas expreſſit adverſariis confeſſionem. Auguſtinus Bernal quum hanc Scoti ſubtilitatem de formâ corporeitatis retuliſſet in ordine ad explicandam formam Conſecrationis & veritates quas credimus ex ea ſubdit. Eſt quidem ſententia hæc ad præſentem quæſtionem explicandam appoſitiſſima: quam licet ipſe amplecti noluerit tamen negare non potuit quin fateri debuit plures, ex ſuis recentibus ſecutos Dandinum, Coningum &c. Conc. Trid. ſeſſ. 13.

Ad hæc Thomiſtæ oderunt ac impugnant, & toto cœlo profligant omnem diſtinctionem inter prædicata eiuſdem rei quæ non ſit rationis ſuæ, hoc eſt, quæ non intellectui quaſi figulo cuidam debeatur. Noſtri amant & affirmant: itum ad Theologiam & quæſitum, an relationes diſtinguantur ab eſſentia formaliter aut ex natura rei? negant illi, (abſit enim ut affirment) ſed meliori conatu quam eventu: premuntur enim etiam opprimuntur divina Trinitate Perſonarum, & pluribus eius relationibus, quàm ſingulis Perſonis abſoluta, omnia communia ſint, relationes nulli. Quod inter alios viſum eſt tametſi etiam inviſum Thomiſtis illis qui Moguntiæ Anno 1657. propoſuerunt publico examini aſſerta Theologica ex omnibus S. Thomæ partibus deprompta: ibi enim in primâ ſtatim pagina aiunt: attributa divina ab invicem, & ab eſſentia, item eſſentiam à perſonalitatibus formaliter ex natura rei diſtinguentes expediunt ſe à multis difficultatibus quibus alii premuntur.

---

§. 4.

An expediant inter docendum aut ſcribendum Scholaſticæ lites & opinionum ſimultates?

TArdè videor ad hoc decidendum acceſſiſſe, quum iam Scolæ non minus quam fora his litibus ſtrepant, & Academicos actus proponere nunc dierum non aliud ſit, quam claſſicum intonare. Recte, admitto enim ſi ego correcturus ullos accedo; ſi autem hic etiam apologiam ſeu præſidium moris huius moliar, tempeſtivè iis accedo quæ ſemper agentur. Fateor his ſententiarum diſſidiis in ſpeciem abſurdè agimus, maxime dum fidei negotia ventilamus, quando interim Acatholicis videmur non minus inter nos quam cum ipſis pugnare. Sed enim hæc me non morantur qui naturæ cauſam ago necdum fidei Sacramentis admotus: in naturæ autem examine ſive in Philoſophiâ audeo aſſerere bella mentium, ſive opinionum divortia non modo admitti poſſe ſed debere, ut ſi forte pax, ad fores ſcolæ pulſaret, non eſſet admittenda, diverſitas oppoſitæ opinionis cos eſt tuæ ad quam acuatur; adhibe ergo illam, tantum abſit ut fugias, & affrica tuæ cæteroqui deſide ſqualore obtundendæ. Adverſitas illius Lima eſt quæ dum tuam terit, illuſtrat, nam ut omittam Scolaſticas velitationes ſeminarium eſſe laudis, irritamentum induſtriæ quæ ex victoria palmam expectat, adhuc mutuis ictibus partes ſibi proſunt quum

Scuta virum galeaſque & fortia corpora tundunt Virgil. Æneid.

Nempe aut arguens transadigit telum, & tum patiens admonetur ſuæ fragilitatis ut caveat; aut repellit, & tunc ipſe ſolidatur incudis inſtar. Et verò quam præclarè cum hominum genere ageretur, ſi hodie illud Priſcorum opinione duceretur? quot Provincias perderet? quot proventus? nemo enim neſcit antiquis illis perſuaſum fuiſſe orbem ſub æquinoctiali eſſe inhabitabilem, zonam mediam planè torridam ac proinde ineptam animalibus edendis aut alendis ſuo æſtu, non minus quam polares circuli algore. Nunc autem ubi delicatius degitur quam ſub æquatore ubi Giga, ubi Taprobana, Amazonum regio, Inſulæ Salomonis? unde denique damnanda eſt opinio quæ damnat opiniones, proſcribenda quæ proſcribit, amplectenda quæ amplectitur. Neque enim ars potuit, fælicius ſua diſponere quam ut naturam imitaretur, quæ in ſuo opere hæc partium divortia ſeminavit. Non enim fruſtra illa iram annimalibus inſevit, non bilem & bullas eius fruſtra, quin ut icerent ſe invicem & ita referirent; ut defenderent ſe offenſa, & offendentem reverberarent. Quum autem ab affectu nihil prodeat quod in intellectu non præceſſit, cenſendum eſt hanc ſimultatem ibi cæpiſſe, ut quemadmodum uni dulcia, alteri acida ſapiunt, hunc mixta mulcent, illum ſimplicia, propter quæ iam denique menſa tot ferculis ad voluptatem luxuriat ita palatum animi ideſt ingenia, non vera tantum ſed varia oblectant; uni Stoa, alteri Stagyra placeat; huic Sceptico eſſe ſubeat alteri Apodictico; illi de omnibus ambigere, alteri de nullo, per quæ denique factum eſt, ut Reſpublica Academiis abundet, Academiæ Scolis, Scolæ Doctoribus, iſti auditorio. Abſit ergo Orbi illa indigna viris digna cymbalis Tautologia; firmamentum hominis, hoc eſt ingenium diſtinguatur ſiderum ſive opinionum varietate, quamvis inter has neceſſe ſit aliquos interim planetas eſſe & errare. Sit in quadriga Elementorum ſupremus ignis quia ſubtilis, & Scotus aliis præluceat, cui Aquinas aciem tamquam aer obtundat, cæteri ſequantur utcumque ſuo pondere depreſſi. Audiatur in Academiæ aulis concentus tam muſicus & mulceat audientes ſenſuum multitudine quaſi vocum varie-

tate; acuta gravibus, depreſſa altis, mediis extrema reſpondeant. Nemo hoc Philoſophiæ Helicone reſiliat, eo quod ei Calliope non nubat cum ſuperſint ſorores. Sit quem improbare poſſit, ſit quem vincere, ut ei palma debeatur etiam dejecto. Roſa veritatis multis ſpinis ambiatur quæ ſibi mutuo & decipentibus illam renitentur. *Diſputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, cum Epicuro quieſcere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere, cum rerum natura in conſortium omnis ævi pariter incedere.*

Senec. de brevit. vit. cap. 14.

---

§. 5.

De Methodo.

SCis Philippicas Demoſthenis etiam Ciceronis; è Diametro intelliges apologias & earum Authorem, totus enim ex adverſo eſt: illi invectivas ſcripſerunt ut offenderent, ego advocantes ut defendam, diviſi autem Apologias in Actiones ut cohærenter loquar, & videar utcumque forenſis, cæterum Lectoris commoditati vacav totâ methodo, nam in limine ipſo Apologiæ non ſolum ipſius titulum & objectum, ſed & Actionum omnium diſpono, ut è veſtigio ille incidat in quæſitum, nec debeat [ut apud alios fit] per tot paginas circumferri. Eodem conſilio ſingulas actiones in numeros diviſi, ita enim ille ſi concluſionem [verbi cauſa] quærat ictu oculi inveniet; ſi probationem, ſi obiectionem ſimiliter; neque expectabit ut lineatim tot columnas percurrat. Eiuſdem compendio velitavi quando Authores è corpore operis eductos in marginem tranſcripſi, ne ſcilicet ſequacem & cohærentem eius lectionem abrumpam, atque ille, ſi quos deſideret, habeat, ſi faſtidiat omittat, & denique, ne quando non ſufficiant aut ipſi aut ego tam fæcundæ memoriæ, tam avido ventriculo Lectoris, in calce apologiæ tamquam laboranti ſubſidium attexo novas copias authorum. At enim quod maximè monitum volo eſt me ſummulas hic diſſimulaſſe; non præpono puerilia illa rudimenta, non Logicam parvam, aut Compendium quod vocant: quamquam hodie rerum multorum opera his primum intumeſcant, conſilium autem iri fallor, approbabo ei qui arbitrium huc liberum attulerit, & nequaquam aliorum uſu præjudicatum: non enim ego dimitto iſta, ſed differo cum fænore reddenda. In libris Perihermenias, Analiticorum, tam Priorum quam Poſteriorum fusè ego expendo illa & extendo, cuius oppoſitum multorum iacturâ in Scolas iam dudum irrepſit, nempe nunc ſeculi authores & doctores tyronibus ſuis breviculum quoddam dictant de termino, propoſitione conſequentia atque eorum appendicibus ſeu affectionibus omnia affirmantes nihil probantes, tamquam hæc eſſent elementa quædam Grammatica & abcedaria, ac non ipſum corpus cum cauſá, Logicæ noſtræ ſubſtantia ac medulla. Quid enim illa niſi ars diſſerendi & colligendi ex quopiam aliud? cuius ſi nodos neſcias, ſi inſtrumenta, falſo te Logicum jactes; hi enim Logica ſunt, cætera parerga, adhibenda ei non intrudenda. Et hodie tamen authores in cæteris ſe laxant in his arctantur: prædicabilia & prædicamenta ſtadiis ac paraſangis extendunt cum tamen neutra Logicam concernant, utraque Metaphyſicam, illa rationalem, iſta realem. Itaque pro hiſce texendis & implicandis: (ſunt enim

retia rara plagæ

Virg. 4. Æneid.

& tamquam aranearum telæ) expectet me Lector in Analiticis & Interpretatione, quibus locis præterea duo videor præſtitiſſe quæ Scolæ mihi debeant: unum eſt quod iam antiquatam Peripateticam reſolutionem de indifferentia contradictoriarum propoſitionum in materia contingenti in Chriſtianorum Scolis iam à trecentis & amplius annis intermortuam ab inferis revocavi, alterum eſt quod Sixti Papæ IV. Breve Pontificium ſuper his profero, paucis auditum, vix ullis lectum, certe à me difficulter inventum, tametſi in Romanis ſcriniis veſtigatum.

---

§. 6.

De Stylo.

TAmquam quæreres qua lingua ſit interim loquendum? ego verò id ſciſcitanti citus inquio, populari: non popelli erratici tamen aut vulgi, ſed ſcriptorum qui norûnt fides cantui, hoc eſt, ſtylum materiæ accommodare. Non omnia omni modo ſunt efferenda, non quilibet quodlibet, ſed, humilia depreſſe, media temperate, magna granditer dicenda; nunc ſocco utendum nunc cothurnis pro re nata & viciſſitudine obiecti, quod ſi grave eſt ac gratum, ſimplici narratione erit contentum, illa ornari volunt quæ in ſe ſquallent: calvus factitiis comis utatur, cui natura ſegetem hanc inſevit, adoptando externam ſe gravat. Explicabo me cum dixero in hiſtoriis & ſpeculativis leni tela verborum ac veluti Diaphana eſſe utendum ut objectum operis appareat, cæteroqui pingui dictione tamquam opacâ veſte occultandum. Quam laudem laudatiſſimus Vir homini aliàs inimico liberè attribuit ſcilicet Marcus Cicero Cæſari Dictatori, cuius Commentarios ait eſſe ſimplices *omni ornatu orationis quaſi veſte detracta.*

M. Cicer. vide Sueton.

Nec per iſta tamen volo puritatem, non proprietatem dicendi à ſcriptore etiam ſpeculativo profligatam. Aliud eſt puritas dictionis, & aliud ampulla: iſta objectum ſuum exponit, hæc inflat. Adhuc ipſum: aliud eſt ſimpliciter ſcribere, aliud barbarè: illud Lectorem erudit, hoc offendit. Ego ſane, nec ſi vellem, nimis ornatè loquerer: odi tamen & odero illorum ſordidam frugalitatem qui, ſivè ignorantiâ ſive induſtriâ arcana naturæ,

Digitized by Google

naturæ, Fidei Sacramenta hiſpida & hiulca dictione ita aſperent, ut honeſtum Lectorem arceant barbarie illa retroactum. Itaque in hiſce ſive Philoſophiæ, ſive quæ ſequuntur

[*nam nunc ſeges altera in herba eſt*] *A Perſ. Satyr. 6.*

Theologiæ commentariis, ſobriam dictionem à me Lector expectet & veluti quodam Laconiſmo circumſcriptam. Non verba ſed res propino, quæ, uti dixi, illo adipe orationis ſubducuntur Lectori, eleganria dictionis occupato interim & circumvento. Hæc accipe in anteceſſum, & Vale.

PRIMUS HIC TOMUS

Vltra Prolegom. tum Philoſophiæ univerſim, tum ipſius Logicæ preſsè ac propriè complectitur.

Commentaria in
- Malchi Porphyrii Iſagogen
- Ariſtotelis Stagyritæ libros duos περὶ ἑρμηνείας
- Eiuſdem libros duos Priorum Analiticorum
- Eiuſdem totidem libros Poſteriorum Analitic.
- Eiuſdemque Cathegorias, ac proinde etiam Metaphyſicam
- Quæ omnia ex ſequenti indice conſtabunt.

INDEX
APOLOGIARVM ET ACTIONVM
Huius Primi Tomi.

APOLOGIA PRIMA
De primo Cognito
Actio 1.
De primo ſenſato
Actio 2.
De primo intellecto
Actio 3.
Examinatur res comparatione facta inter univerſale, & ſingulare.

APOLOGIÆ PROOEMIALES AD LOGICAM.

APOLOGIA PRIMA
De ipſius Logicæ natura
Actio 1.
Illuſtratur breviter nomen ipſum Logicæ
Actio 2.
Vtrum Logica ſit ſcientia, necne?
Actio 3.
Vtrum Logica ſit Ars & an pars Philoſophiæ?

APOLOGIA 2. PROOEMIALIS
De Diviſione Logicæ in docentem, & utentem.
Actio 1.
Quid proprie ſignificetur his vocibus docens, utens?
Actio 2.
Vtrum quælibet pars Logicæ ſit tam docens quam utens?
Actio 3.
Quomodo diſtinguatur Logica docens ab utente?
Actio 4.
Vtrum Logica ut utens ſit ſcientia, necne?

APOLOGIA 3. PROOEMIAL.
Cuiuſmodi ſcientia ſit Logica, practica, an ſpeculativa?
Actio 1.
Quid ſit proprie Praxis, à quâ ſcientia denominatur practica?
Actio 2.
Defendit alias conditiones praxis apud Scotum citatum.
Actio 3.
Vtrum praxes debeant elici ab eo in quo eſt ſcientia practica earum, necne?
Actio 4.
Quomodo ſe debeat habere ſcientia ad praxem, ut ipſa practica ſit? ſeu, quomodo debeat ad praxem extendi, & dictare de ipſa?
Actio 5.
Vnde habeatur ſpecificatio ſcientiæ in eſſe practicæ aut ſpeculativæ, ab obiecto, an à fine?
Actio 6.
Reſolutiva controverſiæ de Logica. Vtrum ſit practica, an ſpeculativa.
Actio 7.
Reiicitur modus dicendi Recentiorum.

APOLOGIA 4. PROOEMIAL.
De obiecto Logicæ
Actio 1.
Præmittit aliquot terminorum uſum ad reſolutionem controverſiæ.
Actio 2.
Vtrum voces ſint Obiectum Logicæ?
Actio 3.
Vtrum res ipſæ extra animam ſint obiectum Logicæ?
Actio 4.
Num obiectum Logicæ ſit ens rationis.
Actio 5.
Num obiectum eius ſit Argumentatio, aut Demonſtratio.
Actio 6.
Reſoluit obiectum eius uno modo de mente Scoti.
Actio 7.
Reſoluit obiectum eius iterum de mente Scoti
Actio 8.
De quo Sylogiſmo & modo ſciendi agat Logica, formali, an obiectivo?

INDEX.

APOLOGIA PROOEMIALIS 5.
De utilitate & neceſſitate Logicæ.
Actio 1.
Qua neceſſitate Logica præmittenda ſit aliis ſcientiis ſive, *An alia ſine ipſa adquiri poſsint?*
Actio 2.
Quem influxum habeat Logica in actus aliarum ſcientiarum? & num attingat illos ut utens, an ut docens.
Actio 3.
Quæ operationes intellectus dirigendæ? & quarum Inſtrumenta directiva ad Logicam pertineant?

APOLOGIA I.
De universali, ut ſic
Actio 1.
Quid admittendum ſit pro universali ut ſic? nominatim An ſingulare poſſit eſſe Vniverſale?
Actio 2.
In quo proprie conſiſtat eſſentia Vniverſalis Logici?
Actio 3.
Vtrum Vniverſale Logicũ detur in rebus ante opus intellectus?
Actio 4.
Per quem actum intellectus præ aliis fiat proprie Vniverſale?
Actio 5.
Vtrum Vniverſale adæquate dividatur in quinque vulgatas ſpecies?
Actio 6.
Vtrum diviſio iſta ſit univoca, ſeu Generis in ſpecies? & an immediata?
Actio 7.
De ſubiicibili Vniverſalis Logici

APOLOGIA 2.
De Genere primo Prædicabili
Actio 1.
Num Genus ſit definibile, necne?
Actio 2.
Vtrum definitio Generis à Porphyrio data ſufficiat?
Actio 3.
Quid ſit definitum in aſſignatâ Generis definitione?
Actio 4.
Quomodo Genus prædicetur de Individuis?
Actio 5.
Vtrum, & quomodo Genus requirat plures ſpecies?
Actio 6.
Quomodo Genus prædicetur de inferioribus ſuis? ut pars, ſcilicet, an ut totum? & utrum in prædicatione retineat univerſalitatem?
Actio 7.
Vtrum Genus eadem habitudine reſpiciat ſpeciem & individua? & quomodo differat à differentia?

APOLOGIA 3.
De ſpecie ſecundo Prædicabili
Actio 1.
Explicat Speciem ſubiicibilem
Actio 2.
Quod ſit ſubiicibile Generis? ſeu, an Species adæquate ſubiiciatur ei?
Actio 3.
Explicat ſpeciem Prædicabilem?
Actio 4.
Vtrum natura in uno individuo contenta foret ſpecies, etſi plura non eſſent, ne poſſibilia quidem?
Actio 5.
Reſolvit aliqua ſparſim de Genere & ſpecie
Actio 6.
De Individuo

APOLOGIA 4. UNIVERSAL.
De Differentia
Actio 1.
Vtrum definitio Differentiæ prædicabilis rectè à Porphyrio aſſignetur?
Actio 2.
Vtrum differentia debeat dividi in duo prædicabilia?
Actio 3.
Reſpectu quorum Differentia ſit univerſalis?
Actio 4.
Examinat diviſionem trimembrem Differentiæ apud Porphyriũ
Actio 5.
Vtrum Differentia inferior includat ſuperiorem? aut etiam Genus quod contrahit?
Actio 6.
Vtrum ſpecies infima habeat ſemper unam Differentiam conſtitutivam ſui, necne?

APOLOGIA 5. UNIVERSAL.
De Proprio. 4. prædicab.
Actio 1.
De Diviſionibus Proprii apud Porphyrium, & quæ propria ad hoc Prædicabile pertineant?
Actio 2.
Examinatur definitio Proprii; & expediuntur, dubia aliquot, de ipſo, tam Phyſice, quam Logice accepto.
Actio 3.
Vtrum propria paſſio ſit inſeparabilis realiter à ſubiecto.

APOLOGIA 6. UNIVERSAL.
De Accidenti
Actio 1.
Examinat definitionem illam Accidentis: Quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem
Actio 2.
An, & quomodo Accidens ſit Vniverſale diſtinctum à Proprio? & alia ſparſim de utroque prædicabili reſolvuntur?

APOLOGIÆ IN LIBROS ARISTOTELIS
περὶ ἑρμηνείας

APOLOGIA PRIMA
De Signo.
Actio 1.
Quid ſit ſignum, & ſignificare?
Actio 2.
In quo conſiſtat ratio formalis ſigni, tam naturalis quam placiti.
Actio 3.
Quid voces ſignificent immediate, res, an conceptus?
Actio 4.
De ſignificato ſcripturæ, & nutuum.
Actio 5.
De Termino ex lib. Perih.

APOLOGIA 2.
De Nomine, Verbo & oratione.
Actio 1.
Examinat definitionem Nominis ab Ariſtotele datam.
Actio 2.
Vtrum Nomen poſſit ſignificare rem diſtinctius quam ipſa ab imponente nomen concipitur?
Actio 3.
Quid ſit Verbum?
Actio 4.
An Verbum in enunciatione maneat infinitum?
Actio 5.
An Verbum ſit aliquid prædicati in propoſitione?

APOLOGIA 3.
De oratione & Enunciatione.
Actio 1.
Quid ſit Oratio? *quid Enunciatio ſeu Propoſitio*
Actio 2.
Ad quod inſtans referenda ſit Enunciatio; & ſenſus eius? ſive, utrum copula verbalis copulet pro inſtanti ſuæ prolationis, an pro ultimo inſtanti, prolati prædicati?
Actio 3.
An propoſitio poſſit de verà in falſam mutari, & è contrà?
Actio 4.

INDEX.

Actio 4.
Vtrum aliqua propoſitio ſit à principio indifferens ad veritatem & falſitatem; necne?
Actio 5.
Vtrum propoſitio de futuro contingenti iam habeat determinatam veritatem, aut falſitatem?
APOLOGIA 4.
De affectionibus Enunciationis
Actio 1.
Examinat communem doctrinam ſumuliſtarum de oppoſitione enunciationum
Actio 2.
Quid ſit Converſio? & quomodo propoſitiones Cathegoricæ convertendæ? ubi iterum corriguntur ſumuliſtæ.
Actio 3.
Examinatur doctrina Peripateticorum de Converſione propoſitionum Modalium
Actio 4.
Vtrum ex propoſitione negativa de prædicato finito ſequatur affirmativa de prædicato infinito?
Actio 5.
Vtrum valeat conſequentia ab enunciatione affirmativâ de prædicato infinito, ad negativam de prædicato finito?
Actio 6.
Vtrum Enunciatio de ſubiecto coniuncto ſit per ſe, & neceſſaria?
Actio 7.
Quid ſit propoſitio per ſe nota?
APOLOGIÆ IN LIBROS ANALITICOR. Ariſtotelis.
APOLOGIA PRIMA
De Conſequentiâ & Diſcurſu.
Actio 1.
Explicat quid ſit conſequentia? quid ex quo colligi poſſit? Vbi expenduntur communes regulæ Logicorum.
Actio 2.
Vtrum diſcurſus requirat plures actus, necne?
Actio 3.
Vtrum diſcurſus requirat tres actus? ſive, An ſolus Sylogiſmus ſit formalis diſcurſus, necne?
Actio 4.
Vtrum diſcurſus ſit operatio intellectus ſpecie diſtincta ab aliis duabus, ſcilicet, ſimplici apprehenſione, & iudicio?
Actio 5.
Vtrum Converſio ſit Conſequentia formalis?
APOLOGIA 2.
De Sylogiſmo.
Actio 1.
Quid ſit ſylogiſmus? & quibus principiis nitatur?
Actio 2.
Vtrum præmiſſæ ſolæ ſint ſylogiſmus &c
Actio 3.
Vtrum, & quomodo aſſenſus præmiſſarum neceſſitet ad aſſenſum concluſionis?
Actio 4.
Quomodo aſſenſus præmiſſarum cauſet aſſenſum concluſionis?
Actio 5.
Vtrum aſſenſu concluſionis ferantur etiam in præmiſſas?
APOLOGIA 3.
De Figuris & modis Sylogiſmi
Actio 1.
Quænam cenſenda ſit maior & minor extremitas Item: Quæ maior & minor propoſitio?
Actio 2.
Vtrum figuræ ſylogiſmorum ſint tantum tres; an vero addenda ſit quarta Galeni.
Actio 3.
Vtrum in 2. & 3. figurâ dentur modi indirectè concludentes
Actio 4.
Notat aliqua de ſilogiſmo expoſitorio
APOLOGIA 4.
De Demonſtratione
Actio 1.
Quid & quotuplex ſit Demonſtratio?
Actio 2.
Vtrum præmiſſæ Demonſtrationis debeant eſſe notiores & evidentiores concluſione eius, necne?
Actio 3.
De Medio Demonſtrationis
Actio 4.
De Regreſſu Demonſtrativo. An detur? & quid iuvet?
APOLOGIA ANTEPRÆDICAMENTALIS
Actio 1.
Explicat. Vnivoca, Æquivoca, & Denominativa.
Actio 2.
De Analogis,
Vtrum medient inter univoca, & æquivoca, necne?
Actio 3.
Quæ ponantur in Prædicamentis?
Actio 4.
Examinat regulam antepredicamentalem Diverſorum generum non ſubordinatorum, diverſæ ſunt differentiæ
Actio 5.
Decidit numerum Prædicamentorum, & an debeant ab invicem realiter diſtingui?
APOLOGIA 2.
De Prædicamento Subſtantiæ
Actio 1.
Quis ſit verus & eſſentialis conceptus ſubſtantiæ ut ſic?
Actio 2.
Quodnam ſit ſupremum Genus in prædicamento ſubſtantiæ?
Actio 3.
De Diviſione ſubſtantiæ in Corpoream, & incorpoream Quid ſit Corpus; Quid Spiritus
Actio 4.
De diviſione ſubſtantiæ in primam, & ſecundam.
APOLOGIA 3.
De Subſiſtentia, & perſonalitate
Actio 1.
Tractatur impoſitio & ſignificatio nominum, Perſona: Hypoſtaſis.
Actio 2.
Quis ſit effectus formalis ſubſiſtentiæ
Actio 3.
Vtrum perſonalitas in poſitivo conſiſtat, an in negativo? ſive, quod idem eſt; utrum addat naturæ ſingulari aliquid reale, necne?
Actio 4.
Vtrum ſubſiſtentia creata alienam naturam ſuſtentare poſſit, necne?
Actio 5.
Vtrum natura aliqua creata poſſit duplici ſubſiſtentia ſubſiſtere, necne?
Actio 6.
Vtrum poſſit natura aliqua abſque omni ſuppoſito conſervari?
Actio 7.
Vtrum ſubſiſtentia ſit quid ſimplex? ſeu, An dentur ſubſiſtentiæ partiales?
APOLOGIA 4.
De Accidente in communi
Actio 1.
Vtrum inhærentia ſit de eſſentia Accidentis.
Actio 2.
Quomodo ſe habeat inhærentia aptitudinalis ad accidens abſolutum, & actualis ad reſpectivum?

Actio 5.

Digitized by Google

INDEX.

Actio 3.

Quæ ſint ſubiecta determinata Accidentium

Actio 4.

Vtrum? & quomodo Accidens ſpirituale recipi poſſit in ſubiecto corporali? & viciſſim corporale in ſubiecto ſpirituali?

APOLOGIA 5.

De Prædicamento & ſpeciebus Quantitatis

Actio 1.

Vtrum quantitas diſtinguatur realiter à ſubſtantiâ materiali, necne?

Actio 2.

Explicat effectum proprium & formalem Quantitatis

Actio 3.

Vtrum Quantitas det ſubſtantiæ partes, necne?

Actio 4.

De ſpeciebus Quantitatis Continuæ, Lineâ, ſuperficie, & Corpore

Actio 6.

De Numero, & Oratione Speciebus Quantitatis diſcretæ.

APOLOGIA 6.

De Qualitate

Actio 1.

Quæ eſſentia Qualitatis ut ſic?

Actio 2

De Diviſionibus, & ſpeciebus Qualitatis

Actio 3.

De proprietatibus Qualitatis

APOLOGIA 7.

De Relatione

Actio 1.

An dentur in rebus Relationes, ſivè prædicamentum Ad aliquid, à cæteris diſtinctum, necne?

Actio 2.

Probans oſtenſive dari in rebus veras Relationes Prædicamentales, tam tertii Prædicamenti ſeu ad aliquid, quam aliorum.

Actio 3.

Quid ſit Relatio?

APOLOGIA 8.

De Extremis Relationis

Actio 1.

Vtrum Relatio poſſit eſſe fundamentum Relationis?

Actio 2.

Vtrum Actio, & Paſſio poſſint fundare Relationem

Actio 3.

Vtrum Relatio terminetur ad correlationem; an vero ad abſolutum ſeu Correlativi?

Actio 4.

Vtrum una Relatio terminari poſſit ad plures terminos totales? An vero multiplicatis terminis multiplicari debeant relationes in eodem ſubiecto?

APOLOGIA 9.

Miſcellanea.

Actio 1.

Vtrum in Prædicamento Relationis detur aliquod ſupremum Genus?

Actio 2.

Quæ ſit Relatio Tranſcendentalis? Quæ Relatio Rationis? & denique Quæ Relativa ſecundum dici?

Actio 3.

Vnde deſumenda ſit ſpecificatio Relationum?

Actio 4.

De Proprietatibus. Ad aliquid.

APOLOGIA 10.

De ſex poſterioribus Prædicamentis

Actio 1.

De Diviſione Relationis in intrinſecus, & extrinſecus advenientem

Actio 2.

Vtrum ſex poſteriora prædicamenta ſint Relationes extrinſecus advenientes, necne?

APOLOGIÆ 11. PENULTIMA.

De Prædicamentis Actionis & Paſſionis

Actio 1.

Decepti Scotiſtæ circa mentem Scoti hic.

Actio 2.

An mediet aliquid inter cauſam & effectum, necne?

Actio 3.

De ſubiecto Actionis prædicamentalis

Actio 4.

De Prædicamento Paſſionis

APOLOGIA ULTIMA

De quatuor poſtremis Prædicamentis

Actio 1.

De Prædicamento Ubi

Actio 2.

Vtrum Vbi habeat figuram? & utrum ſit Modus, an res?

Actio 3.

Vtrum Vbi poſſit ſenſu percipi?

Actio 4.

De Situ. De Habitu

Actio 5.

De Quando

APOLO-

APOLOGIA PRIMA

Proœmialis in omnes

DE PRIMO COGNITO hominis.

Actio I. De primo ſenſato
Actio II. De primo intellecto
Actio III. Examinatur res comparatione facta inter Vniverſale, & Singulare.

Scotus in I. d. 3. q. 2. num. 22.

P*ono ordinem originis cognitione eorum actuali, quæ concipiuntur confuſè, & quoad hoc dico, quod primum actualiter cognitum confuſè eſt ſpecies ſpecialiſſima, cuius ſingulare efficacius & fortius movet primo ſenſum, ſive ſit audibile, ſive viſibile, ſive tangibile, & hoc ſuppoſito, quod ſingulare non poſſit intelligi ſub propria ratione. Secundo dico de cognitione actuali diſtinctè conceptorum quod eſt è converſo, quia primum ſic conceptum eſt communiſſimum. Ea quæ ſunt propinquiora ſibi ſunt priora, & quæ ſunt remotiora, poſteriora ſunt.*

Idem de anima q. 16. num. 3.

Dicendum igitur ad quæſtionem primo, quod minus Vniverſale, eſt quod prius notum eſt nobis prioritate temporis, & cognitione confusâ, quam magis Vniverſale. Secundò dico, quod prius cognoſcitur magis Vniverſale à nobis cognitione diſtincta.

ACTIO PRIMA

De Primo ſenſato

BREVIARIVM ACTIONIS.

Num. 1. *Apparatus ad dicenda.*
2. *Reſolutio primi ſenſati ubi de tactu*
3. *Fœtus in utero quid cognoſcant*
4. *Primum tangibile quid?*

1. AVſpicanti mihi hanc ſeriem cognitionum & cognitorum, utique à principio incipiendum fuit, hoc eſt à primo cognito, de quo aliqui in *a* Theologia, alii in *b* Phyſica. *c* Ariſtoteles etiam in Logicâ egit; ita nullibi ſedem tam immobilem habet, quin potuerit etiam hic à me cæteris præmitti

a ...d. 3. & ...q. 85. *b* ...Ap. lim. ...mora ...nc. *c* ...6. Topic.

Sicut duplex eſt in homine cognitio, ſenſitiva, & intellectiva, ita dupliciter intelligi poteſt titulus, & reſolui, puta de primo cognito per ſenſum, & iterum de primo cognito per intellectum. Et quidem ut prius illud reſolvamus, redeundum nobis quodammodo eſt in uteros matrum; ibi enim incipit cognitio ſenſitiva ſecundum communem; quam ſuppoſuiſſe videtur *d.* *Ariſtoteles* quum ait, *quæ in ovis, & quæ in animalibus gignuntur à principio vivere vitam plantæ*: fruſtra enim dixiſſet priorem eſſe vegetativam in fœtu, niſi ſupponeret aliam vitam, ſcilicet ſenſitivam ſequi.

d 3. de gonerat. animal. cap. 2.

Supponendum eſt etiam cognitionem ſenſitivam in accidentia ferri, adeòque irritam eſſe *e* eorum diligentiam, qui chartas terunt examinando an in cognitione ſenſitiva prius attingatur accidens an ſubſtantia, quum ſubſtantia omnino à ſenſu non cognoſcatur. Labor ergo eſt decidere quodnam accidens ante alia attingatur, ſive (quod idem eſt) quis ex ſenſibus hominis prius exeat in actum: certum eſt enim ſenſum quemlibet attingere ſua accidentia.

e Vercbius veſtig. 8. &c.

2. Dico reſolutivè primum ſenſatum, adeoque abſolutè primum cognitum ab homine pro hoc ſtatu eſt qualitas tangibilis. Hanc pauci tradunt quia non reſpondent plerique authores, niſi ad quæſtionem de primo cognito per intellectum.

Digitized by Google

Probo tamen ipſam, nam primum ſenſatum eſt objectum primi ſenſus, primus ſenſus eſt tactus, adeoque primum ſenſatum erit objectum tactus: hoc eſt qualitates primæ tangibiles. Vis diſcurſus pendet ex minori, quam ſic ſuadeo. Priora naturâ ſunt magis neceſſaria, (inſipienter enim egiſſet natura, ſi incæpiſſet à minus neceſſariis, vel à ſuperfluis,) maximè autem neceſſarius eſt animali tactus, ergo eſt omnium primus. Ratio majoris reddita eſt, & nihilominus illa adhuc dupliciter probatur Primo, quia ſine dubio illa à quibus alia pendent, ſunt priora illis quæ ab ipſis pendent, ſicut in domo fundamentum eſt prius parietibus, quia hi illi innituntur. Præterea experientia eam oſtendit, hinc enim videmus capillos, & ungues, ac dentes ſero creſcere in animalibus, quia non neceſſario requiruntur ad eſſe eius, ſicut cor, & pulmo, quæ ſtatim formantur quia non poteſt ſine illis animal conſiſtere, ergo.

Minor iam probatur. Majus periculum imminet animali ab objectis tactus, quam ab objectis aliorum ſenſuum: vix enim occiditur unquam ab obiectis aliorum ſenſuum, v. g. à coloribus, vel odoribus; ſæpè autem, & facilè ab igne cuius qualitas tangibilis eſt calor; & ab aquâ, cuius eſt frigus: ergo. Confirmo hoc, & probo priorem eſſe etiam actum tactus, quam actus aliorum ſenſuum, quia objecta aliorum ſenſuum nocent à longè poſita, objectum autem tactus nocet proximè poſitum, & intimè applicatum, adeoque facilius eſt fugere objectum aliorum ſenſuum, ſive nocumentum, ab ipſis proveniens quam proveniens à tactu, unde debet citior, ſeu potior eſſe ſenſatio per tactum, alias non poſſet ſalvari animal, quia dum illa tardat, objectum ſenſitivum nocens interim deſtruit ipſum caſu: v. g. quo non ſentiret calorem, aut ignem ſibi applicatum.

Vnde dicendum eſt, quod etiam propoſitis omnibus ſenſibilibus, & applicato unoquoque illorum ſuo ſenſui, prius ſenſatum eſt tangibile, naturâ id providente, ne fortè animal, dum non ſenſit agens noxium, v. g. ignem, non fugiat illud & proinde corrumpatur, ac moriatur. Si hæc ergo ita ſe habent in animalibus adultis, & expeditis, quantò magis in iis quæ adhuc manent intra uteros matrum, ubi alii ſenſus ferè omnes ſunt ligati.

Probo 2. idipſum ſcilicet ſenſum tactus eſſe priorem, quia quod eſt vicinius priori eſt prius; ſenſus tactus eſt vicinior priori, ergo prior. Major ex terminis ni fallor, liquet: Minor probatur, quia vita prior eſt vegetativa: tactus autem eſt proximum vegetativæ, quoniam actus vegetativæ, qui ſunt nutriri, & creſcere participant de tactu, exigunt enim applicationem eius, & immediationem, qui eſt tactus quidam alimenti.

Tertio ſic, quia priora generatione ſunt imperfectiora, tactus autem eſt imperfectiſſimus, & maximè materialis inter omnes ſenſus, eò quòd eius actus non fiat per ſpecies, quæ quum ſint (ut dicunt) intentionales tantum, non item reales, habent aliquid ſpiritualitatis, & ſunt inſenſibiles.

Objici poteſt contra hæc ipſa ratio principalis horum: ſi enim ille ſenſus eſt prior, qui eſt magis neceſſarius, ſequitur tactum non eſſe priorem; ſed guſtum, quia nimirum guſtus eſt ſummè neceſſarius, quum per ipſum animal alatur cibum ſumendo. Reſpondeo primo, & ſi demus guſtum, quoad actum utrumque tam primum, quam ſecundu eſſe priorem, adhuc tactum eſſe primum; quia nimirum *f guſtus eſt quidem tactus*. Reſpondeo 2. negando ſequelam; quia fœtus in utero *g* non alitur per guſtum, aut guſtationem, ſed per umbilicum, quo loco non eſt ſenſorium, aut vis guſtandi.

f *Ariſt. de ſenſu. & ſenſibilis c. 1.*

g *Id 2. de gener. Animal. c. 5.*

3 Salvo tamen judicio ſaniorum, exiſtimo verius eſſe, quod fœtus in utero non tangat ſeu non percipiat quidquam tactu. Moveor primo quia fœtus ibi eſt complicatus *b* arctiſſimè: habet enim caput inclinatum ad genua, naſum intra genua, eſtque membranâ quodam veluti ſacco incluſus: at vero, ſi illi ineſſet ſenſus tactus, ſanè doleret ſe ſic conſtringi, maximè verò imminente partu, quo tempore voluitur in utero, & caput deorſum inclinat magis, magiſque, ſcimus autem hoc quam maximè ſentiri ſive dolere: ergo. Moveor ſecundo, quia nulla ſenſatio ita neceſſaria eſt animali ſicut reſpiratio; at vero in uteris non reſpirant infantes: ergo, nec ſentiunt. Probatio majoris eſt experientia, quoniam diutius ſuſtinere poſſumus defectum edendi, quam reſpirandi. Minor autem probatur primo ex doctrina jam tradita; ſi enim fœtus ſit incluſus membranâ quaſi culeo, aut ſacco, patet quod non poſſit reſpirare, quum non habeat aërem quem attrahat. Secundo efficacius ex iis quæ in ovo continentur extra uterum parentis, quum enim ovum circumdetur ſolida teſta, manifeſtum eſt pullum eo incluſum non poſſe reſpirare, quum non ſolum obſtet teſta, ſed etiam albumen, quo iterum obſidetur fœtus qui in loco lutei eſt: & eo alitur. Itaque exiſtimo exercitia ſenſuum, poſt excluſionem fœtus incipere. Si enim natura non dedit opportunitatem ſenſationibus maximè neceſſariis fœtui in utero; ſcilicet comeſtioni, & reſpirationi, multò minus dediſſe eam credenda eſt aliis ſenſationibus minus neceſſariis, quales ſunt cæteræ omnes.

b *Id lib. 6. hiſtor. animal. c. 8.*

Objicies fœtus in utero vigilat, ergo ſentit: Antecedens probat aliquis *i* inde quia fœtus dormit ſomnus enim eſt privatio vigiliæ, adeoque quandocunque ineſt ſomnus, poteſt ineſſe vigilia: vigilia autem conſiſtit in uſu ſenſus, ſive unius, ſive plurium. Dormire fœtum in utero habet *k* Ariſtoteles. *Principio pueri, quum nati fuerint, dormire omnium maximè imperfectorum animalium ſolent*, quoniam intra parentem, quum primum ſentire cœperunt *tempus dormiendo ferè conſumunt.*

i *Fereb. citat.*

k *5. de gener. animal. c. 1.*

Reſpondeo non fuit neceſſe probare vigiliam ex ſomno apud Ariſtotelem. Ariſtoles enim etiam ipſam vigiliam habet, ſive docet animal in utero excitari à ſomno; ſed exponendus eſt per ſeipſum, ſomnum illum infantis in utero, non eſſe propriè ſomnum: audiatur ipſe ibidem. *l Primum iſtam diſpoſitionem non ſomnum, ſed ſimilem ſomno eſſe putandum eſt, qualis plantarum eſt, ita enim accidit, ut per id tempus vita plantæ animalia vivant.* Itaque fœtus in utero dormit, quemadmodum canis ante nonum diem eſt cæcus, ut ſicut cæcitas illa in cane non eſt vera privatio, ita nec ſomnus in fœtu eſt vera privatio, aut verus ſomnus.

l *lib. 5. de gener. animal. c. 1.*

Objicies 2. Aliqui in utero intelligunt, ergo ſentiunt quia ſenſatio præcedit intellectionem, quum nihil ſit in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu. Reſpondeo neminem in utero intelligere vi naturæ, ſed ſupernaturaliter duntaxat, quod non juvat adverſarios. Illis enim quibus ſupernaturaliter accelleratus eſt uſus rationis in utero matris, ut S. Ioanni Baptiſtæ &c. non acceleratum eſſe uſum ſenſuũ, ſed conceſſam intellectionem independentem à Phantaſmatibus, & ſenſibus; adeoque ex horum inſtantiâ non haberi, quod fiat inſenſatio ulla intra uterum.

4. Poteſt

Digitized by Google

4. Poteſt tamen adhuc de hoc ipſo obiecto quæri, quidnam ex pluribus prius percipiatur; notum eſt enim plures eſſe qualitates tangibiles, quæ ſunt obiecta huius ſenſus, eſt calor, eſt frigus, eſt humiditas, & ſiccitas: item mollities, & durities, levitas, & ſcabrities, vt omittam dolorem, & voluptatem, quæ tactu ſentiuntur exiſtimo dicendum in quæſtione facti rem eſſe dubiam, & ferè indeterminabilem, poteſt enim occurrere uni una qualitas tangibilis primo, alii alia. v.g. uni calor, alii humor &c. ſed in quæſtione, ut ſic dicam iuris, quæ quærit de debito, ſive de eo quod prius debeat, aut poſtulet attingi: exiſtimo cæteris paribus quod prius cognitus ſit calor, tum frigus: moveor, quia ſine dubio agere, & pati correlatiua, & conſequenter ſimul natura ſunt, adeòque illud prius ſentitur, quod prius agit, ſed prius activum eſt calor, tum frigus. Præterea iſtæ ſunt, & ſupponuntur primæ qualitates quod ideò erit, quia cæteræ derivantur, & componuntur ex illis; atque ita cæteræ ſunt poſteriores in agendo ſicut in eſſendo, vel dicuntur priores ab exceſſu perfectionis, & virtutis activæ earum, & ſic etiam prius agent, quia fortius agens non ſolum valentius agit, ſed prius.

Probo etiam meum ſenſum in hac experientia. Sit corpus vehementer calidum, & ſit etiam leve, dico prius ſentiri calorem, quam levitatem, idquè probari experientia, quam ego adhuc probo quaſi à priori, quia calor ſentitur per levem, & modicam approximationé, levitas aut mollities, ſive durities non niſi per magnam, & per quandam compreſſionem; certum eſt autem, quod in uno quoque genere minus eſt prius magno, ergo. Imo experientia eſt, quod ſentiatur calor ſuperficiei, quam etiam neſcimus certò eſſe duram, vel mollem, eò quod propter vehementem læſionem retrahamus ſubito carnem, vt contingit tangentibus ex imprudentia candentes laminas, ergo.

Hæc tamen accipienda ſunt cum proportione, &, ut dixi, cum omnium paritate, nam ſi ſit diſparitas ingens unius ſupra aliud, mutabit ordinem. Vnde frigus magnum prius ſentietur, quam remiſſus calor: dolor etiam, & voluptas, licet ſint ſecundæ qualitates, tamen præcedunt cognitione paſſivâ primas.

ACTIO SECUNDA.

De Primo Intellecto.

BREVIARIUM

Num. 1. *Senſus controuerſia.*
2. *Deus quo ſenſu primum cognitum.*
3. *Primum cognitum minus univerſale.*
4. *Expenditur ratio Scoti pro hoc præcognito.*
5. *Nova ratio ad idem. Item adhuc 3.*
6. *Proceſſus intellectus noſtri in intelligendo.*
7. *Primum cognitum diſtincte.*
8. *Retorquentur rationes huius.*
9. *Alius caſus cognitionis diſtinctæ ad mentem Scoti.*
10. *Obiectiones adductæ, & ſolutæ*
11. *Cur gradus magis uniuerſales à longè prius moveant.*
12 *Obiectiones aliquot additæ in ſubſidium Thomiſtarum.*

a. Ferch, ... ſtas. 1 HIc etiam importuna eſt aliquorum *a* diligentia, diſputantium utrum ex duobus, accidens, aut ſubſtantia prius intelligatur; quum incertum ſit accidentia prius cognoſci, quia imitum ſubſtantiam non cognoſcimus niſi propter accidentia; quaſi per conſequentiam quandam. Scimus autem antecedens prius cognoſci, quam conſequens, & univerſaliter *propter quod unum quodque, illud* non ſolum *magis*, ſed prius *tale* eſſe quando concurrit cum eo quod propter ipſum tale eſt. (Lib 1. Poſter. cap. 2) Ad reſolutionem dividendus eſt mihi ſenſus quæſtionis: poteſt enim quæri de intellectu conjuncto qualis eſt hominum de facto; vel de ſeparato, & hic ipſe ſeparatus poteſt intelligi eſſe expeditus ad omnia ſua objecta, vel non, ſed tantum ad aliqua. Quo poſito, lis eſt inter tria ſcilicet magis univerſale, minus univerſale, & ſingulare. Magis univerſale præferunt in hoc negotio Thomiſtæ. *b* (Caet. de ente) Nominales aliqui ſingulare. Scotus medium tenet ſcilicet minus uniuerſale, quod eſt ſpecies ſpecialiſſima prius cognoſci. Ita ille & ſui *d* communiter cum ipſo, licet deinde litigent quomodo hoc ipſum accipiendum ſit; num ſcilicet ipſa natura ſpecifica prius cognoſcatur quaſi ſola, an vero ſingulare naturæ ſpecificæ, de quo fusè nimis Maſtrius, *e* oponens ſibi invicem Scotiſtas. Huius etiam deciſionem dabo in concluſione propria, & moneo me loqui de cognitione actuali.

2. *Dico autem*, Intellectui ſeparato, & expedito ad omnia ſua objecta primo cognitũ eſt Deus Opt. max. In ſenſu hujus debent accipi Bacconius, *f.* & Henricus, qui abſolutè volunt Deum eſſe primum cognitum intellectus noſtri, etiam pro hoc ſtatu, ſignificauit eam Doct. & ſequitur ex ejus principiis alibi.

Probatur, in cauſis naturalibus vehementius agens, eſt etiam velocius agens, Deus eſt vehementius intelligibile: ergo velocius, atque ita citius intellectum. Probatio maioris eſt quod ipſa vehementia eſt principium velocitatis, & non tantum intenſionis in actu. Vnde magis grave citius impellitur deorſum. Quod autem Deus ſit agens vehementius, aut fortius, probatur quia plus intelligibilitatis habet, quam creatura ulla cum ipſe ſit infinitè intelligibilis, ſicut eſt infinitæ veritatis, & entitatis. Vnde intellectus alicuius inſtructus lumine gloriæ quod eſt conditio, aut concauſa neceſſaria ad viſionem Dei, prius eliciet viſionem Dei. quam ullius alterius rei præſentis, licet habeat lumen requiſitum ad illas etiam videndas.

Probatur præterea dupliciter, primò quia cæteris paribus priora natura, ſunt priora cognitione. (Vnde prius cognoſcitur ſubiectum, quam paſſio eius,) quia prius, etiam in eo inſtanti quo præcedit poſteritus, cognoſcibile eſt. Deus autem eſt primò

Ægyd 7. Meta. q. 1. Toletan. 3 de Anim. quæſt. 1. Zimara 2. de Anim. ſe. 2. landun 8 Phyſi. q. 5 cock 1. d. 3. q. 1. Durand. 1. d. 3 q 7. Apolinar. 1 de An. q 13. Burl. 2. Phyſ. Marſil. Ibid. Gregor. 1. d. 3. 1. diſt. 3. q. 2. n. 21. & q. 16 de An. & 7. Metap. q. 5. d. Faber. Teo. 8. 1. Rub. 1. aeſt 3. q. 6. e. Diſput. 6 de An. quæſt 8. f. Baccon. 1. d. 3. q. 1. g. Henric in ſumart. 21 q. 2. 1. cit. nu. 30.

mò primum ens, adeoque: deinde quo obiectum aliquod eſt magis luminoſum, eò magis, & citius viſibile eſt. Deus autem eſt aliis omnibus magis luminoſus; quæ ratio confirmari poteſt ex corporalibus, nam primum quod videmus ex his eſt ipſa lux, Deus autem eſt ipſa lux, & non tantum lucidus, adeoque Vis rationis explicari, & augeri poteſt; ſcimus enim lucem ſumme conducere ad viſionem obiecti, quod tum demum quam maximè, & citiſſimè viſibile eſt, quando non ſolum eſt poſitum lumen ex parte potentiæ; ſed etiam ex parte obiecti; ergo poſito lumine gloriæ in intellectu quod lumen ſe extendit ad omnia adhuc ex illis omnibus illud primum videbitur quod præterea etiam in ſe habet lumen: Deus autem præ cæteris eſt talis, imo eſt ipſum lumen: ergo. Non utor argumento deſumpto à medijs, & fine, ſic finis prius amatur, quia bonitas mediorum deriuatur ab ipſa; ſed cognoſcibilitas creaturarum deriuatur à Deo, exiſtimo enim hoc non convincere; non enim illa eſt cauſa, ſed quia media amantur propter finem, quod non eſt verum dicere de creaturarum cognitione reſpectu Dei.

Poſſum tamen uti argumento infra adhibendo de principiis, & concluſione: Deus enim verè eſt hic principium, & creaturæ omnes ab eo emanarunt, ipſæ, & cognoſcibilitates earum.

Obijcies: ſimul video ſpeculum, & ea quæ in ipſo apparent: ergo etiam ſimul video creaturas, & Deum. Idem argumentum poteſt verti contrà concluſionem, & principia; non enim prius intelligo ego omne totum eſſe maius ſuâ parte quam intelligo hoc totum eſſe majus ſuâ parte, cuius cauſa eſt quia *omne & hoc* non ſunt aliud, & aliud; ſed idem; ſunt enim ſicut totum, & pars; nam universale eſt plura ſingularia. Reſpondeo Deum non eſſe ſpeculum ex ſe, ſicut noſtra ſpecula ſunt, vel, ſi ſit, non accipitur hic ut comparatus ad creaturas relucentes in ipſo; ſed ad creaturas viſas, vel propoſitas extra ipſum, adeoque non multum faciet ad propoſitum obiectio; Ad quam iterum reſpondeo negando antecedens, propriè enim loquendo prius video ſpeculum, ſicut etiam prius video puteum, quam aquam, quæ in ipſo eſt, unde argumentum eſt etiam in oppoſitum.

Ad alterum illud Reſpondeo, quod ubique aſſumat falſum; nam neque univerſale eſt idem ac omnia ſingularia, quum illud ſit unum, hoc verò plura; neque ſimul intelligitur cum ſingulari; ſed vel prius, ut contingit in caſu propoſito, quando ſcilicet ex vniuerſali inferimus ſingulare per ſyllogiſmum, vel poſterius, quando per inductionem ex ſingularibus collectis inferimus univerſale. Iam

3. *Dico* 2. ſiue intellectus ſit coniunctus, ſivè ſaparatus ex propoſitis ſibi obiectis primò omnium intelligit ſpeciem ſpeſialiſſimam, ſed cum hac diverſitate, quod intellectus, ſeparatus intelligit ſtatim ſpeciem ſubſtantiæ, coniunctus autem accidentis directè, & per ſe. Hæc eſt vltima, & plena reſolutio tituli, in qua recentes Scotiſtæ perperam exiſtimarunt ſe diſſedere ab antiquis, idem enim omnes dicunt, etſi non eodem modò, Concluſio ipſa in ſe directè repugnat D. Thomæ, *f.* teněti magis vniuerſale prius cognoſci, cui etiam adſtipulari videtur Ariſtot. *g.* Sed quidquid de hoc ſit.

Rubion. 1. *d.* 1. *q.* 6. *Tromb.* 7 *Meta. q.* 7 *Fab. theor.* 83. *Ferch. veſtig.* 10. *f.* 1. 2. 7. 81 *ar.* 1. *& alibi.* *g* 1. *Phyſic cap.* 1 *text.* 4. *h* 1. *diſt.* 3. *q.* 2.

Probo concluſionem præſentem ratione Doctoris. *h.* quam accommodabo in primis intellectui ſeparato, ſive non dependenti à phantaſmatibus, qualis eſt Angelicus, & animæ ſeparatæ. de quo oſtendo quod propoſito v. g. auro, primum intelligat ipſam rationem ſpecificam auri, non verò genericam rationem metalli, aut adhuc magis univerſalem rationem corporis, hoc argumento; Cauſa naturalis non impedita agit ad ultimum ſuæ potentiæ, id eſt producit perfectiſſimum effectum, quem poteſt, Intellectus Angeli, & aurum, ſunt cauſa naturalis: ergo ſtatim producunt perfectiſſimum effectum quem poſſunt, ſed perfectiſſimus, effectus quem poſſunt producere eſt cognitio ſpeciei ſpecialiſſimæ; ergo ſtatim producunt cognitionem eius; atque ita in illo, & ſimilibus caſibus primum cognitum eſt ſpecies ſpecialiſſima, adeoque minus univerſale, quod erat probandum. conſequētia valida eſt: præmiſſas probabo incipiendo à maiori ſic. Si cauſa naturalis non produceret ſtatim perfectiſſimum effectum quem poteſt non eſſet naturalis, & neceſſaria, ſed libera, quod eſt contra hypotheſim: Ratio, quia non ſemper ageret quoties poſſet; nam potens producere ſummè perfectum producit perfectum infra ſummum; atque ita datur in eo potentia ſine actu, quod eſt contra rationem neceſſarij. Minorem autem probo facilè; quia ipſa ſpecies vltima eſt perfectior ſpeciebus ſubalternis, adeoque cognitio eius, quæ vtique correſpondet ei, erit perfectior cognitione aliorum objectorum ſuperiorum, quæ etiam imitatur, & participat imperfectionem eorum. Hæc ratio aliquid evidentiæ habet: unde etiam ipſi Adverſarij conati ſunt eam in ſuam partem trahere; procedit etiam de intellectu coniuncto, quia etiam aurum, & phantaſia, ſive imaginativa hominis; item aurum, & ſpecies quæcunque impreſſa tam ſenſui, quam intellectui, ſunt cauſæ naturales, adeoque agunt ad ultimum ſuæ potentiæ, & producunt perfectiſſimum quod poſſunt &c. vt ſupra.

4. Hæc tamen ratio, quatenus procedit de intellectu noſtro, ſeu coniuncto videtur non malè retorta à Caetano *i* ſic. Aut enim (inquit) loquitur Scotus de effectu abſolutè perfectiſſimo aut de perfectiſſimo pro tunc: ſi primum, maior eius eſt falſa; Falſum eſt enim cauſam naturalem producere ſtatim à principio perfectiſſimum quod poteſt, quin potius videmus naturam incipere ab imperfectis, & progredi à minimis ad maiora, Si autem intelligat de ſummè perfecto in tali circumſtātiâ, nihil facit, dicent enim Thomiſtæ ſummè perfectū poſſibile pro tunc eſſe conceptum magis univerſalis.

i Lib. de ente & eſſentia,

Deinde concluſio Scoti in hâc materiâ eſt quod ſpecies ſpecialiſſima ſit primum cognitum cognitione confuſa, ſpecies autem ſubalterna, ſeu magis univerſale primum cognitum cognitione diſtincta. Sed ſi ratio illa valeret, probaret etiam primum cognitum cognitione diſtincta eſſe ſpeciē ſpecialiſſimam, ſeu minus univerſale, quia etiam de cognitione diſtinctâ rei verum eſt, quod ſit perfectiſſimus effectus, quem poteſt cauſa producere & verius quam de cognitione confuſa, quum ſine dubio cognitio diſtincta rei ſit perfectior cognitione confusâ eiuſdem.

Sed hæc nihil lædunt rationem ſubtilis, meminiſſe enim debuit Caetanus agi de intellectu, & obiecto applicatis, v. g. de nummo aureo quem ipſe homo manu apprehendit, & ſibi oſtendit, quo caſu reſpondeo argumentum Scoti accipiendum eſſe de effectu abſolutè perfectiſſimo: neque falſum eſt ſed neceſſariò verum, quod agens naturale

producat

producat abſolutè perfectiſſimum quod poteſt: nam quod dicitur naturam progredi à minimis ad majora, verum eſt tunc tantum quando impeditur ne majora, aut perfectiora producat, ut fieret, ſi objectum eſſet diſtans, aut ſimile: at vero quando nō eſt diſtantia, aut aliud impedimentum, neceſſariò verum eſt quod perfectiſſimum producat, alioquin nec intellectus angeli ſtatim attingeret ultimū gradum objecti, ſed deberet tot actus habere, quot gradus ſuperiores includit objectum. Sicut ergo angelus ſtatim attingit etiam cognitione diſtincta ultimum gradum ſeu ſpecificum objecti, ita & noſter ſtatim eandem attingit cognitione confuſa.

Ex quo patet ad alteram replicam. Non enim ſequitur hinc quod debeat intellectus noſter attingere ſtatim objectum cognitione diſtincta ſi hæc ſit perfectior confusà, quia quoad diſtinctam eſt impeditus per neceſſariam interpoſitionem cognitionis diſtinctæ ſuperiorum graduum: non enim poteſt diſtinctè cognoſcere gradum ſpecificum niſi prius diſtinctè cognoſcat gradus genericos, adeoque non invenit hic Caetenus paritatē. Habeo tamē ipſe unum quod contra majorem illam Doctoris Obiiciam ex Philoſopho, & experientia: quia motus naturalis eſt velocior in fine, quam in principio, ſicut ècontra motus violentus velocior eſt in principio, & in fine languet. Ex hoc autem videtur non eſſe tam verum quod agens naturale ſtatim à principio producat perfectiſſimū quod poteſt, nam velocitas illa finalis eſt aliqua perfectio in actione agentis naturalis, nec tamen illam in principio producit, ergo. Non autem poteſt hic prætendi ſolutio iam data, quod ſcilicet ſit hic impedimentum, aſſero enim, & ſuppono non eſſe ullū impedimētū, adhuc motus creſcet in fine. Sit enim caſus, quo lapis molaris dimittatur à concavo Lunæ ad centrū, ibi nullum impedimentum eſt, aut ſi ſit, tollatur, tamen velocius movebitur prope terram, quã ii prope cœlum; adeoque non ſemper natura producit perfectiſſimum. Reſpondeo tamen ſtandum eſſe axiomati Doctoris, quod non eſt ipſius tantum, ſed ante eum Ariſtot. ſcilicet naturam ſemper toto impetu agere, nec poſſe temperare actionem ſuam, alioquin ſtatim fieret agens liberum. Et ad alterum axioma, ac experientiā dico ea nō opponi huic: quia nimirum velocitas illa in fine motus non prouenit ab eadem ſola cauſa à qua prouenit tarditas illa in principio; vel aliter ſic: non adfuit à principio tota cauſa velocitatis quæ adeſt in fine, atque ita non habetur agens naturale, quod temperauit actionē ſuam, ſed nova perfectio effectus habens novam cauſam, ſive ſit ipſum centrum iam vicinum, quod proinde quaſi quidam magnes attrahit ad ſe gravia, & cum ſit finitum agens exigit approximationem paſſi; ſive ipſa gravitas habeat fortius agere, quando eſt vicinior centro & per violentam remotionē eius ab eodem debilitetur, ſive denique ipſum grave deſcenſu ſuò colligat impetum, quæ eſt nova cauſa deſcenſus, ſimilis impulſui qui imprimeretur à projiciente, aut ſimile: nullatenus autem admittendus eſt per deſcenſum ad quiri habitus à mobili, qui deinde intendat actionem: quum agentia naturalia, ſint ipſius incapacia, quod quidem communiter admittitur, & meritò; nec tamen eſt alia cauſa huius niſi illa major aſſumpta à Doctore, quod agens naturale producat ſemper perfectiſſimū quod poteſt. Alias rationes habet Doctor in littera primi cit. quas ex eo deſcribunt Scotiſtæ, ſed his omiſſis (quia apud omnes videri poſſunt)

5. Probo 2. concluſionem, & accipio eam in ſenſu Doctoris ſcilicet de facto, ſive de nobis in hoc ſtatu intellectus coniuncti, idque quoad cognitionem completam, & confuſam objecti: arguo autem ſic: Intellectus noſter pro hoc ſtatu ad cognitionem ducitur à ſenſu, atque ita primò id cognoſcit, quod primò ei proponitur à ſenſu. At verò ſenſus ſemper proponit minus univerſalia, quum ſenſus refugiat univerſalia ut eſt perpetua doctrina k *Ariſtotelis*: ergo intellectus pro nunc prius attinget minus vniuerſalia: clarum eſt autem hoc eſſe ſpecies atomas: ergo k 1. *Phyſ. ſic. text 49. & 4. libi.*

Dices, ſi ducamur hac ratione, dicendum erit quod nunquam attingat univerſale, quia nimirum ſenſus non attingit illud. Nego ſequelam: nam etiam attingit entia ſpiritualia, quæ ſenſus non attingit, ſed ſicut prius debet attingere ſubſtantias corporales, quam ſpirituales, quia corporales viciniores ſunt accidentibus quæ ſunt objecta ſenſus, ita prius debet attingere minus univerſalia, quæ ſunt propinquiora ſingulari quod attingit ſenſus, ut omittam non eſſe dictum in concluſione, quod ipſa univerſalia in ſe attingat, ſed ſufficere, forte quod attingat ſingulare minus univerſalis.

Tertia probatio. Intellectus pro hoc ſtatu intelligit uniuerſalia per abſtractionem, quod ſi verùm ſit, tum debet ſine dubio prius intelligere illa à quibus fit abſtractio, nemo enim aliquid inde accipere poteſt, quo ipſe non pervenit. Fit autem abſtractio uniuerſalis à minus univerſalibus: ergo prius debet intelligere minus univerſalia, atque adeo falſum eſt cognitionem noſtram incipere ab uniuerſaliſſimis. Diceret aliquis hoc argumentum non convincere, quia nimirum adverſarius ponit primò intelligi ſingulare, ſeu ſingulare magis uniuerſalis ſed ſanè hoc non poteſt dicere Thomiſta, quùm *D. Thomas* l expreſsè ponat univerſalia prius cognoſci, non verò eorum ſingularia. Demus tamen ipſos hoc poſſe prætendere, oſtendó hoc eos non poſſe juvare, ſive non poſſe ſingulare magis univerſalis primò cognoſci, quia nimirum non poteſt objectum remotum cadere primo ſub actum potentiæ; ſed debet neceſſario propinquum objectum primo obijci ei, & ratione eius remotum; ſic ſenſus non poteſt primò videre ſenſibile commune; ſed debet prius videre ſenſibile proprium. Non enim poteſt oculus v. g. primò videre figuram aut motum, ſed debet primò videre colorem, quem etiam ſine illis poteſt videre, illos autem ſine hoc nequaquam; Ita dico quùm uniuerſaliſſima non cadant ſub intellectu noſtro pro nunc niſi ratione minus uniuerſalium, non poſſumus primò intelligere univerſaliſſima. Quod autem ſic tantum cadant ſub intellectu noſtro pro hoc ſtatu, patet quia primò intelligibilia pro hoc ſtatu ſunt objecta ſenſus, Objecta autem ſenſus ſunt minimè univerſalia, ſcilicet ſpecies colorum, & odorum &c. ergo. l q. 85. cit. & in proœm. Phyſ.

6. Itaque hæc res ſic geritur de facto, ut propoſito objecto. v. g. auro, quia ſenſus non ſuſpendit actum ſuum, nec moderatur eum; ideo oculus ſubito videt ipſam flavedinem eius, non verò rationem coloris ut ſic; ſimiliter intellectus, qui etiā quodam impetu rapitur poſt ſenſum, primò intelligit flauedinem, quæ eſt atoma ſpecies coloris: Intellectus autem ſeparatus primò intelligit rationem ipſam ſpecificam auri (quia ille non debet præmittere cognitionem accidentium, cognitioni ſubſtantiæ), atque ita veriſſimum eſt quod docuit ſubtilis, ſcilicet abſolutè omnium primo intelligi ſpeciem atomam, & minus uniuerſale; ab intellectu conjuncto minus uniuerſale, ſeu ſpeciem atomā ac-

Digitized by Google

cidentis, ab intellectu ſeparato minus univerſale, ſeu ſpeciem atomam ſubſtantiæ: Et quia curſus Doctoris eſt de intellectu conjuncto, doctrina eius currit de cognitione confuſa, hoc eſt de cognitione alicujus in quo plura continentur non diſcreta, vel diſtincta, ſed per modum unius, atque ita quodammodo confuſa. Et ita revera fit ab intellectu noſtro de facto quia nimirum, ita etiam fit à ſenſu; nam etiam oculus videt rationem coloris, & accidentis in flavedine illà, quùm omnes illæ rationes identificentur. Realiter ratione flavedinis quam videt ſed non videt illas ſeorſim tamquam aliqua ab hoc diſtincta etiã formaliter, aut ratione, ſed omnia illa videt in ipſa flavedine cujus conceptum format, quod idem facit intellectus, & verò facere debet pro nunc, adeoque.

Altera pars principalis reſolutionis Scoti.

7. DIco adhoc tertio in ordine cognitionis diſtinctæ primum cognitum pro nunc eſt magis Vniverſale. In hoc Cajetanus, & ſui facile fient Scotiſtæ.

Vid. Philip. Fab. Teor. 83. cap. 10. Cavel. in Additad. q. 16. Sc ti de anim. Ponc. diſp 63. q. 4.

Ipſam probo. Cognitio diſtincta rei habetur cognoſcendo eius partes, ex quibus cõponitur; ſed res minus univerſalis componitur ex magis univerſalibus, ergo cognitio diſtincta rei fiet, ſeu habebitur cognoſcendo magis uniuerſalia, v. g. ut cognoſcam hominem diſtinctè, debeo cognoſcere animal & rationale. Vt autem cognoſcam animal diſtinctè, debeo cognoſcere vivens, & ſenſibile, hæc enim ſunt componentia animal, ſicut ipſum, & rationale ſunt componentia hominem. Similiter ut cognoſcam vivens debeo ipſum reſolvere in genus, puta corpus &c. uſque ad ens, quod quia non habet componens, ſed eſt ſummè ſimplex, eſt primum cognitum cognitione diſtincta, eſt autem ens maximè uniuerſale, adeoque à primo ad ultimum primum cognitum cognitione diſtinctâ eſt maximè univerſale.

Illuſtro hanc probationem, & concluſionem ſimul, exemplo ſenſibili. Vt enim ſciam perfectè quantitatem corporis alicujus, v. g. panni convoluti, debeo dividere eam (intentionaliter ſaltem, adhibità menſura) primò in cubitos, tum in palmos, palmos in ſemipalmos, hos in digitos, digitos in grana quæ ſunt, aut ſupponuntur quædam indiviſibilia Phyſica; & quia ſunt prima ſimplicia in hoc genere ſunt primo cognita diſtinctè, nam de aliis omnibus infra ipſam dubitari poteſt quantæ extenſionis ſint ipſa; ita hic, vt vides. ergo

Probo etiam à priori vtrumque, quia diſtinctio rei fit per diviſionem ejus, & ſeparationem ab alià, ergò plenè diſtinctum eſt illud quod eſt plene ſeparatum ab aliis: tale autem non eſt, niſi generaliſsimum, ſcilicet ens, adeoquè hoc eſt primum quod occurrit abſolute, & perfecte diſtinctũ, atque ita verum eſt quod in ordine cognitionis diſtinctæ ab ipſo incipiendum eſt, ipſum enim eſt primò, & ſumme diſtinctum.

Probari 3. poteſt, quia cognitio diſtincta rei habetur per definitionem, ut notum eſt. At vero definitio inquiritur per diviſionem vt docet *m* Philoſophus. Tum ſic, diviſio incipit ab ente, & à magis univerſalibus, uſque dum perueniatur ad minus uniuerſalia: imò ad ſingulare quod eſt indiviſibile: ergo cognitio diſtincta incipit ab ente. Quod argumentum etiam Doctor fundavit in Ariſtotelis authoritate; tamen nititur potiſſimum Platoni apud quem in *Sophiſta* & *Phedro* traditur via definiendi per diviſionem, ut primò ſumatur communiſſimum quid, deinde addatur differentia. quæ duo ſi non reciprocentur cum definito, adhuc alia, & alia addantur, uſque dum omnia ſimul ſumpta æquent definitum, & æquentur ab eo.

m Ariſt. 2. poſt. t. x. 7.

Plato.

Vltima probatio ſit iſta, quia Metaphyſica eſt prima ſcientiarum in ordine diſtincte cognoſcendi, adeoque obiectum Metaphyſicæ eſt primum diſtinctè cognitum. Patet autem obiectum eius eſſe ens, adeoque hoc erit primum diſtincte cognitum. Antecedens principale eſt *Avicen. n.* ubi etiam habet, quod ſit ultima ordine doctrinæ, hoc eſt, poſt omnes alias addiſcenda, quia nimirum pro hoc ſtatu cognitio confuſa prior eſt cognitione diſtincta, adeòque aliæ ſcientiæ, quæ non utuntur principiis ita diſtinctis præſupponendæ ſunt Metaphyſicæ quæ omnia diſtinctè tradit. Illa ergo eſt prima ſcientia rerum diſtinctè: ergo obiectum eius erit primum ſcitum diſtincte, obiectum autem eius ſunt prædicata uniuerſaliſſimà: ergo Puto tamen has ultimas rationes poſſe in authorem, & concluſionem torqueri: unde.

n. Met. text 1. cap. 3.

8. Obiicio ipſas ſic: primò primam illam de definitione: ſi primò cognita diſtincte eſſent univerſaliſſima quæque, ſequeretur quod definitio non eſſet cognitio diſtincta rei; hoc eſt contrà ſenſum omnium, & contra veritatem ergo. Sequelam probo, quia ad definitionem non requiruntur uniuerſaliſſima; imò optima, & magis opportuna ſunt minus univerſalia: ſcilicet genus proximum, & differentia contractiva eius, quæ eſt atoma, & ſpecifica: Nam nemo non approbat hanc, *homo eſt animal rationale*, & tamen conſtat minus univerſalibus, ſcilicet genere proximo, & differentia ſpecifica.

Obiicio etiam alteram illam de Metaphyſica ſibi ſic. Si Metaphyſica ſit prima in ordine diſtinctè cognoſcendi, nihil diſtincte cognoſceretur ſine ipſa, ſicut nihil poteſt eſſe ſine, eo quod in tali ordine eſt primum. Falſum autem eſt nihil diſtinctè ſciri ſine Metaphyſica cum aliæ ſcientiæ habeãt ſuas demonſtrationes, & tamen ſæpiſſimè ſint ſine Metaphyſica, ut notavit etiam ipſe Scotus citatus nec enim neceſſe eſt mathematicum eſſe Metaphyſicum, quia Geometer v. g. non utitur principiis per ſe notis, niſi illis quæ ſtatim ſunt evidentia ex confuſo conceptu terminorum, qualis occurrit primò ex ſenſibilibus puta hæc *Linea eſt longitudo* non curans ad quod genus pertineat, puta utrum ſit ſubſtantia vel quantitas.

Reſpondeo tamen, fere idem ad utrumque horum: Dico definitionem, & cognitionem diſtinctam poſſe haberi ſine generaliſſimis, nec tamen ſummè diſtinctam, quia quouſque deveniatur per reſolutionem ad ipſum ſemper eſt aliqua concretio, & confuſio. Similiter dico ſine Metaphyſica poſſe haberi cognitionem diſtinctam, ut convincit inſtantia illa Geometræ, non tamen ſummè diſtinctam, diſtinctior enim eſſet ſi ſciretur ipſius Lineæ propria compenſatio, interim enim dum iſta neſcitur, Geometer ille habet aliquid mechanici artificis, & non eſt abſolute per omnia ſciens. Itaque loquendo de cognitione ſimpliciter diſtincta rerum, illa omnino incipienda eſt ab univerſaliſſimis. Eſt etiam alia inſtantia, in qua verificatur hæc altera pars reſolutionis Scoti, ut ſcilicet prius cognoſcantur univerſaliora licet forte nõ neceſſaria prius, de quo pono tertiam concluſionẽ &c.

9. Duo

Digitized by Google

9. *Dico:* propoſitis principiis, maximè verò primis, & ſimul concluſionibus eorum, non neceſſariò incipere debemus cognitionem à minus univerſalibus, imo aliquando debemus primò cognoſcere univerſaliora.

Ratio: quia attingimus primò ipſa principia, quæ ſunt univerſaliora: v. g. hoc omne totum eſt maius ſua parte: quod etiam propoſitum ſimul cum particulari ſuo, ſeu cum concluſione ex illo deducta adhuc prius intelligi ſtatim infra probabo; ſed in primis hic probo non poſterius intelligi ipſum ſed ut minimè ſimul. Quia non eſt minus clarum ſuo particulari ſive non minus convincit intellectum ad aſſenſum, cum ſit ex terminis notum, & non eſt minus immediatum propter eandem rationem, adeoque.

Dices eſſe minus immediatum, quia eſt collectum ex pluribus particularibus per inductionem.

Reſpondeo falli arguentem: non enim prima principia egent inductione ſed alia quæ ex terminis non habent cauſam ſui aſſenſus. Confirmo; nam ſi prima principia egent inductione nunquam poſſet incipi ipſa inductio: quæro enim de primo particulari à quo cæpit inductio quomodo cognitum eſt? certè non potuit excellentius cognoſci quam ex terminis, alioquin ibitur in infinitum. Si ergo primum particulare ſine inductione ſciri potuit, quidni etiam principium, quod eſt æque notum.

Probo iam præcedentiam principiis ſupra particularia, primò Metaphyſicè, quaſi à priori tum etiam ſenſibili paritate. Quod eſt primo, vel prius verum, eſt etiam prius cognoſcibile, quum veritas non ſit aliud, quam huiuſmodi cognoſcibilitas, ſeu ordo ad intellectum. Principia ſunt prius vera, quam concluſiones: ergo prius apta cognoſci, & cum ſint agentia naturalia actu prius cognoſcentur ſive prius movebunt intellectum ad cognitionem ſui. Maior illa patet, quia alioquin in illo priori inſtanti quo id quod cenſetur prius præcedit poſterius, non eſſet cognoſcibile, ſeu motivum intellectus. Minor vero eſt in omnium ore; quia quum probamus concluſionem per principia probamus eam à priori.

Vrgeo hanc rationem: nulla paſsio ineſt primò ulli particulari ergo hoc quod eſt *eſſe maius parte* non convenit primò huic toti, ſed toti ut ſic, adeoque hæc affirmatio, hoc totum eſt maius ſuâ parte, non eſt primò vera, ſed prius vera erit hæc: omne totum eſt maius ſuâ parte: ergo propoſitâ utrâque propoſitione intellectui prius intelligetur illa univerſalis, quia prius intelligibilis eſt, ſeu prius motiva potentiæ.

Probo idipſum ſecunda viâ, ſeu ſenſibili paritate. Maius lumen citius videtur quam minus, principia ſunt maius lumen, ſeu plus evidentiæ habent, quam concluſiones: ergo citius videntur, & intelligentur, quam concluſiones. Maior ad ſenſum eſt vera, cuius etiam ratio reddi poſſet, ſed ſufficiet experientia. Diceret tamen aliquis minorem non eſſe ſatis veram, quia iſta? Hoc totum eſt maius ſui parte, non eſt minus evidens, quam illa; omne totum eſt maius ſui parte Audio, & arguo contra ut cœpi à ſenſibili paritate, dico autem aſſumptum illud eſſe falſum, & verius eſſe, quod iſta: *Omne totum* &c. ſit evidentior illâ: *Hoc totum eſt maius ſua parte*, cuius rationem, & exemplum do: quia nimirum evidentia huius particularis *Hoc totum eſt maius* &c continetur in hac *omne totum eſt maius*, & ſimul aliarum particularium evidentiæ: ergo iam toti evidentia huius *omne totum* &c. maior evidentia eſt iſtius *Hoc totum* &c. quod ſanè confirmat hoc ipſum axioma; quia nimirum evidentia particularis eſt pars evidentiæ univerſalis propoſitionis ſcilicet ipſius principii, & conſequenter niſi maior eſt evidentia principii quam particularis, tum aliqua pars eſſet æqualis toti. Declaro etiam rem ſenſibili paritate, ut dixi: ſint enim plures lychni tenues, & omnes deinde aggregentur in unum, ſi accendantur, iam magis illuminabunt medium, quam illuminaret quilibet eorum ſeorſim: ergo quantumvis concedam (quod nolo) principium non habere aliam veritatem, aut evidentiam priorem; ſed conſtare tantum ex pluribus evidentiis ſingularium, adhuc maior erit evidentia ipſius, quam ullius particularis.

Obiicio, & ſoluo argumenta Thomiſtarum.

10 Hic ago principalem partem actionis, illam ſcilicet, quæ dicebat ex Scoto prius cognitum confuſè (atque adeò abſolutè prius cognitum) pro hoc ſtatu eſſe minus univerſale, contra quod pro magis univerſali

Arguit *Caetanus* n primo Natura progreditur ab imperfectis ad perfectiora; (quod docet Ariſtoteles o dicens imperfectiora eſſe priora via generationis; & experientia ipſa clamat, Conceptus magis univerſalium ſunt magis imperfecti, ſemper enim minus dicunt, quam inferiora, quum hæc ſemper aliquid illis addant, ergo denique conceptus univerſaliores ſunt priores. Huic Ariſtoteli, & experientiæ obiicio ego eiuſdem Philoſophi experientiam in prima ratione pro Scoto ſupra poſitam, nam etiam experientia, & ratio in Ariſtotele fundata dictat agens naturale agere ad ultimum ſuæ virtutis.

n *De ente & eſſentia* citat o *Ariſtot. 9. metaph.*

Quod autem non progrediatur ab imperfecto ad imperfectum ſemper, ut imaginatur arguens, oſtendo quia agens luminoſum non ſpargit lumen ſucceſsivè; nec etiam auget ipſum paulatim, Quin potius in propinquum emittit fortius lumen, & in remotius magis remiſſum, atque ita potius progreditur languendo, quam proficiendo.

Intellectus diſcurrit à principiis ad concluſiones, & tamen perfectior eſt cognitio principiorum, quam concluſionum. Naturale ſine dubio eſt progredi à ſimplici apprehenſione ad judicium, & tamen ſimplex apprehenſio videtur perfectior iudicio: talem enim habet Deus de omnibus rebus, & talis eſt cognitio intuitiva, & ſic de aliis ſexcentis. Ad rationem ergo oppoſitam dic, ita eſſe, ſive naturam progredi ab imperfecto ad perfectum, quoties impeditur à perfecto, de quo plura infra.

Obiicit 2 Re. Omnis noſtra cognitio fit per ſpeciem impreſſam; ſpecies autem impreſſa primo repræſentat univerſale, ergo noſtra cognitio Minor conſtat; quia illa abſtrahitur à phantaſmatibus repræſentantibus ſingularia. Reſpondeo primo ſi argumentum valet probat nunquam cognoſci à nobis ſingulare, nam nunquam cognoſcimus, niſi per ſpecies impreſſas: iſtæ autem ſecundum te abſtrahunt &c, Reſponde ergo ſecundo ſpeciem impreſſam abſtrahere à phantaſmatibus, & materialitate in eſſendo non in repræſentando. Senſus enim huius ſpecies impreſſa abſtrahit à phantaſmatibus, eſt quod ſpecies impreſſâ ſit ſpiritualis, non vero corporalis, aut organica qualis eſt phantaſma.

Itaque ludunt utentes hoc argumento, cum nihil pro ipſis hic faciat niſi æquivocatio, aut igno-

tia termini propoſitionis Magis nituntur adverſarii priori argumento, quod adhuc urgent in hunc modum. Cum videmus hominem à longè, non ſtatim apparet nobis homo; ſed nec animal, quin primo videtur ſub latiſsimâ ratione entis, aut corporis, deinde propius accedens apparet animal, tum homo, & denique hic homo Petrus: ergo iam manifeſtum eſt in cognitionibus naturam progredi, à ſuperioribus ad inferiora; nam de progreſſu ab imperfecto ad perfectum in actione phyſica eſt evidens.

Ita enim producit primo embrionem in utero, tum format in eo organa, quibus fœtus vivit primò vita plantæ, tum animalis, ac denique hominis, & ſic in aliis paſſim: ergo. Reſpondeo quoad progreſſum in actione phyſica ab imperfecto ad perfectum iam ſatisfactum eſt in primo argumento datis inſtantiis, quibus adde hanc ipſam quam contra nos illi adducunt: nam quum formantur organa animalis, certè non incipitur ad minus perfectis. Primò enim formatur cor, quod non eſt imperfectiſsimum, deinde pars ſuperior animalis formatur ante infernam & tamen illa longo intervallo eſt perfectior inferna.

Ad propriam autem difficultatem huius de homine à longè veniente concedo totum antecedens, & nego conſequentiam. Cauſam do, quia in eo caſu non ponuntur requiſita omnia vt habeatur perfecta cognitio, ſupponit enim ipſe arguens hominem eſſe à longè ſive remotum. Deeſt ergo propinquitas, ſeu applicatio, quæ eſt conditio ad agendum requiſita: unde nihil mirum ſi non producatur perfectus effectus, ſeu cognitio atomæ ſpeciei illius obiecti, quia nimirum agens non eſt applicatum paſſo, ſive obiectum non eſt applicatum potentiæ ad eam movendam.

Scotus. In hac ſolutione quieverunt dudum Scotiſtæ, ut video; ſed & ipſe Scotus Nam in 1. *d.3. q.2. n.21.* qui ſecundum alios eſt textus, & quidem correctus à Doct. licet ſecundum Cavellum ſit additio: hæc habet. *Suppoſito quod ſingulare ſit in debita proportione*
Scotus. *præſens ſenſui, unde ſi ponas aliquem caſum* (qualis eſt iam poſitus) *in quo ſenſus non ſtatim ſentit &c.* Et in *q.16. de Anima*, ait quod quando ſingulare non eſt præſens ſecundum debitam proportionem, tunc intellectus apprehendit ſpeciem proximiorem: ſed contra hæc omnia.

11. Obiiciunt alii in hunc modum: Gradus magis univerſalis, eſt qui primò movet intellectum quando obiectum eſt diſtans: ergo idem etiam movebit primò quando obiectum eſt approximatum. Probatio conſequentiæ; quod movet in magna diſtantia præ alio, debet etiam movere in parva diſtantia præ illo: ſicut corpus luminoſum, quod illuminat medium diſtans magis quam aliud corpus, certè etiam illuminabit medium propinquum magis illo. Et horum ratio à priori eſt, quia id quod agit in maiori diſtantia eſt fortius agens, quod autem eſt fortius agens, etiam in parva diſtantia, & in quacunque æquali diſtantia prævenit agens minus fortè ſeu infirmius: ſi ergo gradus univerſales agunt in maiori diſtantia, ſequitur quod ſint fortius agens ſi autem ſint fortiora cæteris paribus prius agent, quam minus univerſales, atque ita citius agent, quandocunque in eodem obiecto proponuntur. Hoc argumentum reputo quam maximè partes Aquinatis promovere Et verò frivolum eſt quod quidam Scotiſtæ reſpondent tum non eſſe magis univerſale, quod agit in magna diſtantia, ſed ipſum minus univerſale: id enim apud ipſoſmet eſt falſum, quum minus univerſale, qua tale non includat magis, alioquin includeret illud quatenus excludit. Itaque reſpondendum exiſtimo, quod quoniam nulla una veritas repugnat alteri, proinde nec hæc replica obſtat concluſioni, & ideo quando Scotus dicit quod primum cognitum eſt ſpecies ſpecialiſſima, non excludit ſuperiora quin ſimul cognoſcantur quoniam etiam illa includuntur in ſpecie infima. Itaque quandocunque ſimul concurrunt, & ſimul cognoſcuntur ſuperiora, & inferiora. Primum cognitum eſt ſpecialiſſimum quia non ſiſtit unquam intellectus, donec ſpecialiſſimum, cognoſcat. At verò quando non attingitur ſpecies ſpecialiſſima propter diſtantiam, tunc non poteſt eſſe primum, imo, nec magis univerſale tunc eſt primum cognitum, quia nimirum non habet ſequens, quod ſit ſecundum, adeoque ex hac replica tam vera eſt noſtra concluſio, quam illa adverſariorum. Fateor ergo, ſi caſus eſſet, in quo ſeorſim deberent cognoſci magis, & minus univerſale, ita ut in uno non attingeretur alterum propter hoc contingeret prioritas aliquando magis univerſali, ſed ut dixi iſte non eſt caſus præſens, ſed quærit, & reſolvit Scotus, utrum propoſito obiecto aliquo determinato: cognoſcantur in primis gradus magis univerſales eius antequam cognoſcatur ſpecifica ratio eius, ad quod reſpondet negativè, quæ omnia magis patebunt ex ſequentibus.

Obiicio adhuc alia & ſolvo.

12. Libet etiam mihi ipſi laborare pro Thomiſtis pro quibus hanc rationem conficio, Propoſitis ſimul duobus obiectis potentiæ, quod eſt prius, prius movebit, magis univerſale eſt prius minus univerſali, ergo propoſito utroque ſimul magis univerſale prius movebit. Maior illa probatur facile, dandum enim eſt aliquid prioritati, & eſt vt habeat ſuas virtutes activas & expeditas, antequam poſterius habeat ſuas, atque ita prius erit prius motivum potentiæ, quam poſterius. Et ratio huius aſſignari poteſt iſta, quia eo ordine virtutes alicuius ſeu potentiæ, præcedunt potentias alterius, quo ipſum præcedit alterum: ſi ergo magis univerſale quod vocetur A. præcedit uno inſtanti minùs univerſale. quod ſit B. etiam potentia motiva intellectus, quæ eſt in A. præcedet potentiam motivam eiuſdem quæ eſt in B. Quam rationem expreſſit Ariſtoteles p 5. Met. dicens *Paſſiones priorum eſſe priores paſſionibus poſteriorum.*

Minor autem argumenti. & conſequentia non egent probatione, patet enim magis univerſale eſſe prius minus univerſali: ergo. Reſpondendum eſt tamen huic ſicut præcedenti, quod nimirum probet in caſu quo ſeorſim habendæ eſſent intellectiones magis & minus univerſalis, præcedere fortaſſe magis univerſale. At verò hic non eſt noſter caſus, ut dixi. Deinde Reſpondeo 2. argumentum hoc vt maximè probare cognitionem magis univerſalis eſſe priorem naturâ cognitione minus univerſalis, non verò eſſe tempore priorem, quia nec ipſum magis univerſale præcedit minus tale tempore, ſed natura duntaxat. Tertio adhuc reſpondeo maiorem argumenti non eſſe univerſaliter veram, ſed tunc tantum quando cætera ſunt paria; ſi enim poſterius natura ſit perfectius, & vehementius agens, prius aget quam quod eſt prius naturâ ſic calor vt unus eſt prior ſine dubio calore ut octo. Tamen calidum

p. Tex. 16.

calidum ut octo non agit prius ſecundum remiſſum gradum ſuum, ſed ſubito producit vehementem calorem, ut experimur ſexcenties, propter regulam, & rationem illam Doctoris ſubtilis, quod; agens majerialeagit ad ultimum ſuæ unitatis: Ad rem noſtram; Minus univerſalia ſunt magis perfecta, ac proinde licet ſint poſteriora natura, non proinde erunt poſteriora actione.

Obiicitur Tertiò Primum quod intelligimus ſunt prima principia (intellige de intellectione quoad aſſenſum, vel diſſenſum) ergo prius quod concipimus ſunt magis univerſalia. Conſequentia probatur quia ex veritate illius antecedentis de primo aſſenſu ſequitur quod primo apprehendamus terminos primorum principiorum, utique enim prius apprehendimus terminos illarum propoſitionũ, quarum primò habemus iudicium. Primò autem habemus judicium primorum principiorum, ergo primum quod apprehendimus ſunt termini primorum principiorum Tum ſic; ſed termini primorum principiorum ſunt univerſaliſſima, nam & ipſa prima principia ſunt univerſaliſſima, alias non eſſent prima v. g. quodlibet eſt vel non eſt: omne quod eſt dum eſt neceſſe eſt. Omne totum eſt maius parte, quæcunque ſunt eadem uni tertio &c. Reſpondeo hoc argumentum præcedit tanquam nos ſervaremus ad amuſſim legitimum, & regularem ordinem obiectorum in intelligendo ſicut pueri docentur primum elementa, deinde voces, quod non fit pro hoc ſtatu; ſed prius intelliguntur, quæ prius proponuntur, etiam fortè fortunâ. Adeoque breviter in forma nego argumenti maiorem.

Ruuius in 1. Phyſic. q. 3.

Obijci etiam adhuc poteſt, & applicari directè contra Scotum vis primi argumenti ſupra & proſecutionis eius facta num. 11. nam non ſolum quando obiectum eſt indebitè applicatum ſed etiam quando eſt propinquum & intra iuſtam ſphæram activitatis, prius videntur concipi magis univerſalia: Nam licet ſenſibus ſe offerat homo, vel Petrus, prius tamen ſenſum movent magnitudo, & color eius quam ſpecialia accidentia, & prius ſenſus percipit eum eſſe corpus quam hominem; vel Petrum quum illa ſint accidentia notiora, & magis obviat ergo iam non evadunt Scotiſtæ per diſtantiam, & indebitam applicationem, quam protendunt &c. Reſpondeo primo in forma, tum dabo generalem doctrinam de materia primi argumenti ſupra. Nego ergo prius ſentiri communia accidentia, quam propria v.g. magnitudinem prius videri, quam colorem, quia nimirum à quolibet ſenſu primo attingitur ſenſibile proprium & ratione eius ſenſibile commune, putà magnitudo, & motus; ſed revera nondum eſt evacuata vis argumenti; nam prius percipitur calor quam alia magis ſpecialia accidentia Petri, & magnitudo prius quam figura, quæ omnia ſunt magis communia; ergo iam etiam intra debitam diſtantiam prius percipiuntur magis, quam minus univerſalia.

Propter hæc denique aſſignanda eſt ratio cur prius attingantur magis communia, quam minus talia, quum tamen illa ſint magis imperfecta, quod revera mirandum eſt, ſcilicet minus perfectum agere ad maiorem diſtantiam, & magis perfectum ad minorem tantum; ſed exiſtimo cauſam huius eſſe iſtam, quia ſenſus exigit determinatam extenſionem & magnitudinem in ſuo obiecto, & infra illam non poteſt in illud ferri iam verò magnitudo decreſcit in ordine ad ſenſum per intervallum, ſeu diſtantiam, ita ut non appareat & videatur non eſſe, atque ita contingit quædam ſenſibilia non videri in diſtantiâ quæ videntur factâ approximatione. Hinc habes cauſam proximam, cur non cognoſcatur Petrus à longè, ne quidem in eſſe hominis, quia nimirum accidentia propria hominis (& multò magis accidentia ipſius Petri, qua talis propria) non habent illam extenſionem, & magnitudinem, quæ in tanta diſtantia moveat, ſignum huius eſt, quia primum quod apparet eſt quantitas, ſeu ratio corporis in re procul; hoc enim cum ſit ipſa magnitudo, ſemper præ ſe fert, & retinet rationem movendi ſenſus etiam eminus ſeu de longinquo.

ACTIO TERTIA

Examinantur res comparatione factâ inter univerſale & ſingulare.

BREVIARIUM.

Num. 1. *Mens Scoti aperitur.*
2. *Primum cognitum potius ſpecies quam ſingulare.*
3. *Alicuius ſingularis propriam ſpeciem habeamus.*
4. *Quid cenſendum quoad hæc de intellectu ſeparato.*

a Philip. Faber theo. 88. Rube. 3. d. q. 4. b Bargius 1. d. 3. q. 2. Trom. 7. Met q. 7. Tar. 1. Phyſ. Camon. 16 q. 2 c Oth. Duran. &c. citat.

1. IN incerto eſt hic tam rei veritas, quam mens noſtri Subtilis, propter quod etiam Scotiſtæ diviſi ſunt in partes, quibuſdam *a* præferentibus ſpeciem ipſam atomam, *b* aliis individuum, pro quo etiam vehementes ſunt *c* Nominales. Statuam in primis ſententiam *Doctoris*, quæ ex pluribus eius locis colligenda eſt. Verba eius in 1. *d* q. 2. ſunt. *Dico quod primum actualiter cognitum confuſè eſt ſpecies ſpecialißima, & hoc ſuppoſito, quod ſingulare non poſsit intelligi ſub propria ratione.* Videndum ergo eſt an ſecundum D. ſingulare poſſit intelligi pro nunc ſub propria ratione; quam difficultatem tractat idem Doctor 7. Metaph. q. 15. & q. 22. de Anima. Quo loco concl 3. *nu.* 2. reſpondet ad difficultatem his verbis. *Tertio. Dico quod nulla potentia noſtra poteſt cognoſcere ſingulare ſub propriâ ratione ſingularis*: adeo quo mens eius in propoſito debet eſſe quod primum cognitum abſolutè ſit ipſa ſpecies; unde.

Item Niphus, 1. Met. diſp. 11. Pitolom. in Phil. mor Scot.

Cenſeo hoc cum ipſo, quod etiam cenſuit de mente eius *Faber.* *d* Addo tamen hanc doctrinam accipiendam eſſe de ſpeciebus, & ſingularibus, quæ innoteſcunt nobis per motionem ſenſuum externorum, propter rationem infra aſſignandam. Vt autem dicam planè quod ſentio: exiſtimo reſpondendum eſſe ad titulum actionis ſic. Quod loquendo de propriâ cognitione ſingularis; non poſſit fieri comparatio eius ad univerſale: loquendo autem de improprio, & confuſo conceptu eius, reſpondendum eſſe cum Doctore, quod prius cognitum pro nunc ſit ſpecies. De quo amplius pono diſput,

d Theorl. 83.

Digitized by Google

Probo reſolutionem in his terminis, incipiendo à priori illa parte, ſic: ſingulare non eſt cognoſcibile propriô conceptu pro nunc à nobis, ergo nõ poteſt nec prius, nec poſterius eſſe cognitum, adeoquè non poteſt, ut dixi, fieri comparatio eius ad ſpeciem. Antecedens oſtendo, quia ſi cognoſceretur ſingulare pro hoc ſtatu ſecundum propriam rationem, cognoſceretur, ut diſtinctum à quolibet alio: (utique enim propria ratio eius non eſt communis illi cum ullo alio, alioquin non eſſet propria, ut patet.) Atquè non cognoſci ullum ſingulare ſic, patet experientiâ, nam ſi proponantur duo individua ſimilia ſucceſſivè v. g. duo ova, aut duo folia chartæ, neſciam ego utrum viderim duo, an idem bis &c. quæ differo in ſuum locum, interim tam ob iſtas alias, quam ob hanc ipſam rationem certa res eſt quod non cognoſcatur ſingulare pro hoc ſtatu ſub propriâ ratione; ſi autem non cognoſcitur jam non poteſt facere numerum, aut tenere ordinem cum illo cognito pro hoc ſtatu, quod fuit probandum.

2. Itaque ſi volumus vera fateri, nullatenus cognoſcimus pro nunc individuum in ſe; ſed ſolas ſpecies: conceptus enim quem formamus de Petro v.g. eſt quod ſit homo tante magnitudinis, talis coloris &c. ubi vides numerari tantum ſpecies plures accidentium: Nam neque ipſa hæc accidentia in individuo novimus, ſed in ſpecie ſolum, magnitudinem enim illam Petri non novimus, niſi ſecundum ſpecificam rationem magnitudinis: unde etiam poterit in Petro poni alia numero quantitas, nec ego diſcernam illam eſſe aliam. Ex quibus facile.

Probo alteram partem reſolutionis, quod ſcilicet prius noverim ſpeciem, quam individuum etiã confuſè, & impropriè cognitum, quia individuum hoc modo confuſè, & impropriè cognitum eſt tantum multæ ſpecies: certum eſt autem quod prius ego noſcam unam ſpeciem quam multas, quia in quolibet genere prior eſt unitas multitudine, cum hæc componatur ex illa adeoque. Vnum tantum.

Obiici poteſt contra hanc doctrinam, & eſt, quod ſi ſic cognoſcatur individuum, cum idem erit in cognitione mea ſpecies, & individuum, idem determinans, & determinatum, quod ſine dubio eſt incommodum, v. g. ſi ego cognoſcam Petrum eſſe tale individuum, quia eſt tantæ magnitudinis, tali ſcoloris &c. tum magnitudo erit apud me individuans, & determinans Petrum. Ex altera parte quandoquidem habeam conceptum ſingularis, ſeu individui de ipſa magnitudine, debeo habere determinantia ipſam, & ex his eſt ipſe Petrus; illa enim magnitudo apud me diſtinguitur ab aliis magnitudinibus quia hæc eſt huius obiecti ſcilicet Petri alia non ſed aliorum, Vbi vides Petrum determinare, & quaſi individuare magnitudinem, & rurſus magnitudinem individuare, & determinare Petrum. Reſpondeo hoc ita eſſe, per omnia., nec poſſe aliter fieri ob imperfectionem noſtræ cognitionis pro hoc ſtatu, cuius rationem à priori reddere non eſt valde facile; nam cum poſsimus ſaltem accidentia cognoſcere pro hoc ſtatu, cur non poſſumus ſaltem ſingularitates accidentium cognoſcere, tamen id non poſſe probat nimium experientia: Hoc tamen non obſtante ſolvo, quomodo idem non eſt determinans, & determinatum; quia figura v, g. vel magnitudo quando accipitur, ut ſpecies & determinata, accipitur ſe ſola, & ſe ſola determinatur: at verò non ſe ſola determinat; ſed cum aliis; non enim unum accidens individuat quidquam; ſed collectio multorum, ut notavit *Porphyrius* e Atque ita non eſt per omnia idem determinans, & determinatum e In Iſagog. cap. 1.

3. Excipi unum ſupra illâ univerſali doctrinâ, de eo quod nullum ſingulare attingamus proprio conceptu, & quod nullum tale ſit primum cognitum. Cuius exceptionis cauſa eſt iſta, quia exiſtimo quemlibet ſeipſum attingere conceptu aliquo modo proprio experimentali: & non tantum conceptu communi ipſi, & aliis individuis. Certum eſt autem, quod quiſque habeat magis proprium conceptum de ſe, quam de ullo alio (ex quo ſequitur, quod non tantum habeat communem conceptum de ſe) quia ſi proponatur mihi Petrus poteſt Divina virtute ſubſtitui alius tam ſimilis ei, ut ego neſciam num ſit idem Petrus, an alius. At verò non poteſt ſubſtitui mihi ullus pro me quin ego ſciam non eſſe me ipſum illum, qui mihi ſubſtitutus eſt: experior enim quando ſum, & quando deſum.

Quæ ratio probat mihi, quod reſpectu ipſius cognoſcentis primum cognitum non ſit ſpecies. Primum enim experitur quiſquis ſe eſſe ſeipſum, quam ſe eſſe in hac, vel illa ſpecie. Atque ita prius attingit individuum ſuum, quam ſpeciem. Et confirmari poteſt diſcurſus ratione propè ſumpta à voluntate certè enim prius amo meipſum, & magis quia ego ſum ipſe ego, quam quia ſum homo, alias æqualiter amarem me, & alios, quod non eſt verum, nec eſſe debet, ſive naturam ſpectemus ſive gratiam.

4 *Dico* ultimò reſpectu intellectus ſeparati propriè non eſt primum cognitum; utendo tamen terminis ut hactenus cum communi aliorum, primum cognitum eius eſt individuum. *Addo* non eadem neceſsitate cognoſci ab eo individuum & ſpeciem, ſed facilius contingere poſſe, quod talis ignoret individuum rei propoſitæ quàm ſpeciem.

Ratio primæ partis, quia talis intellectus puta Angelicus, vel animæ ſeparatæ, totum obiectum primò ictu intuetur, & comprehendit, adeoque reſpectu eius non eſt prius & poſterius. Quod quia certiſsimum eſt, proinde fit certum, quod ipſum etiam individuum obiecti primò intuitu videt, atque ita in ſenſu vulgi individuum eſt primò cognitum eius: quia nihil ante ipſum cognoſcit: per quæ patet concluſio, quoad duo illa puncta. Quoad additionem autem; Ratio illius eſt quia ſatis probabile eſt indivividuationem non includere perfectionem, ſed eſſe quid valde indifferens & veluti conditionem exiſtendi. Eo autem poſitô manifeſtè habetur, quod maiori neceſsitate cognoſcat agens intellectuale ſpeciem, quam individuum: quia nimirum ſpecies ipſa eſt quid nobilius individuo, atque ita fortius activum, & maioris virtutis motivæ potentiarum. Præterea etiam, quum obiecta debent producere perfectiſsimum effectum, (ut ſupra in primâ ratione Doctoris,) & ſpecies contineant perfectionem rei, individualia autem minimam aut nullam, facilius poteſt omitti cognitio individualitatis, quã ſpecificationis: unde ſi eſſet intellectus aliquis, qui non poſſet ſimul, niſi in octo gradus v. g. vel octo formalitates alicuius obiecti, in quo computatâ ſingularitate eſſent novem, ille talis cognoſceret ſpeciem obiecti, neſciret individuationem, quia una illa formalitas quam omittere debet eſt ſingularitas, non verò gradus ullus genericus, aut ſpecificus obiecti.

Obiicies

Objicies individualitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo in primis falſum eſt illam non includere perfectionem: deinde falſum eſt quoque quod ipſa poſſit potius omitti quam gradus ſuperiores, quum ſuperiores gradus non ſemper ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices: non enim eſt perfectio ſimpliciter ſimplex eſſe animal, quum animalitas includat plurimas imperfectiones. Antecedens autem in quo eſt vis argumenti probatur, quia individualitas, & ſingularitas in *Deo* invenitur; ipſe enim eſt ſummè unus, non genere, aut ſpecie; ſed numero ſeu individualiter. Deinde Deus eſt indiviſibilis, ſeu immultiplicabilis in plures, quod eſt ipſe effectus formalis ſingularitatis, ergo Reſpondeo; non aſſerui id de individuo, niſi probabiliter: ſtando tamen in aſſerto, ſolvo argumentum negando antecedens, vel diſtinguendo ſic. Individualitas in Divinis eſt perfectio ſimpliciter, ſimplex concedo, in creatis nego, Cuius cauſa reddi poteſt, quia in divinis individualitas, & unitas eſt prædicatum eſſentiale; in creatis non item; utrobique autem eſſentialia dicunt perfectionem, alia non item. Itaque individualitas in creatis videtur ſe habere, ſicut perſonalitas in Divinis, quæ quia eſt extra eſſentiam, eſt quid indifferens, & neque perfectionem, neque imperfectionem includit.

Agunt de hac materia.

PLato dialogo 4 de rep. *Ariſt.* 6. Topic. c. 2. 1. Phyſic. text. 3. & . . & 4. alibi Metaphyſicæ ac Logicæ *Avicen.* 2. Met. cap. 1. *Alens.* 1. Metaph. item 5. *D Thom.* 1. p. q. 85. *Ægid.* 7. Met. q. 1. *Alfons. Toletan.* 3. de Anim. q. 1. art. 3. *Thienens* 1. Phyſic. q 5 *Vicomercat* ad T. proœmial. *Theophil. Zimara* 2. de anim. text. 2. *Duran.* 2 d. 3 q. 7 *Ocham* 1. d. 3. q 5 *Apoll.naris* 3 de anim. q 13. *Burlaus* & *Marſil.* 1. Phyſic. *Ioan Maior.* . d. 3. q. 4. *Niphus* 1. Met. *Franciſcus Mayer Iacob Barg.* 1. d. 3. q. 2. *Ant. And.* 1 Met. q. 10. *Achil.* 1. Phyſic. *Hieron. Fracaſtor* 1. de intellect. *Picolomineus* in Philoſoph. Moral. grad. 5 c. 18. *Nichol. Cuſa* lib. de docta ignorantia & dialogo 3 *Rubius* 1. Phyſic. c. 1. q. 3. *Conimbr*, ibid. q. 2. *Caiet.* opuſc. de ent. & eſſ. in princ. *Capr* 1. d. 35. q. 4. ad 7. *Ferrar.* 1. contra Gent. c. 48 *Venet* & *Iauel* 1 Phyſic. *Paulus Soncin.* 6 Met. qu. 12. *Philip. Faber.* Theorem. 83 *Poncius* diſp. de anim. *Maſtrius* & *Bellutus* ibid. diſp. 6. q 8. *Ferchius* veſtigat. 8. *Sueſſan.* 1. Met. diſp. 11. *Zabarella* tit. de ord. intellig. *Ioann. Bapt Cantar.* quæſt. peripatet. 2. c. 1. *Raguſaus* diſp. peripatet 2. c. 6. *Perer.* lib 3 Natural, c. 13. & ex parte *Iul. Recup.* lib. 1. de Deo uno cap. 1.

APOLOGIÆ PROOEMIALES AD LOGICAM.

APOLOGIA PRIMA DE IPSIVS LOGICÆ NATVRA.

Actio I. Illuſtratur breviter nomen ipſum Logicæ.
Actio II. Vtrum Logica ſit ſcientia?
Actio III. Vtrum Logica ſit ars, & an pars Philoſophiæ?

Scot. q. 1. in Univerſ. Porphir. n. 2.

DIcendum quod Logica eſt ſcientia, quia quæ in ea docentur, demonſtrativè concluduntur, ſicut in aliis ſcientiis: Ergo ſciuntur, quia demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire. Sunt etiam in Logica omnia requiſita ad demonſtrationem, ut ſubiectum, & paſſio demonſtrabilis de ſubiecto per medium quod eſt definitio.

Idem lib. 1. Metaph. in expoſitione textus cap. 1. num. 16.

SEd talibus artibus repertis, & aliis pertinentibus ad neceſſaria vitæ, *quales ſunt artes mechanicæ, & aliquo modo omnes practicæ, aliis verò pertinentibus ad introductionem in aliis ſcientiis, quales ſunt omnes ſermocinales, ut Logica, Grammatica, & Rhetorica.*

ACTIO PRIMA.

Illuſtratur breviter nomen ipſius Logicæ.

.BREVIARIVM

Num. 1. *Ariſtoteles an uſus voce* Logica, *ſubſtantivè. Item an adiectivè?*
2. *Quid per ly* Dialectica *intellexerit?*
3. *Pars Topica an pars Logicæ?*
4. *Diviſio Logicæ in inventiuam, &* Indicativam *qualis*

1. DE hoc plura tradidi in Commentario Logicæ, qui periit: hic tantum attingam ea quæ in ſcholis percrebuerunt. Notant ergo aliqui *a* Ariſtotelem nunquam uſurpaſſe vocem *Logica* ſubſtantivè, ſed adiectivè tantum; adeoque nec accepiſſe nomen illud pro ſcientia, de qua in præſenti agitur. Deinde ex ſuo dicunt ly *Logica*, ſignificare partem Analyticam, ly *Dialectica* Topicam.

a Barthol Amicus, tract. 1.

De hac doctrina ſic cenſeo. Primo quidem concedo, non facilè inveniri, ubi Ariſtoteles uſus ſit voce *Logica* ſubſtantivè; ſed uſum eſſe adiectivè non item admitto, ſaltem non credo me cogi horum Authorum fundamentis; nam quod adfertur ex 1. Topic. 10. *Propoſitionum aliæ ſunt morales, aliæ Phyſicæ* αἱ δὲ λογικαί interpres non vertit aliæ *Logicæ* ut hi transferunt, ſed aliæ *rationales*; adeoque ex hoc & ſimilibus non habetur uſus adiectivus huius vocis *Logica* apud Philoſophum; vt omittam quod quantumvis ibi ly Logica poneretur adiectivè, tamen nihil faceret ad probandum nomen huius ſcientiæ eſſe aliquando adiectivatum, quin in Græco textu planè appareat ly Logicæ eſſe abſolutè appellativum nomen, non proprium, etiam derivativum, aut adiectivatum, ut ſic loquar.

2. Quoad alteram de nomine, Dialectica, controverti poteſt tum res ipſa, tum mens Ariſtotelis circa eandem. Res quidem eſt arbitraria, & dependens à bono placito hominum; ſed an invenerint illi fundamenta hoc nomen Dialecticæ attribuendi parti Topicæ? non equidem id credo ſi penitius rem examinemus. Moveor, quia nomen derivatum videtur originaliter ἀπὸ τοῦ λέγειν, inde præteritum medium λέλογα & hinc λόγος inde item tert. perſ. præt. paſſ. λέλεκται inde verbale, λεκτικὸς; & conſequenter λεκτικὴ, quod cum τὸ διὰ præpoſitione ſubſtantivè in propoſito coaleſcit, adeoque, ſi ſit diſcrimen inter partem analyticam, & topicam (ut revera eſt) non facile exprimi potuit per ly *Dialectica* præ ly *Logica*, cum ab uno etymo proficiſcantur. De Ariſtotele, iam dixi quod vocem, *Logica*, nec uni, nec alteri parti huius ſcientiæ attribuerit; fatendum tamen eſt, quod nomen *Dialectica* Topicæ parti appropriaverit, quia primo Topic. 1. opponit ſyllogiſmum Dialecticum demonſtrativo. *Dices* ſyllogiſmum etiam ſophiſticum opponi demonſtrativo: Ergo iam ex eo quod quidpiam opponatur demonſtrativo non ſequitur eſſe Topicum, cum poſſit eſſe ſophiſticum; Nego aſſumptum hoc primò, quia ſophiſticus non eſt ſyllogiſmus. *Deinde* quia Philoſophus opponit Dialecticum demonſtrativo ratione materiæ, at ſophiſticus non differt à demonſtrativo ratione materiæ, adeoque ſed quidquid de hoc ſit, Ariſtoteles ſeipſum expoſuit *capit. ſecundo* dicens *Per ea quæ ſunt circa ſingula probabilia, neceſſe eſt de ipſis illis tranſigere, Id autem proprium maximè peculiare Dialecticæ eſt.* Et ibidem comparat eam medicinæ, cuius eſt ex omnibus rebus remedia colligere, docetque medicum fungi ſuo munere, licet non ſemper ſanet, nec remedia efficacia adhibeat; quam doctrinam repetit primo Rhetor. 1. intelligens quod ſimiliter Dialectici munus ſit adferre rationes, quæ in omni genere ſuadere poſſint, licet non perſuadeat, quod erat dicere, illius eſſe adferre Topicas, ſeu probabiles rationes, atque ita Dialecticam, & Topicam pro ſynonimis habet.

Ariſt.

3 Meus ſenſus (ſi cui liber audire) eſt quod nec hoc, nec aliud nomen Logicæ debeat appropriari parti Topicæ; nempe exiſtimo partem Topicam, non eſſe partem Logicæ, ſed ad quamlibet potius aliam ſcientiam, quam ad Logicam pertinere. Moveor quia Logicæ objectum & finis eſt forma argumentandi: Topicæ autem materia. Eſt enim pars Topica ſeminarium quoddam argumentorum, & mediorum ad probandam quamlibet propoſitam quæſtionem in utramque partem: unde etiam dicuntur ſedes & loca Topica, ut à conjugatis, à cauſis, à ſimilibus, oppoſitis &c. quæ ut dixi, materiam ſyllogiſmi concernunt, adeoque omnes omnino ſcientias: in particulari autem non Logicam, ſed Rhetoricam potius, quæ per huiuſmodi argumenta conatur fidem facere. Vnde etiam in hac parte laboraverunt Oratores quàm maximè exponentes, & illuſtrantes commentarijs hæc Topica, quod fecit M. Tullius ad *Trebatium*, Fabius Quintilianus *lib 5 Inſtit*. nam ut egregiè *Ludoicus Vives partem hanc de Dialecticâ inventione, & Rhetores avidè occupauerunt tanquam ſuam, & Dialectici verecundè ceſſerunt tanquam alienam, non id recenti vitio, ut alia permulta, ſed ex Stoycis ipſis factitato, qui Philoſophorum omnium acerrimi ſunt Dialectici exiſtimati.*

M. Tull. F. Quintil. lib. 5. in cenſ. oper. Ariſt.

4. Ex his reprobandam vides diviſionem illam Logicæ ab antiquis uſurpatam in Inventivam, & judicativam: intellexerunt enim per inventivã Topicam

picam, per Iudicativam Analyticam partem. Cum tamen inventiva illa prorſus non ſit Logica: ſed enim prior error non potuit eſſe ſolus. Eſt autem non minus abſurda diviſio, quam ſi quis dividat Logicam in Rethoricam, & Logicam, quæ omnia hactenus patent. Sit ergo.

ACTIO SECVNDA

Vtrum Logica ſit Scientia.

BREVIARIUM.

Num. 1. *Quæſtiones proœmiales Logicæ, an Logicæ Acceptiones ſcientiæ?*
2. *Logica naturalis, & artificialis quid?*
3. *Concluſio reſolutiua, & affirmatiua, probatur.*
4. *Examinatur probatio communis huius.*
5. *Aliæ duæ rationes pro ipſa.*
6. *Prima obiectio. Ens rationis an neceſſarium?*
7. *Altera obiectio. Ratio practica an puguet cum ſcientia?*
8. *Tertia. Quomodo ante Logicam data ſit demonſtratio.*
9. *Quarta, & ad ipſam quinque ſolutiones.*
10. *Duo adhuc obiecta concluſioni. An Mechanicæ facultates ſint ſcientificæ?*
11. *An demonſtrationes Logicæ laborent vitio alicuius præmiſſæ contingentis.*
12. *Num hæc quæſtio ſit Nominalis?*

1. FAtendum eſt hanc & alias prolegomenas quæſtiones quæ de Logica ventilantur, importunè huc intrudi, nec pertinere prorſus ad hunc locum, aut facultatem: nulla enim ſcientia eſſe poteſt quæ ſe ipſam pro obiecto habeat: atque adeo quæſtiones de natura alicuius ſcientiæ ad aliam ſcientiam pertinebunt: & ſicut datus eſt à natura animali ſenſus communis qui de obiectis, & actibus particularium ſenſuum judicet, ita conſtituenda fuit aliqua ſcientia quaſi univerſalis, quæ hanc proſegomenam inquiſitionem de particularibus inſtitueret: ſed enim cedendum eſt tempori: ſic agendum eſt, quia ſic agitur.

Vt reſpondeam quæſito, moneo me velle propriè intelligi, & extra æquivocas, ac latas acceptiones ſcientiæ: nempe ſcientia ſubinde accipitur, pro quacunque cognitione, ſive certa, ſive incerta; ſive evidenti, ſive obſcura, ſive diſcurſiva, ſive non, ut quum accipitur pro intellectu, ſeu habitu principiorum, pro fide aliquando, itemque pro opinione, quæ tamen in ſe opponuntur cognitioni ſcientificæ, tantum abeſt ut coincidant cum illa. Accipio ergo ſcientiam hic propriè, ut eam *Doctor Subtilis*, & ex eo *Amicus a* hic deſcri-
12. q.4. pſit, qui ſcilicet ſit: (habitus cognitivus veri neceſſarii ex principiis neceſſariis ineſſe, & inferri) Aliter (Notitia certa, & evidens per diſcurſum adquiſita de obiecto neceſſario:) In quibus breviter poſita ſunt tum conſtituentia ſcientiam, tum etiam diſtinguentia ipſam ab aliis cognitionibus, nam nec opinio, nec fides humana eſt certa; Divina fides eſt certa, at non evidens; notitia principiorum eſt quidem certa & evidens: ſed non per diſcurſum acquiſita.

2. Moneo ſecundò loqui me de Logica artificiali, & nullatenus de naturali, quæ eſt vis, innata intellectui hominis, per quam ratiocinari, ac diſcurrere poteſt: Hæc enim non poteſt eſſe ſcientia, cum non ſit habitus aut qualitas, ſed ſubſtantia, & entitas ipſa intellectus. In qua tamen ratione nolo negotium fundare; ſufficit quæſtionem eſſe de aliquo accidentali, & acquiſito, qualis non eſt Logica naturalis, ſed ſola artificialis. Hanc pro nunc ſufficit ruditer adumbrare deſcriptione aliqua remota, quod fecit *Boetius lib. de Doctrina Scholar.* dicens, quod ſit *Severin. Boetius.* ratio diſcernendi verum à falſo; vel paulò aptiùs; quod ſit: Scientia tradens regulas certò diſcernendi: aut etiam; dirigens omnes tres operationes intellectus, ut ſine errore fiant. Agimus autem de Logicâ ſine dubio quam habemus, ſive de ea quæ continetur libris illis Porphyrij, & Ariſtotelis qui nunc dierum in ſcholis traduntur, id eſt Iſagoges, Perihermenias, Analyticorum, & Elenchorum: Nam Prædicamenta ad Metaphyſicam, Topica ad Rhetoricam ſpectant. De hac ergo ſic ſumptâ, hactenus ſemper habitæ ſunt in ſcholis lites ingentes, dum Græci Latinis repugnant ut tradit *Lalem. b* & ante eum Zabarella, *c* & videtur quaſi traditio per manus accepta: ſed immerito; nam pars negativa, quæ imponitur Græcis non eſt omnium; ſed nec potiſſimum. Nam Plato lib. 7. de Repub. docet *Dialecticam eſſe omnium ſcientiarum apicem* (quid amplius expectes?) cæteraſque diſciplinas & ſi propter conſuetudinem ſcientiæ dicantur, ſi tamen cum Dialectica conferantur non eſſe ſcientiarum nomine appellandas, *b Diſp. 3. partit. q. 3. c Lib. 1. de natur. Logic. Plato.* & Ariſtoteles 1. Priorum initio expreſsè docet Analyticam partem eſſe demonſtrativam. *Ariſtot.* Idem videtur ſenſiſſe Plotinus inter Platonicos præcipuus, quibus non habet pares Græcia, *Plotin.* adeòque non rectè videtur citari tota in oppoſitum: ſufficit affirmantem partem, quæ eſt Scoti, eſſe Latinorum fere omnium, quod ideò addo, quia ex his ipſis negant id Ægid. Rom. *d* Zabarella, *e* Balphoreus, *f* Petrus Niger &c. *g* contra quos. *d Lib. 1. de natur. Log. e in Logic. q. 5. penicil. f In Clipei. g Timar. in Tabul.*

3. Dico primo Logicam artificialem eſſe vere ſcientiam, imò præ omnibus talem niſi fortè Metaphyſica præcedat. Hæc eſt Doctoris noſtri *Subtilis*, locis in themate citatis, & ante eum *D. Auguſtini* in principio Dialecticæ, qui quoad hoc ſententiam Stoicorum approbavit. Eſt etiam Aquinatis & (ſicut dixi) Latinorum *c* ferè omnium. Ad quam confirmandam præſumere opportet ex infra dicendis, diviſionem Logicæ in docentem, & utentem, hâc enim concluſione reſpondeo de Logica docente, & probo. Scientia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus. In Logica plurès ſunt demonſtrationes per quas ipſa acquiritur; ergo Logica eſt ſcientia, & quidem propriè dicta, talis eſt enim illa quæ acquiritur per demonſtrationem, ut ſupra. Major jam oſtenſa eſt, minor autem probatur aſſignando ipſas demonſtrationes per omnes partes Logicæ, & quoad omnia inſtrumenta ſciendi. Hæc enim quæ eſt regula Logicalis ex 1. Topic. 4. Definitio debet conſtare genere & differentia; demonſtratur hoc modo. Oratio explicans rei eſſentiam debet conſtare genere, & differentia eius: Definitio eſt oratio explicans naturam rei, ergo debet conſtare genere, & differentia & idem eſt de aliis regulis eiuſdem, ut quod debeat converti cum definito: Quod debet eſſe ipſo notior &c. quæ tangit Ariſtoteles 6. Topic. 1. 2 & 3. Præterea de diviſione, quæ eſt alterum inſtrumentum ſciendi demonſtrantur ipſius præcepta, ut: quod ſingula membra dividentia minus contineant, quam diviſum, omnia autem ſimul ſumpta æquent diviſum; & alia, quæ omitto quia non æquè ſpectant ad Logicam, ſicut argumentatio, de qua plurima demonſtrantur, maximè de ipſa demonſtratione, quod debeat conſtare ex propoſitionibus per ſe, & ſecundum quod ipſum &c. quia debet generare ſcientiam. Item de ipſo Syllogiſmo in communi, qui propriè ad Logiam ſpectat, demonſtrantur regulæ omnium figurarũ, ut quod ex Minori negativa nihil inferatur in tertiâ figurâ; & quod, in illa non poſſit eſſe concluſio univerſalis licet utraque præmiſſa fuerit talis. Reductio item modorum imperfectorum ad perfectos tam oſtenſiva, quam per impoſſibile. Denique etiam ſimplicium propoſitionum converſio &c, ideò ad propoſitum faciunt, quia in qualibet parte Logicæ inveniuntur. Sicut enim in Analytica probatur, demonſtrativus ſyllogiſmus generare ſcientiam, ita in Topicis demonſtratur Dialecticus generare opinionem, & in Elenchis, quod Sophiſticus generet errorem.

c Bott. in dit. 1. in Porphyr. Ægid. initio prior. Alb. tra 1. prædic c 1. Ant. Ant. Mauric. Tartar. & c. i. f. a Poſc. diſp. 2. q. 7.

Ariſt. 1. Topic 4.

4 Hæc ratio mirum eſt quam multis placet qui eâ ſolâ putant rem eſſe confectam, ut nihil ultra deſideretur. Ita quotquot concluſionem tradunt, omnes hanc probationem adhibent, recentes maxime tam noſtræ, quam neutralium ſcholæ. *d* Fonſec. *e* Conymb *f* Rub. *g* Maſtr. *h*. Ponc. & alii quot exercitum conſcriberent. At enim neſcio num tanta vis inſit huic rationi, aut num concluſioni ſufficiat. Hic enim lis eſt inter ſcientiam & opinionem, quænam ex illis debeat ſub ſe Logicam habere: Illi autem Authores probant eam ſub ſcientia reponendam, quia habet aliquas concluſiones ſcitas, quod non ſufficere aſſertioni eorum ſic oſtendendo. Nam non eſt idem habitum aliquem continere in ſe concluſiones aliquas huius generis v. g. ſcientificas, & eſſe talem puta ſcientiam, alioquin unus habitus eſſet in multis ſpeciebus; v. g. in ſpecie intellectus, in ſpecie ſcientiæ &c. quia nimirum unus habet aliquas cognitiones in quolibet genere horum: habet enim aliqua prima principia, quæ ſpectant ad intellectum, aliquas concluſiones, quæ ſpectant ad habitum ſcientiæ: Non audent conſequens concedere iſti Authores, quorum tamen aliquis confidenter dicit per hoc, concluſionem eſſe evidenter probatam, quia ut aliqua facultas dicatur ſcientia propriè dicta ſufficit quod ad ipſam pertineant aliquæ huiuſmodi notitiæ, quod ſi aliquis requireret ullam aliam conditionem non erit cum ipſo (inquit) niſi quæſtio de nomine. Egregiè ſanè, quaſi non poſſet etiam ægidius, aut aliquis Græcorum totum id ad ſe trahere, & dicere quod ſufficiat ad hoc ut Logica ſit opinio, quod habeat aliquas opiniones, & ſi quis id neget non fore cum eo, niſi quæſtionem de nomine. Cur enim quæſo ſufficiet ad ſcientiam, non ſufficiet ad opinionem huius debuit ratio aliqua adſerri, quod hic non fecit.

d 1. Met. c. 1. e q. 1. Proœm. f quæſt. 2. Proœm. g ar. 4. Diſ. 2. Logic. h diſp. 2. de Nat. Log.

i Io. Ponc. diſp. 2 Log. q. 1.

Ego autem adſero in contrarium rationem, nam non ſolum inveniuntur in Logica concluſiones aliquæ probabiles tantum, aut opinativæ, ſed plurimæ, & multo maiori numero, quam ſcientificæ, atque ita conſequentia illa huc tracta in oppoſitum, non ſolum erit à paritate; ſed à fortiori. Antecedens ipſi admittunt: Conſequentiam etiam admittere debent. Vtique enim demominatio ſumenda eſt à maiori parte nam Æthiops dicitur abſolutè niger, licet ſit albus ſecundum dentes, & materia conſecrationis, quæ in calice apponitur, cenſetur abſolutè vinum, licet habeat parum aquæ admixtum: & alia ſexcenta; quæ omnia confirmantur per regulam juris, quod *maior pars trahat ad ſe minorem*.

k C. 1. de his quæ fiunt à maiori.

Redeo etiam ad primum conſequens, & abſtraho ab eo, an maior pars cognitorum Logicalium ſit opinativa, imò do eam non eſſe talem; ſed numero pares cognitiones ſcientificas, & opinativas; adhuc neſcio an valeat illa conſequentia, quod Logica abſolutè ſit ſcientia: Ratio mea; quia melius eſt eſſe ſcientiam, quam eſſe opinionem, adeòque plus requiritur, ut habitus aliquis ſit ſcientificus, quam ut ſit opinativus. Quod ſi verum ſit, patet in noſtro caſu Logicam, non poſſe dici ſcientiam, ſcilicet poſito pari numero ſcientiarum, & opinionum. Imò adhuc tertiò ſtando in eodem puncto & concedendo plures eſſe cognitiones ſcientificas, quam opinativas, non tenebit illa ſequela: quia nimirum bonum ex integra cauſa; malum autem ex quolibet defectu, quod docuit Dion. & omnes ex eo receperunt. Vnde homo dicitur abſolutè corporeus, licet habeat alteram, & meliorem partem ſui ſpiritualem: Si ergo homo, & cætera non ducunt denominationẽ à parte potiori, cur Logica ducet, & ſi non ducit, quomodo dicenda erit ſcientia à cognitionibus ſcientificis, quas habet, & non potius opinio ab opinativis. Exiſtimo tamen Logicam eſſe adhuc ſcientiam, & hanc rationem valere ad id probandum, ſi rectè tractetur, quod præſto in hunc modum, vt ſcilicet Logica ſit & dicatur ſcientia propter concluſiones demonſtratas, licet non omnes tales habeat; Quia nimirum eas ſive tot demonſtratas habet quæ ſufficienter ipſam integrant, hoc eſt, quia omnia inſtrumenta, & Regulas quas tradit ad vitandos

l Lib. de divin. Nom c. 4. c. 4.

dos errores in acquirendis ſcientiis ce to, & ſcientificè probat. Id autem ſi fiet, jam Logica eſt ſcientia, quia Logica eſt ſolum illa inſtrumenta, & illæ regulæ, ſive ſolum eſt ille tractatus, qui oſtendunt, & probant illas regulas, & eiuſmodi inſtrumenta ſciendi. Alia quæ adhibentur conducunt quidem ipſi, ſed non integrant eam ſaltem eſſentialiter non componunt illam Exemplum eſt animal, quod ſine dubio idem ſpecie, & numero eſt quum pingue ac ſucculentum eſt, & quum eſt ex tenuatum, quia pinguedo illa non erat de ſubſtantia, aut eſſentia animalis eius, ſed ſolum illud quod remanſit in extenuato, & macro. Ita enim alia quæ adduntur ſingulis diebus Logicæ, ſunt quodam quaſi adeps, & ſucculentia eius; cuius eſſentia, ut ſic dicam, conſiſtit in tractatibus illis qui purè concernunt inſtrumenta ſciendi, puta definitionem, diviſionem, ac ſylogiſmum, & eorum regulas. Hanc hujus argumenti vim attigit *Doctor ſubtilis* illis. *m Dicendum quod Logica eſt ſcientia, quæ enim in ea docentur demonſtrativè concluduntur*: Hoc eſt, illa quæ ex profeſſo docet ſcilicet regulæ ſciendi, arguendi &c.

m q 4 prædicab. n. 2.

Adferuntur aliæ probationes ad id ipſum.

5 IN hoc genere ſemper magnifeci hanc probationem, quæ ſit ſecunda ordine. Aliæ facultates ſunt ſcientiæ: ergo Logica. Exemplũ antecedentis eſt Phyſica Metaphyſica &c. Pro batio conſequẽtiæ quia niſi Logica ſit ſcientia illæ aliæ non poterunt eſſe, quod ſic evincitur. Ad habendam veram ſcientiam de aliquo debet non ſolum cognoſci veritas aſſumptorum, ſeu præmiſſorum; Sed valor conſequentiæ; ita ut quemadmodum præcognoſci debet de præmiſſis, quod ſint neceſſariæ veritates, ita etiam de conſequentia ſciri debet, quod ſit ineffabilis; ſed hæc cognitio conſequentiæ eſt Logica: ergo jam Logica eſt cognitio infallibilis; atqui non eſt infallibilis infallibilitate principiorum, cum doctrina eius non ſit ex terminis nota: ergo infallibilitate principiorum ſcientiæ. Qui diſcurſus non convincit directè, & proximè quod Logica ſit ſcientia, ſed duntaxat quod ſit certa, id autem ſufficit; nam non poteſt eſſe certa, niſi ſit aut ſcientia, aut ſapientia, vel intellectus. At verò intellectus non eſt quum regulæ eius non ſint prima principia (de talibus enim eſt intellectus, qui eſt habitus principiorum) erit ergo ſcientia, ſeu habitus concluſionum.

Dici poteſt, hoc argumento convinci quidem quod detur Logica, quæ ſit cognitio infallibilis, at verò nondum probatam eſſe concluſionem, quod ſcilicet Logica artificalis ſit infallibilis, aut ſcientia, prætendi enim poteſt Logicam, quæ eſt infallibis cognitio eſſe Logicam naturalem illa enim ſine dubio oſtendit valorem conſequentiæ quæ ratio confirmatur; nam niſi hoc concedatur Logicæ naturali, neque artificiali concedi poteſt, vel ſi concedatur debet infinitis artificialibus concedi: ad unam enim requiretur alia & ad ſecundam tertiã, & ſic in infinitum: nam valorem huius coſequentiæ cognoſco per aliam conſequentiam, & huius per aliam &c. in infinitum, niſi dicamus hæc omnia ſciri per Logicam naturalem, cuius valor non debet præcognoſci: ergo dicendm eſt, quod illa ſit quæ hæc omnia præſtat, & de qua conſequenter procedit hæc ratio, ut probet eam eſſe certam, & infallibilem in agendo; non verò de Logica artificiali.

Reſpondeo non poſſe hanc rationem currere de ſola Logica naturali, quia nimirum conſequentiæ Logicæ, & regulæ earum non ſunt omnes ex terminis, ſive lumine naturæ nota: adeoque cognitio huiuſmodi regularum, quam totam probavimus eſſe ſcientiam, non poteſt eſſe Logica naturalis, quæ eſt lumen ipſum naturæ. Antecedens patet experientia omnium, quibus multæ conſequentiæ ſecundæ, & tertiæ figuræ non ſunt evidentes, & reductio illarum ad evidentes primæ figuræ non ſolum non eſt ex terminis nota; ſed etiam vix capitur à pleriſque etiam poſt ipſam Logicam artificialem. Poteſt tamen hæc replica verti in rem noſtram, & per eam.

Probari concluſio tertio ſic. Logica naturalis eſt ſcientia, ſive eſt cognitio infallibilis diſcurrendi; ergo artificialis eſt; Probo conſequentiam, quia artificialis eſt ipſa naturalis in alia materia, ipſa enim dictamina Logicæ naturalis reducta ad actum ſecundum faciunt nobis Logicam artificialem ſumpta ſcilicet cum ijs, quæ ex ea proximè, & evidenter lumine ipſo naturæ ſequuntur: ſi ergo naturalis eſt ſcientie ſeu infallibilis, non poteſt artificialis non eſſe talis: ſicut ſi fieret clavis ex auro, & alia eiuſdem formæ ex ligno: certè ſi clavis aurea eſſet legitimè facta, etiam lignea foret, quia differunt penes materiam. Ita iſta; Nam Logica naturales artificialis dicit totam cognitionem Logicæ naturalis reductam ad actum ſecundum, & differt, quod naturalis ſit ſubſtantia, eo quod ſit entitas ipſa intellectus; artificialis autem ſit accidens, & habitus &c. Hanc verò infallibilitatem non habent cognitiones ab entitate, ſeu à materiâ quâ conſtant, nam aliquæ cognitiones infallibiles ſunt ſubſtantia, ut divinæ aliæ accidentia, quales ſunt omnes noſtræ.

Aſſeruntur, & refelluntur argumenta in oppoſitum.

6. OPpoſitum enim huius plures tenuerunt, ſed nec uno modo omnes, nec eodem fundamento. Aliqui tenent Logicam non eſſe ſcientiam; Sed artem. Alii neutrum, ſed novum habitum inſtrumentalem, alii alia pro quibus. Objcies primo (ne ſit ſaltem ſcientia) nempe ſcientia eſt de neceſſariis, Logica non, ſed de contingentibus, quum ſit de entibus rationis, quæ ſunt factibilia à nobis, ut etiam defectibilia ſunt, ſive omitti poſſunt. Reſpondeo majorem eſſe falſam: nec enim objectum ſcientiæ debet habere neceſſitatem incomplexam, ut vocant, quæ ipſum

Digitized by Google

ipſum determinet ad exiſtendum ; ſed ſufficere complexam , quæ conſiſtit in neceſſariæ connexione prædicatorum eius inter ſe , qualem habent etiam entia rationis. Et profectò mirum eſt quempiam huic fundamento niti contra Logicam , quia (ſi quid valet) non modo Logica ; ſed nec Phyſica aut Metaphyſica eſſent ſcientiæ , ſed ſola Theologia , quia nimirum nulla ex his habet obiectum neceſſarium neceſsitate illa incomplexâ exiſtendi.

Poteſt tamen inſtaurari argumentum hoc modo. Nam obiecta ſcientiarum debent habere ſaltem illud eſſe complexum , ſeu eſſe eſſentiæ: atqui obiectum Logicæ (ſuppono enim hoc dicendum eſſe ens rationis) tale non habet : quod ſic evincitur : nam aut habet illud eſſe à ſe, & hoc non ; quia tum haberet tam ſolidum , & tam æternum eſſe, quam ens reale, ut vides: aut ab ipſa ratione , ſeu intellectu, & hoc non, quia antequam fiat actualiter ab intellectu, nullum eſſe ab eo accipit : non enim habet eſſe aliquod : propterea quod intellectus poteſt ei illud dare , alias etiam haberet non eſſe , quia etiam intellectus poteſt non dare ei eſſe ullum , & ita ut nullum eſſe habet , aut habet ſimul eſſe , & non eſſe; non poteſt autem ſimul habere eſſe , & non eſſe, quum hæc ſint contradictoria : ergo denique nullum eſſe habet. Reſpondeo primo liberè id ſupponi eſſe obiectum Logicæ, infra enim oſtendam oppoſitum , ſed admiſſa ſuppoſitione nego huic minorem. Et ad probationem dico ens illud rationis habere eſſe eſſentiæ à ſe in genere cauſæ formalis ; nec proind eſſe tam ſolidum , aut verum ens, quam eſt ens reale ab æterno : ſicut enim ens reale in eſſe exiſtentiæ excellit ipſum ſumptum ſimiliter in eſſe exiſtentiæ, ita excellit illud in eſſe exiſtentiæ ſumptum ſimili proportione. Inſtari tamen poteſt , quod ens rationis in quocunque eſſe, ſit tantum metaphoricè, & ſecundum quid ens : ergo ſcientia de eo non poteſt eſſe niſi ſecundum quid, & abuſivè ſcientia . ratio , quia menſura ſcientiæ eſt obiectum, ut notum

n Cap. 15. tex. 20. eſt ex 5 *Met.* n adeoque Logica cuius obiectum eſt ens tantum ſecundum quid , non poteſt eſſe ſimpliciter ſcientia. Ita aliquis: o

o *Ioan. Laleman. diſp. 3. partit. 3. in Deciſ. num. 16.* Sed intempeſtivè planè nempe hic agitur de ratione ſcientiæ in Logicâ , quatenus ſcientia opponitur opinioni, ita ut ſi fortè Logica non probetur ſufficienter eſſe ſcientia , iam incidat in claſſem opinionum, aut artium. At verò ſive ſit ars, ſive opinio debet eſſe realis , & diſcurſus jam factus æquè probat, quod non ſit ars, aut opinio, ac quod non ſit ſcientia. Hæc ergo, & ſimilia probant quod Logica non ſit realis, non verò quod non ſit ſcientia , abſtrahimus autem hic ab entitate Logicæ, & quærimus de formalitate eius , planè ſicut dixi de clavi, in quâ faber conſiderat ſolam formam, alius autem (puta Phyſicus .) expendit materiam, an ſit ſolida nec ne: poteſt enim vtroq; modo ſe habere. Ita Logica etſi (per impoſsibile) in entitate ſua eſſet tantum ens rationis , poſſet adhuc eſſe ſcientia.

7. Objicies 2. Logica eſt practica , ergo non ſcientia, ſuppono antecedens, & probo conſequentiam qua toto genere differunt practicum & ſcientia; actus enim ſcientiæ eſt ſcire , actus praxis eſt facere , quæ non coincidunt : nullum enim facere eſt ſcire , alias irrationabilia , etiam inanimata ſcirent : nec ullum ſcire eſt facere, tum quia ſcire præſupponitur ad facere, tum quia ſeparantur actu ſæpiſſimè iſta, imò ferè ſemper, quum magis docti, ſint minus factivi, & potentes , & certiſſimum ſit nos plurima ſcire quæ non poſſumus exequi. Vrget aliquis hoc argumentum, quia factio, & praxis verſatur circa ſingularia ; non poteſt autem ſcientia eſſe de ſingulari, ergo. Probatio majoris, quia univerſales naturæ non poſſunt fieri, aut deſtrui : Minoris , quia nulla paſſio primo ineſt ſingulari : ergo. Reſpondeo hic eſſe uſum illius diſtinctionis Scoti p de actu exercito , & ſignato. In forma ergo p q. 14. univerſal. ad ultimum hoc diſtinguo majorem Praxis aut factio in actu exercito non verſatur niſi circa ſingulare : concedo in actu ſignato nego : Sicut etiam ſcientiæ ſunt quæ primo veluti dogmaticè habentur de univerſali ; tamen exercitium earum non fit niſi in aliquo individuo v. g hoc omne corpus eſt corruptibile, eſt concluſio ſcientifica procedens de corpore univerſali, & tamen paſſio ibi illata non poteſt unquam actu coniungi cum corpore univerſali de quo prædicatur. Dicuntur ergo de univerſalibus , ſed exercentur in ſingulari , Sic doctrina de conſtructione , & deſtructione poteſt benè tradi de univerſalibus, licet nō poſsit conſtructio exerceri niſi in ſingularibus. Primò neceſſariò debet ſic tradi, quia ars non docet hanc numero domum conſtruere ; adeòque non debet tradi per terminos ſingulares. Quanquam argumentum non poſcat totam hanc ſolutionem : aliud eſt enim conſtructio , aliud doctrina conſtructionis , conſtructio debet eſſe circa ſingularia ; ſed doctrina poteſt tradi de univerſalibus.

Ad primam autem rationem dubitandi nego antecedens , & iterum nego conſequentiam , & differendo primam ſolutionem in locum ſuum infra, proſequar ſecundam , & dico praxin, & ſcientiam differre; atque etiam opponi ; practicum autem, & ſcientiam non item, ſed convenire in unum , tanquam contrahens, & contractum , alias quomodo dividentur ſcientiæ in practicas , & ſpeculativas ; quomodo Ethica , quomodo ſcientia ipſa erit practica?

8. Obiicies 3. ſcientia acquiritur per demonſtrationem , Logica non acquiritur , ergo non eſt ſcientia. Minor probatur , quia ſi Logica acquireretur per demonſtrationem deberet Logica ante Logicam dari , hoc utique eſt abſurdum , ſic enim deberet dari infinitas quædam Logicarum : ergo. Ratio ſequelæ , quia illa demonſtratio per quam acquiritur Logica per Logicam habetur , quum ſit ipſius obiectum , & conſequenter à nulla alia doceri poteſt. Iam ergo ante omnem demonſtrationem debet eſſe Logica. Aliunde etiam ante omnem Logicam eſſe debet demonſtratio ſit Logica, ſit ſcientia , quia omnis ſcientia eſt per demonſtrationem : negandum eſt ergo Logicam eſſe ſcientiam , quum aliter non poſsit vitari hic infinitus circuitus , & alternatio Logicarum , ac demonſtrationum. Reſpondeo vitari aliter poſſe , ac debere : Dico ergo ante omnem Logicam demonſtrationem eſſe Logicam , at non artificialem, ſed naturalem. Hæc ergo Logica cognita eſt demonſtratio per quam genita eſt Logica artificialis , atque ita non eſt infinitas ille circuitus Logicarum, & demonſtrationum ; ſed aſsignabilis eſt prima demonſtratio , & prima Logica; adeoque nihil metuendum ab hac infinitate , quæ plerumque incautos aliquos terrent. Expectentur etiam ſi placet, dicenda infra Apologia quinta Act. 6. numero 3. ubi res redit.

Adſe-

Adſeruntur, & ſoluuntur adhuc alia argumenta.

9. OBijcio adhuc 4. In actibus, ſeu demonſtrationibus aliarum ſcientiarum interuenit Logica: atqui aſſenſus habitus per demonſtrationem eſt tantum vnus, & quidem pertinens ad ſcientiam in cuius maetriâ exercetur: ergo Logica non eſt ſcientia; quia non habet actum ſcientificum: ſi enim ibi eſt tantum vnus actus ſcientificus qui eſt alterius ſcientiæ actus, & tamen eſt ibi actus Logicæ, ſequitur actum Logicæ non eſſe ſcientificum. Reduco theoriam hanc ad praxim hoc ſyllogiſmo. Omne generabile eſt corruptibile, omne mixtum eſt generabile: ergo omne mixtum eſt corruptibile. Hic inquam aſſenſus ſcientificus eſt tantum vnus, ſcilicet ille concluſionis, quæ tamen non eſt Logica, ſed Phyſica, & tamen hic interuenit opus Logicum: ergo denique opus eius non eſt ſcientificum. Reſpondeo tamen primo hoc, argumentum non probare quod Logica abſolutè non ſit ſcientia, ſed quod non ſit ſcientia ab alijs diſtincta: vnde reſpõderi 2. poteſt per hoc potius probari, quod ſit ſcientia, conatur enim argumentũ probare quod coincidat Logica cum alijs facultatibus v.g. cum Phyſica, Metaphyſica, &c. quas certum eſt eſſe ſcientias. Reſpondeo 3. nec hoc ipſum probare, quia Logica adhuc poteſt eſſe ſcientia in propriâ materiâ. Reſpondeo 4. argumentum omnino non eſſe ad rem; vt enim ſupra monui, hic quæritur de ratione ſcientiæ, quæ opponitur arti aut fidei &c. atque ita vt excluderetur Logica à ratione ſciẽtiæ, deberet ipſi relinqui ratio artis, vel opinionis &c. At verò hoc argumentum æque probat, quod non ſit ars, aut opinio, ac quod non ſit ſcientia, quia etiamſi ſit ſyllogiſmus probabilis in materia aliarum facultatum, actus concluſionis pertinebit ad facultatem in cuius materia fit. Reſpondeo 5. & vltimatè negando in forma Minorem, eſt dicere, quod in qualibet demonſtratione habeantur plures aſſenſus etiam ſcientifici, & illatiui; unus conſequentis, qui pertinet ad facultatem illam in cuius materia exercetur demonſtratio, & in propoſito noſtro eſt Phyſicus ille ſcilicet [omne mixtum eſt corruptibile]. Alius eſt aſſenſus conſequentiæ, qui pertinet ad Logicam, & dicit ultimam illam propoſitionem in ſyllogiſmo ſequi ex prioribus, ſive, ideò eſſe veram quia præmiſſæ ſunt veræ. Itaque in illa concluſione, quæ videtur eſſe vna propoſitio, ſunt duæ; una eſt ipſa quæ exprimitur, ut in propoſito. mixtum eſſe corruptibile, altera quæ importatur per ly ergo, & dicit ſequelam eſſe legitimam, quæ propoſitio quia eſt ſcientifica, & pertinet ad Logicam, ſequitur Logicam eſſe ſcientiam.

10. Habeo tamen alia duo, quæ opponam: unũ eſt contra concluſionem, & maximè contra probationẽ eius ex Scoto, quæ vult logicá eſſe ſcientiã, eo quod habeat tria illa ſubiectum, paſſionem, & principia: facit etiam contra primam rationem noſtram ſupra deſumptam, ex eo quod Logica habeat aliquas demonſtrationes: nam nec hæc omnia ſufficere probat hoc argumentum. Facultates mechanicæ, nunquam hactenus ab ullo dictæ ſunt ſcientiæ, quin expreſſe fuit hoc illis ſemper negatum, & tamen quædam illarum habent omnia illa, & ipſas demonſtrationes aliquando: nam ferraria v. g. ſive illa quæ cudit gladios, & cultros, habet obiectum, puta ipſum cultrũ qui habet paſſionem, puta poſſe ſecare, quod ille faber demonſtrat illi inſtrumento ineſſe per medium talis figuræ ſcilicet aciei, & tenuitatis &c. præſuppoſita ſoliditate materiæ. Confirmo quia faber poteſt reddere rationem, cur ipſe cultros faciat eo modo, quo videmus eos fieri, dicet enim ſe feciſſe unam extremitatem ferri ſubtilem, ut illud ſua acie facilius penetraret corpus ſcindendum; alteram autem reliquiſſe craſſam, vt hoc ſequens à tergo extremitatem ſubtilem, maiorem redderet hiatũ in corpore diuidendo, quum etiam abundantia materiæ (puta ferri) relicta ad ipſam conducat, quia nimirum ſua grauitate propellit partes anteriores: ergo iam non ſufficiunt tria illa ad ſcientiam, & malè approbauimus primã probationem ſupra ductam ex eo quod Logicus aliqua demonſtret. Reſpondeo merito negatam eſſe appellationem ſcientiæ facultatibus mechanicis: quia nimirum ab artificibus non traduntur ſcientificè: imò nec aliæ quæ ex genere ſuo ſunt verè ſcientiæ. Muſica enim eſt certiſſimè ſcientia, delicatiſſima quidem, & tamen non traditur ſcientificè à Ludi Magiſtris, qui ſolas concluſiones ſeu conſonantias docent, præmiſſas autem ſeu rationes à priori harum nequaquam, & multo minus mechanici. ſi verò quiſquam hæc omnia doceret, ſive regulas harum artium cum earum rationibus traderet, non eſſet contendendum quin illius ars, quamuis alias mechanica eſſet ſcientifica, quantum ad hoc, & de facto Ariſtot. in lib. *Mechan.* quæſt. & in *Alexand* o, ſeu in lib. *de Colonijs*, que u refert Laertius in eius vita, videtur aliquas earum reduxiſſe ad rationem ſcientiæ; quum etiam in problematis aliquid huiuſmodi fecerit. *Ariſt. Laert.*

11. Alterum, & vltimum cuiuſdam recent. eſt iſtud. Obiectum logicæ, & cuiuſlibet practicæ facultatis pendet à nobis liberè agentibus; quod ſi verum ſit, verum erit etiam omnem concluſionem eiuſmodi facultatis pendere ex altera præmiſſa contingenti. Id autem, ſi fiat iam illæ perdiderunt planè rationem ſcientiæ, adeoque &c. ſubſumptũ huius ſive omnẽ ejuſmodi ſyllogiſmum pendere ex aliqua præmiſſa contingenti probat ille; quia in talibus etiã medium in maiori neceſſario coniungatur cum paſſione, minori tamen contingenter cõiungatur cum ſubiecto: atque ita ipſa minor non eſt neceſſaria unde nec poterit eo concluſio talis eſſe. Declaratur res inſtantiâ, in qua tota res verificatur: nam in hoc diſcurſu. *Smiglet. ſ diſp. 1. q. 5*

Omnis ſyllogiſmus conſtans tali diſpoſitione puta diſtributione medij &c. rectè concludit.
ſyllogiſmus in Barbara conſtat tali diſpoſitione. Ergo ſyllogiſmus in Barbara rectè concludit.

Hic inquam clarum eſt medium ſcilicet [conſtare tali diſpoſitione]. benè, & neceſſario coniungi cum paſſione, quod eſt [rectè concludere] At verò ipſum medium, quod eſt conſtare tali diſpoſitione] non neceſſario ſed contingenter cum ſubiecto Demonſtrationis, ſcilicet cum ſyllogiſmo in Barbara, nam contingens eſt, quod ſyllogiſmus in Barbara conſtet tali diſpoſitione, quum id pendeat à nobis ipſum ſic formantibus, qui etiam potuimus aliam formam ei dediſſe: ſed nego hunc, & ſupra negaui minorem, ſcilicet in ſic vllam præmiſſam eſſe contingentem, aut medium contingenter coniungi cum ſubiecto, niſi in eſſe exiſtentiæ: quo modo etiam paſſiones, & definitiones entium realium contingenter coniunguntur ſubiectis, nam quoad eſſe eſſentiæ utrobique omnia ſunt neceſſaria.

Vrgeo tamen ipſe difficultatem, & probo minorem illam eſſe contingentem ſic: Omnis propoſitio, in qua prædicatur ſecunda intentio de prima, vel forma

forma artificialis de ſubiecto naturali eſt cõtingens; ſed in illa minori ſuprapoſita, prædicatur ſecũda intentio de prima, & forma artificialis de ſubiecto naturali: quia ſyllogiſmus in Barbara non eſt niſi tres actus intellectus ſic ordinati, in qua ordinatione conſiſtit forma Barbara: atque ita prædicari formam Barbara de aliquo diſcurſu eſt prædicari ſecundam intentionem de prima; nam actus intellectus, aſſenſus, diſſenſus &c. ſunt termini primæ intentionis. Barbara, Celarent. Nomen, Verbum &c. ſunt ſecundæ intentionis: atque ita denique illa minor eſt contingens quum omnis forma ſecundæ intentionis contingenter adueniat ſubiecto primæ intentionis, & omnis forma artificialis, qualis eſt forma Barbara accidẽtalis ſit ſubiecto naturali qualis eſt vnus, vel plures actus intellectus. Confirmatur hic diſcurſus reducendo eũ ad alium proximè factum de obiecto artium mechanicarum: nam ſi formauero ſimilem ſyllogiſmũ in materia illarum, apparebit ſtatim minor eſſe cõtingens: ſit enim iſte:

Omne ferrum ita fabrefactum, ut ab una parte ſit acutum, ab alterâ obtuſum, eſt ſciſſivum. Hoc ferrũ (vocetur autem ferrum Barbara, aut Celarent) eſt ita fabrefactum.

Ergo hoc ferrum eſt ſciſſivum.

Reuera enim hæc non eſt demõſtratio, quia minor non eſt neceſſaria; ſed manifeſtè contingens, quum clarum ſit contingens eſſe, quod hoc ferrum habeat unam extremitatem acutam, & alteram obtuſam.

Reſpõdeo hic vltimus diſcurſus adductus ex fabrili arte nõ eſt demonſtratio, & habet vitiũ, quod Smigletius imputauit demonſtrationibus Logicis, ſed falſo, quia non attulit utrobique paritatem: nã in ſyllogiſmo illo mechanico prædicantur verè termini artificiales de naturalibus, puta eſſe fabrefactũ de ferro, vnde non poteſt ſyllogiſmus conſtare ex materia neceſſaria, quum minor ſit contingens, quia contingens omnino eſt, quod compoſitum Phyſicum habeat formam artificialem. At verò in caſu noſtro, & in ipſo ſyllogiſmo adducto non eſt ita; non enim prædicantur termini ſecundæ intentionis de terminis primæ, ſed termini ſecundæ intentionis de ſecundis intentionibus: nam tres termini illius ſyllogiſmi ſunt: cõſtare tali diſpoſitione; ſyllogiſmus in Barbara; & rectè concludere; quæ omnia ſunt intentionalia, vt vides: ergo. 12. Ex quibus patet, (opinor) immerito ſcripſiſſe quendam recentem; hanc. An Logica ſit ſcientia? eſſe quæſtionem de nomine duntaxat; quum ſolidas, & ſatis moleſtas difficultates contineat; ſed hoc eſt modernis aliquot familiare, quo ita antiquitatẽ quaſi Nominalem traducant. Mouetur ipſe ad id exiſtimandum; quia, inquit, conueniunt authores hinc inde, quod Logica habeat actus aliquot ſcientificos, & alios probabiles, ſeu opinatiuos: diſſentiunt autẽ num ratione actuum ſcientificorum dicenda ſit ſcientia, an ratione probabilium opinio: Et quidni? ergone de nomine contendent? conueniunt authores hominem conſtare ex vna ſui parte corruptibili, ex altera vero incorruptibili & immortali: ergo de nomine lis erit vtrum homo dicendus ſit mortalis, an incorruptibilis, & immortalis. Hæc hypothetica. *Deus omnia nouit: & Socrates ſcribit*: clarum eſt quod conſtet ex vna cathegorica neceſſaria, atque ex altera contingenti, & tamen inter Logicos nũnquam dubitatum eſt utrum ipſa, & ſimiles eſſent contingentes, ſimiliter hinc capi poteſt quam nõ ſatisfecerit quæſito alius, qui inquit

Frantiſ. Ouido. Contro. 2 log. punc. 3

Roder Arriaga diſp 3 log. ſect 2

Logicam eſſe ſcientiam, quia intelligit nomine Logicæ eam Logicæ partem, quæ ſcientificè agit de ſuo objecto: nam neque Logicæ nomine intelligenda eſt illa pars Logicæ ſed tota, neque vnquam fuit quæſtio, an pars quæ ſcientificè agit de ſuo objecto ſit ſcientia. Et minus tolerandum eſt quod ait idem communem ſententiam in hoc ſenſu intelligere concluſionem.

Recentes quidam reiecti

Prius tamen quam hac ſtatione diſcedam libet notare quorundam carpendi libidinem & (ni excedam verbo) petulantiam: D. Thomas (ait horum vnus) noluit Logicam eſſe ſcientiam, ſed modũ ſciendi, quia fabricat ſuum obiectum. Contra Ioannes Duns aſſeruit eam in cenſum ſcientiarum: quãdoquidem per definitionem ſubjecti probat de eo paſſiones, vterque mutile aut male. D. Thomas malè quia dixit eam nõ eſſe ſcientiam, Ioannes mutile, quia non dixit eam eſſe practicam, quæ duæ huius medici Cryſes & fide laborant & ratione: Nam D. Thomas noluit Logicam eſſe ſcientiam, ſed palam profeſſus eſt.

Iuli. Scaliger 307 n. 23

Neque Scotus debuit omnia ructim euomere ne mutilus eſſet, alias mutilauit ſe Scaliger, qui de dimenſionibus diſſereret quod non ſtatim ibi, ſed longè ſerius Cæſarius Ponte deſcripſerit. At cũ Scaligero non modo fides ac ratio, ſed & ſcaliger ipſe pugnat: eſt enim Logica [ipſius verbis & ſententiá] ſcientia practica, itaque, [inquit] & fabricat ſibi ſubjectum ſuũ, ſicut Rhetorica & Grammatica, & poſtquam conſtituit, probat de ea affectus, (quod ex Scoto deſumpſit) ut facile ei Cardanus vicem referre poſſet & antilogiam improperare.

exerc. 339

Longè amplius ius damnandi in authores aſſumpſit alius eiuſdem inſtituti. Mundus, inquit, paſſus eſt ſe circumueniri per Ariſtotelem quod iactitet Logicam matrem omnium ſcientiarum, nec alias nos ſcirè quam per Demonſtrationem, cui denique vel inuito intrudit quod eam non amplius abſtruſã aliquam ſcientiam, ſed natiuum quoddam rixandi iurgium & ad hoc compoſitã methodum æſtimet. Legimus quemdam cũ contra aliũ ſcriberet ſolitũ ſibi caput benè purgare, ne quo impetu Aduerſarium plus æquo feriret; quod ſane par foret hunc tam quæſtorium Cenſorem ab eo didiciſſe; ſed

Ioan. Bapt. van Helmont

Objicit ſe Ille, inter 19 ſyllogiſmorũ formulas 12 concludunt negatiuè, nulla autem negatio unquam ſcientiam peperit, quam aliquid priuatiuè contineat; nihilque doceat eſſe quod negat aliquid eſſe. Scientia vero poſitiua ſit neceſſe eſt. Reſpondeo primo, etſi demus quod aſſumit, adhuc ſuper eſſe Logicæ rationem ſcientiæ, & ſyllogiſmo partem eius ſcientiæ, num ipſius conceſſione, & ſyllogiſmus alios 7. modos habet. Deinde aliud eſt ſcientiã, poſitiuam, aliud de poſitiuo eſſe. Primum nobiſcũ dicit: ſecundum ſolus, ſed falſò, nam & Socrates ſpargebat ſcire ſe quod nihil ſciret. Et man feſtè demonſtrari poteſt non poſſe dari ſecundum Deum, multò minus multos. Contra vrgeo; hoc quod eſt non dari ſecundum Deum, ſynonimum eſt huic quod ſit vnicus tantum Deus: atqui hoc eſt demonſtrabile, &c. ſcibile quidni ergo illud? Certè ſi daretur ſcientia de eo quod ego huius hominis ampullas contemnam, daretur etiam de eo quod eius ampullæ a me contemnuntur, eo quod ſint ſynonima, & ambo in idem recidant.

Obijcit 2. Demonſtranes Logicæ innituntur illi principio quod *quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt idem*

Digitized by Google

idem inter ſe. quod ultimum in concluſione ſcitur: & tamen id in ipſis præmiſſis virtualiter apparuit, vt concluſio non ſit nova cognitio, ſed explicatio præhabitæ. Confirmat quia concluſio aliquando minus dicit quã præmiſſæ: ſubinde enim præmiſſæ ſunt vniuerſales, illa autem particularis: & ſi ulla ex præmiſſas ſit negatiua, concluſio non audet affirmare, vnde apud ipſos Logicos ſequitur debiliorem partem, neque plus remanet in ipſis præmiſſis quæ tranſeunt in cognitionem, atque ita iam præſtat præmiſſas ipſas & quidem ſolas diſcere quũ concluſio nil illis addat, ſed detrahat aliquid potius Hoc ferè ille, nec enim ſatis ſe explicat. Cui reſpondendum eſt quod aliud agat & aliud velit agere vult probare formam ſyllogiſticam eſſe inutilem & tamen nil proficit, quum probet tantum concluſionem non eſſe vtilem, aut ſaltem non neceſſariam. Quot autem ſunt qui dicunt concluſionem non eſſe aliquid ſyllogiſmi. Deinde etſi hi fortè fallantur, non tamen ipſe vicit, nec enim inutil eſt elicere aliquid formaliter inde vbi præfuit tantum virtualiter: quantò libentius ille ederet amygdala & dactylos, quantò carius emeret arbores iam adultas quam earum nucleum aut ſemen in quibus tantum virtualiter continentur tam fructus quam ipſæ arbores. Ad Confirmationem Reſpondeo concluſionem excedere quamlibet vnam præmiſſam in aliquo: excedi autem aliquando ſaltem ab vtraque: nec proinde eſſe inutilem poſt vllã præmiſſam quia quandoque vnam ſuperat vt dixi, ſed nec poſt vtramque, quia novum & diſtinctum iudicium format, imo ferè duo, nam illa ergo homo eſt riſibilis; dicit & riſibilitatem conuenire homini, & hanc eius conuenientiam oriri ex alio cuius meminerunt præmiſſæ. Itaque non fuit ob hoc tanto ſupercilio contemnenda antiquitas negligendo Logicam & fuci aut ſterilitatis damnanda, quin præſtabat in ſimilibus ſapere ad ſobrietatem, quam ad nouitatem.

ACTIO TERTIA.

An Logica ſit ars, & an pars Philoſophiæ.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Concluſio affirmatiua primæ partis, & probatio. Conceptus artis quis?*
2. *Obiectiones duæ. An pugnet incompatibiliter ars ſcientiæ.*
3. *Logica eſt aliquid Philoſophiæ.*
4. *Cur non inſtrumentum?*

1 PEndet vtcumque reſolutio Actionis præcedentis ab iſta, quam videor dupliciter reſoluere: ſemel de mente Ariſtotelis (ſine quo nunc ſæculi nemo vult quidquã definire) Iterum ex natura rei, an reuera conceptus, qui debet formari de arte conueniat Logicæ à quo incipio, &

Dico Logicam debere cenſeri artem. Ita colligo ex Doct. ſparſim: nam in primo ſententiarum diffinit artem, quod ſit habitus practicus, & 6. Met. concedit Logicam eſſe habitum practicum.

Dices ibidem renuit concedere. quod Logica ſit practica propriè: ergo hinc nihil habeo. Reſpondeo potius totum hinc habeo: nam quod Logica non ſit propriè practica facit vt ſit ars: ſi enim eſſet illa propriè, & in omni rigore practica: iam non eſſet propriè ars; ſed vel Ethica, ſeu ſcientia moralis vel prudentia &c.

Probo ratione intentũ. Conceptus artis eſt quod ſit productiua intellectualiter alicuius termini, ſeu potius regulatiua ipſius in produci, quod facit inſtruendo artificem de modo, quem ſeruare debet in efficiendo, ita enim omnes concepimus apud nos artem, & tradit Doctor tam in 1. *ſenten*. quam in 6. *Metaphy.* citatis. Atqui Logica eſt regulatiuè productiua, & inſtruit artificem aſſignando modum, quem ſeruare debet in agendo: ergo abſolutè ars probandæ ſunt præmiſſæ: incipio autem à maiori quam præter iam dicta probat, enumeratio aliarum omnium artium, liberalium maximè quibus hæc deſcriptio quadrat, Grãmaticæ, Rhetoricæ &c. quæ omnes ſunt productiuæ intellectualiter alicuius termini, ſeu potius regulatiuæ producentis. Nam Grãmatica laborat producere orationem congruam, Rhetorica ornatam &c. Præterea illa deſcriptio probatur 3. quia per eam diſtinguitur ars à duobus cum quibus videretur coincidere, ſcilicet à ſcientiâ, & prudentiâ: à ſcientia eo quod hæc non ſit productiua, ſed reſolutiua rei in ſuas cauſas, à prudentia, quia licet hæc verſetur circa operationes, & productiones, attendit tamen bonitatem moralem operis, non Phyſicam. Vnde confirmari poteſt ex illâ ſententiâ Agathonis laudata ab *Ariſtotele* 6. Ethic Quod circa idem verſetur ars, & fortuna, nam fortuna circa hæc agibilia verſatur, & poteſt quis fortuitò facere opera naturaliter aut artificialiter bona; non poteſt autem fortuito facere opera moraliter bona. Minor iam probatur, quod ſcilicet omnia hæc quadrent in Logicam; ipſa enim eſt principium operis, & regulatiua agentis in operando; docet enim quomodo definitio, diuiſio, argumentatio ſint conficienda; abſtrahit à bonitate morali &c. Deinde certum eſt, quod hæc & ſimilia fieri poſſint cum defectu, & errore, ergo iam ſtatuenda fuit facultas aliqua, ſeu ars, quæ corrigeret, & caueret errores; ſi quæ autem ſit, eſt Logica. Quo locò vti potuimus argumento Philoſophi 2. Ethic 3. vbi probat virtutem circa voluptates verſari, quia inquit difficilius eſt voluptati repugnare, quam iræ; & circa id quod difficilius eſt, ars & virtus verſantur, ſi ergo contra iram ponitur habitus, quanto magis contra voluptates? Tum ſic; clarum eſt quod difficilius ſit intellectualiter diſcurrere per omnes figuras, & modos eorum ſine errore, quam ſcamnum conficere, aut tabulam radere, ſi ergo hæc & ſimilia habent artem, quanto magis &c. ſicut ſequitur, ex eo quod detur virtus refrænans iram, quod detur alia refrænans etiam voluptates.

2. Obijcies Logica eſt ſcientia, ergo non ars, opponuntur enim iſta ſibi inuicem quum in eas diuidatur habitus intellectualis, vt patet 6. Ethic. Reſpondeo negãdo conſequentiam, ſicut etiam neganda eſt iſta, Logica eſt ars, ergo non ſcientia.

Marginalia: dist. 18 q. vnic. num. 5; quæſt. 1 num. 14; dist. 36 q. 1 a. vnic. & quæſt. 1; Agathon. cap. 4; Ariſt. cap. 1; cap. 1

Digitized by Google

Ad probationem dico habitum intellectualem diuidi in iſta præciſiuè ſumpta, non autem abſolutè, aut ſimpliciter ſumpta; ſicut diuiditur anima in vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, quæ membra accipienda ſunt ſingula cum excluſione alterius, id eſt vegetatiua tantum &c. nam alias vegetatiua abſolutè eſt etiam ſenſitiua, & rationalis. Ita hic ars, & ſcientia ſimpliciter ſe compatiuntur; non vero ars, & ſcientia cum præciſione, aut excluſione. Itaque Logica eſt ars, & quidem ars tantum, quando ſumitur vt conſtans nudis regulis definiendi, & diuidendi, quomodo nunc dierum tradi ſolet in ſummulis, ſcilicet ſine probationibus, ſaltem ſine prolixis demonſtrationibus, quæ ordinariè reſeruantur maiori Logicæ. At vero quum illa non ſolum tradit præcepta horum ſed probat ea quod fecit Ariſtoteles in ſuæ Logicæ libris, Analiticis præſertim, tum illa ſimul eſt ars, & ſcientia.

Ariſt. *Scotus.* Obijcitur 2. Ars eſt habitus cum ratione factiuus ex 6. *Ethic.* 4. quam definitionem approbat Scotus diſt. illa 28. primi. n. 5. Logica non eſt factiua, ergo nec ars probatio minoris quia factio eſt actio tranſiens, & habet terminum extra operantem, Logica non habet, ergo. Reſpondeo. diſtinctio actionis à factione interminata, & adhuc dubia eſt de qua nec Ariſtoteles ipſe ſibi conſtat. Dicam de ea infra Apologia 3. Act. 1. occaſione praxis, & ſpeculationis, ſufficiat pro nunc ſcire, quod non ſit illa ſola acceptio factionis, quæ in argumento poſita eſt, atque adeò hinc non haberi quod Logica non ſit ars. Cætera expectentur loco citato.

3. Altera pars tituli cum ijs controuertitur qui volunt Logicam eſſe inſtrumentum Philoſophiæ, non verò partem eius, quam quæſtionem Recentes vna voce dicunt eſſe merè de nomine, quia nimirum pendet ex eo quod debet intelligi per nomen Philoſophiæ, quibuſdam hoc, alijs aliud intelligentibus. Aduerto hic duo quæri, An Logica ſit aliquid ipſius Philoſophiæ, item an inſtrumentum de quibus. Cenſeo vtramque quæſtionem ex his eſſe de re; & ad primam reſpondendum eſſe affirmatiuè. Ad alteram negatiuè. Res non magni intereſt & proinde breuiter tranſigenda eſt.
Ratio eſt primæ partis qua truncantur huiuſmodi euaſiones recentium, Quia quæſtio quid ſit Philoſophia? non eſt de nomine, niſi fortè putent inquiri in hoc nomen pentaſylabum *Philoſophia*; alioque an hoc, vel illud ſit Philoſophia, vel pars eſſentialis, aut integralis eius non eſt quid nominale, alioquin dicam quæſtionem an ſimia ſit homo eſſe de nomine, pendet enim ex eo, quod eſt intelligendum per *ly homo*, quod ſi quis velit determinare ad certum ſenſum, certè iam ſimia erit homo. Vides totam inuentionem recentium redire in hunc caſum, quo tamen nihil potuit abſurdius dici; ſed relictis nominibus.

Probo rem ipſam, ſiue Logicam eſſe Philoſophiam, aut partem eius, quia Ethica eſt, hoc eſt, ſcientia moralis eſt vera pars Philoſophiæ. vt ſine illa nemo ſit abſolutus Philoſophus, ex quo infero; ergo etiam Logica eſt. probatio conſequentiæ eſt paritas rationum non ſolum pro ipſa; ſed etiam cōtra eam, nam quidquid probat Ethicam eſſe Philoſophiam militat etiam pro logica, & quidquid probat Logicam non eſſe Philoſophiam recurrit contra Ethicam. Quam partē (quia magis ad rem facit) ſic oſtendo. Nempe communiter excluditur Logica à ratione Philoſophiæ, quia non eſt de vero ente; ſed e metaphorico & ſemificto obiecto, ſcilicet de ente rationis. At vero totum hoc, ſi quis aduertat etiam in Ethicam recurrit, nam ſi conſideremus quod facit ſcientia moralis in actibus voluntatis, ſiue quam formam inducit, & conſiderat in ipſis, planè inuenietur tam tenue, quam eſt obiectum Logicæ. Quod ut capiatur facilius, pone hic vtriuſque ſcientiæ obiectum, actum & finem. Logica conſiderat actum intellectus, Ethica actus voluntatis. Illa inducit directionem in illos, hæc in hos. Directio Logicæ, ſeu forma qua reddit actus intellectus ordinatos eſt ens rationis, directio ſeu forma inducta ab Ethica in actus voluntatis eſt ens morale, non magis reale quam illa Logicæ, puta quam forma definitionis, aut ſyllogiſmi, eſt enim conformitas ad certas regulas, quæ partim ſunt tam contingentes, imo multò magis, quam regulæ Logicales, nam hoc quod eſt, ieiunanda eſſe quatuor tempora, facilius poteſt ſolui reducendo tempora illa ad pauciora, quam quod modi primæ figuræ non ſunt quatuor.

Confirmo rationem; quia omnium iudicio conſideratio actuum intellectus ſpectat ad eandē Philoſophiam, ad quam ſpectat conſideratio actuum voluntatis: ergo ſi conſideratio directionis inducendæ in actus voluntatis ſpectat ad Philoſophiā, ſpectabit etiam conſideratio directionis inducendæ in actus intellectus ad eandē. Antecedens conſtat; nam vtrique actus tractantur in libris de anima qui ſunt Phyſica apud Ariſtotelem.

Dices, hæc ratio aut nihil, aut nimium probat, nam valente illâ conſideratio vtriuſque directionis pertinebit non ſolum ad eandem Philoſophiam; ſed etiam ad eandem ſpecie Philoſophiam, quia actus tam intellectus, quam voluntatis ſpectant ad Phyſicam, quæ vna ſpecie ſcientia eſt. Reſpondeo negando aſſumptum, & conſequentiam. Cauſa eſt, quia illi actus vtriuſque potētiæ ſcilicet intellectus, & voluntatis habent eandem rationem Phyſicam, ſeu naturalem, & conſequenter poſſunt ad vnam genere ſcientiam ſpectare. At verò directiones eorum tranſiuerunt ad diuerſa genera vnum morale, alterum rationale.

4. Obijcies nihil poteſt eſſe ſimul pars eiuſdem, & inſtrumentū. Logica eſt inſtrumentum Philoſophiæ, eâ enim vtitur ad aquiſitionem notitiæ rerum, ergo non eſt pars. Reſpondeo minor huius apud me eſt petitio principij, nam ſupra in concluſione negaui Logicam eſſe inſtrumentum Philoſophiæ, & ni fallor merito negaui. Nam quis ferat me dicentem quod ars fabrilis ſit malleus; & tamen ſic loquuntur qui dicunt Logicam eſſe inſtrumentum, inſtrumenta enim Philoſophiæ, ſiue acquirendarum ſcientiarum ſunt definitio, diuiſio &c. quæ ſunt obiecta Logicæ, ſicut obiectum artis fabrilis eſt malleus. Iam ego vtor eorum argumento in ipſos, nihil poteſt eſſe inſtrumentum eiuſdem & pars, Logicam eſſe partem Philoſophiæ iam probaui, & adhuc.

Probo dupliciter, Primo quidem præſumendo ex infra dicendis, quod obiectum Logicæ poſſit poni ens reale, quo poſito nec Aduerſarij negabūt eam eſſe partem Philoſophiæ, Hæc enim habet examinare, & ſcire omne ens reale. ſecundo ſic Phyſica, & Mathematica, & cæteræ ſcientiæ reales ſunt partes Philoſophiæ, ſecundum aduerſarios, quod ſic intelligendum eſt, vt Philoſophia ſufficiat ad intelligendas naturas corporum, quantitatum &c. quæ ſunt obiecta Phyſicæ, Mathematicæ &c. Atqui non ſufficiunt ſine Logica; ergo Logica erit pars Philoſophiæ, aut ſaltem pars partis, ergo non inſtrumentum.

Digitized by Google

Authores hoc tractant.

Thomiſt, 1.*Poſt.* 4. Amonius in *Prologo Prædicam.* Auiceti & Alpharebius *in princ. Logicæ* S. Auguſtin. *libel. de princip. Logicæ* Boëtius *editione* 2. *in Porphyr.* M. Iullius 1. *de Oratore.*, & 1. *de finibus*, & 1. *Academic. qq.* Simplic. *init. Prædicam.* D. Thom. 4. *Met. text.* 4. Albert. in *Porphyr. tract.* 2. Ægid. Rom. 1. *Poſt. q.* 1. Tartaret. *q.* 1. *proem.* Ioan. Anglic. & Braſeuol. *hic.* Villapand. *q.* 26. *proœm.* Sotus. & Tolet. *q.* 2. *proœm.* Fonſec. 2. *Met. c.* 3. Zabarel. *lib.* 1. *de natur. Logic.* Honorata de Robertis tract. *Theoremat.* 3. & 7. Mirandul. in *Logic.* & *lib.* 4. *de euers ſingul. certamin. ſect.* 14. Petrus Niger *q.* 2. *ſui clip.* Paul. Soncin. 6. *Met. q.* 6 Ioan de Magiſtris. 1. *Poſter. qq.* Franc. Suarez *diſp.* 1. *Met. ſect.* 4. Iauollet *tract.* 1. *in Prædic. c.* 2. Conimb. *q.* 4. *proœmia. ar.* 4. & 5. Bart. Amic. tract. 1. *Logic. q. q.* 4. *dubitat* 2. Complutens. *diſp.* 1. *proœm. q.* 4. Raphael Auerſa. q. *de Logica ſect.* 5. Bern. Moriſ. *prolog.* 3. Gonzales in *præfat. cap.* 4. Poncius *diſp.* 2. *de natura Logicæ q.* 7. Maſtrius, & Bellut. *ibid. art.* 4. Didac. à Ieſu. Ruuius Petron. Maſius, Murcia, & alij recentes *communiter ibidem.*

APOLOGIA II.

PROOEMIALIS DE DIVISIONE LOGICAE IN DOCENTEM ET VTENTEM

Actio I. Quid proprie ſignificetur his verbis Docens Vtens?
Actio II. Vtrum quælibet pars Logicæ ſit tam Docens quam vtens?
Actio III. Quomodo diſtinguatur Logica vtens à Docente?
Actio IIII. Vtrum Logica vtens ſit ſcientia nec ne?

Scotus q. 1. Vniuerſal. n. 2.

INtelligendum eſt tamen, quod Logica dupliciter conſideratur, vno modo in quantum eſt docens, & ſic ex neceſſarijs, & ex proprijs principijs procedit ad neceſſarias concluſiones, & ſic eſt ſcientia. Alio modo in quantum vtimur ea applicando eam ad illa in quibus eſt vſus, & ſic non eſt ex proprijs, ſed ex communibus: nec ſic eſt ſcientia, ſicut patet in naturalibus, vbi Ariſtoteles adducit rationes Logicas quæ procedunt ex medio communi. & non faciunt ſcire proprie loquendo.

Idem 4. Metaphyſ. text. 21.

NOtandum quod dialectica. & ſophiſtica diſtinguuntur, quia quædam eſt docens, hæc vel illa vt habet conſiderare de proprio ſubiecto, dando modum, & artem arguendi, & ſyllogiſandi verè, & apparenter, reddendo ſingula ſingulis; ſed dicitur vtens hæc vel illa quando modo arguendi adinuento vtitur ad arguendum, vel ad concludendum aliquid in aliis ſcientiis. Primo modo qualibet earum habet aliqualiter rationem ſcientiæ, quatenus circa proprium ſubiectum qualibet aliqualiter demonſtratiuè ſpeculatur. Secundo autem modo recedunt à ratione ſcientiæ &c.

Digitized by Google

ACTIO PRIMA.

Quid propriè ſignificetur his verbis *Docens, Vtens.*

BREVIARIVM.

Num. 1. Conceptus proprius vtrique aſsignatur, & probatur.
2. Num dicenda ſit potius vſa, quam vtens.
3. Aliqua improprietas hic notata. Num aliæ ſcientiæ ſint Logica vtens.
4. Mens Scoti de his
5. Alia acceptio noua Logicæ vtentis.

1 Controuerſia de ratione ſcientiæ in Logicâ non poteſt expediri, niſi explicata hac diuiſione Logicæ, quæ celebris eſt in ſcholis, vt patet ex locis Doctoris noſtri, à quo eã (ait *Rubius*) communis ſchola accepit; & quoniam non omnes in acceptione eius conueniunt, quæſtionẽ nominalem breuiter expedio.

q. 1 proœm.

Dico ergo Logicam docentem eſſe facultatem hanc quatenus tradit præcepta & regulas conficiendi inſtrumenta ſua, ſcilicet Syllogiſmum, definitionem &c. vtentem verò eſſe eandem, quatenus hæc præcepta exercet fabricando inſtrumenta illa ſcilicet definitionem, diuiſionem, ſyllogiſmos: ita ex parte Doctor. q. 1. Elench. & ita eum interpretes intellexerunt, tam veteres, quam recentes. Et quidem cum negotium ſit de ſignificatione nominis, vix poteſt aliter probari ipſa enim ſignificatio vocis eſt primùm cognitum, & reſpondet ſimplici apprehenſioni, qua non datur aliquis actus prior ſoleo tamen vti hoc argumento; quia certum eſt idem ſignificari apud Latinos his vocibus, quod ſignificatur apud Græcos illis vocibus Logica concreta, ſeu coniuncta rebus; & Logica auulſa à rebus; At qui Logica auulſa à rebus apud Græcos ſignificat præcepta Logicæ nuda, & nondum applicata, quaſi formam ſine materia: Coniuncta rebus ſignificat eandem in aliqua materia ad praxim reductam, quæ fuit noſtra expoſitio, & concluſio: ergo.

num. Mauris in expoſ. q. 1. Præd. 6. Rodrig. Ibid. ar. 2. Ma ...ir. & Bellar. ar. 4. Ponſius. diſp. 2.

Probatur etiam præterea à ſimili: Nam hoc quod eſt eſſe docentem, & vtentem, non eſt proprium Logicæ, ſed inuenitur in alijs etiam mechanicis facultatibus, & vniuerſaliter in omnibus practicis, quæ docent quidpiam conſtruere v. g. in architectonica, quæ agit de conſtruenda domo, ipſa enim eſt docens, & vtens: nam architectus aliquando ſcit tantum modum, quo debeat fabricare domũ, eam autem pro tum non fabricat, vt clarum eſt. Aliquando verò non ſolum ſcit fabricare eam, ſed reuera fabricat, & tunc apud ipſum architectonica ſcientia eſt vtens, ſicut in priori caſu fuit docens; quod ita clarum eſt, vt oppoſitum non eſſet opinio, ſed ignorantia, & error, quid ni ergo idem de Logica cenſeamus? ergo.

2. Obijciet tamen aliquis Logica non vtitur ſeipſâ, ſed vtitur eâ omnis qui eam habet: ergo malè dicitur Logica vtens, & malè explicata eſt à nobis ad eum ſenſum. Antecedens probatur quia habitus non eſt primum agens, ſed ſubordinatur alteri ſcilicet potentiæ habenti ipſum, quæ pro libitu ſuo vtitur habitu aplicando eum ad opus. Propter hoc aliqui moderni cæperunt corrigere antiquitatẽ, & dicere Logica vſa non Logica vtens: propterea, quod vox vſa; quamuis ſit minus Grãmatica, tamen magis explicat rem, quia Logicus eſt qui vtitur, & agit; Logica eſt quâ vtitur quis, eſt proinde efferẽda paſſiuè. Reſpondeo tamen debuiſſe hos lentius feſtinare in reprehendendis antiquis nam nõ ſe habet res per omnia ſicut ipſi credunt; ſed potius ſicut antiqui, adeoque retinenda eſt diſtinctio in terminis Scoti, à quo eum communis ſchola accepi; quia nimirum Logica hic non tantum paſſiuè ſe habet, ſed vere actiuè, & efficienter; nã habitus Logicæ verè, & Phyſicè influit in actus cõfectionis inſtrumẽtorũ, adeoque dicenda eſt non tantum vſa, ſed vtens.

d Gonzalez in præfat. n. 10.

Atque ita malè quidã conatus eſt explicare hanc rem exemplo Auguſtini, vt ipſa inſtrumenta ſciendi confecta, ſcilicet ſyllogiſmus, definitio &c. ſint Logica vtens: ſicut *vocatur lingua, locutio quã facit lingua, & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus.* Nam diſtinguendus eſt effectus, ſiue opus artis ab ipſa; nec enim architectonica ſcientia benè vocabitur domus: definitiones. & ſyllogiſmi & cætera inſtrumenta facta ſunt effectus, & opera Logicæ, adeoque nõ debent vocari Logica à ſcholaſticis, qui omnes tropos & figuratas loquutiones vitare debent illa autem acceptio manus, & linguæ apud Auguſtinum clarum eſt quod ſit tropica, & impropria, adeoque in vſu ſcholaſtico abſolutè falſa.

Gabr. Va q. ... n. 19 lib. 1. d Nupt. & conc.

3. Fateor nihilominus, quod vox vtens non tã exacte quadrat huic intento; quia reuera non vtitur Logica ſeipſa, ſed vtitur illâ qui eam habet, vt benè argutum eſt. Libentius ergo vterer voce *faciens*, aut *agens*, quam *vtens*; ſed enim quando de re conſtat parum curandum eſt, quâ voce efferatur. Aliquis ſic accommodauit diuiſionem in his terminis, Logica vtens, vt ibi Logica non ſit nominatiui caſus, ſed ablatiui, & fateor hoc tolleret inproprietatem vocis, ſed etiã tolleret proprietatẽ diuiſionis quã redderet ineptiſſimam, quũ vtens Logica ſic non ſit Logica, adeoque malè diuideretur Logica in docentem, & vtentẽ, quia diuiſũ nõ poſſet prædicari de membris diuidentibus. Quo argumẽto benè vti poſſumus cõtra aſſerentes, quod aliæ ſcientiæ ſint Logica vtens.

Sed reſpondit alius, quod adhuc actus aliarum ſcientiarũ poſſint dici Logica, eo quod ſint effectus Logicæ: notum eſt enim effectus ſumere denominationẽ cauſæ, ſic actum externũ virtutis v. g. humilitatis, vocamus humilitatem, & orationem externã actum religionis, qui tamen ſunt effectus eorum.

Franc. Oviedo Contr. Log. ...

At non per hoc ille reſpondit: duo enim ſunt in opere externo; & actio, ſeu elicitio, & opus elicitum. Primum horum non eſt mirum quod vocetur nomine virtutis, quum ſit actus ſecundus eius: ſecundum autem non poteſt vocari virtus, eo quod ſit effectus eius, ſicut quum conſtruo domum pauperibus, ſtructio eſt actus virtutis miſericordiæ, domus non. Quam doctrinam poſſumus adhuc magis applicare ad propoſitum ſic Nam in actibus aliarum ſcientiarum, v. g. in demonſtrationibus mathematicis duo ſunt & materia quæ ad matheſim pertinet, & forma, quæ ad Logicã aſſenſus conſequentis, qui eſt actus proprius Mathematicæ, & aſſenſus conſequentiæ, qui eſt Logicæ. Hic fateor aſſenſum conſequentiæ eſſe verè Lo-

Digitized by Google

gicam utentem in actu ſecundo, quia eſt exercitiũ doctrinæ Logicæ. At verò aſſenſum conſequentis valdè abſurdè dicam eſſe Logicum quum nihil Logicæ habeat, nec materiam, nec formam; & tamen hic, & ſimiles ſunt actus aliarum ſcientiarum, qui cauſantur à Logica, videat iam ille, an verum ſit in hoc caſu quod effectus denominentur à cauſa. h. Neque tamen multò melius rem perfecit alter ille, qui denique reſoluit ipſam ſolam Logicam dicendam eſſe vtentem, quũ ſuis præceptis utitur, definiendo, diuidendo, &c. Quia quum Philoſophus arguit in materia Phyſicæ, aut Metaphyſicæ, vtitur Logicâ non minus quam quando definit &c. in materiâ ipſius Logicæ, & actus definiendi, ac diſcurrendi eſt ab habitu Logicæ: atque ita ibi eſt maniſeſtè vſus Logicæ: clarum eſt autem, quod ubicunque eſt uſus Logicæ, ibi ſit Logica utens: ergo. Itaque ſtandum eſt acceptioni harum vocum in concluſione poſitæ, contra quam tamen dicam aliquid ſolis Scotiſtis notandum: erit enim de mente Scoti, quæ mihi incumbit explicanda.

h Aris. 2. d. ſ. 1. q. 5. ſect. 1

4. Objicio ergo Scotum aliter hos terminos intellexiſſe, ſcilicet per Logicam utentem partem Topicam tantum, vt patet locis ex ipſo adductis utroque themate Apologiæ, maximè in primò ubi explicat, ac definitâ Logicâ utente dicit, quod non ſit ex proprijs, ſed ex communibus, & non facit ſcire, addens id eueniſſe Ariſtoteli in Phyſica, ubi non procedit ſcientificè; quia huius Logicæ rationes adducit &c. Nam hæc & ſimilia non poſſunt verificari, niſi de parte Topica, ad quam pertinent argumenta probabilia, ſeu generantia opinionem, Pars enim Analytica, ſeu demonſtratiua procedit ex proprijs, ac neceſſarijs & facit ſcire: ergo non potuit Scotus intelligere per Logicam utentem, niſi partem Topicam; quod confirmatur ex ipſo q. 3 Elench. & 4. Met. ubi ſimilia habet, propter quæ Mauritius, & Sarnan: docent de mente Doctoris per Logicam utentem intelligendam eſſe partem Topic. Reſpondeo hoc non probare quod concluſio poſita ſit falſa; ſed tantum quod ſequens hæc ſit vera.

i q. 1 vniuer.

5. Dico enim ſecundo Logica utens ſatis fundatè, & Peripateticè accipi poteſt pro parte Topica. Primam partem huius probat objectio, quæ oſtendit Scotum in eo ſenſu uſum fuiſſe hac voce; nam cum à Scoto cõmunis ſchola eam acceperit, ut K cum Rubio etiã l Cõplut. teſtãtur, iam inſtitutio ipſius eſt fundamentum ſignificationis in voce; eò magis quod m *Aquinas* etiam Coauthor eiuſdem inſtitutionis, ita eam uſurpauit. *Apparet* (inquit) *quod quædam partes Logicæ habent in ipſa doctrinam, & uſum ſicut Dialectica tentatiua, & ſophyſtica, quadam Doctrinam, & non uſum, ſicut demonſtratiua.* Vbi ſignificatum utentis remouet expreſſè à demonſtratiua, & propterea libenter hunc locum vidit in ipſo Mauritius, & quum deſcripſiſſet eum ſubdidit. *Quare eum ibi eleganter. Gauiſus enim eram, dum inueni illum in hac phantaſia concordantem, quia patribus eſt deferendum ex* 2. *Cæli.*

k Supra citat.
l Diſp. proœm. q. 4.
m 2. Met. lect. 4
o in expoſ q. 1

Eſt etiam aliud fundamentum aſſertionis, quia ſine dubio benè intelligitur per hunc terminum *utens*, quod Græci intellexerunt per Logicam concretam rebus. Atque illi per hoc intellexerunt Logicam, quæ in Topicis habetur, & tradit modum ubique probabiliter diſcurrendi, ut teſtatur Fonſeca, & ante ipſum Zabarella. Propter quod dixit acceptionem hanc Peripateticam eſſe, quum certum ſit Ariſtotelem hoc accepiſſe in ſenſu recepto apud ſui temporis, & nationis authores, Quod etiam apertius conſtat ex ipſo 1. Topic. 1. & 3. Met. &c. ut notarunt Conymb. hic, quod ſufficit dixiſſe de nomine: Illud tamen moneo apud nos deinceps Logicam utentem accipiendam eſſe in priori ſenſu, qui magis proprius, & ſolidus, atque etiam nunc temporis magis communis eſt.

Ariſtot.

ACTIO SECVNDA

Vtrum quælibet pars Logicæ, ſit tam docens, quam vtens.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Tota Logica verè eſt docens, & vtens.*
2. *Inepte dici ſyllogiſmos probabiles aliarum ſcientiarum ad Logicam ſpectare.*
3. *Fundamenta negantium veritatem diuiſionis.*
Aſſignatur modus, quo defendi poſſit Logicam non eſſe vtentem in parte Analyticâ; ſed in Topicâ tantum.

1 NEganerunt Fonſeca citatus, atque etiam utrumque Collegium, Cõplut. & Conymb ſequuti *D. Thomam.* Quod ipſam tenent quotquot diuiſionem Logicæ in docentem, & vtentẽ reprehendunt; id enim faciunt, quia vſum in ſolà parte Topicâ agnoſcunt, in Demonſtratiuâ autem & Sophiſtica doctrinam; ſed communiter iam tenetur quod

Dico reſolutivè quamlibet partem Logicæ eſſe tam docentem quam vtentem, atque adeò ipſam Logicam totam merito diuiſam eſſe in duo illa ſcilicet docentem, & vtentem. Partes Logicæ pro nunc cum vulgo Logicorum intelligo Interpretatiuam, Analyticam, Topicam, Elenchicam: licet ipſe oſtenderim ſupra illas aliter eſſe enumerandas; ſed hic ſequor turbam; lis enim præcipua eſt de parte Topica, quàm ſolam volunt aliqui eſſe vtentem; ſed falſo, vt

Probo facilè hac ratione: Vti logicâ doctrinâ non eſt aliud quam reuera facere quod & quomodo Logica docet eſſe faciendum: atqui non ſolum

ſolum fiunt ſyllogiſmi probantes, quorum confectio docetur in parte Topica; ſed etiam demonſtratiui, quorum præcepta dantur in Analyticis ergo non ſolum Topica debet dici vtens; ſed Analytica, & omnes aliæ Logicæ partes nam reuera ipſa & Sophiſtica, & ſi quæ ſint aliæ partes ad praxim reducunt præcepta illa doctrinalia de conficiendis inſtrumentis ſciendi, & certè niſi id faceret, fruſtra, & ſtultè traderentur, ac diſcerentur præcepta. Hoc argumentum in duo diuidi poteſt, quia Logica facit demonſtrationes tam in propria materia, quam in aliena. Demonſtrat enim ipſa ſuas regulas, vt quod ex præmiſſis particularibus nihil ſequatur in ulla figura; nec in prima, aut ſecunda quidquam ex maiori particulari &c. Influit etiam in demonſtrationes aliarum ſcientiarum, ut quum Phyſicus demonſtrat corruptibilitatem de mixtis eò quod conſtet contrarijs. Cum Mathematicus probat omnes angulos rectos eſſe æquales ſic: omnes anguli reſultantes ex lineis ſimiliter inclinatis ſunt æquales, omnes recti reſultant ex lineis ſimiliter inclinatis ergo ſunt æquales: nam in his, & ſimilibus tam Mathematicus, quam Phyſicus utitur Logica, quæ etiam influit, ut dixi in has demonſtrationes; ipſa enim eſt quæ efficit formam quæ eſt altera medietas totius ſed

b. Proclus apud Euclid. lib. 1. el: propoſ. 12.

2. Reſpondent negantes uſum, ineptè ſane, illi, Logicam habere uſum partis Topicæ in alijs ſcientijs, quia Syllogiſmi probabiles omnium ſcientiarum ad Logicam ſpectant; non habere uſum partis demonſtratiuæ, quia demonſtrationes aliarum ſcientiarum ad ipſaſmet pertinent omnes, nulla autem ad Logicam. Nam quis non videat hoc gratis dici, quum tantundem à Logica accipiant demonſtrationes Phyſicæ v. g. quantum opiniones, ſiue ſyllogiſmi probabiles; vtrobique enim accipitur à Logica forma argumenti, nullibi materia. Videatur noſter *Poncius* hic ubi contra hanc ſententiam, & ſolutionem multa accuratè tradit, Illud ſaltem moveo, ſi omnes omnium aliorum ſæculorum cognitiones probabiles ad Logicam ſpectant, cur dubitatur de aliquibus ipſarum an ſint ſcientiæ? iam enim nullas cognitiones habent non ſcientificas, aut probabiles tantum propter quas in quæſtionem cadere poſſit utrum dicendæ eſſent opiniones, ſeu opinatiuæ, Cur Mathematicæ ſcientiæ cenſentur omnium puriſſimæ tanquam quæ minimè admixtas hebent cognitiones non ſcientificas: nam iuxta doctrinam aduerſariorum quæuis ſcientia eſt ſummè pura, quia ad nullam omnino pertinet ulla cognitio quæ non ſit ſcientifica, & denique ſi ita ſit, cur *Ariſtoteles* primo Ethicorum docet non eſſe quærendam æquale certitudinem in omnibus ſcientijs: nam ſi nulla ſcientia poteſt continere cognitionem ullam non ſcientificam iam poterit, eam inueniri æqualis certitudo in omnibus, quia nimirum in omnibus erit ſumma. Vrgeo rationem; aut ſufficit ad hoc ut argumentatio, aut diſcurſus aliquis ad aliquam ſcientiam pertineat, quod ab ea accipiat materiam, aut non ſufficit; ſi ſufficit, certè iam ſyllogiſmi probabiles aliarum ſcientiarum ad ipſas pertinebunt, ab ipſis enim accipiunt materiam ſcilicet terminos, & præmiſſas; ſi non ſufficit, certè nec demonſtrationes aliarum ſcientiarum ad ipſas pertinebunt, non enim ab ipſis accipient, niſi materiam: nam forma omnium eſt à Logica :ergo. Vrgeo adhuc 2. ſi enim ſyllogiſmi probabiles reijciuntur ab alijs facultatibus puta Phyſicâ aut Metaphyſica, quia iſtæ facultates ſcientiæ ſunt, etiam à Logica reijciendi ſunt nam & ipſa ſcientiâ eſt, atque ita non poſſunt ei ſine iniuria intrudi illa quæ ab alijs reiecta ſunt ob earum excellentiam.

p. diſp. 9. 6. n. 4. 5.

Monal. Nico. c. 3.

Vrgeo 3. nam cognitiones probabiles excludunt hi authores ab aliis facultatibus, propter ipſarum facultatum dignitatem, unde infero; ergo etiam cognitiones principiorum excludendæ ſunt ab his propter ipſorum principiorum dignitatem. Dicent fortè ita eſſe nec principia pertinere ad inferiores ſcientias; ſed ad ſuperiorem aliquam, cui illæ ſubalternantur; ſed ineptè; in primis enim ſuperior ipſa, puta Metaphyſica ſcientia eſt; atque ita non poſſunt principia ad ipſam pertinere magis quam ad alias: Deinde etſi id verum fortaſſe ſit de quibuſdam principiis, puta uniuerſaliſſimis, & primo primis, quæ ad plures ſcientias inferiores ſe extendunt, tamen non poteſt verificari de principiis particularibus ipſarum inferiorum ſcientiarum. v. g. definitio anguli non ſpectat ad Metaphyſicam, ſed ad Geometriam, ut nec hominis definitio alioquin Metaphyſicæ erit definire etiam leones, aquilas, ac denique omnia omnino, quo facto nihil relinquitur aliis ſcientiis cognoſcendum ergo.

3. Obiiciunt tamen: demonſtrationes aliarum ſcientiarum. v. g. Phyſicæ ad ipſam Phyſicam pertinent, ut notum eſt, quid enim ei magis proprium, ſi autem ad Phyſicam iam non ad logicam, quum non poſſit vna ad plures ſcientias pertinere: ergo Logica non habet vſum partis demonſtratiuæ in aliis ſcientiis. *e Conimbr. 2.*

Quod autem Logica non ſit utens in propriâ materiâ, probant, quia uſus de quo hic, eſt diſtinctus à doctrinâ, cum ſint membra contra poſita, ſed vſus in materiâ demonſtratiuâ non diſtinguitur à doctrinâ, quando quidem per ipſum, ſcilicet per formationem demonſtrationum ad probandas regulas Logicales, formaliter docemur, & alioqui doctrina Logicæ non eſſet ſcientificè tradita. Confirmant, ſyllogiſmi facti in materiâ aliarum ſcientiarum tranſeunt in naturam ipſarum, & ſunt Phyſici, aut Metaphyſicæ: ergo etiam ſyllogiſmi demonſtratiui facti in materiâ Logicæ docentis, ſunt Logica docens; atque ita non vtens, aut vſus illius &c. Hæc ſunt fundamenta collegiorum, quæ tamen iam ſupra illis ſubducta ſunt: Dictum eſt enim, quod demonſtrationes illæ ſpectant ad alias facultates ratione materiæ, non ratione totius, quia forma ad Logicam ſpectat. Deinde ſit aſſumptum illud abſolutè verum, nonne etiam opiniones Phyſicæ v. g. ad Phyſicam pertinebunt: Quid enim accipiunt demonſtrationes à Phyſica, quod non etiam accipiunt opiniones, ſanè oppoſitum eſt, ac ſi dicerem clauem ferream ad fabrilem pertinere, clauem auream non ſed ad aliam digniorem artem; quo nihil ineptius. Iam ad alios qui negant uſum Logicæ ipſi: Nego illis ego uſum Logicæ incidere in doctrinam, aut econtra, quod iam plus æquo repetitũ eſt, nam & de facto ſeparantur, & licet non ſeparentur aliquando, tamen ſemper ſunt ſeparabilia. In ſummulis traditur doctrina partis demonſtrativæ, in quibus non eſt neceſſe fieri uſum eius, id eſt regulas demonſtrandi probari demonſtrationibus; ſed non vacat his vacare, quod nimis nota ſint. *f Complut*

4. Quia

4. Quia tamen uterque ſcholæ Dux, Aquinas, & Subtilis ſignificarunt ſaltem incidenter Logicam in parte Analyticâ non eſſe utentem, in Topica eſſe, ac proinde non rectè dividi Logicam ubique in docentem, & utentem, dabo modum, quo id ſuſtineri poſſit, eſt autem iſte, ſcilicet diſparitas inter Analyticam, & Topicam partem ratione cuius cognitiones probabiles aliarum ſcientiarum poſſent Topicæ attribui, non autem demõſtrationes Analyticæ: Quia nimirum (ut ſupra monui) Topica eſt quædam facultas per ſe, nec tam propriè Logicæ pars, nec ab Ariſtotele in ipsâ tradita, ut notavit nuper Bernardus Moriſanus noſtras in *proleg.* ad *cõment.* eorum librorum. Eſt ergo Topica, facultas quædam per ſe, cuius munus eſt ſubminiſtrare media probabilia arguentibus in qualibet materia; quo poſito jam omnes cognitiones probabiles ad illam facultatem pertinebunt (quia nimirum ab ea accipiunt materiam) eodem jure, quo demonſtrationes aliquæ dicuntur Phyſicæ, aut Metaphyſicæ, ſcilicet ratione materiæ.

Sed enim contra hoc ſtatim facit, quod malè dixerint iſti doctores noſtri Logicam dividi in utẽtem, aut habere uſum in aliis ſcientiis ratione partis Topicæ, quia nimirum pars Topica, ut diximus nõ eſt pars Logicæ. Video locum inſtantiæ, & dico adhuc conſequenter loquutos eſſe Doctores, quia nimirum licet Topica in rigore ad Logicam non ſpectent: tamen in ea traduntur, ſicut etiam Prædicamenta nequaquam ad Logicã ſpectant, ſed ad Metaphyſicam & tamen in Logica nunc dierum docẽtur & ab ipſo Ariſtotele in ipſa ſunt repoſita, adeoq; potuerunt merito Doctores ferre ſententiã de Logica comprehendendo Topicam partem, quia tunc ſicut & nunc à vulgo reputata ſunt libri Logicales. Inſto adhuc contra me: ſi enim accipienda ſit ſic Topica, ſcilicet pro facultate cuius ſit miniſtrare materiam. Iam in parte Topica non eſt docens. Atque ita nec quidem in hac parte rectè divideretur Logica in docentem, & utentem. Reſpondeo ita eſſe primo propter rationem jam objectam, quia pars Topica occupatur circa materias, ſecundo quia non eſt aliquid Logicæ, cuius ſolius eſt docere inſtrumenta diſcurrendi, ſeu modum ea fabricandi. Confirmo dicta quia, forma ſyllogiſmi probabilis eadem eſt quæ ſyllogiſmi demonſtrativi. At verò in Topicis nunquam docetur demonſtratio formanda: ergo nec &c. quod licet impugnet expoſitionem communem harum vocum, ſed confirmat præſentem.

ACTIO TERTIA

Quomodo diſtinguatur Logica Vtens á Docente.

BREVIARIVM

Num 1. Docere *quid propriè in hoc loco?*
2. *Actus Logicæ utentis non omnes diſtingui ab actibus docentis.*
3. *Oppoſitum huius problematicè.*
4. *Habitus harum diſtinguuntur realiter.*
5. *Evaſiones ſcotiſtarum repulſæ*
6. *Aliæ duæ probationes diſtinctionis realis*
7. *Fundamenta identificantium utramque Logicam.*
8. *Probationes concluſionis ad hominem.*

1 EXaminabo hic ſeorſim diſtinctionem actuum utriuſque Logicæ inter ſe, & deinde claritatis cauſa diſtinctionem habituum, eò magis, quod in devidebitur quam verè [illegible] Scotiſtæ actus utriuſque ſemper diſtingui realiter, & de ſolis habitibus fuiſſe dubiũ.

Revocanda eſt autem hic deſcriptio Logicæ utentis ſupra *a* poſita ex quo hic ſtatuendum eſt actus Logicæ docentis eſſe actualiter confectiones inſtrumentorum ſciendi, præterea etiam ad vitandam æquivocationem noto docere, & docentem Logicam non accipi hic pro eo quod eſt more magiſtri erudire, generando in aliquo rerum notitias per voces, & alia ſigna; ſed docere hic, eſt idem quod ſpeculativè cognoſcere naturam alicuius. Denique quod hic dicetur de Logica applicari poteſt, & debet aliis habitibus practicis, & artificioſis, ut ſcilicet eorum actus ſimiliter inter ſe diſtinguantur, vel identificentur reſpectivè: quamvis revera vix inveniatur caſus Logicæ extra ipſam, nam in aliis practicis habitibus uſus, & doctrina proveniunt à diverſis potentiis, adeoque diſtinctio actuum in illis eſt manifeſtior.

2 Dico ergo primo non omnem actum Logicæ docentis diſtingui ab actu Logicæ utentis perfectè ſumptæ. *b* Probo, quia intra ipſam Logicam docentem datur uſus eius; atqui uſus non fit niſi per actus utentis: ergo jam intra actus docentis datur actus utentis, quod non poteſt eſſe niſi quia aliquis actus docentis eſt ſimul actus utentis, quæ fuit concluſio probanda, vis huius tota eſt in maiori aſſerente intra ipſam Logicam docentem dari uſum eius, quod videtur difficilè, ſed probatur; quia uſus Logicæ, eſt confectio actualis inſtrumentorum ſcientiæ v.g definitionum, argumentationum &c. ut patet, ſed intra ipſam Logicam docentem datur confectio horum, quia ipſa Logica docens demonſtrativè probat ſuas regulas, atque ita conficit demonſtrationes, probat definitionem debere conſtare ex notioribus, demonſtrationem ex prioribus, & ut utrumque duobus, vel tribus terminis &c.

Dices tunc Logicam docentem tranſire in utentem. ſtudio, & nego quia Logica docens intra ſeipſam eſt ſcientia, etſi non tranſeat in utentem; imò, ſi tranſiret, id ei non prodeſſet ad rationem ſcientiæ, ſed obeſſet potius, quia Logica utens ut talis nõ eſt ſcientia; ſed per has demonſtrationes, & propter ipſas eſt ſcientia: ergo hæ demonſtrationes includuntur in Logica docente, & intra actus eius; ſed hæ demonſtrationes ſunt actus utentis. ergo in actibus docentis inveniuntur actus aliqui docentis, & è contra, quod ut dixi non poteſt eſſe niſi quia aliqui iidem actus ſunt ſimul docentis, & utentis.

Dici poteſt per hæc probari, quod Logica docens utatur actibus alterius Logicæ, qui proinde dici poterunt inſtrumenta, aut conditiones Logicæ docentis, non autem pars eius; ſed ego contra oſtendo oppoſitum eſſe dicendum; quia nimirum ratio ſcientiæ includitur in Logica docente, non tantum, ut conditio, aut inſtrumentum, ſed etiam ut pars eius; ſed ratio ſcientiæ includitur in eâ, ratione huiuſmodi actuum, ergo huiuſmodi actus non ſunt

Ariſtot. [illegible] (margin)

a Action. num. 1.

b Ita Martini q. 2. proem.

ſunt tantũ conditio;ſed vera pars eius. Vrgeo intentũ,quia Logica de qua hic,tam abſolutè,& in rectò dicitur ſcientia,dicitur docens:ergo ſicut actus doctrinales,qui ſunt regulæ eius ſunt actus eius ut docentis,ita etiam probatione ſcientificæ earũ ratione quarum dicitur ſcientia,hæ autem ſunt uſus aliquis ipſius,adeoq; Dixi in concluſione de Logica utente perfectè ſumpta: quod ſic expono: notũ eſt enim Logicam docentem dupliciter poſſe & ſolere tradi primò crudè cum ſolis regulis, quomodo dicatur tyronibus in ſummulis. Alio modo plenè quando non ſolum traduntur ſed probantur illæ regulæ,& tum Logica docens eſt perfectè tradita, & de ea ſic ſumpta procedit concluſio, & rationes adductæ ſuadent intra huiuſmodi Logicam docentem inveniri aliquos actus utentis Ex quibus habetur, quod in materia propria dici poſſit Logica docens coincidere cum utente;nihilominus exiſtimo,&

3 Dico verius eſſe, quod omnis actus docentis, & utentis in quacunque materiâ tam propriâ, quam alienâ diſtinguantur ſemper ſaltem inadæquatè. Hæc aliis a communiter magis placet, quam præcedens Probo ipſam oſtenſive. Nulla doctrina eſt factio, aut exequutio, omnis actus Logicæ docentis eſt doctrina:ergo nullus actus eius eſt factio, aut exequutio. Atqui omnis actus Logicæ utentis eſt factio,aut exequutio: ergo nullus actus eius ſcilicet Logicæ utentis eſt actus docentis, aut è contra. Confirmo diſcurſum, qui revera habet aliquid evidentiæ: quamlibet doctrinam poteſt non ſequi ſua praxis:ergo diſtinguitur doctrina à praxi. Confirmo iterum, quælibet cauſa, aut quaſi cauſa diſtinguitur realiter à ſuo effectu,doctrina eſt cauſa,aut quaſi cauſa uſus,ſeu praxis:ergo Terriò,quia in aliis facultatibus practicis ſemper uſus diſtinguitur à doctrinâ,nam pulſatio citharæ alius actus eſt, & alius doctrina aut ſcientia pulſandi: conſtructio domus utique aliud eſt à ſcientiâ conſtruendi, quæ poteſt eſſe in fabro ocioſo,& ſic de cæteris, ergo.

a Rubio. Aver. q. 1. log. ſect. 2. Complut. diſp. 1. log. q. 2. §. 2. Soto q. 1. proem. Sanch. lib. 1. Log.

Sed contra hanc rationem facit primò quod doctrina eiuſmodi ſit etiam aliquis uſus eius: nam ſemper habet annexam conſtructionem domus ad intra,ſive ſimulachri,aut imaginẽ eiuſdem, in quâ tanquam in ſpeculo relucet domus ad extra, adeoque argumentum eſt in oppoſitum. 2. quod facilis ſit diſparitas horum, quia nimirum in aliis facultatibus doctrina, & uſus,ſunt in diverſis realiter potentiis, doctrina in intellectu, & uſus in membris, in Logica è contra utrumq; eſt in intellectu. Primum horum ſic reijcio: quia doctrina ſive ars domiſfactoria, non eſt ars formandi domos ad intra;(quid enim faciunt,aut iuvant huiuſmodi domus habitationẽ, adeoque domus ad intra non eſt uſus huius artis. Secundum ſic quia prudentia, quæ eſt ars quædam moraliter benè agendi, & reſidet in intellectu, qui etiam identificatur voluntati à qua debet provenire uſus huius doctrinæ hæc inquam prudentia diſtinguitur realiter ab actu in quo eſt uſus,& praxis ſui: ergo in aliis facultatibus non proinde diſtinguitur uſus & doctrina quia ſunt in diverſis potentiis (nam hæc non ſunt in diverſis realiter potentiis,& tamen diſtinguũtur)ſed ex natura ipſorum, adeoque etiam in Logica idem eveniet à paritate. Deinde trahi poteſt huc inſtantia illa domus ad intra,nam conſtructio huius eſt ab illâ potentiâ,in qua eſt doctrina,& tamen conſtructio diſtinguitur à doctrina: nam manente illa domo ad intra in ſuo eſſe eliciuntur ab intellectu nova dictamina doctrinalia de fabrica domus ut certum eſt: ergo Rectius ergo

Obici poteſt huic concluſioni ratio præcedentis, quod nimirum Logica docens ſit ſcientia,adeoque debet continere demonſtrationem regularum ſuarum quæ eſt uſus. Ad quam dico in primis concluſiones non eſſe pugnantes,quia una loquitur de ſua Logicâ completè ſumpta; altera de ſua incompletè ſumpta,ſed relicto hoc nego conſequentiam argumenti rigidè ſumptam. Cauſa; quia non eſt de eſſentia habitus ſcientifici niſi ut habeat ſubiectum paſſiones ab illo emanantes, & media, ſeu præmiſſas per quas deducantur ex ſubiecto illæ paſsiones. Cæterum actualis illatio, aut confectio demonſtrationis,non eſt de eſſentia ſcientiæ aliàs, perfectiſsimæ illæ Phyſica,Metaphyſica,Mathematica non eſſent ſcientiæ,nam actualis demonſtratio,ſeu confectio ſyllogiſmorum non pertinet ad ipſas, ſed ad Logicam cuius uſus eſt.

Reſoluo diſtinctionem habituum utriuſque Logicæ.

4 Dico 3. verius eſſe quod habitus utriuſq; Logicæ ſcilicet docentis, & utentis diſtinguantur realiter, ac non tantum formaliter. Hæc quam ſit de mente Scoti, infra oſtendam quum etiam Ariſtotelem ad hoc ipſum adducam. Interim ſufficit ad fidem faciendam Scotiſtæ antiqui,& recentes: ita enim rem hanc intellexerunt Tartar. b optimus (ſi quiſquã)interpres Scoti, Maſtrius Bellutus, &c. c Probant aliqui ratione iam tacta ſic; quia in aliis facultatibus uſus & doctrina, ſive habitus utriuſque realiter diſtinguũtur: In Muſica,& ſaltatoria v.g. habitus enim doctrinalis ſaltandi in capite eſt, alius ille uſualis aut practicus in pede. Muſica item quoad peritiam in cerebro eſt quoad uſum in ore &c.

b q. 1. p. ibid. c Gab. Vaſq. ...

At enim adverſantes facilè ſe expediunt iſta probatione, dicunt enim, ut ſupra cauſam eſſe quia habitus illi ſunt in diverſis potentiis,eius contrarium eſt in Logica docente & utente:nam utraque eſt in eodem intellectu, adeo que ſed non exiſtimo per hoc evacuatam eſſe vim argumenti propter ea quæ hic ſubtexo. Primum quia non ex eo oritur neceſſitas novi habitus, quod actus aliquis eliciendus ſit à diverſa potentia;nam quando voluntas imperat oculo viſionem, imperium & exercitium eius ſunt à diverſis potentiis,nec tamẽ ponitur alius habitus in potentia exercente: ſecundum,quia in eadem potentia ad plures actus, dantur plures habitus principiorum, & alius habitus concluſionum: v. g. in intellectu dantur habitus, dantur ſapientia, prudentia, ut omittam ſcientias in ſpecie. In voluntate etiam res eſt evidens, quum omnium virtutum ac vitiorum habitus habeat:ergo jam non ſufficit quod aliqui actus ſint ab eadẽ potentia ad hoc ut ſint ab eodem habitu, quæ fuit reſponſio adverſariorum. Tertium, eſt ratio horum omnium à priori,quia vel in uſu illarum artium eſt nova difficultas ab illa quæ eſt in doctrina,ſeu theorica earũ, vel non eſt. Si non ſit, certè non eſt quærendus habitus imò nec admittendus,quantumvis ſit diverſa potentia,ut patet in exemplo oculi, qui quia non habet difficultatem in videndo: nec etiam habet habitum. Si autem ſit nova difficultas, ponendus eſt utique habitus indiſpenſabiliter, adeoque ut ſtatuatur, an ſit vel non ſit habitus,non eſt reſpiciendum ad potentias,utrum plures,vel una ſit; ſed attentendum eſt ad difficultates: proinde reſponſio illa nõ reſpondet quamvis maximè ea nitantur adverſarii. Quod verò in uſu Logicæ ſit difficultas alia ab illa,quæ eſt in theorica eius,patebit ex adducendis,& ex ſequenti ratione,quâ Probo 2. concluſionem, ſi Logica docens,& utens eſſent idem habitus quum augetur unus augeretur etiam alius: hoc non ſit,ergo illi non ſunt unus, ſed diverſi;patet ſequela majoris

Digitized by Google

maioris, quia idem ſine ſe non poteſt augeri, aut minui. Minor autem probatur certiſsima experientiâ qua conſtat non augeri habitum Logicæ docentis per actum Logicæ utentis. nam ex confectione enthimematis, aut ſyllogiſmi in prima figura v.g. non magis novit quis quomodo debeat illa formari ut patet experimento, & præterea ratione, quia quod non eſt ſcire, non poteſt augere ſcientiam, conficere autem non eſt ſcire, ſed quid diſparatum, ergo.

4. Scotiſtæ oppoſiti varia diverticula excogitarunt huic argumento evadendo. Aliquando reſpondent negando maiorem (concedunt enim experientiam minoris) quia inquiunt quando unus habitus habet duos actus non ſentitur facilitas, niſi in ordine ad actus, quibus tunc augetur ita illi: quæ ſolutio, niſi fallor hunc ſenſũ facit, ut quando quis elicit actus doctrinales Logicæ tunc experiatur in ſe augmentum habitus illius ut docens eſt: quando autem habet actus practicos, ſeu confectiones, tunc experiatur in ſe augmentum eius, vt utens eſt non verò augmentum eius vt docens eſt, quamvis revera illud habeat. Sed nihil facilius quam hæc refellere, nam non ex cauſa efficiẽte habet habitus quod ſentiatur, ſed à formali, ſive à ſeipſo; atq; ita ſi revera acquiratur augmentũ habitus ſentiatur ſive producatur ab his, ſive ab illis cauſis: nam etiã habitus infuſi ſentiuntur qui tamen nullis actibus producuntur; ſed à ſolo Deo. Loquor de naturalibus, ſive per accidens infuſis; vt ſi cui infũderetur ſcientia, aut habitus ieiunandi &c. Vnde etiam ipſa Logica ſi infunderetur à Deo nihilominus facilitaret potentiã.

a Poncius disp. 1. q. 6. Alius reſpondet concedendo experientiam, & negando conſequentiam: quia inquit, non debet habitus augeri per alios actus, quam per eos, qui eliciuntur ab ipſomet. Confectio autem ſyllogiſmi non fit ab habitu Logicæ docentis elicitivè, ſed regulativè, & directivè. Ita ille, non advertens quod ſic concedat potius argumentũ, quam ſolvat quatenus facit pro concluſione à me poſita in illo tenore. Illa enim tantum aſſerit dari duos realiter habitus, quorum unus ſit Logicæ docentis, alter vtentis. quod totum ſic reſpondens videtur concedere, & cogetur: nam actus illi ab aliquo habitu ſunt elicitivè, non ab alio quam utente: atqui non ſunt ab habitu docentis ſecundum ipſum elicitivè: ergo iã non datur aliquis habitus utentis, à quo ſint confectiones diſtinctus realiter ab habitu doctrinæ. Cõfirmo, & explico; nam ſine dubio per confectionem ſyllogiſmorum v.g. acquiritur facilitas aliqua conficiendi, atque ita ſit habitus aliquis, qui ſit Logica utens propriè: atqui non acquiritur habitus docentis ſecundum reſpondentem: ergo alius ab ipſo realiter: quæ ratio attendenda & adhibenda eſt, non enim ſufficit dicere (vt quidam) quod non augeatur habitus docentis per actus utentis; ſed addendũ eſt quod augeatur habitus ipſius utẽtis. Vnde breviter, & bis pro concluſione ſic argui poteſt: non augetur habitus Logicæ docentis per actus utentis, augetur autẽ habitus ipſius vtentis; ergo alius eſt habitus vtẽtis, & alius docentis. Ex altera autẽ parte ſic: Habitus vtentis non augetur per actus docentis: augetur autem habitus ipſius docentis: ergo eſt alius habitus vtentis, & alius ipſius docentis: Atq; hinc.

6 Probo de novo concluſionem refellendo fundamentum quo nituntur adverſarii: Dicunt enim cognito modo, quo debent inſtrumenta Logicalia v. g. ſyllogiſmi, fieri, non eſſe ullam difficultatem illos conficiendi in quacunque materia cognita, adeoque non debere poni ullum habitum in intellectu, niſi illum, qui verſetur circa materiã, in qua fiunt v. g. Phyſicam, vel Metaphyſicam, atq; ita nullũ qui ſit Logica docens. Ita illi; contra quos ſic arguo: non ſolum ponuntur habitus ad minuendam difficultatem, ſed etiam ad augendam facilitatem: poteſt autem ſine dubio augeri facilitas conficiendi, ſicut & cognoſcendi hæc inſtrumenta (cur enim fieri facilè poſſunt inſtrumenta localiter diſcurrendi, aut ædificandi, non verò iſta intellectualia) ergo adhuc aſsignandus eſt illis habitus, probatur maior ſic: nulla eſt difficultas aſſentiendi concluſioni demonſtratæ, & tamen ad hoc eſt habitus determinatus in intellectu, ſcilicet habitus ſcientiæ; & multò maior eſt difficultas aſſentiendi ipſis præmiſsis, ac principiis, quæ tamẽ habent habitum ſuũ qui eſt & dicitur intellectus. In voluntate etiã ſunt plurimi habitus virtutũ moralium, quibus præſtatur ei vt cum mediocritate verſetur circa obiecta delectabilia ſenſuum; & tamen in voluntate præciſe nulla eſt difficultas abſtinendi à ſenſibilibus, nec enim voluntas ſecundum ſe illis delectatur, aut offenditur, nec obſtat ſi dicas defacto tamen capi ipſã & offendi his delectationibus propter coniunctionem eius ad ſenſum: nam & ſi ita ſit, tamen ideo nõ efficit ponendum eſſe habitum in voluntate, ſed ſolum in ſenſu: & tamen non ita eſt, nec ita fuit in ſtatu naturæ conditæ, nam Adamus habuit in voluntate ſua omnis generis virtutum habitus, quum tamen voluntas eius non pateretur difficultatem in abſtinendo à ſenſibilibus: ergo. Ponendus eſt ergo magis propriè habitus ad generandam facilitatem, quam nemo negare poteſt gigni ex frequentatione uſus, ſeu confectionis inſtrumentorum Logicaliũ. Vnde aliter argui poteſt contra adverſantes ſic: cõcedunt ipſi non augeri ſcientiam ſpeculativam Logicæ per uſum: ſed etiam ſcientia in cuius materia fuerũt argumenta v.g. Phyſica, aut Metaphyſica eſt ſpeculativa: ergo non augetur per uſum; & ita nihil reſtat gignendum, niſi aliquid utentis.

Deniq; iuvari poteſt concluſio hoc argumento ad hominem Logica docens eſt ſcientia, Logica vtẽs non: ergo docens, non eſt vtens, quia idem non poteſt eſſe, & non eſſe ſcientia. Fateor diſtingui poteſt de Logica docente realiter, & formaliter ſumpta: ſed revera huiuſmodi diſtinctio non tollit difficultatem in habitibus acquiſitis; nam non poteſt unus ullus habitus acquiſitus etiam realiter ſumptus gigni ex talibus actibus v.g. ex evidentibus neceſſariis &c. & ſimul non gigni ab illis; at verò habitus ſcientificus acquiſitus debet gigni à talibus; nam niſi gigneretur non eſſet ſcientificus.

7. Obiiciunt non eſſe neceſsitatem ullius habitus ad arguendum, niſi habitus Logicæ quæ docet formam arguendi, & illius ſcientiæ quæ dat materiam argumento: ergo non debet aſſeri alius: Iam reſpõſum eſt. Dices reſponſum eſſe quod aſſerendus ſit habitus ad ponendam facilitatem; ſed ipſa facilitas non eſt ponenda, quia non neceſſaria. Reſpondeo, viderit natura cur poſuerit facilitatem arguendi in eo qui ſæpe argumentatur, noſtrum eſt aſſerere habitum, ubi videmus facilitatem. Præterea etiam retorqueo hoc argumentum in authores; nã ſi quid valet probat contra ipſos utramque Logicã, ne quidẽ formaliter diſtingui, vt patet applicando rationem; quia nimirum non ſolum ſunt multiplicandæ realitates, ſed nec formalitates etiam multiplicandæ ſunt abſque neceſsitate. At verò quod aſſumunt ipſi vt probant non eſſet neceſſariũ aliquid realiter diſtinctum à docente, probat etiam nec neceſſariũ eſſe quidpiam formaliter diſtinctũ nam actus tam diverſi ſpecie quam ſunt confectio, & argumentatio, poſſunt ab eodẽ principio indiſtincto formaliter provenire, ſic intelectus iudicat, & diſcurrit, voluntas proſequitur, & fugit, ſive amat, & odit, & alia ſexcenta: ergo.

11 Obiicio tamen adhuc pro ipſis non debere hic aſſeri habitum, aut facilitatem, quia nimirum ſumus in materia ſpectante ad intellectũ, qui eſt potentia naturalis: In potentia autẽ naturali non generatur habitus, ut patet in oculo. Reſpondeo ſi ita ſit nec dari habitum docentis, ſive identificetur, ſive diſtinguatur ab utente; ſed quia argumentũ pugnat contra hunc, & cæteros habitus, ſolvo illud quatenus facit contra utentem, de quo hic; & dico fortaſsis argumentum vincere quod non detur habitus in intellectu, quãdo fertur proſequendo; at verò benè dari poteſt quãdo fertur componendo. Item reſpondeo 3. & dico fortaſsis nõ eſſe dandũ habitũ intellectui quando tendit ad aliquem terminum naturalem, ſed benè quando agit ad aliquẽ terminũ artificialẽ, qualia ſunt inſtrumenta artis Logicæ; ſed objiciunt tertio acrius vt probent omninò non dari Logicam utentẽ habitualẽ. Logica habitualis utens debet inclinare ad uſus Logicæ, ſed nullus habitus poteſt inclinare ad uſum formaliter, ergo nulla poteſt eſſe utens habitualis. Probatio minoris, quia uſus vt uſus debet regulari per doctrinam reſpectu cuius eſt uſus, ſed habitus nõ poteſt inclinare ad actus regulatos, vt regulatos formaliter, ad hoc enim ipſe habitus deberet cognoſcere regulas quod repugnat: ergo nullus habitus poteſt inclinare ad uſum formaliter vt talem: atq; ita nec poterit dari Logica vtens. Hoc argumentum probat pluſquam eſt intentum, nam ſi non detur Logica vtens, non ſolum non diſtinguetur; ſed nec identificabitur Logicæ docenti. Reſpondit autẽ recentior quidam argumẽtum non poſſe valere, quia alias nec in voluntate darentur habitus morales: iſti enim inclinant ad actus conformes, vel conformandos regulis, quas tamẽ regulas certum eſt ipſos habitus non cognoſcere. Hic modus reſpondendi nunquam mihi probari potuit, ut ſcilicet quis - nam inſtantiam evadere velit per aliã in qua redit eadem difficultas niſi ſolvatur in prima. Itaque ex hac ipſa materia diſcendum fuit aliud eſſe docere, ſeu theoricam ſpeculativam tradere, aliud uti ea per inſtantias, & exempla. Reſpondeo ergo nagãdo minorẽ, & ad probationem dico habitũ poſſe inclinare ad actus regulatos ſimpliciter, & realiter loquendo; non eſſe autem opus ut inclinet ad regulatos ut regulatos formaliter loquẽdo, licet hoc exigatur ex parte ſuppoſiti agentis: multas enim denominationes habent actus noſtri: quæ nõ poſſunt attribui omnibus cauſis eorum ſed nec accipi ab illis. Actus enim furti eſt moraliter malus, non tamẽ habitus cõcurrẽs ad eũ, malè, aut omninò moraliter agit, ſed demus aliquid argumẽto: puto enim propter hæc, & alia, quod habitus ille, nõ ita propriè dicatur vtens, nec actus eius uſus; nõ enim vnus habitus utitur alio; ſed potẽtia ſcilicet intellectus utroq; ſed hoc ſup. a tetigi.

Arriag. diſput. 3. ſect. 1.

a *Act. 1. n. 5.*

8. Eſt etiam alia via probandi hanc partem; nam Logica utens, ſecundum pleroſq; eſt aut ſunt actus, ſive demonſtrationes aliarum ſcientiarum; quod ſi ita ſit, clarum eſt quod benè à nobis dictum ſit Logicam utentem habitualem à docente diſtingui, quia tum Logica utens habitualis erit habitus aliarum ſcientiarum quas certum eſt à Logica diſtingui.

Tertiò ſic: nã vt ſupra vidimus b Logica vtens quibuſdã eſt pars Topica: at verò pars Topica, quomodocunque ſumatur diſtinguitur à vera Logica, ut vidimus: ergo. Dices contra priorem probationẽ: Qui ponit demonſtrationes actuales aliarum ſcientiarum eſſe Logicam vtentem; ponit etiam demonſtrationes ipſius Logicæ eſſe vtentem actualem particulariter. Quod ſi ita ſit; tum Logica vtens habitualis erit ipſa docens. Certum eſt autem docentem non diſtingui à ſe ipſa: ergo nec ab vtente, nec à docente. Reſpondeo et ſi ita ſit tamẽ nos habere meliorem partem quã negantes: nam ad hoc vt ſententia negans iſtas Logicas eſſet vera, oporteret nullam vtentem habitualem diſtingui à docente habituali, quod ipſi vident eſſe falſum. Reſpondeo 2. non ſequi hoc, quia qui poneret Logicas demonſtrationes eſſe Logicam vtentem actualem deberet dicere, quod non detur Logica vtẽs in actu primo ex hac parte: illa enim eſt Logica ut docens ſicut in aliis ſcientiis Phyſica ut ſpeculativa eſt Logica vtens in actu primo juxta hanc viam certum eſt autem quod Logica docens, ut docens non ſit vtens, quidquid ſit de aliis ſcientiis v. g. de eo an Phyſica docens, ſeu ſpeculativè ſumpta ſit vtens, quia ſemper ſervandum eſt aliquod diſcrimen inter vtramque Logicam ſaltem formale, vel diverſarum quidditatum: ergo.

b *ibid. 4.*

ACTIO QVARTA

Vtrum Logica Vtens ſit ſcientia, nec ne.

BREVIARIVM

Num. 1. *Concluſio negativa: an rectè probetur à Scotiſtis eſſe Scoti?*

2. *Plures probationes eius.*

3. *Nova ratio dubitandi contra concluſionem.*

4. *Reſpondetur titulo quæſtionis in alio ſenſu. Pars Topica an ſcientifica?*

1. HVic quæſtioni occaſionem dedimus præcedenti actione, quum ſcilicet diximus utentem eſſe habitum diſtinctum realiter à docente: de illo enim quæritur quali ſit? Reſpondeo autem, & Dico eum non eſſe ſcientiam. Ita a *Doctor* paſſim propter quod b Scotiſtæ catervatim hanc ſequuntur.

At enim vereor ne hi omnes non intellexerint Doctorẽ: ut enim ſuprà c oſtendi apud Scotũ; & alios veteres, Logica utens ſignificabat partem Topicam quæ miniſtrat materiam, & media argumentis; non verò ſonabat, quod hodie in Scholis ſignificat, ſcilicet habitum inclinantem ad confectionem inſtrumẽtorum Logicalium. Libet id oſtendere ſemel ne noſtri amplius hallucinentur; ait autem Doctor primo loco ſupra. *Intelligendum quod Logica dupliciter conſideratur: uno modo in quantum eſt docens, & ſic ex neceſſariis, & propriis principiis procedit ad proprias concluſiones. Alio modo in quantum utimur ea applicando eam ad illa, in quibus eſt uſus, & ſic non eſt ex propriis; ſed ex cõmunibus, &c* ut ſuprà in themate. Quod egregiè deinde explicat 2. loco citato ſcilicet q. 1. Elenchor. Nam, inquit, *oſtendit quod amor & odium ſunt in eodem ſuſceptibili, non per proprietatem amoris, vel odii; Sed per hoc medium quod contraria nata ſunt fieri circa idem.* Vbi Logicam utentem intelligit ratione materiæ Topicæ, ſeu probabilis, non verò ratione confectionis vel formæ? ſed quidquid de hoc ſit, quod etiam infra tangam; pro nunc.

a *q. 1. univerſ. qu. 1 Elench. q 43. ſuper Poſter. &c.*
b *Mauriz. Sarn. Braſauol. in q. 1. univerſ. Scot. Faber the. 1. c. 1. Conc. 2. Rocc. q. 1 proœm. Ponc. d. 2. quæſt 6.*
c *Act. 1. n. 4*

2. Probo concluſionem poſitam, quod ſcilicet utens habitualis in ſenſu explicato non ſit ſcientia; quia habitus ſpecificatur ab actibus, ut notum eſt, atque ita qui non habet actum ſcientificum, non eſt ſcientia: Logica utens non habet actum ſcientificum, quod probo pluries primo, quia actus utentis eſt confectio, aut conſtructio inſtrumentorum; ſed confectio non eſt ſcientia, neque conficere eſt ſcire, ut patet (& ſupra probavi) vel inde quia conficere prærequirit ſcire 2. quia actus ſcientificus ſemper eſt circa univerſale. Vſus Logicæ, qui eſt confectio ſyllogiſmi v. g. ſemper eſt circa ſingularia; nec enim confici poteſt ſyllogiſmus ut ſic, aut univerſalis: ergo. Tertio quia Logica actualis utens eſt extra totum genus ſcientiæ. Scientia enim eſt ſub non genere qualitatis: Logica actualiter utens; non ſed ſub genere actionis eſt enim actualis confectio, aut fabrica inſtrumẽti alicuius v. g.

Digitized by Google

a ante- c. 4.

demonſtrationis, aut definitionis, ſcimus autem *a diverſorum generum nonſubalternatim poſitorum diverſas eſſe ſpecies*; & ſcimus actionem & qualitatem eſſe diverſa genera non ſubalterna: atque adeo nihil unum poterit eſſe ſpecies utriuſque: quum ergo utens actualis ſit ſpecies actionis, non poterit eſſe ſpecies qualitatis, adeoque nec ſcientiæ. Quarto ex D. Thoma quia utens, & ſcientia habent oppoſitos modos procedendi. ſcientia enim procedit reſolutivè, reſolvendo ſcilicet concluſionem in ſua principia; utens verò compoſitivè. Probatur etiam concluſio ipſa adhuc. Quia utens præſupponit Logicam in eſſe ſcientiæ conſtitutam: ergo ipſa utens non eſt ſcientia; antecedens probatur in primis de utente actuali, quia impoſſibile eſt quidpiam facere artificiosè niſi faciens ſciat qualiter ſit faciendo. Quæ ratio, (ut benè notavit noſter *b Rodriguez*) procedit etiam de Logica utente habituali; nam ſicut ſe habet Logica actualis utens ad docentem actualem, ita habitualis ad habitualem. Conſequẽtia verò probatur primo, quia nulla ſcientia præſupponit aliam, ſcientia enim ſolum præſupponit principia. (Abſtraho jam à ſubalternantibus, & ſubalternatis, qualis ſine dubio non eſt Logica utens.) Secundo, quia de eodem objecto non poſſunt dari plures ſcientiæ ſecundum eandem rationem objecti: cum ergo probatum ſit Logicam docentem eſſe ſcientiam, non poterit utens eſſe, & eſſe (ſicut certiſſimè eſt) de eodem objecto; non enim erunt diverſæ ſpeciei, cum ſit eiuſdẽ objecti; nec eiuſdem ſpeciei, quũ ſit in eodẽ intellectu, nam accidentia ſolo numero diſtincta nõ poſſunt in eodẽ ſubjecto multiplicari.

b prœm. art. 3.

Probari aliter poteſt, quia ſcientia poteſt reſpondere quæſtioni factæ de cauſa; ipſa enim non eſt aliud, quã allegatio cauſæ: Logica utens non; nam ſi quæratur ratio concluſionis illatæ v. g. cur mixtũ ſit corruptibile? rationẽ huius reddit Phyſicus, & alterius Metaphyſicus: nullius autẽ Logica utens: ſi enim nõ unius, certè nec alterius, quũ æqua ſit ratio omniũ. Confirmo: nam ſi rationem alicuius redderet, jam eſſet docens, id enim eſt propriè docere: non eſt autẽ docens, nec eſſe poteſt; ergo. Explicatur 1 ratio & confirmatio: nam ſi noſſet causã & naturã rerum, puta paſſionis illatæ, & definitionem objecti, quæ eſt mediũ in demonſtratione propter quid, ſeu per causã, eſſet cõtemplatrix: non eſt autem nec eſſe poteſt. Etenim hic agimus de Logica propriè, ut utente, ſive ut practica eſt: ergo.

Poſſumus denique hic uti paritate aliarum artium, ſeu habituũ practicantiũ: nam habitus ſaltandi, vel canendi, qui eſt in membris hominis, non eſt ſcientia: At verò Logica utens reſpondet huic habitui, ſicut & docens reſpondet habitui Muſicæ, qui in hominis intellectu reſidet, & eſt verè ſcientificus: ergo.

Ratio ſequelæ eſt quia diſcrimen, quod intercedit inter Logicam vtentem, & huiuſmodi habitus organicos, planè impertinens eſt ad rationem ſcientiæ aſſignandam, vel negandã; quod ſcilicet iſti ſint in diverſis potentiis, vtraq; autem Logica, ſcilicet tam utens quã docens ſit in eodem intellectu, nõ enim aliquis habitus ſit ſcientia ex eo quod in intellectu reſideat, quũ in intellectu ſint etiam opiniones, & artes.

3. Obiicio tamen, vſum Logicæ non eſſe, vt nos explicavimus, ſcilicet productionem, aut confectionem inſtrumentorum ſciendi nam ſi quis fortuito conficeret ſyllogiſmos, vel etiam naturaliter, vt contingit ſubinde in ſomno, aut etiã ſicut pſittacus, merè materialiter, vtiq; conficeret, & loqueretur ſyllogiſmos &c. nec tamen interim habetet actum Logicæ vtentis, quia non vteretur docente, aut præceptis eius in formando ſyllogiſmos illos: ergo iam actus Logicæ vtentis ſunt ſcientifici: ideo enim confectiones iam enumeratæ non ſunt Logica vtens quia deeſt ipſis ille influxus doctrinæ, aut ſcientiæ; explicari poteſt res inſtantia paulò magis clariori. Nam ſi in ruina aliqua montis, aut alterius machinæ lapides & cætera rudera ita ſuper terram deciderent, vt domũ facerent exhibendo parietes, feneſtras, & tecta, adhuc domus illa non eſſet architectonici uſus quum natura, aut fortuna, quæ conſtruxit domum illam non poſſit uti architectura: ergo ſignum eſt quod hæc & ſimilia qualis eſt Logica habeant vſum ſcientificum.

Explico, & augeo argumentum; nam qui negant Logicam vtentem eſſe ſcientiã dicant eam eſſe artem, at verò cõfectiones illæ nõ ſunt artes, aut artificioſæ, vt patet in exemplo iam poſito de architectura: ergo Reſpondeo hæc omnia bene probare ad quod Logicam utentem concurrat actus ſcientificus, aut doctrinalis, non verò oſtendi per hoc quod ipſemet uſus Logicæ ſit talis. Dices ergo in hoc complexo actus Logicæ vtentis, includitur actus ſcientificus: non includitur niſi vnus actus, vtiq; enim poteſt dari vnus actus, qui ſit actus Logicæ vtentis: ergo. Reſpondeo includi in eo complexo actum ſcientificum; ſed tanquam connotatum, non tanquam ſignificatum; ſicut in hoc complexo actio libera includitur actus intellectus; quamvis actus propriè liber ſit propriè actus voluntatis. Obijciunt aliqui. Illa facultas eſt ſcientia quæ demonſtrat paſsiones de obiectis, hoc facit Logica; item, ipſa enim eſt quæ demonſtrationes cõficit, quum formatio demonſtrationum ſit vſus Logicæ docentis. Reſpondeo facile diſtinguendo majorem: Illa facultas eſt ſcientia quæ demõſtrat paſsiones miniſtrando materiam id eſt principia. & præmiſſas cõcedo; quæ diſponendo tantum materiam nego: hoc proximum facit logica utens, non amplius, adeoq;.

4 Expectabit hic aliquis, ut reſpondeamus titulo in ſenſu ſeu acceptione Logicæ docentis, quem ſupra approbavimus ex Scoto, vt ſignificat partem Topicã; ad quod feſtini reſpondent Scotiſtæ, c & cum illis alii ferè omnes: vtentem ſic ſumptam, ſive (quod idẽ eſt) partem Topicã eſſe ſcientiam quia: (inquiunt) illa etiã pars demonſtrat de ſubiecto ſuo paſsionem, probat enim ſyllogiſmum Topicum generare opinionẽ, quia cõſtat ex medio probabili, ſicut Analitica probat ſuum ſyllogiſmum generare ſcientiam, quia conſtat ex mediis neceſſariis, ita illi animosè ergo cõtra.

c Maurit. in exp. Scoti. Maſt. & Bellut. q. prœm. art. 4. Poncius. d. 2. q. 7.

Cenſeo Logicam hanc non eſſe ſcientiam, neque authores illos ſufficienter affirmativam, ſeu oppoſitam partem probaſſe. Rationem ſecundi huius do: quia quum agamus de Logica quæ traditur in ſcholis, adferri debuit demõſtratio aliqua ipſius, qua cõcludat paſsionem aliquam certò, & efficaciter de ſuo obiecto: quod non eſt factũ; neque enim illa demonſtratio facile inveniretur in Topicis, quæ jã docentur, & legũtur, alioquin citẽt locũ Ariſtot. ubi ea habeat.

Sed & ego oſtenſivè probo non poſſe id præſtari ab ipſis, aut etiam ab Ariſtotele: certè autem non debuiſſe, quia nimirum judicare de parte Topica, non pertinet ad partem Topicã ſicut dare ſententiam de viſione non pertinet ad oculum (quia oculus non judicat niſi de coloribus in quorum numero non eſt viſus,) ſed ad aliquem ſenſum ſuperiorem & communem, vel etiam ad intellectum, & ſic de aliis: adeoque ſimiliter judicare de parte Topica non pertinet ad partem Topicam, ſed ad aliã facultatem, quæ extra totam Logicã eſt. Itaq; prabatio illa intẽpeſtativè huc eſt producta.

Probatio autem mei aſſerti, quod Topica non ſit ſcientia, eſt ex natura quam habet oppoſitam illis facultatibus, quæ ab omnibus cenſentur ſcientiæ: v. g. Phyſica eſt ſcientia quia pro concluſionibus quas docet, tradit media neceſſaria, & efficacia ad illas probãdas, habet principia neceſſaria, aliqua etiã ex terminis nota, quæ convincunt omnẽ intellectũ ad concedẽdam ei eiuſmodi paſſionem: ſimiliter Metaphyſica, & Ma-

Digitized by Google

& Mathematica adhuc magis. Cuius contrarium planè contingit in Topica : illa enim miniſtrat media probabilia duntaxat, & dubia, quibus nullus intellectus cogitur, imò quiſque poteſt (ſi velit) diſſentire, ut quod omnis mater diligit filios ; quod novercæ oderint privignos. & ſimilia, quæ quamvis ut plurimum vera ſint, tamen aliquando etiam mentiuntur.

Tractant hanc materiam.

Plato apud Photinum *Enead.* 1. *lib.* 4. Reliquì Græci apud Zarabell. *hic infra producendum.* Aver. etiam 1. *Phyſic. commento.* 35. D. Thom. 4. *Met.* Doctor noſter, qui cæteris præiuit *q* 3. *Elench.* Caet. 1.2. *q.*57. *ar.*6. Vaſquez 1. *p. diſp.*8. *c.*5. Rodriguez *noſter q.*1. *proœm.* Soto *q* 2. Sanchez *lib.* 1. *Logica q.*6. Maſius *ſect.* 1. *q.* 4. Conymb. *hic q* 1 ar... Complut. ibid. *diſp. q.*5. Faber. *theor* 1. *c.* 5. Ioan. à S. Thoma *p.*2. *Log. q.* 1. *ar.*5. Didac. *q.*5. Raphl. Averſ. *q.*1 *Log. ſect.*5. Ioanns Lademandt *diſp* 3 *partit. etiam* 3. Flandria 2. *Met. q.*5 *ar.*2 Arago. *ib.* 3 *ar.* 2. Petrus Hurtado *diſp* 2. *Logica ſect.* 1. Poncius *ibid q* 6, Rodericus Ariag. *diſp.*3. *Logica ſect.*1. Maſtr. & Bellut *q. proœmial. ar* 1. Merin. *q. proœm.* 1 Fonſeca 2. *Metaph. q.*1. Zarabell. *lib de natura Logica* Rub *in proœm. q.*3 Balduin. *q.*7. Mirandul. *in commentar. Log. ſect.*8. & ante hos Alenſis noſter 7 *Met. tex.* 2 Anton. de Fantis *in ſpeculo rationali ar.*2. *diff.* 12. Honorat. de Robert. *tract.* 2. *Prolegom. theor.*2. & 3. Amicus *tract.* 1 *q. ult.* Franc. Oviedo *contr.* 2. *Logica punct.* 2.

APOLOGIA TERTIA
PROOEMIALIS
CVIVSMODI SCIENTIA SIT LOGICA.
Practica an Speculativa ?

Actio I. Quid ſit propriè praxis à qua ſcientia denominatur practica ?
Actio II. Defendit alias partes Definitionis praxeos apud Scotum citatum.
Actio III. Vtrum praxes debeant elici ab eo in quo ſupponitur eſſe ſcientia practica earum : nec ne?
Actio IV. Quomodo ſe debeat habere ſcientia ad praxim, ut ipſa practica ſit ? Seu quomodo debeat ad praxim extendi, & dictare de ipſa?
Actio V. Vnde habeatur ſpecificatio ſcientiæ in eſſe practicæ aut ſpeculativæ, ab objecto, an à fine?
Actio VI. Reſolutiva controverſia de Logica, utrum practica ſit an ſpeculativa?
Actio VII. Rejicitur modus dicendi Recentiorum.

Scot. in Prolog. q. 4. n. 3.

STando præciſè in actibus intellectus nulla eſt praxis, quia nulla eſt extenſio intellectus ; quia non extra ſe tendit, niſi ut actus eius reſpicit actum alterius potentia. Et ſi dicas unum actum intellectus extendi ad alium directum per illum, non propter hoc ſecundus eſt praxis, ut modo loquimur, nec primus eſt cognitio practica ; quia tunc Logica eſſet practica, quia dirigit in actibus diſcurrendi.

Idem 6. Met. quæſt. 1. num. 14.

Poſſet dici quod Logica eſt practica, quia non eſt tantum propter ſcire proprium ; ſed propter ſcire directivum in aliquo actu : quia enim, intellectus in actu proprio diſcurſivo poteſt errare, indiget habitu directivo, priuſquam dirigat in aliis ſcientiis ſecundum Boëtium ſuper Phorphyrium. ideo Logica poteſt dici primo practica inventa extendendo nomen : quia tamen iſte actus in quo dirigit, non eſt niſi ſpeculatio, ideò propriè Logica non eſt practica &c.

ACTIO PRIMA.

Quid ſit propriè praxis à qua ſcientia denominatur propriè practica ?

BREVIARIVM

Num. 1. *Definita praxis à Scoto. Calumnia recentis cuiuſdam reiecta*
2. *Πραξως Ποίρσισ an diſtincta, & quomodo ?*
3. *Praxis Ariſtotelis quid ?*
4. *In ſacris litteris quid?*
5 *Fundamentum oppoſiti ; Prudentia num practica ?*
6. *Alterū fundamentum: & titulus Ariſtotelis ex Græco.*
7. *Ratio Scoti à recentibus allata, expenditur.*

1. NOtâ praxi, ſtatim ex adverſo ſcio-cur ſpeculatio, quæ quaſi è diametro opponitur ei ; utrâque autem cognitâ eo ipſo eluceſcet ſcientia practica, & ſpeculativa.

Praxim autem definit Doctor Subtilis, quod ſit *actus alterius potentia, quam intellectus, naturaliter poſterior*

Digitized by Google

ſterior intellectione natus elici conformiter rationi rectæ, ut ſit actus rectus: ita ad verbum Doctor q 4. prolo. non autem ut quidam *a* ex ipſo deſcripſit *natus elici conformiter ad dictamen rectæ rationis*: nam, ut omittam, quod omiſerit conditionem illam videlicet *ad hoc ut ſit rectus*; non omnis praxis eſt nata elici conformiter ad dictamen rectæ rationis, ut infra. Cæterum contra definitionem hanc praxis conſpirarunt ferè omnes omnino recentes. Aliquis *b* dicit eam abundare ſuperfluis particulis; alius *c* carere fundamento: alii alia dicunt maximè contra primam particulam eius, quæ omnia infra facile refellemus: nunc tantum producam authores tam domeſticos, quam extraneos, qui in hoc cum Doctore ſentiunt, ut appareat quam *d* quidam eorum ſcripſerit univerſam ſcholam hic ſtare contra Scotum nam cum Scoto hic ſentiunt *e* Liehet; Bargius. Tartaret *f*. Anton. Andreas. *g* Zerbius. *h* Faber. *i* Smizing *k* Cavellus. *l* Camerarius. *m* Merinerus. *n* Poncius. *o* Maſtrius, & Bellutus. Ad hæc *p* Cajet. *q* Capreolus. *r* Iavellus *ſ* Ferrarienſis. *t* Didacus à Ieſu. *u* Conplut. & *x* Gallego. omnes Claſſici authores, ex utraque ſchola hinc tum Scotiſtica, tum Aquinatis, quos non videtur conſuluiſſe hic cenſor alioquin aliud didiciſſet.

2. Sed ut rem ipſam tractemus, examinabo, & tuebor definitionem praxis per ſingulas partes eius, incipiēdo à primâ, quæ dicit praxim eſſe actum alterius potētiæ ab intellectu, ſive quod idem eſt, actū intellectus non eſſe praxim; quam partē omnes vel maximè impugnant. Probo autem ipſam ſive, Scotum ſic eſſe propriè loquutum; quia nimirum in quæſtione quæ parte maximâ ſui nominalis eſt, ut iſta (etenim lis eſt quid debeat intelligi per ly praxis) ſtandum eſt authorum uſui, maximè vero veterū, à quibus voces ipſæ cœperunt. At verò hæc acceptio praxis eſt ultimata ſignificatio eius apud Ariſtotelē, cui in hac materia ſtandum eſſe omnes fatentur: ſciendum enim eſt apud Græcos, qui accuratius, quā Latini rerum appellationes diſtinxerunt, actiones hominum in tres eſſe diviſas: alia enim dicta eſt πρᾶξις; alia ποίησις, θεωρία quas voces *y* Quintil. Latinè reddidit actio, factio, contemplatio, & quidē contemplatio apud omnes conſtat quid ſignificet, ſcilicet merum veritatis intuitum, non deſcendēdo ad actionem ullam. At verò Actio ipſi Quintiliano, & Græcis Grammaticis ſecundum ipſum, ſignificat exercitium aliquod poſt quod nullū opus remanet, ut ſaltatio. Factio è contra poſt quod remanet terminus eius, ut ædificatio, poſt quā remanet domus. Et quidem negandum non eſt quin Ariſtoteles etiā uſus ſit iſtis vocibus in hac ſignificatione. Nam 1. Polit 3 *Quæ igitur inſtrumenta dicuntur, factiva ſunt: quod verò poſſidemus activum; (ratio) à pectine enim aliquid fit præter illius uſum &c.* Et clarius 6. Ethic. 5 *effectionis alius eſt finis præter ipsā effectionē, actionis verò nequaquā.*

3. At verò hanc non eſſe ultimatam & conſtantem Ariſtotelis mentem de harum vocum ſignificatione, Patet. 1. quoniam in ultimo loco ſcilicet ex 6. Ethic. Secundum aliquos Codices non habet abſolutam negationem, aut illud *nequaquam*, ſed *non ſemper*, id quod ſanè arguit, quod ipſe non ſenſerit hoc eſſe ultimatum diſcrimen inter agere, & facere. Præterea quia alibi hæc duo manifeſtè confundit: nam 2 Met 2 Vbi nos legimus *ſpeculativæ etenim finis veritas, practicæ autem opus.* Verſio Græca apud Fonſecam habet θεωρητικῆς μὲν γὰρ τέλος ἀλήθεια πρακτικῆς δὲ ἔργον at vero vox ἔργον Græca proprietate ſignificat finem, ſeu terminum operationis remanentem poſt ipſam, qualis eſt ſcriptura poſt ſcriptionē, domus poſt ædificationem: atque ita jam non hæret Ariſtoteles in illa acceptione praxis, ut ſit actio, cui nullus terminus ſupereſt (ipſa præterita,) aut ut ſola operatio ποιητικὴ ſit huiuſmodi quum ipſe expreſſe aſſignaverit eiuſmodi terminum praxi. Quærenda eſt ergo alia acceptio harum vocum, in qua denique hæreat ultimatè Ariſtoteles; habet autem eam tam in Acroamaticis, quam in Ethicis libris, & eſt hæc, quod Actio, quæ reſpondet praxi, ſignificet operationem liberam. Factio autem operationem artificioſam: nam 6. Met. cap. & text. 1. docet quod quum naturalis ſcientia circa talem ſubſtantiam ſit, in qua principium eſt motus, & ſtatus, *nec activa, nec factiva eſt* cuius rationem ſubdit: *factivorum enim in faciente principium eſt, aut intellectus, aut ars: activorum enim in agente electio.* Et adhuc clarius. *Idem enim agibile, quod eligibile.* Ex quibus habetur agere, & actio & agibile eſſe libera omnia; ſunt enim dependentia ab electione, quæ eſt actus volūtatis, & proinde libera: factionem vero eſſe opus artificioſum ſatis declarant illa *factivorum enim in faciente principium eſt*: nam illius termini extra principium in homine eſt niſi termini artefacti.

Dices principium generationis eſſe in generante v. g. principium filii eſt in patre ergò falſo dictum eſt nullius termini extra principium eſſe in homine niſi artefacti. Reſpondeo filium non eſſe factum, quum genitum, & factum opponantur. Deinde quantumvis principiū filii ſit in patre, tamen principium eius non eſt intellectus, aut ars: nam generatio univoca viventium, quum ſit actus potentiæ vegetativæ non eget ductu intellectus, neque regulatur ulla arte. Itaque vera acceptio praxis apud Ariſtotelem eſt ut ſignificet actum liberum: At verò actus intellectus præcedens voluntatem manifeſtum eſt quod non ſit liber: ergo jam merito excluſit eum Scotus à ratione praxis. Adjiciamus adhuc de mente Ariſtotelis. 1. mag. moral. c. 8. ait, *Actionis tam bonæ quam malæ principium eſt propoſitum & voluntas* Ecce actionem dependere à cauſa libera ſed & 6. Ethic. c. 2. *Contemplativa autem cogitationis, & non activa, neque effectiva benè, & male eſſe eſt verum, & falſum: Sed activæ veritas eſt, quæ appetitui recto conſentanea eſt*, Et infra ſtatim clarius. *Electio igitur actionis principiū eſt.* Itaque non dubium eſt hanc fuiſſe mentem Ariſtotelis, quam ulterius repetit c 4. ſequenti. *Quia* (inquiens) *effectio, & actio diverſum quid eſt non actionis; ſed effectionis eſſe artem neceſſe eſt.* Vides effectionem ubique eſſe artificioſam, ſicut actionem liberam.

4 Sed & ſacræ litteræ eodem tono loquuntur; nam Matth. 17. ubi nos legimus *reddet unicuique ſecundū opera eius* Græcus habet. κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ Imo & Arias Montanus non trāſtulit *ſecundum opera*; ſed *ſecundum actiones eius.* Quo poſito quæro ex his hominibus qui tam acriter contendunt actum intellectus eſſe praxim, etiam ut præcedit imperiū voluntatis, quæro inquam utrum quiſquam judicandus ſit de eiuſmodi actu an non? Reſpondebit utique quod non: oppoſitum enim judicium iniuſtum eſſet, & tamen vindicabitur unuſquiſque de qualibet praxi: ergo jam nullus actus intellectus, aut alius quiſquam neceſſarius eſt praxis.

Probavit etiam ipſe Scotus aſſertum ſuum quoad hoc ex eodem Philoſopho, qui inquit *Intellectum extenſione fieri practicum*; fit autem practicus ſine dubio tendendo in praxim: ergo non tendit in praxim, niſi tendendo extra ſe: adeoque intra ſe non invenit praxim, quod eſt dicere aliis termi-

forma artificialis de ſubiecto naturali eſt cótingens; ſed in illa minori ſuprapoſita, prædicatur ſecúda intentio de prima, & forma artificialis de ſubiecto naturali: quia ſyllogiſmus in Barbara non eſt niſi tres actus intellectus ſic ordinati, in qua ordinatione conſiſtit forma Barbara: atque ita prædicari formam Barbara de aliquo diſcurſu eſt prædicari ſecundam intentionem de prima; nam actus intellectus, aſſenſus, diſſenſus &c. ſunt termini primæ intentionis. Barbara, Celarent. Nomen, Verbum &c. ſunt ſecundæ intentionis: atque ita denique illa minor eſt contingens quum omnis forma ſecundæ intentionis contingenter adueniat ſubiecto primæ intentionis, & omnis forma artificialis, qualis eſt forma Barbara accidẽtalis ſit ſubiecto naturali qualis eſt vnus, vel plures actus intellectus. Confirmatur hic diſcurſus reducendo eũ ad alium proximè factum de obiecto artium mechanicarum: nam ſi formauero ſimilem ſyllogiſmũ in materia illarum, apparebit ſtatim minor eſſe cótingens: ſit enim iſte:

Omne ferrum ita fabrefactum, ut ab una parte ſit acutum, ab alterâ obtuſum, eſt ſciſſivum. Hoc ferrũ (vocetur autem ferrum Barbara, aut Celarent) eſt ita fabrefactum.

Ergo hoc ferrum eſt ſciſſivum.

Reuera enim hæc non eſt demóſtratio, quia minor non eſt neceſſaria; ſed manifeſtè contingens, quum clarum ſit contingens eſſe, quod hoc ferrum habeat unam extremitatem acutam, & alteram obtuſam.

Reſpódeo hic vltimus diſcurſus adductus ex fabrili arte nó eſt demonſtratio, & habet vitiũ, quod Smiglerius imputauit demonſtrationibus Logicis, ſed falſo, quia non attulit utrobique paritatem: nã in ſyllogiſmo illo mechanico prædicantur verè termini artificiales de naturalibus, puta eſſe fabrefactũ de ferro, vnde non poteſt ſyllogiſmus conſtare ex materia neceſſaria, quum minor ſit contingens, quia contingens omnino eſt, quod compoſitum Phyſicum habeat formam artificialem. At verò in caſu noſtro, & in ipſo ſyllogiſmo adducto non eſt ita; non enim prædicantur termini ſecundæ intentionis de terminis primæ, ſed termini ſecundæ intentionis de ſecundis intentionibus: nam tres termini illius ſyllogiſmi ſunt: cóſtare tali diſpoſitione; ſyllogiſmus in Barbara; & rectè concludere; quæ omnia ſunt intentionalia, vt vides: ergo. 12. Ex quibus patet, (opinor) immerito ſcripſiſſe quendam recentem; hanc. An Logica ſit ſcientia? eſſe quæſtionem de nomine duntaxat; quum ſolidas, & ſatis moleſtas difficultates contineat; ſed hoc eſt modernis aliquot familiare, quo ita antiquitatẽ quaſi Nominalem traducant. Mouetur ipſe ad id exiſtimandum; quia, inquit, conueniunt authores hinc inde, quod Logica habeat actus aliquot ſcientificos, & alios probabiles, ſeu opinatiuos: diſſentiunt autẽ num ratione actuum ſcientificorum dicenda ſit ſcientia; an ratione probabilium opinio: Et quidni? ergone de nomine contendent? conueniunt authores hominem conſtare ex vna ſui parte corruptibili, ex altera vero incorruptibili & immortali: ergo de nomine lis erit vtrum homo dicendus ſit mortalis, an incorruptibilis, & immortalis. Hæc hypothetica. *Deus omnia nouit: & Socrates ſcribit*: clarum eſt quod conſtet ex vna cathegorica neceſſaria, atque ex altera contingenti, & tamen inter Logicos nunquam dubitatum eſt utrum ipſa, & ſimiles eſſent contingentes, ſimiliter hinc capi poteſt quam nó ſatisfecerit quæſito alius, qui inquit

Frantiſ. Ouido. Contr. 2 log. punc. 3

Roder. Arriaga diſp. 3 log. ſect. 2

Logicam eſſe ſcientiam, quia intelligit nomine Logicæ eam Logicæ partem, quæ ſcientificè agit de ſuo objecto: nam neque Logicæ nomine intelligenda eſt illa pars Logicæ ſed tota, neque vnquam fuit quæſtio, an pars quæ ſcientificè agit de ſuo obiecto ſit ſcientia. Et minus tolerandum eſt quod ait idem communem ſententiam in hoc ſenſu intelligere concluſionem.

Recentes quidam reiecti

Prius tamen quam hac ſtatione diſcedam libet notare quorundam carpendi libidinem & (ne excedam verbo) petulantiam: D. Thomas (ait horum vnus) noluit Logicam eſſe ſcientiam, ſed modũ ſciendi, quia fabricat ſuum obiectum. Contra Ioannes Duns aſſeruit eam in cenſum ſcientiarum: quãdoquidem per definitionem ſubjecti probat de eo paſſiones, vterque mutile aut male. D. Thomas malè quia dixit eam nó eſſe ſcientiam, Ioannes mutile, quia non dixit eam eſſe practicam, quæ duæ huius medici Cryſes & fide laborant & ratione: Nam D. Thomas noluit Logicam eſſe ſcientiam, ſed palam profeſſus eſt.

Iuli. Scaliger 307 n. 23

Neque Scotus debuit omnia ructim euomere ne mutilus eſſet, alias mutilauit ſe Scaliger, qui de dimenſionibus diſſereret quod non ſtatim ibi, ſed longè ſerius Cæſarius Ponte deſcripſerit. At cũ Scaligero non modo fides ac ratio, ſed & Scaliger ipſe pugnat: eſt enim Logica [ipſius verbis & ſententiâ] ſcientia practica, itaque, [inquit] & fabricat ſibi ſubjectum ſuũ, ſicut Rhetorica & Grammatica, & poſtquam conſtituit, probat de ea affectus, (quod ex Scoto deſumpſit) ut facile ei Cardanus vicem referre poſſet & antilogiam improperare.

exerc. 319

Longè amplius ius damnandi in authores aſſumpſit alius eiuſdem inſtituti. Mundus, inquit, paſſus eſt ſe circumueniri per Ariſtotelem quod iactitet Logicam matrem omnium ſcientiarum, nec alias nos ſcire quam per Demonſtrationem, cui denique vel inuito intrudit quod eam non amplius abſtruſã aliquam ſcientiam, ſed nativum quoddam rixandi iurgium & ad hoc compoſitã methodum æſtimet. Legimus quemdam cũ contra aliũ ſcriberet ſolitũ ſibi caput benè purgare, ne quo impetu Aduerſarium plus æquo feriret; quo ſi ſane par foret hunc tam quæſtorium Cenſorem ab eo didiciſſe; ſed

Ioan. Baptiſt. van Helmont

Obijcit ſe Ille, inter 19 ſyllogiſmorũ formulas 12 concludunt negatiuè, nulla autem negatio unquam ſcientiam peperit, quam aliquid priuatiuè contineat; nihil quæ doceat eſſe quod negat aliquid eſſe. Scientia vero poſitiua ſit neceſſe eſt. Reſpondeo primo. etſi demus quod aſſumit. adhuc ſuper eſſe Logicæ rationem ſcientiæ. & ſyllogiſmo partem eius ſcientiæ, num ipſius conceſſione, & ſyllogiſmus alios 7. modos habet. Deinde aliud eſt ſcientiã poſitiuam, aliud de poſitiuo eſſe. Primum nobiſcũ dicit: ſecundum ſolus, ſed falsò, nam & Socrates ſpargebat ſcire ſe quod nihil ſciret. Et manifeſtè demonſtrari poteſt non poſſe dari ſecundum Deum, multò minus multos. Contra vrgeo; hoc quod eſt non dari ſecundum Deum, ſynonimum eſt huic quod ſit vnicus tantum Deus: atqui hoc eſt demonſtrabile, &c. ſcibile quidni ergo illud? Certè ſi daretur ſcientia de eo quod ego huius hominis ampullas contemnam, daretur etiam de eo quod eius ampullæ a me contemnuntur, eo quod ſint ſynonima, & ambo in idem recidant.

Obijcit 2. Demonſtrantes Logicæ innituntur illi principio quod *quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt idem*

Digitized by Google

idem inter ſe. quod ultimum in concluſione ſcitur: & tamen id in ipſis præmiſſis virtualiter apparuit, vt concluſio non ſit nova cognitio, ſed explicatio præhabitæ. Confirmat quia concluſio aliquando minus dicit quã præmiſſæ: ſubinde enim præmiſſæ ſunt vniuerſales, illa autem particularis: & ſi ulla ex præmiſſas ſit negatiua, concluſio non audet affirmare, vnde apud ipſos Logicos ſequitur debiliorem partem, neque plus remanet in ipſis præmiſſis quæ tranſeunt in cognitionem, atque ita iam præſtat præmiſſas ipſas & quidem ſolas diſcere quũ concluſio nil illis addat, ſed detrahat aliquid potius Hoc ferè illæ, nec enim ſatis ſe explicat. Cui reſpondendum eſt quod aliud agat & aliud velit agere vult probare formam ſyllogiſticam eſſe inutilem & tamen nil proficit, quum probet tantum concluſionem non eſſe vtilem, aut ſaltem non neceſſariam. Quot autem ſunt qui dicunt concluſionem non eſſe aliquid ſyllogiſmi. Deinde etſi hi fortè fallantur, non tamen ipſe vicit, nec enim inutil eſt elicere aliquid formaliter inde vbi præfuit tantum virtualiter: quantò libentius ille ederet amygdala & dactylos, quantò carius emeret arbores iam adultas quam earum nucleum aut ſemen in quibus tantum virtualiter continentur tam fructus quam ipſæ arbores. Ad Confirmationem Reſpondeo concluſionem excedere quamlibet vnam præmiſſam in aliquo: excedi autem aliquando ſaltem ab vtraque: nec proinde eſſe inutilem poſt vllã premiſſam quia quandoque vnam ſuperat vt dixi, ſed nec poſt vtramque, quia novum & diſtinctum iudicium format, imo ferè duo, nam illa ergo homo eſt riſibilis; dicit & riſibilitatem conuenire homini, & hanc eius conuenientiam oriri ex alio cuius meminerunt præmiſſæ. Itaque non fuit ob hoc tanto ſupercilio contemnenda antiquitas negligendo Logicam & fuci aut ſterilitatis damnanda, quin præſtabat in ſimilibus ſapere ad ſobrietatem, quam ad nouitatem.

ACTIO TERTIA.

An Logica ſit ars, & an pars Philoſophiæ.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Concluſio affirmatiua primæ partis, & probatio. Conceptus artis quis?*

2. *Obiectiones duæ. An pugnet incompatibiliter ars ſcientiæ.*

3. *Logica eſt aliquid Philoſophiæ.*

4. *Cur non inſtrumentum?*

1 PEndet vtcumque reſolutio Actionis præcedentis ab iſta, quam videor dupliciter reſoluere: ſemel de mente Ariſtotelis (ſine quo nunc ſæculi nemo vult quidquã definire) Iterum ex natura rei, an reuera conceptus, qui debet formari de arte conueniat Logicæ à quo incipio, &

diſt. 18 q. vnic. num 5 Dico Logicam debere cenſeri artem. Ita colligo ex Doct ſparſim: nam in primo ſententiarum diffinit artem, quod ſit habitus practicus, & 6. Met. concedit Logicam eſſe habitum practicum. *quæſt. 1 num. 14*

Dices ibidem renuit concedere, quod Logica ſit practica propriè: ergo hinc nihil habeo. Reſpondeo potius totum hinc habeo: nam quod Logica non ſit propriè practica facit vt ſit ars: ſi enim eſſet illa propriè, & in omni rigore practica: iam non eſſet propriè ars; ſed vel Ethica, ſeu ſcientia moralis vel prudentia &c.

Probo ratione intentũ. Conceptus artis eſt quod ſit productiua intellectualiter alicuius termini, ſeu potius regulatiua ipſius in produci, quod facit inſtruendo artificem de modo, quem ſeruare debet in efficiendo, ita enim omnes concepimus apud nos artem, & tradit Doctor tam in 1. *ſenten*., quam in 6. *Metaphy.* citatis. Atqui Logica eſt regulatiuè productiua, & inſtruit artificem aſſignando modum, quem ſeruare debet in agendo: ergo eſt abſolutè ars probandæ ſunt præmiſſæ: incipio autem à maiori quam præter iam dicta probat, enumeratio aliarum omnium artium, liberalium maximè quibus hæc deſcriptio quadrat, Grãmaticæ, Rhetoricæ &c. quæ omnes ſunt productiuæ intellectualiter alicuius termini, ſeu potius regulatiuæ producentis. Nam Grãmatica laborat producere orationem congruam, Rhetorica ornatam &c. Præterea illa deſcriptio probatur 3. quia per eam diſtinguitur ars à duobus cum quibus videretur coincidere, ſcilicet à ſcientiâ, & prudentiâ: à ſcientia eo quod hæc non ſit productiua, ſed reſolutiua rei in ſuas cauſas, à prudentia, quia licet hæc verſetur circa operationes, & productiones, attendit tamen bonitatem moralem operis, non Phyſicam. Vnde confirmari poteſt ex illâ ſententiâ Agathonis laudata ab *Ariſtotele* 6. Ethic Quod circa idem verſetur ars, & fortuna, nam fortuna circa hæc agibilia verſatur, & poteſt quis fortuitò facere opera naturaliter aut artificialiter bona; non poteſt autem fortuito facere opera moraliter bona. Minor iam probatur, quod ſcilicet omnia hæc quadrent in Logicam; ipſa enim eſt principium operis, & regulatiua agentis in operando; docet enim quomodo definitio, diuiſio, argumentatio ſint conficienda; abſtrahit à bonitate morali &c. Deinde certum eſt, quod hæc & ſimilia fieri poſſint cum defectu, & errore, ergo iam ſtatuenda fuit facultas aliqua, ſeu ars, quæ corrigeret, & caueret errores; ſi quæ autem ſit, eſt Logica. Quo locò vti potuimus argumento Philoſophi 2. Ethic 3. vbi probat virtutem circa voluptates verſari, quia inquit difficilius eſt voluptati repugnare, quam iræ; & circa id quod difficilius eſt, ars & virtus verſantur, ſi ergo contra iram ponitur habitus, quanto magis contra voluptates? Tum ſic; clarum eſt quod difficilius ſit intellectualiter diſcurrere per omnes figuras, & modos eorum ſine errore, quam ſcamnum conficere, aut tabulam radere, ſi ergo hæc & ſimilia habent artem, quanto magis &c. ſicut ſequitur, ex eo quod detur virtus refrænans iram, quod detur alia refrænans etiam voluptates.

diſt. 36 q. 10. vnic & quæſt. 1 *Agathon cap. 4* *Ariſt. cap. 3*

2. Obijcies Logica eſt ſcientia, ergo non ars, opponuntur enim iſta ſibi inuicem quum in eas diuidatur habitus intellectualis, vt patet 6. Ethic. Reſpondeo negãdo conſequentiam, ſicut etiam neganda eſt iſta, Logica eſt ars, ergo non ſcientia. *cap. 1*

Digitized by Google

Ad probationem dico habitum intellectualem diuidi in iſta præciſiuè ſumpta, non autem abſolutè, aut ſimpliciter ſumpta; ſicut diuiditur anima in vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, quæ membra accipienda ſunt ſingula cum excluſione alterius, id eſt vegetatiua tantum &c. nam alias vegetatiua abſolutè eſt etiam ſenſitiua, & rationalis. Ita hic ars, & ſcientia ſimpliciter ſe compatiuntur; non vero ars, & ſcientia cum præciſione, aut excluſione. Itaque Logica eſt ars, & quidem ars tantum, quando ſumitur vt conſtans nudis regulis definiendi, & diuidendi, quomodo nunc dierum tradi ſolet in ſummulis, ſcilicet ſine probationibus, ſaltem ſine prolixis demonſtrationibus, quæ ordinariè reſeruantur maiori Logicæ. At vero quum illa non ſolum tradit præcepta horum ſed probat ea quod fecit Ariſtoteles in ſuæ Logicæ libris, Analiticis præſertim, tum illa ſimul eſt ars, & ſcientia.

Ariſ. Obijcitur 2. Ars eſt habitus cum ratione factiuus ex 6. *Ethic.* 4. quam definitionem approbat *Scotus.* Scotus diſt. illa 28. primi. n. 5. Logica non eſt factiua, ergo nec ars probatio minoris quia factio eſt actio tranſiens, & habet terminum extra operantem, Logica non habet, ergo. Reſpondeo. diſtinctio actionis à factione interminata, & adhuc dubia eſt de qua nec Ariſtoteles ipſe ſibi conſtat. Dicam de ea infra Apologia 3. Act. 1. occaſione praxis, & ſpeculationis, ſufficiat pro nunc ſcire, quod non ſit illa ſola acceptio factionis, quæ in argumento poſita eſt, atque adeò hinc non haberi quod Logica non ſit ars. Cætera expectentur loco citato.

3. Altera pars tituli cum ijs controuertitur qui volunt Logicam eſſe inſtrumentum Philoſophiæ, non verò partem eius, quam quæſtionem Recentes vna voce dicunt eſſe merè de nomine, quia nimirum pendet ex eo quod debet intelligi per nomen Philoſophiæ, quibuſdam hoc, alijs aliud intelligentibus. Aduerto hic duo quæri, An Logica ſit aliquid ipſius Philoſophiæ, item an inſtrumentum de quibus. Cenſeo vtramque quæſtionem ex his eſſe de re; & ad primam reſpondendum eſſe affirmatiuè. Ad alteram negatiuè. Res non magni intereſt & proinde breuiter tranſigenda eſt.

Ratio eſt primæ partis qua truncantur huiuſmodi euaſiones recentium, Quia quæſtio quid ſit Philoſophia? non eſt de nomine, niſi fortè putent inquiri in hoc nomen pentaſyllabum *Philoſophia*; adeoque an hoc, vel illud ſit Philoſophia, vel pars eſſentialis, aut integralis eius non eſt quid nominale, alioquin dicam quæſtionem an ſimia ſit homo eſſe de nomine, pendet enim ex eo, quod eſt intelligendum per *ly homo*, quod ſi quis velit determinare ad certum ſenſum, certè iam ſimia erit homo. Vides totam inuentionem recentium redire in hunc caſum, quo tamen nihil potuit abſurdius dici; ſed relictis nominibus.

Probo rem ipſam, ſiue Logicam eſſe Philoſophiam, aut partem eius, quia Ethica eſt, hoc eſt, ſcientia moralis eſt vera pars Philoſophiæ. vt ſine illa nemo ſit abſolutus Philoſophus, ex quo infero; ergo etiam Logica eſt. probatio conſequentiæ eſt paritas rationum non ſolum pro ipſa; ſed etiam cõtra eam, nam quidquid probat Ethicam eſſe Philoſophiam militat etiam pro logica, & quidquid probat Logicam non eſſe Philoſophiam recurrit contra Ethicam. Quam partẽ (quia magis ad rem facit) ſic oſtendo. Nempe communiter excluditur Logica à ratione Philoſophiæ, quia non eſt de vero ente; ſed de metaphorico & ſemificto obiecto, ſcilicet de ente rationis. At vero totum hoc, ſi quis aduertat etiam in Ethicam recurrit, nam ſi conſideremus quod facit ſcientia moralis in actibus voluntatis, iue quam formam inducit, & conſiderat in ipſis, planè inuenietur tam tenue, quam eſt obiectum Logicæ. Quod ut capiatur facilius, pone hic vtriuſque ſcientiæ obiectum, actum & finem. Logica conſiderat actum intellectus, Ethica actus voluntatis. Illa inducit directionem in illos, hæc in hos. Directio Logicæ, ſeu forma qua reddit actus intellectus ordinatos eſt ens rationis, directio ſeu forma inducta ab Ethica in actus voluntatis eſt ens morale, non magis reale quam illa Logicæ, puta quam forma definitionis, aut ſyllogiſmi, eſt enim conformitas ad certas regulas, quæ partim ſunt tam contingentes, imo multò magis, quam regulæ Logicales, nam hoc quod eſt, ieiunanda eſſe quatuor tempora, facilius poteſt ſolui reducendo tempora illa ad pauciora, quam quod modi primæ figuræ non ſunt quatuor.

Confirmo rationem; quia omnium indicio conſideratio actuum intellectus ſpectat ad eandẽ Philoſophiam, ad quam ſpectat conſideratio actuum voluntatis: ergo ſi conſideratio directionis inducendæ in actus voluntatis ſpectat ad Philoſophiã, ſpectabit etiam conſideratio directionis inducendæ in actus intellectus ad eandẽ. Antecedens conſtat; nam vtrique actus tractantur in libris de anima qui ſunt Phyſica apud Ariſtotelem.

Dices, hæc ratio aut nihil, aut nimium probat, nam valente illa conſideratio vtriuſque directionis pertinebit non ſolum ad eandem Philoſophiam; ſed etiam ad eandem ſpecie Philoſophiam, quia actus tam intellectus, quam voluntatis ſpectant ad Phyſicam, quæ vna ſpecie ſcientia eſt. Reſpondeo negando aſſumptum, & conſequentiam. Cauſa eſt, quia illi actus vtriuſque potẽtiæ ſcilicet intellectus, & voluntatis habent eandem rationem Phyſicam, ſeu naturalem, & conſequenter poſſunt ad vnam genere ſcientiam ſpectare. At verò directiones earum tranſiuerunt ad diuerſa genera vnum morale, alterum rationale.

4. Objicies nihil poteſt eſſe ſimul pars eiuſdem, & inſtrumentũ. Logica eſt inſtrumentum Philoſophiæ, eâ enim vtitur ad aquiſitionem notitiæ rerum, ergo non eſt pars. Reſpondeo minor huius apud me eſt petitio principij, nam ſupra in concluſione negaui Logicam eſſe inſtrumentum Philoſophiæ, & ni fallor merito negaui Nam quis ferat me dicentem quod ars fabrilis ſit malleus; & tamen ſic loquuntur qui dicunt Logicam eſſe inſtrumentum, inſtrumenta enim Philoſophiæ, ſiue acquirendarum ſcientiarum ſunt definitio, diuiſio &c. quæ ſunt obiecta Logicæ, ſicut obiectum artis fabrilis eſt malleus. Iam ego vtor eorum argumento in ipſos, nihil poteſt eſſe inſtrumentum eiuſdem & pars, Logicam eſſe partem Philoſophiæ iam probaui, & adhuc.

Probo dupliciter, Primo quidem præſumendo ex infra dicendis, quod obiectum Logicæ poſſit poni ens reale, quo poſito nec Aduerſarij negabũt eam eſſe partem Philoſophiæ, Hæc enim habet examinare, & ſcire omne ens reale. ſecundo ſic Phyſica, & Mathematica, & cæteræ ſcientiæ reales ſunt partes Philoſophiæ, ſecundum aduerſarios, quod ſic intelligendum eſt, vt Philoſophia ſufficiat ad intelligendas naturas corporum, quantitatum &c. quæ ſunt obiecta Phyſicæ, Mathematicæ &c. Atqui non ſufficiunt ſine Logica: ergo Logica erit pars Philoſophiæ, aut ſaltem pars partis, ergo non inſtrumentum.

Authores hoc tractant.

Thomiſt. 1.*Poſt.* 4. Amonius in *Prologo Prædicam.* Auiceri *&* Alpharebius *in princ. Logicæ* S. Auguſtin. *libel. de princip. Logicæ* Boëtius *editione 2. in Porphyr.* M. Iullius 1. *de Oratore.*, & 1. *de finibus*, & 1. *Academic. qq.* Simplic. *init. Prædicam.* D. Thom. 4. *Met. text.* 4. Albert. in *Porphyr. tract.* 2. Ægid. Rom. 1. *Poſt. q.* 1. Tartaret. *q.* 1. *proœm.* Ioan. Anglic. *&* Braſeuol. *hic.* Villapand. *q.* 26. *proœm.* Sotus. & Tolet. *q.* 2. *proœm.* Fonſec. 2. *Met. c.* 3. Zabarel. *lib.* 1. *de natur. Logic.* Honorata de Robertis tract. *Theoremat.* 3. *&* 7. Mirandul. in *Logic. & lib.* 4. *de euers ſingul. certamin. ſect.* 14. Petrus Niger *q.* 2. *ſui clip.* Paul. Soncin. 6. *Met. q.* 6. Ioan de Magiſtris. 1. *Poſter. qq.* Franc. Suarez *diſp.* 1. *Met. ſect.* 4. Iauollet *tract.* 1. *in Prædic. c.* 2. Conimb. *q.* 4. *proœmia. ar.* 4. *&* 5. Bart. Amic. tract. 1. *Logic. q. q.* 4. *dubitat* 2. Complutens. *diſp.* 1. *proœm. q.* 4. Raphael Auerſa. q. *de Logica ſect.* 5. Bern. Moriſ. *prolog.* 3. Gonzales in *præfat. cap.* 4. Poncius *diſp.* 2. *de natura Logicæ q.* 7. Maſtrius, & Bellut. *ibid. art.* 4. Didac. à Ieſu. Ruuius Petron. Maſius, Murcia, & alij recentes *communiter ibidem.*

APOLOGIA II.

PROOEMIALIS

DE

DIVISIONE LOGICAE IN DOCENTEM ET VTENTEM

Actio I. Quid propriè ſignificetur his verbis Docens Vtens?
Actio II. Vtrum quælibet pars Logicæ ſit tam Docens quam vtens?
Actio III. Quomodo diſtinguatur Logica vtens à Docente?
Actio IIII. Vtrum Logica vtens ſit ſcientia nec ne?

Scotus q. 1. Vniuerſal. n. 2.

INtelligendum eſt tamen, quod Logica dupliciter conſideratur, vno modo in quantum eſt docens, & ſic ex neceſſarijs, & ex proprijs principijs procedit ad neceſſarias concluſiones, & ſic eſt ſcientia. Alio modo in quantum vtimur ea applicando eam ad illa in quibus eſt vſus, & ſic non eſt ex proprijs, ſed ex communibus: nec ſic eſt ſcientia, ſicut patet in naturalibus, vbi Ariſtoteles adducit rationes Logicas quæ procedunt ex medio communi, & non faciunt ſcire propriè loquendo.

Idem 4. Metaphyſ. text. 21.

NOtandum quod dialectica. & ſophiſtica diſtinguuntur, quia quædam eſt docens, hæc vel illa vt habet conſiderare de proprio ſubiecto, dando modum, & artem arguendi, & ſyllogiſandi verè, & apparenter, reddendo ſingula ſingulis; ſed dicitur vtens hæc vel illa quando modo arguendi adinuento vtitur ad arguendum, vel ad concludendum aliquid in aliis ſcientiis. Primo modo qualibet earum habet aliqualiter rationem ſcientiæ, quatenus circa proprium ſubiectum qualibet aliqualiter demonſtratiuè ſpeculatur. Secundo autem modo recedunt à ratione ſcientiæ &c.

ACTIO PRIMA.

Quid propriè ſignificetur his verbis *Docens, Vtens.*

BREVIARIVM.

Num. 1. Conceptus proprius vtrique aſſignatur, & probatur.
2. Num dicenda ſit potius vſa, quam vtens.
3. Aliqua improprietas hic notata. Num alia ſcientia ſint Logica vtens.
4. Mens Scoti de his
5. Alia acceptio noua Logicæ vtentis.

1 Controuerſia de ratione ſcientiæ in Logicâ non poteſt expediri, niſi explicata hac diuiſione Logicæ, quæ celebris eſt in ſcholis, vt patet ex locis Doctoris noſtri, à quo eã (ait *Rubius*) communis ſchola accepit; & quoniam non omnes in acceptione eius conueniunt, quæſtionẽ nominalem breuiter expedio.

q. 3 proem.

Dico ergo Logicam docentem eſſe facultatem hanc quatenus tradit præcepta & regulas conficiendi inſtrumenta ſua, ſcilicet Syllogiſmum, definitionem &c. vtentem verò eſſe eandem, quatenus hæc præcepta exercet fabricando inſtrumenta illa ſcilicet definitionem, diuiſionem, ſyllogiſmos: ita ex parte Doctor. q. 1. Elench. & ita eum interpretes intellexerunt, tam veteres, quàm recentes. Et quidem cum negotium ſit de ſignificatione nominis, vix poteſt aliter probari ipſa enim ſignificatio vocis eſt primùm cognitum, & reſpondet ſimplici apprehenſioni, qua non datur aliquis actus prior ſoleo tamen vti hoc argumento; quia certum eſt idem ſignificari apud Latinos his vocibus, quod ſignificatur apud Græcos illis vocibus Logica concreta, ſeu coniuncta rebus; & Logica auulſa à rebus; At qui Logica auulſa à rebus apud Græcos ſignificat præcepta Logicæ nuda, & nondum applicata, quaſi formam ſine materia: Coniuncta rebus ſignificat eandem in aliqua materia ad praxim reductam, quæ fuit noſtra expoſitio, & concluſio: ergo.

num.
Maurit in expoſ. q. 1. Præ. a. 6. Rouarg. ibid. ar. 2. Ma itr. & Bellar. ar. 4. Ponſius. diſp. 2.

Probatur etiam præterea à ſimili: Nam hoc quod eſt eſſe docentem, & vtentem, non eſt proprium Logicæ, ſed inuenitur in alijs etiam mechanicis facultatibus, & vniuerſaliter in omnibus practicis, quæ docent quidpiam conſtruere v.g. in architectonica, quæ agit de conſtruenda domo, ipſa enim eſt docens, & vtens: nam architectus aliquando ſcit tantum modum, quo debeat fabricare domũ, eam autem pro tum non fabricat, vt clarum eſt. Aliquando verò non ſolum ſcit fabricare eam, ſed reuera fabricat, & tunc apud ipſum architectonica ſcientia eſt vtens, ſicut in priori caſu fuit docens; quod ita clarum eſt, vt oppoſitum non eſſet opinio, ſed ignorantia, & error, quid ni ergo idem de Logica cenſeamus? ergo.

2. Obijciet tamen aliquis Logica non vtitur ſeipſâ, ſed vtitur eâ omnis qui eam habet: ergo malè dicitur Logica vtens, & malè explicata eſt à nobis ad eum ſenſum. Antecedens probatur quia habitus non eſt primum agens, ſed ſubordinatur alteri ſcilicet potentiæ habenti ipſum, quæ pro libitu ſuo vtitur habitu aplicando eum ad opus. Propter hoc aliqui moderni cæperunt corrigere antiquitatẽ, & dicere Logica vſa non Logica vtens: propterea, quod vox vſa; quamuis ſit minus Grãmatica, tamen magis explicat rem, quia Logicus eſt qui vtitur, & agit; Logica eſt quâ vtitur quis, eſt proinde efferẽda paſſiuè. Reſpondeo tamen debuiſſe hos lentius feſtinare in reprehendendis antiquis nam nõ ſe habet res per omnia ſicut ipſi credunt; ſed potius ſicut antiqui, adeoque retinenda eſt diſtinctio in terminis Scoti, à quo eum communis ſchola accepit; quia nimirum Logica hic non tantum paſſiuè ſe habet, ſed verè actiuè, & efficienter: nã habitus Logicæ verè, & Phyſicè influit in actus cõfectionis inſtrumẽtorũ, adeoque dicenda eſt non tantum vſa, ſed vtens.

d Gonzalez in præfat. cont. 10.

Atque ita malè quidã conatus eſt explicare hanc rem exemplo Auguſtini, vt ipſa inſtrumenta ſciendi confecta, ſcilicet ſyllogiſmus, definitio &c. ſint Logica vtens: ſicut *vocatur lingua, locutio quã facit lingua, & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus.* Nam diſtinguendus eſt effectus, ſiue opus artis ab ipſa; nec enim architectonica ſcientia benè vocabitur domus: definitiones, & ſyllogiſmi & cætera inſtrumenta facta ſunt effectus, & opera Logicæ, adeoque nõ debent vocari Logica à ſcholaſticis, qui omnes tropos & figuratas loquutiones vitare debent illa autem acceptio manus, & linguæ apud Auguſtinum clarum eſt quod ſit tropica, & impropria, adeoque in vſu ſcholaſtico abſolutè falſa.

Gabr. Va quez 1. 2. diſp. 8 n. 19
lib. 1. de Nupt. & conc. 3

3. Fateor nihilominus, quod vox vtens non tã exacte quadrat huic intento; quia reuera non vtitur Logica ſeipſa, ſed vtitur illâ qui eam habet, vt benè argutum eſt. Libentius ergo vterer voce *faciens*, aut *agens*, quam *vtens*; ſed enim quando de re conſtat parum curandum eſt, quâ voce efferatur. Aliquis ſic accommodauit diuiſionem in his terminis, Logica vtens, vt ibi Logica non ſit nominatiui caſus, ſed ablatiui, & fateor hoc tolleret inproprietatem vocis, ſed etiã tolleret proprietatẽ diuiſionis quã redderet ineptiſſimam, quũ vtens Logica ſic non ſit Logica, adeoque malè diuideretur Logica in docentem, & vtentẽ, quia diuiſũ nõ poſſet prædicari de membris diuidentibus. Quo argumẽto benè vti poſſumus cõtra aſſerentes, quod aliæ ſcientiæ ſint Logica vtens.

Sed reſpondit alius, quod adhuc actus aliarum ſcientiarũ poſſint dici Logica, eo quod ſint effectus Logicæ: notum eſt enim effectus ſumere denominationẽ cauſæ, ſic actum externũ virtutis v. g. humilitatis, vocamus humilitatem, & orationem externã actum religionis, qui tamen ſunt effectus eorum.

Franciſ. Ouied. Cont. 1. Log. pun. 1

At non per hoc ille reſpondit: duo enim ſunt in opere externo; & actio, ſeu elicitio, & opus elicitum. Primum horum non eſt mirum quod vocetur nomine virtutis, quum ſit actus ſecundus eius: ſecundum autem non poteſt vocari virtus, eo quod ſit effectus eius, ſicut quum conſtruo domum pauperibus, ſtructio eſt actus virtutis miſericordiæ, domus non. Quam doctrinam poſſumus adhuc magis applicare ad propoſitum ſic Nam in actibus aliarum ſcientiarum, v. g. in demonſtrationibus mathematicis duo ſunt & materia quæ ad matheſim pertinet, & forma, quæ ad Logicã aſſenſus conſequentis, qui eſt actus proprius Mathematicæ, & aſſenſus conſequentiæ, qui eſt Logicæ. Hic fateor aſſenſum conſequentiæ eſſe verè Lo-

gicam utentem in actu ſecundo, quia eſt exercitiũ doctrinæ Logicæ. At verò aſſenſum conſequentis valdè abſurdè dicam eſſe Logicum quum nihil Logicæ habeat, nec materiam, nec formam; & tamen hic, & ſimiles ſunt actus aliarum ſcientiarum, qui cauſantur à Logica, videat iam, ille, an verum ſit in hoc caſu quod effectus denominentur à cauſa. *h*. Neque tamen multò melius rem perfecit alter ille, qui denique reſoluit ipſam ſolam Logicam dicendam eſſe vtentem, quũ ſuis præceptis utitur, definiendo, diuidendo, &c. Quia quum Philoſophus arguit in materia Phyſicæ, aut Metaphyſicæ, vtitur Logicâ non minus quam quando definit &c. in materiâ ipſius Logicæ, & actus definiendi, ac diſcurrendi eſt ab habitu Logicæ: atque ita ibi eſt maniſeſtè vſus Logicæ: clarum eſt autem, quod ubicunque eſt uſus Logicæ, ibi ſit Logica utens: ergo. Itaque ſtandum eſt acceptioni harum vocum in concluſione poſitæ, contra quam tamen dicam aliquid ſolis Scotiſtis notandum: erit enim de mente Scoti, quæ mihi incumbit explicanda.

h R. Ariaga. diſp. 3. Log. Sect. 1.

4. Objicio ergo Scotum aliter hos terminos intellexiſſe, ſcilicet per Logicam utentem partem Topicam tantum, vt patet locis ex ipſo adductis utroque themate Apologiæ, maximè in primò ubi explicat*i*, ac definitâ Logicâ utente dicit, quod non ſit ex proprijs, ſed ex communibus, & non facit ſcire, addens id eueniſſe Ariſtoteli in *Phyſica*, ubi non procedit ſcientificè; quia huius Logicæ rationes adducit &c. Nam hæc & ſimilia non poſſunt verificari, niſi de parte Topica, ad quam pertinent argumenta probabilia, ſeu generantia opinionem. Pars enim Analytica, ſeu demonſtratiua procedit ex proprijs, ac neceſſarijs & facit ſcire: ergo non potuit Scotus intelligere per Logicam utentem, niſi partem Topicam; quod confirmatur ex ipſo q. 3 Elench. & 4. Met. ubi ſimilia habet, propter quæ Mauritius, & Sarnan: docent de mente Doctoris per Logicam utentem intelligendam eſſe partem Topic. Reſpondeo hoc non probare quod concluſio poſita ſit falſa; ſed tantum quod ſequens hæc ſit vera.

i q. 1. uniuer. *ſcum*

5. Dico enim ſecundo Logica utens ſatis fundatè, & Peripateticè accipi poteſt pro parte Topica. Primam partem huius probat objectio, quæ oſtendit Scotum in eo ſenſu uſum fuiſſe hac voce; nam cum à Scoto cōmunis ſchola eam acceperit, ut *k* cum Rubio etiã *l* Cōplut. teſtãtur, iam inſtitutio ipſius eſt fundamentum ſignificationis in voce; eò magis quod *m Aquinas* etiam Coauthor eiuſdem inſtitutionis, ita eam uſurpauit. *Apparet* (inquit) *quod quædam partes Logicæ habent in ipſa doctrinam, & uſum ſicut Dialectica tantatiua, & ſophyſtica, quædam Doctrinam, & non uſum, ſicut demonſtratiua.* Vbi ſignificatum utentis remouet expreſſè à demonſtratiua, & propterea libenter hunc locum vidit in ipſo Mauritius, & quum detexiſſet eum ſubdidit. *Quare eum ibi elegãter. Gauiſus enim eram, dum inueni illum in hac phantaſia concordantem, quia patribus eſt deferendum ex 2. Cœli.*

k Supra citat. *l Diſp. proœm. q. 4.* *m 4. Metaph. lect. 4* *o in expoſ. q. 1*

Eſt etiam aliud fundamentum aſſertionis, quia ſine dubio benè intelligitur per hunc terminum *utens*, quod Græci intellexerunt per Logicam concretam rebus. Atque illi per hoc intellexerunt Logicam, quæ in Topicis habetur, & tradit modum ubique probabiliter diſcurrendi, ut teſtatur Fonſeca, & ante ipſum Zabarella. Propter quod dixit acceptionem hanc Peripateticam eſſe, quum certum ſit Ariſtotelem hoc accepiſſe in ſenſu recepto apud ſui temporis, & nationis authores, quod etiam apertius conſtat ex ipſo 1. Topic. 1. & 3. Met. &c. ut notarunt Conymb. hic, quod ſufficit dixiſſe de nomine: Illud tamen moneo apud nos deinceps Logicam utentem accipiendam eſſe in priori ſenſu, qui magis proprius, & ſolidus, atque etiam nunc temporis magis communis eſt.

Ariſtot.

ACTIO SECVNDA

Vtrum quælibet pars Logicæ, ſit tam docens, quam vtens.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Tota Logica verè eſt docens, & vtens.*

2. *Inepte dici ſyllogiſmos probabiles aliarum ſcientiarum ad Logicam ſpectare.*

3. *Fundamenta negantium veritatem diuiſionis. Aſſignatur modus, quo defendi poſſit Logicam non eſſe vtentem in parte Analyticâ; ſed in Topicâ tantum.*

1 NEgauerunt Fonſeca citatus, atque etiam utrumque Collegium, Cōplut. & Conymb ſequuti D. *Thomam*. Quod ipſum tenent quotquot diuiſionem Logicæ in docentem, & vtentẽ reprehendunt; id enim faciunt, quia vſum in ſolâ parte Topicâ agnoſcunt, in Demonſtratiuâ autem & Sophiſtica doctrinam; ſed communiter iam tenetur quod

Dico reſolutivè quamlibet partem Logicæ eſſe tam docentem quam vtentem, atque adeò ipſam Logicam totam merito diuiſam eſſe in duo illa ſcilicet docentem, & vtentem. Partes Logicæ pro nunc cum vulgo Logicorum intelligo Interpretatiuam, Analyticam, Topicam, Elenchicam: licet ipſe oſtenderim ſupra illas aliter eſſe enumerandas; ſed hic ſequor turbam; his enim præcipua eſt de parte Topica, quàm ſolam volunt aliqui eſſe vtentem; ſed falſo, vt

Probo facilè hac ratione: Vti logicâ doctrinâ non eſt aliud quam reuera facere quod & quomodo Logica docet eſſe faciendum: atqui non

ſolum

ſolum fiunt ſyllogiſmi probantes, quorum connectio docetur in parte Topica; ſed etiam demonſtratiui, quorum præcepta dantur in Analyticis ergo non ſolum Topica debet dici utens; ſed Analytica, & omnes aliæ Logicæ partes nam reuera ipſa & Sophiſtica, & ſi quæ ſint aliæ partes ad praxim reducunt præcepta illa doctrinalia de conficiendis inſtrumentis ſciendi, & certè niſi id faceret, fruſtra, & ſtultè traderentur, ac diſcerentur præcepta. Hoc argumentum in duo diuidi poteſt, quia Logica facit demonſtrationes tam in propria materia, quam in aliena. Demonſtrat enim ipſa ſuas regulas, vt quod ex præmiſſis particularibus nihil ſequatur in ulla figura; nec in prima, aut ſecunda quidquam ex maiori particulari &c. Influit etiam in demonſtrationes aliarum ſcientiarum, ut
b. Proclus apud Euclid lib. 1. el: propoſ. 32. quum Phyſicus demonſtrat corruptibilitatem de mixtis eò quod conſtet contrarijs. Cum Mathematicus probat omnes angulos rectos eſſe æquales ſic: omnes anguli reſultantes ex lineis ſimiliter inclinatis ſunt æquales, omnes recti reſultant ex lineis ſimiliter inclinatis ergo ſunt æquales: nam in his, & ſimilibus tam Mathematicus, quam Phyſicus utitur Logica, quæ etiam influit, ut dixi in has demonſtrationes; ipſa enim eſt quæ efficit formam quæ eſt altera medietas totius ſed

2. Reſpondent negantes uſum, ineptè ſane, illi, Logicam habere uſum partis Topicæ in alijs ſcientijs, quia Syllogiſmi probabiles omnium ſcientiarum ad Logicam ſpectant; non habere uſum partis demonſtratiuæ, quia demonſtrationes aliarum ſcientiarum ad ipſasmet pertinent omnes, nulla autem ad Logicam. Nam quis non videat hoc gratis dici, quum tantundem à Logica accipiant demonſtrationes Phyſicæ v. g. quantum opiniones, ſiue ſyllogiſmi probabiles; vtrobique enim accipitur à Logica forma argumenti, nullibi materia. Videatur noſter *Pontius* hic ubi
p. diſp. 9. 6. n. 4. 5. contra hanc ſententiam, & ſolutionem multa accuratè tradit, Illud ſaltem moveo, ſi omnes omnium aliorum ſæculorum cognitiones probabiles ad Logicam ſpectant, cur dubitatur de aliquibus ipſarum an ſint ſcientiæ? iam enim nullas cognitiones habent non ſcientificas, aut probabiles tantum propter quas in quæſtionem cadere poſſit utrum dicendæ eſſent opiniones, ſeu opinatiuæ, Cur Mathematicæ ſcientiæ cenſentur omnium puriſſimæ tanquam quæ minimè admixtas hebent cognitiones non ſcientificas: nam iuxta doctrinam aduerſariorum quæuis ſcientia eſt ſummè pura, quia ad nullam omnino pertinet ulla
Monal. Nico. c. 3. cognitio quæ non ſit ſcientifica, & denique ſi ita ſit, cur *Ariſtoteles* primo Ethicorum docet non eſſe quærendam æquale certitudinem in omnibus ſcientijs: nam ſi nulla ſcientia poteſt continere cognitionem ullam non ſcientificam iam poterit, eam inueniri æqualis certitudo in omnibus, quia nimirum in omnibus erit ſumma. Vrgeo rationem; aut ſufficit ad hoc ut argumentatio, aut diſcurſus aliquis ad aliquam ſcientiam pertineat, quod ab ea accipiat materiam, aut non ſufficit; ſi ſufficit, certè iam ſyllogiſmi probabiles aliarum ſcientiarum ad ipſas pertinebunt, ab ipſis enim accipiunt materiam ſcilicet terminos, & præmiſſas; ſi non ſufficit, certè nec demonſtrationes aliarum ſcientiarum ad ipſis pertinebunt, non enim ab ipſis accipient, niſi materiam: nam forma omnium eſt à Logica: ergo. Vrgeo adhuc 2. ſi enim ſyllogiſmi probabiles reijciuntur ab alijs facultatibus puta Phyſicâ aut Metaphyſica, quia iſtæ facultates ſcientiæ ſunt, etiam à Logica reijciendi ſunt nam & ipſa ſcientiâ eſt, atque ita non poſſunt ei ſine iniuria intrudi illa quæ ab alijs reiecta ſunt ob earum excellentiam.

Vrgeo 3. nam cognitiones probabiles excludunt hi authores ab aliis facultatibus, propter ipſarum facultatum dignitatem, unde infero; ergo etiam cognitiones principiorum excludendæ ſunt ab his propter ipſorum principiorum dignitatem. Dicent fortè ita eſſe nec principia pertinere ad inferiores ſcientias; ſed ad ſuperiorem aliquam, cui illæ ſubalternantur; ſed ineptè; in primis enim ſuperior ipſa, puta Metaphyſica ſcientia eſt; atque ita non poſſunt principia ad ipſam pertinere magis quam ad alias: Deinde etſi id verum fortaſſe ſit de quibuſdam principiis, puta uniuerſaliſſimis, & primo primis, quæ ad plures ſcientias inferiores ſe extendunt, tamen non poteſt verificari de principiis particularibus ipſarum inferiorum ſcientiarum. v. g. definitio anguli non ſpectat ad Metaphyſicam, ſed ad Geometriam, ut nec hominis definitio alioquin Metaphyſicæ erit definire etiam leones, aquilas, ac denique omnia omnino, quo facto nihil relinquitur aliis ſcientiis cognoſcendum ergo.

3. Obiiciunt tamen: demonſtrationes aliarum ſcientiarum. v. g. Phyſicæ ad ipſam Phyſicam pertinent, ut notum eſt, quid enim ei magis proprium, ſi autem ad Phyſicam iam non ad logicam, quum non poſſit vna ad plures ſcientias pertinere: ergo Logica non habet vſum partis demonſtratiuæ in aliis ſcientiis. c Conimb. ar. 2.

Quod autem Logica non ſit utens in propriâ materiâ, probant, quia uſus de quo hic, eſt diſtinctus à doctrinâ, cum ſint membra contra poſita, ſed vſus in materiâ demonſtratiuâ non diſtinguitur à doctrinâ, quando quidem per ipſum, ſcilicet per formationem demonſtrationum ad probandas regulas Logicales, formaliter docemur, & alioqui doctrina Logicæ non eſſet ſcientificè tradita. Confirmant, ſyllogiſmi facti in materiâ aliarum ſcientiarum tranſeunt in naturam ipſarum, & ſunt Phyſici, aut Metaphyſicæ: ergo etiam ſyllogiſmi demonſtratiui facti in materiâ Logicæ docentis, ſunt Logica docens; atque ita non vtens, aut vſus illius &c. Hæc ſunt fundamenta collegiorum, quæ tamen iam ſupra illis ſubducta ſunt: Dictum eſt enim, quod demonſtrationes illæ ſpectant ad alias facultates ratione materiæ, non ratione totius, quia forma ad Logicam ſpectat. Deinde ſit aſſumptum illud abſolutè verum, nonne etiam opiniones Phyſicæ v. g. ad Phyſicam pertinebunt: Quid enim accipiunt demonſtrationes à Phyſica, quod non etiam accipiunt opiniones, ſanè oppoſitum eſt, ac ſi dicerem clauem ferream ad fabrilem pertinere, clauem auream non ſed ad aliam digniorem artem; quo nihil ineptius. Iam ad alios qui negant uſum Logicæ ipſi: Nego illis ego uſum Logicæ incidere in doctrinam, aut econtra, quod iam plus æquo repetitū eſt, nam & de facto ſeparantur, & licet non ſeparentur aliquando, tamen ſemper ſunt ſeparabilia. In ſummulis traditur doctrina partis demonſtrativæ, in quibus non eſt neceſſe fieri uſum eius, id eſt regulas demonſtrandi probari demonſtrationibus; ſed non vacat his vacare, quod nimis nota ſint. l Complut.

4. Quia

4. Quia tamen uterque ſcholæ Dux, Aquinas, & Subtilis ſignificarunt ſaltem incidenter Logicam in parte Analyticâ non eſſe utentem, in Topica eſſe, ac proinde non rectè dividi Logicam ubique in docentem, & utentem, dabo modum, quo id ſuſtineri poſſit, eſt autem ille, ſcilicet diſparitas inter Analyticam, & Topicam partem ratione cuius cognitiones probabiles aliarum ſcientiarum poſſent Topicæ attribui, non autem demõſtrationes Analyticæ; Quia nimirum (ut ſupra monui) Topica eſt quædam facultas per ſe, nec tam propriè Logicæ pars, nec ab Ariſtotele in ipsâ tradita, ut notavit nuper Bernardus Moriſanus noſtras in *proleg.* ad *cõment.* eorum librorum. Eſt ergo Topica, facultas quædam per ſe, cuius munus eſt ſubminiſtrare media probabilia arguentibus in qualibet materia; quo poſito jam omnes cognitiones probabiles ad illam facultatem pertinebunt (quia nimirum ab ea accipiunt materiam) eodem jure, quo demonſtrationes aliquæ dicuntur Phyſicæ, aut Metaphyſicæ, ſcilicet ratione materiæ.

Moriſan. ibid.

Sed enim contra hoc ſtatim facit, quod malè dixerint iſti doctores noſtri Logicam dividi in utẽtem, aut habere uſum in aliis ſcientiis ratione partis Topicæ, quia nimirum pars Topica, ut diximus nõ eſt pars Logicæ. Video locum inſtantiæ, & dico adhuc conſequenter loquutos eſſe Doctores, quia nimirum licet Topica in rigore ad Logicam non ſpectent; tamen in ea traduntur, ſicut etiam Prædicamenta nequaquam ad Logicã ſpectant, ſed ad Metaphyſicam & tamen in Logica nunc dierum docẽtur & ab ipſo Ariſtotele in ipſa ſunt repoſita, adeoq; potuerunt merito Doctores ferre ſententiã de Logica comprehendendo Topicam partem, quia tunc ſicut & nunc à vulgo reputata ſunt libri Logicales. Inſto adhuc contra me: ſi enim accipienda ſit ſic Topica, ſcilicet pro facultate cuius ſit miniſtrare materiam, Iam in parte Topica non eſt docens. Atque ita nec quidem in hac parte rectè divideretur Logica in docentem, & utentem. Reſpondeo ita eſſe primo propter rationem jam objectam, quia pars Topica occupatur circa materias, ſecundo quia non eſt aliquid Logicæ, cuius ſolius eſt docere inſtrumenta diſcurrendi, ſeu modum ea fabricandi. Confirmo dicta quia, forma ſyllogiſmi probabilis eadem eſt quæ ſyllogiſmi demonſtrativi. At verò in Topicis nunquam docetur demonſtratio formanda: ergo nec &c. quod licet impugnet expoſitionem communem harum vocum, ſed confirmat præſentem.

ACTIO TERTIA

Quomodo diſtinguatur Logica Vtens á Docente.

BREVIARIVM

Num 1. Docere *quid propriè in hoc loco?*

2. *Actus Logicæ utentis non omnes diſtingui ab actibus docentis.*
3. *Oppoſitum huius problematicè.*
4. *Habitus harum diſtinguuntur realiter.*
5. *Evaſiones ſcotiſtarum repulſæ*
6. *Aliæ duæ probationes diſtinctionis realis*
7. *Fundamenta identificantium utramque Logicam.*
8. *Probationes concluſionis ad hominem.*

1 EXaminabo hic ſeorſim diſtinctionem actuum utriuſque Logicæ inter ſe, & deinde claritatis cauſa diſtinctionem habituum, eò magis, quod in devidebitur quam verè ſuppoſuerint Scotiſtæ actus utriuſque ſemper diſtingui realiter, & de ſolis habitibus fuiſſe dubiũ.

Revocanda eſt autem hic deſcriptio Logicæ utentis ſupra *a* poſita ex quo hic ſtatuendum eſt actus Logicæ docentis eſſe actualiter confectiones inſtrumentorum ſciendi, præterea etiam ad vitandam æquivocationem noto docere, & docentem Logicam non accipi hic pro eo quod eſt more magiſtri erudire, generando in aliquo rerum notitias per voces, & alia ſigna; ſed docere hic, eſt idem quod ſpeculativè cognoſcere naturam alicuius. Denique quod hic dicetur de Logica applicari poteſt, & debet aliis habitibus practicis, & artificioſis, ut ſcilicet eorum actus ſimiliter inter ſe diſtinguantur, vel identificentur reſpectivè: quamvis revera vix inveniatur caſus Logicæ extra ipſam, nam in aliis practicis habitibus uſus, & doctrina proveniunt à diverſis potentiis, adeoque diſtinctio actuum in illis eſt manifeſtior.

a Sup. num. 1.

2 Dico ergo primo non omnem actum Logicæ docentis diſtingui ab actu Logicæ utentis perfectè ſumptæ. *b* Probo, quia intra ipſam Logicam docentem datur uſus eius: atqui uſus non fit niſi per actus utentis: ergo jam intra actus docentis datur actus utentis, quod non poteſt eſſe niſi quia aliquis actus docentis eſt ſimul actus utentis, quæ fuit concluſio probanda, vis huius tota eſt in maiori aſſerente intra ipſam Logicam docentem dari uſum eius, quod videtur difficilè, ſed probatur; quia uſus Logicæ, eſt confectio actualis inſtrumentorum ſciendi v. g definitionum, argumentationum &c. ut patet, ſed intra ipſam Logicam docentem datur confectio horum, quia ipſa Logica docens demonſtrativè probat ſuas regulas, atque ita conficit demonſtrationes, probat definitionem debere conſtare ex notioribus, demonſtrationem ex prioribus, & utrumque duobus, vel tribus terminis &c.

b Ita Martinus q. 2. proœm.

Dices tunc Logicam docentem tranſire in utentem. ſtudio, & nego quia Logica docens intra ſeipſam eſt ſcientia, etſi non tranſeat in utentem; imò, Si tranſiret, id ei non prodeſſet ad rationem ſcientiæ, ſed obeſſet potius, quia Logica utens ut talis nõ eſt ſcientia; ſed per has demonſtrationes, & propter ipſas eſt ſcientia: ergo hæ demonſtrationes includuntur in Logica docente, & intra actus eius; ſed hæ demonſtrationes ſunt actus utentis, ergo in actibus docentis inveniuntur actus aliqui docentis, & è contra, quod ut dixi non poteſt eſſe niſi quia aliqui iidem actus ſunt ſimul docentis, & utentis.

Dici poteſt per hæc probari, quod Logica docens utatur actibus alterius Logicæ, qui proinde dici poterunt inſtrumenta, aut conditiones Logicæ docentis, non autem pars eius; ſed ego contra oſtendo oppoſitum eſſe dicendum; quia nimirum ratio ſcientiæ includitur in Logica docente, non tantum, ut conditio, aut inſtrumentum, ſed etiam ut pars eius; ſed ratio ſcientiæ includitur in eâ, ratione huiuſmodi actuum, ergo huiuſmodi actus non

ſunt tantũ conditio;ſed vera pars eius. Vrgeo intentũ,quia Logica de qua hic,tam abſolutè,& in recto dicitur ſcientia,dicitur docens:ergo ſicut actus doctrinales,qui ſunt regulæ eius ſunt actus eius ut docentis,ita etiam probationes ſcientificæ earũ ratione quarum dicitur ſcientia,hæ autem ſunt uſus aliquis ipſius,adeoq; Dixi in concluſione de Logica utente perfectè ſumpta:quod ſic expono:notũ eſt enim Logicam docentem dupliciter poſſe & ſolere tradi primò crudè cum ſolis regulis, quomodo dicatur tyronibus in ſummulis. Alio modo plenè, quando non ſolum traduntur ſed probantur illæ regulæ,& tum Logica docens eſt perfectè tradita , & de ea ſic ſumpta procedit concluſio , & rationes adductæ ſuadent intra huiuſmodi Logicam docentem inveniri aliquos actus utentis Ex quibus habetur, quod in materia propria dici poſſit Logica docens coincidere cum utente;nihilominus exiſtimo,&

3 Dico verius eſſe, quod omnis actus docentis, & utentis in quacunque materiâ tam propriâ, quam alienâ diſtinguantur ſemper ſaltem inadæquatè. Hæc aliis a communiter magis placet, quam præcedens. Probo ipſam oſtenſive. Nulla doctrina eſt factio, aut exequutio, omnis actus Logicæ docentis eſt doctrina:ergo nullus actus eius eſt factio, aut exequutio. Atqui omnis actus Logicæ utentis eſt factio,aut exequutio: ergo nullus actus eius ſcilicet Logicæ utentis eſt actus docentis , aut è contra. Confirmo diſcurſum, qui revera habet aliquid evidentiæ: quamlibet doctrinam poteſt non ſequi ſua praxis;ergo diſtinguitur doctrina à praxi. Confirmo iterum, quælibet cauſa, aut quaſi cauſa diſtinguitur realiter à ſuo effectu,doctrina eſt cauſa,aut quaſi cauſa uſus,ſeu praxis:ergo Tertiò,quia in aliis facultatibus practicis ſemper uſus diſtinguitur à doctrinâ,nam pulſatio citharæ alius actus eſt, & alius doctrina aut ſcientia pulſandi: conſtructio domus utique aliud eſt à ſcientiâ conſtruendi, quæ poteſt eſſe in fabro ocioſo,& ſic de cæteris, ergo.

a Rubi. Aver. q. 1. log. ſect. 2. Complut. diſp. 1. log. q. 2. §. 2. Soto q. 1. proœm. Sanch. lib. 1. Log.

Sed contra hanc rationem facit primò quod doctrina eiuſmodi ſit etiam aliquis uſus eius: nam ſemper habet annexam conſtructionem domus ad intra,ſive ſimulachri,aut imaginẽ eiuſdem, in quâ tanquam in ſpeculo relucet domus ad extra, adeoque argumentum eſt in oppoſitum. 2. quod facilis ſit diſparitas horum, quia nimirum in aliis facultatibus doctrina, & uſus,ſunt in diverſis realiter potentiis. doctrina in intellectu, & uſus in membris, in Logica è contra utrumq; eſt in intellectu. Primum horum ſic reiicitur quia doctrina ſive ars domificatoria , non eſt ars formandi domos ad intra:(quid enim faciunt,aut iuvant huiuſmodi domus habitationẽ, adeoque domus ad intra non eſt uſus huius artis. Secundum ſic quia prudentia. quæ eſt ars quædam moraliter benè agendi,& reſidet in intellectu, qui etiam identificatur voluntati à qua debet provenire uſus huius doctrinæ hæc inquam prudentia diſtinguitur realiter ab actu in quo eſt uſus,& praxis ſui: ergo in aliis facultatibus non proinde diſtinguitur uſus & doctrina quia ſunt in diverſis potentiis (nam hæc non ſunt in diverſis realiter potentiis ,& tamen diſtinguũtur)ſed ex natura ipſorum, adeoque etiam in Logica idem eveniet à paritate. Deinde trahi poteſt huc inſtantia illa domus ad intra,nam conſtructio huius eſt ab illâ potentiâ,in qua eſt doctrina,& tamen conſtructio diſtinguitur à doctrina : nam manente illa domo ad intra in ſuo eſſe eliciuntur ab intellectu nova dictamina doctrinalia de fabrica domus ut certum eſt: ergo Rectius ergo

Obiici poteſt huic concluſioni ratio præcedentis, quod nimirum Logica docens ſit ſcientia,adeoque debet continere demonſtrationem regularum ſuarum quæ eſt uſus. Ad quam dico in primis concluſiones non eſſe pugnantes,quia una loquitur de ſua Logicâ completè ſumpta; altera de ſua incompletè ſumpta, ſed relicto hoc nego conſequentiam argumenti rigidè ſumptam. Cauſa; quia non eſt de eſſentia habitus ſcientifici niſi ut habeat ſubiectum paſſiones ab illo emanantes, & media, ſeu præmiſſas per quas deducantur ex ſubiecto illæ paſſiones. Cæterum actualis illatio, aut confectio demonſtrationis,non eſt de eſſentia ſcientiæ aliàs, perfectiſſimæ illæ Phyſica, Metaphyſica, Mathematica non eſſent ſcientiæ,nam actualis demonſtratio,ſeu confectio ſyllogiſmorum non pertinet ad ipſas , ſed ad Logicam cuius uſus eſt.

Reſoluo diſtinctionem habituum utriuſque Logicæ.

4 Dico 3. verius eſſe quod habitus utriuſq; Logicæ ſcilicet docentis, & utentis diſtinguantur realiter, ac non tantum formaliter. Hæc quam ſit de mente Scoti, infra oſtendam quum etiam Ariſtotelem ad hoc ipſum adducam. Interim ſufficit ad fidem faciendam Scotiſtæ antiqui,& recentes:ita enim rem hanc intellexerunt Tartar. b optimus (ſi quiſquã)interpres Scoti , Maſtrius Bellutus, &c. c Probant aliqui ratione iam tacta ſic; quia in aliis facultatibus uſus & doctrina, ſive habitus utriuſque realiter diſtinguũtur: In Muſica, & ſaltatoria v.g. habitus enim doctrinalis ſaltandi in capite eſt, alius ille uſualis aut practicus in pede. Muſica item quoad peritiam in cerebro eſt quoad uſum in ore &c.

b q. 1. proœm. ibid. ...

c Gab. Vaſq. ... diſp. 8. c ...

At enim adverſantes facilè ſe expediunt iſta probatione,dicunt enim, ut ſupra cauſam eſſe quia habitus illi ſunt in diverſis potentiis,eius contrarium eſt in Logica docente & utente:nam utraque eſt in eodem intellectu , adeoque ſed non exiſtimo per hoc evacuatam eſſe vim argumenti propter ea quæ hic ſubtexo. Primum quia non ex eo oritur neceſſitas novi habitus, quod actus aliquis eliciendus ſit à diverſa potentia;nam quando voluntas imperat oculo viſionem , imperium & exercitium eius ſunt à diverſis potentiis, nec tamẽ ponitur alius habitus in potentia exercente: ſecundum, quia in eadem potentia ad plures actus, dantur plures habitus principiorum , & alius habitus concluſionum ; v. g. in intellectu dantur habitus, dantur ſapientia , prudentia , vt omittam ſcientias in ſpecie. In voluntate etiam res eſt evidens, quum omnium virtutum,ac vitiorum habitus habeat:ergo jam non ſufficit quod aliqui actus ſint ab eadẽ potentia ad hoc vt ſint ab eodem habitu , quæ fuit reſponſio adverſariorum. Tertium, eſt ratio horum omnium à priori,quia vel in uſu illarum artium eſt nova difficultas ab illa quæ eſt in doctrina, ſeu theorica earũ, vel non eſt. Si non ſit, certè non eſt quærendus habitus imò nec admittendus, quantumvis ſit diverſa potentia, ut patet in exemplo oculi , qui quia non habet difficultatem in videndo: nec etiam habet habitum. Si autem ſit nova difficultas, ponendus eſt utique habitus indiſpenſabiliter , adeoque ut ſtatuatur, an ſit vel non ſit habitus, non eſt reſpiciendum ad potentias, utrum plures, vel una ſit; ſed attendendum eſt ad difficultates: proinde reſponſio illa nõ reſpondet quamvis maximè ea nitantur adverſarii. Quod verò in uſu Logicæ ſit difficultas alia ab illa, quæ eſt in theorica eius, patebit ex adducendis,& ex ſequenti ratione, quâ. Probo 2. concluſionem, ſi Logica docens, & utens eſſent idem habitus quum augetur unus augeretur etiam alius: hoc non fit, ergo illi non ſunt unus, ſed diverſi; patet ſequela

majore

maioris, quia idem ſine ſe non poteſt augeri, aut minui. Minor autem probatur certiſsima experientiâ qua conſtat non augeri habitum Logicæ docentis per actum Logicæ utentis. nam ex confectione enthimematis, aut ſyllogiſmi in prima figura v.g. non magis novit quis quomodo debeat illa formari ut patet experimento, & præterea ratione, quia quod non eſt ſcire, non poteſt augere ſcientiam, conficere autem non eſt ſcire, ſed quid diſparatum, ergo.

4. Scotiſtæ oppoſiti varia diverticula excogitarunt huic argumento evadendo. Aliquando reſpondent negando maiorem (concedunt enim experientiam minoris) quia inquiunt quando unus habitus habet duos actus non ſentitur facilitas, niſi in ordine ad actus, quibus tunc augetur ita illi: quæ ſolutio, niſi fallor hunc ſenſũ facit, ut quando quis elicit actus doctrinales Logicæ tunc experiatur in ſe augmentum habitus illius ut docens eſt: quando autem habet actus practicos, ſeu confectiones, tunc experiatur in ſe augmentum eius, vt utens eſt non verò augmentum eius vt docens eſt, quamvis revera illud habeat. Sed nihil facilius quam hæc refellere, nam non ex cauſa efficiẽte habet habitus quod ſentiatur, ſed à formali, ſive à ſeipſo; atq; ita ſi revera acquiratur augmentũ habitus ſentiatur ſive producatur ab his, ſive ab illis cauſis: nam etiã habitus infuſi ſentiuntur qui tamen nullis actibus producuntur; ſed à ſolo Deo. Loquor de naturalibus, ſive per accidens infuſis; vt ſi cui infũderetur ſcientia, aut habitus ieiunandi &c. Vnde etiam ipſa Logica ſi infunderetur à Deo nihilominus facilitaret potentiã.

a Poncius diſp.2.q.6. Alius reſpondet concedendo experientiam, & negando conſequentiam: quia inquit, non debet habitus augeri per alios actus, quam per eos, qui eliciuntur ab ipſomet. Confectio autem ſyllogiſmi non fit ab habitu Logicæ docentis elicitivè, ſed regulativè, & directivè. Ita ille, non advertens quod ſic concedat potius argumentũ, quam ſolvat quatenus facit pro concluſione à me poſita in illo tenore. Illa enim tantum aſſerit dari duos realiter habitus, quorum unus ſit Logicæ docentis, alter vtentis, quod totum ſic reſpondens videtur concedere, & cogetur: nam actus illi ab aliquo habitu ſunt elicitivè, non ab alio quam utente: atqui non ſunt ab habitu docentis ſecundum ipſum elicitivè: ergo iã non datur aliquis habitus utentis, à quo ſint confectiones diſtinctus realiter ab habitu doctrinæ. Cõfirmo, & explico; nam ſine dubio per confectionem ſyllogiſmorum v.g. acquiritur facilitas aliqua conficiendi, atque ita fit habitus aliquis, qui ſit Logica utens propriè: atqui non acquiritur habitus docentis ſecundum reſpondentem: ergo alius ab ipſo realiter: quæ ratio attendenda & adhibenda eſt, non enim ſufficit dicere (vt quidam) quod non augeatur habitus docentis per actus utentis; ſed addendũ eſt quod augeatur habitus ipſius utẽtis. Vnde breviter, & bis pro concluſione ſic argui poteſt: non augetur habitus Logicæ docentis per actus utentis, augetur autẽ habitus ipſius vtentis; ergo alius eſt habitus vtẽtis, & alius docentis. Ex altera autẽ parte ſic: Habitus vtentis non augetur per actus docentis: augetur autem habitus ipſius docentis: ergo eſt alius habitus vtentis, & alius ipſius docentis: Atq; hinc.

6 Probo de novo concluſionem refellendo fundamentum quo nituntur adverſarii: Dicunt enim cognito modo, quo debent inſtrumenta Logicalia v.g. ſyllogiſmi, fieri, non eſſe ullam difficultatem illos conficiendi in quacunque materia cognita, adeoque non debere poni ullum habitum in intellectu niſi illum, qui verſetur circa materiã, in qua fiunt v.g. Phyſicam, vel Metaphyſicam, atq; ita nullũ qui ſit Logica docens. Ita illi; contra quos ſic arguo: non ſolum ponuntur habitus ad minuendam difficultatem, ſed etiam ad augendam facilitatem: poteſt autem ſine dubio augeri facilitas conficiendi, ſicut & cognoſcendi hæc inſtrumenta (cur enim fieri facilè poſſunt inſtrumenta localiter diſcurrendi, aut ædificandi, non verò iſta intellectualia) ergo adhuc aſsignandus eſt illis habitus, probatur maior ſic: nulla eſt difficultas aſſentiendi concluſioni demonſtratæ, & tamen ad hoc eſt habitus determinatus in intellectu, ſcilicet habitus ſcientiæ; & multò maior eſt difficultas aſſentiendi ipſis præmiſsis, ac principiis, quæ tamẽ habent habitum ſuũ qui eſt & dicitur intellectus. In voluntate etiã ſunt plurimi habitus virtutũ moralium, quibus præſtatur ei vt cum mediocritate verſetur circa obiecta delectabilia ſenſuum; & tamen in voluntate præciſe nulla eſt difficultas abſtinendi à ſenſibilibus, nec enim voluntas ſecundum ſe illis delectatur, aut offenditur, nec obſtat ſi dicas defacto tamen capi ipſã & offendi his delectationibus propter coniunctionem eius ad ſenſum: nam & ſi ita ſit, tamen ideo nõ efficit ponendum eſſe habitum in voluntate, ſed ſolum in ſenſu: & tamen non ita eſt, nec ita fuit in ſtatu naturæ conditæ, nam Adamus habuit in voluntate ſua omnis generis virtutum habitus, quum tamen voluntas eius non pateretur difficultatem in abſtinendo à ſenſibilibus: ergo. Ponendus eſt ergo magis propriè habitus ad generandam facilitatem, quam nemo negare poteſt gigni ex frequentatione uſus, ſeu confectionis inſtrumentorum Logicaliũ. Vnde aliter argui poteſt contra adverſantes ſic: cõcedunt ipſi non augeri ſcientiam ſpeculativam Logicæ per uſum: ſed etiam ſcientia in cuius materia fuerũt argumenta v.g Phyſica, aut Metaphyſica eſt ſpeculativa: ergo non augetur per uſum; & ita nihil reſtat gignendum, niſi aliquid utentis.

Deniq; iuvari poteſt concluſio hoc argumento ad hominem Logica docens eſt ſcientia, Logica vtẽs non: ergo docens, non eſt vtens, quia idem non poteſt eſſe, & non eſſe ſcientia. Fateor diſtingui poteſt de Logica docente realiter, & formaliter ſumpta: ſed revera huiuſmodi diſtinctio non tollit difficultatem in habitibus acquiſitis; nam non poteſt unus ullus habitus acquiſitus etiam realiter ſumptus gigni ex talibus actibus v.g. ex evidentibus neceſſariis &c. & ſimul non gigni ab illis; at verò habitus ſcientificus acquiſitus debet gigni à talibus; nam niſi gigneretur non eſſet ſcientificus.

7. Obiiciunt non eſſe neceſsitatem ullius habitus ad arguendum, niſi habitus Logicæ quæ docet formam arguendi, & illius ſcientiæ quæ dat materiam argumento: ergo non debet aſſeri alius: Iam reſpõſum eſt. Dices reſponſum eſſe quod aſſerendus ſit habitus ad ponendam facilitatem; ſed ipſa facilitas non eſt ponenda, quia non neceſſaria. Reſpondeo, viderit natura cur poſuerit facilitatem arguendi in eo qui ſæpe argumentatur, noſtrum eſt aſſerere habitum, ubi videmus facilitatem. Præterea etiam retorqueo hoc argumentum in authores; nã ſi quid valet probat contra ipſos utramque Logicã, ne quidẽ formaliter diſtingui, vt patet applicando rationem; quia nimirum non ſolum ſunt multiplicandæ realitates, ſed nec formalitates etiam multiplicandæ ſunt abſque neceſsitate. At verò quod aſſumunt ipſi vt probant non eſſe neceſſariũ aliquid realiter diſtinctum à docente, probat etiam nec neceſſariũ eſſe quidpiam formaliter diſtinctũ nam actus tam diverſi ſpecie quam ſunt confectio, & argumentatio, poſſunt ab eodẽ principio indiſtincto formaliter provenire, ſic intelectus iudicat, & diſcurrit; voluntas proſequitur, & fugit, ſive amat, & odit, & alia ſexcenta: ergo.

Obiicio tamen adhuc pro ipſis non debere hic aſſeri habitum, aut facilitatem, quia nimirum ſumus in materia ſpectante ad intellectũ, qui eſt potentia naturalis: In potentia autẽ naturali non generatur habitus, ut patet in oculo. Reſpondeo ſi ita ſit nec dari habitum docentis, ſive identificetur, ſive diſtinguatur ab utente; ſed quia argumentũ pugnat contra hunc, & cæteros habitus, ſolvo illud quatenus facit contra utentem, de quo hic; & dico fortaſsis argumentum vincere quod non detur habitus in intellectu, quãdo fertur proſequendo; at verò benè dari poteſt quãdo fertur componendo Item reſpondeo 3. & dico fortaſsis nõ eſſe dandũ habitũ intellectui quando tendit ad aliquem terminum naturalem, ſed benè quando agit ad aliquẽ terminũ artificialẽ, qualia ſunt inſtrumenta artis Logicæ; ſed objiciunt tertio acrius vt probent omninò non dari Logicam utentẽ habitualẽ. Logica habitualis utens debet inclinare ad uſus Logicæ, ſed nullus habitus poteſt inclinare ad uſum formaliter, ergo nulla poteſt eſſe utens habitualis. Probatio minoris, quia uſus vt uſus debet regulari per doctrinam reſpectu cuius eſt uſus, ſed habitus nõ poteſt inclinare ad actus regulatos, vt regulatos formaliter, ad hoc enim ipſe habitus deberet cognoſcere regulas quod repugnat: ergo nullus habitus poteſt inclinare ad uſum formaliter vt talem: atq; ita nec poterit dari Logica vtens Hoc argumentum probat pluſquam eſt intentum, nam ſi non detur Logica vtens, non ſolum non diſtinguetur; ſed nec identificabitur Logicæ docenti. Reſpondit autẽ recentior quidam argumẽtum non poſſe valere, quia alias nec in voluntate darentur habitus morales: iſti enim inclinant ad actus conformes, vel conformandos regulis, quas tamẽ regulas certum eſt ipſos habitus non cognoſcere. Hic modus reſpondendi nunquam mihi probari potuit, ut ſcilicet quis unam inſtantiam evadere velit per aliã in qua redit eadem difficultas niſi ſolvatur in prima. Itaque ex hac ipſa materia diſcendum fuit aliud eſſe docere, ſeu thoricam ſpeculativam tradere, aliud uti ea per inſtantias, & exempla. Reſpondeo ergo nagãdo minorẽ, & ad probationem dico habitũ poſſe inclinare ad actus regulatos ſimpliciter, & realiter loquendo; non eſſe autem opus ut inclinet ad regulatos ut regulatos formaliter loquẽdo, licet hoc exigatur ex parte ſuppoſiti agentis: multas enim denominationes habent actus noſtri: quæ nõ poſſunt attribui omnibus cauſis eorum ſed nec accipi ab illis. Actus enim furti eſt moraliter malus, non tamẽ habitus cõcurrẽs ad eũ, malè, aut omninò moraliter agit, ſed demus aliquid argumẽto: puto enim propter hæc, & alia, quod habitus ille, nõ ita propriè dicatur vtens, nec actus eius uſus; nõ enim vnus habitus utitur alio; ſed potẽtia ſcilicet intellectus utroq; ſed hoc ſup. *a* tetigi.

a Act. 1. n. 7.

8. Eſt etiam alia via probandi hanc partem; nam Logica utens, ſecundum pleroſq; eſt aut ſunt actus, ſive demonſtrationes aliarum ſcientiãrum; quod ſi ita ſit, clarum eſt quod benè à nobis dictum ſit Logicam utentem habitualem à docente diſtingui, quia tum Logica utens habitualis erit habitus aliarum ſcientiarum quas certum eſt à Logica diſtingui.

Tertiò ſic: nã vt ſupra vidimus *b* Logica vtens quibuſdã eſt pars Topica: at verò pars Topica, quomodocunque ſumatur diſtinguitur à vera Logica, ut vidimus: ergo. Dices contra priorem probationẽ: Qui ponit demonſtrationes actuales aliarum ſcientiarum eſſe Logicam vtentem; ponit etiam demonſtrationes ipſius Logicæ eſſe vtentem actualem particulariter. Quod ſi ita ſit; tum Logica vtens habitualis erit ipſa docens. Certum eſt autem docentem non diſtingui à ſe ipſa: ergo nec ab vtente, nec à docente. Reſpondeo et ſi ita ſit tamẽ nos habere meliorem partem quà negantes; nam ad hoc vt ſententia negans iſtas Logicas eſſet vera, oporteret nullam vtentem habitualem diſtingui à docente habituali, quod ipſi vident eſſe falſum. Reſpondeo 2. non ſequi hoc, quia qui poneret Logicas demonſtrationes eſſe Logicam vtentem actualem deberet dicere, quod non detur Logica vtẽs in actu primo ex hac parte: illa enim eſt Logica ut docens ſicut in aliis ſcientiis Phyſica ut ſpeculativa eſt Logica vtens in actu primo juxta hanc viam certum eſt autem quod Logica docens, ut docens non ſit vtens, quidquid ſit de aliis ſcientiis v. g. de eo an Phyſica docens, ſeu ſpeculativè ſumpta ſit vtens, quia ſemper ſervandum eſt aliquod diſcrimen inter vtramque Logicam ſaltem formale, vel diverſarum quidditatum: ergo.

b ibid. 4.

Ariag. diſput. 3. ſect. 1.

ACTIO QVARTA

Vtrum Logica Vtens ſit ſcientia, nec ne.

BREVIARIVM

Num. 1. *Concluſio negativa: an rectè probetur à Scotiſtis eſſe Scoti?*

2. Plures probationes eius.

3. Nova ratio dubitandi contra concluſionem.

4. Reſpondetur titulo quæſtionis in alio ſenſu. Pars Topica an ſcientifica?

1. HV. quæſtioni occaſionem dedimus præcedenti actione, quum ſcilicet diximus utentem eſſe habitum diſtinctum realiter à docente: de illo enim quæritur qualis ſit? Reſpondeo autem, & Dico eum non eſſe ſcientiam. Ita *a Doctor* paſſim propter quod *b* Scotiſtæ catervatim hanc ſequuntur.

At enim vereor ne hi omnes non intellexerint Doctorẽ ut enim ſuprà *c* oſtendi apud Scotũ; & alios veteres, Logica utens ſignificabat partem Topicam quæ miniſtrat materiam, & media argumentis; non verò ſonabat, quod hodie in Scholis ſignificat, ſcilicet habitum inclinantem ad confectionem inſtrumẽtorum Logicalium. Libet id oſtendere ſemel ne noſtri amplius hallucinentur: ait autem Doctor primo loco ſupra. *Intelligendum quod Logica dupliciter conſideratur: uno modo in quantum eſt docens. & ſic ex neceſſariis, & propriis principiis procedit ad proprias concluſiones Alio modo in quantum utimur ea applicando eam ad illa, in quibus eſt uſus. & ſic non eſt ex propriis; ſed ex cõmunibus. &c* ut ſuprà in themate Quod egregiè deinde explicat 2. loco citato ſcilicet q 1. Elenchor. *Nam*, inquit, *oſtendit quod amor & odium ſunt in eodem ſuſceptibili, non per proprietatem amoris, vel odii; Sed per hoc medium quod contraria nata ſunt fieri circa idem.* Vbi Logicam utentem intelligit ratione materiæ Topicæ, ſeu probabilis, non verò ratione confectionis vel formæ? ſed quidquid de hoc ſit, quod etiam infra tangam; pro nunc.

a q. 1. univerſ. qu. 1. Elench. q. 43. ſuper Poſter. &c.
b Maurit. Sarn. Braſavol. in q. 1. univerſ. Scot. Faber the. 1. c. 1. Conc. 2. Recc. q. 1 proœm. Ponc. d. 2. quæſt 6.
c. act. 1. n. 4.

2. Probo concluſionem poſitam, quod ſcilicet utens habitualis in ſenſu explicato non ſit ſcientia; quia habitus ſpecificatur ab actibus, ut notum eſt, atque ita qui non habet actum ſcientificum, non eſt ſcientia: Logica utens non habet actum ſcientificum, quod probo plures primo, quia actus utentis eſt confectio, aut conſtructio inſtrumentorum; ſed confectio non eſt ſcientia, neque conficere eſt ſcire, ut patet (& ſupra probavi) vel inde quia conficere prærequirit ſcire 2. quia actus ſcientificus ſemper eſt circa univerſale. Vſus Logicæ, qui eſt confectio ſyllogiſmi v. g. ſemper eſt circa ſingularia; nec enim confici poteſt ſyllogiſmus ut ſic, aut univerſalis: ergo. Tertio quia Logica actualis utens eſt extra totum genus ſcientiæ. Scientia enim eſt ſub non genere qualitatis: Logica actualiter utens; non ſed ſub genere actionis eſt enim actualis confectio, aut fabrica inſtrumẽti alicuius v. g.

a in ante-rior. c. 4. demonſtrationis, aut definitionis, ſcimus autem *a diverſorum generum non ſubalternatim poſitorum diverſas eſſe ſpecies*; & ſcimus actionem & qualitatem eſſe diverſa genera non ſubalterna: atque adeo nihil unum poterit eſſe ſpecies utriuſque: quum ergo utens actualis ſit ſpecies actionis, non poterit eſſe ſpecies qualitatis, adeoque nec ſcientiæ. Quarto ex D. Thoma quia utens, & ſcientia habent oppoſitos modos procedendi. ſcientia enim procedit reſolutivè, reſolvendo ſcilicet concluſionem in ſua principia: utens verò compoſitivè. Probatur etiam concluſio ipſa adhuc. Quia utens præſupponit Logicam in eſſe ſcientiæ conſtitutam: ergo ipſa utens non eſt ſcientia: antecedens probatur in primis de utente actuali, quia impoſſibile eſt quidpiam facere artificioſè niſi faciens ſciat qualiter ſit faciendo. Quæ ratio, (ut benè notavit noſter *b Rodriguez.*) procedit etiam de Logica utente habituali; nam ſicut ſe habet Logica actualis utens ad docentem actualem, ita habitualis ad habitualem. Conſequētia verò probatur primo, quia nulla ſcientia præſupponit aliam, ſcientia enim ſolum præſupponit principia. (Abſtraho jam à ſubalternantibus, & ſubalternatis, qualis ſine dubio non eſt Logica utens.) Secundo, quia de eodem objecto non poſſunt dari plures ſcientiæ ſecundum eandem rationem objecti: cum ergo probatum ſit Logicam docentem eſſe ſcientiam, non poterit utens eſſe, & eſſe (ſicut certiſſimè eſt) de eodem objecto; non enim erunt diverſæ ſpeciei, cum ſit eiuſdē objecti; nec eiuſdem ſpeciei, quū ſit in eodē intellectu, nam accidentia ſolo numero diſtincta nō poſſunt in eodē ſubjecto multiplicari.

ibid. b in proem. art. 3.

Probari aliter poteſt, quia ſcientia poteſt reſpondere quæſtioni factæ de cauſa; ipſa enim non eſt aliud, quā allegatio cauſæ: Logica utens non; nam ſi quæratur ratio concluſionis illatæ v.g. cur mixtū ſit corruptibile? rationē huius reddit Phyſicus, & alterius Metaphyſicus; nullius autē Logica utens: ſi enim nō unius, certè nec alterius, quū æqua ſit ratio omniū. Confirmo: nam ſi rationem alicuius redderet, jam eſſet docens, id enim eſt propriè docere: non eſt autē docens, nec eſſe poteſt; ergo. Explicatur ratio & confirmatio: nam ſi noſſet cauſā & naturā rerum, puta paſſionis illatæ, & definitionem objecti, quæ eſt mediū in demonſtratione propter quid. ſeu per cauſā, eſſet cōtemplatrix: non eſt autem nec eſſe poteſt. Etenim hic agimus de Logica propriè, ut utente, ſive ut practica eſt: ergo.

Poſſumus denique hic uti paritate aliarum artium, ſeu habituū practicantiū: nam habitus ſaltandi, vel canendi, qui eſt in membris hominis, non eſt ſcientia: At verò Logica utens reſpondet huic habitui, ſicut & docens reſpondet habitui Muſicæ, qui in hominis intellectu reſidet, & eſt verè ſcientificus: ergo.

Ratio ſequelæ eſt quia diſcrimen, quod intercedit inter Logicam utentem, & huiuſmodi habitus organicos, planè impertinens eſt ad rationem ſcientiæ aſſignandam, vel negandā; quod ſcilicet iſti ſint in diverſis potentiis, utraq; autem Logica, ſcilicet tam utens quā docens ſit in eodem intellectu, nō enim aliquis habitus ſit ſcientia ex eo quod in intellectu reſideat, quū in intellectu ſint etiam opiniones, & artes.

3\. Obiicio tamen, uſum Logicæ non eſſe, ut nos explicavimus, ſcilicet productionem, aut confectionem inſtrumentorum ſciendi nam ſi quis fortuito conficeret ſyllogiſmos, vel etiam naturaliter, ut contingit ſubinde in ſomno, aut etiā ſicut pſittacus, merè materialiter, utiq; conficeret, & loqueretur ſyllogiſmos &c. nec tamen interim haberet actum Logicæ utentis, quia non uteretur docente, aut præceptis eius in formando ſyllogiſmos illos: ergo iam actus Logicæ utentis ſunt ſcientifici: ideo enim confectiones iam enumeratæ non ſunt Logica utens quia deeſt ipſis ille influxus doctrinæ, aut ſcientiæ; explicari poteſt res inſtantia paulò magis clariori. Nam ſi in ruina aliqua montis, aut alterius machinæ lapides & cætera rudera ita ſuper terram deciderent, ut domū facerent exhibendo parietes, feneſtras, & tecta, adhuc domus illa non eſſet architectonici uſus quum natura, aut fortuna, quæ conſtruxit domum illam non poſſit uti architectura: ergo ſignum eſt quod hæc & ſimilia qualis eſt Logica habeant uſum ſcientificum.

Explico, & augeo argumentum; nam qui negant Logicam utentem eſſe ſcientiā dicant eam eſſe artem, at verò cōfectiones illæ nō ſunt artes, aut artificioſæ, ut patet in exemplo iam poſito de architectura: ergo Reſpondeo hæc omnia bene probare ad quod Logicam utentem concurrat actus ſcientificus, aut doctrinalis, non verò oſtendi per hoc quod ipſemet uſus Logicæ ſit talis. Dices ergo in hoc complexo actus Logicæ utentis, includitur actus ſcientificus: non includitur niſi unus actus, utiq; enim poteſt dari unus actus, qui ſit actus Logicæ utentis: ergo. Reſpondeo includi in eo complexo actum ſcientificum; ſed tanquam connotatum, non tanquam ſignificatum; ſicut in hoc complexo actio libera includitur actus intellectus; quamvis actus propriè liber ſit propriè actus voluntatis. Objiciunt aliqui. Illa facultas eſt ſcientia quæ demonſtrat paſſiones de obiectis, hoc facit Logica; item, ipſa enim eſt quæ demonſtrationes cōficit, quum formatio demonſtrationum ſit uſus Logicæ docentis. Reſpondeo facile diſtinguendo majorem: Illa facultas eſt ſcientia quæ demōſtrat paſſiones miniſtrando materiam id eſt principia & præmiſſas cōcedo; quæ diſponendo tantum materiam nego; hoc proximum facit logica utens, non amplius, adeoq;.

4 Expectabit hic aliquis, ut reſpondeamus titulo in ſenſu ſeu acceptione Logicæ docentis, quem ſupra approbavimus ex Scoto, ut ſignificat partem Topicā; ad quod feſtini reſpondent Scotiſtæ, *c* & cum illis alii ferè omnes: utentem ſic ſumptam, ſive (quod idē eſt) partem Topicā eſſe ſcientiam quia: (inquiunt) illa etiā pars demonſtrat de ſubiecto ſuo paſſionem, probat enim ſyllogiſmum Topicum generare opinionē, quia cōſtat ex medio probabili, ſicut Analitica probat ſuum ſyllogiſmum generare ſcientiam, quia conſtat ex mediis neceſſariis. Ita illi animoſè ergo cōtra.

c Mauris. in exp. Scoti. Maſt. & Bellut. q. proem. art. 4. Poncius. d. 2. q. 1.

Cenſeo Logicam hanc non eſſe ſcientiam, neque authores illos ſufficienter affirmativam, ſeu oppoſitam partem probaſſe. Rationem ſecundi huius do: quia quum agamus de Logica quæ traditur in ſcholis, adferri debuit demōſtratio aliqua ipſius, qua cōcludat paſſionem aliquam certò, & efficaciter de ſuo obiecto: quod non eſt factū: neque enim illa demonſtratio facile inveniretur in Topicis, quæ jā docentur, & legūtur, alioquin citēt locū Ariſtot. ubi ea habeat.

Sed & ego oſtenſivè probo non poſſe id præſtari ab ipſis, aut etiam ab Ariſtotele: certè autem non debuiſſe, quia nimirum judicare de parte Topica, non pertinet ad partem Topicā ſicut dare ſententiam de viſione non pertinet ad oculum (quia oculus non judicat niſi de coloribus in quorum numero non eſt viſus,) ſed ad aliquem ſenſum ſuperiorem & communem, vel etiam ad intellectum, & ſic de aliis; adeoque ſimiliter judicare de parte Topica non pertinet ad partem Topicam, ſed ad aliā facultatem, quæ extra totam Logicā eſt. Itaq; probatio illa intēpeſtativè huc eſt producta.

Probatio autem mei aſſerti, quod Topica non ſit ſcientia, eſt ex natura quam habet oppoſitam illis facultatibus, quæ ab omnibus cenſentur ſcientiæ: v. g. Phyſica eſt ſcientia quia pro concluſionibus quas docet, tradit media neceſſaria, & efficacia ad illas probādas, habet principia neceſſaria, aliqua etiā ex terminis nota, quæ convincunt omnē intellectū ad concedēdam ei eiuſmodi paſſionem: ſimiliter Metaphyſica, & Ma-

Digitized by Google

& Mathematica adhuc magis. Cuius contrarium planè contingit in Topica : illa enim miniſtrat media probabilia duntaxat, & dubia, quibus nullus intellectus cogitur, imò quiſque poteſt (ſi velit) diſſentire, ut quod omnis mater diligit filios ; quod novercæ oderint privignos. & ſimilia, quæ quamvis ut plurimum vera ſint, tamen aliquando etiam mentiuntur.

Tractant hanc materiam.

Plato apud Photinum *Enead.* 1. *lib.* 4. Reliqui Græci apud Zarabell. *hic infra producendum.* Aver. etiam 1. *Phyſic. commento.* 35. D. Thom. 4. *Met.* Doctor noſter, qui cæteris præivit *q* 3. *Elench.* Caet. 1.2. *q.*57. *ar.*6. Vaſquez 1. *p. diſp.*8.*c.*5. Rodriguez *noſter q.*1.*proœm.* Soto. *q* 2. Sanchez *lib.* 1. *Logicæ q.*6. Maſius *ſect.* 1. *q.* 4. Conymb. *hic q* 1 ar... Complut. ibid. *diſp. q.*5. Faber. *theor* 1. *c.* 5. Ioan. à S. Thoma *p.*2. *Log. q.* 1. *ar.*5. Didac. *q.*5. Raphl. Averſ. *q.*1 *Log. ſect.*5. Ioannes Lademandt *diſp* 3 *partit. etiam* 3. Flandria 2. *Met. q.*5 *ar.*2 Aragon. *ib.* 3 *ar.* 1. Petrus Hurtado *diſp* 2. *Logicæ ſect.* 1. Poncius *ibid q* 6. Rodericus Ariag. *diſp.*3. *Logicæ ſect.*1. Maſtr. & Bellut *q. proœmial. ar* 1. Merin. *q. proœm.* 1 Fonſeca 2. *Metaph. q.*1. Zarabell. *lib de natura Logicæ* Rub *in proœm. q.*3 Balduin. *q.*7. Mirandul. *in commentar Log. ſect.*8. & ante hos Alenſis noſter 7 *Met. tex.* 2 Anton. de Fantis *in ſpeculo rationali ar.*2. *diff.* 12. Honorat. de Robert, *tract.* 2. *Prolegom. theor.*2. & 3. Amicus *tract.* 1 *q. ult.* Franc. Ovied *contr.* 2. *Logicæ punct.* 2.

APOLOGIA TERTIA PROOEMIALIS

CVIVSMODI SCIENTIA SIT LOGICA.

Practica an Speculativa ?

Actio I. Quid ſit propriè praxis à qua ſcientia denominatur practica ?
Actio II. Defendit alias partes Definitionis praxeos apud Scotum citatum.
Actio III. Vtrum praxes debeant elici ab eo in quo ſupponitur eſſe ſcientia practica earum : nec ne?
Actio IV. Quomodo ſe debeat habere ſcientia ad praxim , ut ipſa practica ſit : Seu quomodo debeat ad praxim extendi, & dictare de ipſa?
Actio V. Vnde habeatur ſpecificatio ſcientiæ in eſſe practicæ aut ſpeculativæ, ab objecto, an à fine?
Actio VI. Reſolutiva controverſia de Logica , utrum practica ſit an ſpeculativa?
Actio VII. Rejicitur modus dicendi Recentiorum.

Scot. in Prolog. q. 4. n. 3.

STando præciſè in actibus intellectus nulla eſt praxis, quia nulla eſt extenſio intellectus ; quia non extra ſe tendit, niſi ut actus eius reſpicit actum alterius potentiæ. Et ſi dicas unum actum intellectus extendi ad alium directum per illum , non propter hoc ſecundus eſt praxis, ut modo loquimur, nec primus eſt cognitio practica ; quia tunc Logica eſſet practica, quia dirigit in actibus diſcurrendi.

Idem 6. Met. quæſt. 1. num. 14.

Poſſet dici quod Logica eſt practica, quia non eſt tantum propter ſcire proprium ; ſed propter ſcire directivum in aliquo actu : quia enim, intellectus in actu proprio diſcurſivo poteſt errare, indiget habitu directivo, priuſquam dirigat in aliis ſcientiis ſecundum Boëtium ſuper Phorphyrium . ideo Logica poteſt dici primo practica inventa extendendo nomen : quia tamen iſte actus in quo dirigit, non eſt niſi ſpeculatio, ideò propriè Logica non eſt practica &c.

ACTIO PRIMA.

Quid ſit propriè praxis à qua ſcientia denominatur propriè practica ?

BREVIARIVM

Num. 1. *Definita praxis à Scoto. Calumnia recentis cuiuſdam reiecta*
2. *Πραξις Ποιησις an diſtincta, & quomodo ?*
3. *Praxis Ariſtoteli quid ?*
4. *In ſacris litteris quid?*
5 *Fundamentum oppoſiti; Prudentia num practica?*
6. *Alterū fundamentum: & titulus Ariſtotelis ex Græco.*
7. *Ratio Scoti à recentibus allata, expenditur.*

1. NOtâ praxi, ſtatim ex adverſo ſcientiæ occurſ ſpeculatio, quæ quaſi è diametro opponitur ei ; utrâque autem cognitâ eo ipſo elucescet ſcientia practica, & ſpeculativa.

Praxim autem definit Doctor Subtilis, quod ſit *actus alterius potentiæ, quam intellectus, naturaliter poſterior*

Digitized by Google

ſterior *intellectione natus elici conformiter rationi rectæ, ut ſit actus rectus*: ita ad verbum Doctor q 4.prolo. non autem ut quidam *a* ex ipſo deſcripſit *natus elici conformiter ad dictamen rectæ rationis*: nam, ut omittam, quod omiſerit conditionem illam videlicet *ad hoc ut ſit rectus*; non omnis praxis eſt nata elici conformiter ad dictamen rectæ rationis, ut infra. Cæterum contra definitionem hanc praxis conſpirarunt ferè omnes omnino recentes. Aliquis *b* dicit eam abundare ſuperfluis particulis; alius *c* carere fundamento: alii alia dicunt maximè contra primam particulam eius, quæ omnia infra facile refellemus: nunc tantum producam authores tam domeſticos, quam extraneos, qui in hoc cum Doctore ſentiunt, ut appareat quam *d* quidam eorum ſcripſerit univerſam ſcholam hic ſtare contra Scotum nam cum Scoto hic ſentiunt *e* Lichet; Bargius. Tartaret *f* Anton. Andreas. *g* Zerbius. *h* Faber. *i* Smizing *k* Cavellus. *l* Camerarius. *m* Merinerus. *n* Poncius. *o* Maſtrius, & Bellutus. Ad hæc *p* Cajet. *q* Capreolus. *r* Iavellus *ſ* Ferrarienſis. *t* Didacus à Ieſu. *u* Conplut. & *x* Gallego. omnes Claſſici authores, ex utraque ſchola hinc tum Scotiſtica, tum Aquinatis, quos non videtur conſuluiſſe hic cenſor alioquin aliud didiciſſet.

a Pontius diſp. 2. Log. q. 8.
b P. Suarez. tom. 2. Metaph. ſect. 11. diſp 44.
c P. Hurtado diſp. 1. Log. ſect. 1.
d R. Arriaga diſp. 1. Log. ſect. 5.
e Prolog. ſen. q. 4.
f Met q. 11
g lib q. ult
h in prob. diſp. 9.
i Q. proœm d. 9.
k De Anim. d. 9.
l Q. 4. Log.
m Diſp. 2. Logic.
n Diſp. 2. Logic.
o Diſp. 12. q. 5.
p 1. 2. q. 5. a. 1.
q Quæſt 2. prol.
r Ibid. q. 4
ſ 3. cont. gent. c. 15.
t Diſp. 1. q. 4.
u Diſp. 1. proœm. q. 4.
x contro v. 5.
y Lib. 2. cap. 18.

2. Sed ut rem ipſam tractemus, examinabo, & tuebor definitionem praxis per ſingulas partes eius, incipiédo à primâ, quæ dicit praxim eſſe actum alterius potétiæ ab intellectu, ſive quod idem eſt, actũ intellectus non eſſe praxim; quam parté omnes vel maximè impugnant. Probo autem ipſam ſive, Scotum ſic eſſe propriè loquutum; quia nimirum in quæſtione quæ parte maximâ ſui nominalis eſt, ut iſta (etenim lis eſt quid debeat intelligi per ly praxis) ſtandum eſt authorum uſui, maximè vero veterũ, à quibus voces ipſæ cœperunt. At verò hæc acceptio praxis eſt ultimata ſignificatio eius apud Ariſtotelé, cui in hac materia ſtandum eſſe omnes fatentur: ſciendum enim eſt apud Græcos, qui accuratius, quã Latini rerum appellationes diſtinxerunt, actiones hominum in tres eſſe diviſas: alia enim dicta eſt πρᾶξις; alia ποίησις, θεωρία quas voces *y* Quintil. Latinè reddidit actio, factio, contemplatio, & quidé contemplatio apud omnes conſtat quid ſignificet, ſcilicet merum veritatis intuitum, non deſcendédo ad actionem ullám. At verò Actio ipſi Quintiliano, & Græcis Grammaticis ſecundum ipſum, ſignificat exercitium aliquod poſt quod nullũ opus remanet, ut ſaltatio. Factio è contra poſt quod remanet terminus eius, ut ædificatio, poſt quã remanet domus. Et quidem negandum non eſt quin Ariſtoteles etiã uſus ſit iſtis vocibus in hac ſignificatione. Nam 1. Polit 3. *Quæ igitur inſtrumenta dicuntur, factiva ſunt: quod verò poſſidemus activum; (ratio) à pectine enim aliquid fit præter illius uſum &c.* Et clarius 6. Ethic. 5 *effectionis alius eſt finis præter ipſã effectioné, actionis verò nequaquã.*

Ariſtot.
Idem.

3. At verò hanc non eſſe ultimatam & conſtantem Ariſtotelis mentem de harum vocum ſignificatione, Patet. 1. quoniam in ultimo loco ſcilicet ex 6. Ethic. Secundum aliquos Codices non habet abſolutam negationem, aut illud *nequaquam*, ſed *non ſemper*, id quod ſanè arguit, quod ipſe non ſenſerit hoc eſſe ultimatum diſcrimen inter agere, & facere. Præterea quia alibi hæc duo manifeſtè confundit: nam 2 Met *z* Vbi nos legimus *ſpeculativæ etenim finis veritas, practicæ autem opus.* Verſio Græca apud Fonſecam habet θεω. ἡ μὲν γὰρ τέλος ἀλήθεια πρακτικῆς δὲ ἔργον at vero vox ἔργον Græca proprietate ſignificat finem, ſeu terminum operationis remanentem poſt ipſum, qualis eſt ſcriptura poſt ſcriptioné,

z Cap. 1. text. 6.

domus poſt ædificationem: atque ita jam non hæret Ariſtoteles in illa acceptione praxis, ut ſit actio, cui nullus terminus ſupereſt (ipſa præterita,) aut ut ſola operatio ποιητικὰ ſit huiuſmodi quum ipſe expreſſe aſſignaverit eiuſmodi terminum praxi. Quærenda eſt ergo alia acceptio harum vocum, in qua denique hæreat ultimatè Ariſtoteles; habet autem eam tam in Acroamaticis, quam in Ethicis libris, & eſt hæc, quod Actio, quæ reſpondet praxi, ſignificet operationem liberam. Factio autem operationem artificioſam: nam 6. Met. cap. & text. 1. docet quod quum naturalis ſcientia circa talem ſubſtantiam ſit, in qua principium eſt motus, & ſtatus, *nec activa, nec factiva eſt* cuius rationem ſubdit: *factivorum enim in faciente principium eſt, aut intellectus, aut ars: activorum enim in agente electio.* Et adhuc clarius. *Idem enim agibile, quod eligibile.* Ex quibus habetur agere, & actio & agibile eſſe libera omnia; ſunt enim dependentia ab electione, quæ eſt actus volũtatis, & proinde libera: factionem vero eſſe opus artificioſum ſatis declarant illa *factivorum enim in faciente principium eſt*: nam illius termini extra principium in homine eſt niſi termini artefacti.

Dices principium generationis eſſe in generante v.g. principium filii eſt in patre ergò falſo dictum eſt nullius termini extra principium eſſe in homine niſi artefacti. Reſpondeo filium non eſſe factum, quum genitum, & factum opponantur. Deinde quantumvis principiũ filii ſit in patre, tamen principium eius non eſt intellectus, aut ars: nam generatio univoca viventium, quum ſit actus potentiæ vegetativæ non eget ductu intellectus, neque regulatur ulla arte. Itaque vera acceptio praxis apud Ariſtotelem eſt ut ſignificet actum liberum: At verò actus intellectus præcedens voluntatem manifeſtum eſt quod non ſit liber: ergo jam merito excluſit eum Scotus à ratione praxis. Adjiciamus adhuc de mente Ariſtotelis. 1. mag. moral. c. 8. ait, *Actionis tam bonæ quam malæ principium eſt propoſitum & voluntas* Ecce actionem dependere à cauſa libera ſed & 6. Ethic. c. 2. *Contemplativæ autem cogitationis, & non activæ, neque effectivæ benè, & male eſſe eſt verum, & falſum: Sed activæ veritas eſt, quæ appetitui recto conſentanea eſt*, Et infra ſtatim clarius. *Electio igitur actionis principiũ eſt.* Itaque non dubium eſt hanc fuiſſe mentem Ariſtotelis, quam ulterius repetit c 4. ſequenti. Quia (inquiens) *effectio, & actio diverſum quid eſt non actionis; ſed effectionis eſſe artem neceſſe eſt.* Vides effectionem ubique eſſe artificioſam, ſicut actionem liberam.

Idem
Idem

4 Sed & ſacræ litteræ eodem tono loquuntur; nam Matth. 17. ubi nos legimus *reddet unicuique ſecundũ opera eius* Græcus habet. κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ Imo & Arias Montanus non tráſtulit *ſecundum opera*; ſed *ſecundum actiones eius.* Quo poſito quæro ex his hominibus qui tam acriter contendunt actum intellectus eſſe praxim, etiam ut præcedit imperiũ voluntatis, quæro inquam utrum quiſquam judicandus ſit de eiuſmodi actu an non? Reſpondebit utique quod non: oppoſitum enim judicium iniuſtum eſſet, & tamen vindicabitur unuſquiſque de qualibet praxi: ergo jam nullus actus intellectus, aut alius quiſquam neceſſarius eſt praxis.

Arias Mont.

Probavit etiam ipſe Scotus aſſertum ſuum quoad hoc ex eodem Philoſopho, qui inquit *Intellectum extenſione fieri practicum*; fit autem practicus ſine dubio tendendo in praxim: ergo non tendit in praxim, niſi tendendo extra ſe: adeoque intra ſe non invenit praxim, quod eſt dicere aliis termi-

a. De Anim. c. 10.

Digitized by Google

terminis, nullum actum intellectus eſſe praxim. Hãc probationem dupliciter evadunt adverſarii, ſemel negando antecedens illud, ſive axioma eſſe Ariſtotelis aut etiã (ait Molina *a*) nullius alterius cuius authoritate premantur. Iterum dicunt ſtante axiomate doctrinam Scoti poſſe eſſe falſam, quia intellectus per unum actum ſuum poteſt tendere in alium; atq; ita fieri extenſione practicus, ſi alius ſit praxis, ſed neutrum eſt ſolidè dictum, ut dudum monſtrarunt ex noſtris noſtris *Merin.* & *Poncius*, *b* ſaltem quoad primum; nam ſi habetur ille locus apud Ariſtotelè, iam illi falſo hoc negant, ſi non habetur non ſolus in eo Scotus dormitavit: nam & D. Thom. *c* idipſum refert ex Ariſtotele, idque eodem loco quo Scotus, & q. 14. de verit. profert illud tanquam ſuum, inquiens, *Intellectus practicus idem eſt quod intellectus operativus: unde tota extenſio ad opus facit aliquem intellectũ eſſe practicum*, ut pateat incautè dixiſſe Molinam, *d* axioma illud, nullius eſſe cuius authoritate premeretur; nam quum fateatur ipſe plures eſſe à quibus premi poſſet: certè S. Thomas unus eſſe debebit.

a 1. p. q. 1. art. 4.

b ſupr. cit.

c 1. p. q. 79. art. 11.

D. Thom.

d 1. p. q. 1. art. 4. ad ſpuſ. 1.

Secundum autem refutavit olim ipſe Scotus: nam quum intellectus uno actu tendit in alium ſuũ, quamvis actus ille dici poſſet extendi, ſeu extra ſe tendere; tamen potentia ipſa, ſive intellectus per hoc non poteſt dici extendi: quia non tendit extra ſe: quum uterque actus ſit intra intellectum. Itaque ſtandum eſt doctrinæ *Scoti*, hoc eſt proprietati vocis, ut actus intellectus nõ ſit praxis in rigore, quod etiam alia ratione probavit Doctor quam infrà in impugnationibus Recentiũ adferam, & defendam.

5. Obiiciunt enim illi in primis: Illud eſt praxis cuius directione, aut reſpicientia habitus dicitur practicus, ſive, quod reſpicitur ab habitu practico: act⁹ intellectus reſpiciuntur, & diriguntur à prudentiâ, quæ ſine dubio eſt habitus practicus; nam prudentia dictat hic & nunc eſſe ſtudendum, aliàs omittendũ ſtudium: ubi vides actus intellectus, & omiſsiones eorum eſſe obiectum habitus, & actus practici. Reſpondeo nihil hic dici ad id quod eſt propriè & maximè in controverſia: etenim hic agitur de eo an actus intellectus ſecundũ ſe ſumpti & ut procedunt [a]ctus voluntatis ſint praxes, nec de hoc autem nihil dictat argumentum; ſed de actibus imperatis, utique enim ſtudium, de quo conſultat prudentia, utrum ſit ponendum, an omittendum, eſt ſtudium liberum; quia de neceſſariis nemò conſultat. Scio hic Scotiſtas tumultuari quærentes utrum intellectio poſsit eſſe ſaltem imperata praxis aliquibus tenentibus, quod de mente Scoti dicenda ſit practica tantum non praxis; ſed res eſt de nomine, adeoque contemnenda. Videri poteſt *Poncius* citatus.

6. Obiiciunt 2. Quando intellectus reflexè cognoſcit aliquem ex ſuis actibus animo illum producendi, non ſiſtit in ſola contemplatione: ergo illa cognitio reflexa non eſt ſpeculativa ſecundum Ariſtotelẽ, erit ergo practica; atqui ut ſit practica debet habere praxim pro obiecto; habet autem actũ intellectus, ergo actus talis eſt praxis. Reſpondeo fateor me neſcire quiſnam ſit ille intellectus, qui habeat animũ producendi; velle enim, ſeu decernere quidpiã producere, hucuſque ſemper pertinuit ad voluntatem. Reſp. 2. hoc argumentum fundatũ eſſe in loco illo 2. Met. ubi ponitur impropria planè acceptio praxis, ut ſupra notavi: ideoq; nihil hic colligere poterunt, Adverſarii niſi ſeipſos magis impropriè loqui.

Ro. Ariaga diſp. 1. 1. L. ſect. 1.

Vrgeo hoc, nam ſi quis ducatur illo loco, ne tũ quidem operationes intellectus erunt praxes, adeoque utentes hoc loco contra ſeipſos arguunt. Antecedens ſupra oſtendi; quia illud *opus* in Græco eſt ἔργο id eſt quid remanens poſt actionem potentiæ, ſicut veſtis, aut domus: at verò poſt operationem intellectus, nihil remanet; adeoque ille non erit praxis huius loci: ſed

Inſtant illi: quum intellectus dirigit actus aliarum potentiarum. v. g. voluntatis eſt practicus; ergo etiam quum dirigit ſuos. Reſpondeo, miror ſic inſtantes non advertiſſe quam ferè petiverint hic principium. Cauſa enim huius eſt quia actus voluntatis ſunt praxes, actus intellectus non: at verò nulla intellectio ſit practica, niſi dirigendo praxes: ut ergo actus illi intellectus dirigentes eſſent practici deberent actus eiuſdem directi eſſe praxes, quod quidem argumentantes ſuppoſuerunt; ſed fuit illis probandum.

Inſtant adhuc 2. omnis actus virtutis moralis eſt praxis, aliquis actus intellectualis eſt actus virtutis moralis, ergo aliquis talis eſt praxis. Minor apparet in actu fidei. Reſpondeo hoc argumentum rectà eſſe in oppoſitum, nunquam enim dari poteſt actus fidei qui præcedat omnem actum voluntatis; adeoque licet demus actum fidei eſſe praxim, potius ſequitur praxim requirere actum voluntatis, nec ſufficere actum ſolius intellectus unquam ad ipſam.

7. Deniqueiſti *e* reprehendunt poſt concluſionem, etiam rationem Scoti, quam ſic formant. Nulla ſpeculatio eſt praxis, omnis actus intellectus eſt ſpeculatio: ergo nullus talis eſt praxis; negant enim maiorem huius, quia ſpeculatio non opponitur praxi; ſed cognitioni practicæ, ſed ego nego illis ſpeculationem non opponi praxi: ita enim apud authores vocum invenimus. Nam ut ſupra Quintilianus ex græcis Authoribus notavit, & ſignificavit Ariſtoteles, tum in *f* Met. tum in *g* Ethic. cit. operationes humanæ diviſæ ſunt à Græcis in tres, ſcilicet theoricam praxim, & pictin: adeoque theoria: ſeu ſpeculatio opponi debet non ſolum pictiſed praxi, ſi verum ſit, quod bona diviſio debet dari per oppoſita Sed (inquies,) ſi omnis actus intellectus ſit ſpeculatio, nulla dabitur cognitio practica, quod eſt contra omnes etiam Scotum, qui admittit diviſionem cognitionum, & ſcientiarum in practicas, & ſpeculativas. Reſpondeo, nuſquam apud Scotum clarè lego, quod omnis actus intellectus ſit ſpeculatio: adeoq; non teneri nos huic replicæ reſpondere. Iterum concedo omnem actum intellectus eſſe theoriam, ſeu ſpeculationem prout ſpeculatio opponitur praxi, & picti, nego tamen omnem actum eius eſſe ſpeculationem prout ſpeculatio opponitur cognitioni practicæ; etenim utramque oppoſitionem habet ſpeculatio: primam tamen antiquius, & communius apud vulgus Græcorum; ſecundam magis uſitatam apud Philoſophos; maximè verò Latinos. Itaque magna huius rei ignorantia oritur ex vocum confuſione; ſive ex eo quod non accurate diſtinguatur impoſitio, & oppoſitio eorum tum ex primâ inſtitutione, tum deinde ex eorum uſu ſcholaſtico.

e Ariaga Mollina citat.

f 6. Met. 6. Ethic.

* * *

ACTIO

ACTIO SECUNDA

Defendit alias partes definitionis praxeos apud Scotum citatum,

BREVIARIVM.

Num. 1. *Praxis ſupponit cognitionem; & quare?*
2. Lapſus Scotiſtarum. Actus incorrigibiles, an praxes?
3. Actiones Dei ad extra an praxes?

1. ET quidem pars proximè ſequens ex prima patet. Si enim praxis ſit opus liberum, liquidum eſt eam eſſe *naturâ poſteriorem intellectione*: quum omnis actio libera talis ſit; quia nimirum libertas ipſa actus conſiſtit vel maximè in præcedentiâ cognitionis. Liquet etiam ex tertia ſequenti; nam ſi praxis reguletur per cognitionem, neceſſariò debet eſſe poſterior cognitione, quum omne regulatum ſit poſterius ſuâ regulâ. Munienda eſt ergo hæc ipſa pars, quod ſcilicet praxis debeat elici conformiter rationi rectæ, quam quidem meritò deduxit Scotus ex Ariſtotele a dicente quod *electio recta* (idem enim eſt ſine dubio de intentione) *requirit rationem rectam*: quia nimirum omnis praxis eſt electio, ſeu actio libera; ſed etiam dato, quod praxis plus ſignificet ſcilicet actiones etiam artificiales, id etiam traditum eſt à Philoſopho ibidem; nam & artē definivit, quod ſit *habitus cum vera ratione factiuus* & inertiam è contra, *habitum cum falſa ratione factiuum*. Denique cauſa adferri poteſt quoniam niſi requiratur ratio regulans actiones aliquas vt ſint praxis, non eſt cur non dicamus actiones vegetativæ v. g. nutriri, & creſcere, & ſimilia in nobis eſſe praxes quod tamen falſum eſt, & ab omnibus negatum: conſequentia patet, planè enim nihil ipſis deeſt, niſi hoc, nam ſi expectarent directionem rationis ſubito eſſent praxes, non minus, quam cæteræ ergo. Difficultas tamen eſt in hac particula tuenda, propter hæc quæ ſubijcio.

a 6. Eth. c.

In primis enim diminuta videtur definitio, quia non comprehendit niſi actus bonos. Soli enim illi ſunt conformes rationi rectæ. At verò actiones etiam malæ ſunt praxes, ergo Propter hoc Recentes aliqui palam arguunt hanc definitionem erroris, (& quod mireris, magis) Scotiſtæ aliqui etiam melioris notæ, vt defendant, ſeu evadant eam, concedunt. Dicunt enim hoc non eſſe perperam factum à Scoto, quia nimirum non voluit definire omnem praxim, ſed rectam. Ita Lychet q. 4. prolog. Rada in controverſ. Idipſum Smiſing. Tom. 1. & Tartaret. in prolog. tam conſtanter tenent, ut auſint propterea dicere, quod actus mali omnino non ſint praxes. *Ex quo ſequitur* (inquies) *quod nullum vitium ut furari, adulterari ſit praxis.*

Lychet. Rada. Smiſing. Tartar.

2. Sed (pace eorum) Latè errant tam à mente Scoti, quam a rei veritate, non enim potuit Scotus in ſua definitione loqui de praxi rectâ qui quæſivit de praxi, vt ſic; quam ineptè enim quæreret de genere, & reſponderet de ſpecie. Deinde idem Doctor n. 15 ſequenti palam aſſerit rectitudinem contingenter convenire praxi, quod plane deſtruit aſſertionem Tartareti: Si enim contingens eſt, ſeparabilis eſt remanente praxi.

Dicendum eſt definitionem omninò conſtare, ſive intellexerit Scotus hic ſolam rectam praxim, ſive non ſolam, ſed omnem omnino: Nam ex definitione rectæ facilè potuit colligi definitio perverſæ, quum rectum ſit judex ſui, & obliqui. At verò non eſt huc confugiēdum, ſed tenendum quod Scotus deſcripſerit praxim in genere, quia nimirum non ſtetit Scotus in illis *natus elici conformiter rationi rectæ*; ſed addidit, *ut ſit rectus*, quod verum eſt de omni omnino; ſed contra

Obiiciunt; dantur aliquæ praxes, quæ non poſſunt eſſe rectæ; adeoque falſum eſt, quod hic dicitur praxim debere eſſe aptum natum elici conformiter rationi rectæ, aut eſſe omninò rectum, patet conſequentia ex ſe. Antecedens autem ex his inſtantiis ſcilicet odij Dei, mendacii, & à fortiore periurij, hæreſis &c. ſimilium actuum, qui non poſſunt non eſſe mali, & difformes rationi, adeoque: Reſpondeo tamen iis non obſtantibus definitionem eſſe bonam, & particulam illam veram, quia nimirum licet odium Dei, mendacium &c. non poſſint bene fieri, aut reddi conformes rectæ rationi adhuc tamē verum eſt, quod ut ſint, aut fierent boni neceſſarium foret, quod elicerentur conformiter ad rectam rationem; nam nihil eis deeſt ad bonitatem, niſi hoc: ſi enim vnquam, aut fortunâ, aut naturâ ita elicerentur, eo ipſo ſtatim redderentur boni.

3. Objici tamen poteſt non minus arctè ex ipſius etiam Scoti doctrinâ: dantur enim praxes aliquæ etiam bonæ, quæ non ſunt natæ elici conformiter rationi rectæ, ut ſint actus recti: ergo. Aſſumptum hoc oſtenditur, nam actus Dei ad extra ſine dubio ſunt boni, & tamen vt benè fiant non exigunt conformitatem ad rationem, quod etiam Scotus docet, & merito quia prima radix bonitatis ad extra eſt ipſa divina voluntas, unde non proinde aliquod eius placitum ad extra eſt bonum, quia convenit cum ratione, aut dictamine intellectus vel legis; ſed potius ratio, & lex omnis eſt bona, quia convenit cum Divino beneplacito, quod eſt prima regula bonitatis moralis & cuiuſvis ad extra. Reſpondeo, ſi in hoc erratum ſit; ſed non à Scoto primo. Idipſum docuit Ariſtoteles 6. Ethic. 2. Quod ſupra citavi, & deſcripſi, vbi etiam addit, neque ſine *intellectu*, *& cogitatione electio eſt bona*. Reſpondeo etiam ſecundo directè negando Antecedens, eſt dicere operationes Divinas, ſive ad extra, ſive ad intra, non eſſe propriè praxes: nec enim vlla operatio eſt propriè praxis niſi quæ defectibilis eſt, vt patet ex hactenus dictis ab iis quorum erat determinare ſignificationem nominis quod ipſi impoſuerunt. At verò nulla operatio Divina defectibilis eſt, quod ita verum eſt, vt quamvis non agat voluntas eius niſi præagente intellectu, tamen non ab intellectu habet voluntas quod non deficiat in agendo; ſed etiam à ſeipſa, ipſa enim eſt infinitè perfecta: adeoque etiam ex ſe habet indefectibilitatem nec ſolum mutuatur eam ab intellectu: quod ut dixi, multò verius eſt in operationibus eius ad extra, ubi ſupra regulam eſt ipſa voluntas; & intellectus licet tentaret fortè non poteſt ei præſcribere regulam quam deberet ſequi. Ariſt.

* * *

ACTIO TERTIA

Vtrum praxes debeant elici ab eo, in quo ſupponitur eſſe ſcientia practica earum?

BREVIARIVM

Num 1. *Explicatio tituli principium ex Scoto.*
2. *Reſolutio affirmatiua probatur. Emendatus textus Ariſtotelis 6. Metaph cap. 1.*
3. *Altera ratio pro concluſione expenditur, ubi plurima notanda.*
4. *Reſtituitur dicta ratio ſuo vigori.*
5. *Obiectio à ſcientia Dei dirigentis cauſas naturales an practica?*
6. *Altera, & ultima. Quare Phyſica in nobis non eſt ſubinde practica?*

1. DVas difficultates involvit titulus, vna eſt de virtute productiva praxeon, altera de actuali productione earum: Explico utramque. Primam ſic. Dubitari enim poteſt utrum ad hoc, vt ſcientia mea de re aliqua producibili ſit practica, debeam ego poſſe illam producere, an non? & exemplum eſt, ſi habeam ego ſcientiam meteororum v.g. pluviæ, grandinis, & fulminum: quomodo generentur, & corrumpantur, an mea ſcientia de his ſit practica, quum non poſſim ego fulmina, aut pluvias producere. Alterum eſt an etiam de iis in ſpecie effectibus habeam ſcientiam practicam, qui quidem à me produci poſſunt, ſed de facto non producuntur à me, ſed ab alio v.g. an dictamen meũ de actu temperantiæ ab alio eliciendo ſit practicũ? nec ne? Ad quorum reſolutionem de mente Doctoris præmitto quæ ipſe ſuper his tradit. q. 4. prolog.
a num. 37. & 38. art. 2. a *In intellectu Divino non poteſt eſſe Theologia contingentium practica tenendo iſta duo: Primum quod cognitio practica, & praxis, ad quam extenditur debent eſſe neceſſario reſpectu eiuſdem ſuppoſiti: ſecundum quod Dei operantis nulla ſit praxis niſi volitio. Et illud primum eſt dubium: improbatur tamen dupliciter &c.* quo loco credo textum eſſe corruptum, & legendum eſſe. *Probatur tamen dupliciter*: quia ſequentia ſunt rationes pro parte affirmativa, non contra eam, & infra poſt problematicam diſcuſsionem reſolvit ad praxim ſtrictè hoc requiri (vt notavit Cavell. in margine ibidem) quod ſcilicet cognitio practica, & praxis debeant ab eodem ſuppoſito eſſe. Vnde

b q. 8. prolog. c ibid. q. 5. d q. 4. e Sum. d. 14. Mar ſ. 11. Mel. 1. p. 1 art. 4. Hurt. d. 11. Ariſtot. 2. Dico reſolutivè, ſcientia non eſt propriè practica niſi quando in ſuppoſito ſciente eſt vis practicandi. Ita ex Scotiſtis b *Baſſol.* c *Lichet.* d *Anton. Andreas*; Atque etiam melioris notæ Recentes. e Repeto rem habere aliquid de nomine, vnde meritò nitemur hic ex parte ſaltem, authoritati.

Probo ergo intentum, & proprietatem concluſionis Scotiſticæ, ex definitione illa Ariſtotelis *6. Metaph cap. 1.* vbi triplicis generis cognitiones diſtinguit penes triplicem naturam obiectorum. Quia nimirum quædam ſunt, quæ in ſe habent principia ſui motus, cuiuſmodi ſunt naturalia omnia, quædã quorum principium eſt proereſis ſeu electio, & reſidet in agente; alia denique, quorum principium eſt in faciente ſcilicet ars. Ita enim exiſtimo legendum
e Met. cit. huius loci textum cum Fonſeca. *Nam efficiendarum rerum principium, ſiue mens ſive ars, ſiue vis aliqua in ipſo efficiente eſt; agendarum verò in ipſo agente, utpote electio:* non verò vt communiter circumfertur ſic *factivarũ* (intellige cognitionum) *in faciente principium eſt* &c. quia ad rem facit quod non ſit principium rerum, non verò quod ſit, aut non ſit principium ſcientiarũ. Ex quo loco habetur in primis mens Ariſtotelis eſſe à nobis: vult enim ille ut *ars*, quæ eſt ſcientia practica *in ipſo efficiente ſit*, adeoq; quæ extra illum eſt, practica non erit. Cuius etiam ratio ex iiſdem verbis habetur: formo autem illam in hunc modum.

Scientia practica eſt principium praxis. Illa quæ eſt extra practicantem, non eſt principium praxis, ergo non eſt practica. Maior eſt Philoſophi, ut liquet, & ratio ipſa dictat: ſi enim nullo modo concurrit ad praxim, quomodo practica erit, aut dicetur; Deinde ſcientia practica debet dirigere practicantem in agendo; adeoq; ſine dubio influit aliquo modo in actionem eius, quod evidens eſt, & à nullo negatur: probo ergo minorem. Scientia quæ eſt extra operantem non poteſt deſervire illi ad agendũ, non enim voluntas illuminatur niſi à ſuo intellectu, ſive ab eo qui coniunctus eſt ei in eadem anima: alioquin ſi unus poſſet uti ſcientiâ alterius, perinde eſſet alicui quod ipſe didiciſſet aliquam artem, ac quod alius eam haberet: eius oppoſitum eſt evidens, adeoque hoc erit falſum, & minor manifeſtè vera: ergo.

Dices, oppoſita horum non eſſe tam manifeſtò falſa, ſed potius ipſis experientiis approbata: nam quum vnus alteri ſignificat quomodo quippiam ſit agendum certè alter ille qui alias eſt ignorans huius rei vt ſupponimus poteſt vti illa alterius ſcientia, & cõformiter ad illã operari, operando ſicut ipſe dicit, quo caſu bene faciet: v. g. Ludimagiſter qui docet pueros ſcribere, dicit, vni ſic eſſe ducendum calamũ & manũ ut talem litteram formet: puer cæteroqui ignarus ſcribendi, ſic ducit calamum, vtendo ſcientia Magiſtri, & bene facit, ſive, format legitimè illam litteram: ergo falſum eſt, quod nemo unus poſſit vti ſcientia alterius. Reſpondeo tamen id eſſe veriſſimum, neque quidquam præjudicari ei per experientiam iſtam: quia nimirum in eo caſu gignitur ſcientia in ipſo diſcipulo, & non eſt ſcientia Magiſtri, quâ ducitur; ſed ſua: Cuius ſignum eſt, quia, niſi diſcipulus conciperet mente, quæ dicit magiſter, nunquam operaretur quantumcunque magiſter multiplicaret præcepta, & directiones; Confirmatur totum per rationem huius à priori, quia nimirũ ſcientia non dirigit efficiendo ſed informando, clarum eſt autem quod non informet extrinſecum aliquid ergo nec dirigit.

3. Probari etiam ſolet, quia nos de facto habemus multorum effectuum, & effectibilium ſcientiam, quæ tamen non eſt in nobis practica, quia non eſt in nobis virtus productiva eorum: ſcimus enim opera miraculoſa verb. grat. reſuſcitationem mortui, ſubitam ſanitatem infirmi, & ſimilia: nec tantum ſimilia, aut ſupernaturalia: ſed etiam naturalia ipſa ſcimus, quorum tamen ſcientia in nobis non eſt practica defectu potentiæ verb. grat. ſcimus generationem arborum, & olerum: item metallorum, & meteororum, quæ ſupra in exemplum adducta ſunt: puta pluviæ, nivis, fulminum &c. quorum tamen nulla ſcientia eſt practica:

non

non aliunde niſi quia non eſt in nobis virtus productiva eorum: ergo à primo ad ultimum hæc eſt neceſſaria ad rationem ſcientiæ practicæ. Quod autem harum rerum cognitiones non ſint in nobis practicæ, inde patet, quia de facto pertinet ad Phyſicam, ſeu naturalem, quæ ſine dubio eſt ſcientia ſpeculativa, vt tenent omnes & probat *a* Ariſtoteles citatus.

a 6. Metaph.

Sed neſcio an hæc ratio valeat quantum videtur exiſtimo, quod quamvis haberemus horum omnium potentiam productivam, adhuc ſcientia noſtra non fieret practica de his, atque ita non eſſe verum, quod arguens aſſumpſit, ſcilicet defectum virtutis productivæ in nobis eſſe cauſam cur noſtra ſcientia de his non ſit practica. Hoc oſtendo, quia ſi daretur nobis virtus productiva horum, puta pluviæ, & ſimilium non ſufficeret noſtra ſcientia ad reducendum illam ad praxim, & plane eſſet ſicut eſt hodie ſcientia alicuius videntis Muſicum ſonantem inſtrumento aliquo, aut pictorem pingentem alicuius imaginem; nullus enim motus ab altero ex illis ſit, qui non videtur à quocunque præſente, qui etiam habent virtutem ſimiliter motivam brachiorum, & articulorum non minus quam pictor, aut cantor; & tamen omnis ſcientia ipſorum de huiuſmodi artefactis eſt ſpeculativa tantum, ut egregiè *b* Gellius: quia nimirum quamvis videant motum articulorum in muſico, & brachiorum in pictore, non vident tamen quod artificium obſervent illi in his motibus, quâ proportione, & ſimetriâ eos metiantur. Ita ſane Philoſophi & alii experientiâ monſtrante vident pluvias ex nubibus fieri; nives & grandinem ex pluvia, tonitru ex colliſione nubium &c. at verò quam proportionem, & diſpoſitionem materiæ obſervet Deus, & natura in his invicem commiſcendis, quam temporum ſtationem, & aſpectum planetarum &c. plane neſciunt. Vnde quantumvis acciperent virtutem omnem Phyſicam horum, ac ſimilium, niſi etiam acciperent ſcientiam, aliam ab ea quam iam habent nihil facerent: Quod etiam confirmare poſſumus cum eodem: nam in opinione ſaltem probabili, miniſter ſacramentorum realiter & phyſicè attingit effectus eorum, ſcilicet gratiam tam ſubſiſtentem, quam inhærentem reſpectivè, & tamen nemo, ne quidē in illa opinione dicet, quod ſcientia miniſtri hic ſit practica. v. g. ſcientia ſacerdotis de tranſubſtantiatione, & poſitione corporis Chriſti in Euchariſtia; ut de gratia remiſsionis peccatorum, quam confert phyſicè abſolvendo; quamvis etiam ſacerdos ſciat probè corpus Chriſti ſub ſpeciebus per converſionem, & gratiam prod. c. in pœnitente per creationem, adeo certum eſt non quamlibet ſcientiam reddi practicam per potentiam operativam.

b Lib. 1. tract. 5 q. 6. n. 7.

4. Videtur tamen mihi poſſe inſtaurare dictam rationem: ponatur enim caſus quod communicetur alicui illa exacta ſcientia, quæ verè determinet ad productionem eorum, nec tamen communicetur potentia eorum productiva, quæro ex adverſario, num illa ſcientia in tali eſſet practica, necne? ſi non eſſet, manifeſtum eſt requiri virtutem productivam termini ad rationem practicæ in ſcientia; nihil enim aliud ei deeſt: ſi autem dicatur quod ſit, ſane dicendum eſt quod ſcientia, quam nunc habemus de illis ſit practica, quia etiam hæc aliquid novit, licet non totum quod faciendum eſt, caſu quo effectus produceretur reduceretur in actum, non minus quam ſcientia illa addita. Tum ſic, ſed ſcientia noſtra hodie de his non eſt practica: ergo nec illa eſſet. Confirmatur quia ſicut modus rei non extrahit rem extra ſuam ſpeciem; ita nec ſcientia medii extrahitur ab illa, in qua eſt ſcientia ſubſtantivæ: ergo jam ſcientia quantitatis miſcendorum, aut proportionis eorum in meteoris non erit alterius rationis, quam ſcientia ſubſtantiæ eorum, quæ habetur hodie, & quum hæc ſit certiſſimè ſpeculativa; eſt enim Phyſica ſequitur &c. vnde poſſumus etiam pro concluſione ſic quartò pugnare.

Si ſufficeret ad rationem practicæ in ſcientia, quod virtus productiva eius daretur in aliquo externo agente; nec requireretur quod in ipſo ſciente eſſet; tum nulla daretur prorſus ſcientia rerum ſpeculativa, quod ſane falſum eſt, ſed probatur ſequi, quia nullius rei tam ſimplex, & ſpeculabilis eſt natura, cuius non datur virtus productiva in aliquo agente; nam v.g. materia prima, & forma, eſſentia etiam totius v. g. roſæ, Leonis &c. ab aliquo agente eſt producibilis; nec quidquam ab ullo ſcibile eſt quod non ſit ab aliquo producibile: ergo iam quælibet ſcientia quantumcunque contemplativa videatur erit practica, & ita nulla dabitur purè ſpeculativa, aut certe quælibet ſpeculativa, & practica ſimul, quod non minus abſurdum eſt quam prius.

Ex his probata manet pars illa concluſionis, quod ſcientia rei quæ ab alio producenda eſt, licet à ſciente ſit producibilis, non ſit practica, quia nimirum ratio practicandi exigit non ſolum potentiam ſed actum in eo qui illam actu habere velit, vt patet vel maximè ex ſecunda probatione, quæ principalis, & à priori eſt, quia ſcilicet nullus poteſt actualiter vti alterius ſcientiâ; ſed debet quiſque à ſua ſcientia dirigi in practicando.

Obſerva tamen non quemcunque defectum potentiæ impedire rationem practicæ in ſcientia; ſed tantum defectum per ſe, & naturalem, non verò ſi per accidens inſit defectus, v. g. Muſicus habet ſcientiam practicam canendi, ſi huic amputetur lingua amittet potentiam canendi, at non deſinet propterea ſcientia eius eſſe practica, eo quod per accidens ei deeſt potentia, & per ſe acceptus ille, ſive, naturæ ſuæ relictus illam habet, ſed contra concluſionem principalem.

5. Obiiciunt *c* primo, quum *Deus* dirigit cauſas naturales in operando ſcientia eius eſt practica, & tamen praxes, ſeu operationes cauſarum naturalium non producunt à Deo; ſed ab ipſis cauſis ſecundis immediatè: ergo non eſt vniverſaliter opus vt ſcientia, & praxis ſit in eodem ſuppoſito. Maior huius patet; quia ſcientia Dei deſervit ad dirigendas illas cauſas ſecundas in agendo; non enim fortuito fit, quod vere gignantur flores, & æſtate fructus, & alia naturalia opera; adeoque fiunt per directionem ſcientiæ quæ reſidet in ipſis agentibus, quum illa non ſint cognoſcitiva, imo aliquando, nec animata, ergo Simile eſt in architacto dirigente Fabros in ædificando, & in Rege Rempublicam gubernante per ſuos miniſtros: ergo. Addere poſſumus, quod ſi *d* requireretur vis productiv in ſciente, tum ſcientia noſtra de Deo amando, non eſſet practica neque ulla cognitio actus, aut effectus ſupernaturalis, quia nimirum non habemus nos virtutem innatam vllius talis actus quum requirat principium ſui ſupernaturale, hoc autem eſt contra communem ſenſum: ergo.

c Bonav. 3. d. 14. ar. 3. Greg. q. ſ. pr. a. 2. Mag. 1. d. 48 q. 4

d Argentin. q. 4. prol. art. 2.

Reſpondeo ad argumentum, hic duo eſſe, unum eſt actio cauſæ primæ, ſeu concurſus eius cum ſecunda. Aliud actio ipſius ſecundæ. Dico iam ex his, ſcientiam Dei fortaſſis eſſe practicam reſpectu primæ, certè autem non eſſe reſpectu ſecundæ. Ad illud Arg. propter quod ipſe negat dilectionem Dei eſſe praxim, Reſpondeo negando ſequelam; aliud eſt enim quod non habeam abſolutam virtutem reſpectu alicuius effectus, aliud quod eam naturaliter non habeam: habeo virtutem diligendi Deum, & licet illa virtus ſit ſupernaturalis eſt tamen mea, quod ſufficit.

Obiicio 2. ſi hoc quod eſt effectum eſſe producibilem à nobis, faceret ſcientiam eius practicam, ſequeretur aliquam ſcientiam ſpeculativam (ut eſt Phyſica) eſſe etiam practicam. Conſequens ſine dubio eſt falſum, ſed probatur ſequi: Phyſica enim agit ex profeſſo de anima, & operationibus eius, quæ tamen ſunt producibiles à nobis: ergo jam Phyſica, ſaltem quoad illam partem eſt practica, quod tamen omnes, & meritò negant: & quoniam hoc communicat in medio cum ſequentibus.

Obiicies 3. Si enim (vt dixi jam) potentia productiva ſcientis transferret ſcientiam à ſpeculativa in practicam, ſequeretur, quod nemo vnus poſſet habere plures ſcientias de eodem obiecto, quorum una eſt ſpeculativa, & altera practica, conſequens eſt falſum, & tale deprehenditur eſſe in inſtantia proximè adducta de operationibus animæ rationalis; de illis enim plures ſcientiæ habentur quarum vna eſt ſpeculativa, vt animaſtica, ſeu Phyſica, & alia practica, qualis eſt Ethica, aut moralis quæ dirigit eiuſmodi actus in genere moris. Sequela probatur, quia impoſſibile eſt vt idem poſſit, & non poſſit fieri ab eodem: ergo ſi poſſe fieri objectum requiritur ad ſuam practicam, & non poſſe ad ſpeculativam erit impoſſibile &c Addo ego &

Obiicio 4. Contingit haberi notitiam alicuius operis eliciendi, & præterea virtutem productivam eius; nec tamen illam notitiam eſſe practicam, ergo malè dictum eſt, quod potentia productiva facit ſcientiam practicam. Antecedens oſtendo in actibus intellectus, atque etiam voluntatis, & univerſaliter omnium potentiarum immanenter agentium, quæ per actus producunt habitus: nam eliciens actus (ſi Philoſophus ſit) novit modum, quo illi generent habitum: habet inſuper (ut dixi) virtutem generandi dictum habitum, & tamen notitia eius de habitu non eſt practica: ergo. Hæc & ſi quæ aliæ ſint eodem filo contextæ eadem ſolutione expedientur: ſciendum enim non eſſe dictum à nobis ſupra quod notitia cuiuslibet rei, quæ eſt intra vires ſcientis ſit practica, ſed quod id inter alia requiratur. Directè autem do rationem, cur ſcientiæ in his enumeratæ non ſint practicæ: eſt enim iſta, quia non deſervit habenti ad productionem objecti, adeoque quamvis inſit, aut accedat ſcienti potentia productiva objecti, adhuc ſcientia illa manet merè ſpeculativa; nam in 2. & 3. argumento actus intellectus ſciuntur ab ipſo intellectu per Phyſicam ſcientiam ſicut etiam actu. voluntatis, ſed nihil minus quam practicè; nec enim intellectus quando ſtudet, attendit ad ullas regulas eliciendi ſuos actus, qui naturaliter emanant ab ipſo, & ſive teneat unam opinionem, puta quod intellectus ſuas operationes producat per actionem mediam; ſive aliam, quod non ita fiant, ſed immediatè, eundem modum intelligendi ſervat, ut patentiſſimum eſt, neque poſſumus aliter facere, aut variare noſtrum modum intelligendi, quod ſolum ſufficit ad negandum nobis rationem practicæ ſcientiæ circa ipſos: & ſine dubio idem eſt de habitibus: nam non poſſumus etiam variare modum noſtrum in generando habitu etſi vellemus, nec vtimur vlla directione, aut regula in eo generando. Adeo hic locum habet, quod ait Auguſtinus [a] *Plerumque accidit, ut facilius res eas aſſequantur propter quas aſſequendas, iſta diſcuntur, quam talium præceptorum nodoſiſſimas, & ſpinoſiſſimas diſciplinas. Tanquam ſi quiſpiam dare volens præcepta ambulandi moneat non eſſe levandum pedem poſteriorem, niſi quum poſuerit priorem; deinde minutatim quemadmodum articulorum, & poplitum cardines oporteat movere deſcribat: vera enim dicit, nec aliter ambulari poteſt, ſed facilius homines hæc faciendo ambulant quam animadvertunt cum faciunt, aut intelligunt, cum audiunt.* Et planè idem exiſtimandum eſt de ſacerdote conſecrante, ſive abſolvente, etſi teneantur verba eius habere virtutem gratiæ producendæ, (quod exiſtimo falſum,) nam ille non vtitur regulis in productione gratiæ, & planè ſtultus eſſet qui attenderet ad tales in miniſterio ſacramentorum: quum etiamſi aut non ſciat, aut non cogitet, idem faciat; quod non eſſet verum ſi ille uteretur ſcientia practica in agendo.

[a] *Lib. de doctr. Christ. cap. 37.*

Ex quibus patet directè ad ſecundum ſupra: nam ſi quis habeat notitiam dirigentem eum in practicando, & aliam quæ non deſervit ad praxim, vel efficientiam rei, licet habeat virtutem productivam rei, aliqua eius ſcientia erit ſpeculativa, illa ſcilicet, quæ non eſt uſui ad effectionem, & talem ſuprà dixi eſſe omnem Philoſophiam noſtram, ſeu notitiam de operibus naturæ.

ACTIO QVARTA

Quomodo ſe debeat habere ſcientia ad Praxin, ut ipſa practica ſit? ſeu debeat ad praxim extendi & dictare de ipſa?

BREVIARIVM.

Num. 1 *Caſus quæſtionis, & cenſura quorundam.*

2\. *Demonſtratur inſtantiis non ſufficere quemcunque influxum in praxim. Notata ex Ariſtotele, Virgilio & Lucretio.*

3\. *Scientia practica non debet expreſsè dictare de praxi.*

4\. *Obiectio. Quomodo mediandum ſit inter duo iam dicta, quæ videntur pugnare.*

3\. S cien-

5. *Quando principia ſcientiæ ſubalternantis ſiunt practica?*
6. *Quænam propoſitiones Theologicæ faciant canonem fidei?*
7. *Vindiciæ Scoti*
8. *Quædam retractatio; ſaltem reconciliatio eius.*

a Ocham. q. 2. prol. Greg. 1. q. 5. ar. 2. b Suarez. diſp. 44. Met. n. 50 c Gabr. Vaſquez. infrà citand.

HIc etiam repellendi ſunt à Scoto impetus adverſariorum tam *a* veterum, quam modernorum, qui in hanc partem liberè bachantur, & ex profeſſo, quanquam veteres minus quam *b* recentes ex quibus unus ait, quod Scotus hic nec rectè loquitur, & in duobus deceptus videtur, Eadem aut ſynonima habet *c* alius qui ideò præcipitarunt in cenſuras, quia non intellexerunt genuinam mentem Doctoris.

Sciendum eſt ergo controverſiam hic eſſe utrum ad rationem ſcientiæ practicæ requiratur, quod expreſsè dictet de agibili, aut fugibili; an non? ſed ſufficiat quicunque influxus in praxim, ſive quævis cognitio quæ conducat ad eliciendam praxim. v. g. an cognitio practica de Deo debeat eſſe hæc: Deus eſt amandus; aut ſimilis alia an non; ſed ſufficiat iſta: Deus eſt omnium creator; aut ſimiles; ad quas ſine dubio ſequi debet affectus amoris, & gratitudinis erga Deum.

d Gabr. Vaſq 1. p. q. 1. diſp. 8 c. 2. e Qu. 4. prolog. Mauritius Hyper.

Recentes prædicti ita referunt ſententiam Doctoris noſtri, quaſi ille tenuerit ſufficere ſecundi generis cognitiones, non minus quam illas primi. Imo quidam eorum ait, eum docuiſſe, quod ut actus intellectus ſit practicus ſufficiat ſi ex illo quomodocunque ſequatur praxis etiamſi naturali conſequutione id fiat; ſed hallucinantur, de quo remitto Lectorem, ad ea quæ habet *d* loc *e* cit. numero 28. Nam paragraphus *Licet enim* &c. in quo maximè fundamentum præbuit ipſorum aſſertioni, apud Mauritium eſt additio non verò textus.

f Capr. q. 2. prolog. Sylveſtr. Suar 10. 2. Met. di p. 44. ſect. 13. 4. Met. cit.

2. Dico ergo breviter, non omnis cognitio ad quam quomodocunque ſequitur amor, aut delectatio eſt practica, ſive ex natura rei, ſive de mente Scoti: Adhuc tamen ſtatum eſt ad rationem practicæ cognitionis requiri ut expreſsè dictet de praxi. Prima pars eſt Thomiſt. *f* contra quos poſita eſt ſecunda.

Probo primam, quia ſi eiuſmodi connexio remota cum praxi ſufficeret ad rationem notitiæ practicæ, nulla omnino eſſet, aut eſſe poſſet notitia niſi practica, quod eſt contra omnes, Ariſtotelem in primis, qui diviſit notitias in practicas, & ſpeculativas. Sequela probatur; quia nulla omnino notitia eſt, quæ non poſſit hoc modo à longè conducere ad praxim ut patet applicando ipſa prima principia ſpeculativa v. g. hoc omne totum eſt maius ſui parte, quod ſtatim applicabo, ad inferendum totum eſſe magis amandum, ſic: majus bonum eſt magis amandum, omne totum eſt majus &c. ergo magis amandum.

Vrgetur hic diſcurſus; quia ſcientia ſubalternata utitur principiis ſubalternantis v g. Muſica, Arithmeticæ, & Chirurgica Geometriæ, Medicina Phyſicæ, & ſimiles; & tamen contingit ſubalternatam eſſe practicam, & ſubalternantem eſſe ſpeculativam: ergo jam aliqua cognitio ſpeculativa conducit ad praxim; conducit enim cognitio ſcientiæ ſubalternantis, quæ ſpeculativa eſt; atque ita non omnis conducens ad praxim eſt practica.

Reduco rem hanc in praxim, ſeu experientiam: Hæc: Vulnera angularia facilius curantur; eſt concluſio chirurgica, ac proinde practica & mechanica; & tamen non demonſtratur niſi per præmiſſam hanc Geometricam: Latera corporum, ſeu figurarum habentium angulos, minus diſtant, (intellige quam latera circuli,) quia in angulos coeunt; ſic: Ea vulnera facilius curantur, quorum latera minus diſtant: latera habentium angulos minus diſtant, ergo facilius curantur, cuius oppoſitum demonſtrari poteſt de vulnere orbiculari, à contrario: & quis dubitet plurimas, & quidem ſalubres concluſiones practicas colligi ex illo axiomate, quod Virgilius 2. *Georgicorum* docet agricolas: ſcilicet tempeſtates autumno potiſsimum, & vere contingere, quæ tamen eſt concluſio Aſtronomica, atque ideo ſpeculativa, cuius proinde rationem aſsignavit Lucretius *2. de natur. rerum.* P. Virgil. Lucret.

Frigore enim deſunt ignes, ventique calore
——— Deficiunt.

Denique hanc concluſionem nauticam: Navigia tardius moventur à littore in altum, quam è contra demonſtravit Ariſtoteles *ſect 25. Problematum* ex figura aquæ, quæ rotunda eſt, & proinde navem appellentem ad littus prona adiuvat, ſolventem è littore quaſi quodam clivo retardat, vide ipſum qu. 1 ubi diverſa quidem verba habet: ſed eundem ferè ſenſum cum hic dictis à me. Atque ita minimè dubium eſt, quin cognitiones ſpeculativæ poſsint conducere ad practicam, quum poſsint eſſe principia, ſeu præmiſſæ in demonſtratione, cuius concluſio eſt practica. Ariſt.

3. Probo jam alteram partem, quæ eſt abſoluta reſolutio difficultatis ſcilicet non requiri ad cognitionem practicam, quod expreſse dictet de praxi ſic: Quæcunque cognitio, ſufficienter inſtruit intellectum ad quidpiam faciendum eſt practica: ſed aliqua non dictans expreſsè de praxi, ſive in univerſali, ſive in particulari ſufficienter inſtruit intellectum ad aliquid faciendum, ſeu producendum: ergo aliqua eſt practica, quæ non dictat expreſsè de praxi: maior debet ex dictis conſtare, eſſe enim aliquam cognitionem practicam, eſt eam eſſe directivam praxis, imò ſufficere videtur, quod ſit oſtenſiva eius, ſaltem ſecundum eos quibuſcum hic pugnamus. Minor ergo probatur exemplo: quia hæc cognitio. Circulus eſt figura deſcripta circino cuius pes vnus, aut cuſpis figitur, alius circumfertur. Vel eſt figura plana à cuius centro lineæ omnes ad circumferentiam ductæ ſunt æquales: hæc inquam nihil dictat de praxi, quum ſit principium Mathematicæ, quæ ſcientia eſt merè ſpeculativa. & tamen quælibet definitio ex his, ſufficienter informat intellectum ad faciendum circulum; quicunque enim audit, quod circulus ſit figura ſic facta ſtatim poterit prorumpere in actum ſic faciendi eũ. Vnde illæ formæ quaſi imperativa: eſt Deus ſic amandus; circulus eſt ſic faciendus &c. Superfluæ ſunt omnino, nam ſine illis habetur cognitio practica licet non in æquali rigore Et proinde Deus qui ſolus poteſt facere hominẽ ſufficienter novit quomodo faciendus ſit per hoc quod ſciat ipsũ componi ex duabus partibus

tibus corpore, & anima rationali. Et nos qui poſſumus etiam per cauſas naturales glaciem, & ſimilia facere, ſufficienter inſtruimur ad illius factionem, ſciendo, quod glacies ſit aqua frigore condenſata, ſeu congelata: nihil enim nobis faciendum ſupereſt ad hoc ut glaciem habeamus, quam quod aquam eò immittamus ubi frigeſiat vehementer: eſt tamen contra hæc non contemnenda difficultas, quam ſic

4. Obiicio ſi ſufficeret ad rationem practicæ cognitionis, quod hæc inſtruat intellectum ad opus faciendum, ut jam dictum eſt, vel ſi cognitiones hic in exemplum adductæ eſſent verè practicæ, ſequeretur cognitiones ſpeculativas eſſe practicas, & è contra; ſive, has duas affectiones cognitionum in eandem convenire, quod utique abſurdum eſt, quum ſint differentiæ diviſivæ eius, atque ita appoſitæ. Sequela patet: nam quis neſcit ibi enumeratas cognitiones eſſe ſpeculativas v. g. hanc: homo eſt compoſitum ex materia & forma tali v. g. corpore, & anima rationali, quæ manifeſtè ſunt diffinitiones Phyſicæ, cuiuſmodi etiam eſt illa definitio glaciei. Vrgeo: hæc enim ſimiliter: ſyllogiſmus in Barbara conſtat tribus univerſalibus affirmativis, ſecundum dicta hactenus debet cenſeri practica, quia ſufficienter inſtruit intellectum ad formandum eiuſmodi ſyllogiſmum, & tamen eſt ſpeculativa, quum ſit Logica, quæ ſecundum veriorem eſt ſpeculativa.

Reſpondeo, propter hoc, & alia exiſtimo rationes practici, & ſpeculativi in cognitione, non eſſe univerſaliter, & incompatibiliter oppoſitas in eodem actu, & multò minus in habitu; ſed tum tantum quando ſingula eorum præciſè, & in atomo ſumuntur. Primam partem hujus habet Doctor citat numero 2. & probat ratio adducta. Secundam oſtendo exemplo uſitato animæ, quæ cum ſumitur ſimiliter ſine præciſione, compatitur differentias dividentes ſe in eodem: una enim anima eſt vegetativa; ſimul & ſenſitiva, atque etiam rationalis. *Si* tamen ulla ex his accipiatur cum præciſione, eo ipſo excludit aliam: nam vegetativa *tantum*, quæ eſt propriæ plantæ excludit omnino ſenſitivam. Ita hic; nam cognitio practica dicit duplicem reſpectum unum prioritatis, alterum directivitatis ad praxem: ſpeculativa autem dicit carentiam eorum, adeoque una excludit alteram, intellige in hoc rigore, & ita præciſivè ſumptæ.

Scotus.

Sed jam incumbit nobis ad plenam intelligentiam horum explicare, quæ notitia, & quando poſſit eſſe ſpeculativa ſimul & practica? &, an principia illa ſcientiarum ſubalternantium evadant practica, per hoc quod applicentur à ſubalternatis ad inferendas concluſiones practicas? Ad quod reſpondendum exiſtimo duplici hac regula quarum altera ſupra tacta eſt; quod ſcilicet quando judicium aliquod ſpeculativum ſufficit ad dirigendum intellectum in agendo, tunc illud ſimul ſit practicum, & ſpeculativum, & ita contingit in exemplis ſupra aſſignatis de glacie, & ſyllogiſmo. Vnde iſtæ: glacies eſt aqua frigore congelata: ſyllogiſmus in barbara conſtat tribus univerſalibus affirmativis, ſunt ſuo modo practicæ ſimul, & ſpeculativæ.

5. Altera regula, quæ reſpondet directè quæſito illi de principiis ſcientiarum ſubalternantium eſt. Quod quando principium aliquod continet in ſe ſolo rationem concluſionis practicæ ſine ullo interpoſito ſubſumpto, aut minori (ut vocant) quæ novam rationem in toto aut in parte adferat, tum illud principium eſſe practicum, & actu practicare, quando ex eo ſequitur opus: ſi autem non ſufficiat principium illud ſuperioris ſcientiæ ſine alio inferioris ſcientiæ quæ diverſam materiam, aut cauſam ſcientiæ ſive in toto, ſive in parte adferat; tum principium cenſendum eſſe ſpeculativum. Exemplum; hæc: Deus eſt ſumme bonus, aut ſummè amabilis; cenſenda eſt etiam practica; quia inſtruit intellectum ad opus, neque id quomodocunque facit, ſed ſine additione novi ſubſumpti; neque enim opus eſt ſubſumere amabile, eſt ſummè amandum; quia hæc continetur in priori, nec continet novam materiam, aut, ut Logicè loquar, novum medium: nempe illa, & ſimilia aſſumpta quæ integrant ſyllogiſmum deſerviunt ad convincendos pueros, aut protervos tantum: cæteroqui apud provectos ſufficiunt ſimplicia enthimemata, quia in unica propoſitione antecedentis ponitur mediũ, quod eſt tota ratio concluſionis.

Si tamen opus ſit ſubſumere propoſitionem aliquam externæ materiæ ad inferendam concluſionem, tum principium illud non erit cenſendum practicum ſufficienter.

Illuſtro rem exemplo, quod etiam ſupra tetigi: hæc enim: aqua eſt ſphericæ figuræ, non ſtatim infert, quod navigia tardius è portu ſolvunt, quam eò appellunt, ſed opus eſt alio interpoſito ſubſumpto, aut etiam diſcurſu quo oſtendatur aquam a littore conſurgere in orbicularitatem, & ita ibi incipere eminentiam: propter quod illud principium de rotunditate aquæ non deſinit eſſe ſpeculativum.

6. Exiſtimo huic ſimile eſſe in quibuſdam propoſitionibus Theologicis; ſive, hinc pendere quænam ſunt, aut non ſunt de fide ex iis quæ per conſequentiam inferuntur. Puta enim hanc; Chriſtus eſt animal rationale eſſe de fide; quamvis inferatur per diſcurſum, & conſequentiam ſic; omnis homo eſt animal rationale, Chriſtus eſt homo: ergo Chriſtus eſt animal rationale: quia nimirum maior illa omnis homo &c. non adfert extraneam rationem ab illa quæ eſt in conſequenti: aliter, quia medium eſt idem cum extremitate, quæ per ipſum infertur: plane enim idem eſt eſſe hominem, & eſſe animal rationale. Aliud eſt de hac: Chriſtus eſt riſibilis, quum infertur ex iſta: Chriſtus eſt animal rationale: puto enim hic conſequens non eſſe de fide; licet antecedens ſit: quia nimirum reipſa aliud eſt riſibilitas, aliud humanitas. At verò non eſt aliud humanitas, ſive eſſe hominem & eſſe animal rationale; ſed in re idem, licet ratione, aut modo ſignificandi diverſum, & proinde credo quod ſi hæc: Chriſtus eſt homo, ſit de fide, etiam hæc: Chriſtus eſt animal rationale ſit de fide, ut pote ſynonima præcedenti.

7. Vindicandus jam eſt Doctor ab aliquorum impoſturis quos ſupra produximus: non quidẽ apparatu aliquo rationum, ſed ipſius Scoti verbis, quæ ſi intellexiſſent qui judicant, non tam temerè cenſuiſſent; aliquis *a* eorum ita refert ſententiam Doctoris, quaſi hic docuerit, quod cognitio, ad quam quomodocũq; ſequatur (etſi naturaliter) delectatio eo ipſo eſſet practica. Videamus jam an id ſenſerit

a Vaſquez. 1. p. q. diſp. 8. c. 5. Suar. diſp. 44. met. ſect. 13.

Scotus

Digitized by Google

Scotus, verba eius *a* ſunt. *Quod additur de delectatione, nihil eſt ad propoſitum ; quia delectatio eſt paſsio conſequens naturaliter operationem perfectam , & ſiue ſit delectatio de ſpeculatione , ſiue de ſpeculato propter extenſionem ad illam , nulla ex iſto ponitur cognitio practica.* vbi ni fallor habet ex diametro oppoſitum eius, quod ex ipſo refert Vaſquez.

a Quæſt. 4. prolog. num. 24.

Alius ait ſecundum Scotum ſcientiam, quæ quocunque modo extenditur ad praxim eo ipſo eſſe practicam. Videamus jam an ita ſenſerit Scotus: nec ne? Aſſerit Recens, *b* nego ego; idque ex Scoto evinco: quoniam Scotus ibidem num. 3. negat actus ſenſitivos eſſe praxes: *nec* (inquit) *reſpectu ipſorum actuum eſt cognitio practica , niſi ut aliquo modo eſt moderatiua iſtorum actuum , & iſti actus ſequuntur intellectionem moderatiuam , ut ſunt per ipſam moderati.* Vbi Doctor palam docet oppoſitum eius quod hic Recens refert ; ſi enim ad cognitionem practicam requirit , quod ſit moderativa praxis palam ſit non ſufficere, quod quomodocunque extendatur ad praxim:

b Suar. citat.

Difficilius poteſt obiici ipſe Scotus ſibi : nam in illa quæſt. 4. prologi num, 28. dicit omnem cognitionem deſervientem ad hoc vt appetitus non erret, eſſe practicam ; & infra num. 29. ſequenti ſignificat hanc: Deus eſt trinus eſſe practicam, ſicut etiam iſtam , Deus creavit mundum : quæ tamen nihil habent de agibili, aut fugibili, & remotiſſima ſunt à praxi, vtpote merè ſpeculativa, & hiſtorica. Reſpondeo ad primum; Scotum id non dicere expreſſe, etſi margo dicat. Textus Scoti eſt : *qualibet cognitio de conditionibus , circa quas contingit potentiam operatiuam errare, eſt neceſſaria ad practicam cognitionem* : quod ſine dubio aliud eſt ab hoc quod eſt ipſam eſſe practicam : nam etiam cognitiones ſpeculativæ neceſſariæ ſunt ad practicas, quis neget?

8. Secundus locus plus negotii faceſſit. Duo ad ipſum reſpondeo. Primum illum numerum 29 non eſſe certò textum Scoti licet apud Cavellum talis ſit, quia apud Mauritiũ eſt additio; ſecundum Scotum expreſſe habere oppoſitum: nam .d. 49. 3. n 4. ait; *veritates ſupremas ſpeculatiuas non poſſumus naturaliter noſſe; ſed tantum ex revelatione , ut Deum eſſe trinum.* Ecce expreſſe dicit cognitionem Trinitatis eſſe ſpeculativam, imò ſupremè talé. Quod ergo ait in prologo accipiendum eſt eo modo , & ſenſu quo ipſe loquitur non vt ab aliis citatur, vt ſcilicet hæc Deus eſt trinus ſit neceſſaria ad practicam cognitionem ; non autem de ſeipſa talis.

Cavell. Maurit.

ACTIO QVINTA

Vnde habeatur ſpecificatio ſcientiæ in eſſe practicæ, aut ſpeculativæ ab obiecto an à fine?

BREVIARIVM

Num. 1. *Explicatio quæſiti.*
- 2. 3. *Scientias non reddi practicas , & ſpeculatiuas à finibus.*
- 4 *Expenſus Ariſtoteles pro & contra concluſionem.*
- 5. *Duæ rationes in oppoſitum concluſionis.*
- 6. *Non ſufficere obiectum abſolutè ad ſpecificandas ſcientias in hoc genere.*

QVoniam Doctor in hac re magis ſubtilis, quam clarus eſt , ut patet tum ex littera , tum ex aliorum querelis addemus ex noſtro illa quæ rei illuſtrandæ conducunt. Primum ergo non quæritur de ſpecificatione atoma, ſed quaſi generica; ſeu ſubalterna ; ſenſus enim eſt , unde habeat aliqua ſcientia , quod ſit practica , potius quam ſpeculativa. Lis autem de hoc inter finem & objectum orta eſt ex verbis Ariſtotelis 2. Met. qui utramq; ſcientiam ab invicem diſtinxiſſe credit verbis illis : *ſpeculativa finis veritas , practica autem opus*: Rationem dubitandi capiemus facilius exemplo facultatis mechanicæ : ſit autem architectura. In hac enim finis, & objectum coincidunt : etenim finis architectonicæ eſt domus eò enim laborat , ut denique domum ædificet ; ſed & objectum eius eſt eadem : omne enim ſtudium architectonicæ & fabri circa domeſtica verſatur ; neque ulla cognitio ad ipſum pertinet, quæ non tractet de parte aliqua, aut pertinente ad domum. Cum ergo tam intimè hæc duo miſceantur, meritò & ſubtiliter dubitavit Doctor, ſub qua ratione ex his duobus, res illa quæ ſimul eſt objectum & finis, reddat ſcientiam de ipſo practicam: &c. Finem præfert *c* Henricus, objectum Doctor, cum quo.

c Quod 8. q. 1.

2. Dico primo : malè dicitur ſcientias in eſſe practicæ, aut ſpeculativæ à finibus ſpecificari, ſed dicendæ ſunt ſpecificari ab obiectis. Ita ille num. 1 . §. *contra iſtam*. Et num 13. §. *Concedo ergo* : atque in hunc ſenſum intelligitur à ſuis , & impugnatur ab aliis.

Scot.

Probatur de ſpeculativa facile , quia nimirum hæc non habet finem : non ergo ſpecificatur ab eo. Antecedens huius deduco ex illo *d* Philoſophi. *ſpeculativæ finis veritas &c.* At (inquies) hic aſſignatur ei finis, non minus quam practicæ ſuus. Reſpondeo videri ita; ſed nõ eſſe: ſenſus enim eſt, quod ſpeculativa non habeat finem extra ſe ; id eſt non alium quam ſpeculari , quod expreſsit *e* commentator dicens ſpeculativis ſcientiis nos ſcire ut ſciamus, practicis autem &c. Confirmo explicationem , & probationem meam; quia certum eſt quod idem non poſſit eſſe finis ſui ipſius : ergo jam ne dicatur ſpeculationis finis eſſe ipſa ſpeculatio, tenendum eſt ſpeculationem non habere finem ; ex qua liquido ſequitur eam non ſpecificari à fine.

d 2. Met. c. 1.

e Ibid. Comment. 3.

Ad probationem concluſionis de ſcientia practica præſumo ex Doctore cognitionem non dici practicam ab actuali extenſione ad opus (ſed ab aptitudinali ,) alias faber non fabricans non haberet cognitionem practicam , quod eſt falſum , quum omnis generis cognitio poſsit conſervari in habitu , qui utique non exigit actuale exercitium cognitionis. Iterum ſuppono (quod etiam certiſsimum eſt , & demonſtrari poſſet ſi locus id pateretur) nullam aptitudinem convenire

uni

uni naturæ, quæ repugnat alteri; niſi propter aliquod præcedens & abſolutum illius naturæ imò utriuſque debet enim eſſe prædicatum aliquod intra eſſentiam unius ratione cuius ei competat aptitudo, & intra eſſentiam alterius propter quod ei repugnet, quo poſito.

Probo concluſionem de practica. Cognitio practica eſt talis per aptitudinem: ergo eſt talis per aliquam cauſam ſui formalem, ſive per aliquod prædicatum reale repertum in ipſa cognitione. Conſequentia hæc patet ex altero illo præſuppoſito. Antecedens autem ex primo, tum ſic pergo: Quodlibet prædicatum reale in cognitione habet cauſam ſui realem ſine dubio, (quũ procul dubio) non ſit incauſatum. Atqui nulla eſt cauſa cognitionis, niſi potentia ſcilicet intellectus, & objectum: ergo aptitudo illa, & eſſe practicam habetur, vel ab intellectu, vel ab objecto. At verò non habetur ab intellectu; ſi enim ſufficeret intellectus ad reddendam cognitionem practicæ nulla eſſet cognitio, niſi practica, ut patet: atque ita relinquitur quod cognitio practica quævis habet eſſe talem ab objecto, quæ fuit altera pars concluſionis.

Dicet aliquis finem quoque eſſe cauſam rei, adeoque poſſe cognitionem reddi practicam à fine, ſive prædicatum illud aptitudinale poſſe cauſari in cognitione à fine. Reſpondeo non poſſe quia aptitudo illa, & prædicatum practicæ cognitionis eſt prædicatum verè reale, adeoque non poteſt accipere eſſe niſi à cauſa reali Phyſica, & realiter influente. Notum eſt autem finem non eſſe talem; ſed metaphoricam cauſam duntaxat, adeoque.

3. Probo 2. idipſum, ſive rationem practici non haberi à fine; quia finis non movet niſi amatus: at verò ratio practicæ in cognitione habetur antequam finis ſit amatus: ergò iſta non habetur à fine: major patet; quia cauſalitas eius eſt in eſſe intentionali, reſpectu ſui ipſius in eſſe reali, ſeu ad ſeipſum realiter habendum, quomodo certè non quæreretur; niſi amaretur. Minor verò probatur non minus patenter; quia non poteſt amari, niſi cognoſcatur, & quidem prius quam ametur: In illo autem priori cognitio eſt practica, aut ſpeculativa.

Probari 3. ſolet; quia ſi à fine redderetur ſcientia practica, tum omnis ſcientia, quantumcunque ſpeculativa poſſet reddi practica; quis enim dubitet quin ſciens poſſit ſibi præfigere hos, & illos fines pro libitu v. g. Mathematicus voluptatem, Arithmeticus lucrum, atque etiam Metaphyſicus ſi addiſceret ſcientiam, ut eam poſtea mercede doceret ſed non moveor hoc argumento, non enim probat, quod ſcientia non reddatur practica à fine operis; ſed tantum, quod non reddatur talis à fine operantis; de quo non quæritur. Itaque ſtandum eſt aliis rationibus ſupra poſitis & adhuc iſti: quâ. Probo 4. concluſionem, ſi enim à fine, & non ab objecto redderetur ſcientia practica ſequeretur quod ars frenofactoria eſſet practica, aut redderetur talis ab arte equeſtri Conſequens eſt ſine dubio falſum, quia ſcientia aliqua dicitur, & eſt practica à praxi quam dirigit, aut docet. At verò ars frenofactoria non docet equitare: ergo, ſequelam tamen probo, quia finis frenofactoriæ eſt equitare; nec juvat reſpondere, quod ſit finis remotus; quia quo aliquid eſt remotius à medio, eo eſt magis finis ipſius, & finis ultimatus eſt propriiſſimè talis: imo ſolus eſt abſolutè finis, ut finis opponitur mediis, nam cæteri fines etiam media ſunt: ergo jam non eſt reſpiciendum ad fines ſcientiarum, ut practicæ ſint; ſed ad objecta.

4. Confirmo hanc doctrinam Scoti alia priori Ariſtotelis: cuius judicio (ſi quando unquam) hic ſtandum eſt quum tota lis ex inſtitutione eius pendeat. Ipſe autem *a* diſtinguens tres claſſes ſcientiarum, nihil omnino meminit finium, ſemper autem objectorum. Do textum ex nova verſione quam ſuprà prætuli. *Cum naturalis ſcientia, in quodam entis genere verſetur: agit enim de ſubſtantia, in qua principium proprii motus, & quietis ineſt: perſpicuum eſt eam neque agentem, neque efficientem eſſe: Nam efficiendarum &c. ſuprà*

a Met. 6. 1.

Objiciunt etiam ipſi *b* Ariſtot. in hæc verba. *Hæc igitur ambo intellectus, & appetitus, movendi motu locali principia ſunt: Intellectus is inquam, qui alicuius gratia ratiocinatur: quique principium eſt agendi, hic fine ab intellectu contemplativo differt.* Reſpondeo, non nego ſcientiam reddi practicam à fine; ſed aſſero potius, quia finis & objectum in huiuſmodi coincidunt. Ego autem volo eas reddi practicas ab objecto, ex quo ſequitur, quod etiam reddatur talis à fine. At verò quod ego nego Ariſtoteles non aſſeruit ſcilicet ſcientiam ſpecificari in eſſe practicæ à fine, qua talis, ſeu reduplicativè ut finis non autem ut objectum.

b 3. De Anim. text. 49.

5. Obiciunt ergo à ratione: De eodem objecto poſſunt eſſe plures ſcientiæ quarum una ſit practica, altera ſpeculativa: ergo non ſufficit ratio obiecti ad ſpecificandam ſcientiam citra ipſam: conſequentia patet quia definitio ſubjecti ſemper eſt una; ratio practicæ, & ſpeculativæ in ſcientiis, ſemper ſunt diverſæ: at verò idem manens idem, non eſt natum facere niſi idem. Antecedens probatur, quia de Deo eſt Theologia, quæ ſecundum Scotum eſt practica, & nihilominus de eodem eſt Metaphyſica, quæ ſecundum omnes eſt ſpeculativa De corpore organico animalis agit medicina practicè, quod tamen Phyſica tractat ſpeculativè. Idem eſt de operationibus animæ quas Animaſticus ſpeculatur, Ethicus practicè tractet; alia etiam in probationem adduci poſſent quæ infra ſolvam poſt ſequentem rationem, quam

Obiicio 4. & obiecit ipſe Scotus ſibi loco *c* citato illud cenſendum eſſe ſpecificare ſcientiam, à quo ſcientia ipſa deſumit ſua principia: ſed principia ſcientiæ practicæ deſumuntur à fine, ergo etiam ipſa ſpecificatur à fine major huius patet; quia principia ex quibus quidpiam colligitur, aut (rectius) media quibus quidpiam probatur, ſpecificant ſcientiam: quia nimirum eadem materialiter concluſio, fit diverſa ſpecie cognitio, quando per diverſa media infertur, ſeu probatur exempli cauſa: Rotunditas aquæ, quum probatur per hoc quod procedentibus ab Auſtro in Aquilonem novæ ſtellæ oriantur, ad Aſtronomiam ſpectat: quando autem colligitur per viam motus, ex eo quod navigia ſegnius ſolvunt è portu, quam eo appulerunt, ad Phyſicam ſpectat; demonſtratio enim tota cenſetur Phyſica, ut notum eſt: ergo.

c N. 13. § ſi dicatur.

Probanda eſt itaque minor in hunc modum quoniam ex fine, quem quis ſibi conſtituit, colligit regulas vitæ, ut ſi quis politicam velit ducere, tanquam Reipublicæ membrum: tum ſtatuit apud ſe obedire Magiſtratui, vectigal pendere, occaſione data militare &c. quorum omnium oppoſita præfigit ſibi, qui ſtatuit ſolitariam vitam, ſeu monaſticam ducere propter quæ meritò, inquit Ariſtot. finem in practicis ſe habere, ſicut principia in ſpeculativis: quia ſicut in ſpeculativis inferuntur concluſio-

cluſiones ex principiis, ita in practicis ex fine. Reſpondeo omnia veriſſima eſſe, & proinde probare ſcientias diſtingui per objecta: quia nimirum iſti fines, ſunt objecta. Breviter ergo in his, & ſimilibus oportet concedere antecedens, & negare conſequentiam, hanc ſcilicet: ſpecificantur ſcientiæ à finibus, ergo non ab objectis; ſed quia revera aliquid dandū eſt vltra hoc priori objectioni, proinde.

6. Dico & concludo 2. non ſufficere præciſè objectum, aut quidditatem eius ad reddendam ſcientiam, quæ de ipſo eſt practicam: ſed attendendam eſſe rationem formalem eius, ſub qua conſideratur à ſcientia. Probatio huius, quia ſi attenderetur ſola natura objecti, tum omnes ferè ſcientiæ, aut pleræque ſaltem eſſent practicæ ſimul & ſpeculativæ, quod nemo dicet, ſed ſequitur ſtatim hinc: quia nullum ferè objectum eſt quod non ſit ſpeculabile, & practicabile, ſicut nullum eſt quod non eſt ſimul verum, & bonum; quod ita verum eſt, vt etiam ipſæ praxes ſint ſpeculabiles: nam actus voluntatis ſunt objectum ſpeculativæ ſcientiæ, & ſpeculationes ſunt practicabiles, vt notum eſt.

Ad hæc corpus humanum phyſicæ conſiderationis eſt, de quo toties Ariſtoteles: ſed etiam medicinæ objectum eſt, & tamen illa ſpeculativa, hæc practica eſt; & quid clarius, quā quod ipſæ praxes quæ ſine dubio ſunt objecta practicarum ſcientiarum, non deſinunt adhuc in Phyſica tractari?

Itaque objectum, ſeu ſubjectum, quod ſignificat ſcientiam eſt formale, ſeu ratio ſub qua conſideratur à ſcientia, non autem præciſè ipſum materiale, quod poteſt eſſe commune multis ſcientiis. Illud autē ſoli ſuæ reſpondet, vt patet inſtantiis allatis; atque etiam in Doctore paſſim. Vnde fruſtra putavit Gregorius in eo argumento ſe reprehendiſſe Scotum, aut doctrinam eius de ſpecificatione ſcientiæ per objecta, tanquam neſciret Scotus diſtinctionem objecti in materiale, & formale, qui in q 3 prolog. q. 2. Later. n. 5 dicit quod *multorum habituum ſpecie diſtinctorum, poteſt eſſe aliquod obiectum commune*: materiale vtique, nā formale negavit: idem n. 4. præced. Ex quo patet tam ad formam, quam ad materiam argumenti ſecundi ſupra: ſit jam.

Gregor. Strim. vid. eum q 1 prol. ar. 2.

ACTIO SEXTA

Reſolutiva controverſiæ de Logicâ utrum practica ſit an ſpeculativa?

BREVIARIVM

Num. 1. *Correcti Scotiſta Logicā aliquid practice habere.*
2. *Idque ratione convincitur.*
3. *Conglobata argumentatio Aureoli pro eadem veritate.*
4. *Ariſtoteles expenſus in hac materia: Artefacta Mathematica & Logica quam ſimilia.*
5. *Logica verius eſt ſpeculatiua.*

1. CÆteræ omnes præmiſſæ ſunt in huius gratiam, in qua duos illos poſtos obſervabimus. ſcilicet rei veritatem & Scoti mentem quam hucuſq; dierum vix vici apud diſcipulos eius ſinceram, *a* omnibus tanquam traditionem tenentibus, quod Logica abſolutè, & ſolùm eſſet ſpeculativa.

Dico autem ego id neq; Scoti eſſe, neque verum, quin potius Logicam poſſe ſano ſenſu practicā dici: Hæc habet pro ſe turmam authorum. *b* Nominales in primis omnes cum Ochamo Recentes ferè omnes, & quod caput eſt Scotum. *c* In primis enim illo 6. Met. in themate adducto non dicit hoc ſolum; ſed probat, vt vides ibidem imò addit eam eſſe primam practicam inventam: audiant Scotiſtæ ſed

Reſpondent forte Scotum ibi ubi Logicam dicit practicam, non eſſe aſſertivè loquutum: at verò in prologo vbi Logicam vult eſſe ſpeculativam abſolutam ſententiam protuliſſe. Sed nemo moveri debet hoc loco prologi; nam vt omittam, quod nec ibi aſſertivè dicat: ſed ſupponat Logicam eſſe ſpeculativā, hoc ipſum non dicit de mente ſua; ſed ad hominem de mente adverſariorum, cum quibus diſputabat, aut ſaltē ex communi ſententia illius temporis Doctorum: Quam ineptè enim probaret Scotus actum intellectus non eſſe praxim, quia Logica ſecundum ipſum eſſet ſpeculativa: vel, quia ſequeretur, quod eſſet practica; niſi vel Adverſarii eius in illa materia tenerent eam eſſe practicam, vel ipſe id probaret, quod non fecit.

Præterea 1. Met. q. 7. n. 1. dicit quod *praxis eſt omnis operatio quæ non eſt per eſſentiam ſpeculatio.* & ſequēti n. 3. dicit *operabile eſſe amabile, & idem ac id circa quod eſt operatio; ut ſanabile, hoc autem ſuffiuit ad practicam:* & paulò ante docet, quod quælibet operatio eſſentialiter diſtinguatur à ſpeculatione, per hoc quod ſpeculatio ſit finis ultimus ſui. Certū eſt autē, quod confectio inſtrumentorum Logicalium, non ſit finis ultimus, quum omnia inſtrumenta ſint media: ergo jam apparet evidenter Scotum non fuiſſe tantopere affixum acceptionibus illis praxis & practicæ ſcientiæ, vt negaret Logicæ omnem rationem practicæ, quod etiā infra amplius ex ipſo deducam. Interim.

2. Probo ratione id ipſum, quia certum eſt quod Logica agit de rebus producibilibus a nobis, & in hoc conceptu convenit cum aliis artibus quæ ſunt productivæ, & compoſitivæ: quid ergo impedit, quominùs accipiamus vnum aliquod commune nomen, omnibus iſtis operibus, & ſic praxis, ac proinde ipſæ facultates ſint practicæ? imò vltra hoc oſtendo nomen praxis, non ſolum in communi illa; ſed in propria acceptione convenire objecto Logico, ſcilicet ſyllogiſmo, aut aliis inſtrumentis ſciendi: nam illorum confectio non eſt ſpeculatio adeoque erit praxis. Conſequentia habetur ex doctrina, & verbis Scoti citati alioquin (inquit) *d diuiſio ſcientiæ in practicam, & ſpeculatiuam eſſet inſufficiens.* Antecedens autem patet adhuc magis, quia omnis ſpeculatio eſt cognitio, illa non ſed confectio ergo.

Probo 2 idipſum paritate ſic Domificatio eſt ita praxis, vt ſcientia, aut facultas, quæ circa ipſam eſt ſit practica: ergo confectio ſyllogiſmi ita erit, vt ſcientia, quæ de ipſo eſt, ſit practica. Dicunt enim Adverſarii quid hic deeſt ad paritatem: nam ſi prætendant

Patru B[illegible]it Logica.

a Lychet. q. 4. pro. Ant. Andr. 6. Met. Rodrig. in proœm. ar. 6. Pōc. d. 3. p. 2. q. 5. b D. 39. ſeſſ. 1. Gabr. in prolog. q. 1. Arim. ibid. q. 5. Aureol. q. de habit. Theol. c Iandun. 7. Met. q. 1 Sealig. exer. 107. n 23. Fonſec. 1. Met. c. 3.

q. 1. Conymb. q. 1 proœm.

d Qu 4. prologi.

Digitized by Google

tendant eſſe libertatem quæ exercetur in domificatione, & requiritur ad praxim; nec habetur in actibus intellectus: certè motus corporis, quibus conſtruitur domus ex ſe non plus libertatis habent quã actus intellectus, qui accedente imperio voluntatis tam liberi ſunt, quam motus illi externi membrorũ.

Placet etiam probare id ipſum conglobata argumentatione Aureoli. *a Ille enim habitus, qui habet rationem activæ potentiæ, & virtutis utique eſt habitus practicus, & activus. Sed Philoſophus dicit, Rhetoricam eſſe virtutem quandam, & commentator vocat eam potentiã, & facultatem quandam, & idem eſt dicendum de Logica; cum Rhetorica ſit aſſequutiva Dialecticæ, ut patet primo Rhetor. c Ergo Rhetorica, & Logica, & ſimiles ſunt habitus practici ut videtur.*

a In prolog. lib. 1. ſent.
b 1 Ethic. c. 2. com. m. t. ibid.
c 1 Rhetor. c. 1.

Præterea ille habitus, qui non caret reſpectu conformitatis nec prioritatis, nec activitatis, nec directivi, non videtur eſſe ſpeculativus: undè ſi habet hos reſpectus, habet aliquid ultra ration. in ſpeculationis, & idcirco eſt practicus: ſed Logica eſt huiuſmodi habet enim reſpectum regulantis in ordine ad actus intellectus aliarum ſcientiarum, & dirigit alias ſcientias, & eſt prior eis, quam ſit vanum quærere ſimul modum ſciendi, & ſcientiam, ut dicitur 2. Met. d ergo Logica, & ſimiles ſunt practicæ, & non ſpeculativa.

d 2. Met. tex. 15.

Præterea, nullus habitus cuius finis non eſt actus proprius, ſed actus alterius habitus poteſt poni ſpeculativus: talis enim non eſt gratia ſui, quæ ponitur una conditio ſpeculativi habitus in 1. Met. e Sed Logica, & ſimiles non habent pro fine actum proprium mediantibus ipſis elicitum, ſed actum aliarum ſcientiarum mediantibus ipſis directum: unde non ſunt gratia ſui, ſed propter introductionem, ut patet in eodem: ergo non erunt ſpeculativæ, ſed magis activæ.

e 1. Met. c. 2.

Præterea ille habitus, qui extenditur extra actum ſuũ, eſt utique practicus, cum ratio practici in extenſione conſiſtat, iuxta illud Philoſophi f intellectus extenſione fit practicus: Sed Logica & alii habitus ſimiles extra ſe extenduntur ergo erit habitus practicus.

f 3. de Anim. text. 49.

Præterea, nullus artifex dividitur in docentem, & utentem, niſi ſit practicus: utendo quippe illo dicitur practicare, ut patet de Medicina, ſed Logica dividitur in docentem, & utentem: ergo Logica erit practica.

Ex prædictis poteſt colligi regula generalis, quod omnis habitus eſt verè, & purè practicus, qui non ſolum habet pro fine actum quem elicit; imo, & actum quem dirigit. ubicunq; & in quacunq; potentia ſit actus ille directus.

4 Probo denique idipſum ratione in Philoſopho fundata: iuxta quod omnes etiam adverſarii cũ communiter intelligant. Ariſt. cita. ſupra art. g *ſpeculativæ finis veritas, practicæ autem opus*: Clarum eſt autem, quod finis Logicæ ſit opus ſcilicet ſyllogiſmus, & reliqua artefacta, ſeu inſtrumenta ſciendi, quod etiam inde confirmatur, quoniam ut ſupra vidimus in huiuſmodi practicis facultatibus finis, & obiectum coincidunt. Obiectum autem Logicæ ſunt iſta, ſcilicet ſyllogiſmus &c. ergo & finis adeoque eſt practica, cum finis eius non ſit veritas præciſè, ſed opus.

g 2. Met. c. 1.

Reſpondent tamen recentes noſtri argumentum eſſe in oppoſitum: quia nimirum Logica habet pro fine veritatem, non verò opus: quia nimirum non ſiſtit in confectione ſyllogiſmi &c. nec ipſum ſui cauſâ conficit ſed cauſæ acquirendæ vlterioris ſcientiæ: propter quod finis eius dicenda eſt abſolutè veritas. Ita non illi ſolum; ſed & Thomiſtæ tenentes Logicam eſſe practicam, vt ſunt Complut. *h* qui etiam ad hoc ſuadendum utuntur exemplo Matheſis: hæc enim licet doceat, imo etiam faciat inſtrumenta mathematica, vt quadrantem, aſtrolabiũ &c. tamen illa doctrina, aut confectio, non extrahit eam à ratione ſcientiæ ſpeculativæ, quia nimirum ipſa ordinat hæc inſtrumenta, & eorum conſuetudinem ad finem acquirendæ ſcientiæ per ſenſus, qui huiuſmodi ſimulacris adiuvantur; atque ita denique illa ſpeculativa eſt, quia finis eius eſt veritas: quod quia etiam in Logica contingit; ipſa etiam dicenda erit ſpeculativa. Hoc diſcurſu illi libenter vtuntur, eumque vnus ex alio deſcribit; ſed non magno fructu: nam prima pars eius eſt falſa 2. Etſi vera ſit, ſed nõ ad rem, quæ duo hic oſtendo Primũ ſic. Aliud eſt enim finis operis: aliud finis operantis, alius finis proprius & proximus alicuius facultatis, quo ſolo metienda eſt, alius remotus per quẽ nõ debet menſurari, aut definiri: nã frænofactoria ars licet ſit vtilis ad equitandum, imò ad hoc tota ordinetur, tamẽ non ſpecificatur ab equo, aut equitatione; ſed à fræno: adeoque quamvis hæc ſit ars aliqua ingenua, & liberalis, tamen frænofactoria eſt mechanica. Typographica ordinatur ad ſciendum, & ſtudendum: atque ita habet pro fine veritatem, & tamen nemo negabit eam eſſe egregiè practicam, & mæchanicam: adeoque verum eſt, quod ſpecificatio facultatum fiat à propriis, & proximis finibus; non verò à quibuſcunque etiam remotis: vnde ſubſumo finis intrinſecus Logicæ eſt compoſitio, aut confectio inſtrumentorum ſciendi: licet ipſa inſtrumenta habeant deinde alium finem: ergo jam videndum eſt utrum inſtrumenta ſint veritas, an opus, vt decidatur vtrum Logica ſit practica; an ſpeculativa. Atque ſecundum omnes etiam Adverſ. non ſunt veritas cum non ſint affirmatio, aut negatio, ſed quid artefactum: ergo

h Colleg. Complut. Carmelit. diſp. 1. proœm. §. 6.

Video hanc rationem eſſe egregiè ad hominem; vtitur enim principiis conceſsis, imò aſſertis ab illis cum quibus pugnat. Ipſe tamen non poſſum magni æſtimare eam, quia locus ille apud Philoſophum eſt ex iis in quibus utitur voce practica, & praxis in minus propria ſignificatione Quia nimirum (ut ſupra innui) illud *opus*, quod dicitur eſſe finis practicæ ſcientiæ, non ſignificat quodcunque confectum, aut artefactum, ſed aliquid ſubſiſtens, & remanens poſt confectionem, qualis eſt domus, aut imago: Græcè enim eſt τὸ ἔργον: quod hæc tantum ſignificat; ſed vt dixi omnes communiter iam ſic intelligunt illum textum, & Latina vox non habet illud diſcrimen in uſu: adeoque facere poteſt pro nobis, & pro Logica: nam ſyllogiſmus & alia opera mentalia fiunt, nec manent poſt factionem, ut patet.

Secundum, ſcilicet, quod paritas illa quadrantis, aut Aſtrolabii non ſit nimis ad rem, oſtendo. Longè enim aliter ſe habet conſtructio Quadrantis v. g. in Mathematicâ, & conſtructio ſyllogiſmi in Logica. Quadrans enim ille ordinatur, & fit ad acquirendam ipſam Matheſim: ſyllogiſmus autem fit ad acquirendas alias ſcientias Matheſis fabricat Aſtrolabium &c. vt ſpeculetur naturas eorum, & per ipſa aſtrorum, ac cælorum, pro quibus iſta tanquam cõpendia quædã ſupponunt: At verò Logica non facit ſyllogiſmos, & alia, vt ſpeculetur naturas eorũ. Sed è contra ſpeculatur naturas eorum, ut ſciat ipſa conficere. Objectiones contra hanc concluſionem ſunt probationes ſequentis.

Dico enim 2. veriùs, & magis propriè Logicam reputandam eſſe ſpeculativam. Hæc eſt ultima reſolutio Doctoris noſtri, tum in prologo qu. 4. citata. Tum. 6. Met q. 1. ubi hæc habet, quæ etiam ſupra in themate poſui. *Licet poſſit dici quod Logica eſt practica; quia non eſt tantũ propter ſcire &c. quia tamen iſte actus,*

in

Digitized by Google

in quo dirigit, non eſt niſi ſpeculatio: ideo Logica non eſt propriè practica. Et lib. 1. eiuſdem operis q. 7. enaratis aliquot operationibus intellectus, inter quas ponit etiam Logicas. ait *omnes illæ ſunt ſpeculativæ.* Propter quæ Scotiſtæ *m* hanc partem meritò tenuerunt. & ex Thomiſtis *n* plures ſequuti Divum Thomam 1. 2. q. 57. art. 3. & 2. 2. q. 51. ar. 2.

m Ant. Andr. 6. Met. q. 3. Tartaret. q. 1 Log. proœm. Roda Tom. Faber. diſp. 1. in prol. Smilin. Tom. 1. tr. 1.
n Capreol. in prol. q. 2. Soncin. ſ. Met. q. 7. Bot. q. 1. prolinſ 1. Petrus q. 2. ar. 1. Horn. quodl. 1. q. 1.

Probata eſt jam ſupra Apol. 2. ubi oſtendimus ex vocis proprietate, atque etiam authoritate ſcriptorum ſacrorum, ac profanorum, Ariſtotelis præſertim, in quem inſtitutio ipſa vocis refunditur; actus intellectus non eſſe praxes; quod ſolum ſufficere debet; vocibus enim utendum eſt ſicut nummis, qui quamvis in ſe ratione materiæ plus valeant, quam æſtimentur: tamen in contractibus, illius precii reputantur quod Reſpublica, aut Princeps taxavit. Hinc autem ſequitur evidenter, quod Logica non ſit practica: non enim eſt practica facultas, niſi, quæ dirigit praxes: adeò ſi actus intellectus, quos dirigit Logica non ſint praxes, ſequitur &c.

Obiiciunt etiam ipſi Ariſt. 1. Met. 1 dicentem, quod *ſpeculatio eſt quæ ſiſtit in ſola contemplatione obiecti* Logica enim non ſiſtit; ſed procedit ad eius productionem. Confirmatur quia actus intellectus regulans actus voluntatis eſt practicus; cur ergo unus illius actus regulans alios actus eiuſdem non ſit? Denique actus virtutum moralium ſunt praxes: aliquæ morales ſunt intellectuales, ut prudentia, fides: ergo. Reſpondeo fruſtra nituntur illi Ariſtotelem ad ſe trahere, ut plus, ſatis patet ex dictis. Nam ut omittam illa verba; nec alibi legi apud ipſum: licet ſimilia habeat 2 Met. 1. *ſpeculativæ finis veritas, practicæ autem opus*, hæc ipſa non ſufficiunt illis: Concedo enim practicæ finem eſſe opus: nego tamē eſſe quodcumque opus; ſed illud quod ipſe Ariſtoteles vocat actionem, & nullo modo convenit actibus intellectus cum propriè ſignificet operationem liberam. Patet hoc, quia ſine dubio ibi loco; *practicæ autem opus*, poſſemus legere, *practicæ autem praxis.* Si autem id legeremus, manifeſtè non conveniret To *opus* actibus intellectus *idem ſiquidem practicabile, quod eligibile*, certum eſt autem quod eligibile, & electio ad intellectum non ſpectant; adeoque nec practicabile, aut praxis. Ad cætera jam reſponſum eſt ſupra, cauſa enim cur actus intellectus regulans actum voluntatis ſit practicus eſt quia operationes voluntatis ſunt praxes, illæ intellectus nō. Redi ad Actionem. 1. num. 6. ubi etiam oſtendimus, cur fides ſit praxis. De prudentia autem aſſumitur omnino falſum: non enim illa praxis eſt, etſi practica ſit.

Ariſtot.

ACTIO SEPTIMA

Reiicitur modus dicendi Recentiorum.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Logicam habere cognitiones ſpeculativas oſtenditur.*
2. *Alia probatio eiuſdem. Tertia quoque.*
3. *Fundamentum oppoſiti.*
4. *Vltimata reſolutio totius negotii de mente authoris.*

1. DVo illi de ſuo dicunt; unum eſt antiquos laboraſſe in quæſtione de nomine, quum quærerent, utrum Logica dicenda eſſet ſpeculativa an practica, an utrumque: quia nimirum admittebant Logicam habere quaſdam cognitiones ſpeculativas, alias practicas; tota autem lis erat tantum quam partem ſequeretur denominatio; an tota dicenda eſſet practica propter aliquot cognitiones practicas, an ſpeculativa, propter totidem ſpeculativas. Alterū, quod ex ſe afferunt, eſt Logicā nullā omnino habere cognitionem ſpeculativā ſed omnes practicas. Primum immerito dici ſupra in ſimili oſtendi, quum probarem non eſſe quæſtionē de nomine utrū Logica eſſet ſcientia; nec ne; quamvis habeat aliquas cognitiones non ſcientificas, & aliquas tales. Contra ſecundum.

Dico hoc Logicam habere cognitiones ſpeculativas, ac non tantum practicas. Hæc eſt manifeſtiſſima authorum ſecundæ concluſionis actione præcedenti.

Probo ipſam inſtantiis. Hæ enim cognitiones, Genus latius patet, quam ulla differentiâ eius. Differentia conſtituit ſpeciem, ut quale: genus ut quid, & ſimiles ſunt Logicæ, & ſunt ſpeculativæ: ergo jam aliqua cognitio Logica eſt ſpeculativa.

Negant illi omnia: ſcilicet dicunt hanc, genus latius patet quam ulla differentia eius facere hunc ſenſum: talis eſſe debet cognitio generis ut ad plura ſe extendat, quam cognitio differentiæ, vel iſtum: ſic faciendum eſt, genus ut latius pateat quam differentia. Contra quem ſenſum facit primo, quod manifeſtè malus deprehendatur ſi ex univerſali illa faciamus ſingularem, ſic dicendo. Hoc genus (ſcilicet animal) latius patet quam differentia eius: hæc enim propriè non poteſt ſenſum facere quod ſic faciendum ſit genus ut latè pateat, quia non eſt in noſtra poteſtate hoc facere de animali; & ſi fortè eſſet, nihil ad hoc juvaret ſcientia Logica.

Contra eandem 2. facit, quod cognitio de genere facto eſt Logica, & tamen non eſt practica: v.g. quū ego feci genus, & contemplor factum: video latius patere ipſum, quam differentiam: hæc mea cognitio de latè patentia huius generis, non poteſt eſſe practica, quia non poteſt deſervire ad confectionem inſtrumenti jam confecti, & tamen ſemper eſt Logica: ergo aliqua cognitio Logica non eſt practica; ſed ſpeculativa.

Dicunt hanc non eſſe Logicam, quia non eſt de aliquo faciendo, ſed de facto. At enim non ſufficit hoc dicere. Aſſignent enim facultatem aliam ad quam ſpectet. Video dicturos, quod ad Metaphyſicam; ſed immeritò planè, aliàs dicam etiam quod conſideratio calcei jam facti ad Metaphyſicam ſpectet, quo nihil indignius. Prætereà eodem modo dicam, quod cognitio operationis moralis jam elicitæ ad Metaphyſicam pertineat, quod abſurdum eſt nimis: & inde convincitur falſitatis, quia deciſio de qualitate actus moralis utrum benè, an malè ſit factus fieri habet per principia practica, & moralia, quæ neque ad Metaphyſicam; neque ad ullam facultatem ſpeculativam ſpectant, ut notum eſt: ergo.

2. Tertio adhuc arguo contra reſolutionem principalem eorum, quæ ſi vera eſſet, ſequeretur quod cognitio, qua ego cognoſco naturam Angeli

Digitized by Google

eſſet practica, poſſem enim dicere cognitionem illam, & definitionem Angeli ita accipiendam eſſe, ut ſenſus ſit: Angelus eſt ſic, vel ſic faciendus. Fateor reſponderi poteſt quod quamvis daretur iſte eſſe ſenſus definitionis, aut cognitionis Angeli: non ſit tamen practica in me quia nimirum non poteſt dirigere me in faciendo Angelum: quum ego non poſſim Angelum producere. At enim illi hoc dicere non poſſunt, etſi ſit veriſſimum, quia non requirunt potentiam productivam praxis in eo qui dicitur habere ſcientiam practicam, atque ita.

Probo tertio concluſionem. Conſideratio paſſionum Syllogiſmi v. g. pertinet ad Logicam; ſed hæc eſt merè ſpeculativa: ergo aliqua ſpeculativa ſpectat &c. Major illa negari non poteſt: quam maximè enim ſpectat ad ſcientiam paſſio, quum ipſa ſcientia non ſit aliud quam inductio, vel illatio paſſionis, ut ſuppono ex infra dicendis. Minor etiam eſt clara, & præterea probatur, quia illa non eſt conſideratio alicuius producibilis à nobis, non enim poſſumus nos ſyllogiſmi paſſiones producere, ſed ſolus ipſe ſyllogiſmus, adeoque illa cognitio non poteſt eſſe in nobis practica, quum non poſſit dirigere nos in agendo.

Dicent fortè quod poſſit nos movere ad producendum ſyllogiſmum: meritò enim poteſt quis moveri ad frequentandam productionem ſyllogiſmi ſi videat ad ipſam ſequi [illegible]ſmodi paſſionem, ſeu effectum, qualis eſt ſcientia ſed hoc eſt nihil dicere; illud enim bonum moraliter movet nos, non autem artificialiter; allicit fortè voluntatem, non autem inſtruit intellectum, nec docet quas regulas debet obſervare in eo producendo nec valet ſi dicant illam cognitionem eſſe practicam remotè: quia etiã nos poſſumus paſſiones remotè producere, ſcilicet mediante ſubjecto ſeu ipſo ſyllogiſmo Nam ſi hoc ſit Philoſophari, dicam etiam cognitionem nutritionis, & augmentationis eſſe in nobis practicas, quia nimirum poſſumus hæc etiam producere iuxta regulas aliquas mediatè, puta mediantibus cauſis, ſcilicet cibo, potu &c. Denique tam facile eſt in Logica oſtendere cognitiones aliquas ſpeculativas, ut difficillimum ſit invenire ullam ſcientiam, quæ non habeat aliquas eiuſmodi, quum etiam Ethica, quæ propriiſſimè practica eſt, plurimas habeat, ut vix poſſit ſyllogiſmum conficere, in quo aliqua præmiſſa non ſit ſpeculativa.

Dices illas cognitiones ſpeculativas eſſe alterius ſcientiæ, cuius principiis utitur Ethica, cum ſit ſcientia ſubalternata. Concedo principia illa accepta eſſe ab aliâ ſcientiâ; ſed nego illa jam non pertinere ad Ethicam, alias Ethica non eſſet ſcientia; nec haberet in ſe demonſtrationes; nam ſine his, illas non habet. Et denique fruſtra fatigantur illi cavendo omnes cognitiones ſpeculativas in Logica, quaſi Logica ſtatim evaderet ſpeculativa eo ipſo ſi vel unicam talem haberet, quum potiori jure unica debeat ſequi cæteras practicas, quam aliæ omnes illam. Audiamus jam quod.

3. Obiiciunt Logica tota eſt in conficiendis inſtrumentis ſciendi ſcilicet definitionibus, diviſionibus, argumentationibus, ergo tota eſt practica: nec ullo actu ſpeculativa; quia nullum habet, qui non ſit de his conficiendis, quilibet autem talis eſt practicus. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, imò reduco ipſam ad oppoſitum, quia nimirum ſequitur potius quod habeat cognitionem ſpeculativam, quia ad iſtorum inſtrumentorum confectionem, & ad probationem confectorum conducunt actus ſpeculativi. Quod verò fruſtra timeant illi ne Logica proinde evadat ſpeculativa, patet ex ſimili de Aſtronomiâ, in qua non ſolum cognitiones ſed confectiones practicæ inveniuntur; nec tamen illa proinde eſt practica.

4. Hæc hactenus iuxta modum loquendi jam uſitatum in ſcholis; ſi tamen liceret dicere, quod ſentiam, & terminos ad proprietatem ſuam revocare: Exiſtimo (aliorum veniâ) Logicam nec ſpeculativam, nec practicam dicendam eſſe in rigore, & proinde latiſſimè errare eos qui eam tam ſpeculativam, quam practicam eam faciunt. Moveor, quia actus quos Logica dirigit, neque ſpeculatio ſunt, cum non ſint cognitio ſed confectio, neque praxis, quum non ſint proheretica, ſeu eligibiles (ad phraſim Ariſtotelis); hoc eſt liberæ. Si quis autem quærat, quales ſint cenſendi, & cuiuſmodi facultas ſit Logica? Iudico rem ſic eſſe diſponendam, ut dividatur operatio hominis in tres illas Græco more, ſcilicet theoricas, ſeu ſpeculativas, practicas, ſeu liberas, & picticas, ſeu artificiales, comprehendendo ſub hac tam liberales artes, quam mæchanicas, & illiberales; & ſub hac credo Logicam eſſe reponendam, quia nimirum habet pro ſcopo artefactum, & actus ejus proprius eſt confectio huius non verò cognitio propriè loquendo: ſed neque electio aliqua, ſeu actus liber. Non temerè tamen pro concluſione dixi Logicam eſſe practiam, quia nimirum nunc dierum in ſcholis Latinorum non eſt uſus picteos, aut operationis picticæ; ſed omnis operatio quæ non eſt ſpeculatio, comprehenditur ſub nomine praxis; atque ita omnis pixis, ſeu artificialis confectio, aut productio.

Differunt de hoc.

D. Thom. *opuſ.* 70. *&* 1. 2. *q* 57. *ar.* 1. Subtilis locis *utriuſque thematis* Ocham. 1. *d.* 39. *ſect.* 6 & in *prolog. ſent.* ubi Gabriel. *q.* 11. Gregor. Ariminq. *q.* 5. *ar.* 2. Aureol. *q. de habitu Theolog ar* 2. Duran. *q.* 6. *prologi.* Capreol. *ibid. q.* 2. Lychet. *q.* 4. Anton. Andr. 6 *Met q* 3. *ar.* 2. Iavell. *ibid q.* 3. Soncin *q* 2. Hæruæus quod *lib.* 2. *q.* 3. Gerard. de Odonis *in prolog. q.* 3. Iamdun 6. *Met q* 3. *&* 5. Scaliger *exercit.* 107 *nu* 23. Albert. 2. *de Anim. tract.* 1. Venet. *initio Logicæ.* Mathiſius *c* 1. *Logic.* Ech. *q.* 4. *proœmial.* Rapineus *in nucleo diſputat: Logic diſp* 1. *q* 6. Maurit. *q.* 1 *univerſal.* Zabarel. *lib.* 1. *citat. cap.* 11. *&* 12. Cavet. *hic diſp.* 3 *dub.* 3. Gabr. Vaſq. 1. *par. ſupra diſput* 9. *c.* 3 Lovanien. *q.* 4. *in Porphyr.* Conymbr. *q* 4. *proœm.* Fran. Suarez *diſp.* 44. *met.* Bargius, Viguer. & Faber *in prologo cum Doct. themate* 1. *citat.* Averſa *q* 1 *ſect.* 6. Compluten *diſp.* 1. *proœmi. q.* 6. Poncius *diſp.* 2. *cit.* Maſtrius & Bell. *ubi ſupra Apolog. præced.* Roderiq. *in proœmial. ar.* 3. Pet. Hurtado *diſp.* 2. *Logic. ſec.* 2. Rodericus Ariaga *diſp. & ſect.* 3. Bar. Amicus *trac.* 1 *Log. q.* 4. *dub.* 3. Fran. Ovied. *controv.* 2. *puncto* 5. Gulielm. Camerarius 1. *p. diſp. Philoſ. q.* 4. Fonſec. Ruvius Merin. *citati in recenſu Apol.* 2. *proœm Logic.* videri etiam poteſt Ludovicus Vives in *comment. lib.* 8. *S. Auguſtin. de civitate Dei.*

APOLOGIA QUARTA
PROOEMIALIS
DE
OBJECTO LOGICÆ.

Actio I. Præmittit aliquot terminorum uſum ad reſolutionẽ controverſiæ.
Actio II. Vtrum voces ſint obiectum Logicæ.
Actio III. Vtrum res ipſæ extra animam ſint Logicæ objectum.
Actio IV. Num objectum Logicæ ſit ens rationis.
Actio V. Num objectum eius ſit argumentatio, aut Demonſtratio.
Actio VI. Reſolvit obiectum Logicæ uno modo, de mente Scoti.
Actio VII. Reſolvit objectum eiuſdem iterum de mente Scoti.
Actio VIII. De quo Syllogiſmo & modo ſciendi agat Logica, formali an objectivo.

Scotus q. 3. Univerſ. num. 7.

Dicendum eſt ergo quod ſubiectum primum & proprium Logicæ eſt Syllogiſmus habet enim primam conditionem quia ſtatim poſt determinationem de eius partibus in veteri Logica in 1. Prior c. 1. præmittit eius definitionem. Et ſecundam habet, quia in eodem multas paſſiones de ipſo oſtendit Ariſtoteles per illam definitionem, ut modum & figuram in illis me[illegible]e, & in modalibus, ut habere tres terminos. &c.

Idem 1. Prior. q. 2. num. 7

Iſte terminus Syllogiſmus non eſt ſubiectum in tota Logica. Probatur, quia ſubiectum debet eſſe commune ad omnia conſiderata in illa ſcientia, cuius eſt ſubiectum, ſed iſte terminus Syllogiſmus non eſt communis ad omnia conſiderata in Logica &c quia in Logica determinatur de Definitione, Diviſione &c. Secunda Concluſio iſte terminus inſtrumentum ſciendi eſt ſubiectum in tota Logica. Probatur per conditiones poſitas, quia eſt communis ad omnia conſiderata in Logica, nec tranſcendit metas Logicæ: igitur. &c.

ACTIO PRIMA

Præmittit aliquot terminorum uſum ad reſolutionem controverſiæ.

BREVIARIUM.

Num. 1. Obiectum, & ſubiectum ſcientiæ ut differant?
2. Materiale, & formale quid?
3. Nova impoſitio nominum apud Recentiores.
4. Verus vocum uſus.

1. ERunt autem quam paucisſimi apud me, ſed notabo eos, qui apud alios in uſu ſunt, ut intelligantur. Hoc enim quod communiter dicitur obiectum *materiale* ſcientiæ & Doctor noſter *a* vocat *adæquatum*, alii *b*. *radicale*, vocant, alii *c* *ſubiectum prædicationis*, alii *d* *ſubiectum paſſionis*, alii *e* *ſignificatum totale concluſionis*, alii *f* *materiam circaquam*, alii aliter vocant, ſicut etiam id quod antiqui *g* dixerunt, & nos vocabimus *formale*, moderni aliqui varii & novi vocibus implicarunt diſtinguentes ipſum in *rationem ſub qua*, & rationem *formaliſſimam ſub qua*, item *ex qua per quam*, & *ſub qua*: quibus rem cæteroqui claram obſcurant ſufficit ſcire quod obiectũ & ſubiectũ ſciẽtiæ quoad propoſitum ſunt ſynonima, & ſignificant id de quo ipſa agit: quamvis proprie loquendo differant

a 2. diſ. 3. q. 8.
b S. Bonavent. q. 1. prolo.
c Albertus parvus q. 8.
Proam. Log.
d Albert. magnus 1. Phiſ. cap. 3.
e Greg. Arimin. q. 1 pro. ar. 1.
f Fran. Fol. q 9. Log.
g Compl. d. 1. proœm. q.

differant, nam obiectum ſcientiæ eſt totum quod in concluſione ſyllogiſmi aſſeritur (ipſa enim concluſio eſt, quæ propriè ſcientia dicitur) ſubiectum autè eſt, ipſum concluſionis ſubiectum, ſive (alijs terminis) minus extremum, de quo paſſio, quæ eſt prædicatum, affirmatur quod bene notavit *a* Durand. & ante eum *b* Ochamus noſtras. Et hæc ſunt, quæ alijs nominibus dicuntur obiectum complexum, & incomplexum; intelligendo per obiectum complexū ipſam concluſionem, per incomplexum ſubiectum concluſionis.

a q. 1 prol. *b ibid q. 1.*

2. Materiale obiectum eſt quod in ſciētia tractatur: formale, ratio ſub qua tractatur, quæ diſtinctio ideo adhiberi ſolet quia eadem res à multis ſcientiis tractatur, ſicut in præſenti materia operationes intellectus quoad entitatem ſuam ad Phyſicam ſpectant, quoad rectitudinem moralem, ad Ethicam; quoad rationalem & artificialem, ad Logicam, ex quibus facile eſt ipſa obiecta formalia ſcientiarum iſtarum nominare: nam obiectum formale Ethicæ, eſt rectitudo moralis, Logicæ rationalis, Phyſicæ naturalis: & hæc omnia captu facilia ſunt, & ſufficiunt ad reſolutionem præſentis difficultatis.

3. Non omittam tamen notare quoſdam abuſus harum vocum apud recentiores, *c* Iſti enim dicunt formale obiectum eſſe illud, quod per ſe attingitur à potentia, & propter ipſum cætera, & talis (inquiūt) eſt ſanitas reſpectu voluntatis quâ æger fertur in medicinam. Ita illi, ſatis abſurdè ni fallor, quia formale obiectum debet eſſe in materiali at verò ſanitas optata non eſt in medicina, ſed in animali extra ipſam: deinde quando concurrunt obiectum materiale & formale, potentia nō fertur diverſis actibus in ea, ſed uno in utrūque. At verò in finem, & media, qualia ſunt ſanitas, & medicina; fertur actibus non ſolū numero diverſis, ſed ſpecie, unus enim eſt intentio, alter electio, adeoque iſta non ſe habent, ut obiectum materiale & formale.

c Hurtado d. 6. s. 1. Arriaga ibid. Fran. Ov. Cont. 1 p. 1.

Alii *d* etiam obiectū formale ſcientiæ, quod vocant nunc obiectum *formale quo*, nunc rationē formalem *ſub quâ*, intelligunt eſſe medium ſyllogiſmi, per quem habetur ſcientia de re aliqua (nam eadē concluſio poteſt diverſis mediis demonſtrari) at enim nec hoc eſt verè dictum univerſaliter & contra ipſum procedit ratio iam facta contra alios Recentes quia nimirum obiectum formale debet eſſe inexiſtens materiali, ſive afficere ipſum tanquam determinatio eius. At verò medium non ſic ſe habet ſemper: ſæpè enim eſt extrinſecū, ut quū demonſtratur futura Eclypſis ex oppoſitione terræ, & quum quis fertur in aſſenſū alicuius rei ex teſtimonio alterius: nam motus ſolis, & interpoſitio terræ clarum eſt quod ſint extrinſeca Lunæ, de qua demōſtratur Eclypſis, & teſtimonium unius hominis manifeſtè eſt extra alium hominē, & extra omnem aſſenſum eius Confirmatur breviter, quia ſignificatū obiecti formalis debet eſſe ex parte rei: Medium autem non eſt ſed ex parte potētiæ, Et quamvis diſtingui poſſit de medio formali & medio obiectivo, tamen hoc nō juvat univerſaliter, quia ſubinde medium eſt merè fictum, & tūc nullatenus habet eſſe ex parte rei: ſed ſolum ex parte potentiæ, adeoque non poteſt diſtingui in formale & obiectiuum.

d Complu. citati.

Nec placet quod iidem faciunt, qui obiectū materiale ſcientiæ vocant obiectum per accidens: quia materia compoſiti non eſt per accidens ipſi, ſed per ſe in quocunq; genere compoſiti: Deinde ſi ſit per accidens auferatur: quod ſi fiat, iam relictum eſt ſolum obiectum formale ſcientiæ, & ita formale eſt totale, quod eſt dicere partiale eſſe totale: itaque nihil facilius quam corrigere has novitates.

4. Teneatur ergo breviter obiectū ſcientiæ eſſe id circa quod ipſa occupatur, quod etiam dividitur ut ſupra in materiale & formale, quæ duo integrant ipſum, quamvis etiam contingere poſſit, ut formale ſit ipſum materiale & reduplicatio fiat ſupra ipſum ut quum tractatur ipſum materiale, quà tale quod contingit Phyſicæ, nam actus intellectus v. g. ſecundum ſuam entitatem obiiciuntur Phyſicæ, & quidem ut tales, cum tamen ſic ſint obiectum materiale aliarum ſcientiarum: ſed ſive hoc, ſive illud fiat, obiectū ſcientiæ debet tria illa habere, quæ exigit & approbat *e* Scot. Primum eſt definitio non ſolum nominis ſed rei. 2. Sūt paſſiones, quæ de illo per definitionem demonſtrentur. 3. Eſt virtualis continētia paſſionum, ut ſcilicet ipſum ſubiectum cōtineat paſſiones ſic ut poſſit ipſas tam formaliter quam intentionaliter producere, hoc eſt ut emanet illas in eſſe reali, & quaſi producat in ſeipſo, deinde ut etiam quotieſcunq; cognoſcitur ipſum generet in cognoſcente notitiam ſuarum paſſionum, ſicut ſui ipſius. De huiuſmodi obiecto hic inquirimus, quodnā ſit aſſignandum Logicæ. Et quia multi multa dicunt, incipiant à minus probatis, & ſit

e q. 3 Univerſal.

ACTIO SECUNDA

Vtrum voces ſint objectum Logicæ, nec ne?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Ocham hic non eſſe Nominalis oſtenditur.*

2. *Tres continua probationes, quod Logica non ſit de nominibus.*

3. *Totidem obiectiones, Quomodo actus externus participet naturam interni.*

4. *Ariſtoteles in ſua Logica fuit nominalis.*

5. *Cur & quomodo Logicam ſuam de vocibus potiſſimùm tradiderit?*

6. *Obiectio. Cur non poſſit dici* Phyſicam *eſſe etiam de vocibus?*

1. AFfirmativam, (ut notum eſt) tenuerūt illi, qui proinde dicti ſunt nominales, placet tamen Ochamum ſaltem hac invidia liberare, & in illo, utpote cæterorum principe, omnes, eo magis quod in ipſo interim videbor Scotum id eſt Hybernum defendere. Ait autem *a Iſta ſcientia, ſaltem principaliter tradit notitiam conceptuum, & intentionum per animam fabricatarum.* Ecce obiectum Logicæ ſine ulla voce, & infra ibidem. *Iſta ſcientia dicitur rationalis quia determinat de his, quæ ſine ratione eſſe non poſſunt. Aliæ de rebus extra animā exiſtentibus determinant.* Laboravit etiam pro eodem non ſegniter alius *b* quidam, videatur ubi eum cito.

a In prologo Logic.

2. Dico ergò primo objectum Logicæ ſecūdū *c* ſe nō poſſūt eſſe voces. Ita cōmunis ſequuta Subtilem. q. 3. Vniverſ.

b Hurtad. diſp. *c Plato, Averroes, Proclus D. Thom. idem Ægidius Pe...*

Probo quoniā quæ dicuntur in Logica, non poſſūt vocibus convenire, adeoque &c. Hoc oſtendo diſcurrendo per omnia, nam quod ait Porphyrius genus prædicari de pluribus ſpecie differentibus in quid, non poteſt de vocibus verificari, nulla enim una vox de alia re eſſētialiter, ſeu in quid prædicatur imo neq; de alia voce. Quod dicit propriū eſſe inſeparabile à ſubiecto, cui min⁹ quā voci cōvenit, cū à quolibet

Digitized by Google

quolibet ſit ſeparabilis, nec poſſit dici continuari in vllo ſubjecto, imò nec in ſuo eſſe. & ſic de cæteris ſimilibus. Quod Ariſtoteles ait ſyllogiſmum eſſe talem, vt aliud neceſſariò ſequatur, an de vocibus accipiendum eſt, ad quas nihil ſequitur neceſſariò, vox quidem: Denique quod demonſtratio ſit ex primis, veris, immediatis prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis: ſanè quoad nullam partem in voce habet locum.

Probo adhuc reducendo rem ad ſua principia. In vocibus enim vnum ex his quatuor conſiderari ſolum poteſt: ſcilicet aut ſonus, aut ſignificatio: aut ſyntaxis, aut ornatus ratione ſoni ad Phyſicam ſpectant, ratione ſignificationis, vt dicam quod ſentio, ad Principem, aut Rempublicam; Syntaxis ad Grammaticam, Ornatus ad Rhetoricam ſpectat, ita nihil vocis relictum eſt Logicæ obiiciendum.

Adhuc tertiò ſic, quia ſine vocibus dari poteſt Logica, hoc eſt ſcientia diſcurrendi: poteſt enim diſcurrere, ſeu ſyllogiſare qui nihil de vocibus novit, non poteſt autem qui nihil de objecto Logicæ novit, ex quo quid ſequitur niſi quod voces nihil habeant agere cum objecto Logicæ? Vrgeo; qui poſt acquiſitam Logicam addiſcit linguam aliquam de novo, & in illâ definit, diſcurrit, & cætera Logicalia facit, aut iſte exercet eandem Logicam quam ante habuit aut non; ſed diverſam: ſi eandem; nihil ad Logicam faciunt voces, & multò minus ſunt ſubjecta eius, alioquin variatis vocibus variarentur ipſa; ſi diverſam, ergo. Iam non eſt vna Logica in omnibus hominibus; ſed tot, quot idiomata, ſeu linguæ; quod repugnat ipſi ſuppoſito huius quæſtionis; nam ſi non ſit una Logica ſed multæ, quærendum eſt de qua illa quærit? Deinde ſi Logica toties varietur quoties linguæ, ſeu verba, aut voces, quid ni etiam Phyſica Metaphyſica, & cæteræ, quarum ſingulæ non ſolùm eſſent multæ ſpecie in multis hominibus, ſed in vno & eodem: cum conſtet vnum ſæpe multas linguas callere: hæc autem omnia ſunt ineptiſſima, adeoque: Confirmatur, quia Logica naturalis non habet pro objecto voces, ergo nec artificialis. Antecedēs patet, quia ſurdus, & mutus poteſt Logicam naturalem habere, & exercere. Conſequētia autem valet. quia vtraque in ratione Logicæ ſunt eiuſdem ſpeciei licet in entitate differant, quod inde conſtat, quoniam diſcurſus factus per Logicam naturalem, ante Logicam artificialem, puta is quo artificialis ipſa acquiritur, eſt eiuſdem ſpeciei cum diſcurſu facto ab ipſa Logica artificiali quantum ad formam diſcurſus, quæ ſola ad Logicam ſpectat.

3. Obiiciunt: Logicæ obiectum eſt modus ſciendi: tales ſine dubio ſunt voces: imo illis ſolis addiſcimus: ergo. Reſpondeo ſi quælibet inſtrumenta ſciēdi ad Logicam ſpectarent, deberet ipſa de libris, & calamis, & maxime de magiſtro tractare. At enim quia non videtur argumentum huc reſpexiſſe, ſed potius ad tria illa definitionem, diviſionem, & argumentationem, quæ ſunt propriè modus ſciendi, & ſine dubio in vocibus fiunt; Reſpōdeo modū ſciēdi vt ſic formalem eſſe objectū Logicæ, inſtrumentalē autem non, & tales ſunt voces. Quod ſi Logica omnem talem ad objectū ſuum admitteret, nō ſolū voces ibi, ſed etiā motus haberet: Deinde nō unius generis voces, ſed omnis, & ita nemo linguas calleret.

Objicies 2. argumentum quo Recentes nonnulli volunt vexari: Hi actus; Definitio vocalis eſt oratio vocaliter manifeſtans naturam rei: ſpectat ad Logicam, & tamen habet pro objecto voces: ergo aliquid ſaltem Logicæ habet pro objecto voces. Major huius ſuadetur, quia ad nullam aliam facultatem ſpectat; non enim ad Rhetoricam, quia hæc cogitat tantum ornatum; & minus ad Grammaticam, quæ laborat ſolum circa congruitatem: naturas autem rerum neutra conſiderat. Reſpondeo illam, & ſimiles cognitiones ad Logicam ſpectare, at non abſolutè; ſed partim, ſcilicet ratione artificij, aut formæ: ratione verò materiæ, quæ ſunt voces ad Phyſicam, aut Metaphyſicam pertinere; Duo enim dicit ille actus; unum, quod definitio explicat naturam rei; alterum vocalis hoc vocaliter faciat: primum ad Logicam ſpectat, ſecundum non magis quam ad fabrum iſte: optimus culter ex chalybe fiet; vel ad fuſorem iſta vitra. Veneta ſunt præſtantiſsima; quæ quia dictant de materia, nequaquam ſpectant ad artifices, quorum eſt ſolum formam inducere. Quod enim chalybs ſit durus, & aptus ſecare, non eſt fabri ſcire, ſed Phyſici: & is qui fudit vitra, in arte illa non didicit ubi habeatur optima materia vitrorum, Venetiis an alibi? quin, poteſt eſſe expeditus artifex in hoc genere, qui neſcit Venetias dari, ſicut foret etiam, qui verè ſciret eas periiſſe. Acrius eſt hoc quod

Objicio 3. Bonitas actus moralis interim redundat in externum: v. g. bonitas miſericordiæ redundat in externā erogationē eleemoſynæ ergo ſimiliter bonitas artificialis actuum Logicæ in actum externum, & vocalem; atque ita ſicut verè dicitur externa porrectio ſtipis eſſe actus eleemoſynæ, & charitatis, etiam verè dicitur vocalis ſyllogiſmus eſſe actus ſecundus Logicæ, & verum exercitium eius: atque adeò voces ſaltem partialiter ad Logicam pertinebunt, ut objectum aliquod eius. Reſpondeo tamen conceſſo antecedenti, negando conſequentiā. Diſparitas autem eſt quod actus externus ille ſit verè virtutis actus, & bonitas internæ virtutis verè inſit exteriori illi actui tanquam vero exercitio eius: At verò bonitas, ſeu rectitudo artificialis Logicæ non eſt in vocibus illis niſi tanquam in ſigno. Sed inſtas: ſi accipiatur externus actus erogandi eleemoſynam ſine interno non habebit veritatem virtutis, eritque ſolummodo ſignum, & quidem falſum virtutis: ſi autem accipiatur conjunctus cum interno, erit non tantum ſignum; ſed exercitium, & actus virtutis. Idem eſt de vocibus; nam quando proferūtur ſine interno actu Logicæ, non ſpectant niſi ad Grammaticam: quando autem cum interno actu Logicæ, tum totus actus ex interno, & externo ſpectat ad Logicam: atque ita denique voces ſuo modo erunt aliquid objecti Logicæ ſicut conceptus, quamvis non æquè principaliter. Reſpondeo tamen non eſſe ita philoſophandum propter diſparitatem iā datam, quæ ſemper durat, & valet contra has replicas; quod ut magis pateat, explico eam adhuc ita: quando fit diſcurſus internus ſine ullo externo, habetur perfectum exercitium Logicæ: at verò quando elicitur internus actus compaſsionis à divite circa proximum egentem, non habetur perfectus actus miſericordiæ, niſi actu, & externè eroget ipſi eleemoſynam, adeoque Itaq; his argumentis non moveor; moveor autem aliis, propter quæ

Altera pars reſolutionis.

4. Dico 2. non malè cenſeretur Logica Ariſtotelis per ſe agere de vocibus tanquam de objecto Ita cenſuit Ochamus noſter *in prolog. Prædicament.* & ante eum M. T. Cicero *Lib de finibus.* Idipſum D. Thom. *in 1. Periher. Lect* 2 quod hic ſuadere conabor, tā verbis ipſius Philoſophi, quam facto. Nam 1. *Rhetor. 2.* ſic colligit Ariſtoteles. *Itaque efficitur Rhetoricam quaſi propaginem eſſe Dialecticæ.* Et infra clarius *Particula enim Dialecticæ quadam eſt* (ſcilicet Rhetorica,) *ac ſimulachrum*: Vbi vides aſſerere ipſum, quod Rhetorica, & Logica de eodē obiecto ſunt; certum

eſt

Digitized by Google

eſt autem quod Rhetorica de vocibus ſit, ergo & Logica Ariſtotelis ex ipſius ſenſu, quem clarius expreſſit S. Iſidor. *lib. 2 Etymol. c. 22.*

B. Iſidor.

Probo jam ex facto ipſius id ipſum. Vtique enim Ariſtotelis Logica habet objectum illud de quo ipſo tractat, ſcilicet illos modos, & inſtrumenta eius: ergo. Minorem hanc probabo transferendo argumentum per plura objecta quæ in Logica ſua Ariſtoteles nobis diffinivit: nam ut incipiamus à ſimplicioribus. Terminus quem ille definivit eſt vocalis. Ecce enim definitionem eius. *a In quem reſolvitur propoſitio*: Certum eſt autem, quod hoc verificetur tantum in termino vocali: nam terminus mentalis non eſt eiuſmodi quandoquidem propoſitionem reſolui in terminum eſt ipſa propoſitione destructa manere terminum tanquam partem, ex qua conſtabat: At verò illa mentalis non habet partes quæ maneant ipſa diſſoluta, cum ſit ipſa indiviſibilis, utpote actus ſpiritualis: ergo. Confirmo, & augeo argumentum in parte Analytica, quæ ipſi maximè propria eſt, & de qua ult. Clem. tanquam de proprio invento gloriatur Ariſtoteles, nam ſyllogiſmus, de quo ibi totus agit tanquam de objecto. Secundum ipſum eſt *oratio, in qua quibuſdam poſitis &c.* ſcimus autem *b orationem* apud ipſum, & Peripateticos eſſe *vocem*; definitur enim ab ipſis *vox ſignificativa cuius partes ſignificant, ut dictio*: ergo denique Logica illa Ariſtotelis, & objectum eius ſunt vocalia; neque hic eſt locus æquivocandi, quia catenata illa definitio ſyllogiſmi per orationem, orationis per vocem &c. manifeſtè infert ſyllogiſmum ipſius eſſe vocalem, ſicut ex arbore Porphyriana ſequitur quod apud authorem eius homo ſit corpus quia eſt animal; omne autem animal eſt corpus (ſecundum ipſum) ac non tantum corporeum.

a Lib. 1. Prior. c. 1.

b 1. Periherm. c. 3.

Confirmo, & urgeo adhuc argumentum ex eodem in lib. Elench. ubi inter fallacias, & captiones quas monet cavendas, ponit fallaciam accentus, ut patet apud ipſum lib. 1. c. 3. contingit autem hæc fallacia ex diverſa quantitate ſyllabarum, quæ mutat vocis ſenſum, ac proinde etiam propoſitionis, ut patet in exemplo: quod ibi interpres adfert (nam revera non eſt Ariſtotelis, qui citavit Homerum)

c Nec gemere aeriâ ceſſabit turtur ab ulmo

c Virgil. Eglog. 1.

Vbi ſignificat bis poſſe reprehendi poetam, ſemel quod penthemimeri uſus ſit in ſyllaba brevi, ſcilicet ultima in *aeria*, qua contra regulas produxit; & iterum quod turturem fœmineum poſuerit: quæ omnia ſunt captiones, & refelluntur per accentum circumflexum in ultima ſyllaba to *aeriâ*, quod eſt poſitum in auferendi caſu, & proinde productum nec concordat cum turture, ſed cum ulmo. Quo loco ſic arguere poſſumus; ſi Ariſtoteles non egiſſet per ſe de vocibus non deberet tradere nobis regulas immediatè fundatas in quantitate, aut qualitate ſyllabarum: ergo cum id fecerit, non ibi ſolum, ſed alibi ſæpè, ſignum eſt quod Logica eius per ſe agit de vocibus ut de objecto ſaltem partiali.

5. Dicet aliquis eum egiſſe de vocibus propter conceptus, vel res, quæ ſunt verum objectum Logicæ & quorum voces ſunt ſigna ſed oppoſitum eſt verius, & videtur convinci hac ratione; nam voces ut ſignificativæ pertinent ad Grammaticam; illius enim eſt providere nobis de vocibus ſignificativis. Deinde ſi hoc licet prætendere in Logica, quidni etiam idem de Phyſica, & Metaphyſica dicatur, quod ſcilicet agant de vocibus, non tamen ipſarum cauſa, ſed rerum; quod non eſt verum, aut verò ſimile; ſed de hoc infra. Itaque exiſtimo Ariſtotelem ſic ſe geſſiſſe in Logica, ſicut Mathematicæ profeſſores, qui ut doceant auditores ſuos, quomodo orbes cæleſtes ſint formati, quomodo in illis aſtra moveantur, utuntur ligneâ ſphærâ ad ſimilitudinem cœleſtis formatâ, & in illa totum quod agitur in cœleſti ſic oſtendunt diſcipulis, ut quamvis circuli illius ſphæræ ſupponant pro circulis cæleſtis, revera tamen præcepta, & propoſitiones illius profeſſoris immediatè procedunt de circulis ſphæræ ligneæ artificialis. Ita inquam Ariſtoteles prudenter egit, ut quamvis præcepta ac definitiones eius omnes ultimo referantur ad vera inſtrumenta ſciendi, quæ ſunt formalia, & mentalia, ſcilicet definitiones, diviſiones, ac ſyllogiſmi intellectuales, tamen immediatè tradita ſint, & intelligi debeant de vocibus; ſic enim multò facilius addiſcunt tyrones cum vident artem exerceri in materia ſenſibili, & notiſſima, quales ſunt voces.

Objici tamen poteſt. Paſsiones quas Ariſtoteles in ſua Logica demonſtrat non conveniunt vocibus, conveniunt autem certisſimè objecto Logicæ: ergo objectum Logicæ non ſunt voces. Probatio majoris: Hæc paſsio ſyllogiſmi demonſtrativi, quæ eſt, generare ſcientiam: non poteſt convenire vocibus, iſtæ enim non poſſunt generare ſcientiam, cum ſcientia ſit ſpiritualis, illæ corporalis; ſcientia permanens, & indiviſibilis illæ ſucceſſivæ &c. Reſpondeo tamen negando majorem, vel diſtinguendo ſic. Paſſiones non conveniunt vocibus tanquam ſubjectis, vt quod concedo, non conveniunt vt quo nego, & idem dicas diſtinguendo de ſubjecto formali, & inſtrumentali; de ſubjecto per ſe, & ſubjecto per accidens: ſenſus enim eſt quod conveniant illæ paſſiones rebus, aut conceptibus ratione ſui, vocibus autem vt ſupponunt pro conceptibus, aut rebus, & de his voluit Ariſtoteles ſuam Logicam tradere immediatè.

6. Dici tamen poteſt (quod paulò ante ſignificavi) ſic poſſe defendi; quod etiam philoſophiæ eius, & cuiuſcunque ſit de vocibus; quia nimirum traditur per voces, quæ ſupponunt pro rebus. Reſpondeo negando ſequelam; cauſa diſparitatis petenda eſt ex ſummulis vbi oſtenditur aliud eſſe ſupponere, & aliud ſignificare. Iam verò voces ſignificant res, non tamen ſupponunt pro ipſis, ſed pro conceptibus quibus ſubſtituuntur tanquam vicarii. At verò philoſophia eſt de rebus, Logica de conceptibus: atque adeo poteſt tradi tota de vocibus, licet philoſophia vel ſcientia realis, non tam exactè: Cuius vlterior ratio eſt quia Logica agit de ſermone ipſo quo diſcurrimus vel affirmamus, philoſophia autem de rebus ipſis quæ affirmantur, vt opponuntur, & contra diſtinguuntur à vocibus; ſed hoc eget longiori examine vnde ſit.

* * *

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO TERTIA

Vtrum res ipſæ extra Animam ſint Logicæ obiectum?

BREVIARVM

Num. 1. *Non eſſe diſtinguendas tres Logicas.*
2. *Logicæ obiectum non eſt extra animam probatur.*
3. *Altera probatio huius: inſtrumenta Logicæ non fiunt ex rebus, ſed ex conceptibus.*
4. *Cuiuſdam recentis ratio irrationabilis.*
5. *Prædicamenta an Logicæ propriè.*
6. *Obiectio ſextis ſoluta: vbi an materia ſpectet ad artificem.*

Gonzal. exp. o Præfat ſect. 2.

1. SI quis cum Recenti quodam diſtingueret tres Logicas, vocalem, realem & rationalem, huius, & præcedentis Actionis titulo facillimè reſponderet, quod ſcilicet voces eſſent obiectum vocalis Logicæ, res realis &c. quod vel ſolum ſufficit hanc diuiſionem explodere, quia iſtæ quæſtiones ſemper motæ, & ventilatæ ſunt in ſcholis, quæ tamen difficultate, & cauſâ carerent, ſi diuiſio illa haberet fundamentum: quis enim dubitat obiectum Logicæ vocalis eſſe voces, realis res &c. non defuerunt tamen qui res in obiectum aſſignarent Logicæ, nec aliquas, ſed omnes, contra quos.

Proclus. lib. 10. in Eucl. d. Plotinus Ænead. 1

Rudolp. agric. lib. 2 de inu. Dial. Luſtrat: poſt Zabarel. lit. 1 de nat. log.

2. Dico reſolutiuè falſum eſſe, quod res omnes ſint Logicæ obiectum, aut totale, aut partiale, materiale, vel formale. Antequam probem hanc, noto iſtam quæſtionem fere coincidere cum alia, qua quæritur vtrum modus ſciendi formalis ſit Logicæ obiectum an non, ſed obiectiuus, ſeu vtrum ſyllogiſmus formalis objiciatur ei conſiderandus, nec ne; ſed realis extra, & obiectiuus? ſi enim Logica agit de rebus, tum ſyllogiſmus obiectiuus erit eius ſubiectum ſin minus non: qua in re Recentes trahunt D. Thomam in omnes partes; ſed & Ariſtoteles (ſi Deo placet) debet cum ipſis ſentire quod Logica agat de rebus. Probo iam reſolutionem, quia res extrà pertinent ad alias ſcientias. v. g. ſubſtantia materialis ad Phyſicam, Quātitas ad Mathematicam &c. ergo non omnes pertinent ad Logicam, niſi velimus confundere ipſam cum aliis ſcientijs. Reſponderi poteſt Logicam non conſiderare differentias particulares rerum; adeoque non debere ipſam ex hoc capite confundi cum alijs ſcientijs: puta Phyſica, aut Mathematica: ſed duntaxat rationem vniuerſalem & communē omnibus rebus, propter quod dicitur propriè omne ens eſſe illi obiectum, ſed qui ſic reſpondet, dum euadit vnum abſurdum labitur in aliud non minus priori; nam dum Logica ſic diſtinguitur à Phyſicâ, confunditur cum Metaphyſicâ, cuius obiectum eſt ens reale vt ſic. Dicent adhuc poſſe ens vt ſic eſſe vtriuſque obiectum; Logicæ ſub ratione dirigibilis, Metaphyſicæ ſub aliâ: fateor ita dici poſſe, ſed non fundatè, aut rationabiliter: Primò, quia Logica nullam directionem poteſt inducere rebus extra, adeoque res non ſunt ab ipſa dirigibiles, & multò minus obiectum eius qua tales. Antecedens probo, quia habitus reſidens in aliqua potentia, non poteſt latius, aut in plura tendere, quam tendit potentia, cuius eſt: At verò intellectus, in quo eſt Logica non poteſt formam vllam rebus extra imprimere, eò quod ſit potentia immanenter agens. Secundo quia vt intellectus ſit rectus, & ratiocinetur de rebus ſine errore, qui eſt finis Logicæ, imò omnium ſcientiarum, non debet conformare ſibi res, ſed ſe rebus: ergo iam malè dicitur res dirigi à Logica, & adhuc peius illas ſic dirigibiles eſſentialiter reſpici à Logica tanquā eius obiecta. Tertio notari poteſt quædam implicita contradictio apud hos authores. Nolunt enim illi ens rationis aliquod eſſe Logicæ obiectum; ſed verè reale, quam tamen directio ab intellectu formanda in rebus non poſſit eſſe niſi ens rationis.

Dicent fortè dirigibilitatem, quæ eſt ratio formalis obiecti Logicæ eſſe realem, licet directio inducta ſit quid rationis: ſed hoc eſt paradoxum; ſemper enim actus primus reſpondet ſecundo, & irrationabile eſt ponere potentiam realem ad actum rationis; v. g. ſi prædicari de multis ſit ens rationis; certè etiam eſſe prædicabile de multis erit ſimiliter ens rationis.

3. Probo etiam tertio principaliter intentum, quia obiectum artis & facultatis cuiuſcumque practicæ debet fieri per ipſam. Per Logicam autem non fiunt res extra, & multò minus omnes illæ ergo non poteſt illas habere pro obiecto: maior ſupra ſæpè oſtenſa eſt, & eſt certiſſima experientijs: quia frænofactoria. v. g. facit frænos, architectonica domum, fabrilis enſes &c. Vnde illud Ariſtotelis, *factivorum in faciente principium eſt.* Minor autem de ſe patet. Hic aduerſarijs neceſſario recurrendum eſt ad diſtinctionem de obiecto materiali, & materia in qua, ex qua, & ſimiles quibus ſignificare volent res non eſſe obiectum quod fit à Logica; ſed materiam inquam inducitur id quod fit à Logica. At imprimis hoc non ſaluat tam abſolutam affirmationem, qua dicuntur res ipſæ eſſe obiectum Logicæ. Præterea oſtendo non ſufficere diſtinctionem datam, ſed nec veram eſſe: Quia artefactum quod fit à Logica ſunt inſtrumenta ſciendi puta definitio, demonſtratio &c. ſed hæc non fiunt ſeu non componuntur ex rebus extra [ſicut ſcamnum ex ligno fit] ſed ex conceptibus intro. Denique fac ita eſſe, vt ex rebus extra fiant huiuſmodi inſtrumenta, non ideò erunt Logicæ obiecta; ſicut nec lignum dicitur eſſe obiectum fabri; ſed ſcamnum aut cathedra. *6. Metap. c. 1*

4. Ex quibus probata manet ſecunda, & tertia pars reſolutionis. Patet etiam quid dicendum ſit ad quæſtionem illam communem Scotiſtarum vtrum modus ſciendi obiectiuus, ſit obiectum Logicæ? (de quo fuſius infra.) Reſpondendum eſt enim negatiuè propter rationes adductas pro concluſione; non verò ob illam cuiuſdam recentis, quod ſcilicet ſequeretur Logicos ſtatim euadere mechanicos eo quod dirigeret res extra; atque ita fore fabros opiliones.

Digitized by Google

aut ſubulcos, eo quod tractaret ferrum & rectificaret aliquando, dirigeret item aſinos, & ſues. Dico hanc rationem irrationabilem eſſe: nam Metaphyſica tractat de rebus extra, nec tamen mechanica eſt: & in ſpecie de ouibus, & ſuibus tractare eſt Phyſici, quod facit Ariſtoteles *lib. 9. de hiſt. animal. & lib. 1. de part. animal.* nec tamen adhuc reputatus eſt proinde paſtor, aut ſubulcus.

Ariſtot.

Dices Phyſicus tractat res contemplando naturas earum, non verò practicè dirigendo, aut mouendo eas. Qui hoc obijcit credit (puto equidem) Logicos dirigere pecora ad ſtabulum, & paſcua, ac proinde Logicos eſſe paſtores; ſed præterquam quod conſtet id non fieri: Dico nec hoc ipſum ſufficere: nam & Deus hæc facit, & natura, quos nemo reputat ſubulcos, aut paſtores. Itaque hæc, & huiuſmodi ruri toleranda ſunt, in ſcholis ne audienda quidem.

5. Obijciunt tamen illi. Ad Logicam ſpectant prædicamenta, In prædicamentis autem ſunt res omnes, ergo Reſpondeo Logicam agere de prædicamentis per accidens tantum, & ab extrinſeco. Vnde non licet colligere, quod ad eam ſpectent res omnes. Quod ita ſit patet, quoniam prædicamenta Metaphyſica ſunt, & in ipſa repoſuit illa Ariſtoteles, vt notum eſt Certum eſt autem, quod non poſſint ad vtramque facultatem pertinere, Itaque prædicamenta ſpectant ad Logicam ſicut ad Arithmeticam nummi, quibus vtimur pro calculis. Reuera enim ſic deſeruiunt Logicæ prædicamenta ſcilicet per modum terminorum, & materiæ, in qua conficiatur argumentatio, ſicut calculi ſunt termini quidam, & materiæ numerorum, quos addiſcendo, & miſcendo artificialiter, diſcitur, & exercetur Arithmetica.

6. Obijcitur 2. ad quamlibet artem ſpectat materia, in qua exercetur, & in quam inducit ſuam formam, forma Logicæ inducitur in res omnes, ergo ad illam pertinent omnia, maior patet diſcurrendo per aliquas; ad fabrum enim pertinet ſcire vtrum robur, an ſalix aptiora ſint ad trabes faciendas, an pinus nauibus apta ſit &c. Ad ferramentarium ſine dubio ſpectat ſcire vtrum claues, & gladij aptius ex plumbo, an ære & ferro fiant, & ſic de alijs. Minor autem eſt clara, nihil eſt enim, in quod non poſſit induci forma aliqua Logica, vt fiat vel ſubiectum, vel prædicatum maior, minor, vel copula. Reſpondeo tamen maiorem eſſe falſam ex genere ſuo; vera eſt quidem in artificialibus de facto, plerumque enim illi talia omnia ſciunt, at non ex officio, ſed ex ſuperabundantia, & prudentia, vt facilius occupati poſſint, & minus egeant alterius operâ qui hæc ipſis dicat. In re autẽ illa cognitio ſpectat ad ſuperiorẽ artẽ, quæ ſit quaſi ſenſus communis, & iudicet de ſingularum materijs. Iterum etiam nego illam maiorem, ſufficit enim his artificibus, vt ſciant qualitatem genericam materiæ. v. g. fabro ſufficit quod ſciat materiam clauis debere eſſe ſolidam, ſiue deinde ſit ferrum, ſiue æs. Tertio nego eandem, nam plurimæ ſunt materiæ artefactorum, quas etiam de facto artifices ignorant, nec tamen cenſentur imperiti ſuæ artis, dummodo aliquas ſciant, adeoque ex conſequentia horum Logicus non debet ſcire omnes. Quarto nego eandem maiorem, quia omnes & ſingulæ materiæ ſpectant ad Phyſicam naturalem, & in ea tractantur, non poſſunt autem per ſe ad plures ſpectare. Adhuc quinto nego eandem, quia ſufficit his artificibus ſcire compoſita ſua v. g. ferramentario clauem, lignario cathedrã, de his enim demonſtrant paſſiones non de materia v. g. de ligno, aut ferro. ſexto etiam retorqueo argumentum, quia non propterea materiæ verbi gratia de ligno aut ferro illæ ſunt obiecta iſtarum artium, ſed compoſita v. g. fabri obiectum eſt clavis, aut enſis, non verò ferrum, ergo ſi ſequenda ſit paritas, Logicæ obiectum non erunt res omnes. Denique reſpondeo Minorẽ eſſe falſam, nam res extra non ſunt ſubjecta, & prædicata propriè, ſed res in anima, quia nimirum propoſitio propria eſt in anima quum ſit iudicium, certum eſt autem quod ſubiecta, & prædicata ibi ſunt vbi propoſitio eſt, quum illa ſint partes uuius.

Tertio obijci poteſt Ariſtoteles, qui toties ſignificauit Logicam agere de omnibus rebus. Ita habet 1. *Poſt. cap.* 12. dicens Dialecticam non habere certum genus ſubiectum, ſed per omnia vagari, quod ipſum docuit, 1. Rhetor. cit. vbi Dialecticam, & Rhetoricam inuicem aſſimilat: certum eſt autẽ quod Rhetorica circa res omnes verſetur. Reſpõdeo argumentũ hoc non poteſt facere nobis negotium quum iam ſupra Ariſtotelem explicauerimus: non ergo hæc de Logica dicit vniuerſaliter; ſed de Dialectica, id eſt parte Topica, quæ in rigore non eſt pars Logicæ, nedum tota ipſa. Vide ſi placet, quæ ſupra ſignificaui Apolog. 1. Actione prima.

Ariſtot.

ACTIO

ACTIO QUARTA.

Num objectum Logicæ ſit ens rationis.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Diſſidium recentium Logicorum ab antiquis.*
2. *Oſtenditur obiectum huius ſcientiæ poſſe dici reale.*
3. *Non eſſe diſtinguendum hic de Logica Ariſtotelis, & de Logica ſecundum ſe.*
4. *Obiectiones: quod videatur Logica Ariſtotelis de ente rationis, Cur poſſit dici de vocibus eſſe, licet non de ente rationis.*
5. *Liberatur amplius Logica ab obiectis rationis. Obiectum artis, an artificiale?*
6. *Liberatur ultimo ab omni tali de neceſſitate ponendo.*
7. *Termini artificiales, an ſint reales v. g. paries, pauimentum. &c.*
8. *Obiectum Logicæ pro formali conuenienter dici ens rationis.*

HOc adhuc ſupereſt decidendum; nam quamuis apologia præcedenti definiuerimus obiectum Logicæ non eſſe omne ens reale, dubitari poteſt, an ſaltem aliquod ſit. In quo puncto recentes à veteribus diceſſerunt: apud antiquos enim quaſi ſuppoſitum, & perpetua traditio fuit Logicæ obiectum eſſe ens rationis, quod illi deinde variè explicarunt. *Auerroes* dixit eſſe *ſecundo intellecta* quod explicans Bœtius dixit eſſe ſecūdas intentiones adiunctas primis. Alij magis infra deſcenderunt, vt Philipp. qui poſuit obiectum eius demonſtrationem. Ariſtot. Argumentationem &c. quæ moderni prorſus reſpuunt, volentes eſſe reale aliquod, vt operationes intellectus, aut ſimile, inter quos non deeſt etiam Scotiſta, Rem ordine diſtiniam, vnde

4 Metaph. Com. 2. Id vid. ipſ. in Porphir. a ſe tranſlat. lib. 1. & in Porph. à victo rem. tranſlat.

2. Dico primo ad quæſitum de obiecto Logicæ abſolutè reſponderi poſſe quod ſit ens reale. Eſt noſtri temporis Logicorum neutralium & anteriorum aliquot cū quibus & ſi non ſit Scotus, tamen cum concluſione eſt plus ſemel? nam q. 11. in primum Prior. n. 8. dicit quod de ſyllogiſmo ſit ſcientia *tanquam de re*, ecce realitatem aliquā obiecti, quæ hic quæritur. Etante nu. 1. dixit ſyllogiſmum obiectum Logicæ eſſe aggregatum ex pluribus propoſitionibus: certum eſt autem, quod plures propoſitiones ſint plures [ſaltem vna] res; quo argumento probo intentum ſic: Obiectū Logicæ eſt ſyllogiſmus hic eſt ens reale: ergo obiectum Logicæ. ſuppono maiorem ex infra. probo hic minorem, quia ſyllogiſmus eſt tres propoſitiones, ſiue tria iudicia, aut aggregatum aliquod ex tribus: certum eſt autem quod iudicia illa quomodocunque miſceantur ſemper ſint reale aliquod, aut etiam plura talia.

Hurtad. diſp. 1. Log. ſe. 3. 4. Poncius diſp. 2. Logic. q. 4. Mirandul. in Com. ſec. 5. Louanienſ. in Proœm. Porph. Iamdum. Meo. 2. q. 12. Colon inic. log.

Dices licet iudicia illa in ſyllogiſmo ſint entia realia, non proinde tamen obiectum Logicæ eſſe ens reale, quia quod in ſyllogiſmo à Logica eſt non eſt reale, ſed quid rationis: ſed enim non ſufficit hoc ad euertendam concluſionem aut rationem, quin potius fauet ipſis, quod oſtendo transferendo replicam ad aliam materiam: nam ſcamnum v. g. quod eſt obiectum artis lignariæ, verè dicitur, & eſt ſubſtantia, & tamen quod eſt in ſcamno ab arte lignari non eſt ſubſtantia; ſed accidens forte nec reale ergo ſimiliter. & ratio omnium eſt hæc quā.

2. Probo 2. concluſionem, quia nimirum in quæſtione quid eſt, quæ cadit ſuper rationem entis, & ſuper alia, quæ directè ponuntur in prædicamento attendēdū eſt in reſpondendo ad materiale, non ad formale quæſiti, quamuis aliās æquè pertineat, (imò & magis principaliter) ad rem: ſic enim quando quæritur quid eſt homo? reſpondendum eſt per animal; quamuis rationale ſit pars principalis eius, & ſic de alijs: quia nimirum formalia illa non prædicantur, niſi in quale: atque adeò in quæſtione quid? & concernente rationem entis, ſubſtantiæ, &c. non eſt reſpondendum per ipſa; ſed per materiale, quod quia in ſyllogiſmo eſt quid reale, rectè reſponderi poteſt quærenti de ipſo, quod ſit ens raele, ſed tenen non eſt hoc quod directè hic quæritur, ſed potius controuerſia eſt vtrum formale, quod eſt in obiecto Logicæ, & quod à ſcientiā per ſe conſideratur ſit reale nec ne, ſed rationis: ad quod quidam reſponderunt cum diſtinctione aliter loquentes de Logicâ in ſe, & aliter de Logicā Ariſtotelis: Et quidem de hac loquendo, fatentur obiectum eius eſſe ens rationis; quia nimirum ille ſuam tradidit per terminos ſecundæ intentionis, at vero agendo de Logica in ſe dicunt quod habeat obiecta omnia realia; contra hos

Fab. Theor. 6. c. 13. Maſtr. Bellud. quæſt. proœm. artic. 3.

3. Dico 2. non eſſe diſtinguendum de Logica Ariſtotelis & de Logica ſecundum ſe, vt ſciatur quale obiectum habeat; nec poſſe dici ſi obiectum eius ſecundum ſe ſit reale, quod obiectum eius vt tradita eſt ab Ariſtotele ſit ens rationis.

Probo hoc, Logica eſt vnius determinatæ naturæ, quæ non poteſt, neque ab Ariſtotele, neque ab alio variari, ergo & obiectum eius, nam illo variato, variaretur Logica, quum deſumat ſpeciem ab ipſo. Et confirmatur quia Ariſtoteles non potuit aliter, & aliter Phyſicam tradere, aut mutare obiectum eius, & quæſo cur Logicæ poſſit, Confirmo iterum ſic, ſyllogiſmus factus ſecundum Ariſtotelis Logicam eſt eiuſdem rationis cum illo qui fieret iuxta Logicam illam quam vocant ſecundum ſe, ergo & ipſa Logica, nam Logica nihil aliud eſt quam ſcientia faciendi hæc inſtrumenta, ſicut lignaria eſt peritia faciendi ſcamnum. Vrgeo, termini illi ſecundæ intenſionis quibus vſus eſt Ariſtoteles, aut ſignificant idem quod termini primæ intentionis, quibus Logica ſecundum ſe potuit tradi, aut non ſignificant, ſi ſic; ergo eſt idem obiectum vtrobique, ſi non eſt diſtincta ſpecie Logica, & quæro vbinam eſt illa Logica ſecundum ſe, Cur Ariſtoteles gloriatur ſe Logicæ inuento-

tem

rem, nam ſi verum eſt quod hic dicitur, non eſſet abſolutus Logicæ inventor, ſed ſuæ, ex qua parũ gloriæ haberet quum veram ſcientiam omiſerit.

4. Objicies tamen pro iſtis. forma Logicorum inſtumentorum, & regulæ eorum poſſunt tradi per entia rationis, poſſunt etiam per entia realia, ex his autem Ariſtoteles elegit entia rationis, quum ars ipſa hæc non exigat. v. g. quum regula Ariſtotelis dicat quod genus prædicetur de ſpeciebus, aliter in terminis realibus dici potuit, quod natura ſuperior includatur in inferiori. v. g. animal in homine harum autem vtraque, & quælibet ſufficit ad regulandas enuntiationes, & tamen vna procedit de entibus realibus, altera de entibus rationis, ergo. Reſpondeo ſemper redit quod ſupra dixi, aut enim illæ regulæ ſunt ſynonimæ, aut non, ſi, ſic vna non poterit procedere de ente rationis ſi altera non procedat, niſi fortè ens rationis, & reale ſint ſynonima quod non credo hos dicturos, ſi non ſint ſynonima non poterunt idem præſtare in regulandis enunciationibus alioquin dicam, quod regula Logica, & regula Ethica, idem præſtare poſſint. non enim differunt niſi obiecto. Deinde illud *natura ſuperior*, eſtne terminus realis? aut an à parte rei datur natura aliqua vniuerſalis, an verò omnes ſingulares ſed

Objici ad hominem poteſt, ſupra diximus ipſi Logicam Ariſtotelis, probabiliter habere pro obiecto voces, certum eſt autem quod Logica ſecundũ ſe illas non habeat pro obiecto, aut nos errabimus aſſignando aliud, ergo poſſunt ſimiliter entia rationis eſſe obiectum Logicæ Ariſtotelis, licet aliud ſit obiectum Logicæ ſecundum ſe. Abſolutè etiam obijci ſic poteſt. Quod hoc ſit ens rationis, & illud ens reale, non variat ipſa in ſpecie, loquendo de artefactis nam clauis ex plumbo, & clauis ex ferro ſunt eiuſdem rationis in eſſe artefacti, ergo quod Logica Ariſtotelis ſit de ente rationis & Logica ſecundum ſe de ente reali non facit has diuerſas ſpecie, vt nos intulimus; ſed potius inſtrumenta Logicalia erunt eiuſdem naturæ, ſiue in entitate ſint realia, ſiue rationis. Reſpondeo ad hoc ſecundum primo deducendo argumentum in oppoſitum, nam licet poſſint fieri clauis ex ferro, & clauis ex plumbo, tamen ars fabrilis non propterea diuiditur in duas; neque habet duo obiecta; adeoque nec Logica, & conſequenter non erit diuidenda in duas, quarum vna ſit Logica ſecundum ſe, alia Ariſtotelis. Deinde 2. Reſpondeo aſſumptum argumenti verum eſſe in materia artificiali quia hæc per accidens, & extrinſecè ſe habet ad artefactum, at verò quia forma artefacti reſpicitur directè ab arte non eſt impertinens ad ſcientiam, ſeu facultatem, qualis ſit in entitate; aut an habeat prædicata realia, an rationis; quia hæc variant eam, cum differant eſſentialiter etiam toto genere. Ad præcedens autem argumentum dico, quod licet propter ipſum aſſertio illa Recen. ſpeciem aliquam habeat, tamen non eſt ſimile, nec ipſi inuenerunt adhuc paritatem; cauſa, quia voces ſunt inſtituta in ſignum rerum: adeoque pro ipſis ſupponere poſſunt, & doctrina de ipſis tradita intelligi poteſt de rebus, ſicut doctrina tradita de ſphæra materiali, & artificiali intelligi poteſt de ſphæra cæleſti. At verò entia rationis non ſunt facta in ſignum entiũ realium, aut vt ſupponant pro ipſis. quin potius opponuntur eis quod etiam explicari poteſt exemplo adducto ſupra de clauibus; quia enim ferrum non eſt factum in ſignum auri; non poteſt clauis ferrea eſſe ſignum aureæ nec rationabiliter traderetur doctrina de claui ferrea, quæ intelligenda eſſet de aurea.

Vlterior reſolutio quæſiti.

5. Dico amplius ad quæſtionem obiectum proprium Logicæ non eſt totaliter ens rationis, ſed magis reale, licet etiam inſit ei forma rationis.

Rudolph. Agric. lib. 1. de invent. c. 16. Luman. in proœm. Porphir. Ianiun. 2. Met. q. 11. Co- lon. inſt. Lovic. Tol. q. 4. proleg. Zab. lib. 1 de nat. Logic.

Explico concluſionem, vt probem: obiectum proprium Logicæ eſt forma inſtrumentorum (nã de materia non eſt ſollicita illa; ſed Phyſica, quæ entitatem actuum expendit) hæc autem fundamentaliter eſt quid reale, conſiſtit enim in tali diſpoſitione actuum intellectus, vt vnus (puta maior) ſit primo loco, alius [ſcilicet minor propoſitio) ſecundo loco, & concluſio denique in tertio. At verò aliquid eſſe primum, ſecundum, aut tertium non eſt ens rationis cum à parte rei ſic ſe habeant, adeoque nec forma inſtrumenti Logicalis. At verò poſtquam ab intellectu diſpoſiti ſunt actus illo modo, reſultat in illis ordo quidam, ſicut ex multis notis taliter attemperatis reſultat harmonia; & hæc forma in propoſito non eſt realis ſed rationis. Dices, cur non poſſit dici realis, ſicut harmonia. Reſpondeo harmonia eſt ſenſu perceptibilis qui non poteſt tendere in entia rationis. at vero quia intellectus poteſt etiam in entia non realia tendere, ordo ille non debet eſſe realis; ſed intentionalis. Iam verò hanc formam, quia eſt vnum quid, & ita aliquomodo ſimplex, ars Logica obiecit ſibi conſiderandum, & multò facilius tradit ſuas regulas, demonſtrat ſuas paſſiones, proponendo ſibi tale obiectum, quam ſi illa multa realia quæ ſunt aggregatum quoddam proponeret ſibi tractanda. Atque ita denique obiectum Logicæ formaliter ſumptum eſt ens rationis: etſi fundamentaliter, & principaliter ſit reale:

Probo hæc à ſimili; nam obiectum artis, domificatoriæ, v. g. eſt aliquid artificiale ſine dubio, aliter ipſa non eſſet ars: Aſſignet autem mihi quiſquam in domo conſtructa aliquid quod non ſit ens naturale: certè in domo nihil eſt niſi materia, & vbi illius, ſcilicet ligna, lapides, & tale vbi lignorum, ac lapidum: At vero ſingula hæc ſunt entia naturalia, vt patentiſſimum eſt: ſicut ergo hæc ſingula ſunt entia naturalia, & tamen omnia, ſiue totum conflatum eſt quid artificiale; ita obiectum Logicæ, ſiue forma inſtrumentorum eius fieri poteſt ex pluribus entibus realibus, & tamen ipſa eſſe ens rationis, quia nimirum totum illud per modum vnius & ipſa integra diſpoſitio ſyllogiſmi non eſt quid reale; ſed intenſionale.

Dices hoc ſibi repugnare: repugnat enim ex entibus realibus componi ens rationis: vtque enim tale eſt compoſitum, qualia ſunt componentia. Reſpondeo hoc non obſtare, quo minus ibi ſit forma rationis: licet enim hoc fortè non poſſit componi ex realibus, poteſt reſultare ex illis, & ita hic facilè contingit: nihilominus

6. Dico 4. Poteſt ſaluari ſcientia Logicæ, & eius obiectum ſine vllo omnino ente rationis de neceſſitate eorum ponendo.

Probo inſtrumenta Logicæ poſſunt eſſe, & intelligi ſine vllo ente rationis, quod ſi verum ſit,

Digitized by Google

ſit iam habetur obiectum Logicæ ſine vllo ente rationis; habito autem obiecto, habetur ipſa. Probo ergo aſſumptum: ſyllogiſmus, diſinitio &c. poſſunt ſaluari, ſine vllo ente rationis, quod quidem clariſſimum eſt in ſententia eorum qui ponunt entia rationis fieri per fictionem, certum eſt enim, quod ſine fictione vlla poſſint hæc omnia fieri: nam rudes homines nihil fingunt, & tamen diſcurrunt, ſyllogiſant per Logicam naturalem. In mea autem ſententia ponentis entia rationis ſine fictione per reſultantiam ad obiecta ſic diſpoſita, facilè probatur id ipſum, quia antequam intelligatur forma illa rationis reſultare in actibus intellectus ſic ſe habentibus, iam actus illi intellectus ſic ſe habent, v. g. vnus eſt primo loco, alius ſecundo, & tertius vltimo medium in duabus præmiſſis coniunctum eſt cum duobus extremis &c. quæ ſunt fundamenta ad quæ reſultat hic reſpectus rationis: & ſanè niſi hæc fuiſſent ita diſpoſita, numquam per ens rationis, aut fictum ſic diſponerentur.

Probo aliter id ipſum: forma inſtrumentorum Logicalium habet effectum ſimpliciter realem: ergo ipſa talis eſt, alias enim non haberet eiuſmodi effectum: non enim poteſt quiſquam effectum ſe nobiliorem facere. Antecedens autem oſtenditur in ſyllogiſmo v. g. cuius forma cauſat aſſenſum infallibilem conſequentiæ, ſicut materia eius cauſat aſſenſum conſequentis.

Tertia probatio ſit paritas, nam aliæ facultates nõ cenſentur habere ens rationis pro obiecto in quibus tamen eſt eadem prorſus ratio quæ in Logica. ſit exemplum ſæpè tactum de Architectonica, aut domifactoria, hæc enim & ſimiles nõ cenſentur habere pro obiecto ens rationis, & tamen prorſus, & per omnia ſe habent ſicut Logica, nam ſicut domus nihil eſt, niſi lapides ſic diſpoſiti ad inuicem ſecundum ſub, & ſupra, ita ſyllogiſmus, quod eſt obiectum Logicæ nihil eſt niſi plures actus intellectus ſic diſpoſiti, vt vnus ſit prior, & maior, alius minor & ſecundus &c. Cur ergo dicemus obiectum domifactoriæ eſſe ens reale, Logicæ autem non, vel contra Logicæ obiectum eſſe quid rationis tantum; domifactoriæ autem non? Augeri poteſt probatio per Ethicam, ſeu ſcientiam moralem, quæ non cenſetur habere pro obiecto ens rationis, (id enim dicitur eſſe ſoli Logicæ proprium,) & tamẽ Ethica verſatur in dirigendis operationibus voluntatis, ſicut Logica in operationibus intellectus. Denique definitio, quod eſt inſtrumentum, & artefactum Logicum: dicant mihi aduerſarij, quo ente rationis conſtet? v. g. hæc hominis. *Homo eſt animal rationale?* ſi dixerint in diſpoſitione illâ enuntiatiuâ ſubiecti, prædicati & copulæ; non reſpondebunt, nam allata illa diſpoſitione relinquetur definitio, non enim eſt tota illa enuntiatio; ſed complexum illud *animal rationale* duntaxat. Si dixerint hæc ipſa duo habere ordinem, qui eſt opus Logicæ aufero illum, & peruerto dicendo, rationale animal adhuc erit definitio: vt omittam quod vera definitio, quæ eſt actus intellectus non habeat partiũ ordinem, cum ſit vnicus actus indiuiſibilis.

7. Obijcies Logicæ obiectum, prædicatum, Genus, ſpecies & ſimilia, his enim terminis vtitur, & loquitur Logica. At vero hæc ſunt manifeſtè entia rationis, quia non ab aliquo reali habet natura, quæ eſt genus eſſe genus: idem de ſubiecto, & prædicato: etiam in Grammatica vox, quæ eſt nomen non habet ab aliquo reali eſſe nomen cum potuerit fieri, & dici verbum, & in proſodiâ quod talis vox ſit talis pes, aut ſyllaba aliqua reputetur breuis potius quam longa, non ab aliquo reali habet; ſed à beneplacito authorum quod egregiè notauit Auguſtinus *primam ſyllabam Italia quam breuem pronunciauerunt veteres; voluit Virgilius & longa facta eſt* ergo ſimiliter; patet enim paritas. Reſpondeo hoc argumentum probat etiam obiectum Architectonicæ, & ſimilium eſſe ens rationis; quia nimirum obiectum eius ſunt paries, pauimentum, tectum, faſtigium, & ſimilia: hæc enim eſſe entia rationis conuincit idem argumentum, ſi applicetur; non enim ab aliqua forma reali habet materia illa, quæ paries eſt paries eſſe: potuit enim eſſe pauimentum, & quæ eſt in portâ, potuit eſſe in feneſtrâ, ſicut vox quæ eſt nomen potuit à Grammaticis fieri pronomen, & ſyllaba breuis reputari longa: & tamen iſtæ, & ſimiles ſunt facultates reales; [nec habent pro obiecto entia rationis] cum ſint etiam mechanicæ, adeoque diſtinguenda eſt ergo minor argumenti ſic: ſubiectum, prædicatum, & ſimilia, maior, minor &c. ſunt entia rationis fundamẽtaliter ſumpta, nego, formaliter accepta concedo: intelligo autem fundamẽtaliter accepta illa non pro re, aut voce, quæ ſic ſumitur: hæc enim ſunt naturalia entia, & nullatenus ad Logicam ſpectant ſed ſumpta cum diſpoſitione, & artificio, quod induit Logicus & eſt fundamentum, ad quod ſequitur forma illa rationis, per quam ſunt formaliter talia. Declaro me duobus exemplis. Simile fundamentaliter eſt res habens illam affectionem, aut qualitatem, ad quam ſequitur relatio ſimilitudinis: v. g. paries habens albedinem; non autem paries ſolus. Ita dico, ſubiectum, maior minor, ſunt ille terminus, illa propoſitio non ſecundum ſubſtantiam ſolum; ſed ſic locata. Alterum exemplum eſt in Geometro, qui metitur corpora, & proinde habet pro obiectis æqualitatem, & inæqualitatem & ſimilia, & tamen Geometer non tractat naturã ipſam propriã æqualitatis, puta quod ſit relatio primi aut ſecundi modi, quod ſit æquiparantiæ aut diſquiparantiæ &c. ſunt propria prædicata æqualitatis, & ab ipſo omnino negliguntur, quia nimirum non conſiderat æqualitatem formaliter; ſed fundamẽtaliter acceptã; ſcilicet ipſam coextenſionem corporũ. Ita hic Logica conſiderat diſpoſitionem inſtrumentorum ſuorum, non tamen principaliter formalem, puta relationem, quæ deinde reſultat: ex quibus patebit via ad explicandam communẽ, & veram ſententiam veterum, cui Scotus detulit, & videtur ſe conformaſſe.

Lib. 2. doct. Christ. c. 38.

8. Dici ergo cum illis poteſt obiectum Logicæ eſſe quid rationis. fundamentũ & modus ad hoc defendendum eſt quia obiectum Logicæ debet cenſeri vnũ quid: at verò realia, quæ hic cõcurrũt ſunt plura, & non vnum, ſunt enim in ſyllogiſmo [quod dicimus cũ doctore eſſe Logicæ obiectũ] plures actus intellectus, adeoque vt habeatur aliquod vnum debet accipi forma eius quæ eſt vnum quid artificiale nam entia naturalia ibi ſunt plura.

Ratio altera; quia obiectum Logicę debet per ipſam effici; non poteſt autem per ipſam effici, niſi quid rationis, nam entia realia ſcilicet actus intellectus habent aliam cauſam adęquatam ſcilicet ipſam potentiam intellectiuam & obiecta.

Digitized by Google

Quo loco applicari poteſt ſuperior ratio ſic, obiectum Logicæ debet eſſe quid artificiale, quū ipſa ſit ars; imò ars artium, ſiue diſciplina diſciplinarum, vt loquitur Auguſtinus; atqui alia omnia in ſyllogiſmo, præter entia rationis ſunt entia naturalia, ergo. Tertio ſic, quærenti quid eſt ſimilitudo v. g. vel æqualitas, reſpondendum eſt, quod ſit relatio, illa ſcilicet, quæ reſultat ad coextenſionem corporum licet ante relationis illius reſultantiam fuerit vera proportio, in qua conſiſtit æqualitas, ita ſimiliter reſponderi poteſt de obiecto Logicæ, quod ſit ens rationis; quia formaliter eſt tale; ſiue quia forma quæ in eo reſultat eſt quid rationis, licet ante illam formam fuerint fundamentaliter omnia quæ ſufficiunt ad verificandum quidquid docet Logicus de obiecto illo puta ſyllogiſmo, vel ſimili ſed hæc omnia generica ſunt, & ſolum reſoluunt naturam vniuerſalem obiecti huius facultatis; an ſcilicet ſit reale ex genere ſuo, an ens rationis? nunc ad particularia deſcendendo illa ſcilicet, quæ authores aliqui poſuerunt pro eius obiecto ſit.

Lib. 2. de Ordin. cap. 3

ACTIO QVINTA.

Num obiectum Logicæ ſit Argumentatio, aut Demonſtratio.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Dici poſſe etiam ſcotiſticè quod Argumentatio ſit obiectum Logicæ.*

2. *Iterum aliter poni poteſt argumentatio obiectum Aliquæ opiniones conciliatæ.*

3. *Demonſtrationem non eſſe huius ſcientiæ obiectum.*

4. *Alia probatio huius. Definitio cur tractetur in Dialectica.*

5. *Expenditur probatio cuiuſdam Recentis de hoc.*

6 *Obiectio prima pro demonſtratione. Termini ſunt Logicalia puncta*

7. *Secunda Demonſtratio quid addit ſupra ſyllogiſmum?*

8. *Logica dirigit iudicia, & apprehenſiones, etiam quum non ſequitur diſcurſus.*

PRimum illud affirmauit olim Albertus, negauerunt ſemper Scotiſtæ tanquam quid tacitè reiectum à Doctore.

Dico nihilominus admitti poſſe à Scotiſtis Argumentationem pro obiecto Logicæ. Hanc eſſe Scoti oſtendam, & ſimul reducam in vnum alias aliquot opiniones, quæ videbantur diſparatæ, & differentes in hac materiâ.

Rodriguez q. 3. proem. ar. 1. Faber, Theor. 6. cap. 4.

Ratio pro iſta in ſe eſt, quia ſyllogiſmus eſt obiectum Logicæ, (quod libenter audiunt Scotiſtæ) at verè non ſolum ſyllogiſmus eſt argumentatio, ſed argumentatio eſt ſyllogiſmus, & quidem ſolus; nam cæteræ omnes ſpecies argumentationis ſunt adulterinæ, & inualidæ, vt communiter circumfertur, ſeu creditur inter Scotiſtas, de quo infra; interim eo præſumpto euidens eſt non modo veritas concluſionis, ſed & conformitas, eius ad Scotum: quorum vtrumque conuincit ratio poſita, quam in hunc modum reformo. ſyllogiſmus vt ſic eſt obiectum Logicæ; argumentatio vt ſic eſt ſyllogiſmus vt ſic: ergo argumentatio vt ſic eſt obiectum Logicæ. At quia infra admiſſuri ſumus alias ſpecies argumentationis præter ſyllogiſmum, proinde hic dicendum nobis eſt, quod Argumentatio non poſſit poni Logicæ obiectum; quæ ſine dubio eſt expreſſior ſententia ſubtilis, nam q. illa 3. cit. aſſignatis aliquot conditionibus obiecti ſcientifici, ait, *Quinto ſcilicet argumentationi deeſt prima* & infra; *ſecunda etiam ſibi deeſt.* Ratio ex hic dictis, & infra afferendis conficitur in hunc modum. ſyllogiſmus eſt Logicæ obiectum, ſed argumentatio vt ſic non eſt ſyllogiſmus, quia nimirum illa habet ſub ſe alias ſpecies: ergo argumentatio ſic abſtracta non eſt Logicæ obiectum. Argumentū pendet ex dicendis infra, quo loco probabuntur dari aliæ ſpecies argumentationis, eo autem ſuppoſito certum eſt quod à tenentibus ſyllogiſmum eſſe obiectum Logicæ, faciunt Scotiſtæ] nō poſſit ſuſtineri argumentatio eſſe eius obiectū.

q. 3. vn. n. 6

Obijcies, Argumentatio, aut, habet ſub ſe alias ſpecies quam ſyllogiſmum, aut non habet ſi non habet, & ſyllogiſmus, eſt Logicæ obiectum, iam argumentatio eſt, nam ſecundum, hanc viā ſunt ſynonima: ſi autem habet, negandum eſt ſyllogiſmum eſſe obiectum Logicæ, quia non de eo ſolo agit, ſed de alijs ſpeciebus diſcurſus; atque adeò à primo ad vltimum argumentatio ipſa vt ſic eſt obiectum Logicæ omni modo: poſito enim quod dētur plures ſpecies vltra ſyllogiſmū, nulla earum erit adæquatum Logicæ; ſed ſolum commune, quod eſt argumentatio: ergo. Reſpondeo optimè argui ſi nos ponamus obiectum Logicæ ſimpliciter eſſe ſyllogiſmum; id enim prorſus refutatur eo argumento: At quia dicimus ſyllogiſmum eſſe ſolum obiectum Logicæ Ariſtotelis, nō ſequitur niſi Ariſtotelē diminutè tractaſſe Logicam, quod certum eſt ſaltem quoad ea opera quæ extant; at quæ ideò ſtatuendum eſſe aliud obiectum Logicæ ſecundum ſe, & aliud Logicæ Ariſtotelis, quod hic concedo, & infra probabo: reuera enim obiectum Logicæ Ariſtotelis eſt obiectum partis Analiticæ tantum.

2. Itaque ſtante hac doctrinâ, quam infra ſuo loco expendam, non ſunt duæ opiniones [niſi in voce tantum] illa quæ ponit ſyllogiſmum obiectum, & altera, quæ ponit argumentationem eſſe obiectum Logicæ. Et eodem modo exiſtimo alias aliquot opiniones in hac materia coincidere, & proinde in hactenus dictis cenſeri poſſe aut reiectas, aut approbatas: nam opinio illa Boetij, quæ dicit Logicam agere de ſecundis intentionibus adiunctis primis, proximè in falſior accedit ad eam quæ dicebat Logicam habere in obiectum res omnes: omnia enim ſunt ſecundæ intentiones: aut primæ, ſed & recentes, qui ponunt operationes intellectus, ſaltem vt dirigibiles eſſe Logicæ obiectum Scotū ſequuntur aſſerentem ſyllogiſmum, aut ſaltem modum ſciendi, vt ſic eſſe eius obiectum; quia nimirum ſyllogiſmus, & alia inſtrumenta ſciendi ſunt operationes

Digitized by Google

operationes intellectus ſic directæ vt vidimus, & idem facile inuenies in aliis opinionibus, quas quidam multiplicant ſolis vocibus diuerſas ad ſecundum autem.

3. Dico demonſtrationem non poſſe poni Logicæ obiectum. Hanc non ſtatuit Doctor; nec reiecit expreſſè demonſtrationem quia nec numerauit illam. Colligitur tamen ex vtroque loco eius, quo materiam hanc tractat: facit contra antiquos aliquos, quorũ patrociniũ ſuſcepit quidã ex modernis, ſententiã huius ego ita falſam reputo, vt exiſtimem demonſtrationem, quam ipſe ſic extollit pro obiecto Logicæ, nullo modo ad Logicam pertinere, idque ſimul & concluſionẽ.

q. 3. vniu. & 1. primi Prior. ſimplic. Amon. Alex. init. Prædicament. & 1. pr. c. 10. teſ. 1. Po Hurtad. diſp. 1 Log. ſect. 8 ſubs. 4

Probo. Demonſtratio vt talis reduplicatiuè dicit materiam præciſè, materia autem argumenti non pertinet ad Logicam: ergo demonſtratio; quo poſito clarum eſt quod non ſit obiectũ eius, quum obiectum ſcientiæ non poſſit eſſe impertinens ad ipſam. Probatio maioris, quoniam ſyllogiſmus aliquis inde fit demonſtratio quia conſtat ex propoſitionibus primis, veris, & immediatis prioribus, notioribus &c. quæ enumerat *Ariſtoteles*, propoſitiones autẽ notũ eſt eſſe materiã ſyllogiſmi: ergo. Minor autem eſt clara, alioquin ſola Logica in toto orbe eſſet ſcientia quando in omni demonſtratione tam materiæ, quam formæ ad ipſam ſpectant. Poſſumus vertere argumentum ſic: ad Logicam ſpectat ſola forma argumentorũ; ſed demonſtratio non differt ab alijs argumentis, (ſaltem non ab aliis ſyllogiſmis) in formâ, ergo non debet ſtatui obiectum Logicæ præ aliis; argumentationibus, ſeu ſyllogiſmis; ſed potius quoad hoc coincidit cum ſyllogiſmo, atque ita ſyllogiſmus; hic ſub nomine demonſtrationis præfertur alijs, & ponitur obiectum Logicæ.

Poſter. 2

Reſpondet Recentior falſum eſſe quod materia demonſtrationis non ſpectet ad Logicam quia (inquit) licet materia ſingularis alicuius demonſtrationis non ſpectet ad eam, ſpectat tamen in communi tota demonſtrandi ratio, quæ includit materiam ſine dubio, ita ille: ſed vt omittam quod petit aliquid principij quũ liberè affirmet partem aliquam negari; demus ita eſſe quod Logica agat de tota demonſtratione, conſequenter de materia, quæ demonſtrationem reduplicatiuè conſtituit, hoc neminem mouere debet, non enim primaria intentione id agi. Logica, ſed ſecundaria, & ex ſuper abundanti, ſicut ſupra dixi fabrum noſſe materiam enſium, non qua faber eſt præciſè, ſed potius illo modo cognitionem illam ſpectare ad ſcientiam aliquam ſuperiorem; & ſicut iſta cognitio; viſio delectans debet eſſe obiecti viridis, viſio nullatenus à potẽtia viſiua habetur ſed ſpectat ad intellectiuam, ſenſum communem, aut denique aliquã aliam potentiam ſuperiorem. Similiter hæc; gladius irrefragabilis, ſeu inuincibilis debet fieri ex chalibe; non ſpectat in rigore ad ferramentariam cuius eſt gladios cudere; ſed ad Phyſicam, aut partem illam, cuius eſt metalla ſpeculari. Quo dicto ni fallor attuli verum exemplum, & inſtar rei præſentis: nam demonſtratio eſt quaſi gladius inuincibilis, quum alij ſyllogiſmi ſint ſolubiles, quod de vtriſque ſcire non tenetur Logicus in rigore.

Dicet aliquis, cur ergo hæc tractantur in Logica & cur ea tradidit Ariſtoteles in ſua? Reſpondeo tradidit etiam Topica in ſua, quæ tamen certum eſt per ſe non ſpectare ad Logicam. Itaque materia vtriuſque inſerta eſt Logicæ, ratione formæ, vt propè ſe inuicem eſſent, de quo ſupra ſæpè, & inde ſic arguo. Materia demonſtrationis etiam in genere ſumpta ſecundario tantum, non verò primo, ac per ſe in Logica tractatur; at vero obiectum eius certum eſt quod non tantum ſecundario ab ea tractetur: ergo denique materia non cadit ſub obiecto Logicæ.

4. Probo iterum id ipſum. Si demonſtratio eſſet obiectum Logicæ, Reliqua omnia eſſent propter ipſam; non ſunt autem: ergo, ſequela maioris patet, alias aut impertinenter tractarentur ibi, aut certè æque eſſent obiectum huius facultatis, ac ipſa demonſtratio. Minoris probatio eſt Definitio, hæc enim non propter demonſtrationem tractari debet quia ipſa definitio eſt nobilius inſtrumentum quam demonſtratio; non poteſt autem niſi præpoſterè nobile ad ignobile ordinari, ergo maior huius probatur, quia demonſtratio notificat paſſionem, definitio autem eſſentiam: quod alijs verbis docuit *Ariſtoteles*, diceres quod definitio facit ſcire ſubſtantiam, demonſtratio accidens.

6. Met. tex. & lib. 11. cap. 6.

Deinde fac illa duo eſſe paria, ſcilicet definitionem, ac demonſtrationem, aut etiam demonſtrationem fortaſſis præſtare, oſtendo adhuc non tractari definitionem à Logico in ordine ad demonſtrationem duntaxat: quia nimirum Logicæ ſcopus eſt inſtruere intellectum, & adiuuare ne erret in acquirenda notitia rerum, adeoque ſeruat illam proportionem in ſuis partibus, quem intellectus ſeruat in operationibus: at vero operationes intellectus non habent illum ordinem inter ſe, vt ſecunda ſit ſolum propter tertiam, & prima propter ſecundam: ergo nec inſtrumenta Logicæ quæ pertinent ad primam, aut ſecundam operationem erunt tantum in gratiam eorum quæ ſpectant ad tertiam. Maior eſt clara, minor probatur, quia vltimus actus intellectus, qui eſt diſcurſus non eſt omnium perfectiſſimus, imò videtur cedere primæ, cuius ſignum eſt quia in perfectiſſimè intelligentibus non inuenitur vltimus, inuenitur primus, nam ſecundum pleroſque Angeli non diſcurrunt: certum eſt autem quod iudicent, & apprehendant. Certiſſimum eſt quod Deus ſit perfectiſſimum intelligens, nec minus certum eſt quod non diſcurrat, ſed ſimplici intuitu comprehendit omnia. Et confirmari poteſt redeundo ad nos ipſos, quorum perfectiſſimus actus ſine dubio eſt viſio beata: hæc autem eſt ſimplex quædam apprehenſio, & intuitio, alias non eſſet viſio, nec enim oculus externus (à quo tranſlata eſt hæc appellatio ad intellectum) aliam cognitionem habet quam apprehenſionem. ſubiungo: Definitio ſpectat ad ſimplicem apprehenſionem, demonſtratio ad diſcurſum: ergo.

5. Alia probatio huius ſit: ſyllogiſmus probabilis à Logicâ tractatur, & quidem ex officio, & per ſe: non tractatur autem in gratiam demonſtratiui: quid enim huic cum illo? ergo iam non omnia Logica referuntur ad demonſtrationem Explico, & confirmo rationem ſpecies oppoſita non habet eſſe, aut examinari propter

aliam

Digitized by Google

aliam oppoſitam: ſyllogiſmus demonſtratiuus, & topicus, ſeu probabilis ſunt ſpecies oppoſitæ: ergo vna non eſt aut agitur propter aliam: adeoque non omnia Logica propter demonſtrationem. Placuit hoc argumentum cuidam Recenti, qui etiam eo viſus eſt ſibi conuincere repellendam omnino demonſtrationem; mihi non item: non enim puto ſyllogiſmum demonſtratiuum & probabilem eſſe duas ſpecies ſyllogiſmi, quia nimirum non differunt formâ, ſed materiâ, quæ impertinens eſt ad conſtitutionem Logicam ſyllogiſmi ſicut ad alia artefacta: nam ut utar trito exemplo clavis, aut enſis, clauis ferrea, aut aurea non differunt in ratione clauis, eandemque prorſus artem exercet faber in utrâque; nec alias regulas habet pro hac, & alias pro illa; ſed eaſdem pro utraque, Adeoque in ratione clauis vtraque eſt ejuſdem ſpeciei, ita ſimiliter hic ut vides adeoque, hoc medium aliter mihi videtur tractandum, & applicandum concluſioni ſic. Logica agit de ſyllogiſmo aliquo, ſeu modis eius indirectè concludentibus, ex quo infero, ergò tractat de aliquibus quæ non fiunt in gratiam demonſtrationis, cauſa conſequẽtiæ, quia nimirum hæc non tractantur in gratiam demonſtrationis, quum nihil ipſa iuuare poſſint, ſed potius dici debet, quod demonſtratio ad ipſas aliquo modo ordinetur; quia nimirum demonſtratio plurimum ipſis conferre poteſt, nam per reductionem ad ipſam oſtenduntur huiuſmodi habere validam conſequentiam. Hic mihi videtur proprius tenor huius argumenti; quia nimirum procedit de forma ſyllogiſmi, quam Logicus ex profeſſo conſiderat. Habet autem vim non ſolum à modis indirectè concludentibus; ſed etiam à modis directè concludẽtibus in ſecundâ, & tertiâ figura, iſti enim habent ſuum valorem ex modis primis, in quibus ſolis fit demonſtratio adeoque de his non eſt verum quod ordinentur ad demonſtrationem ſed è contrario verius quod demonſtratio potius ordinetur ad eos, & ſanè in tertia figura ſunt modi aliqui, qui nullatenus conuincunt intellectum, vt ibi iacent.

Franciſ. Ouiedo Cont. Logic. punc. 1. 8.

Atque hæc ego contra demonſtrationem, ne ſit obiectum Logicæ, quo ſenſu à recentioribus prætenditur. Ipſe autem infra alium modum aſſignabo, quo, non obſtantibus his quæ hic contra ipſam diximus, verè intelligi & teneri poſſit, eſſe Logicæ obiectum, Interim audiamus pro ipſa alios.

6. Obijcit aliquis omnia Logica referuntur ad demonſtrationem, etiam definitio, ergo ſola ipſa eſt obiectum attributionis Logicæ. Antecedens probant, quia definitio eſt pars demonſtrationis, nemo autem neſcit partem referri ad totum. ergo. Vidit tamen ipſe aduerſarius hoc non poſſe premere ullum, non enim omnis pars eſt tota in gratiam totius ſed illa ſolùm, quæ non habet aliud eſſe quam eſſe partis. Talis autem non eſt definitio quia hæc non ſolum deſeruit in demonſtratione, ſed extra eam.

Sed enim aliquis retorſit hoc argumentum in nos, nec malè, ſic. Termini etiam, & propoſitiones habent ſuum eſſe totius per ſe. & tamen à Logicâ conſiderantur tantum in ordine ad aliud, cuius ſunt partes puta ſyllogiſmi, aut modi ſciendi, ergo ſimiliter licebit dicere, quod licet definitio habeat ſuum eſſe per ſe, tamen à Logica conſideratur propter illud cuius eſt pars ſcilicet propter demonſtrationem. Reſpondeo tamen non eſſe ſimile, quia definitio non habet quodcumque eſſe extra propoſitionem; ſed eſſe quod à Logica tanquam proprium opus conſideratur, non habent autem hoc eſſe termini ex genere ſuo, vnde non munit arguens paritatem, & multò minus retorſit argumentum, quum clariſſimum ſit iſta aliter, & aliter ſe habere hinc inde, ſcilicet definitionem ad demonſtrationem, & terminos ad propoſitionem. Similitudo ergo horum inuenitur aptius in ſpeciebus quãtitatis ſcilicet lineâ, & ſuperficie, quæ quia habent ex ſe extenſionem aliquam conſiderantur tam à Metaphyſico, quam à Mathematico ſui cauſa, ac non ſolum in gratiam corporis, vel profundi. Punctum verò quia non habet eſſe niſi vinculum aliorum, & extra ipſas non habet extenſionem, non conſideratur ſui cauſa, ſed alterius. Iam verò termini ſunt quaſi quædam indiuiſibilia, aut puncta Logica. Definitio autem eſt in hoc genere magnum, ſeu extenſum Logicè quum ſit ipſa modus aliquis ſciendi, ideò debet per ſe tractari.

7. Obijciunt iterum finis vltimus Logicæ eſt tradere modum ſciendi, hic eſt ſola demonſtratio, ergo. probo Minorem ſcire eſt rem per cauſas cognoſcere; hoc autem fit ſolà demonſtratione; neque enim definitio, aut diviſio aſſignat alicuius cauſam. Confirmatur Proprius modus ſciendi hominis eſt per diſcurſum, Logica ſine dubio attendit hunc ſciẽdi modum ergo. Tum ſic Diſcurſus fit per ſolã demonſtrationem, adeoque. Reſpondeo igitur iuxta duplicem reſolutionem infra tradendam de obiecto Logicæ. Primo diſtinguendo maiorem: finis Logicæ eſt tradere modum ſciendi diſcurſiuè tantum nego. Modum ſciendi id eſt attingendi certo ignotum concedo, hoc autem fit non ſolum per demonſtrationem, aut diſcurſum; ſed & per alia inſtrumenta, & quidem paulo melius. Iterum Reſpondeo iuxta alibi dicenda diſtinguendo minorem, ſola demonſtratio hoc facit Logicæ nego, abſolutè aut aliter concedo eſt dicere quidquid Logicum eſt in demonſtratione eſſe etiam in alijs ſyllogiſmis Differunt enim ſola præſtantiâ materiæ atque adeò non magis demonſtrationem ſtatuendum eſſe obiectum Logicæ, quam alios ſyllogiſmos. ex quo quid ſequitur, niſi ſyllogiſmum vt ſic eſſe eius obiectum. Ad confirmationem, nego minorem, quis enim reſtrinxit Logicam ad hæc, & vetuit eam prodeſſe nobis ſecundum gradum genericum rationalitatis, in quo conuenimus cum aliis quum etiam ſecundum illum poſſimus errare? Quis vetuit Logicam dirigere ſimplices apprehenſiones, & iudicia noſtra vbi obiter noto confirmationem redire contra authorem eius tenentem alibi omnes tres operationes intellectus ad Logicam pertinere, hic autem vult eam eſſe ſolicitam ſolum de tertiâ ſeu diſcurſu, diſtingui etiã poteſt maior huius ſic, Modus ſciendi homini proprius vt opponitur Deo, & Angelis eſt diſcurſus tranſeat, vt opponitur alijs animantibus nego. Imo hæc ipſa magis admiſſa ſunt, quam vera, etenim ſuo loco oſtendemus per Dei gratiam etiam Angelos diſcurrere, nec deeſt qui dicat Logicam etiam in Deo inueniri.

Gonzal. cap. 1 præfat.

8. Vltimo obijci poteſt ſola demonſtratio continet exercitium omnium operationum noſtri intellectus habet enim exercitium ſimplicis apprehenſionis in terminis, Iudicij in præmiſſis diſcurſus in concluſione; per ipſam ſolam perfectè cognoſcitur obiectum, quia cognoſcitur non modo quoad eſſentiam, ſed etiam quoad proprietatem, nec intellectus vnquam quieſcit niſi ipſâ habitâ. ſed iam reſponſum eſt plus ſemel: Imprimis enim licet

licet ipſa ſola contineat omnes operationes tamen non ſola continet ſingulas; Logica autem debet dirigere intellectum non ſolum vbi exercet omnes operationes coniunctim; ſed vbi aliquas etiam ſeorſim à ceteris, puta iudicium quum non ſequitur ipſum diſcurſus.

ACTIO SEXTA.

Reſoluit obiectum Logicæ vno modo de mente Scoti.

BREVIARIVM

Num. 1. *Logicam Ariſtotelis circa ſyllogiſmum verſari.*
2. *Oſtenditur ipſum ſyllogiſmum eſſe hic non ſolum finem operis. ſed & operantis.*
3. *Obiectio prima ſubtilis. Per quem ſyllogiſmum habetur de ſyllogiſmo ſcientia.*
4. *Secunda: ſyllogiſmus quomodo obiectum Prior. Analitic.*
5. *Expenditur amplius mens Ariſtotelis de his.*
6. *diſparitas aliqua Phyſicæ, & Logicæ.*

NVnc temporis authores ad vltimatam reſolutionem huius rei diſtinguunt de Logica Ariſtotelis, & de Logica ſecundum ſe, quod illi à Scoto didicerunt: nam hic *q.* 3. *prædicabilium* aliud obiectum Logicę aſſignat, & aliud *q.* 2. *Priorum*, ſed ibi loquitur de Logicâ Ariſtotelis, hic de Logica ſecundum ſe, vt patet ex rationibus & verbis eius vtrobique. *Scotus*

Dicendum ergo cum illo eſt obiectum Logicę prout ab Ariſtotele tradita eſt in organo ſuo ſeu in libris Logicis qui extant, eſſe ſyllogiſmum, Ita Doctor citatus priori loco & cum illo veteres. Scotiſtæ. alij etiam extra ſcholam Doctoris. In ſuperioribus etiam oſtenſum eſt eſſe plurium ex ex illis qui videbantur diſſentire, vt Alberti ponentis Argumentationē, Græcorum ponentium Demonſtrationem. *V. auriti. [illegible] in expoſ. &c. item [illegible] diſp. [illegible] Io. Lamand [illegible] diſp. 3.*

Probatur ex conditionibus obiecti; ſunt autem tres: prima, quod in ſcientia ſit notum quid; & quia eſt: Altera quod per eius definitionem demonſtrentur de illo paſſiones, vltima quod ad ipſum cætera omnia illius ſcientiæ reducantur; id eſt in gratiam eius tractentur, quæ omnia palam eſt ſyllogiſmo reſpectu Logicæ conuenire: nam primo prio. definitur; & in Analiticis illis plurimæ paſſiones de eo demonſtrantur, vt modus figuræ &c. Propter ipſum etiam in veteri Logica (id eſt libris Prædicamentorum, & Perihermenias) determinatur de eius partibus ſubiectiuis: & in Elenchicis ſophiſtico, qui eſt quædam vmbra eius. Ita Doctor? manifeſtè innuens ſe loqui de Logica Ariſtotelis alias enim quorſum tam minuta enumeratio librorum eius.

2. Alia via probandi id ipſum eſt ſi poſſimus eruere mentem Ariſtotelis de his, ſine dubio enim illud eſt obiectum Logicæ eius. quod ipſe voluit eſſe. Id autem à poſteriori, & ex facto ipſius, ſi inueſtigemus, apparebit ſtatim eſſe ſyllogiſmus. Primò quia ſi vellet abſolutam Logicam tradere, debuiſſet plurima addere de vniuerſalibus, definitionibus, de diuiſionibus, quæ ſunt Inſtrumenta ſciendi non minus neceſſaria, quam ſyllogiſmus. Et ſi dicatur hæc ab eo ſcripta eſſe, ſed periiſſe, obſtat quod Laertius eorum non meminerit cui tamen ſumma fides eſt in hoc negotio: vnde mala fide oppoſitum ſcripſit Merinerus. Scripſit quidem Ariſtoteles iuxta Laertiū Diuiſiones 17. & definitiones 13. ſed an hoc eſt compingere tractatum de definitionibus, & diuiſionibus? ſcripſit de generibus, ſpeciebus, & proprijs; at vbi reliquit differentias, & accidentia. *diſſ. proœm. quaſt. 4 ſect. 2. de vit. Phil. lib. 5. princip.*

Secundum indicium eſt quia in libris Priorum, qui ſecundum omnes ſunt de ſyllogiſmo vt de peculiari obiecto, agit idem Philoſophus de termino, de propoſitionibus, & latiſſimè de affectionibus eorum, puta conuerſionibus, oppoſitionibus &c. vtique innuens hæc omnia à ſe propter ſyllogiſmum tractari. Tertio adhuc: quia idem Ariſtoteles 1. Perihermenias. cap. 4. citat libros Elenchorum, ex quo patet poſterius ſcriptos eſſe libros Periherm. quam illos Analiticorum, quod non debuit ille feciſſe, ſi Logicam ſecundum ſe, & quo ordine exigit, ſcribere voluiſſet: ſic enim debuiſſet prius de ſimplicioribus agere, quales ſunt termini, ac propoſitiones: de facto autem poſterius egit de illis, quia nimirum intentum eius primarium, & quaſi ſolum fuit de ſyllogiſmo, ſeu diſcurſu agere, ad quem quum vidiſſet aliquid amplius eſſe neceſſarium vltra ea quæ in libris Priorum docuit, addidit libros illos Perihermenias, in quibus ſeorſim agit de verbo, nomine. propoſitione.

Confirmo hoc ex ipſius verbis in fine ſecundi Elenchorum, qui eſt finis Logicæ eius; ibi enim fatetur ſe potiſſimum in ſyllogiſmo explicando laboraſſe. *& de Rhetoricis quidem erant multa, & antiqua dicta, de ſyllogiſmis autem omnino nihil habuimus: prius aliud quidquam quod dicere mus, quam mora perquirentes, tempore multo inſudauerimus.* Id ipſum denique ſentit S. *Auguſtinus* qui *dialecticam* diffiniuit *diſputandi peritiam*: clarum eſt autem quod diſputatio non fit definitione, aut diuiſione; ſed argumentatione, ſeu ſyllogiſmo. *Ariſtot.* *de princip. Dialect. c. 1*

3. Objicies de ſyllogiſmo non poteſt haberi ſcientia: ergo ſyllogiſmus non poteſt eſſe ſcientiæ Logicæ obiectum: pro ratio antecedentis; quia omnis ſcientia habetur per ſyllogiſmum: ergo ſi de ſyllogiſmo habetur ſcientia habebitur per alium ſyllogiſmum, quod non poſſe fieri probo, nam ille alius ſyllogiſmus, aut eſt notus, aut ignotus, ſi ſecundum, per illum non poteſt haberi ſcientia; quia per ignotum nihil ſcitur, ſi autem eſt notus, aut ſe ipſo, cur non etiam ſyllogiſmus de quo eſt ſcientia ſit notus; ſi per alium, quæram de illo alio, & iterum de tertio, & ita in infinitum. ad quod non debet admitti proceſſus, alias numquam incipietur ſciri ſyllogiſmus, qui eſt ſcientiæ obiectum, non enim poſſet ſciri niſi præcognitis infinitis

Digitized by Google

eſſet practica, poſſem enim dicere cognitionem illam, & definitionem Angeli ita accipiendam eſſe, ut ſenſus ſit: Angelus eſt ſic, vel ſic faciendus. Fateor reſponderi poteſt quod quamvis daretur iſte eſſe ſenſus definitionis, aut cognitionis Angeli: non ſit tamen practica in me quia nimirum non poteſt dirigere me in faciendo Angelum: quum ego non poſſim Angelum producere. At enim illi hoc dicere non poſſunt, etſi ſit veriſſimum, quia non requirunt potentiam productivam praxis in eo qui dicitur habere ſcientiam practicam, atque ita.

Probo tertio concluſionem. Conſideratio paſſionum Syllogiſmi v. g. pertinet ad Logicam; ſed hæc eſt merè ſpeculativa: ergo aliqua ſpeculativa ſpectat &c. Major illa negari non poteſt: quam maximè enim ſpectat ad ſcientiam paſsio, quum ipſa ſcientia non ſit aliud quam inductio, vel illatio paſſionis, ut ſuppono ex infra dicendis. Minor etiam eſt clara, & præterea probatur, quia illa non eſt conſideratio alicuius producibilis à nobis, non enim poſſumus nos ſyllogiſmi paſsiones producere, ſed ſolus ipſe ſyllogiſmus, adeoque illa cognitio non poteſt eſſe in nobis practica, quum non poſsit dirigere nos in agendo.

Dicent fortè quod poſsit nos movere ad producendum ſyllogiſmum: meritò enim poteſt quis moveri ad frequentandam productionem ſyllogiſmi ſi videat ad ipſam ſequi ...iſmodi paſsionem, ſeu effectum, qualis eſt ſcientia ſed hoc eſt nihil dicere; illud enim bonum moraliter movet nos, non autem artificialiter; allicit fortè voluntatem, non autem inſtruit intellectum, nec docet quas regulas debet obſervare in eo producendo nec valet ſi dicant illam cognitionem eſſe practicam remotè: quia etiã nos poſſumus paſsiones remotè producere, ſcilicet mediante ſubjecto ſeu ipſo ſyllogiſmo Nam ſi hoc ſit Philoſophari, dicam etiam cognitionem nutritionis, & augmentationis eſſe in nobis practicas, quia nimirum poſſumus hæc etiam producere iuxta regulas aliquas mediatè, puta mediantibus cauſis, ſcilicet cibo, potu &c. Denique tam facile eſt in Logica oſtendere cognitiones aliquas ſpeculativas, ut difficillimum ſit invenire ullam ſcientiam, quæ non habeat aliquas eiuſmodi, quum etiam Ethica, quæ propriiſsimè practica eſt, plurimas habeat, ut vix poſsit ſyllogiſmum conficere, in quo aliqua præmiſſa non ſit ſpeculativa.

Dices illas cognitiones ſpeculativas eſſe alterius ſcientiæ, cuius principiis utitur Ethica, cum ſit ſcientia ſubalternata. Concedo principia illa accepta eſſe ab aliâ ſcientiâ; ſed nego illa jam non pertinere ad Ethicam, alias Ethica non eſſet ſcientia; nec haberet in ſe demonſtrationes; nam ſine his, illas non habet. Et denique fruſtra fatigantur illi cavendo omnes cognitiones ſpeculativas in Logica, quaſi Logica ſtatim evaderet ſpeculativa eo ipſo ſi vel unicam talem haberet, quum potiori jure unica debeat ſequi cæteras practicas, quam aliæ omnes illam. Audiamus jam quod.

3. Obiiciunt Logica tota eſt in conficiendis inſtrumentis ſciendi ſcilicet definitionibus, diviſionibus, argumentationibus, ergo tota eſt practica: nec ullo actu ſpeculativa; quia nullum habet, qui non ſit de his conficiendis, quilibet autem talis eſt practicus. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, imò reduco ipſam ad oppoſitum, quia nimirum ſequitur potius quod habeat cognitionem ſpeculativam, quia ad iſtorum inſtrumentorum confectionem, & ad probationem confectorum conducunt actus ſpeculativi. Quod verò fruſtra timeant illi ne Logica proinde evadat ſpeculativa, patet ex ſimili de Aſtronomiâ, in qua non ſolum cognitiones ſed confectiones practicæ inveniuntur; nec tamen illa proinde eſt practica.

4. Hæc hactenus iuxta modum loquendi jam uſitatum in ſcholis; ſi tamen liceret dicere, quod ſentiam, & terminos ad proprietatem ſuam revocare: Exiſtimo (aliorum veniâ) Logicam nec ſpeculativam, nec practicam dicendam eſſe in rigore, & proinde latiſsimè errare eos qui eam tam ſpeculativam, quam practicam eam faciunt. Moveor, quia actus quos Logica dirigit, neque ſpeculatio ſunt, cum non ſint cognitio ſed confectio, neque praxis, quum non ſint proheretieæ, ſeu eligibiles (ad phraſim Ariſtotelis); hoc eſt liberæ. Si quis autem quærat, quales ſint cenſendi, & cuiuſmodi facultas ſit Logica? Iudico rem ſic eſſe diſponendam, ut dividatur operatio hominis in tres illas Græco more, ſcilicet theoricas, ſeu ſpeculativas, practicas, ſeu liberas, & picticas, ſeu artificiales, comprehendendo ſub hac tam liberales artes, quam mæchanicas, & illiberales; & ſub hac credo Logicam eſſe reponendam, quia nimirum habet pro ſcopo artefactum, & actus ejus proprius eſt confectio huius non verò cognitio propriè loquendo: ſed neque electio aliqua, ſeu actus liber. Non temerè tamen pro concluſione dixi Logicam eſſe practiam, quia nimirum nunc dierum in ſcholis Latinorum non eſt uſus picteos, aut operationis picticæ; ſed omnis operatio quæ non eſt ſpeculatio, comprehenditur ſub nomine praxis; atque ita omnis pixis, ſeu artificialis confectio, aut productio.

Diſſerunt de hoc.

D. Thom. *opuſ.* 70. *&* 1. 2. *q* 57. *ar.* 1. Subtilis *locis utriuſque thematis* Ocham. 1. *d.* 39. *ſect.* 6 & in *prolog. ſent.* ubi Gabriel. *q.* 11. Gregor. Arimin. *q.* 5. *ar.* 2. Aureol. *q. de habitu Theolog ar* 2. Duran. *q.* 6. *prologi.* Capreol. *ibid. q.* 2. Lychet. *q.* 4. Anton. Andr. 6 *Met q* 3. *ar.* 2. Iavell. *ibid q.* 3. Soncin. *q* 2. Hæruæus quod *lib.* 2. *q.* 3. Gerard. de Odonis *in prolog. q.* 3. Iamdun 6. *Met q* 3. *&* 5. Scaliger *exercit.* 107. *nu* 23. Albert. 2. *de Anim. tract.* 1. Venet. *initio Logicæ.* Mathiſius *c* 1. *Logic.* Ech. *q.* 4. *proœmial.* Rapineus *in nucleo diſputat: Logic diſp* 1. *q* 6. Maurit. *q.* 1 *univerſal.* Zabarel. *lib.* 1. *citat. cap.* 11. *&* 12. Cavet. *hic diſp.* 3 *dub.* 3. Gabr. Vaſq. 1. *par. ſupra diſput* 9. *c.* 3 Lovanien. *q.* 4. *in Porphyr.* Conymbr. *q* 4. *prœm.* Fran. Suarez *diſp.* 44. *met.* Bargius, Viguer. & Faber *in prologo cum Doct. themate* 1. *citat.* Averſa *q* 1 *ſect.* 6. Compluten *diſp.* 12 *proœmi. q.* 6. Poncius *diſp.* 2. *cit.* Maſtrius & Bell. *ubi ſupra Apolog. preced.* Roderiq. *in proœmial. ar.* 3. Pet. Hurtado *diſp.* 2. *Logic. ſec.* 2. Rodericus Arriaga *diſp. & ſect.* 3. Bar. Amicus *trac.* 1 *Log. q.* 4. *dub.* 3. Fran. Ovied. *controv.* 2. *puncto* 5. Gulielm. Camerarius 1. *p. diſp. Philoſ. q.* 4. Fonſec. Ruvius Merin. *citati in recenſu Apol.* 2. *proœm Logic.* videri etiam poteſt Ludovicus Vives in *comment. lib.* 8. *S. Auguſtin. de civitate Dei.*

APOLOGIA QUARTA
PROOEMIALIS
DE
OBJECTO LOGICÆ.

Actio I. Præmittit aliquot terminorum uſum ad reſolutionē controverſiæ.
Actio II. Vtrum voces ſint obiectum Logicæ.
Actio III. Vtrum res ipſæ extra animam ſint Logicæ objectum.
Actio IV. Num objectum Logicæ ſit ens rationis.
Actio V. Num objectum eius ſit argumentatio, aut Demonſtratio.
Actio VI. Reſolvit obiectum Logicæ uno modo, de mente Scoti.
Actio VII. Reſolvit objectum eiuſdem iterum de mente Scoti.
Actio VIII. De quo Syllogiſmo & modo ſciendi agat Logica, formali an objectivo.

Scotus q. 3. Vniverſ. num. 7.

Dicendum eſt ergo quod ſubiectum primum & proprium Logicæ eſt Syllogiſmus habet enim primam conditionem quia ſtatim poſt determinationem de eius partibus in veteri Logica in 1. Prior c. 1 præmittit eius definitionem. Et ſecundam habet, quia in eodem multas paßiones de ipſo oſtendit Ariſtoteles per illam definitionem, ut modum & figuram in illis ineſſe, & in modalibus, ut habere tres termines. &c.

Idem 1. Prior. q. 2. num. 7

Iſte terminus Syllogiſmus non eſt ſubiectum in tota Logica. Probatur, quia ſubiectum debet eſſe commune ad omnia conſiderata in illa ſcientia, cuius eſt ſubiectum, ſed iſte terminus Syllogiſmus non eſt communis ad omnia conſiderata in Logica &c quia in Logica determinatur de Definitione, Diviſione &c. Secunda Concluſio iſte terminus inſtrumentum ſciendi eſt ſubiectum in tota Logica. Probatur per conditiones poſitas, quia eſt communis ad omnia conſiderata in Logica, nec tranſcendit metas Logicæ: igitur. &c.

ACTIO PRIMA

Præmittit aliquot terminorum uſum ad reſolutionem controverſiæ.

BREVIARIVM.

Num. 1. Obiectum, & ſubiectum ſcientiæ ut differant?
2. Materiale, & formale quid?
3. Nova impoſitio nominum apud Recentiores.
4. Verus vocum uſus.

1. ERunt autem quam pauciſſimi apud me, ſed notabo eos, qui apud alios in uſu ſunt, ut intelligantur. Hoc enim quod communiter dicitur obiectum *materiale* ſcientiæ & Doctor noſter *a* vocat *adæquatum*, alii *b. radicale*, vocant, alii *c ſubiectum prædicationis*, alii *d ſubiectum paßionis*, alii *e ſignificatum totale concluſionis*, alii *f materiam circaquam*, alii aliter vocant, ſicut etiam id quod antiqui *g* dixerunt, & nos vocabimus *formale*, moderni aliqui varii & noui vocibus implicarunt diſtinguentes ipſum in *rationem ſub qua*, & rationem *formaliſſimam ſub qua*, item *ex qua per quam*, & *ſub qua*: quibus rem cæteroqui claram obſcurant ſufficit ſcire quod obiectū & ſubiectū ſciētiæ quoad propoſitum ſunt ſynonima, & ſignificant id de quo ipſa agit: quamvis proprie loquendo differant

a 1. diſ. 3. q. 1.
b S. Bonavent. q. 1. prolo.
c Albertus parvus q. 8.
proœm. Log.
d Alber. magnus 1. Phiſ. cap. 3.
e Greg. Arimin. q. 1 pro. ar...
f Fran. Fol. q 5. Log.
g Compl. d. 1. proœm. q. .

differant, nam obiectum ſcientiæ eſt totum quod in concluſione ſyllogiſmi aſſeritur (ipſa enim concluſio eſt, quæ propriè ſcientia dicitur) ſubiectum autẽ eſt, ipſum concluſionis ſubiectum, ſive (aliis terminis) minus extremum, de quo paſſio, quæ eſt prædicatum, affirmatur quod bene notavit *a* Durand. & ante eum *b* Ochamus noſtras. Et hæc ſunt, quæ aliis nominibus dicuntur obiectum complexum, & incomplexum; intelligendo per obiectum complexũ ipſam concluſionem, per incomplexum ſubiectum concluſionis.

[*a q. 1 prol. b ibid q. 1.*]

2. Materiale obiectum eſt quod in ſciẽtia tractatur: formale, ratio ſub qua tractatur, quæ diſtinctio ideo adhiberi ſolet quia eadem res à multis ſcientiis tractatur, ſicut in præſenti materia operationes intellectus quoad entitatem ſuam ad Phyſicam ſpectant, quoad rectitudinem moralem, ad Ethicam; quoad rationalem & artificialem, ad Logicam, ex quibus facile eſt ipſa obiecta formalia ſcientiarum iſtarum nominare: nam obiectum formale Ethicæ, eſt rectitudo moralis, Logicæ rationalis, Phyſicæ naturalis: & hæc omnia captu facilia ſunt, & ſufficiunt ad reſolutionem præſentis difficultatis.

3. Non omittam tamen notare quoſdam abuſus harum vocum apud recentiores, *c* Iſti enim dicunt formale obiectum eſſe illud, quod per ſe attingitur à potentia, & propter ipſum cætera, & talis (inquiũt) eſt ſanitas reſpectu voluntatis quâ æger fertur in medicinam. Ita illi, ſatis abſurdè ni fallor, quia formale obiectum debet eſſe in materiali at verò ſanitas optata non eſt in medicina, ſed in animali extra ipſam: deinde quando concurrunt obiectum materiale & formale, potentia nõ fertur diverſis actibus in ea, ſed uno in utrũque. At verò in finem, & media, qualia ſunt ſanitas, & medicina; fertur actibus non ſolũ numero diverſis, ſed ſpecie, unus enim eſt intentio, alter electio, adeoque iſta non ſe habent, ut obiectum materiale & formale.

[*c Hurtado d. 6. s. 1. Ariaga ibid. Fran. de Conc. 1 p. 1.*]

Alii *d* etiam obiectũ formale ſcientiæ, quod vocant nunc obiectum *formale quo*, nunc rationẽ formalem *ſub quâ*, intelligunt eſſe medium ſyllogiſmi, per quem habetur ſcientia de re aliqua (nam eadẽ concluſio poteſt diverſis mediis demonſtrari) at enim nec hoc eſt verè dictum univerſaliter & contra ipſum procedit ratio iam facta contra alios Recentes quia nimirum obiectum formale debet eſſe inexiſtens materiali, ſive afficere ipſum tanquam determinatio eius. At verò medium non ſic ſe habet ſemper: ſæpè enim eſt extrinſecũ, ut quũ demonſtratur futura Eclypſis ex oppoſitione terræ, & quum quis fertur in aſſenſũ alicuius rei ex teſtimonio alterius: nam motus ſolis, & interpoſitio terræ clarum eſt quod ſint extrinſeca Lunæ, de qua demõſtratur Eclypſis, & teſtimonium unius hominis manifeſtè eſt extra alium hominẽ, & extra omnem aſſenſum eius Confirmatur breviter, quia ſignificatũ obiecti formalis debet eſſe ex parte rei: Medium autem non eſt ſed ex parte potẽtiæ, Et quamvis diſtingui poſſit de medio formali & medio obiectivo, tamen hoc nõ juvat univerſaliter, quia ſubinde medium eſt merè fictum, & tũc nullatenus habet eſſe ex parte rei: ſed ſolum ex parte potentiæ, adeoque non poteſt diſtingui in formale & obiectivum.

[*d Complu. citati.*]

Nec placet quod iidem faciunt, qui obiectũ materiale ſcientiæ vocant obiectum per accidens: quia materia compoſiti non eſt per accidens ipſi, ſed per ſe in quocunq; genere compoſiti: Deinde ſi ſit per accidens auferatur: quod ſi fiat, iam relictum eſt ſolum obiectum formale ſcientiæ, & ita formale eſt totale, quod eſt dicere partiale eſſe totale: itaque nihil facilius quam corrigere has novitates.

4. Teneatur ergo breviter obiectũ ſcientiæ eſſe id circa quod ipſa occupatur, quod etiam dividitur ut ſupra in materiale & formale, quæ duo integrant ipſum, quamvis etiam contingere poſſit, ut formale ſit ipſum materiale & reduplicatio fiat ſupra ipſum ut quum tractatur ipſum materiale, quà tale quod contingit Phyſicæ, nam actus intellectus v. g. ſecundum ſuam entitatem obiiciuntur Phyſicæ, & quidem ut tales, cum tamen ſic ſint obiectum materiale aliarum ſcientiarum: ſed ſive hoc, ſive illud fiat, obiectũ ſcientiæ debet tria illa habere, quæ exigit & approbat *e* Scot. Primum eſt definitio non ſolum nominis ſed rei. 2. Sũt paſſiones, quæ de illo per definitionem demonſtrentur. 3. Eſt virtualis continẽtia paſſionum, ut ſcilicet ipſum ſubiectum cõtineat paſſiones ſic ut poſſit ipſas tam formaliter quam intentionaliter producere, hoc eſt ut emanet illas in eſſe reali, & quaſi producat in ſeipſo, deinde ut etiam quotieſcunq; cognoſcitur ipſum generet in conoſcente notitiam ſuarum paſſionum, ſicut ſui ipſius. De huiuſmodi obiecto hic inquirimus, quodnã ſit aſſignandum Logicæ. Et quia multi multa dicunt, incipiant à minus probatis, & ſit

[*e q. 3 Univerſal.*]

ACTIO SECUNDA

Vtrum voces ſint objectum Logicæ, nec ne?

BREVIARIVM.

Num. 1 *Ocham hic non eſſe Nominalis oſtenditur.*

2. *Tres continuæ probationes, quod Logica non ſit de nominibus.*

3. *Totidem obiectiones, Quomodo actus externus participet naturam interni.*

4. *Ariſtoteles in ſua Logica fuit nominalis.*

5 *Cur & quomodo Logicam ſuam de vocibus potiſſimùm tradiderit?*

6. Obiectio. *Cur non poſſit dici Phyſicam eſſe etiam de vocibus?*

1. Affirmativam, (ut notum eſt) tenuerũt illi, qui proinde dicti ſunt nominales, placet tamen Ochamum ſaltem hac invidia liberare, & in illo, utpote cæterorum principe, omnes, eo magis quod in ipſo interim videbor Scotum id eſt Hybernum defendere. Ait autem *a Iſta ſcientia, ſaltem principaliter tradit notitiam conceptuum, & intentionum per animam fabricatarum.* Ecce obiectum Logicæ ſine ulla voce, & infra ibidem. *Iſta ſcientia dicitur rationalis quia determinat de his, quæ ſine ratione eſſe non poſſunt. Aliæ de rebus extra animã exiſtentibus determinant.* Laboravit etiam pro eodem non ſegniter alius *b* quidam, videatur ubi eum cito.

[*a In prolo. Logic.*]

[*b Hurtad disp. c Plato h. verreca. Proclus D. Thom. ſa. dam Ægidius P. ...*]

2. Dico ergò primo objectum Logicæ ſecũdũ ſe nõ poſſũt eſſe voces. Ita cõmunis ſequuta Subtilem. q. 3. Univerſ.

Probo quoniã quæ dicuntur in Logica, non poſſũt vocibus convenire, adeoque &c. Hoc oſtendo diſcurrendo per omnia, nam quod ait Porphyrius genus prædicari de pluribus ſpecie differentibus in quid, non poteſt de vocibus verificari, nulla enim una vox de alia re eſſẽtialiter, ſeu in quid prædicatur imo neq; de alia voce. Quod dicit propriũ eſſe inſeparabile à ſubiecto, cui min⁹ quã voci cõvenit, cũ à quolibet

quolibet ſit ſeparabilis, nec poſſit dici continuari in vllo ſubjecto, imò nec in ſuo eſſe. & ſic de cæteris ſimilibus. Quod Ariſtoteles ait ſyllogiſmum eſſe talem, vt aliud neceſſariò ſequatur, an de vocibus accipiendum eſt, ad quas nihil ſequitur neceſſariò, vox quidem: Denique quod demonſtratio ſit ex primis, veris, immediatis prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis: ſanè quoad nullam partem in voce habet locum.

Probo adhuc reducendo rem ad ſua principia. In vocibus enim vnum ex his quatuor conſiderari ſolum poteſt: ſcilicet aut ſonus, aut ſignificatio: aut ſyntaxis, aut ornatus ratione ſoni ad Phyſicam ſpectant, ratione ſignificationis, vt dicam quod ſentio, ad Principem, aut Rempublicam; Syntaxis ad Grammaticam, Ornatus ad Rhetoricam ſpectat, ita nihil vocis relictum eſt Logicæ obiiciendum.

Adhuc tertiò ſic, quia ſine vocibus dari poteſt Logica, hoc eſt ſcientia diſcurrendi: poteſt enim diſcurrere, ſeu ſyllogiſare qui nihil de vocibus novit, non poteſt autem qui nihil de objecto Logicæ novit, ex quo quid ſequitur niſi quod voces nihil habeant agere cum objecto Logicæ? Vrgeo; qui poſt acquiſitam Logicam addiſcit linguam aliquam de novo, & in illâ definit, diſcurrit, & cætera Logicalia facit, aut iſte exercet eandem Logicam quam ante habuit aut non; ſed diverſam: ſi eandem; nihil ad Logicam faciunt voces, & multò minus ſunt ſubjecta eius, alioquin variatis vocibus variarentur ipſa: ſi diverſam, ergo. Iam non eſt vna Logica in omnibus hominibus; ſed tot, quot idiomata, ſeu linguæ; quod repugnat ipſi ſuppoſito huius quæſtionis; nam ſi non ſit una Logica ſed multæ, quærendum eſt de qua illa quærit? Deinde ſi Logica toties varietur quoties linguæ, ſeu verba, aut voces, quid ni etiam Phyſica Metaphyſica, & cæteræ, quarum ſingulæ non ſolùm eſſent multæ ſpecie in multis hominibus, ſed in vno & eodem: cum conſtet vnum ſæpe multas linguas callere: hæc autem omnia ſunt ineptiſſima, adeoque: Confirmatur, quia Logica naturalis non habet pro objecto voces, ergo nec artificialis. Antecedẽs patet, quia ſurdus, & mutus poteſt Logicam naturalem habere, & exercere. Conſequẽtia autem valet, quia vtraque in ratione Logicæ ſunt eiuſdem ſpeciei licet in entitate differant, quod inde conſtat, quoniam diſcurſus factus per Logicam naturalem, ante Logicam artificialem, puta is quo artificialis ipſa acquiritur, eſt eiuſdem ſpeciei cum diſcurſu facto ab ipſa Logica artificiali quantum ad formam diſcurſus, quæ ſola ad Logicam ſpectat.

3 Obiiciunt: Logicæ obiectum eſt modus ſciendi: tales ſine dubio ſunt voces: imo illis ſolis addiſcimus: ergo Reſpondeo ſi quælibet inſtrumenta ſciẽdi ad Logicam ſpectarent, deberet ipſa de libris, & calamis, & maxime de magiſtro tractare. At enim quia non videtur argumentum huc reſpexiſſe, ſed potius ad tria illa definitionem, diviſionem, & argumentationem, quæ ſunt propriè modus ſciendi, & ſine dubio in vocibus fiunt; Reſpõdeo modũ ſciẽdi vt ſic formalem eſſe obiectũ Logicæ, inſtrumentalẽ autem non, & tales ſunt voces. Quod ſi Logica omnem talem ad objectũ ſuum admitteret, nõ ſolũ voces ibi, ſed etiã motus haberet: Deinde nõ unius generis voces, ſed omnis, & ita nemo linguas calleret.

Objicies 2. argumentum quo Recentes nonnulli volunt vexari: Hi actus; Definitio vocalis eſt oratio vocaliter manifeſtans naturam rei: ſpectat ad Logicam, & tamen habet pro objecto voces: ergo aliquid ſaltem Logicæ habet pro objecto voces. Major huius ſuadetur, quia ad nullam aliam facultatem ſpectat; non enim ad Rhetoricam, quia hæc cogitat tantum ornatum; & minus ad Grammaticam, quæ laborat ſolum circa congruitatem: naturas autem rerum neutra conſiderat. Reſpondeo illam, & ſimiles cogitationes ad Logicam ſpectare, at non abſolutè; ſed partim, ſcilicet ratione artificij, aut formæ: ratione verò materiæ, quæ ſunt voces ad Phyſicam, aut Metaphyſicam pertinere; Duo enim dicit ille actus; unum, quod definitio explicat naturam rei; alterum vocalis hoc vocaliter faciat: primum ad Logicam ſpectat, ſecundum non magis quam ad fabrum iſte: optimus culter ex chalybe fiet; vel ad fuſorem iſta vitra. Veneta ſunt præſtantiſsima; quæ quia dictant de materia, nequaquam ſpectant ad artifices, quorum eſt ſolum formam inducere. Quod enim chalybs ſit durus, & aptus ſecare, non eſt fabri ſcire, ſed Phyſici: & is qui fudit vitra, in arte illa non didicit ubi habeatur optima materia vitrorum, Venetus an alibi? quin, poteſt eſſe expeditus artifex in hoc genere, qui neſcit Venetias dari, ſicut foret etiam, qui verè ſciret eas periiſſe. Acrius eſt hoc quod

Objicio 3. Bonitas actus moralis interim redundat in externum; v.g. bonitas miſericordiæ redundat in externã erogationẽ eleemoſynæ ergo ſimiliter bonitas artificialis actuum Logicæ in actum externum, & vocalem; atque ita ſicut verè dicitur externa porrectio ſtipis eſſe actus eleemoſynæ, & charitatis, etiam verè dicitur vocalis ſyllogiſmus eſſe actus ſecundus Logicæ, & verum exercitium eius: atque adeò voces ſaltem partialiter ad Logicam pertinebunt, ut objectum aliquod eius. Reſpondeo tamen conceſſo antecedenti, negando conſequentiã. Diſparitas autem eſt quod actus externus ille ſit verè virtutis actus, & bonitas internæ virtutis verè inſit exteriori illi actui tanquam vero exercitio eius: At verò bonitas, ſeu rectitudo artificialis Logicæ non eſt in vocibus illis niſi tanquam in ſigno. Sed inſtas: ſi accipiatur externus actus erogandi eleemoſynam ſine interno non habebit veritatem virtutis, eritque ſolummodo ſignum, & quidem falſum virtutis: ſi autem accipiatur conjunctus cum interno, erit non tantum ſignum; ſed exercitium, & actus virtutis. Idem eſt de vocibus; nam quando proferũtur ſine interno actu Logicæ, non ſpectant niſi ad Grammaticam: quando autem cum interno actu Logicæ, tum totus actus ex interno, & externo ſpectat ad Logicam: atque ita denique voces ſuo modo erunt aliquid objecti Logicæ ſicut conceptus, quamvis non æquè principaliter. Reſpondeo tamen non eſſe ita philoſophandum propter diſparitatem iã datam, quæ ſemper durat, & valet contra has replicas; quod ut magis pateat, explico eam adhuc ita: quando fit diſcurſus internus ſine ullo externo, habetur perfectum exercitium Logicæ: at verò quando elicitur internus actus compaſsionis à divite circa proximum egentem, non habetur perfectus actus miſericordiæ, niſi actu, & externè eroget ipſi eleemoſynam, adeoque Itaq; his argumentis non moveor; moveor autem aliis, propter quæ

Altera pars reſolutionis.

4. Dico 2. non malè cenſeretur Logica Ariſtotelis per ſe agere de vocibus tanquam de objecto Ita cenſuit Ochamus noſter *in prolog. Prædicament.* & ante eum M.T. Cicero *Lib de finibus.* Idipſum D. Thom. *in* 1. *Periher. Lect* 2 quod hic ſuadere conabor, tã verbis ipſius Philoſophi, quam facto. Nam 1. *Rhetor.* 2. ſic colligit Ariſtoteles. *Itaque efficitur Rhetoricam quaſi propaginem eſſe Dialecticæ.* Et infra clariùs *Particula enim Dialecticæ quædam eſt* (ſcilicet Rhetorica,) *ac ſimulacbrum*: Vbi vides aſſerere ipſum, quod Rhetorica, & Logica de eodẽ obiecto ſunt; certum

eſt

Digitized by Google

eſt autem quod Rhetorica de vocibus ſit, ergo & Logica Ariſtotelis ex ipſius ſenſu, quem clarius expreſſit S. Iſidor. *lib. 2 Etymol. c* 22.

S. Iſidor.

Probo jam ex facto ipſius id ipſum. Vtique enim Ariſtotelis Logica habet objectum illud de quo ipſe tractat, ſcilicet illos modos, & inſtrumenta eius: ergo. Minorem hanc probabo transferendo argumentum per plura objecta quæ in Logica ſua Ariſtoteles nobis diffinivit: nam ut incipiamus à ſimplicioribus. Terminus quem ille definivit eſt vocalis. Ecce enim definitionem eius. *a In quem reſolvitur propoſitio*: Certum eſt autem, quod hoc verificetur tantum in termino vocali: nam terminus mentalis non eſt eiuſmodi quandoquidem propoſitionem reſolui in terminum eſt ipſa propoſitione destructa manere terminum tanquam partem, ex qua conſtabat: At verò illa mentalis non habet partes quæ maneant ipſa diſſoluta, cum ſit ipſa indiviſibilis, utpote actus ſpiritualis; ergo. Confirmo, & augeo argumentum in parte Analytica, quæ ipſi maximè propria eſt, & de qua ult. Clem. tanquam de proprio invento gloriatur Ariſtoteles, nam ſyllogiſmus, de quo ibi totus agit tanquam de objecto. Secundum ipſum eſt *oratio, in qua quibuſdam poſitis &c.* ſcimus autem *b orationem* apud ipſum, & Peripateticos eſſe *vocem*; definitur enim ab ipſis *vox ſignificativa cuius partes ſignificant, ut dictio*: ergo denique Logica illa Ariſtotelis, & objectum eius ſunt vocalia; neque hic eſt locus æquivocandi, quia catenata illa definitio ſyllogiſmi per orationem, orationis per vocem &c. manifeſtè infert ſyllogiſmum ipſius eſſe vocalem, ſicut ex arbore Porphyriana ſequitur quod apud authorem eius homo ſit corpus quia eſt animal; omne autem animal eſt corpus (ſecundum ipſum) ac non tantum corporeum.

a Lib. 1. Prior c. 1.

b 1. Periherm. c. 3.

Confirmo, & urgeo adhuc argumentum ex eodem in lib. Elench. ubi inter fallacias, & captiones quas monet cavendas, ponit fallaciam accentus, ut patet apud ipſum lib. 1. c. 3. contingit autem hæc fallacia ex diverſa quantitate ſyllabarum, quæ mutat vocis ſenſum, ac proinde etiam propoſitionis, ut patet in exemplo; quod ibi interpres adfert (nam revera non eſt Ariſtotelis, qui citavit Homerum)

c Nec gemere aeriâ ceſſabit turtur ab ulmo

c Virgil. Eglog. 1.

Vbi ſignificat bis poſſe reprehendi poetam, ſemel quod penthemimeri uſus ſit in ſyllaba brevi, ſcilicet ultima in *aeria*, qua contra regulas produxit; & iterum quod turturem fœmineum poſuerit: quæ omnia ſunt captiones, & refelluntur per accentum circumflexum in ultima ſyllabato *aeriâ*, quod eſt poſitum in auferendi caſu, & proinde productum nec concordat cum turture, ſed cum ulmo. Quo loco ſic arguere poſſumus; ſi Ariſtoteles non egiſſet per ſe de vocibus non deberet tradere nobis regulas immediatè fundatas in quantitate, aut qualitate ſyllabarum: ergo cum id fecerit, non ibi ſolum, ſed alibi ſæpè, ſignum eſt quod Logica eius per ſe agit de vocibus ut de objecto ſaltem partiali.

5. Dicet aliquis eum egiſſe de vocibus propter conceptus, vel res, quæ ſunt verum objectum Logicæ & quorum voces ſunt ſigna ſed oppoſitum eſt verius, & videtur convinci hac ratione; nam voces ut ſignificativæ pertinent ad Grammaticam; illius enim eſt providere nobis de vocibus ſignificativis. Deinde ſi hoc licet prætendere in Logica, quidni etiam idem de Phyſica, & Metaphyſica dicatur, quod ſcilicet agant de vocibus, non tamen ipſarum cauſa, ſed rerum; quod non eſt verum, aut verò ſimile; ſed de hoc infra. Itaque exiſtimo Ariſtotelem ſic ſe geſſiſſe in Logica, ſicut Mathematicæ profeſſores, qui ut doceant auditores ſuos, quomodo orbes cæleſtes ſint formati, quomodo in illis aſtra moveantur, utuntur ligneâ ſphærâ ad ſimilitudinem cœleſtis formatâ, & in illa totum quod agitur in cœleſti ſic oſtendunt diſcipulis, ut quamvis circuli illius ſphæræ ſupponant pro circulis cæleſtis, revera tamen præcepta, & propoſitiones illius profeſſoris immediatè procedunt de circulis ſphæræ ligneæ artificialis. Ita inquam Ariſtoteles prudenter egit, ut quamvis præcepta ac definitiones eius omnes ultimo referantur ad vera inſtrumenta ſciendi, quæ ſunt formalia, & mentalia, ſcilicet definitiones, diviſiones, ac ſyllogiſmi intellectuales, tamen immediatè tradita ſint, & intelligi debeant de vocibus; ſic enim multò facilius addiſcunt tyrones cum vident artem exerceri in materia ſenſibili, & notiſſima, quales ſunt voces.

Objici tamen poteſt. Paſsiones quas Ariſtoteles in ſua Logica demonſtrat non conveniunt vocibus, conveniunt autem certisſimè objecto Logicæ: ergo obiectum Logicæ non ſunt voces. Probatio majoris: Hæc paſsio ſyllogiſmi demonſtrativi, quæ eſt, generare ſcientiam: non poteſt convenire vocibus, iſtæ enim non poſſunt generare ſcientiam, cum ſcientia ſit ſpiritualis, illæ corporalis; ſcientia permanens, & indiviſibilis illæ ſucceſſivæ &c. Reſpondeo tamen negando majorem, vel diſtinguendo ſic. Paſſiones non conveniunt vocibus tanquam ſubjectis, vt quod concedo, non conveniunt vt quo nego, & idem dicas diſtinguendo de ſubjecto formali, & inſtrumentali; de ſubjecto per ſe, & ſubjecto per accidens: ſenſus enim eſt quod conveniant illæ paſſiones rebus, aut conceptibus ratione ſui, vocibus autem vt ſupponunt pro conceptibus, aut rebus, & de his voluit Ariſtoteles ſuam Logicam tradere immediatè.

6. Dici tamen poteſt (quod paulò ante ſignificavi) ſic poſſe defendi; quod etiam philoſophiæ eius, & cuiuſcunque ſit de vocibus; quia nimirum traditur per voces, quæ ſupponunt pro rebus. Reſpondeo negando ſequelam; cauſa diſparitatis petenda eſt ex ſummulis vbi oſtenditur aliud eſſe ſupponere, & aliud ſignificare. Iam verò voces ſignificant res, non tamen ſupponunt pro ipſis, ſed pro conceptibus quibus ſubſtituuntur tanquam vicarii. At verò philoſophia eſt de rebus, Logica de conceptibus: atque adeo poteſt tradi tota de vocibus, licet philoſophia vel ſcientia realis, non tam exactè: Cuius vlterior ratio eſt quia Logica agit de ſermone ipſo quo diſcurrimus vel affirmamus, philoſophia autem de rebus ipſis quæ affirmantur, vt opponuntur, & contra diſtinguuntur à vocibus; ſed hoc eget longiori examine vnde ſit.

* * *

ACTIO

ACTIO TERTIA

Vtrum res ipſæ extra Animam ſint Logicæ obiectum?

BREVIARVM

Num. 1. *Non eſſe diſtinguendas tres Logicas.*
2. *Logicæ obiectum non eſt extra animam probatur.*
3. *Altera probatio huius: inſtrumenta Logicæ non fiunt ex rebus, ſed ex conceptibus.*
4. *Cuiuſdam recentis ratio irrationabilis.*
5. *Prædicamenta an Logicæ propria.*
6. *Obiectio ſextus ſoluta: vbi an materia ſpectet ad artificem.*

Gonzal. cap. 0 Præfat. ſect. 2.

1. SI quis cum Recenti quodam diſtingueret tres Logicas, vocalem, realem & rationalem, huius, & præcedentis Actionis titulo facillimè reſponderet, quod ſcilicet voces eſſent obiectum vocalis Logicæ, res realis &c. quod vel ſolum ſufficit hanc diuiſionem explodere, quia iſtæ quæſtiones ſemper motæ, & ventilatæ ſunt in ſcholis, quæ tamen difficultate, & cauſâ carerent, ſi diuiſio illa haberet fundamentum: quis enim dubitat obiectum Logicæ vocalis eſſe voces, realis res &c. non defuerunt tamen qui res in obiectum aſſignarent Logicæ, nec aliquas, ſed omnes, contra quos.

Proclus. lib. 10. in Euclid. Plotinus Ænead. 1

2. Dico reſolutiuè falſum eſſe, quod res omnes ſint Logicæ obiectum, aut totale, aut partiale, materiale, vel formale. Antequam probem hanc, noto iſtam quæſtionem ferè coincidere cum alia, qua quæritur vtrum modus ſciendi formalis ſit Logicæ obiectum an non, ſed obiectiuus, ſeu vtrum ſyllogiſmus formalis obijciatur ei conſiderandus, necne; ſed realis extra, & obiectiuus? ſi enim Logica agit de rebus, iam ſyllogiſmus obiectiuus erit eius ſubiectum ſin minus non: qua in re Recentes trahunt D. Thomam in omnes partes; ſed & Ariſtoteles (ſi Deo placet) debet cum ipſis ſentire quod Logica agat de rebus. Probo iam reſolutionem, quia res extrà pertinent ad alias ſcientias. v. g. ſubſtantia materialis ad Phyſicam, Quātitas ad Mathematicam &c. ergo non omnes pertinent ad Logicam, niſi velimus confundere ipſam cum alijs ſcientijs. Reſponderi poteſt Logicam non conſiderare differentias particulares rerum; adeoque non debere ipſam ex hoc capite confundi cum alijs ſcientijs: puta Phyſica, aut Mathematica: ſed duntaxat rationem vniuerſalem & communē omnibus rebus, propter quod dicitur propriè omne ens eſſe illi obiectum, ſed qui ſic reſpondet, dum euadit vnum abſurdum labitur in aliud non minus priori; nam dum Logica ſic diſtinguitur à Phyſicâ, confunditur cum Metaphyſicâ, cuius obiectum eſt ens reale vt ſic. Dicent adhuc poſſe ens vt ſic eſſe vtriuſque obiectum; Logicæ ſub ratione dirigibilis, Metaphyſicæ ſub aliâ: fateor ita dici poſſe, ſed non fundatè, aut rationabiliter: Primò, quia Logica nullam directionem poteſt inducere rebus extra, adeoque res non ſunt ab ipſa dirigibiles, & multò minus obiectum eius quatales. Antecedens probo, quia habitus reſidens in aliqua potentia, non poteſt latius, aut in plura tendere, quam tendit potentia, cuius eſt: At verò intellectus, in quo eſt Logica non poteſt formam vllam rebus extra imprimere, eò quod ſit potentia immanenter agens.

Rudolp. Agric. lib. 2 de inu. Dial. Luſtrat: poſt Zabarel. lib. 1 de nat. log.

Secundo quia vt intellectus ſit rectus, & ratiocinetur de rebus ſine errore, qui eſt finis Logicæ, imò omnium ſcientiarum, non debet conformare ſibi res, ſed ſe rebus: ergo iam malè dicitur res dirigi à Logica, & adhuc peius illas ſic dirigibiles eſſentialiter reſpici à Logica tanquā eius obiecta. Tertio notari poteſt quædam implicita contradictio apud hos authores. Nolunt enim illi ens rationis aliquod eſſe Logicæ obiectum; ſed verè reale, quam tamen directio ab entellectu formanda in rebus non poſſit eſſe niſi ens rationis.

Dicent fortè dirigibilitatem, quæ eſt ratio formalis obiecti Logicæ eſſe realem, licet directio inducta ſit quid rationis: ſed hoc eſt paradoxum; ſemper enim actus primus reſpondet ſecundo, & irrationabile eſt ponere potentiam realem ad actum rationis; v. g. ſi prædicari de multis ſit ens rationis; certè etiam eſſe prædicabile de multis erit ſimiliter ens rationis.

3. Probo etiam tertio principaliter intentum, quia obiectum artis & facultatis cuiuſcumque practicæ debet fieri per ipſam. Per Logicam autem non fiunt res extra, & multò minus omnes illæ ergo non poteſt illas habere pro obiecto: maior ſupra ſæpè oſtenſa eſt, & eſt certiſſima experientijs: quia frænofactoria. v. g. facit frænos, architectonica domum, fabrilis enſes &c. Vnde illud Ariſtotelis, *factivorum in faciente principium eſt.* Minor autem de ſe patet. Hic aduerſarijs neceſſario recurrendum eſt ad diſtinctionem de obiecto materiali, & materia in qua, ex qua, & ſimiles quibus ſignificare volunt res non eſſe obiectum quod fit à Logica; ſed materiam in quam inducitur id quod fit à Logica. At imprimis hoc non ſaluat tam abſolutam affirmationem, qua dicuntur res ipſæ eſſe obiectum Logicæ. Præterea oſtendo non ſufficere diſtinctionem datam, ſed nec veram eſſe: Quia artefactum quod fit à Logica ſunt inſtrumenta ſciendi puta definitio, demonſtratio &c. ſed hæc non fiunt ſeu non componuntur ex rebus extra [ſicut ſcamnum ex ligno fit] ſed ex conceptibus intro. Denique facita eſſe, vt ex rebus extra fiant huiuſmodi inſtrumenta, non ideò erunt Logicæ obiecta; ſicut nec lignum dicitur eſſe obiectum fabri; ſed ſcamnum aut cathedra. *6. Metap. c. 1*

4. Ex quibus probata manet ſecunda, & tertia pars reſolutionis. Patet etiam quid dicendum ſit ad quæſtionem illam communem Scotiſtarum vtrum modus ſciendi obiectiuus, ſit obiectum Logicæ? (de quo fuſius infra.) Reſpondendum eſt enim negatiuè propter rationes adductas pro concluſione; non verò ob illam cuiuſdam recentis, quod ſcilicet ſequeretur Logicos ſtatim euadere mechanicos eo quod dirigeret res extra; atque ita fore fabros opiliones,

aut ſubulcos, eo quod tractaret ferrum & rectificaret aliquando, dirigeret item aſinos, & ſues. Dico hanc rationem irrationabilem eſſe: nam Metaphyſica tractat de rebus extra, nec tamen mechanica eſt: & in ſpecie de ouibus, & ſuibus tractare eſt Phyſici, quod facit Ariſtoteles *lib 9. de hiſt. animal. & lib. 1. de part. animal.* nec tamen adhuc reputatus eſt proinde paſtor, aut ſubulcus. *Ariſtot.*

Dices Phyſicus tractat res contemplando naturas earum, non verò practicè dirigendo, aut mouendo eas. Qui hoc objicit credit (puto equidem) Logicos dirigere pecora ad ſtabulum, & paſcua, ac proinde Logicos eſſe paſtores; ſed prӕterquam quod conſtet id non fieri: Dico nec hoc ipſum ſufficere: nam & Deus hӕc facit, & natura, quos nemo reputat ſubulcos, aut paſtores. Itaque hӕc, & huiuſmodi ruri toleranda ſunt, in ſcholis ne audienda quidem.

5. Objiciunt tamen illi. Ad Logicam ſpectant prӕdicamenta, In prӕdicamentis autem ſunt res omnes, ergo Reſpondeo Logicam agere de prӕdicamentis per accidens tantum, & ab extrinſeco. Vnde non licet colligere, quod ad eam ſpectent res omnes. Quod ita ſit patet, quoniam prӕdicamenta Metaphyſica ſunt, & in ipſa repoſuit illa Ariſtoteles, vt notum eſt Certum eſt autem, quod non poſſint ad vtramque facultatem pertinere, Itaque prӕdicamenta ſpectant ad Logicam ſicut ad Arithmeticam nummi, quibus vtimur pro calculis. Reuera enim ſic deſeruiunt Logicӕ prӕdicamenta ſcilicet per modum terminorum, & materiӕ, in qua conficiatur argumentatio, ſicut calculi ſunt termini quidam, & materiӕ numerorum, quos addiſcendo, & miſcendo artificialiter, diſcitur, & exercetur Arithmetica.

6. Objicitur 2. ad quamlibet artem ſpectat materia, in qua exercetur, & in quam inducit ſuam formam, forma Logicӕ inducitur in res omnes, ergo ad illam pertinent omnia, maior patet diſcurrendo per aliquas; ad fabrum enim pertinet ſcire vtrum robur, an ſalix aptiora ſint ad trabes faciendas, an pinus nautiis apta ſit &c. Ad ferramentarium ſine dubio ſpectat ſcire vtrum claues, & gladij aptius ex plumbo, an ӕre & ferro fiant, & ſic de alijs. Minor autem eſt clara, nihil eſt enim, in quod non poſſit induci forma aliqua Logica, vt fiat vel ſubiectum, vel prӕdicatum maior, minor, vel copula. Reſpondeo tamen maiorem eſſe falſam ex genere ſuo; vera eſt quidem in artificialibus de facto, plerumque enim illi talia omnia ſciunt, at non ex officio, ſed ex ſuperabundantia, & prudentia, vt facilius occupari poſſint, & minus egeant alterius operâ qui hӕc ipſis dicat. In re autē illa cognitio ſpectat ad ſuperiorē artē, quӕ ſit quaſi ſenſus communis, & iudicet de ſingularum materijs. Iterum etiam nego illam maiorem, ſufficit enim his artificibus, vt ſciant qualitatem genericam materiӕ. v. g. fabro ſufficit quod ſciat materiam clauis debere eſſe ſolidam, ſiue deinde ſit ferrum, ſiue ӕs. Tertio nego eandem, nam plurimӕ ſunt materiӕ artefactorum, quas etiam de facto artifices ignorant, nec tamen cenſentur imperiti ſuӕ artis, dummodo aliquas ſciant, adeoque ex conſequentia horum Logicus non debet ſcire omnes. Quarto nego eandem maiorem, quia omnes & ſingulӕ materiӕ ſpectant ad Phyſicam naturalem, & in ea tractantur, non poſſunt autem per ſe ad plures ſpectare. Adhuc quinto nego eandem, quia ſufficit his artificibus ſcire compoſita ſua v. g. ferramentario clauem, lignario cathedrā, de his enim demonſtrant paſſiones non de materia v. g. de ligno, aut ferro. ſexto etiam retorqueo argumentum, quia non propterea materiӕ verbi gratia de ligno aut ferro illӕ ſunt obiecta iſtarum artium, ſed compoſita v. g. fabri obiectum eſt clavis, aut enſis, non verò ferrum. ergo ſi ſequenda ſit paritas, Logicӕ obiectum non erunt res omnes. Denique reſpondeo Minorē eſſe falſam, nam res extra non ſunt ſubjecta, & prӕdicata propriè, ſed res in anima, quia nimirum propoſitio propria eſt in anima quum ſit iudicium, certum eſt autem quod ſubiecta, & prӕdicata ibi ſunt vbi propoſitio eſt, quum illa ſint partes uuius.

Tertio objici poteſt Ariſtoteles, qui toties ſignificauit Logicam agere de omnibus rebus. Ita habet 1. *Poſt. cap.* 12. dicens Dialecticam non habere certum genus ſubiectum, ſed per omnia vagari, quod ipſum docuit, 1. Rhetor. cit. vbi Dialecticam, & Rhetoricam inuicem aſſimilat: certum eſt autē quod Rhetorica circa res omnes verſetur. *Ariſtot.* Reſpōdeo argumentū hoc non poteſt facere nobis negotium quum iam ſupra Ariſtotelem explicauerimus: non ergo hӕc de Logica dicit vniuerſaliter; ſed de Dialectica, id eſt parte Topica, quӕ in rigore non eſt pars Logicӕ, nedum tota ipſa. Vide ſi placet, quӕ ſupra ſignificaui Apolog. 1. Actione prima.

ACTIO

ACTIO QUARTA.

Num objectum Logicæ ſit ens rationis.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Diſſidium recentium Logicorum ab antiquis.*
2. *Oſtenditur obiectum huius ſcientiæ poſſe dici reale.*
3. *Non eſſe diſtinguendum hic de Logica Ariſtotelis, & de Logica ſecundum ſe.*
4. *Obiectiones: quod videatur Logica Ariſtotelis de ente rationis, Cur poſsit dici de vocibus eſſe, licet non de ente rationis.*
5. *Liberatur amplius Logica ab obiectis rationis. Obiectum artis, an artificiale?*
6. *Liberatur ultimo ab omni tali de neceſsitate ponendo.*
7. *Termini artificiales, an ſint reales v. g. paries, pauimentum. &c.*
8. *Obiectum Logicæ pro formali conuenienter dici ens rationis.*

HOc adhuc ſupereſt decidendum; nam quamuis apologia præcedenti definiuerimus obiectum Logicæ non eſſe omne ens reale, dubitari poteſt, an ſaltem aliquod ſit. In quo puncto recentes à veteribus diceſſerunt: apud antiquos enim quaſi ſuppoſitum, & perpetua traditio fuit Logicæ obiectum eſſe ens rationis, quod illi deinde variè explicarunt. *Auerroes* dixit *eſſe ſecundo intellecta* quod explicans *Bœtius* dixit eſſe ſecūdas intentiones adiunctas primis. Alij magis infra deſcenderunt, vt Philipp. qui poſuit obiectum eius demonſtrationem. Ariſtot. Argumentationem &c. quæ moderni prorſus reſpuunt, volentes eſſe reale aliquod, vt operationes intellectus, aut ſimile, inter quos non deeſt etiam Scotiſta, Rem ordine diffiniam, vnde

4 Metaph. Com. 2

vid. ipſ. in Porphir. a ſe tranſlat. lib. 1. & in Porph. à victo. ren. tranſlat.

2. Dico primo ad quæſitum de obiecto Logicæ abſolutè reſponderi poſſe quod ſit ens reale. Eſt noſtri temporis Logicorum neutralium & anteriorum aliquot cū quibus & ſi non ſit Scotus, tamen cum concluſione eſt plus ſemel? nam q. 11. in primum Prior. n. 8. dicit quod de ſyllogiſmo ſit ſcientia *tanquam de re*, ecce realitatem aliquā obiecti, quæ hic quæritur. Et ante nu. 1. dixit ſyllogiſmum obiectum Logicæ eſſe aggregatum ex pluribus propoſitionibus: certum eſt autem, quod plures propoſitiones ſint plures [ſaltem vna] res; quo argumento probo intentum ſic: Obiectū Logicæ eſt ſyllogiſmus hic eſt ens reale: ergo obiectum Logicæ. ſuppono maiorem ex infra. probo hic minorem, quia ſyllogiſmus eſt tres propoſitiones, ſiue tria iudicia, aut aggregatum aliquod ex tribus: certum eſt autem quod iudicia illa quomodocunque miſceantur ſemper ſint reale aliquod, aut etiam plura talia.

Hurtad. diſ. 11. Log. ſe. 3. 4. Poncius diſp. 2. Logic. q. 4

Mirādul. in Com. ſec. 5. Louanienſ. in Proœm. Porp. Lamdum. Mei. 2 q. 12. Colon init. log.

Dices licet iudicia illa in ſyllogiſmo ſint entia realia, non proinde tamen obiectum Logicæ eſſe ens reale, quia quod in ſyllogiſmo à Logica eſt non eſt reale, ſed quid rationis: ſed enim non ſufficit hoc ad euertendam concluſionem aut rationem, quin potius fauet ipſis, quod oſtendo transferendo replicam ad aliam materiam: nam ſcamnum v. g. quod eſt obiectum artis lignariæ, verè dicitur, & eſt ſubſtantia, & tamen quod eſt in ſcamno ab arte lignari non eſt ſubſtantia; ſed accidens forte nec reale ergo ſimiliter. & ratio omnium eſt hæc quā.

2. Probo 2. concluſionem, quia nimirum in quæſtione quid eſt, quæ cadit ſuper rationem entis, & ſuper alia, quæ directè ponuntur in prædicamento attendēdū eſt in reſpondendo ad materiale, non ad formale quæſiti, quamuis aliasæquè pertineat, (imò & magis principaliter) ad rem: ſic enim quando quæritur quid eſt homo? reſpondendum eſt per animal; quamuis rationale ſit pars principalis eius, & ſic de alijs: quia nimirum formalia illa non prædicantur, niſi in quale: atque adeò in quæſtione quid? & concernente rationem entis, ſubſtantiæ, &c. non eſt reſpondendum per ipſa; ſed per materiale, quod quia in ſyllogiſmo eſt quid reale, rectè reſponderi poteſt quærenti de ipſo, quod ſit ens raele, ſed reuera non eſt hoc quod directè hic quæritur, ſed potius controuerſia eſt vtrum formale, quod eſt in obiecto Logicæ, & quod à ſcientiâ per ſe conſideratur ſit reale necne, ſed rationis: ad quod quidam reſponderunt cum diſtinctione aliter loquentes de Logicâ in ſe, & aliter de Logicâ Ariſtotelis: Et quidem de hac loquendo, fatentur obiectum eius eſſe ens rationis; quia nimirum ille ſuam tradidit per terminos ſecundæ intentionis, at vero agendo de Logica in ſe dicunt quod habeat obiecta omnia realia; contra hos

Fab. Theor. 6. c. 13. Maſtr. Bellud. quaſt. proœmiatis 3

3. Dico 2. non eſſe diſtinguendum de Logica Ariſtotelis & de Logica ſecundum ſe, vt ſciatur quale obiectum habeat; nec poſſe dici ſi obiectum eius ſecundum ſe ſit reale, quod obiectum eius vt tradita eſt ab Ariſtotele ſit ens rationis.

Probo hoc, Logica eſt vnius determinatæ naturæ, quæ non poteſt, neque ab Ariſtotele, neque ab alio variari, ergo & obiectum eius, nam illo variato, variaretur Logica, quum deſumat ſpeciem ab ipſo. Et confirmatur quia Ariſtoteles non potuit aliter, & aliter Phyſicam tradere, aut mutare obiectum eius, & quæſo cur Logicæ poſſit, Confirmo iterum ſic, ſyllogiſmus factus ſecundum Ariſtotelis Logicam eſt eiuſdem rationis cum illo qui fieret iuxta Logicam illam quam vocant ſecundum ſe, ergo & ipſa Logica, nam Logica nihil aliud eſt quam ſcientia faciendi hæc inſtrumenta. ſicut lignaria eſt peritia faciendi ſcamnum. Vrgeo, termini illi ſecundæ intenſionis quibus vſus eſt Ariſtoteles, aut ſignificant idem quod termini primæ intentionis, quibus Logica ſecundum ſe potuit tradi, aut non ſignificant, ſi ſic; ergo eſt idem obiectum vtrobique, ſi non eſt diſtincta ſpecie Logica, & quæſo vbinam eſt illa Logica ſecundum ſe, Cur Ariſtoteles gloriatur ſe Logicæ inuento-

rem, nam ſi verum eſt quod hic dicitur, non eſſet abſolutus Logicæ inventor, ſed ſuæ, ex qua parũ gloriæ haberet quum veram ſcientiam omiſerit.

4. Objicies tamen pro iſtis, forma Logicorum inſtumentorum, & regulæ eorum poſſunt tradi per entia rationis, poſſunt etiam per entia realia, ex his autem Ariſtoteles elegit entia rationis, quum ars ipſa hæc non exigat. v. g. quum regula Ariſtotelis dicat quod genus prædicetur de ſpeciebus, aliter in terminis realibus dici potuit, quod natura ſuperior includatur in inferiori. v. g. animal in homine harum autem vtraque, & quælibet ſufficit ad regulandas enuntiationes, & tamen vna procedit de entibus realibus, altera de entibus rationis, ergo. Reſpondeo ſemper redit quod ſupra dixi, aut enim illæ regulæ ſunt ſynonimæ, aut non, ſi, ſic vna non poterit procedere de ente rationis ſi altera non procedat, niſi fortè ens rationis, & reale ſint ſynonima quod non credo hos dicturos, ſi non ſint ſynonima non poterunt idem præſtare in regulandis enunciationibus alioquin dicam, quod regula Logica, & regula Ethica, idem præſtare poſſint, non enim differant niſi obiecto. Deinde illud *natura ſuperior*, eſtne terminus realis? aut an à parte rei datur natura aliqua vniuerſalis, an verò omnes ſingulares ſed

Objici ad hominem poteſt, ſupra diximus ipſi Logicam Ariſtotelis, probabiliter habere pro obiecto voces, certum eſt autem quod Logica ſecundũ ſe illas non habeat pro obiecto, aut nos errabimus aſſignando aliud, ergo poſſunt ſimiliter entia rationis eſſe obiectum Logicæ Ariſtotelis, licet aliud ſit obiectum Logicæ ſecundum ſe. Abſolutè etiam objici ſic poteſt. Quod hoc ſit ens rationis, & illud ens reale, non variat ipſa in ſpecie, loquendo de artefactis nam clauis ex plumbo, & clauis ex ferro ſunt eiuſdem rationis in eſſe artefacti, ergo quod Logica Ariſtotelis ſit de ente rationis & Logica ſecundum ſe de ente reali non facit has diuerſas ſpecie, vt nos intulimus; ſed potius inſtrumenta Logicalia erunt eiuſdem naturæ, ſiue in entitate ſint realia, ſiue rationis. Reſpondeo ad hoc ſecundum primo deducendo argumentum in oppoſitum, nam licet poſſint fieri clauis ex ferro, & clauis ex plumbo, tamen ars fabrilis non propterea diuiditur in duas; neque habet duo obiecta; adeoque nec Logica, & conſequenter non erit diuidenda in duas, quarum vna ſit Logica ſecundum ſe, alia Ariſtotelis. Deinde 2. Reſpondeo aſſumptum argumenti verum eſſe in materia artificiali quia hæc per accidens, & extrinſecè ſe habet ad artefactum, at verò quia forma artefacti reſpicitur directè ab arte non eſt impertinens ad ſcientiam, ſeu facultatem, qualis ſit in entitate; aut an habeat prædicata realia, an rationis; quia hæc variant eam, cum differant eſſentialiter etiam toto genere. Ad præcedens autem argumentum dico, quod licet propter ipſum aſſertio illa Recen. ſpeciem aliquam habeat, tamen non eſt ſimile, nec ipſi inuenerunt adhuc paritatem; cauſa, quia voces ſunt inſtituta in ſignum rerum: adeoque pro ipſis ſupponere poſſunt, & doctrina de ipſis tradita intelligi poteſt de rebus, ſicut doctrina tradita de ſphæra materiali, & artificiali intelligi poteſt de ſphæra cæleſti. At verò entia rationis non ſunt facta in ſignum entiũ realium, aut vt ſupponant pro ipſis. quin potius opponuntur eis quod etiam explicari poteſt exemplo adducto ſupra de clauibus; quia enim ferrum non eſt factum in ſignum auri; non poteſt clauis ferrea eſſe ſignum aureæ nec rationabiliter traderetur doctrina de claui ferrea, quæ intelligenda eſſet de aurea.

Vlterior reſolutio quæſiti.

5. Dico amplius ad quæſtionem obiectum proprium Logicæ non eſt totaliter ens rationis, ſed magis reale, licet etiam inſit ei forma rationis.

Rudolph. Agric. lib. 1. de invent. c. 26. Lovan. in proœm. Porphir. Iandun. 2. Met. q. 12. Colon. init. Logic. Tol. q. 4. proleg. Zab. lib. 1 de nat. Logic.

Explico concluſionem, vt probem: obiectum proprium Logicæ eſt forma inſtrumentorum (nã de materia non eſt ſollicita illa; ſed Phyſica, quæ entitatem actuum expendit) hæc autem fundamentaliter eſt quid reale, conſiſtit enim in tali diſpoſitione actuum intellectus, vt vnus (puta maior) ſit primo loco, alius [ſcilicet minor propoſitio) ſecundo loco, & concluſio denique in tertio. At verò aliquid eſſe primum, ſecundum, aut tertium non eſt ens rationis cum à parte rei ſic ſe habeant, adeoque nec forma inſtrumenti Logicalis. At verò poſtquam ab intellectu diſpoſiti ſunt actus illo modo, reſultat in illis ordo quidam, ſicut ex multis notis taliter attemperatis reſultat harmonia; & hæc forma in propoſito non eſt realis ſed rationis. Dices, cur non poſſit dici realis, ſicut harmonia. Reſpondeo harmonia eſt ſenſu perceptibilis qui non poteſt tendere in entia rationis. at vero quia intellectus poteſt etiam in entia non realia tendere, ordo ille non debet eſſe realis; ſed intentionalis. Iam verò hanc formam, quia eſt vnum quid, & ita aliquomodo ſimplex, ars Logica obiecit ſibi conſiderandum, & multò facilius tradit ſuas regulas, demonſtrat ſuas paſſiones, proponendo ſibi tale obiectum, quam ſi illa multa realia quæ ſunt aggregatum quoddam proponeret ſibi tractanda. Atque ita denique obiectum Logicæ formaliter ſumptum eſt ens rationis: etſi fundamentaliter, & principaliter ſit reale:

Probo hæc à ſimili; nam obiectum artis, domificatoriæ, v. g. eſt aliquid artificiale ſine dubio, aliter ipſa non eſſet ars: Aſſignet autem mihi quiſquam in domo constructa aliquid quod non ſit ens naturale: certè in domo nihil eſt niſi materia, & vbi illius, ſcilicet ligna, lapides, & tale vbi lignorum, ac lapidum: At vero ſingula hæc ſunt entia naturalia, vt patentiſſimum eſt: ſicut ergo hæc ſingula ſunt entia naturalia, & tamen omnia, ſiue totum conflatum eſt quid artificiale; ita obiectum Logicæ, ſiue forma inſtrumentorum eius fieri poteſt ex pluribus entibus realibus, & tamen ipſa eſſe ens rationis, quia nimirum totum illud per modum vnius & ipſa integra diſpoſitio ſyllogiſmi non eſt quid reale; ſed intenſionale.

Dices hoc ſibi repugnare: repugnat enim ex entibus realibus componi ens rationis: vtque enim tale eſt compoſitum, qualia ſunt componentia. Reſpondeo hoc non obſtare, quo minus ibi ſit forma rationis: licet enim hoc fortè non poſſit componi ex realibus, poteſt reſultare ex illis, & ita hic facilè contingit: nihilominus

6. Dico 4. Poteſt ſaluari ſcientia Logicæ, & eius obiectum ſine vllo omnino ente rationis de neceſſitate eorum ponendo.

Probo inſtrumenta Logicæ poſſunt eſſe, & intelligi ſine vllo ente rationis, quod ſi verum ſit,

Digitized by Google

ſit iam habetur obiectum Logicæ ſine vllo ente rationis; habito autem obiecto, habetur ipſa. Probo ergo aſſumptum: ſyllogiſmus, diſinitio &c. poſſunt ſaluari, ſine vllo ente rationis, quod quidem clariſſimum eſt in ſententia eorum qui ponunt entia rationis fieri per fictionem, certum eſt enim, quod ſine fictione vlla poſſint hæc omnia fieri: nam rudes homines nihil fingunt, & tamen diſcurrunt, ſyllogiſant per Logicam naturalem. In mea autem ſententia ponentis entia rationis ſine fictione per reſultantiam ad obiecta ſic diſpoſita, facilè probatur id ipſum, quia antequam intelligatur forma illa rationis reſultare in actibus intellectus ſic ſe habentibus, iam actus illi intellectus ſic ſe habent, v. g. vnus eſt primo loco, alius ſecundo, & tertius vltimo medium in duabus præmiſſis coniunctum eſt cum duobus extremis &c. quæ ſunt fundamenta ad quæ reſultat hic reſpectus rationis: & ſanè niſi hæc fuiſſent ita diſpoſita, numquam per ens rationis, aut fictum ſic diſponerentur.

Probo aliter id ipſum: forma inſtrumentorum Logicalium habet effectum ſimpliciter realem: ergo ipſa talis eſt, alias enim non haberet eiuſmodi effectum: non enim poteſt quiſquam effectum ſe nobiliorem facere. Antecedens autem oſtenditur in ſyllogiſmo v. g. cuius forma cauſat aſſenſum infallibilem conſequentiæ, ſicut materia eius cauſat aſſenſum conſequentis.

Tertia probatio ſit paritas, nam aliæ facultates nō cenſentur habere ens rationis pro obiecto in quibus tamen eſt eadem prorſus ratio quæ in Logica. ſit exemplum ſæpè tactum de Architectonica, aut domifactoria, hæc enim & ſimiles nō cenſentur habere pro obiecto ens rationis, & tamen prorſus, & per omnia ſe habent ſicut Logica, nam ſicut domus nihil eſt, niſi lapides ſic diſpoſiti ad inuicem ſecundum ſub, & ſupra, ita ſyllogiſmus, quod eſt obiectum Logicæ nihil eſt niſi plures actus intellectus ſic diſpoſiti, vt vnus ſit prior, & maior, alius minor & ſecundus &c.) Cur ergo dicemus obiectum domifactoriæ eſſe ens reale, Logicæ autem non, vel contra Logicæ obiectum eſſe quid rationis tantum; domifactoriæ autem non? Augeri poteſt probatio per Ethicam, ſeu ſcientiam moralem, quæ non cenſetur habere pro obiecto ens rationis, (id enim dicitur eſſe ſoli Logicæ proprium,) & tamē Ethica verſatur in dirigendis operationibus voluntatis, ſicut Logica in operationibus intellectus. Denique definitio, quod eſt inſtrumentum, & artefactum Logicum: dicant mihi aduerſarij, quo ente rationis conſtet? v. g. hæc hominis. *Homo eſt animal rationale?* ſi dixerint in diſpoſitione illâ enuntiatiuâ ſubiecti, prædicati & copulæ; non reſponderunt, nam allata illa diſpoſitione relinquetur definitio, non enim eſt tota illa enuntiatio; ſed complexum illud *animal rationale* duntaxat. Si dixerint hæc ipſa duo habere ordinem, qui eſt opus Logicæ aufero illum, & peruerto dicendo, rationale animal adhuc erit definitio: vt omittam quod vera definitio, quæ eſt actus intellectus non habeat partiū ordinem, cum ſit vnicus actus indiuiſibilis.

7. Obijcies Logicæ obiectum, prædicatum, Genus, ſpecies & ſimilia, his enim terminis vtitur, & loquitur Logica. At vero hæc ſunt manifeſtè entia rationis, quia non ab aliquo reali habet natura, quæ eſt genus eſſe genus: idem de ſubiecto, & prædicato: etiam in Grammatica vox, quæ eſt nomen non habet ab aliquo reali eſſe nomen cum potuerit fieri, & dici verbum, & in proſodiâ quod talis vox ſit talis pes, aut ſyllaba aliqua reputetur breuis potius quam longa, non ab aliquo reali habet; ſed à beneplacito authorum quod egregiè notauit Auguſtinus *primam ſyllabam Italia quam breuem pronunciauerunt veteres; voluit Virgilius & longa facta eſt* ergo ſimiliter: patet enim paritas. Reſpondeo hoc argumentum probat etiam obiectum Architectonicæ, & ſimilium eſſe ens rationis; quia nimirum obiectum eius ſunt paries, pauimentum, tectum, faſtigium, & ſimilia: hæc enim eſſe entia rationis conuincit idem argumentum, ſi applicetur; non enim ab aliqua forma reali habet materia illa, quæ paries eſt paries eſſe: potuit enim eſſe pauimentum, & quæ eſt inportâ, potuit eſſe in feneſtrâ, ſicut vox quæ eſt nomen potuit à Grammaticis fieri pronomen, & ſyllaba breuis reputari longa: & tamen iſtæ, & ſimiles ſunt facultates reales; [nec habent pro obiecto entia rationis] cum ſint etiam mechanicæ, adeoque diſtinguenda eſt ergo minor argumenti ſic: ſubiectum, prædicatum, & ſimilia, maior, minor &c. ſunt entia rationis fundamētaliter ſumpta, nego, formaliter accepta concedo: intelligo autem fundemētaliter accepta illa non pro re, aut voce, quæ ſic ſumitur: hæc enim ſunt naturalia entia, & nullatenus ad Logicam ſpectant: ſed ſumpta cum diſpoſitione, & artificio, quod induit Logicus & eſt fundamentum, ad quod ſequitur forma illa rationis, per quam ſunt formaliter talia. Declaro me duobus exemplis. Simile fundamentaliter eſt res habens illam affectionem, aut qualitatem, ad quam ſequitur relatio ſimilitudinis: v. g. paries habens albedinem; non autem paries ſolus. Ita dico, ſubiectum, maior minor, ſunt ille terminus, illa propoſitio non ſecundum ſubſtantiam ſolum; ſed ſic locata. Alterum exemplum eſt in Geometro, qui metitur corpora, & proinde habet pro obiectis æqualitatem, & inæqualitatem & ſimilia, & tamen Geometer non tractat naturā ipſam propriā æqualitatis, puta quod ſit relatio primi aut ſecundi modi, quod ſit æquiparantiæ aut diſquiparantiæ &c. ſunt propria prædicata æqualitatis, & ab ipſo omnino negliguntur, quia nimirum non conſiderat æqualitatem formaliter; ſed fundamētaliter acceptā; ſcilicet ipſam coextenſionem corporū. Ita hic Logica conſiderat diſpoſitionem inſtrumentorum ſuorum, non tamen principaliter formalem, puta relationem, quæ deinde reſultat: ex quibus patebit via ad explicandam communē, & veram ſententiam veterum, cui Scotus detulit, & videtur ſe conformaſſe.

Lib. 2. doct. Chriſt. c. 38.

8. Dici ergo cum illis poteſt obiectum Logicæ eſſe quid rationis. fundamentū & modus ad hoc defendendum eſt quia obiectum Logicæ debet cenſeri vnū quid: at verò realia, quæ hic cōcurrūt ſunt plura, & non vnum, ſunt enim in ſyllogiſmo [quod dicimus cū doctore eſſe Logicæ obiectū] plures actus intellectus, adeoque vt habeatur aliquod vnum debet accipi forma eius quæ eſt vnum quid artificiale nam entia naturalia ibi ſunt plura.

Ratio altera; quia obiectum Logicę debet per ipſam effici; non poteſt autem per ipſam effici, niſi quid rationis, nam entia realia ſcilicet actus intellectus habent aliam cauſam adęquatam ſcilicet ipſam potentiam intellectiuam & obiecta.

by Google

Quo loco applicari poteſt ſuperior ratio ſic, obiectum Logicæ debet eſſe quid artificiale, quũ ipſa ſit ars; imò ars artium, ſiue diſciplina diſciplinarum, vt loquitur Auguſtinus; atqui alia omnia in ſyllogiſmo, præter entia rationis ſunt entia naturalia, ergo. Tertio ſic, quærenti quid eſt ſimilitudo v. g. vel æqualitas, reſpondendum eſt, quod ſit relatio, illa ſcilicet, quæ reſultat ad coextenſionem corporum licet ante relationis illius reſultantiam fuerit vera proportio, in qua conſiſtit æqualitas, ita ſimiliter reſponderi poteſt de obiecto Logicæ, quod ſit ens rationis; quia formaliter eſt tale; ſiue quia forma quæ in eo reſultat eſt quid rationis, licet ante illam formam fuerint fundamentaliter omnia quæ ſufficiunt ad verificandum quidquid docet Logicus de obiecto illo puta ſyllogiſmo, vel ſimili ſed hæc omnia generica ſunt, & ſolum reſoluunt naturam vniuerſalem obiecti huius facultatis; an ſcilicet ſit reale ex genere ſuo, an ens rationis? nunc ad particularia deſcendendo illa ſcilicet, quæ authores aliqui poſuerunt pro eius obiecto ſit.

Lib. 2. de Orden. cap. 3

ACTIO QVINTA.

Num obiectum Logicæ ſit Argumentatio, aut Demonſtratio.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Dici poſſe etiam ſcotiſticè quod Argumentatio ſit obiectum Logicæ.*

2. *Iterum aliter poni poteſt argumentatio obiectum Aliquæ opiniones conciliatæ.*

3. *Demonſtrationem non eſſe huius ſcientiæ obiectum.*

4. *Alia probatio huius. Definitio cur tractetur in Dialectica.*

5. *Expenditur probatio cuiuſdam Recentis de hoc.*

6. *Obiectio prima pro demonſtratione. Termini ſunt Logicalia puncta*

7. *Secunda Demonſtratio quid addit ſupra ſyllogiſmum?*

8. *Logica dirigit iudicia, & apprehenſiones, etiam quum non ſequitur diſcurſus.*

PRimum illud affirmauit olim Albertus, negauerunt ſemper Scotiſtæ tanquam quid tacitè reiectum à Doctore.

Dico nihilominus admitti poſſe à Scotiſtis Argumentationem pro obiecto Logicæ. Hanc eſſe Scoti oſtendam, & ſimul reducam in vnum alias aliquot opiniones, quæ videbantur diſparatæ, & differentes in hac materiâ.

Rodriguez q. 3. proem. ar. 1. Faber, Theor. 6. cap. 4.

Ratio pro iſta in ſe eſt, quia ſyllogiſmus eſt obiectum Logicæ, (quod libenter audiunt Scotiſtæ) at verè non ſolum ſyllogiſmus eſt argumentatio, ſed argumentatio eſt ſyllogiſmus, & quidem ſolus; nam cæteræ omnes ſpecies argumentationis ſunt adulterinæ, & inualidæ, vt communiter circumfertur, ſeu creditur inter Scotiſtas, de quo infra; interim eo præſumpto euidens eſt non modo veritas concluſionis, ſed & conformitas, eius ad Scotum: quorum vtrumque conuincit ratio poſita, quam in hunc modum reformo. ſyllogiſmus vt ſic eſt obiectum Logicæ; argumentatio vt ſic eſt ſyllogiſmus vt ſic: ergo argumentatio vt ſic eſt obiectum Logicæ. At quia infra admiſſuri ſumus alias ſpecies argumentationis præter ſyllogiſmum, proinde hic dicendum nobis eſt, quod Argumentatio non poſſit poni Logicæ obiectum; quæ ſine dubio eſt expreſſior ſententia ſubtilis, nam q. illa 3. cit. aſſignatis aliquot conditionibus obiecti ſcientifici, ait, *Quinto ſcilicet argumentationi deeſt prima* & infra; *ſecunda etiam ſibi deeſt.* Ratio ex hic dictis, & infra afferendis, conficitur in hunc modum. ſyllogiſmus eſt Logicæ obiectum, ſed argumentatio vt ſic non eſt ſyllogiſmus, quia nimirum illa habet ſub ſe alias ſpecies: ergo argumentatio ſic abſtracta non eſt Logicæ obiectum. Argumentũ pendet ex dicendis infra, quo loco probabuntur dari aliæ ſpecies argumentationis, eo autem ſuppoſito certum eſt quod à tenentibus ſyllogiſmum eſſe obiectum Logicæ, faciunt Scotiſtæ] nõ poſſit ſuſtineri argumentatio eſſe eius obiectũ.

q. 3. vn. n. 6

Obijcies, Argumentatio, aut, habet ſub ſe alias ſpecies quam ſyllogiſmum, aut non habet ſi non habet, & ſyllogiſmus, eſt Logicæ obiectum, iam argumentatio eſt, nam ſecundum, hanc viã ſunt ſynonima: ſi autem habet, negandum eſt ſyllogiſmum eſſe obiectum Logicæ, quia non de eo ſolo agit, ſed de alijs ſpeciebus diſcurſus; atque adeò à primo ad vltimum argumentatio ipſa vt ſic eſt obiectum Logicæ omni modo: poſito enim quod détur plures ſpecies vltra ſyllogiſmũ, nulla earum erit adæquatum Logicæ; ſed ſolum commune, quod eſt argumentatio: ergo. Reſpondeo optimè argui ſi nos ponamus obiectum Logicæ ſimpliciter eſſe ſyllogiſmum; id enim prorſus refutatur eo argumento: At quia dicimus ſyllogiſmum eſſe ſolum obiectum Logicæ Ariſtotelis, nõ ſequitur niſi Ariſtotelẽ diminutè tractaſſe Logicam, quod certum eſt ſaltem quoad ea opera quæ extant; at quæ ideò ſtatuendum eſſe aliud obiectum Logicæ ſecundum ſe, & aliud Logicæ Ariſtotelis, quod hic concedo, & infra probabo: reuera enim obiectum Logicæ Ariſtotelis eſt obiectum partis Analiticæ tantum.

2. Itaque ſtante hac doctrinâ, quam infra ſuo loco expendam, non ſunt duæ opiniones [niſi in voce tantum] illa quæ ponit ſyllogiſmum obiectum, & altera, quæ ponit argumentationem eſſe obiectum Logicæ. Et eodem modo exiſtimo alias aliquot opiniones in hac materia coincidere, & proinde in hactenus dictis cenſeri poſſe aut reiectas, aut approbatas: nam opinio illa Boetij; quæ dicit Logicam agere de ſecundis intentionibus adiunctis primis, proximè ni fallor accedit ad eam quæ dicebat Logicam habere in obiectum res omnes: omnia enim ſunt ſecundæ intentiones: aut primæ, ſed & recentes, qui ponunt operationes intellectus, ſaltem vt dirigibiles eſſe Logicæ obiectum Scotũ ſequuntur aſſerentem ſyllogiſmum, aut ſaltem modum ſciendi, vt ſic eſſe eius obiectum; quia nimirum ſyllogiſmus, & alia inſtrumenta ſciendi ſunt operationes

operationes intellectus ſic directæ vt vidimus, & idem facile inuenies in aliis opinionibus, quas quidam multiplicant ſolis vocibus diuerſas ad ſecundum autem.

3. Dico demonſtrationem non poſſe poni Logicæ obiectum. Hanc non ſtatuit Doctor; nec reiecit expreſſè demonſtrationem quia nec numerauit illam. Colligitur tamen ex vtroque loco eius, quo materiam hanc tractat: facit contra antiquos aliquos, quorũ patrociniũ ſuſcepit quidã ex modernis, ſententiã huius ego ita falſam reputo, vt exiſtimem demonſtrationem, quam ipſe ſic extollit pro obiecto Logicæ, nullo modo ad Logicam pertinere, idque ſimul & concluſionẽ.

q. 3. vniu. & 1. primi Prior. ſim. plic. Amon. Alex. init. Prædicament. & 1. pr. c. ac. ſeſ. 1. Po Hurtad. di. p 1 Log. ſect. 8 ſubſ. 4

Probo. Demonſtratio vt talis reduplicatiuè dicit materiam præciſè, materia autem argumenti non pertinet ad Logicam: ergo demonſtratio; quo poſito clarum eſt quod non ſit obiectũ eius, quum obiectum ſcientiæ non poſſit eſſe impertinens ad ipſam. Probatio maioris, quoniam ſyllogiſmus aliquis inde fit demonſtratio quia conſtat ex propoſitionibus primis, veris, & immediatis prioribus, notioribus &c. quæ enumerat *Ariſtoteles*; propoſitiones autẽ notũ eſt eſſe materiã ſyllogiſmi: ergo. Minor autem eſt clara, alioquin ſola Logica in toto orbe eſſet ſcientia quando in omni demonſtratione tam materiæ, quam formæ ad ipſam ſpectant. Poſſumus vertere argumentum ſic: ad Logicam ſpectat ſola forma argumentorũ; ſed demonſtratio non differt ab alijs argumentis, (ſaltem non ab aliis ſyllogiſmis) in formâ, ergo non debet ſtatui obiectum Logicæ præ aliis; argumentationibus, ſeu ſyllogiſmis; ſed potius quoad hoc coincidit cum ſyllogiſmo, atque ita ſyllogiſmus; hic ſub nomine demonſtrationis præfertur alijs, & ponitur obiectum Logicæ.

Poſter. 2

Reſpondet Recentior falſum eſſe quod materia demonſtrationis non ſpectet ad Logicam quia (inquit) licet materia ſingularis alicuius demonſtrationis non ſpectet ad eam, ſpectat tamen in communi tota demonſtrandi ratio, quæ includit materiam ſine dubio, ita ille: ſed vt omittam quod petit aliquid principij quũ liberè affirmet partem aliquam negari; demus ita eſſe quod Logica agat de tota demonſtratione, conſequenter de materia, quæ demonſtrationem reduplicatiuè conſtituit, hoc neminem mouere debet, non enim primaria intentione id agit Logica, ſed ſecundaria, & ex ſuper abundanti, ſicut ſupra dixi fabrum noſſe materiam enſium, non qua faber eſt præciſè, ſed potius illo modo cognitionem illam ſpectare ad ſcientiam aliquam ſuperiorem; & ſicut iſta cognitio; viſio delectans debet eſſe obiecti viridis, viſio nullatenus à potẽtia viſiua habetur ſed ſpectat ad intellectuam, ſenſum communem, aut denique aliquã aliam potentiam ſuperiorem. Similiter hæc; gladius irrefragabilis, ſeu inuincibilis debet fieri ex chalibe; non ſpectat in rigore ad ferramentariam cuius eſt gladios cudere; ſed ad Phyſicam, aut partem illam, cuius eſt metalla ſpeculari. Quo dicto ni fallor attuli verum exemplum, & inſtar rei præſentis: nam demonſtratio eſt quaſi gladius inuincibilis, quum alij ſyllogiſmi ſint ſolubiles, quod de vtriſque ſcire non tenetur Logicus in rigore.

Dicet aliquis, cur ergo hæc tractantur in Logica & cur ea tradidit Ariſtoteles in ſua? Reſpondeo tradidit etiam Topica in ſua, quæ tamen certum eſt per ſe non ſpectare ad Logicam. Itaque materia vtriuſque inſerta eſt Logicæ, ratione formæ, vt propè ſe inuicem eſſent, de quo ſupra ſæpè, & inde ſic arguo. Materia demonſtrationis etiam in genere ſumpta ſecundario tantum, non verò primo, ac per ſe in Logica tractatur: at vero obiectum eius certum eſt quod non tantum ſecundario ab ea tractetur: ergo denique materia non cadit ſub obiecto Logicæ.

4. Probo iterum id ipſum. Si demonſtratio eſſet obiectum Logicæ, Reliqua omnia eſſent propter ipſam; non ſunt autem: ergo, ſequela maioris patet, alias aut impertinenter tractarentur ibi, aut certè æque eſſent obiectum huius facultatis, ac ipſa demonſtratio. Minoris probatio eſt Definitio, hæc enim non propter demonſtrationem tractari debet quia ipſa definitio eſt nobilius inſtrumentum quam demonſtratio; non poteſt autem niſi præpoſterè nobile ad ignobile ordinari, ergo maior huius probatur, quia demonſtratio notificat paſſionem, definitio autem eſſentiam: quod alijs verbis docuit *Ariſtoteles*, diceres quod definitio facit ſcire ſubſtantiam, demonſtratio accidens.

6. Met. tex. & lib. 11. cap. 6.

Deinde fac illa duo eſſe paria, ſcilicet definitionem, ac demonſtrationem, aut etiam demonſtrationem fortaſſis præſtare, oſtendo adhuc non tractari definitionem à Logico in ordine ad demonſtrationem duntaxat: quia nimirum Logicæ ſcopus eſt inſtruere intellectum, & adiuuare ne erret in acquirenda notitia rerum, adeoque ſeruat illam proportionem in ſuis partibus, quem intellectus ſeruat in operationibus: at vero operationes intellectus non habent illum ordinem inter ſe, vt ſecunda ſit ſolum propter tertiam, & prima propter ſecundam: ergo nec inſtrumenta Logicæ quæ pertinent ad primam, aut ſecundam operationem erunt tantum in gratiam eorum quæ ſpectant ad tertiam. Maior eſt clara, minor probatur, quia vltimus actus intellectus, qui eſt diſcurſus non eſt omnium perfectiſſimus, imò videtur cedere primæ, cuius ſignum eſt quia in perfectiſſimè intelligentibus non inuenitur vltimus, inuenitur primus, nam ſecundum pleroſque Angeli non diſcurrunt: certum eſt autem quod iudicent, & apprehendant. Certiſſimum eſt quod Deus ſit perfectiſſimum intelligens, nec minus certum eſt quod non diſcurrat, ſed ſimplici intuitu comprehendit omnia. Et confirmari poteſt redeundo ad nos ipſos, quorum perfectiſſimus actus ſine dubio eſt viſio beata: hæc autem eſt ſimplex quædam apprehenſio, & intuitio, alias non eſſet viſio, nec enim oculus externus (à quo tranſlata eſt hæc appellatio ad intellectum) aliam cognitionem habet quam apprehenſionem. ſubiungo: Definitio ſpectat ad ſimplicem apprehenſionem, demonſtratio ad diſcurſum: ergo.

5. Alia probatio huius ſit: ſyllogiſmus probabilis à Logicâ tractatur, & quidem ex officio, & per ſe: non tractatur autem in gratiam demonſtratiui: quid enim huic cum illo? ergo iam non omnia Logica referuntur ad demonſtrationem Explico, & confirmo rationem ſpecies oppoſita non habet eſſe, aut examinari propter

aliam

aliam oppoſitam: ſyllogiſmus demonſtratiuus, & topicus, ſeu probabilis ſunt ſpecies oppoſitæ: ergo vna non eſt aut agitur propter aliam: adeoque non omnia Logica propter demonſtrationem. Placuit hoc argumentum cuidam Recenti, qui etiam eo viſus eſt ſibi conuincere repellendam omnino demonſtrationem; mihi non item: non enim puto ſyllogiſmum demonſtratiuum & probabilem eſſe duas ſpecies ſyllogiſmi, quia nimirum non differunt formâ, ſed materiâ, quæ impertinens eſt ad conſtitutionem Logicam ſyllogiſmi ſicut ad alia artefacta: nam ut utar trito exemplo clavis, aut enſis, clauis ferrea, aut aurea non differunt in ratione clauis, eandemque prorſus artem exercet faber in utrâque; nec alias regulas habet pro hac, & alias pro illa; ſed eaſdem pro utraque, Adeoque in ratione clauis vtraque eſt ejuſdem ſpeciei, ita ſimiliter hic ut vides adeoque, hoc medium aliter mihi videtur tractandum, & applicandum concluſioni ſic. Logica agit de ſyllogiſmo aliquo, ſeu modis eius indirectè concludentibus, ex quo infero, ergo tractat de aliquibus quæ non fiunt in gratiam demonſtrationis, cauſa conſequētiæ, quia nimirum hæc non tractantur in gratiam demonſtrationis, quum nihil ipſa iuuare poſſint, ſed potius dici debet, quod demonſtratio ad ipſas aliquo modo ordinetur; quia nimirum demonſtratio plurimum ipſis conferre poteſt, nam per reductionem ad ipſam oſtenduntur huiuſmodi habere validam conſequentiam. Hic mihi videtur proprius tenor huius argumenti; quia nimirum procedit de forma ſyllogiſmi, quam Logicus ex profeſſo conſiderat. Habet autem vim non ſolum à modis indirectè concludentibus; ſed etiam à modis directè concludētibus in ſecundâ, & tertiâ figura, iſti enim habent ſuum valorem ex modis primis, in quibus ſolis fit demonſtratio adeoque de his non eſt verum quod ordinentur ad demonſtrationem ſed è contrario verius quod demonſtratio potius ordinetur ad eos, & ſanè in tertia figura ſunt modi aliqui, qui nullatenus conuincunt intellectum, vt ibi iacent.

Franciſcus Ouiedo Cont. Logic. punc. 1. 8.

Atque hæc ego contra demonſtrationem, ne ſit obiectum Logicæ, quo ſenſu à recentioribus prætenditur. Ipſe autem infra alium modum aſſignabo, quo, non obſtantibus his quæ hic contra ipſam diximus, verè intelligi & teneri poſſit, eſſe Logicæ obiectum, Interim audiamus pro ipſa alios.

6. Obijcit aliquis omnia Logica referuntur ad demonſtrationem, etiam definitio, ergo ſola ipſa eſt obiectum attributionis Logicæ. Antecedens probant, quia definitio eſt pars demonſtrationis, nemo autem neſcit partem referri ad totum, ergo. Vidit tamen ipſe aduerſarius hoc non poſſe premere ullum, non enim omnis pars eſt tantum in gratiam totius ſed illa ſolum, quæ non habet aliud eſſe quam eſſe partis. Talis autem non eſt definitio quia hæc non ſolum ſeruit in demonſtratione, ſed extra eam.

Sed enim aliquis retorſit hoc argumentum in nos, nec malè, ſic. Termini etiam, & propoſitiones habent ſuum eſſe totius per ſe. & tamen à Logicâ conſiderantur tantum in ordine ad aliud, cuius ſunt partes puta ſyllogiſmi, aut modi ſciendi, ergo ſimiliter licebit dicere, quod licet definitio habeat ſuum eſſe per ſe, tamen à Logica conſideratur propter illud cuius eſt pars ſcilicet propter demonſtrationem. Reſpondeo tamen non eſſe ſimile, quia definitio non habet quodcumque eſſe extra propoſitionem; ſed eſſe quod à Logica tanquam proprium opus conſideratur, non habent autem hoc eſſe termini ex genere ſuo, vnde non nocet arguens paritatem, & multò minus retorſit argumentum, quum clariſſimum ſit iſta aliter, & aliter ſe habere hinc inde, ſcilicet definitionem ad demonſtrationem, & terminos ad propoſitionem. Similitudo ergo horum inuenitur aptius in ſpeciebus quātitatis ſcilicet lineâ, & ſuperficie, quæ quia habent ex ſe extenſionem aliquam conſiderantur tam à Metaphyſico, quam à Mathematico ſui cauſa, ac non ſolum in gratiam corporis, vel profundi. Punctum verò quia non habet eſſe niſi vinculum aliorum, & extra ipſas non habet extenſionem, non conſideratur ſui cauſa, ſed alterius. Iam verò termini ſunt quaſi quædam indiuiſibilia, aut puncta Logica. Definitio autem eſt in hoc genere magnum, ſeu extenſum Logicè quum ſit ipſa modus aliquis ſciendi, ideò debet per ſe tractari.

7. Obijciunt iterum finis vltimus Logicæ eſt tradere modum ſciendi, hic eſt ſola demonſtratio, ergo. probo Minorem ſcire eſt rem per cauſas cognoſcere; hoc autem fit ſolâ demonſtratione; neque enim definitio, aut diviſio aſſignat alicuius cauſam. Confirmatur Proprius modus ſciendi hominis eſt per diſcurſum, Logica ſine dubio attendit hunc ſciēdi modum ergo. Tum ſic Diſcurſus fit per ſolā demonſtrationem, adeoque. Reſpondeo igitur iuxta duplicem reſolutionem infra tradendam de obiecto Logicæ. Primo diſtinguendo maiorem: finis Logicæ eſt tradere modum ſciendi diſcurſiuè tantum nego. Modum ſciendi id eſt attingendi certo ignotum concedo, hoc autem fit non ſolum per demonſtrationem, aut diſcurſum; ſed & per alia inſtrumenta, & quidem paulo melius. Iterum Reſpondeo iuxta alibi dicenda diſtinguendo minorem, ſola demonſtratio hoc facit Logicæ nego, abſolutè aut aliter concedo eſt dicere quidquid Logicum eſt in demonſtratione eſſe etiam in alijs ſyllogiſmis Differunt enim ſola præſtantiâ materiæ atque adeò non magis demonſtrationem ſtatuendum eſſe obiectum Logicæ, quam alios ſyllogiſmos. ex quo quid ſequitur, niſi ſyllogiſmum vt ſic eſſe eius obiectum. Ad confirmationem, nego minorem, quis enim reſtrinxit Logicam ad hæc, & vetuit eam prodeſſe nobis ſecundum gradum genericum rationalitatis, in quo conuenimus cum aliis quum etiam ſecundum illum poſſimus errare? Quis vetuit Logicam dirigere ſimplices apprehenſiones, & iudicia noſtra vbi obiter noto confirmationem redire contra authorem eius tenentem alibi omnes tres operationes intellectus ad Logicam pertinere, hic autem vult eam eſſe ſolicitam ſolum de tertiâ ſeu diſcurſu, diſtingui etiā poteſt maior huius ſic, Modus ſciendi homini proprius vt opponitur Deo, & Angelis eſt diſcurſus tranſeat, vt opponitur alijs animantibus nego. Imo hæc ipſa magis admiſſa ſunt, quam vera, etenim ſuo loco oſtendemus per Dei gratiam etiam Angelos diſcurrere, nec deeſt qui dicat Logicam etiam in Deo inueniri.

Gonzal. cap. 1 præfat.

8. Vltimo obijci poteſt ſola demonſtratio continet exercitium omnium operationum noſtri intellectus habet enim exercitium ſimplicis apprehenſionis in terminis, Iudicij in præmiſſis diſcurſus in concluſione; per ipſam ſolam perfectè cognoſcitur obiectum, quia cognoſcitur non modo quoad eſſentiam, ſed etiam quoad proprietatem, nec intellectus vnquam quieſcit niſi ipsâ habitâ. ſed iam reſponſum eſt plus ſemel: Imprimis enim licet

licet ipſa ſola contineat omnes operationes tamen non ſola continet ſingulas; Logica autem debet dirigere intellectum non ſolum vbi exercet omnes operationes coniunctim; ſed vbi aliquas etiam ſeorſim à ceteris, puta iudicium quum non ſequitur ipſum diſcurſus.

ACTIO SEXTA.

Reſoluit obiectum Logicæ vno modo de mente Scoti.

BREVIARIVM

Num. 1. *Logicam Ariſtotelis circa ſyllogiſmum verſari.*
2. *Oſtenditur ipſum ſyllogiſmum eſſe hic non ſolum finem operis. ſed & operantis.*
3. *Obiectio prima ſubtilis. Per quem ſyllogiſmum habetur de ſyllogiſmo ſcientia.*
4. *Secunda: ſyllogiſmus quomodo obiectum Prior. Analitic.*
5. *Expenditur amplius mens Ariſtotelis de his.*
6. *diſparitas aliqua Phyſica, & Logica.*

NVnc temporis authores ad vltimatam reſolutionem huius rei diſtinguunt de Logica Ariſtotelis, & de Logica ſecundum ſe, quod illi à Scoto didicerunt: nam hic *q.* 3. *prædicabilium* aliud obiectum Logicę aſſignat, & aliud *q.* 2. *Priorum*, ſed ibi loquitur de Logicâ Ariſtotelis, hic de Logica ſecundum ſe, vt patet ex rationibus & verbis eius vtrobique. *Scotus*

Dicendum ergo cum illo eſt obiectum Logicę prout ab Ariſtotele tradita eſt in organo ſuo ſeu in libris Logicis qui extant, eſſe ſyllogiſmum, Ita Doctor citatus priori loco & cum illo veteres. Scotiſtæ. alij etiam extra ſcholam Doctoris. In ſuperioribus etiam oſtenſum eſt eſſe plurium ex ex illis qui videbantur diſſentire, vt Alberti ponentis Argumentationē, Græcorum ponentium Demonſtrationem. *Maurit. in expoſ. &c. item Pon. diſp. 1. Io. Lallemand diſp. 3.*

Probatur ex conditionibus obiecti; ſunt autem tres: prima, quod in ſcientia ſit notum quid; & quia eſt: Altera quod per eius definitionem demonſtrentur de illo paſſiones, vltima quod ad ipſum cætera omnia illius ſcientiæ reducantur; id eſt in gratiam eius tractentur, quæ omnia palam eſt ſyllogiſmo reſpectu Logicæ conuenire: nam primo prio. definitur; & in Analiticis illis plurimæ paſſiones de eo demonſtrantur, vt modus figuræ &c. Propter ipſum etiam in veteri Logica (id eſt libris Prædicamentorum, & Periheremenias) determinatur de eius partibus ſubiectiuis: & in Elenchicis ſophiſtico, qui eſt quædam vmbra eius. Ita Doctor? manifeſtè innuens ſe loqui de Logica Ariſtotelis alias enim quorſum tam minuta enumeratio librorum eius.

2. Alia via probandi id ipſum eſt ſi poſſimus eruere mentem Ariſtotelis de his, ſine dubio enim illud eſt obiectum Logicæ eius. quod ipſe voluit eſſe. Id autem à poſteriori, & ex facto ipſius, ſi inueſtigemus, apparebit ſtatim eſſe ſyllogiſmus. Primo quia ſi vellet abſolutam Logicam tradere, debuiſſet plurima addere de vniuerſalibus, definitionibus, de diuiſionibus, quæ ſunt inſtrumenta ſciendi non minus neceſſaria, quam ſyllogiſmus. Et ſi dicatur hæc ab eo ſcripta eſſe, ſed periiſſe, obſtat quod Laertius eorum non meminerit cui tamen ſumma fides eſt in hoc negotio: vnde mala fide oppoſitum ſcripſit Merinerus. Scripſit quidem Ariſtoteles iuxta laertiū Diuiſiones 17. & definitiones 13. ſed an hoc eſt compingere tractatum de definitionibus, & diuiſionibus? ſcripſit de generibus, ſpeciebus, & propriis; at vbi reliquit differentias, & accidentia. *diſp. proœm. quaſt. 4 ſect. 2. de vit. Phil. lib. 5. princip.*

Secundum indicium eſt quia in libris Priorum, qui ſecundum omnes ſunt de ſyllogiſmo vt de peculiari obiecto, agit idem Philoſophus de termino, de propoſitionibus, & latiſſimè de affectionibus eorum, puta conuerſionibus, oppoſitionibus &c. vtique innuens hæc omnia à ſe propter ſyllogiſmum tractari. Tertio adhuc: quia idem Ariſtoteles 1. Periherмenias. cap. 4. citat libros Elenchorum, ex quo patet poſterius ſcriptos eſſe libros Periherm. quam illos Analiticorum, quod non debuit ille feciſſe, ſi Logicam ſecundum ſe, & quo ordine exigit, ſcribere voluiſſet: ſic enim debuiſſet prius de ſimplicioribus agere, quales ſunt termini, ac propoſitiones: de facto autem poſterius egit de illis, quia nimirum intentum eius primarium, & quaſi ſolum fuit de ſyllogiſmo, ſeu diſcurſu agere, ad quem quum vidiſſet aliquid amplius eſſe neceſſarium vltra ea quæ in libris Priorum docuit, addidit libros illos Perihermenias, in quibus ſeorſim agit de verbo, nomine. propoſitione.

Confirmo hoc ex ipſius verbis in fine ſecundi Elenchorum, qui eſt finis Logicæ eius; ibi enim fatetur ſe potiſſimum in ſyllogiſmo explicando laboraſſe. *& de Rhetoricis quidem erant multa, & antiqua dicta, de ſyllogiſmis autem omnino nihil habuimus: prius aliud quidquam quod diceremus, quam mora perquirentes, tempore multo inſudauerimus.* Id ipſum denique ſenſit S. *Auguſtinus* qui *dialecticam* diffiniuit *diſputandi peritiam*: clarum eſt autem quod diſputatio non fit definitione, aut diuiſione; ſed argumentatione, ſeu ſyllogiſmo. *Ariſtot.* *de princip. Dialect. c. 1*

3. Obijcies de ſyllogiſmo non poteſt haberi ſcientia: ergo ſyllogiſmus non poteſt eſſe ſcientiæ Logicæ obiectum: probatio antecedentis; quia omnis ſcientia habetur per ſyllogiſmum: ergo ſi de ſyllogiſmo habetur ſcientia habebitur per alium ſyllogiſmum, quod non poſſe fieri probo, nam ille alius ſyllogiſmus, aut eſt notus, aut ignotus, ſi ſecundum, per illum non poteſt haberi ſcientia; quia per ignotum nihil ſcitur. ſi autem eſt notus, aut ſe ipſo, cur non etiam ſyllogiſmus de quo eſt ſcientia ſit notus; ſi per alium, quæram de illo alio, & iterum de tertio, & ita in infinitum. ad quod non debet admitti proceſſus, alias numquam incipietur ſciri ſyllogiſmus, qui eſt ſcientiæ obiectum, non enim poſſet ſciri niſi præcognitis infinitis

ſyllogiſmis, quos tamen impoſſibile eſt pertranſiri, adeoque ad vitanda hæc abſurda cenſendum eſt non poſſe eſſe ſcientiam de ſyllogiſmo. Hoc eſt Doctoris noſtri inuentum contra ſe ſubtiliter excogitatum, quod alij aliter formant, ſed omnia redeunt in idem. Reſpondeo autem primo, hoc argumentum probare quod ſyllogiſmus non ſit obiectum non modo totius, ſed nec partis Logicæ puta Priorum Analiticorum, vbi tamen ſecundum omnes de eo agitur: patet hoc applicanti ipſum argumentum. Iterum dico probare, quod nec etiam demonſtratio ſit obiectum Logicæ, nam ſcientia quæ eſt de demonſtratione, habetur per aliam demonſtrationem, &c. ut ſupra in argumento. Non credo tamen cuidam dicenti, quod redeat etiam contra nos qui ponimus modum ſciendi eſſe obiectum huius ſcientiæ; quin reputo id non rectè notatum quia non eſt idem modus ſciendi de quo habetur ſciẽtia, & ille per quem habetur ſcientia, & patet quam male hoc dixerit ille: quia ſic deberet dicere, quod ſi quis poneret definitionem eſſe obiectum Logicæ, quod inquam contra ipſum recurreret argumentum, eo quod ſcientia illa eſſet de modo ſciendi, atque etiam per modum ſciendi, quod nihil eſt dicere vt patet, quia eſt alius, & alius modus vtrobique ſiuè is de quo agitur, & is per quẽ agitur. Ad Argumẽtum ergo nego antecedens in forma, & conceſſo ſequenti entimemate, nego ſubſumptum ad probationem autem in qua conſiſtit vis argumenti, Reſpondeo cum Doctore de ſyllogiſmo in communi haberi ſcientiam per ſyllogiſmum in particulari, qui particularis ſyllogiſmus ſe ipſo notus eſt quoad veritatem præmiſſarum, & bonitatẽ illationis: quum enim ſit demonſtratio, vt ſupponimus, & ita *ſyllogiſmus perfectus, iam nullius eget, vt perfectus appareat*. Idem etiam notus eſt quoad paſſionem quam ipſe demonſtrat de ſyllogiſmo in communi, & per ſe ipſum quo adhoc noſcitur, ſed mediatè mediante ſcilicet ſyllogiſmo in communi, quandoquidem quod conuenit ſyllogiſmo in communi, conuenit etiam particulari.

4. Obijcit ſibi 2. Doctor. Nihil poteſt eſſe obiectum partis & totius; ſyllogiſmus eſt obiectum vnius partis Logicæ: ergo non totius, maior eſt clariſſima, alias obiectum illud excederetur, & non excederetur à ſcientia, æquaret, & non æquaret eam, minor vero patet, patet enim ſyllogiſmum eſſe obiectum lib. priorum. Reſpondeo etiam hoc argumentum recurrere contra demonſtrationem, ne ſit obiectũ totius Logicæ quia eſt obiectũ partis ſcilicet Poſteriorum Analiticorũ: facit etiam contra argumentationẽ, & authores horum; & vniuerſaliter contra omnes ponẽtes aliquid minus toto modo ſciendi pro omnibus Logicæ obiecto. Reſpondet autẽ Doctor prodiſtinguendo maiorem, vel conceſſa ipſa minore ſic ſyllogiſmus eſt obiectũ partis Logicæ ſub omni conſideratione nego, ſub aliqua concedo, & ſub alia eſt obiectum totius. Itaque ſyllogiſmus eſt obiectum lib. priorum ſecundum ſe, & ſuas paſſiones, ac partes eſſentiales conſtitutiuas; ſed ſecundum partes ſubiectiuas, ſecundum integrantes, & alias quæ ſunt materia remota eius eſt obiectum totius: quia tota Logica verſatur in tractandis ſic ſpectantibus ad ſyllogiſmum.

5. Quod verò nec de mente Ariſtotelis ſyllogiſmus ſit Logicæ obiectum videtur ſic probari, quia Ariſtoteles manifeſtè agit de alijs à ſyllogiſmo: & omnino gratis dicitur, quod tantum in ordine ad ſyllogiſmum de illis tractet, imo contra expreſſam mentem eius, quam non obſcurè ſignificauit in libris Periherm. vbi quum ageret de propoſitione aliter eam appellauit, ac quum in libris Priorum de ea tractaret: ibi eam vocauit enunciationem, hic propoſitionem, quæ vox dicit ordinem ſpecialem ad ſyllogiſmum, quem vox enunciatio non dicit, vtique innuens, quod quamuis ipſe in libris Analiticis de propoſitione, ac terminis egerit tantum in ordine ad ſyllogiſmum, tamen in lib. Periherm. egerit de illis abſolutè, & in ordine ad ſe. Confirmat aliquis hoc argumentum ratione ſic: Licet elementa, de quibus in Phyſica agitur concurrant ad conſtitutionem mixti, tamen non eſt dicendum propterea, quod Phyſica agat de elementis propter mixta tantum, ſed & propter ipſa: ergo ſimiliter licet termini, & propoſitiones concurrant ad conſtituendum ſyllogiſmum; tamen non debet, dici Logica agere de illis propter ſyllogiſmum ſolum; ſed etiam propter ipſa. reſpondeo, dupliciter poſſumus iudicare de obiecto Logicæ Ariſtotelis, vel ſcilicet ex tractatibus qui in illa extant, vel ex mente ipſius authoris, & quocunque modo procedamus ueniemus ſententiam hanc Scoti habere fundamentum, quod totum puto iam ſufficienter eſſe oſtenſum: & licet coniectura illa arguentis non ſit improbabilis, tamen non ſufficit ipſi: ſi enim illa procederet, non inde ſequeretur aliquid commune operationibus intellectus diſcurſui, apprehenſioni, & enunciationi ponendum eſſe Logicæ obiectum vt ille prætendit, ſed potius aliquid commune ſyllogiſmo, definitioni, & diuiſioni, inſtrumentis ſciendi, eſſe Logicæ obiectum: non enim aliter Logica dirigit operationes intellectus niſi conſtruendo illis inſtrumenta directiua earum, ſicut ars frænofactoria, licet inſtituta ſit ad rectè equitandum, tamen non debet aliter dirigere hominem in equitando, quam præbendo ei frænum: in quo videntur lapſi aliqui recentes. [eorum veniâ.] qui pugnant pro operationibus intellectus, & eorum dirigibilitate.

Aversa quæſt. 1. Log. ſect. 4.

Itaque ſi Ariſtoteles intenderet tradere abſolutam Logicam, & non relatam ad ſyllogiſmum debuit ſeorſim de Diuiſione, & definitione potius tractare. Cæterum mentem Ariſtotelis hic ſtare à parte Scoti teſtatur Albertus *tractat.* 1. *in Porphyr.* c. 5. vbi dilertè inquit Ariſtotelem ex tribus Logicæ partibus tertiam ſolam ex inſtituto tradidiſſe, ſiue contemptu aliquo aliarum, quem non obſcure ſignificauit. 1. *Prior.* 32. vbi diuiſionem paruipendit: ſiue quod hæc ante ſe inuenerit inuenta, definitionem à Socrate, diuiſionem à Platone.

Albert.

Ariſt.

Confirmo intentum ex diuiſione illa Logicæ Ariſtotelicæ, in inuentiuam, & iudicatiuam argumentorum ſcilicet, ſeu mediorum: quæ membra clarum eſt non pertinere niſi ad tertiam operationem intellectus, ac ſyllogiſmum, adeoque eo pertinet tota Logica eius quæ eſt diuiſum.

6. Iam ad confirmationem argumenti Reſpondeo concedendo diſcurſum de Phyſica, negando illum de Logica, quia nimirum non eſt ſimile

Poncius diſp. 2. q. 1.

ſimile. Eſſet ſi compararet Logicam Ariſtotelis ad ſcientiam, quæ tractat de corporibus mixtis. In tali enim ſcientiâ tractatus de elementis verè diceretur factus in gratiam mixtorum, & proinde à paritate, tractatus de alijs illis in Logica Ariſtotelis, quam ipſe voluit eſſe de ſyllogiſmo veriſſimè dicetur eſſe in gratiam ſyllogiſmi. At verò Phyſica eſt de corpore in genere, non autē de aliquo in ſpecie tantum, atque ita elementa ibi tractari debent non tantum alterius cauſa, ſed ſui, quum ipſa etiam ſint corpora: ſicut ergo tractatus aliquis de corpore vt ſic inſertus ſcientiæ quæ traderetur de corpore mixto, non impediret ne corpus mixtum eſſet obiectum illius ſcientiæ: ita nec impedit quominus ſyllogiſmus ſit obiectum Logicæ Ariſtotelis quod in ea tradat aliqua de aliis communibus, aut componentibus ſyllogiſmum: quum aliunde conſtet cuius gratia ea tradat.

ACTIO SEPTIMA.

Reſoluit Logicæ obiectum iterum de mente Scoti.

BREVIARIVM.

N. 1. *Abſolutum obiectum Logicæ inſtrumentum ſciendi.*
2. *Scotus à contradictione vindicatus.*
3. *Rationes pro inſtrumento ſciendi.*
4. *Difficultas obiecta Scotiſtis.*
5. *Soluitur. Vſus ſuppoſitionis ſimplicis & perſonalis.*
6. *Oſtenditur etiam Metaphyſica pati eandem difficultatem.*

1 DIco enim 2. loquendo de Logica ſecundum ſe ſyllogiſmus nō eſt adæquatum obiectum eius; ſed ſolum modus ſciendi vt ſic, ſiue inſtrumentum ſciendi, vt voles. Ita expreſſe Subtilis loco 2. themate producto. In quo aliquis notauit eum contradictionis, quod alibi poſuerit ſyllogiſmum eſſe Logicæ obiectū, ibi autē nō ſolū aliud obiectū aſſignat, ſed expreſſe negat ipſum eſſe huius facultatis ſubiectum, ſed & *Faber* qui olim doctorem defendendum ſuſcepit ne cogeretur concedere Scotum ſibi ipſi contrarium in vtroque illo loco negauit ſecundum eſſe ipſius, negat ſcilicet quæſtiones illas in libros Prior. eſſe Scoti ſubtilis, maiore ipſius damno, quam fuiſſet illud quod vitare conatur, vt iam videatur Scotus magis mihi defendendus à Fabro, quam ab ipſo Balduino. Certe ſi altera ex his reſolutionibus circa Logicæ obiectum negarem eſſe Scoti, mallem illam de ſyllogiſmo negare, quia minus fundata eſt vt patebit; neque defenditur à Scotiſtis, niſi interpretando eam de Logicâ Ariſtotelis, cuius pars maxima perijt: Deinde opus ipſum Scoti in Analytica triplo copioſius, & maius eſt, quam illud in vniuerſalia, & poſterius ſcriptum. Eſſe autem illud partum genuinum Scoti ſupra oſtendimus in apparatu ad hoc opus, ſufficit quod VVillot ipſum refert inter opera Doctoris, refert Poſſeuinus; Pitzeus etiam ſcribit Scotum bis ſcripſiſſe in analytica Ariſtotelis, tantum abeſt vt hoc vnū quod habemus non ſit Scoti: Quod etiam in pluribus vrbis bibliothecis habetur, vt in Gregorianâ, S. Mariæ de populo, & [quod caput eſt] in Vaticanâ tribus Codicibus M. ſſ.

Balduin. quæſito de obiect. Log.

Theor. 1. a

2. Iam quam hic nulla ſit contradictio facillimè oſtenditur, quia non idem ibi aſſerit Scotus & hic negat, vt patet ex verbis eius nu. 1. *iſte terminus ſyllogiſmus non eſt ſubiectum in tota Logica*: At verò in principiò non ita loquitur quum aſſerit ſyllogiſmum eſſe ſubiectum in Logica; non enim loquitur de tota Logica, & ſaltem ſignificat ſe non æque plenè accipere Logicam vtrobique; ſed priori loco loqui de illâ Ariſtotelis tantum, poſteriori verò de Logica ſecundum ſe abſolute. Quod præter ſupra dicta videor mihi inde confirmare, quod Scotus in priori loco diſcurrendo per omnem Logicam vt oſtendat totam circa ſyllogiſmum occupari, non enumerat niſi libros ab Ariſtotele conſcriptos Prędicamentorum, Priorum, Poſteriorum. At verò in altero loco non ſolū hos recenſet, ſed & alios aliorum, vt librum Boetij de diuiſionibus, Quinque vocum Porphyrij, ſex principiorum Gilberti. Itaque hic non eſt contradictio; ſed neceſſaria diſtinctio, quam præter noſtros ad hibent Conymb. & ante ipſos Tollet

quæſt. 1 proœm. ar. 5. in proœm. Log. q. 1.

3. Probatur iam præſens concluſio. Latius patet Logica, quam ſyllogiſmus, ergo ſyllogiſmus non poteſt eſſe obiectum eius adæquatum: nam obiectum adæquatum, nec excedere poteſt, nec excedi, ſicut nec poteſt dari viſio ocularis vnquam, niſi obiectum ex aduerſo reſpondeat organo vt duci poſſit linea recta ab vno ad alterum, reuera enim ſic gignitur cum proportione cognitio. ab obiecto. Antecedens autē eſt certiſſimum: quia Logica ex ſe habet docere non ſolum ſyllogiſmum, ſed & definitionem, & diuiſionem, & ſi quæ ſint alia inſtrumenta ſciendi nec ſufficit ſi quis dicat quod in ſyllogiſmo contineatur definitio. &c. niſi oſtendatur quod nullum præterea eſſe, aut vſum ibi habent, nam ſi habent iam poſſunt gratia illius alterius tractari. Quod autem eum habeant & propterea debeant à Logicâ tractari oſtendo quia definitio etiam extra ſyllogiſmum eſt modus ſciendi, & quodammodo magis ibi, quā in ſyllogiſmo. Logica autem non de vno modo ſciendi, ſed de omnibus debet egere: probatio maioris: quia definitio extra demonſtrationem notificat ſubſtantiam rei: idque independenter ab alio, quum in ſyllogiſmo id præſtet dependenter, & tanquam pars alterius, imò ne id quidem, quia non tam ſubſtantiam, quam paſſionem ibi oſtendit.

Pergo in probatione: nihil eſt adæquatum obiectum Logicæ, niſi quod eſt adæquatum intellectui, ſyllogiſmus non eſt adæquatus intel-

 lectui

lectui, ergo nec Logicæ, ratio maioris, quia Logica inuenta eſt ad iuuandum intellectum in agendo ne errare, & decipi poſſit in ſuis operationibus, adeoque nihil adæquat Logicã, quod non adæquet intellectum, ſed ſyllogiſmus non; quæ fuit minor ſupra poſita, & ſic probatur, quia ſyllogiſmus deſeruit ad regulandam tertiam operationem intellectus, qui eſt diſcurſus; præter hoc autem ſunt illi aliæ duæ ſcilicet apprehenſio, & iudicium, ergo

Dices illas alias operationes includi in ſyllogiſmo. Sed non ſufficit ſic reſpondere: primo quia falſum eſt in ſyllogiſmo eſſe ſimplices apprehenſiones: nam ſyllogiſmus propriè eſt ille mentalis, in illo autem non ſunt huiuſmodi extrema propoſitionum ſed propoſitiones tantum, quæ ſunt ſingulæ vnum indiuiſibile quid, non conſtãtes partibus quæ ſint horum ſimpliciũ apprehenſiones Secundo etiam, quia quamuis eſſent ibi, tamen regula ſyllogiſmi non regularet eos niſi in ipſo ſyllogiſmo exiſtentes At verò intellectus habet apprehenſiones terminorum extra ſyllogiſmum, quæ ſine dubio debent dirigi Logicæ præceptis extra ſicut intra ſyllogiſmum: ergo.

Probo 3. quamuis ferè repetatur idem. Obiectũ facultatis practicæ deſumendũ eſt ex fine eius eſt enim id in quod deſinit, ſiue quod per ipſam producitur At verò per ipſam Logicam non ſolum producuntur argumentationes, ſed enunciationes, & apprehenſiones; ſiue definitiones, & diuiſiones: ergo. Vrgeo quia circà enuntiationes &c. ſiunt aliqua quæ non habent exercitium ſui in ſyllogiſmo: nam infinitatio verbi, non ſit in ſyllogiſmo, nec in enunciatione, ſecundum pleroſque Logicorum: non enim infinitatur ſed negatur verbum: & tamen quis neſciat verba infinita à Logicis tractari. Idem ferè eſt de oppoſitione: nam licet nulla propoſitio ſit, cuius oppoſitum non poſſit ſyllogiſmo inſeri, tamen non omnes oppoſitæ propoſitiones poſſunt inſeri eidem. At verò oppoſitæ propoſitiones debent extraſe poni, non enim contradicit affirmationi huic nunc factæ niſi negatio ſimiliter facta ergo.

4. Habeo tamen ipſe contra hoc non nihil difficultatis, nam quod modus ſciendi ſit communis illis tribus quæ in Logica tractantur, ſcilicet definitioni, diuiſioni, & argumentationi, propter quod Scotiſtæ eum elegerunt, hoc inquam non videtur ſufficere vt ſtatuatur Logicæ obiectũ, quod videor mihi ſequenti diſcurſu oſtendere etiam ad hominem, obiectum enim alicuius facultatis debet in illa definiri, debent de eo paſſiones in ſcientia demonſtrari, & denique debent omnia ad ipſum referri, ſiue eius cauſa tractari. At uerò hoc non contingere in Logica reſpectu modi ſciendi euidens eſt. Nam vt omittam non dari vllam eius veram definitionem, niſi definitionem quid nominis, ſiue orationem aliquam longiorẽ definito paulò clarius id ipſum dicentem; quas paſſiones de modo ſciendi vnquam demonſtratas viderunt hi aut protulerunt hactenus de modo ſciendi vt ſic: dent enim vnam? Præterea modus ille ſciendi credo equidẽ ideò tractatur in Logicã, quia eſt quid commune tribus modis in ſpecie, qui docentur in ipſã. adeoque prędicatum aliquod inclusum in illis, nam alioqui ſecundum ſe ab abſtractè ſumptus non habet agere cum Logica, ſicut nec habet dirigere, aut iuuare vllam operationem intellectus, ergo iam non omnia quæ tractantur in Logica eius gratia tractatur, ſed è contra potius ille tractatur gratia omnium, & ſingulorũ aliorũ. Vrgeo Scotiſtas, qui proinde cenſent ſyllogiſmum vt ſic ſtatuendũ eſſe obiectũ Logicæ Ariſtotelis, nõ verò modũ ſciendi, eo quod modus ille non inuenitur definitus, aut demonſtratus apud Ariſtotelem; & vbi inuenitur apud ipſos definitus, aut paſſio de eo demonſtrata? vrgeo iterum etiam abſolutè quia nõ eſt ponenda oratio, aut argumentatio, aut ens rationis, aut ſecunda intentio Logicæ obiectum, & tamen ſingula hæc ſunt quid commune omnibus Logicis inſtrumentis, ſicut eſt modus ſciendi; & quod his deficit, deeſt etiam modo ſciendi viderint ergo Scotiſtæ quam cautè illa excluſerint, & hunc aſſignarint.

Poncius diſp. 2 Merril. & Bellud. hic eodem

5. Poſſumus tamen reſpondere concedendo omnia aſſumpta in argumento & negando conſequentiam: eo quod modus ſciendi quando aſſignatur in obiectum Logicæ intelligendus ſit eſſe obiectum prædicationis, non attributionis; hoc eſt quod ille ſit vnum, in quo conueniunt omnia, quæ in Logica tractantur, non verò quod ſit vnum de quo ſolo Logica tractat. Explico ſolutionem. Logica de multis, & quidem diſparatis agit, atque ita nullum horum poteſt ei aſſignari in obiectum; ſed nec omnia, quum obiectum debeat eſſe vnum, ſicut ſcientia ipſa vna eſt; illa autem ſint plura quærendum ergo fuit vnum, in quo omnia hæc conueniunt, is eſt modus ſciendi ergo.

Sed contra primam ſolutionem facit, quod ſic dici poſſit etiam oratio, aut ens rationis &c. eſſe Logicæ obiectum: nam quodlibet ex his eſt quid commune tribus illis, & ita prædicabile de tribus quæ Logica tractat, Reſpondeo tamen negãdo conſequentiam: non enim eſt ſimile, quia iſta ſunt quidem communia tribus illis, ſed excedunt ea, competunt enim alijs, Obiectum autem ſcientiæ non debet excedere &c. Aliter poſſumus applicare ſolutionem reuocando huc aliã diſtinctionem de ſuppoſitione ſimplici, & perſonali [quos terminos ſuppono aliunde notos, ſicut etiam ſuppoſitio notum obiectum attributionis, & prædicationis] Aliter inquam reſpondeti poteſt modum ſciendi ſuppoſitione perſonali, hoc eſt vt accipitur pro ſuis inferioribus eſſe Logicæ obiectum; non autem vt ſupponit ſimpliciter, id eſt vt ſignificat ſuam nudam eſſentiam. Et idem eſt de hac Deus eſt vnus tantum; nam in ſuppoſitione ſimplici eſt vera quia non dantur plures Dii, perſonali autem ſuppoſitione eſt falſa, quum conſtet Deum eſſe trinum.

6. Confirmatur adhuc, quia etiam in alijs ſcientiis ſtandũ eſt in huiuſmodi obiectis. Nam Metaphyſicæ v. g. obiectum eſt ens & tamen non niſi obiectum prædicationis: nec enim omnes definitiones & omnes demonſtrationes, quas facit Metaphyſica ſunt de ente.

Dices aliquæ ſaltem ſunt, nulla autem demonſtratio Logica eſt de modo ſciendi. Reſpõdeo tamen hoc non ſufficere reſpondenti, nam hoc efficiet fortaſſis vt ens ſit obiectum attributionis illius partis Metaphyſicæ, quæ de ipſo eſt. At reſpectu aliarum partium, & conſequenter reſpectu totius ſcientiæ non poterit habere aliã rationem, quam vt ſit obiectum prædicationis, ſicut modus ſciendi in propoſito. Quod etiam de alijs ſcientijs oſtendi poſſet.

ACTIO

ACTIO OCTAVA.

De quo Syllogiſmo, & modo Sciendi agat Logica, formali an obiectivo.

BREVIARIVM.

N. 1. *Senſus quæſiti explicatus.*
2. *Obiectum Logicæ eſſe modus formalis probatur.*
3. *An probari poſſit à paritate Ethica.*
4. *Subordinatio ſcripturæ, vocum, conceptuum.*
5. *Obiectio: Cuiuſmodi termini ſpectent ad Logicam.*
6. *Quomodo intelligendum quod in ſyllogiſmo medium identificetur extremis.*
7. *Non poſſe inſtrumenta ſciendi obiectiua huc ſpectare.*
8. *Nec minus vtriuſque generis inſtrumenta, obiectiua, & formalia.*
9. *Obiecta paritas beatitudinis: & reiecta.*
10. *Aliæ duæ obiectiones vbi de Ethica, & Pictoria arte.*

DIximus obiectum Logicæ eſſe modum ſciendi, ſeu acquirendi notitias rerum, ſiue in communi ſumptum, quod reſoluimus vltimatè de mente Scoti, ſiue in aliquâ ſpecie, quæ ad mentē Ariſtotelis fuit ſyllogiſmus: Hoc ipſum autē adhuc poteſt controuerti an ſcilicet Logica agat de his obiectiuè ſumptis an vero formaliter. Eſt autem ſyllogiſmus v. g. formaliter ſūptus ipſi actus intellectus interni reducti in talem formam, & figuram: obiectiuus autē eſt non (vt credit quidam Recens) quod habet eſſe in intellectu: ſic enim ferè conincideret cum formali; ſed eſt res ipſa quæ reſpondet conceptibus tanquam obiectum ſeu ſignificatum earum. eſt ergo quæſtio vtrum Logica verſetur circa ipſa quæ intelliguntur, an circa intellectiones eorum, & proinde non errauit omnino qui exiſtimauit hanc quæſtionē coincidere cum illâ quâ quæritur an Logica agat de rebus: quanquam nec etiam ſi Logica ageret de operationibus intellectus ageret de rebus vt hic, Omiſſis ergo aliorum gloſſis breuiter ſic accipienda eſt res vt quæratur hic vtrum Logica tractet de forma, quæ inducitur in operationes intellectus in ſyllogiſmo. v. g. per diſtributionem medij, & vnionem cum extremitatibus; an verò de vnione & connexione rerum ipſarum extra inter ſe v. g. de reali coniunctione riſibilitatis cum rationabilitate in homine ad quod

2. Dico reſolutiuè Logicam pro obiecto habere modum ſciendi formalem eſt manifeſta Doctoris mens vtroque loco in themate producto, & præterea Aquinatis, & aliorum. Probatur. Logicæ obiectum eſt id quod fit per ipſā at verò modus ſciendi formalis eſt qui fit per ipſam: ergo & obobiectum Logicæ: Maior patet, hæc enim eſt natura omnis habitus practici vt obiectum ſuum producat, quod centies ſupra viſum eſt: minor autem adhuc patentior eſt, nam per Logicam non producitur aliquid extra ipſammet; cuius etiam

in princ. Periher. & Poſt. Caet. in Ante-p. a l. Hurtad. diſp 1 log. ſec. 3. R-b q 6 Proœm. Raph.

probatio eſt iſta, quoniam obiectum habitus non poteſt latius ſe extendere quam extendat potētia cuius eſt, at verò intellectus, in quo eſt Logica, at nō poteſt producere quidquā extra ſe ipſam. ergo. Et quis dubitet, quod Logica non producat res extra, puta hominem, aut riſibilitatem eius.

Auerr. q. 2. ſec. 5. Ægid. 1 Poſt. Auerro. epitom. log.

Dici poteſt nec etiam producere res intra, ſiue ſyllogiſmū formalē, qui conſiſtit in actibus intellectus: hi enim ab obiecto, & potentia fiunt tanquam à cauſis adæquatis. Reſpondeo verum eſt; tamē ſyllogiſmus intra verè dicitur eſſe opus eius, quia in illū inducit ſuā formā ſicut domus dicitur eſſe opus fabri, aut architecti, licet neuter eorum produxerit ligna, aut lapides, quibus conſtat domus. Ita, quia Logica inducit formā ſuā in operationes ad intra, in quibus conſiſtit ſyllogiſmus formalis, non in res ad extra iudicandū eſt ſyllogiſmū ad intra eſſe opus, & obiectum eius, non verò ſyllogiſmum ad extra. Quod verò ita ſit ratio iam facta probat, quod ſcilicet artificiū Logicum inducatur in conceptus, non in res extra, quia nimirum res ſunt extra potentiam, in quā eſt Logica, conceptus intra eam: ergo.

Proſequor rationem; quia inſtrumentū ſciendi debet eſſe ex parte eius qui ſcire, aut doceri debet, non verò ex parte rei, quæ ſcienda eſt, obiectum Logicæ eſt inſtrumentum ſciendi, ergo debet ſe tenere ex parte ipſius hominis, qui vult adquirere ſcientias, non extra eum, atqui conceptus ſunt intra res, res ſunt extra eū ergo obiectū Logicæ, quod eſt inſtrumentū ſcindi vel vice verſâ inſtrumentū ſciendi, quod eſt obiectū Logicæ eſt formale, & ſe habet ex parte conceptuum. Et ſanè res hæc habere euidētiā aliquā ſi reducatur ad inſtantias ſenſibiles, aut manuales, quā inepte enim quis, quum vellet pannū diuidi, forcipes ipſi panno relinqueret. quæ rectius dandæ erant ſartori, confirmo nam quod res extra ſic ſint diſpoſitæ nihil facit ad perfectionem intellectus mei, certum eſt autem quod Logica eſt aliqua perfectio intellectus, ergo Confirmo iterū, quia Logica artificialis eſt perfectio Logicæ naturalis, ergo debet ibi poni vbi eſt Logica naturalis, iſta autem certum eſt quod ſit in intellectu, ergo.

3. Probatio altera principalis, quia Philoſophia moralis, cui reſpondet Logica non habet pro obiecto res ſed actus; ergo nec Logica. Cōſequentia eſt à paritate, ſic enim inuenta eſt Logica ad dirigendum intellectum in ſciendo, vel addiſcendo, ſicut Ethyca ad regendum eundem in agendo, & ſine dubio nemo ſequelam negaret; ſed reuerà exiſtimo antecedens negandum eſſe ijs omnibus qui ſuſtinent oppoſitū præſentis cōcluſionis; adeoque nō facile vti poſſumus hoc argumēto, niſi repetendo tacitè principiū. Quia tamē antecdēs cōmuniter conceditur nō eſt contēnenda probatio; ſed multò melior eſt ſeqnēs. quā ſic.

Tertio principaliter adduco. Definitio qua vtitur Logica, & quam tractat eſt definitio formalis; ſine dubio autem idem eſt de alijs modis ſciendi ergo maior probatur, quia defi-

nitio ipſa definitur: Oratio explicans rei naturam: certum eſt autem quod oratio, & explicatio, in verbis ſiue oris, ſiue mentis habetur; ſed ego efficacius eandem maiorem ſic probo. ſi definitio Logicæ cenſenda eſſet obiectiua, & non formalis omnino non daretur Logicæ definitio, hoc ſupponimus eſſe falſum: ergo. ſequela maioris probatur, quia ex parte rerum nulla eſt definitio; ſed ſolum definitum nam homo v. g. non eſt definitio ſui, nihil autem eſt in homine niſi homo: ergo vrgeo & explico hoc, nam dicendum omnino eſt, quod vel non detur in rebus definitio, vel non datur in illis definitum, ratio quia res extra, v. g. homo ſemel eſt homo, & non bis: non autem eſt homo primum, & deinde animal rationale; ſed eſt vnũ aliquod ex parte obiecti, ſiue vocandum ſit homo, ſiue animal rationale, non ergo eſt ibi homo, & præterea animal rationale: ergo vel non eſt ibi definitio, vel non eſt ibi definitum. Clarum eſt autem ibi eſſe aliquod definitum, ſeu definibile: ergo non definitio: atque adeò niſi ſtetur huic concluſioni, non dabitur in rebus definitio hæc autem paradoxa non ſequuntur tenentes præſentem concluſionem; facilè enim aſſignabunt illi definitionem, & definitũ ſeorſim; definitionẽ ex parte intellectus, definitum ex parte rei: ergo.

4. Vt autem intelligatur quomodo argumenta Aduerſariorum nihil efficiant, meminiſſe oportet eius quod in ſummulis tradi ſolet de modo ſignificationis, & ſuppoſitionis ſcripturæ vocum & conceptuum, quæ omnia in propoſitionibus pro rebus ſupponunt; at non ſimiliter omnia; nam proximè & magis propriè conceptus ſtant pro rebus. Alia ſtant quidem pro rebus; ſed quaſi mediatè nam ſubeunt vicem conceptuum, & eatenus ſtant pro rebus, quatenus conceptus, quorum vicem ſubeunt ſupponunt pro ipſis, in quo videri poteſt ordo quidam ſeruatus, nam ſcripturæ vicem vocum ſubeunt, voces conceptuum, conceptus autem nullius vicem ſubeunt, ſe repræſentant res vt cognitas, & pro ipſis ſupponunt in propoſitionibus. Itaque voces, ſcripturæ, & ante omnia conceptus ſunt termini, ſubjectum, & prædicatum *vt quo*, quia ſunt ſigna, quibus mediantibus intellectus affirmat, aut negat quidquam de rebus ipſis, res autem ipſæ ſunt ſubiectum, & prædicatum *vt quod* Affirmationes autem, & negationes ſiue enuntiationes abſolutè loquendo ſunt illæ quæ in intellectu ſunt non vero quæ in re extra: Iam ergo.

5. Objiciunt illi primo: De illo ſyllogiſmo agitur in Logicâ, qui componitur ex propoſitionibus de quibus per ſe agitur in Logica: hic eſt obiectiuus, non formalis: ergo Minor probatur ratione ductâ eodem tenore; de illis propoſitionibus agitur in Logica quæ componuntur ex terminis, de quibus per ſe agit Logica, hi ſunt obiectiui ſunt enim iſti quantitas, qualitas, ſubſtantia, relatio &c. Item genus, ſpecies, differentia, ſubiectum, prædicatum &c. Reſpondeo retorquendo argumentum. De illis ſyllogiſmis, & propoſitionibus agitur, qui componuntur ex terminis definitis in Logica, iſti ſunt formales: nam 1. Priorum. 1. definitur terminus eſſe in quem reſoluitur propoſitio: propoſitio autem aut enuntiatio eſt tantum in mente: non enim res extra affirmant, aut negant quidquam de ſe, ſed verificant affirmationes. In forma etiam Reſpondeo negando minores & ad primi generis inſtantias, illos ſcilicet terminos ſubſtantia, quãtitas &c. dico illos non tractari per ſe in Logica; ſed in Metaphyſica. in Logica autem quaſi per accidens; & vt materia in qua ſe exerceant tyrones: quemadmodum ab Aſtronomo, conficitur ſphæra materialis cũ tamẽ Aſtronomia ſit ſpeculativa, non actiua, aut factiua.

Difficilior eſt inſtantia aliorum terminorum, horum ſcilicet, genus, ſpecies &c. ſed Reſpondeo illos terminos eſſe quidem obiectiuos, & tractari à Logica per ſe; non tamen ratione ſui; ſed in gratiam formalium: nam cum formales ſint imagines obiectiuorum non poſſunt dirigi pro nunc, aut intelligi, niſi intellectis obiectiuis, ſicut etiam voces factæ ſunt pro ſignificandis conceptibus, & tamen immediatè ſignificant res

Dices ſi ſint imagines obiectiuorum, potius tractandæ ſunt propter obiectiuos, quam obiectiui propter illos, cum imagines ſint ſemper propter authographa. Reſpondeo verum eſt abſolutè, non tamen in ſcientia cuius minus eſt tractare per ſe de formalibus, nam in iſtâ principaliores ſunt termini formales; quamuis alias obiectiui, ſeu res ipſæ ſint præſtantiores ſine dubio.

6. Objicitur 2. ſyllogiſmus, de quo agitur in Logica eſt ille in quo ponitur maior, & minor extremitas, atque ex identitate earum cum medio in præmiſſis colligitur identitas earum inter ſe in concluſione: hic autem eſt obiectiuus non formalis; non enim eſt conceptus maioris extremitatis qui vnitur minori, aut medio; ſed res ſignificatæ. Solutio iam data eſt: ſyllogiſmus enim Logicus eſt is, in quo adibentur iſti termini, & in quo vniuntur *vt quo*: hic autem eſt formalis, non verò in quo vniuntur, *vt quod*, qui eſt obiectiuus: eſt enim ille, in quo dicuntur, & ſciũtur iſta vniri inter ſe non verò ille in quo reuera exercetur vnia, non enim Logica eſt vncus, aut inſtrumentũ aliquod acquirendi res; ſed acquirendi ſcientiã rerum: Ex quo patet ad ſequentã.

7. Syllogiſmus demonſtratiuus à priori, de quo in logica eſt obiectiuus: ergo omnis alius. Antecedens oſtenditur; eo quod demonſtratiuus ille debet habere pro medio definitionem ſubiecti, cuius eſt paſſio, vel aliquam cauſam paſſionis, aut effectus: ſed nec illa definitio; nec cauſa illa paſſionis poteſt eſſe actus vllus intellectus, vt patet etiam cæcis, ergo: nego enim antecedens huius; & ad probationem dico, quod demonſtratio Logicæ debet habere cauſam paſſionis in cognoſcendo, non verò in eſſendo; intellige proximè; nam etiam habet pro medio cauſam paſſionis in eſſendo; ſed remotè, & obiectiuè, quatenus ſcilicet eam habet obiectum eius, pro quo ſupponit, itaque etiam huc redit illa diſtinctio de habere vt *quod* & vt *quo*, demonſtratio enim Logicæ, quæ eſt formalis, habet etiam in ſe cauſam paſſionis; ſed tamen vt quo; id eſt tanquã ſignum, quo exprimitur vera cauſa, quæ eſt in demonſtratione obiectiua.

8. Nihilominus tamẽ aliqui, tam ex noſtris, quã ex aliis, his ratiunculis moti claudicauerunt dicẽtes quod quanquam veriſſimum eſſet Logicâ agere per ſe de ſyllogiſmo, & cæteris modis ſciendi formalibus; ſed negari non poſſe quin etiam agat de obiectiuis; contra quos ſtatuo ſequentẽ

Ponti. diſp. 1. 4. num ead. & 1.

ex

ex profeſſo, &

Dico Logicam habere pro obiecto ſolum ſyllogiſmum formalem; non etiam obiectiuum, aut complexum ex vtroque probac

R. Ariag. diſp. 2. log. Sect. 3. Arguebant aliqui: ſi Logica agit de rebus extra, & dirigit eas in ſe, ac non tantum intellectum in definitione, aut demonſtrationes earum, tum Logici erunt paſtores, imo opiliones, & ſubulci; ſi enim dirigunt res omnes, etiam pecora dirigere debent: Quam probationem in hanc etiam formam honeſtius vertere poterant. ſi Logica habet pro obiectores iam non differt ab aliis ſcientijs, puta Phyſica, Metaphyſica, Matheſi, niſi exceſſu obiecti, quia ſcilicet Logica habet pro obiecto quidquid ipſæ habent, & præterea tum verò eſt: interre quod ſola Logica ſit omnes artes tam mechanicæ, quam liberales: ſi enim ipſius ſit omnia dirigere, & conſequenter noſſe, iam omnia tam ſpeculabilia, quam practica ad ipſam pertinebunt ſed non debent hoc tonitru terreri aduerſarij, in primis enim, propoſitio quam hi proſequuntur, & reputant abſurdam eſt *Ariſtotelis* quod ſufficit Recentibus; & *Subtilis*, quod ſufficit et os Scotiſtis, vterque enim ait Logicam agere de omnibus, & omnia ad ipſam ſpectare. Iam verò ad inconuenientia alta reſpondent primum non ſequi, quia Logica non dirigit pecora in ſtabulum, aut campum, adeoque nec Logici ſunt paſtores &c. quibus ſupra expoſui ridiculam difficultatem.

Ad alterum abſurdum euadendum notandū dupliciter poſſe res ſpectari, & in ſe abſolute, & in ordine ad alia ſit exemplum, quod tetigit Doctor de Mathematico, qui habet pro obiecto quantitatem habet etiam eandem Metaphyſicus, ſed aliter: hic enim conſiderat naturam eius in ſe; alius autē Mathematicus, ſcilicet ſeu Geometer in ordine ad angulos & alias figuras faciēdas, non curando de natura eius an ſit ſubſtātia, an accidens. Ita illi reſpondere poſſunt res omnes ſpectare ad Logicam non tamen proinde Logicā eſſ. Phyſicā; At multò minus omnes ſcientias non cōſiderat res abſolutè in ſe; ſed in ordine quia ad facienda aliqua compoſita puta ſyllogiſmum, definitionem ſed neſcio an iſtæ ſolutiones expediant ſic reſpondē res: puto quod adhuc illis inuitis Logici ſunt paſtores; nam ſi Logica tractat pecora, tractat etiam campum, & quandoquidem cō ponat terminos, de quibus agit ad inuicem, & ſic ea d rigat nihil video cur non dirigat pecora ad campum: cum campus poſſit in aliquo ſyllogiſmo eſſe mediū & pecora extremū.

Deinde multo minus euadunt ſecundum abſurdum: nam ſi ſit ſimile de Geometro, vel vt volunt illi de Architecto qui tractat lapides non in ſeipſis, ſed in ordine ad faciendam domum; certè Logicus debet res ipſas extra mouere, ac nō tantū intra in intellectu ſicut faber, aut Architectus, vt faciat domū debet realiter mouere hūc lapidē, & ſupponere aliū. Ita dico ſi forma inſtrumētorū Logicorū introducēda eſt in res ipſas extra; tū quādo intellectus ex maiori facit minorē, vel è contra, aut ex ſingulari vniuerſali, tū inquā res extra debent loco moueri, & in præmiſſis vniuerſalibus [ſi fortè permutentur] omnia omnino moueri, quo nihil magis ridendum ſicut etiam riſu dignum eſt, quod ſequitur ad ſolutionem prioris abſurdi; ſcilicet Logicam dirigere pecora in intellectu ſi enim dirigit ea ad faciē-

Hurt ad. diſ. 1 log. Arriaga.

dum ſyllogiſmum, & hic non fit niſi in mente, aut intellectu ſequitur &c. Itaque obiecta, & ſyllogiſmus obiectiuus nullatenus ſpectant ad Logicam; niſi quemadmodum ipſe homo ad ſartorem; qui quia debet formare homini veſtes, debet noſſe ſymetriam membrorum eius, an proinde Anatomia humani corporis pertinet ad ſartorem? nihil minus. Ita ſanè; nec ad Logicam ſpectant res extrā, licet conetur eas explicare, ſubinde, vt eò magis perficere poſſit inſtrumenta ſua in ſyllogiſmo formali, qui coaptari debet per omnia obiectiuo.

Probo etiam id ipſum directè, quia inſtrumenta Logicalia non dantur totaliter in rebus: ergo non poſſunt obiecta, aut inſtrumenta obiectiua puta ſyllogiſmus obiectiuus, aut enuntiatio obiectiua eſſe eius obiectum, probo aſſumptum quia inſtrumēta illa puta enunciationes, & ſyllogiſmi ſiunt ex ſubiectis & prædicatis vniuerſalibus, ac de omnia a vero à parte rei ex. ra intellectum non dantur vniuerſalia vt notum eſt: ergo. Hanc rationem vtcumque ſupra applicaui definitioni, iamque accomodo diuiſioni; nam quā diuiditur aliquod ſuperius in partes obiectiuas v. g. animal in rationale & irrationale, non poſſunt hæc omnia accipi obiectiuè, quia in obiectis, ex rebus extra non datur diuiſum, ſed ſolum membra diuidentia ſcilicet animal rationale & animal irrationale ſiue homo, & bruta.

8. Quod verò non poſſit obiectum Logicæ eſſe complexum ex modo ſciendi puta ex ſyllogiſmo formali & obiectiuo, vt ineptius aliqui dixerunt inde conſtat, quia ſic duæ rationes oppoſitæ, & ſpecificantes totidem ſcientias, conuenirent in vnum, quod vtique non minus abſurdū eſt quam duas ipſas ſcientias conuenire in vnam: v. g. Phyſicam quæ agit de rebus ipſis vt redigibiles in talem formam: ſicut ergo ſi quis diceret obiectū architecturæ eſſe lapides, & ſecundum ſe, & ſecundum formam domus confunderet Phyſicam, & architectonicam, atque eorum obiecta in vnū, ita qui aſſignat Logicæ inſtrumenta ſciendi obiectiua, & formalia ſimul, miſcet Logicam & Phyſicam in vnum.

Obijciunt ipſi ſcientia quæ agit de beatitudine, tractat de obiectiua, & formali: ergo poterit, & debebit illa, quæ habet pro obiecto modum ſciendi agere de obiectiua, & formali. Reſpondeo hoc ſupra ſolutum eſſe per inſtantiam ſartoris; ſic enim pertinet beatitudo obiectiua ad authorem tractatus de beatitudine proprie ſumpta, quemadmodum pertinet corpus humanum ad ſartorē, qui non ob aliud debet ipſum noſſe, niſi quia de eo facere veſtes quæ ei exactè conueniant. Ita quā beatitudo formalis ſit expreſſio quædam beatitudinis obiectiuæ, qui habet docere naturam beatitudinis formalis, debet tractare de obiectiua; ſcimus autem, quod quando aliquid ſpectat ad ſcientiam ratione alterius, id quod ſic ſpectat non poſſit ei aſſignari in obiectum, ſicut illud alterum. Et ſanè ſi argumentum aliquid valeret multas confunderet & faceret ex pluribus ſcientijs, ſeu Facultatibus nam pictoria, & Phyſica eſſent eadem ſcientia, quia nimirum eiuſdem ſcientiæ eſt obiectum in ſe & imaginem eius tractare. Item ob eandem rationem ſculptoria, & Phyſica eſſent eadem, forte etiam ſartoria, & ipſa, &c. quæ omnia manifeſtè falſa ſunt, & ex illis patet ſolutio ſequentis.

1●

10. Obijcitur enim Ethica quæ eſt ſcientia directiua operationum voluntatis agit per ſe de obiectis earum, puta de virtutibus, & vitijs: ergo etiam Logica, quæ verſatur ſimiliter circa operationes. intellectus conſiderat etiam obiecta eorum. Reſpondeo iam reſponſum eſſe: concedo enim antecedens & nego conſequentiam: agit enim Logica de obiectis actuum, ſed propter actus, ex quo non ſequitur res ipſas eſſe obiectum, aut partem obiecti eius; ſed tantum medium ad finem, ſicut ſupra dixi de ſartoriâ, & melius dixiſſem de pictoria, aut ſculptoria arte; nam in his opportunè tradetur aliquid de ipſius hominis compoſitione, vt eo melius ipſi artifices conficiunt imaginem eius, nec tamen homo eſt obiectum, aut pars obiecti horum Reſpondeo 2. concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas quia in obiectis voluntatis eſt moralitas aliqua ante actus eius & cõſequenter ſpectant etiam ipſa per ſe ad ſcientiã moralem. At verò in obiectis actuum intellectus nulla eſt artificialitas [vt ſi loquar] illius rationis, qualis conficitur per Logicam, imo neque vllius omnino, vt patebit diſcurrenti per artes reales, nam in panno ante exercitium ſartoriæ per quam fit tunica, nulla eſt tunicalitas: In marmore ex quo fit ſtatua hominis nulla eſt humanitas &c.

Obijci vltimo poteſt: Ars cuius eſſet me exprimere pingendo haberet pro obiecto me: ergo Logica, quæ habet pro obiecto actus intellectus qui ſunt expreſſiones, & picturæ quædam rerum, habet pro obiecto res ipſas. Huic diſtinguendum eſt antecedens, de obiecto proximo, & remoto, & omnino ſimile eſt quod ſupra aliquando dixi de arte frænofactoria, quæ quum habeat pro fine frænum, habet etiam equitationẽ equitatio eſt extrinſeca frænofactoriæ, licet quia hanc habet frænum pro fine, ſed enim ſit finis intrinſecus fræno. Ita hic imago mea eſſet illi arti finis intrinſecus, ſeu obiectum proprium ego autem extrinſecum, & remotum. Iterum Reſpondeo, & nego, conſequentiam. Cauſa: quia Logica non attendit actus ut ſunt imagines rerum propriè: ſic enim propriè ad Phyſicam ſpectant; ſed vt ſunt formalibiles in tale artefactũ puta ſyllogiſmum; ſicut faber qui parietem compingit, inter alios lapides ponit ibi ſtatuam: Dico fabrum hunc, aut cæmentarium attendere in ſtatuâ non rationem ſtatuæ, aut expreſſionem autographi; ſed conuenientiam eius vt fiat pars parietis, & proportionem eius cum alijs lapidibus qui ſequuntur.

Scribunt de hoc

Alcinous de doctrina Platonis. cap. 3. *Plotinus* Ænead: 1. *Amonius* in proœem. Porphyrij. *ſimplic.* dub. 10. *Phylopon* proœem in Poſteriora. *Algaſel.* & *Alpharab.* apud. *Alber.* tract. 1. prædicabil. c 4. *Euſtratius* 2. Poſter. comment. 324. *Rodulphus Agric.* lib. 2. de inuent. Dialect. c. 5. *Flaminius Nobilius* in quæſtion. Logic. *S. Iſid.* lib. 2. Ethymolog. *Alenſis* 2. met text 15. *Aureol.* in prolog. ſent. q. de ſubiect. Theol. *Ozam.* ibidem, *Dexippus* lib. 1. in Prædicam *Durand.* 1. D. 19. q. 6. *Mirandul.* initio Logic. *D. Thom.* opuſc, 42. c. 4. & opuſc. 48. & 56. & 4. Met. lect. 4. & cum ipſo *Aquarius* ibid. *Ægid. Roman.* initio Elenchor. *Niphus* in Prolog. lib. Prior. *Rodophon. Briſo.* q. 4. proœm. *Ioan. de Lapide* q. 1. Prædicabil. *Grattaleus* initio prædicam. dub. 2. *Petronius* to. 1, Logicæ lib. 1. q. 4. ar. 4. *Herneus* lib. de ſecundis intentionibus. *Sanchez* in ſua Logica lib. 10. q. 7. *Balduin.* quæſito 2. de obiecto Logicæ *Sotus* q. 5. proœem. *Paul. Vallius* ibid. *Anton. de Iantis* in ſpeculo. *Mercado* q 1. prædicab. *Anton. Bern. Mirandul.* in prim. Log. *Tartaret* in ſumma Petri Hiſpani *Caet* cap. 1. de genere par. 2. *Maurit.* in expoſ. q. 3. Vniuerſ. Scoti. Item *Anglic. Braſauol. Sarnam* Conib. q. 5. proœm Logic. *Faber.* Theorem 6. *Fuentes* hic. q. 3. difficult. 3. ar. 6. *Ioan.* à S. Thom. par. 2. Logicæ q. 1. *Rouus* q. proœm. 5. *Suar.* diſp. 1. Met. ſect. *Caue Ciſtercens.* tract. 1, diſp, 1. dub. 2. *Poncius Maſtrius*, & *Bellut.* vbi ſupra recenſ. apologiæ præcedentis *Gallego* contro. 8. *Salaſ.* 1. 2. q. 54. diſput. 7. Vide *Rub. Hurtad. Ariaga Ouido* ibi ſupra in recenſu Apolog præced. *Bernardin. à Detrella* lib. 2. diſputat. Logic. c. 2.

APOLOGIA PROOEMIALIS QVINTA. DE VTILITATE, ET NECESSITATE LOGICÆ.

Actio I. Qua neceſsitate Logica præmittenda ſit alijs ſcientiis: ſiue an aliæ ſine ipſa acquiri poſsint?

Actio II. Quem influxum habeat Logica in actus aliarum ſcientiarum: & num attingat ipſas vt vtens, an vt docens?

Actio III. Quæ operationes intellectus dirigendæ, & quarum inſtrumẽta directiua ad Logicam pertineant?

Scotus

Scotus in 1. Poſter. q. 2. num. 6.

ALiquando acquiritur ſcientia partim ab extrinſeco vt quum ita eſt quod intellectus non eſt benè diſpoſitus, ſicut patet in illis qui habent ingenium obtuſum; tunc requiritur quod doctor extrinſecus ordinet principia addiſcentis & applicet illa con luſioni, & inde veniat addiſcens in cognitionem concluſionis per doctorem; principaliter tamen lumine intellectus proprij; ſed ſecundariò adiutorio Doctoris.

Idem 6. Metaphy. q. 1. num. 18.

COntra illud Metaphyſica non videtur neceſſaria, quin quicunque alius artifex vtens Logica cuius vſus eſt, communis etiam Metaphyſicæ poſsit quid ſui ſubiecti inquirere. Reſpondeo in tali inquiſitione nullus artifex eſt; quia ipſa inveſtigatio præcedit omnem proceſſum ſcientiæ quæ eſt per demonſtrationem, ſuppoſito quod quid eſt ſubiecti, ſiue confuſo, ſiue diſtincto; ſed in diuidendo, quod realitatis eſt Metaphyſici eſt, quod proceſſus rationis Logici.

ACTIO PRIMA.

Qua neceſſitate Logica præmittenda ſit alijs ſcientijs, ſiue an aliæ ſine ipſa acquiri poſſint.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Quæſitum hic Phyſicum non Logicum eſſe.*
2. *Logica artificialis habitualis non neceſſaria.*
3. *Logica autem actualis de poſsibili non neceſſaria de facto neceſſaria.*
4. *Obiectio, dupliciter ſoluta Logicam ad Logicam requiri.*
5. *Logica naturalis communiter, ſed malè dicitur requiri*
6. *Aſsignatur modus, quo demonſtratio ſuſtineri poſsit eſſe Logicæ obiectum.*

1 HÆc queſtio huc vſque durauit in ſcholis, & quidem in hoc loco, quū tamen reuera eò nō ſpectet: quin, [ſi vera fateri volumus] eſt propriè animaſt ca, & ibi reſoluēda vbi natura intellectus diſcutitur: nēpe quærere. An Logica artificialis (de hâc enim agimus) ſit ad ſcientias neceſſaria? eſt quærere an Logica naturalis ſufficiat, & hæc duo in re ſunt ſynonima: ideò enim artificialis requiritur, quia naturalis non ſufficit: atque ita à primo ad vltimum quæſitum hoc loco eſt, quanta ſit vis intellectus noſtri, quæ ſecundum omnes eſt Logica naturalis: Deinde quæro ex his qui tam liberè hæc proponunt, quid ſit Logica artificialis, vel vbi deſinit naturalis? certè hoc ſtabiliri debuit ante hanc quæſtionem, & tamen illud nemo definit. Reputatur quidem Logica artificialis, habitus acquiſitus Logica naturalis ipſe intellectus, ſed malè quia quando intellectus elicit actus lumini naturæ proximos. v. g. cum format ſyllogiſmum demonſtratiuum, aut aſſentitur formato, tunc inquam gignit habitum, & tamen non gignit Logicā artificialē, quia Logicā artificialis nō poteſt eſſe ad actus, qui à naturali haberi poſſunt, iſti autem poſſunt, vt patet: dein ſe quærendum eſt ex his vtrum exiſtiment dari Logicam naturalem in actu ſecundo, an non? ſed tantū in actu primo; ſi ſic, videntur tū negare Logicam artificialem: nam artificialis eſt actus ſecundus Logicæ naturalis. Itaque ipſe titulus huius adhuc eſt anceps, & obſcurus, vt facilius ſit ipſum intellectū reſoluere, quam intelligere reſoluendum.

Dicam breuiter quod mihi videtur hic cenſendum: Puto ergo ſenſum huius quæſtionis eſſe poſſe iſtum, vt ſcilicet quæratur, num intellectus ſeipſo ſufficiat ad alias ſcientias adquirendas. ſeipſo dico & immediatè, non vtendo alijs actibus ſuis præcedentibus, aut habitu genito ex ipſis; nam Logica artificialis actualis, nihil aliud eſt niſi actus geniti à Logica naturali ſ nō enim omnes ab artificiali elici potuerunt; quum certum ſit primum artificialem eſſe à naturali; adeoque, quod non poteſt fieri ſine adminiculo talium, cenſeri poteſt non fieri ſola virtute intellectus, ſeu Logicæ naturalis, ſed potius vi artificialis; quibus præmiſſis, & ſuppoſita diſtinctione Logicæ artificialis; in habitualem & actualem.

2 Dico primo Logicam artificialē habitualem non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad aliarum ſcientiarum acquiſitionem. Probatio huius facilis eſt, quia nimirum nullus habitus acquiſitus eſt ſimpliciter neceſſarius ad quidquam, [id enim proprium eſt infuſo, & ſupernaturali;] atque ita ſi ſcientiæ poſſunt acquiri cum Logica habituali poſſunt etiam acquiri ſine illâ. *Fonſec. 2. Met. c. 1. q. 4. Iauell. trac. c. 1 & 4. Conimb. in proœm. Auerſ. q 5. ſect. n Meriner. diſp. proœm. q. 7 Ponc. d. 2 q. vlt.*

Dices eſſe ſimpliciter neceſſarium ad facilitatē ſaltem, hæc autem ipſa eſt aliquid: ergo. Reſpōdeo eſt aliquid; ſed non aliquid agendum, neque etiam actio ipſa; ſed modus eius: habitus autē dantur ad agendū, & neceſſitas eorū quæritur, ac reſoluitur in ordine ad agendū, aut patiendū.

Dices iterum: Habitus ſupernaturalis confert facilitatem, ac non tantum abſolutum poſſe, ſaltem fieri poteſt vt hoc præſtet (imo videtur de facto præſtare: nam qui habet maiorem habitum charitatis vtique facilius diligit) ergo ſimiliter poteſt fieri, vt habitus acquiſitus det abſolutum poſſe; ſicut enim ſe habet habitus naturalis ad facile poſſe, ita ſupernaturalis ad ſimpliciter poſſe: ergo à permutata proportione, ſicut ſe habet ſupernaturalis ad facile, ita naturalis ad ſimpliciter: ſed ſupernaturalis poteſt conferre facilitatem: ergo naturalis facultatem ipſam, ſeu abſolutum poſſe. Reſpondeo anteced ns eſt incertè verum, imo in nobis pro hoc ſtatu eſt certò falſum; non enim experimur vllam facilitatem ex habitibus infuſis; ſed ſolum ex acquiſitis: vnde

autem id proueniat? credo equidem, quod non ex naturâ habitus; neque ex ſupernaturalitate eius: nam non dubito quin Angelus habens intenſum habitum ſupernaturalem facilius agat: tranſeat tamen antecedens, & nego conſequentiam, neque enim ſemper licet permutare proportionem, aut eâ permutatâ inferre verum cōſequens. Itaque differentia vtriuſque habitus eſt in conferre aut non conferre ſimpliciter poſſe in eo autem quod eſt conferre facilè poſſe, fortaſſis poteſt vterque conuenire.

Proſequor iam rationem poſitam quia ante omnem habitum acquiſitum, debent haberi aliqui actus, & quidem tales, quales ſunt illi qui ab eo gignendi ſunt: ergo nullus habitus acquiſitus eſt ſimpliciter neceſſarius ad eos actus ad quos conducit, antecedens patet, quia ipſemet genitus eſt per actus, & quidem tales (quiſque enim habitus inclinat ad actus, ſimiles illis per quos ipſe eſt productus) quidquid autem eſt per quod habitus producitur, ſine dubio præcedit eum. Vnde confirmari poſſet res in hunc modū. ſi habitus acquiſitus prærequireretur ad omnes actus, prærequiritur ad ſe non prærequiretur autem; nec poteſt prærequiri ad ſe, ergo. ſequela maioris probatur, quia aliqui actus prærequirūtur ad habitum, ergo ſi habitus prærequiritur ad omnes actus; iam habitus prærequiritur ad ſe, quod enim eſt prius priori, vtrique eſt prius poſteriori vt patet, ergo. Obijci ſolum poteſt fundamentū ſequentis, ſed illud ſequente ipſam probabit non iſtam improbabit vt iam videbimus.

Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſtianae. 3°. & lib. 8. de ciuiſ. c. 36. Boet. initio Porf. tranſl. Beſſario Cardon. lib. cōtra Cal. Pla. Albert. magn. tract. 1 log. c. . Rodrig. hic q. 2 art. 2 Camera. 1 par. q. 5.

3. Dico ergo 2. De Logica artificiali actuali poſſe fieri ne ſit abſolutè neceſſaria hominibus ad ſcientias acquirendas, de facto tamen cenſendū eſſe quod ſine ipſâ, vel totaliter, vel particulariter ſcitâ non poſſint omnia alia ſciri. Explico reſolutionem ex præmiſſis, Logica enim naturalis, & artificialis ſunt hic ſicut bilances quarum quo magis deprimitur vna eò magis extollitur alia, & vice verſâ. Vnde eò minus erit neceſſaria Logica artificialis, quo magis ſufficiet naturalis. At verò certum eſt poſſe à Deo fieri hominem intellectus tā perſpicacis, vt primo intuitu videat, quæ modo homines nō attingunt, niſi poſt plures actus, atque ita effici, vt Logica naturalis præſtaret id quod modo præſtat artificialis: quo facto euidens eſt Logicā artificialē non fore ſimpliciter neceſſariā ergo itaque quia conſequentiæ, & definitiones, quæ remotæ ſunt à primis principijs, & proinde iam exigunt artē, tū ſcirentur lumine naturæ, ideo tū non eſſet neceſſaria Logica vlla ad eas formandas, aut admittendas, ſiue ad hoc vt videretur vis earum præter naturalem. Iam verò quia videmus id non contingere, ſed oppoſitum, quod ſcilicet non poſſint homines quaslibet conſequentias ſtatim approbare; proinde ſequitur neceſſariam eſſe artem naturæ ſuperadditam: hæc eſt Logica, non habitualis, vt viſum eſt concluſione præcedenti, ergo actualis. &c.

Ratio ergo huius eſt quia in ſcientijs totalibus v. g. Phyſicâ, Metaphyſicâ &c. fiunt ſyllogiſmi non valdè euidentes, ſed obſcuræ conſequētiæ, quales ſunt fere omnes indirectè concludentes & aliquæ etiā directè concludentes in ſecundâ & tertiâ figura, quæ proinde non ſtatim commouent intellectum ad aſſenſum cōſequentis [in quo cōſiſtit cognitio ſcientifica, & diſcurſiua] ſed opus eſt eas reduci ad ſyllogiſmos directè cōcludentes, & denique ad illos primæ figuræ vno ex duobus modis; ſcilicet aut oſtenſiuè, aut per impoſſibile. At verò hæc vtraque reductio manifeſtè ſuperat communem captum hominis, vt vix addiſci poſſit interueniente etiam opera magiſtri: tantum abeſt vt ſe ipſa appareat lumine naturali intellectus, ergo ſed contra.

4. Obijciunt, quamuis dentur eiuſmodi ſyllogiſmi aliquot in ſcientijs, id tamen non efficiet ſcientias non poſſe ſine Logica haberi, quia illi ſyllogiſmi poſſunt reduci ad alios magis euidentes quod iam dictum eſt in explicatione. Poſtquam autem reducti ſunt ad tales, faciliimè concipitur quidquid in illis continetur: adeoque verum eſt, quod ſcientiæ poſſint ſine vlla Logica artificiali acquiri. Hoc argumentum quod eſt fundamentum aliorum præbebit nobis occaſionem proponendi fundamenta noſtræ doctrinæ. Reſpondeo ergo conceſſo antecedenti negando conſequentiā: imò dico oppoſitam, id eſt meā concluſionem ſequi; nam ſaltem magiſter qui ſic reſoluit illos obſcuros ſyllogiſmos, & reducit ipſos ad aliam formam euidentem, hic inquā debuit habere Logicam artificialem, adeoque ſequitur potius verum eſſe quod nos dicimus, ſcilicet non poſſe haberi omnes alias ſcientias niſi habeatur aliqua Logica artificialis. Reſpondeo 2. etiam in diſcipulo, ſeu in addiſcente, [de quo videtur dubitari] debere habere Logicam artificialem; quia nimirum non ſufficit quod magiſter reducat ſyllogiſmos ad clariorem formam, niſi diſcipulus audiat, & intelligat ſic reducentem, quum verò intelligit ipſum ſic eos reducentem, addiſcit reductionem, atque ita diſcit Logicam artificialem: in hoc enim potiſſimum illa conſiſtit ſed quia hæc ſolutio pati poteſt exceptionem. Reſpondeo tertio vltimatè, & probo concluſionem 3. quia hæc ipſa reductio eſt aliquid ſcibile, non poteſt hæc ſciri ſine Logica, ergo iam non omne ſcibile poteſt ſciri ſine Logica. Dices eſſe cognitio horum ſit ſcientia, tamen non eſt niſi Logica adeoque propter hoc requirere Logicam, eſt requirere Logicam ad ſeipſam. Reſpondeo, dixi in concluſione non poſſe omnia ſciri ſine ipſâ partialiter, vel totaliter: abſurdum quidem eſt logicam abſolutè requiri ad ſe at vero non eſt abſurdū vnam partē eius requiri ad alteram; ſed non eſt opus huc confugere; nam reductio illa quæ ſcitur non eſt pars Logicæ; ſed obiectum; adeoque non requiritur hic Logica ad Logicam, ſed Logica ad ſuum obiectum capiendum, loquor enim de reductione obiectiua non formali.

5. Dico denique non eſſe nimis certum, quod communiter omnes hic dicunt, ſcilicet requiri naturalem Logicam ad ſcientias omnes, & quā libet acquirendam, videtur hoc aliquibus intolerandum, quia Logica naturalis, non eſt niſi ſubſtantia ſeu entitas ipſa intellectus, certum eſt autem ad omnem ſcientiam requiri intellectū. cōmunē adeoque, ſed aduertere debuerunt, cur dicatur intellectus Logica naturalis, & quo ſenſu? nēpe quatenus eſt principium cognoſcendi Logicalia, puta conſequentias, ac illationes. At verò non eſt certum ſic eum prærequiri, propterea quod non ſit certum prærequiri, iudicium de bonitate conſequentiæ ad acquirendam ſcientiam, vel ad aſſentiendum demonſtrationi, vnde formo ſicrationem concluſionis.

ſi requireretur ad addiſcendam ſcientiam aliqua

qua cognitio Logica: illa quam maximè eſſet cognitio conſequentiæ, ſiue apprehenſio aliqua aut iudiciũ de bonitate illationis: at verò non eſt certũ hanc requiri, plurimi enim illam negant, quibus ſubminiſtro hanc rationem: demonſtratio quælibet videtur haberi poſſe tribus actibus ſcilicet aſſenſu maioris, minoris & conſequentis: nullus horum verſatur circa conſequentiam: ergo. Maior patet, quia nec in vocali démonſtratione ſunt plures propoſitiones: ſemper autem plus eſt in voce, quam in mente: ergo. ſed quid quid de hoc ſit, ſiue ſit, vere dictum ſiue non; & ſiue probari poſſit, aut non poſſit, ratio poſita oſtendit non poſſe ab omnibus dici quod requiratur abſoluta neceſſitate Logica naturali, ſaltem non eſſe conſequenter dictum.

Iam ad rationem eorum quod requiratur ad omnes, intellectus ſaltem ipſe autem intellectus ſit Logica naturalis. Reſpõdeo requiri intellectũ; id eſt principiũ intelligẽdi, ſeu capiendi alias ſciẽtias, puta Phyſicam, Metaphyſicam, Mathematicam: tam en intellectus tum non eſt Logica naturalis, ſed potius Phyſica, aut Mathematica naturalis; quia nimirum debet quis hinc habere ſolum cognitiones Phyſicas, aut Mathematicas, nullam autem Logicam, ſi ſcilicet non deberet præhabere iudicium de bonitate conſequentiæ.

Sed quia exiſtimo hoc eſſe falſum cenſeo ſtandum eſſe communi reſolutioni, quod ſcilicet prærequiratur etiam Logica aliqua cæteris ſcientijs, quod & ſi omnes dicant; ſed non poſſunt omnes defendere, vt iam oſtendi.

6 In fine huius eſtendam, quod ſupra ſignificaui ſcilicet dici poſſe, quod obiectum Logicæ ſit Demonſtratio, ſaltem iuxta mentem Ariſtotelis, & primam reſolutionem huius ſupra poſitam ex Scoto; quia nimirum in eâ ſententiâ ſyllogiſmus eſt obiectum eius: at verò ſyllogiſmus perfectus non eſt niſi demonſtratiuus loquor de perfectione eius ratione formæ explico rem ex hic dictis: ſyllogiſmi aliarum figurarum, vt conuincant intellectum neceſſaria illatione, debent reduci ad illos primæ; & ſyllogiſmi in hac ipſâ figura indirectè concludentes ad primũ modum, qui eſt omnium illuſtriſſimus, & in quo ſit demonſtratio: ergo iam à primo ad vltimum obiectum Logicæ poteſt cenſeri demonſtratio, idque expendendo ſolam formam obiecti; non autem materiam.

ACTIO SECUNDA

Quem influxum habeat Logica in actus aliarum ſcientiarum? &, num influat in ipſas vt utens, an ut docens.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Probabile Logicam influere etiam Phyſicè in alias ſcientias.*

2. *Bonitas conſequentiæ obiectiua an formalis influat in aſſenſum conſequenti.;*

3. *Probatur etiam formalem influere, paritate arte facti mechanici.*

4. *Influxus eſt à Logica vt vtens eſt, non vero vt docens.*

5. *Obiectio:* Quomodo *Logicalia inſtrumenta poſſint habere effectum realem.*

1. SEnſus eſt vtrum Logica efficienter & Phyſicè attingat actus aliarum ſcientiarum, puta aſſenſum concluſionis in Phyſicâ, aut Metaphyſicâ demonſtratæ nec ne? affirmauit noſter *Rodriguez* & id ipſum tenere debent, quot quot confundunt ipſam Logicam cum alijs ſcientijs aſſerentes illam eſſe his identificatam Recentes tamen palam aduerſantur, & credunt ſe oppoſitum demonſtraſſe.

In proœmio ſ. 1 q. 4. 2 artic. 4 Zabarella. lib. 1. de nat. log. c. 5

Dici poteſt Logicam influere efficienter in alias ſcientias. Hanc ſtatuo, vt probabilem, & quaſi problematicam: nam oppoſita non caret fundamento: quia tamen hæc pars hactenus plures authores, quam probationes habuit pono, & Probo ipſam, ad quod præmitto ex præcedentibus, quod quando acquiruntur aliæ ſcientiæ, ſiue quum ſit demonſtratio aliqua, ante aſſenſum conſequentis haberi actum aliquem de bonitate conſequentiæ, ſiue ſit iudicium ſiue apprehenſio; hic actus ſine dubio eſt Logicus, adeoque quod facit hic actus, eſt opus Logicæ: At verò probabilius eſt omnino, quod hic concurrat Phyſicè ad aſſenſum concluſionis; in quo quia conſiſtit vis argumenti, formo hanc rationem principalem pro ipſo. Aſſenſus conſequentis gignitur ex bonitate conſequentiæ cognitæ, ergo bonitas conſequentis cognita, [ſeu quod idem eſt] cognitio eius eſt cauſa aſſenſus conſequentis. Antecedens oſtendo, quia duo concurrunt ad aſſenſum illum, & veritas præmiſſarum, & bonitas conſequentiæ, quolibet enim ex his deficiente non poterit haberi aſſenſus conſequentis. Dices requiri quidem cognitionem illam ſed tanquam conditionem, non tanquam cauſam: ſed ego aſtruo requiri tenquam cauſam; nec ſufficit oppoſitum dicere; niſi probetur. Dicent probari inde quia præter cognitionem illam habetur cauſa ſufficiens illius aſſenſus, ſcilicet obiectum, [quod eſt medius terminus applicatus;] & potentia, quæ eſt intellectus. ſed ego etiam hic inſto, & dico bonitatem conſequentiæ cognitam eſſe obiectum: cur enim medius terminus eſt obiectum, & non bonitas conſequentiæ: & nonne mihi tam licet dicere medium requiri, vt conditionem, quam illis dicere, quod bonitas conſequentiæ requiratur tantùm vt conditio? ſed.

Probemus oſtenſiuè bonitatem conſequentiæ hic eſſe aliquid obiecti, obiectum cognitionis eſt quod exprimitur per ipſam, bonitas conſequentiæ

exprimitur per aſſenſum conſequentis, ergo bonitas illa eſt aliquid obiecti huius. Minor ſola probanda eſt, quod ſic facio. Qui dicit concluſionem aliquam ſyllogiſmi, non dicit ſimplicem, aut abſolutam aliquam affirmationem; ſed relatam, & inuoluentem aliud. v. g. qui in concluſione demonſtratâ dicit hominem eſſe rationalem ſic: omne rationale eſt riſibile, homo & rationalis, ergo riſibilis; qui [inquam] ſic dicit hominē eſſe riſibilē ſi non hoc purè dicit; ſed dicit ita eſſe propter aliud, ſiue hominē eſſe riſibilē, quia omne rationale eſt riſibile, ipſe autē homo eſt animal rationale, quæ fuerunt præmiſſæ huius ergo iam in illa concluſione exprimitur referētia illa, & connexio ipſius ad præmiſſas, quæ eſt bonitas conſequentiæ, & ſignificatur illâ particulâ *ergo*, atque ita bonitas conſequentiæ eſt pars obiecti huius aſſenſus, & conſequenter quid Phyſicè influens in ipſam, quo diſcurſu equidem reputo ſufficienter probatum intentū eius, at non concluſionem poſitam, quæ dicebat, actū Logicum efficienter concurrere ad aliarum ſcientiarum actus; aliud eſt enim bonitas conſequentiæ, aliud cognitio eius, quæ eſt actus Logicæ hic interueniens, probatū hic autē eſt dumtaxat bonitatē conſequentiæ concurrere ad aſſenſum conſequētis, adeoque nondū oſtenſum eſt cognitionē eius, in quo conſiſtit Logica huius materiæ, concurrere. Quin potius videtur cognitio illa eſſe mera conditio, quia cognitiones aliorum obiectorum ſunt conditiones tantum ad alios actus tam intellectus, quam voluntatis. v. g. ſimplex apprehenſio, ad iudicium, hoc ad amorem.

2. Probo ergo concluſionē aliter ex admiſſis hic ab ipſo aduerſario ſic. Et ſi cognitio bonitatis cōſequentiæ non ſit cauſa aſſenſus conſequentis tamē ipſa bonitas conſequentiæ eſt, & influit in aſſenſum illum ex iam dictis, atqui conſequentia, & omnis bonitas eius eſt opus Logicum; in ea ſiquidem conſiſtit artificium Logicum ſyllogiſmi, ergo iam aliquid Logicum concurrit efficienter ad aſſenſum concluſionum in alijs quibuſuis ſcientijs.

Ab hoc argumento non video fugam aliquam, niſi dicatur, quod conſequentia obiectiua ſit cauſa aſſenſus; non autem conſequentia formalis, id eſt ipſa connexio rerum inter ſe, non autem connexio terminorum in ſyllogiſmo mentali, at verò connexio obiectiua rerum inter ſe, non eſt opus Logicæ; ſed ipſius naturæ, quæ ſic res diſpoſuit. ſed hoc ipſum effugium non patû eſt, & propterea oppoſita pars, vt in concluſione. dixi, eſt probabilis, ſiſtendo tamen in altera parte problematis, quam video ab aliis deſertam, Contra reſponſionem inſto ſic pro Concluſione Quando intellectus non habet res coram ſe, ſed loco earum vtitur ſpeciebus, vt contingit in omni ferè cognitione noſtrâ pro hoc ſtatu, ſpecies internæ habent efficientiam in actus eius, (nam termini formales funguntur vice obiectiuorum, vt notum eſt,) hoc autē ſi verum ſit, verū etiam erit, quod conſequentia influit in aſſenſum, quē habemus de conſequentibus, nam conſequentia formalis agit vices obiectiuæ: obiectiua autē efficienter cōcurrit, ergo. Confirmo dupliciter, primo ex definitione Ariſtotelis de ſyllogiſmo demōnſtratiuo, quem inquit debere eſſe *ex primis veris cauſiſque concluſionis*, vnde arguo ſic. Eadem ſunt vera, & cauſæ concluſionis, atqui actus in-

2. Poſter. cap. 2.

tellectus ſunt propriè veri; non autem res ipſæ extra, ergo ſunt & iam cauſæ concluſionis, Iterum ſic, quia medium ſyllogiſmi demonſtratiui debet eſſe vniuerſale, extra autem in rebus nihil eſt vniuerſale, ſed in ſolo intellectu. Quæ ratio trahi poteſt, & formari pro conſequentia, quia vniuerſalitas illa pertinet ad formam Logicam. Illa autem eſt cauſa aſſenſus.

3. Abſolutè etiam probari poteſt hæc pars in hunc modum, formæ artefactorum extra habent effectum realem: v. g. domus ſine dubio ad aliquid reale conducit, veſtes item, & ſcamna, & enſes, ſcilicet ad ſecandum, defendendum à frigore &c. quos effectus non haberent illa, ſi non redigerentur in formam artefactorum, vt patet, quidni ergo artefactum Logicum, quod eſt nobilioris artis, habeat verum effectum, ac realem, at verò nullus ei aſſignari poteſt, niſi aſſenſus conſequentis, aut influxus in illud, ergo. Explicatur: quum corpus aliquod anguloſum rotundatur, & fit ſphæricum, multò facilius mouetur per planum quam ante, quum haberet angulos, adeoque ſignum eſt formam illam ſphæricam, quæ eſt quid artificiale, eſſe principium motus. Idem de enſe, nam acies ſine dubio eſt cauſa ſectionis, ſine eá enim nunquam ſecuiſſet, ergo iam artefactæ formæ influunt in effectus, ad quos ordinantur. Logicæ autem formæ ordinantur ad alias ſcientias & hic eſt modus quem video probabiliorem ſuſtinendi, quod Logica influat in alias ſcientias, quem Rodr. dicit eſſe doctrinæ Scoti conformem, vnde ad maiorem explicationem horum, & ad reſolutionem ſecundæ partis tituli

4. Dico 2. Logica docens non influit efficienter in actus aliarum ſcientiarum; ſed tantū vtens, nec hæc ipſa, niſi mediatè, qui modus concurrendi concedi poteſt Logicæ, non actuali tantû; ſed habituali.

Beſſ. 9b prol. art. 1. Amit. T. m 1 log. tr.

Prima pars huius intenditur ab authoribus quando negant, Logicam concurrere ad actus aliarum ſcientiarum, loquuntur enim de docente; ſed diminutè loquuntur, non enim negandum eſt Logicæ abſolutè, quidquid docenti non conuenit. Probatur ipſa, quia Logica docens, quà talis, eſt ſpeculatiua tantum, ſpeculatiua autem nihil operis producit, ſed deſinit in ipſa cognitione, alioquin finis eius non eſſet veritas. Confirmatur quia omnis talis producitur ab obiecto, ergo nulla talis producit obiectum. Conſequentia patentiſſima eſt, quum nihil poſſit producere idem, & ab eodem produci. Antecedens etiam conſtat; quia omnis notitia paritur ab obiecto.

Probatio altera, quia docens vt docens dirigit tantum, at verò dirigens non influit phyſicè, ſed moraliter ad ſummum in opus, vt patet in intellectu reſpectu voluntatis. Tertia, quia etiā actus aliarum ſcientiarum habent ſuas cauſas adæquatas independenter à Logicâ, ſcilicet obiectum, & potentiam. Itaque hæc cauſalitas relinquenda eſt Logicæ, vt vtens eſt, ſiue quatenus eſt confectiua inſtrumentorum; nam ratione horum influit in ſcientias per ipſam acquiſitas, & proinde mediatè, vt dictum eſt in concluſione. Quod explicare poſſumus ſimilitudine frænofactoriæ artis, quæ utique influit in equitationem, quia nimirum frænum, epiphipium habent influxum in eam: ipſa autem influxit in frænum &c. vbi vides, cur dictum ſit in concluſione habitum etiā

vtentis

vtentis concurrere ad ſcientias, quia nimirum ille concurrit ad inſtrumenta etſi medijs actibus, inſtrumenta autem concurrunt ad opus, ergo.

5 Obijcijcies, inſtrumenta Logica, quà talia ſeu formaliter, ſunt entia rationis, ergo non poſſunt habere effectum vllum realem, certum eſt autem quod aliæ ſcientiæ, & aſſenſus conſequẽtium in ipſis ſint reales, ergo: maior huius patet, quia ſunt ſecundæ intentiones. Hoc tamen ſupra ſolutum eſt, dixi enim obiecta Logicalia, puta ſyllogiſmum, definitionem &c. fundamentaliter, & quoad ea quæ verè terminant actionem Logicam, eſſe realia, licet in ipſis deinde ſic factis reſultent formæ rationis. Et totum declaraui exemplo domus, aut alterius cuiuſuis artefacti, in qua ſingula, quæ videri poſſunt, ſunt entia naturalia, tamen tota domus eſt quid artificiale, quia hæc omnia coniuncta non ſunt vnum aliquid naturale: vnitas ergo, & totalitas in his v. g. domo, ſyllogiſmo &c. ſunt artificialia, aut rationalia, ſiue entia rationis, tamen partes conſtituentes, & fundamenta ſunt realia. Repete ſi placet ſupra dicta.

ACTIO VLTIMA

Quæ operationes intellectus dirigendæ, & quarum inſtrumenta directiua ad Logicam pertineant.

BREVIARIVM.

Num. 1. *ſenſus quæſiti explicatus.*
2. *Etiam ſimplex apprehenſio, & (magis) iudicium ad Logicam ſpectare probatur.*
3. *Alia probatio, & cauſa huius.*
4. *Quomodo ſimplex apprehenſio corrigi à Logica poſſit.*
5. *Quis error contingere & caueri poſſit in productione rei omnino ſimplicis?*
6. *Aliquid Logicæ eſſe etiam in ſenſu.*

1. DVbitatur enim an ad Logicam pertineat ſimplicem apprehenſionem dirigere: an iudicium? nam non defuerunt qui ei ſolam tertiam operationem, ſiue diſcurſum aſſignarent: quæ ſententia videtur Ariſtoteli placuiſſe, quoniam hic totam ſuam Logicā impendit tractando ſyllogiſmo, qui ad ſolam tertiam operationem, ſeu diſcurſum ſpectat: at nunc communiter relinquuntur ipſi duæ vltimæ operationes; durat tamen adhuc opinio, quæ negat ei primam, & conſequenter negare tenetur definitionem, aut diuiſionem eſſe Logica inſtrumenta: vtraque enim ad primam operationem ſpectat; quamuis quælibet ipſarum poſſit, & ſoleat redigi in formam ſecundæ operationis; ſeu iudicij.

Zabarel. lib. 1. de natur. log. c. 5 Ariſt.

2 Dico omnes tres operationes intellectus ad Logicam ſpectare dirigendas; adeòque definitionem, ac diuiſionem eſſe Logica inſtrumenta, & obiecta. Difficultas ferè tota eſt circa primā operationem, ſiue apprehenſionem dirigendam, quam probo ad Logicam ſpectare, & proinde inſtrumenta eius directiua. Poteſt enim contingere error non ſolum in materia apprehenſionis, ſed in modo: Notum eſt autem modum operationum Logicalium intellectualium ad Logicam ſpectare, ſicut materiam ad alias ſcientias. Probo ergo aſſumptū: quia cum cogitatur eſſentia, quæ eſt definitio obiectiua rei, poteſt, quod *quid* eſt cogitari vt *quale*, & vice verſâ quod eſt quale aprehendi vt ſubſtantiale, & ſubſiſtens, quod eſt dicere tanquam *quid*. Certum eſt autem hic intercedere ignorantiam. & errorem, ex quo alij plures ſequi poſſunt, ergo. Declaremus aſſumptum in probationis exemplo. Definio [vt cunque] Angelum dicendo, quod *ſit viuens ſpirituale*. ſi hæc inuertatur dicendo, quod ſit ſpiritus vitalis, errabitur: quia non rectè ponitur vita tanquam differentia ſpiritus: quum non detur, nec dabilis ſit ſpiritus mortuus, ſeu ſubſtantia ſpiritualis, quæ non ſit viua: ergo iam forma ipſius ſimplicis apprehenſionis cadit ſub præceptis artis, & eget eis: hæc autem ars confeſſione omnium eſt Logica, & non alia, adeoque quæ ratio circumferri poteſt per alias definitiones, ac deſcriptiones hominis, ſubſtantiæ &c. nam quum definio ſubſtantiam, quod *ſit ens per ſe*, errabo ſi inuertero definitionem dicendo, quod ſit per ſe entale, aut ſimile; ſic enim deberet dari aliquid per ſe, quod non eſſet ens; adeoque nec aliquid ipſum eſſet. Hæc tamen probatio eget ſuppoſitione, quam ſupra tradidi, quod ſcilicet definitio rei non exigat totam enunciationem [adeoque non pertineat ad ſecundam operationem intellectus] ſed partem tantum eius, & proinde conſiſtat in prima, quæ eſt ſola apprehenſio. Id ego ſupra tradidi, & hic amplius probo; quia confeſſione omnium in hâc & ſimilibus, *homo eſt animal rationale* definitio prædicatur de definito; prædicatur autem animal rationale: ergo iam definitio eſt hoc ſolum *animal rationale*, quod à priori & metaphyſicè inde probari poteſt, quoniam diſtinguenda ſunt ſine dubio definitio, & definitum; nec hæc poteſt ingredi illam, eſſet enim quædam principij petitio, & ridicula explicatio eiuſdem per ſeipſum ſaltem partiliter: ergo iam ſubiectum eſt extra definitionem, non poteſt autem eſſe extra propoſitionem; quia omnis talis debet conſtare ſubiecto, & prædicato, ergo definitio non eſt propoſitio, quod fuit probandum.

3. Probari iterum poteſt; quia in fabricandis vniuerſalibus poteſt intellectus doceri, & decipi, poteſt enim videri ſibi fabricare genus, quum non id faciat; ſed differentiam, & differentiam formare per modum quarti, quinti, aut etiam ſexti prædicabilis, facillimè enim decipi poteſt credendo, differentiam genericam, & ſpecificam facere duo prædicabilia, & alia id genus, quæ omnia ſpectant ad ſimplicem apprehenſionem & ex illis ſequitur omnino eum indigere arte, & regulis

regulis in iſtis apprehendendis. Certum eſt autē apud omnes artem eius ſit iſta docere eſſe Logicā: ergo iam intellectus in huiuſmodi apprehendendis eget, & vtitur Logica, quod eſt intentū ſed cōtra.

4. Obijciunt illi ſimplex apprehenſio ſi erret non eſt corrigenda Logicis præceptis; ſi enim apprehendam angelum per modum iuuenis habentis alas, non eſt Logica, quæ docet me oppoſitum, ſed Phyſica, aut Metaphyſica ergo. Confirmatur quia in apprehenſione fantaſtica, & ſenſatione externa poteſt contingere deceptio, vel vitium; nec tamen ad Logicam ſpectat iſta corrigere: ergo licet poſſit in apprehenſione intellectiua ſimiliter contingere, ſimiliter non pertinebit ad Logicam correctio. aut emendatio Reſpondeo maiorem non eſſe quidem vniuerſaliter falſam: falli tamen ipſam, vt patet ex inſtantiis allatis pro concluſione: diſtinguendū eſt ergo de erroribus, ſeu de obiectis eorum: ſi enim ſint realia, vt eſt Deus, Angelus, colores & ſimilia non poterit intellectus errare in apprehenſione eorum incomplexà; vel ſi erret, non eſt corrigendus per Logicam, poterit tamen in apprehenſione complexa, vt patet ex rationibus allatis pro concluſione, poterit enim concipere id quod eſt *quid*, ſeu ſubſiſtens per modum adiacentis, & *qualis*: at enim hoc debet corrigi per Logicam. diſtinxi de apprehenſione ſimplicium naturalium &c. ſunt enim aliqua ſimplicia, quorum error per ipſam Logicam corrigendus eſt, & ſunt ſimplicia intentionalia: v. g. ſubiectum, prædicatum, & ſimilia, ſed contra.

5. Obijci 2. poteſt quod circa omnino ſimplicia nullus poſſit eſſe error, aut enim totaliter & rectè fiunt, aut ſi non rectè fiunt, nullo modo fiunt, nonenim ſunt ipſa, quæ tunc fiunt. ſed alia. v. g. vult Deus Angelum producere, dico non poſſe Angelum perfectè & imperfectè produci: nam imperfectum illud non eſt Angelus, ſed aliud quidpiam: obiecta autem primæ operationis intellectus ſunt ſimplicia, alias ipſa non eſſet ſimplex: ergo denique ipſa non poteſt dirigi vllis præceptis artificialibus in agendo. Reſpondeo etſi non poſſit contingere circa huiuſmodi obiecta error qui verſetur inter benè, & malè producere, poteſt tamen contingere error, qui verſetur inter producere, & nō producere qui nō minus cauē ius eſt, quam alius, & proinde indiget arte. Reſpondeo 2. diſtinguendo vt ſupra de ſimplicibus omnino incomplexis, vt ſunt ens, & ſimilia, & de complexis, qualis eſt homo v. g. & ſimilia. Prima illa concedo non habere periculum erroris in aprehendente: aut enim rectè & ita totaliter apprehenduntur, aut non recte & ita nec partialiter apprehēduntur At verò ſecundi generis, quæ ſunt complexa, ſunt obnoxia errori in eorum apprehenſione, cum permutari poſſint componentia, & vnum concipi ad modum alterius, vt ſupra declaraui: & proinde inſtruendus eſt intellectus de hoc ante eorum complexionem, & propterea opus eſt Logica, non verò ob rationem ab alijs allatam, ne adhibeat aliud genus, aut aliam differentiam dicendo v. g. quod homo ſit animal ſenſitiuum, nam quamuis mala ſit definitio, non tamen debet corrigi per Logicam ſolam: Dico non per ſolam, nam etiam Logica habet partem in hoc negotio: Duo enim regulæ ſunt quarum vſus eſt in emendatione illius definitionis, vna quod definitio facienda ſit per vltimam differentiam rei: altera quod ſenſitivum non ſit vltima differentia hominis, ex quibus prima ad Logicam ſpectat, ſecunda ad Phyſicam adeoque. Addo etiam in ipſis ſimplicibus poſſe contingere errorem aliquem qualem ſupra poſui, vt putetur eſſe *quale*, quod eſt *quid* & afficiens alterum aut inhærens ei, quod eſt ſubſiſtens. Denique ad illud de ſenſu, & nautaſia quæ apprehendunt malè, nec corriguntur à logica, nego conſequentiam: non enim facta eſt Logica ad dirigendam fantaſiam, & multò minus ſenſum externum, ſed intellectum, quod patet, quia nec reſidet in illis, ſed in intellectu: Deinde diſparitas pro ſenſu externo eſt quod ille non apprehendit complexè res, ad quam complexionem ſolá neceſſaria eſt ars, termini autem incomplexi, quos apprehendit pertinent ad alias ſcientias reales ſunt enim colores, odores &c. in quibus ſi erret corrigi debet non ille, ſcilicet ſenſus, ſed intellectus ne ſequatur eum errantem: debet autem fieri à Phyſica, vel aliis ſcientiis realibus.

6 Redeundo tamen ad fantaſiam, ſeu ſenſum communem exiſtimo ſanè poſſe corrigi, & ſolere in apprehenſionibus, & vt dicam liberè quod ſentio, puto dari aliquam Logicam in fantaſia. Moueor ad iſta, quia quotieſcumque intellectus, pro hoc ſtatu ſpeculatur, ſeu intelligit operatione ſpirituali, fantaſia ſemper cooperatur ei, nec poteſt intellectus quidquam intelligere niſi fantaſia id ipſum imaginetur, poteſtque fantaſia ex ſimplicibus facere complexa, ſicut intellectus & ſi poteſt benè, certè etiam poteſt malè facere, adeoque vtitur regulis, quæ ſine dubio Logicæ ſunt. Vnde dico ad confirmationem illam negandum antecedens, ac non ſolam conſequentiam.

Tractant hoc

Ariſt. 1. Metap. 8. & 22. *Eriſtratus* apud Galen. infra cit. Alcaſar c. 2. ſuæ Logicæ *Auicen.* ibid. *Plato* in Parmen. *Galen.* an ſanguis contineatur in arterijs *Cicero* lib. 2. c. 12. *D. Auguſt.* lib. 2. Tuſc. quæſt. & 2. ar. 3. de finibus Quintil lib. 2. c. 12 *D. Auguſt.* lib. de ordine c. 13. & 2. de ordine c. 13 & 2. de doctr. Chriſt. c. 36. & lib. 3. contra Academic. *Clem. Alex.* lib. 6. ſtrom. *Boetius* in Porphyrium à ſe tranſlat. initio. *ſimplic.* initio prædicabil. *Iamblicus* in Epiſt. ad Soprat. *Philo Iudæus* lib. de agricult *Albert.* c. 13. in Porphyr. *D. Thom.* opuſc. 58. & 70. *Titelm.* in Apolog. pro Dialectic. *Louanienſes* in prœmial Logicæ *Blanc.* diſp. 3. ſect. 3. *Araugo.* 2. met. q. 3. *Gallego* hic controuer. *Amic.* tract. 1. log. q. & dub. 2. *Petrus de Bruxellis.* q. 1. log. *Sanchez.* lib. 1. q. 2. *Iandun.* 2. Met. q. 12. *Iauel.* Tract. 1. Log. c. 4. *Conimb.* q procem log. 6. *Complut.* diſp. prooem. q. 7. *Tolet.* q. 1. *Moriſon* prolegum. 8. *Rubius* q. 1. prooem. *Merici* diſp. prooem. q. 7. *Ion.* ſec 2. Met. c. 3. q. 4. ſect. 2. *Nauaret* 1. par. Cont. 10. *Rodriguez* in prœmial. Scoti q. & ar. 2. *Briſenius ad* lib. 2. de inuent. Dialect. c. 18. & quem ille commentatur *Rodolph. Agricola* cap. 5. *Michael de Medina.* lib. 1. de exercit veræ, & Chriſtianæ humilit *Poncius* diſp. 2. q. 10. *Gonzales* in præfat. cap. 8. ſect. 4. *Maſtrius Bellut Hurtad. Ariaga.* &c. Recentes hic vbi Logicæ proloquuntur. Vide loca citata in recenſu Apolog. præced.

APOLO-

APOLOGIÆ IN ISAGOGEM PORPHYRII.

APOLOGIA PRIMA DE VNIVERSALI LOGICO VT SIC

Actio I. Quid admittendum ſit pro Vniuerſali? nominatim an ſingulare poſsit eſſe Vniuerſale.
Actio II. In quo proprie eſſentia Vniuerſalis Logici conſiſtat.
Actio III. Vtrum Vniuerſale Logicum detur in rebus ante opus intellectus.
Actio IV. Per quem actum intellectus præ alijs fiat proprie ipſum hoc Vniuerſale.
Actio V. Vtrum adæquate diuidatur in quinque vulgatas ſpecies.
Actio VI. Vtrum diuiſio illa ſit vniuoca, ſeu generis in ſpecies & an immediata.
Actio VII. De ſubijcibili vniuerſalis Logici.

Scotus. 2. d. 3. q. 2. n. 8.

AD primum dico, quod vniuerſale in actu eſt illud quod habet vnitatem indifferentem, ſecundum quam ipſum idem eſt in potentia proxima, vt dicatur de quolibet ſuppoſito, quia primo Poſteriorum Vniuerſale eſt, quod eſt vnum in multis, & de multis. nihil autem ſecundum quamlibet vnitatem in re eſt tale, quod ſecundum ipſam præciſam ſit in potentia proxima ad quodlibet ſuppoſitum, vt dicatur de quolibet prædicatione dicente, hoc eſt hoc.

Idem ſuper Vniuer Porphyr. q. 12. n. 2.

Dicendum quod ſunt tantum quinque vniuerſalia; ſed illud diuerſimode ponitur, vno quidem modo accipitur eorum ſufficientia ſic vniuerſale vel ſignificat ſubſtantiam, vel accidens: ſi ſubſtantiam, vel totum, vel partem, vel materialem, & ſic eſt genus vel formalem, & ſic eſt differentia, vel totam ſubſtantiam, & ſic eſt ſpecies, ſi accidens vel conuertibile, & ſic eſt proprium, vel non conuertibile, & ſic eſt quintum vniuerſale. &c.

ACTIO PRIMA.

Quid admittendum ſit Pro vniuerſali? nominatim an ſingulare poſſit eſſe vniuerſale?

BREVIA-

BREVIARIVM

Num. 1 *Veterum Logicorum Doctrina.*
2. & 4. *Corrigitur. Primipta ſcientiarum an cenſeri poſſint vniuerſalia Porphyriana.*
3. *Obiectiones Totū integrale cur non vniuerſale.*
5. *Singulare poſſe eſſe vniuerſale.*
6. *Obiect. diſcrimen primi, & vltimi prædicabilis.*

1 HÆc prima actio erit mihi examen vetuſtæ cuiuſdam doctrinæ Logicorum, quam hodie vſque, alius ex alio tranſcribit. Nempe in hoc limine tractatus notauerunt ſemper illi plures vniuerſalis acceptiones; quas deinde omnes refutant. Aliquod (inquiunt) eſt vniuerſale in cauſando; illud ſcilicet quod plures effectus habet, ſiue ſe ſolo, vt Deus, ſiue cum alio vt ſol. &c. Aliud in ſignificando cuiuſmodi eſt vox, aut ſcriptura: & hæc ſignificatio poteſt diuidi in ſignificationem ſolā & in repræſentationem etiam, qualem habent imagines tam externæ, vt picturæ, & ſtatuæ, quam internæ, vt conceptus; quamuis reuera imagines materiales ſingularia, & quidem determinata ex profeſſo repræſentent: recens autem quidam vniuerſalitatem vocum ad æquivocas videtur limitaſſe, quū n voces vniuocæ multò magis accedant ad naturam veri vniuerſalis. His adiungunt tertiam acceptionem vniuerſalis, quæ conuenit principijs maximè cōmuniſſimis, quale eſt illud *omne totū eſt maius ſui parte*, & ſimilibus, ex quibus plures concluſiones deduci poſſunt, propter quæ dicuntur ipſa vniuerſalia, ſed impropriè inquiunt, vel quia principium non eſt multiplicabile in alia principia, vel quia principium non prædicatur de concluſionibus ſuis, quæ ratio militat de vocibus, & cauſis, ne ſint propriè vniuerſalia; adeoque omnes illæ acceptiones erunt impropriæ. Non aſſentior his; ſed.

Merin. diſp. 1. vniu. Suar. to. 2. Met. diſp. 6. ſect. 8. Amic. tract. 4. q. 1. Hurtad diſ. 3. log. ſec. 1. Ouied. Contr. 3. p. 1. Ponc. diſp. 3. log.

2. Dico principia communiſſima recipi poſſe inter propriè dicta vniuerſalia, quantū ad hactenus allata; nec eſſe audiendos illos qui vniuerſalitatem vocum ad ſolas æquiuocas reſtringunt, fateor hæc concluſio parui momenti eſt; quia nominalis ſed melius ſcitur quam ignoratur, ut proprietatem loquendi habeamus.

Probatio primæ partis eſt, quod principiū planè ſe habet ſicut alia quæ hi homines approbant pro veris vniuerſalibus, & propriè dictis, adeoque. Antecedens ſic oſtendo, quia animal v. g. quod hi cenſent genus reſpectu hominis, Leonis, & cæterorum, quando ſit vniuerſale, & effertur, vt tale per adiectum ſyncathegorema *omne*, aut ſimile: illud inquam omne animal, non eſt aliud quam ſingula animalia v. g. homo & Leo, & cætera; ſed ſic ſe habet planè principium vniuerſaliſſimum ad concluſiones ex eo deductas v. g. illud: omne totum eſt maius ſui parte: non enim eſt aliud omne totum eſſe parte maius, quā hoc totum eſſe maius ſuis, & illud maius ſuis, & ſic de cæteris; ſi enim quis redderet ſingula tota maiora ſuis partibus, eo ipſo omne totum eſſet maius ſuis partibus, & è contra, ſi per impoſſibile ſingula tota id eſt quodlibet determinatum eſſet minus ſuis partibus; certè principium eo ipſo mentiretur, & eſſet falſum; quāuis in ſe non ſit mutatum, aut tactum vllatenus; ſed tantū in inferioribus, quod eſt ſignū ipſum n eſſe aliud quā ſua inferiora, licet aliter ſumpta: Quod confirmatur vehementer; quia non ſolum falſificatur principium ſi omnia inferiora deficiant; ſed falſificatur ſi vel vnum deſit nam ſi fortè daretur aliquod totum minus ſui parte, certè falſum eſſet omne totum eſſe maius ſui parte: quod omnino ſignum eſt *totum idem eſſe quod partes* & quando quidem *vniverſale totum quoddam* ſit eſſe omnino ſuas partes.

Probari paulo aliter, & illuſtrari res poteſt ſic: nam quando effero rem aliquam vniuerſaliter, & dico omne animal eſt ſenſitiuum propoſitio eſt de ſubiecto vniuerſali, & tamen vniuerſalitas, non eſt pars ſubiecti: ſiue illud ſyncathegorema *omne*, aut rectius, quod reſpondet ei, & ſignificatur per ipſum: illud inquā nō eſt aut totū, aut pars ſubiecti; alias minores ſubſumptæ ſub illa maiori, ſiue prædicationes ſuperiorū de ſuis inferioribus eſſent falſæ v. g. iſta homo eſt animal: nam in hoc ſyllogiſmo, omne animal eſt ſenſitiuum, omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt ſenſitivus, homo non eſt omne animal. at verò ſi ſyncathegorema omne fuiſſet pars ſubiecti, opporteret vt homo eſſet omne animal, ad hoc vt probaretur eſſe ſenſitiuus, ex eo quod omne animal eſt ſenſitiuum. *Ariſt. 1. Phyſic. t. x 4. Id in præm. ſect. 16. § 7.*

Obijcitur quando dico omnis homo eſt rationalis: ergo eſt riſibilis, vel è contra Antecedens eſt principium; nec tamen eſt vniuerſale reſpectu conſequentis, quia nimirum conſequens non eſt ne quidem pars eius: ergo falſa eſt doctrina concluſionis nec principium eſt vniuerſale reſpectu concluſionum, Reſpondeo concluſiones ſunt in duplici differentia, quædam continent alios terminos ab illis quibus conſtat ipſum antecedens, aliæ non; ſed tantum terminos ipſius principij, aut minus latè patentes, ex his dico reſolutionem noſtram, & veritatem procedere de principio, & concluſione, in quibus ijdem ſunt termini vtrobique, non verò de illis, in quibus termini variantur cuiuſmodi ſunt illa allata in argumento, nam in antecedente eſt rationale in conſequente riſibile, qui ſunt diuerſi ſpecie termini, contrarium poſui in probatione concluſionis ſemper enim dixi omne totum, & hoc totum &c. qui termini differunt tantum ſecundum magis & minus, ſiue per ſyncathegoremata, non autem in ſignificato ſed contra adhuc.

Obijcies 2. totum integrale non eſt vniuerſale reſpectu partium, non enim poteſt dici anima eſt homo, vel caput eſt corpus, nec pauimentum eſt domus, aut ſemipalmus eſt palmus, & ſimilia principium eſt totum integratum ex concluſionibus iuxta iam dicta ergo non eſt vniuerſale reſpectu concluſionum. Confirmatur, vniuerſale poteſt prædicari de quolibet ſingulari ſeorſim, ergo ſingularia illa non ſunt partes eius, atque ita malè dictum eſt quod principium ſit vniuerſale, quia non eſt niſi plures concluſiones. Reſpondeo vniuerſale eſſe totum quoddā ſic integratum ex partibus, vt in ſingulis illis reperiatur repetita natura totius, ſiue [ut alij loquuntur] multiplicata toties quoties, non autem eſſe totū integratum Phyſicè, aut mathematicè, ſicut apud nos ſunt continua, aut etiam diſcreta; non enim quælibet pars palmi eſt palmus, nec quælibet vnitas in binario eſt binarius: at verò principia repetuntur in ſingulis concluſionibus; nam hoc *omne totum eſt maius ſui parte* reperitur

Digitized by Google

ſiturniſta. *Hoc totum* eſt majus ſui parte: ni-
nim deeſt niſi ſyncathegorema, quod iam dixi
eſſe aliquid propoſitionis, aut ſubjecti.
teor tamen aliquid deeſt principio ex ijs quæ
muniter requiruntur ad Porphyrianam uni-
litatem, non enim eſt quid incomplexum; ſed
plexum, & includens plura incomplexa, ex
us componitur propter quod dixi in conclu-
principium poſſe recipi inter vera univerſa-
non abſolutè, ſed quantum ad ibi allata. An ve-
tam hic allata ratio, ſcilicet complexio obſtet,
videbimus.

Probo nunc alterum, quod ibi dixi contra
ntem, ſcilicet univerſale in ſignificando, non
olas voces æquivocas. Cur enim non ſint et-
nivocæ; an non etiam vnivocæ voces plura ſig-
nt; & ſi plura ſignificent, cur non eſſent uni-
les in ſignificando? Imò oſtendo poſitivè in-
m, quia voces univocè ſignificativæ magis ac-
it ad rationem veri univerſalis, & realis: ergo
cenſendæ ſunt univerſales in ratione ſigni
cò magis proprium eſt quo magis imitatur,
primit ſuum ſignificatum: probatio antecedẽ.
palam, quia res univoca multis eſt univerſalis,
oca non, ſed æquivocatio impedit univerſa-
n. Vtor etiam argumento ad hominem cauſa
ca eſt univerſalis in cauſando, ac non tan-
auſa æquivoca: cur ergo vox univoca in ſig-
ndo non ſit univerſale?

Dico interim ſecundo Non implicat ſingu-
liquod eſſe univerſale, etiam dum manet ſin-
. Hæc eſt nullius ante me quod ſciam, ſed
lam debere eſſe omnium, & concluſionem
tram, non ſolum de poſſibili, vt jacet, ſed et-
facto.

guo etiam ſic, & pono In primis caſum quo
forma ponatur in diverſis ſubjectis, v.g. ea-
lbedo in duobus muris quo poſito formari
t prædicationes quinti prædicabilis ſic: hic
eſt albus, iſte paries eſt albus: in quibus uni-
e quod prædicatur eſt albedo, ut patet. Et
eſt ſingularis: ergo iam aliquod ſingulare
verſale ſaltem de poſsibili: caſus enim certè
ſibilis.

et aliquis, quando prædicatur albedo, quæ
o ineſt parieti de ipſo prædicatur ſingulare
; nec tamen ſingulare aliquod eſt univerſale
to etiam ſecundum nos, qui requirimus ca-
ſum miraculoſum: ergo nec tunc in caſu illo
ſibili ullum ſingulare foret univerſale: ex-
r antecedens, quum enim dico de facto pa-
albus, prædico albedinem, quæ verè ineſt
, de ipſo, illa autem quæ verè ineſt ei ſine du-
ſingularis (Non enim datur ulla univerſa-
rte rei) ergo ſi valeret noſter diſcurſus de
ingulare aliquod eſſet univerſale, at non eſt:
ec de poſsibili.

o huic conſequentiam, nec enim eſt paritas,
inc intelliges: quum enim dico de facto;
ſt albus; non ſtatim facio univerſale, niſi ad-
as prædicationes, debet enim dici de multis
ieri debet univerſale. At verò quum prædi-
multis albedinem non prædico ullam ſin-
m de ipſis (nec enim vlla una ſingularis al-
aut forma ulla de facto eſt in multis) adeo-
ædico albedinem aliquam communem. At
caſu à me diſpoſito una numero prædica-
e utroque ſubjecto, nec eſſet opus ad veri-
rædicationum recurrere ad albedinem ali-

quam univerſalem: adeoque vides liquidam diſparitatem, ergo

Redeo iam ad confirmandam concluſionem inſtantiâ Theologicâ: nam in Divinis numerantur, & ſunt duo ſpirantes, & tamen ſpiratio a qua ſpirantes dicuntur eſt una: ergo iam ſi poneretur forma una in ſubjectis creatis v.g. albedo erunt duo alba & unum prædicatur de multis, quod eſt ipſiſsimum eſſe univerſalis. D. Tho. 1. p. q. 36. art. ult. Scot. ... diſt. 11. q. 1.

Dices inſtantiam hanc eſſe in oppoſitum: nam in Divinis eſt una forma in duobus, nullum tamen eſt univerſale: ergo non ſufficit formam aliquam eſſe in pluribus, vt habeatur univerſale: minor eſt omnium, quia ibi omnia ſunt ſummè una, & individua: Hæc replica incidit in difficultatem ſequentis.

6. Obiicitur Vniverſale, & ſingulare opponuntur, forma illa (puta albedo) quæ poneretur in pluribus ſubjectis eſſet ſine dubio ſingularis ergo non univerſalis. Reſpondeo hic (ſi quis notet) peti principium: dixi enim in concluſione, & hic ſuſtineo ſingulare poſſe eſſe univerſale: adeoque contra me non ſequitur ex affirmatione ſingularis ad negationem univerſalis: ſed quia hic ſaltem voces ipſæ pugnant. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: univerſale primi, & ſecundi prædicabilis ac ſingulare opponuntur, concedo univerſale poſteriorum prædicabilium & ſingulare opponuntur nego: ſed compatiuntur ſe, vt iam oſtendi. Cur autem opponantur iſta ſingulari, & non hæc cauſa eſt, quia illa priora habent pro inferioribus naturas ſuas, id eſt eas quæ per ipſorum nomina ſignificantur: verb. grat. animal, plura animalia, homo plures homines: adeoque debet latius patere: quam ſingula ipſorum, & conſequenter nullum ſingulare eſt æquale ipſis, ſed quodlibet eſt inferius (univerſale enim debet latius patere quolibet determinato inferiori, licet æquetur ab omnibus conjunctim) At verò ultimum prædicabile non habet pro inferioribus naturam ſuam, ſed ſubjectum: adeoque non eſt opus multiplicari ipſam; ſed ſufficit multiplicari ſubiectum: poterit ergo ipſa forma, quæ facit quintum prædicabile eſſe una, & individua, dummodo ſubjectum non ſit tantum unum, ſed plura. Ex quo vides quam nihil urgeat replica illa ex Divinis huc adducta: nam in Divinis negandum eſt univerſale, ſed univerſale priorum prædicabilium quæ hæc excludunt ſingularitatem, quæ eſt intima, & quodammodo eſſentialis omnibus prædicatis Divinis. Vniverſalitatem autem ultimi prædicabilis non excludunt, quia hæc non pugnat, ſed compatitur cum ſingularitate. Vnde probandum fuit arguenti, quod non poſſit hæc univerſalitas conſiſtere cum ſingularitate antequam propterea definiat eam eſſe excludendam à Divinis.

Digitized by Google

ACTIO SECUNDA

In quo propriè conſiſtat eſſentia Vniverſalis Logici.

BREVIARIVM

Num. 1. *Conditiones requiſitæ ad eſſe univerſalis, & rationes aliquot earum.*
2. & 3.

4 *Vniverſale non fieri per prædicabilitatem, ſed potius per ineſſe.*

5. *Requirit non ſolum aptitudinem; ſed actum ineſſendi.*

6. *Obiectiones. Doctrina ſubtilis ex q. 14. univerſal. explicata.*

Vnitas quomodo pugnet multitudini.

1. Lis eſt inter duo iſta, ſcilicet aptitudinem ad ineſſe, & aliam aptitudinem ad prædicari; quibuſdam hanc, *a* aliis illam *b* præferentibus. Ego verò puto poſſe etiam controverti utrum eſſentia noſtri univerſalis omnino in aptitudine, an potius in actu ipſo conſiſtat. Ante omnia tamen præmittam aliqua de natura univerſalis, quæ ſunt omnino extra controverſiam.

a Maur. Hybern. in ex la. Anglicus Brajnovi. ſup. q 6 Scot. 10. Met. diſp. 2. Lerinus q 2. Conymb. in præfat. q 2. b Mayrō. paſſ. 1. Vniverſ. Lyonet. 2. d. 3. q. Tartaret tract. 2. in Pet. Hiſp. Trumbet 7. Met. q. 8. ar. 1.

Itaque communiter conveniunt authores, in eo quod univerſale debeat eſſe quid quodammodo ſimplex, hoc eſt non complexum, ut eſt homo doctus, & multo minus aggregatum, ut duo lapides. Item quid univocum, non vero æquivocum, aut analogum quod pugnet æquivocationi; quæ omnia importantur, & exiguntur ab unitate univerſalis, quæ eſt prima pars definitionis eius; dicitur enim *unum in multis*. Iam vero multitudo quæ eſt altera pars definitionis eius, exigit ut id quod dicitur univerſale ſit in multis, non quomodocunque, ſed multiplicatum: ita ut toties habeatur repetita natura ſuperioris, quot ſunt inferiora; v g. quia homo eſt univerſale, & ſpecies reſpectu Petri, Pauli &c. ideo Petrus, & Paulus &c. debent eſſe non quæcunque plura; ſed plures homines.

Et proinde merito dicitur Deus, aut natura Divina non eſſe univerſalis; quia licet illa ſit in multis, non tamen eſt in illis multiplicata, unde nec multi illi ſunt multi Dii: ſed multæ perſonæ tantum.

2. Cur autem hoc exigatur, & non ſufficiat quicunque numerus contentorum ſub ipſo: equidem puto genuinam cauſam eſſe placitum ſic inſtituentium, & admittentium vocem. Poteſt tamen addi aliqua huius ratio; quia nimirum univerſale debet ſimul eſſe unum, & multa (quæ non pugnant: quando ſingula illius multitudinis habent inferiorem unitatem ad illam ſuperioris. v. g. non pugnat multitudo ſpecierum cum unitate generis; ſed benè multitudo ipſorum generum.) At verò aliter non foret idem ſimul unum, & multa; ſed aliud eſſet id quod unum eſt aliud eſſet quod foret multa. Quod verò hoc requiratur, conſtat; quia univerſale ſit, aut ſaltem univerſalitas exercetur per prædicationes de ineſſe dicendo: Petrus eſt homo; Paulus eſt homo, & ſimilia: ubi Ly *eſt* quandoquidem importet identitatem, & non tantum unionem aliquam prædicati cum ſubjecto, exigit ut quod ſic dicitur ſit illa multa, & cum alias in ſe ſit unum ut patet ex notabili poſito num. 1.) habetur univerſale propriè dictum ſimul debere eſſe unum, & multa, quod alio illo modo non contingeret, ut vides. Hoc autem ita reverâ eſſe vel inde conſtat, quia univerſale de quo hic, cenſent omnes non poſſe haberi, niſi per operationem intellectus, alius autem modus facile haberi poſſet. Præterea etiam quia, ut ſupra vidimus Act. Præcedenti, plura dicuntur univerſalia, quæ tamen omnium calculis rejecta ſunt à ratione propriè dicti univerſalis, & tamen in illis inveniuntur ubique aliqui ordines unius ad plura: non ergo quicunque ſufficit, neque ex naturâ rei, neque ex doctrinâ Philoſophorum.

3. Addunt & meritò aliqui univerſale debere eſſe multiplicatum in inferioribus non quomodocunque; ſed ſecundum eandem rationem: hoc eſt ut inferiora illa participent naturam eius, ſimiliter & eodem modo: ſit exemplum Calidum reſpectu ignis, & ferri non eſt univerſale, propterea quod calor in utroque non invenitur eodem modo, ſed diverſo, nam in igne eſt eſſentiale, aut quaſi tale, in ferro non; adeoque reſpectu utriuſque, non eſt univerſale. In quo tamen melius adſerretur calefactivum pro exemplo; & omnium optimum eſt eſſe diſgregativum viſus reſpectu albedinis, & muri; nam hoc albedini eſt quidditativum, muro non item. Et huius quidem facilius reddam rationem, quam præcedentis. Dico enim diſgregativum illud non eſſe hic univerſale aliquod reſpectu horum, ſed eſſe duo univerſalia ſcilicet Differentiam, & Accidens: differentiam reſpectu albedinis, accidens reſpectu muri. Similiter calefactivum eſt proprium reſpectu ignis, accidens autem ferri: Quibus poſitis decidendum eſt quæ ſit ipſa formalis ratio univerſalis? quod quidem ideò ſub quæſtionem cadit, quia ut dixi, res eſt partim dependens à placito authorum, & illi modo unum ex duobus illis, modo aliud aſſignarunt. *Ariſtoteles* primo Periherm *c Dico* inquit) univerſale quod *de pluribus prædicari natum eſt.* Sed 7. Metaphy-univerſale *d* (inquit) *eſt quod pluribus aptum eſt ineſſe*; quæ omnia *Scotus* veluti ex ipſo deſcripſit.

e 4. Dico breviter falſam eſſe eorum ſententiam qui volunt univerſale conſtitui per prædicabilitatem non verò per ineſſe. Hanc eſſe ultimatam ſententiam Doctoris aſſerit hic Rodriguez, & probant *Maſtrius*, *f* ac *Bellutus*. Nam quum in Logicâ de hoc cum Ariſtotele dubitaſſet, ſed in 2. cit. & 7. Met. cum ipſo iterum Ariſtotele tulit ſententiam pro ineſſe. Vnde fruſtra *Hurtadus h* putavit ſe Scotum ſequi in oppoſito; & minus excuſari poteſt Meriner. *i* eandem approbans propter locum Scoti q. 15. univerſalium ubi non tractat hanc materiam niſi obiter; agit enim de univerſali aliquo determinato ſcilicet de genere, eiuſque definitionem approbat datam per prædicari, quod ſine dubio intelligendum eſt de ipſâ, quan-

c Cap. 5. d text. 41. e Qu. 6. un. & q. 15. & 1. d. 3. q. 6. f In q. 1. univerſ. Scoti art. unic. g Diſp. 4. q. 2 art. 2. q. 11. num. 10. h Diſp. Log. ſect. 2. i Diſp. 2 quæſt. 3.

tum

tum ad ea, quæ ſunt generis propria, non quantum ad rationem communem univerſalis: ſed

Probo rem ipſam etiam ad hominem Prædicabilitas eſt eſſentialis univerſali, quod ipſi Adverſarii aſſerunt, ergo & ineſſe quod negant, probo tamen ſequi; quia non poteſt prædicabilitas eſſe eſſentialis niſi ineſſe ſit; quod ſic oſtendo. Aut enim prædicabilitas aut ineſſe ſunt idem, aut non, ſed plura & diverſa; ſi idem, habetur intentum, quod ſcilicet ineſſe ſit eſſentiale, quia nimirum prædicari eſt eſſentiale, prædicari autem eſt ipſum ineſſe, adeoque ſi etiam ſint plura, ſimiliter id ipſum habetur; nam prædicabilitas & ineſſe ut minimum ſunt ſimul natura: prædicabilitas autem eſt eſſentialis, vnde ſic arguo: Quidquid eſt ſimul natura cum eſſentiali eſt eſſentiale, ineſſe eſt ſimul cum aliquo quod eſt eſſentiale univerſali, ergo eſt eſſentiale.

a Merin. disp. 2. univ. q. 2. n. 20. Hurt. d. 3. Log. S. 2. Hæc ratio eſt etiam refutatio doctrinæ *a* quorundam ex Adverſariis, tam noſtræ, quàm Thomiſticæ ſcholæ, qui dicunt prædicabilitatem eſſe poſterius ineſſe reali; non vero eſſe poſterius ineſſe per intellectum, ſed potius hoc eſſe reddi, & fieri per prædicabilitatem. Dico hanc reſponſionem eſſe refutatam in ratione iam poſitâ, quam ſic nihilominus formo directè contra reſponſionem; quia ineſſe illud aut fit per prædicabilitatem in genere cauſæ efficientis, aut in genere cauſæ formalis: non in genere cauſæ efficientis, quia tunc ineſſe eſſet quid poſterius prædicabilitate, non in genere cauſæ formalis, quia tunc eſſet idem cum prædicabilitate; contra quod procedit probatio concluſionis iam poſita, ergo. Quod autem ineſſe debeat eſſe ut minimum ſimul natura cum prædicabilitate patet quia non poteſt prædicari niſi quod ineſt, ut evidens eſt, ergo

Probo etiam ſecundo concluſionem. Prædicatio eſt ſecunda operatio intellectus, adeoque ſupponit primam, univerſale autem pertinet ad primam, ergo præcedit prædicationem. Senſus minoris debet eſſe iſte, quod ſcilicet univerſale fiat per primam operationem intellectus, quo probato evidens eſt univerſale fieri ante prædicabilitatem: nam prædicabilitas ſecundum ipſos communicatur naturæ per intellectum prædicantem ipſam actu de pluribus, urgeo rationem. Certum eſt naturam non eſſe unam à parte rei in pluribus, erit ergo in illis per intellectum, atqui ſi intellectus poteſt addere ipſam in pluribus prædicando, poteſt eam ibi reddere apprehendendo: ergo jam erit in multis illo eſſe intellectuali ante ſecundam operationem, ſeu prædicationem: atqui nihil requiritur ad prædicabilitatem, niſi ut natura ſit in multis per intellectum: ergo jam ante omnem intellectum judicativum natura erit prædicabilis de multis; adeòque univerſalis; hoc autem eſt directè contra mentem Adverſ. qui contendunt prædicabilitatem, qua natura ſit univerſalis communicari ipſi per plures prædicationes: ergo Expono vim argumenti amplius, quia ſi intellectus noſter eſſet practicus, ſeu operativus, ſicut eſt voluntas Divina, quæ volendo aliquid facit ut ſit, certè non ſolum per affirmationem; ſed etiam per apprehenſionem faceret naturam eſſe realiter in multis, ergo cum ſit operativus intentionaliter non ſolum facit per affirmationem; ſed & per apprehenſionem, ut ſit in pluribus intentionaliter.

Proſequor adhuc argumentum. ſine dubio enim natura prius eſt prædicabilis de multis quam prædicetur de illis: quum ubique actus primus ſit prior ſecundo: ſed actuali prædicatione prædicatur, ergo ante illam fuit prædicabilis: atqui prædicabilitas adverſariorum confertur per actualem prædicationẽ, ergo ante hanc natura fuit univerſalis, etiã ſupponendo quod fiat univerſalis per prædicabilitatem, atqui nihil eſt prius prædicabilitate niſi ineſſe, ergo.

Adhuc tertio ſic, ſingulare eſt ſingulare antequã prædicetur de uno, idque per ineſſe eius in uno, ergo univerſale erit univerſale priuſquam prædicetur idque per ineſſe in multis. Ratio conſequentiæ eſt, quia ſine dubio ſingulare & univerſale conſtituuntur oppoſitis rationibus: ergo &c.

Addamus iſtam: Etſi prædicabilitas eſſet impoſſibilis adhuc univerſale eſſet poſſibile: ergo non conſiſtit univerſale in prædicabilitate: patet ſequela: alioquin eſſet impoſſibile. Antecedens autem probatur, quia ſi poneretur natura equi v.g. una in multis, & omnes intellectus eſſent impoſſibiles, natura illa eſſet univerſalis, nec tamen prædicabilis, imò eſſet imprædicabilis, & impoſſibile eſſet illam prædicari: propter quæ

5. Dico etiam 3. Vniverſale non fieri tale per aptitudinem ad ineſſe; ſed requirere ipſum actũ ineſſendi: Hæc plus dicit quam communis modus cõſtituendi univerſale; ſed eſt aperta doctrina Subtilis in primo themate ſupra, & Ariſtotelis ibidem citati, dicentis quod univerſale *ſit unum in multis*.

Ratio in promptu eſt quia univerſale debet eſſe prædicabile de multis: at verò non eſt prædicabile in multis, niſi quod eſt actu in illis; nõ enim ſufficit potentia ineſſendi ad veritatem prædicationis, alioquin accidens non inexiſtens ſubjecto v.g. albedo poſſet prædicari de pariete etiam quum paries illam non habet; quia nimirum ſemper poteſt illam habere, vrgeo rationem, nam ſi ſufficeret poſſe habere formam ut ipſa vere prædicetur (agimus enim ut ſuppono ſine dubio de prædicationibus veris) tum nulla prædicatio negativa accidẽtis de ſubjecto eſſet vera; hoc autem eſt falſum ergo. Eſſe hoc falſum probo, quia ſenſus prædicationis negativæ eſſet quod non poſſit forma illa ineſſe ſubjecto, id autem eſt falſum: ergo. Antecedens hujus oſtendo, nam ſi ſenſus propoſitionis affirmantis formam aliquam v.g. albedinem de ſubjecto ſit quod albedo poſſit eſſe in ſubjecto, utique ſenſus negativæ eſt quod nõ poſſit ineſſe, hoc autem eſt falſum, ergo Caſus huius rationis eſt in iſta, paries nõ eſt albus, eſſet enim neceſſariò ſemper falſa. ergo

Probo 2. idipſum, quia ſi per potentiam ad ineſſe fieret natura univerſalis tum natura etiã abſtracta ab inferioribus eſſet univerſalis, utiq; enim illa poteſt ineſſe, nec quidquam ei deeſt, niſi actualis incluſio in illis, hoc autem eſt falſum quia abſtractio impedit incluſionem.

Adhuc amplius expendo hoc prædicari, aut enim eſt prædicari actu, aut prædicari aptitudine; nõ ſecundũ, tum ob dicta, tum etiam quia nulla aptitudo poteſt immediatè conferri rei, maximè verò aptitudo paſſiva, ſed omnis talis reſultat ad aliquid aliud prius, at verò quod habet aliquid prius, nõ poteſt eſſe eſſentiale habenti Quod verò non poſſit fieri per prædicationem actualem, eſt adhuc notius, quia prædicari actualiter eſt accidens univerſali, ſicut diſcurrere aut ridere actu, homini.

Tenendum ergo eſt, quod univerſale eſſentialiter ſit *unum in multis*, accidentaliter autem *unum de multis* prædicabile, ſic ſcilicet ut prædicabilitas ſit paſſio & accidens proprium eius, prædicari vero accidens commune; eſſentia autem ineſſe contra quæ.

6. Objici poteſt pro prędicabilitate ſic, iſta eſt bona conſequentia, ideò natura humana eſt actualiter per intellectum in Petro & Ioanne, quia per

Digitized by Google

actum intellectus prædicatur & attribuitur Petro & Ioanni &c. non verò è contra ergo etiam hæc erit legitima conſequentia: ideo natura humana eſt apta ad eſſendũ per operationem intellectus in Petro & Ioanne, quia eſt apta prædicari, & non è contra: adeòque prædicabilitas eſt prior quam ineſſe, certum eſt autem quod ex duobus: illud ſit rei eſſentiale quod eſt prius: ergo univerſali eſſentiale non erit ineſſe, ſed prædicari.

Reſpondeo conſequentiam quidem eſſe legitimam, ſed antecedens falſum, non enim actus intellectus præcedit objectum, ſed è contra objectum præcedit actum, quod maximè verum eſt in actibus ſpeculativis, quales ſunt ejuſmodi prædicationes: hæ enim non faciunt objectum ſuum, ſed ſupponũt quis autẽ ſit ille actus quo hoc fit, aperiemus actione ſequenti. Interim oſtendo non poſſe eſſe actualem affirmationem quia ſine dubio intelligitur ab Adverſariis de affirmatione verâ: nam in affirmationibus veris iſta eſt cauſalis; quia res ſic ſe habet, ideo affirmatio eſt vera: ergo jam rem ſic eſſe, cauſa & ideò prius eſt quam affirmationem eſſe veram.

Objici etiam poteſt. Porphyrius qui univerſalia omnia definivit per prædicari, quas definitiones Doctor noſter approbat, ſed ego objicio Porphyrio Ariſtotelem, qui definivit univerſale per ineſſe: Imo & ipſum Porphyriũ, qui ſuas definitiones pro deſcriptionibus habet, ut patet apud ipſum c. 2. in fine. Nego etiam huic univerſalia omnia definita eſſe per prædicari; nam proprium & accidens manifeſte definita ſunt per ineſſe. Ad Scotũ ſupra dixi quoad approbationem definitionum Porphyrii.

quæſtion. 4. univ.

Habet tamen alibi a Doctor quæ poſſint hic ſcrupulum facere; docet enim prædicari convenire intentionibus per ſe, rebus per accidens, è cõtra ineſſe rebus per ſe, intentionibus per accidens. Cum ergo conſtet univerſale formaliter eſſe quid intentionale debet conſtitui per prædicari, non per ineſſe.

Reſpondent Recentiores aliqui ex noſtris id eſſe verum de ineſſe reali, non vero de ineſſe per intellectum: in quo ni fallor bis erraverunt, ſemel in eo quod dixerint ineſſe reale per accidens convenire intentionibus: ſecundò in eo quod dixerint ineſſe per intellectum convenire illis per ſe: nam intentiones ne per accidens quidem inſunt rebus: hæc enim *Homo eſt genus*, aut etiam *Species eſt genus* ne quidem per accidens eſt vera, & tamen eſſe deberet ſi intentio ſuperioris puta generis etiam per accidens ineſſet inferiori: Quæ ratio currit etiam de ineſſe per intellectum, nam nec intellectus verificat huiuſmodi propoſitiones, ut patet.

Reſpondeo 2. Doctorem non habere eo Loci totum quod ipſi ex eo citant, non enim habet *eſſe* convenire etiam per accidens intentioni, ſed tantum quod conveniat per ſe rei. Reſpondeo ergo ultimatè abſtinẽdo ab inanibus gloſſis, ſenſum hujus doctrinæ Scoti quod prædicatio ſit intentionum, ineſſe verò rerum eſſe, quod prædicatio ſignata facienda ſit in terminis ſecundæ intentionis, exercita vero in terminis realibus ſive primæ intentionis, quia nimirum iſta *genus prædicatur de ſpecie*, bene ſtat, at verò iſta *ſpecies eſt genus* non item, & tamen eſt prædicatio generis de ſpecie. Confirmo explicationem meam; quia ſi doctrina illa accipienda eſſet ut ſonat, ac non potius ut à me explicata eſt, iſta non eſſet per ſe, *homo eſt animal* quod eſt falſum, & negatum à Doctore ibidem: patet conſequentia, hæc enim eſt aliqua prædicatio: ſi ergo nulla prædicatio per ſe convenit rei, jam illa prædicatio animalis de homine non erit per ſe, quod neque ſcotiſticum eſt neque verum.

Confirmatur iterum quia prædicari actu etiam reſpectu ipſarum intentionum eſt accidens, cum planè ſit ſeparabile: ergo non poteſt intelligi Scotus ut dixerit prædicationem eſſe intrinſecum uni aut alteri, ſed tantum quod prædicabilitas ſignata facienda eſſet in terminis ſecundæ intentionis, non curando nec definiendo an eſſet conſtitutivum eius nec ne. Hactenus de mente Doctoris; res autem ipſa concluſionis pendet ex dicendis actione ſequenti, ubi explicabimus per quem actum intellectus fiat univerſale; ſi enim per actualem prædicationem, aut etiam aptitudinalem, certè aliqua prædicabilitas erit conſtitutiva eius. De hoc ibi: interim contra definitionem ipſam, & naturam univerſalis ut nos eam diſpoſuimus.

7. Objici poteſt ſic: Vnum & multa pugnant: ergo non poteſt eſſe aliquid quod ſit ſimul unum & multa, adeoque univerſale noſtrum quod definivimus eſſe ſimul utrumque, omnino implicat. Dicet aliquis implicare quidem, & propterea in re non poſſe quidquam tale eſſe bene tamen in intellectu, ſed contra eſt, quod nec intellectus contradicentia copulare poteſt, alioquin poſſet idem ſimul eſſe & non eſſe: hæc enim non plus opponuntur, quam contradictoriè. Reſpondeo primo intellectum poſſe copulare etiam pugnantia invicem, ut patet in monſtris, & montibus aureis, ac ſimilibus, adeoque ex hoc non haberi quin ſaltem in intellectu detur univerſale. Ratio autem adducta contra, oſtendit tantum non poſſe intellectum copulare contradictoria judicativè; non verò obſtat quo minus copulet illa apprehenſivè. Reſpondeo etiam aliter: unum & multa multitudine illius generis, quo quidpiam eſt unum opponuntur, concedo, unum & multitudo alterius rationis & inferioris opponuntur, nego: opponuntur ergo unitas generica, & multitudo item generica. At verò unitas generica, & multitudo ſpecifica non item: ſimiliter opponuntur unitas, & multitudo ſpecifica, at vero unitas ſpecifica, & multitudo numeralis non opponuntur, & his mòdis univerſale eſt ſimul unum & multa.

ACTIO TERTIA

Vtrum Vniverſale detur, vel dari poſſit à parte rei.

BREVIARIVM

Num. 1. *Platonis imaginatio ſeu idea*

2. *Refutatur à quibuſdam tripliciter, ſed malè.*

3. *Dua*

Digitized by Google

3. *Dua rationes ſolida contra ipſum, & ideas.*
4. *Obiectio, ſive ratio pro ipſo alia addita. Singularitas utrum accidens an ſubſtantia.*
5. *Non dari univerſale coniunctum, ſicut nec ſeparatum. Loca Scoti*
6. *Num ex unitate formali ſequatur univerſale coniunctum.*
7. *Rationes cur non detur univerſale coniunctum.*
8. *Num daretur myſterium Trinitatis dato univerſali coniuncto.*
9. *Obiectio, Qua multitudo compatibilis ſit cum unitate.*
10. *Altera obiectio. Quomodo predicationes univerſalium de inferioribus verificentur.*

Expenditur doctrina Platonis.

1. EX calce actionis præcedentis remanſit ratio aliqua de hoc dubitandi, ſi enim univerſale non involvit conceptus pugnantes, cur non poſſit dari à parte rei extra, ac non tantum in intellectu, eſt autem quæſtio ex maximè tritis, ac famoſis inter Logicos, quorum aliqui ſententiam affirmantem impingunt Doctori Noſtro, ſive quod is reverà hoc ſcripſerit (ut Thomiſtæ aliqui credunt) 2. diſt, & q. in 1. them. citato & alibi ſive ex dictis illius ſequitur, Quapropter etſi difficultas revera Metaphyſica ſit, tamen ne Doctori, & Subtilibus hic laborantibus deſim, duxi eam ex parte hic inſerendam. Tria autem faciam: Primò examinabo an detur univerſale aliquod à ſingularibus ſeparatum, & quam abſurda ſit ſententia, quæ de hoc ſub nomine Platonis circumfertur. 2. Inquiram ſaltem an detur conjunctum, & incluſum in ſingularibus, de quo non ſolum rei ipſius veritatem, ſed mentem Subtilis aperiam expenſis duabus viis, quæ ſuper hoc à diſcipulis eius traduntur.

17. *Meta.* ſ. 13 & 17.

Fuit autem de hoc divini Platonis opinio affirmativa univerſalium: cenſuit enim dari naturas univerſales in mundo, ſed abſtractas à ſingularibus, & ſeparatas, ut refertur de eo 1. Metaph. c 6. & lib. 4. c 5 ſed hanc fuiſſe impoſturam duntaxat aut errorem Ariſtotelis, non opinionem Platonis, docet Subtilis 7. Metaph. & poſt eum latius Beſſarion Cardinalis: ante utrumque Auguſt. Iamblicus, & alii de quo ſuſpendendo ſententiam, & rem ipſam attrectando &c.

2. Dico non dari, nec eſſe poſſe in rebus naturas univerſales à ſingularibus ſeparatas hæc eſt vox omnium contra Platonem: quem tamen facilius eſt reprehendere, quam refutare.

Probant enim aliqui concluſionem contra ipſum; quia quidquid eſt in rebus, eſt actione ſingulari productum omne tale eſt ſingulare ergo, ſed ratio non ſufficit refutando Platoni, ut benè notavit Poncius, quia qui diceret poſſe eſſe naturam aliquam ſubſtantialem v. g. humanitatem non ſingularem, certè etiam dicere poſſet & deberet dari etiam actionem non ſingularem: cur enim erunt ſeparata à ſingularibus alia prædicamenta, non erunt prædicamentum actionis?

Deinde quâ lege debent effectus per omnia aſſimilari actioni, ut ſi actio ſit ſingularis, etiam effecta per ipſam debeant talia eſſe? non actio eſt accidens, effectus aliquando ſubſtantia? Alii alia adferunt, quæ nec videntur veritatem concluſionis demonſtrare.

Melius improbatur hoc idolum ſic, v. g. generatio, aut creatio ut ſic, quæ terminetur ad naturam, puta ad humanitatem ut ſic; erit etiam poſſibilis corruptio, & annihilatio ut ſic; & cum corruptio ut ſic non poſſit terminari niſi ad naturam ut ſic (nam ſingulares corruptiones terminantur ad ſingulares naturas ſequitur naturas univerſales eſſe corruptibiles, quod longe abeſt ab omni Philoſophia, & ab ipſius etiam Platonis mente.

Probant aliı ſic, quia ex illa poſitione ſequerentur in Theologia graviſſima abſurda: ſi enim in omnibus individuis hominum detur eadem natura humana: ergo natura eadem Chriſti eſt etiam in Iuda, & Barraba. In illis eſt Deo inviſa, in Chriſto Deo grata, & fruitur Divinâ eſſentia: &c. quæ omnia implicatoria ſunt &c. ſed non vicit arguens b per iſta; quia defenſor idearum, ſeu naturarum abſtractarum, & univerſalium non haberet pro abſurdo eandem naturam ſpecificam eſſe in Chriſto, & Barraba, licet abſurdum concederet eandem naturam individuam, aut ſingularem eſſe in utroque, vel eſſe ſimul miſeram, & beatam, peccatricem, & iuſtam &c.

b *Ariaga diſp. 4 ſ. 2.*

Poſſumus tamen inſtaurare hanc ipſam rationem in hunc modum; quia ſaltem abſurdum eſt eandem numero naturam eſſe miſeram, & beatam &c. id autem contingeret in eo caſu, vel ſaltem contingeret quod aliquod individuatum, & contractum ad determinatam ſingularitatem ſic ſe haberet, quia natura Barrabæ eſt affecta ſingularitate ipſius eſt peccatrix &c. clarius ſic; quidquid eſt in Barraba eſt peccato affectum, natura humana eſt in Barraba ergo eſt affecta peccato: ex altera verò parte natura illa eſt libera à peccato, quia neutrum poteſt convenire naturæ, ut ſic: ergo idem realiter, & numero habet prædicata oppoſita, quia nimirum natura ſingularis Barrabæ eſt ſub peccato, natura illa ut ſic eſt natura ſingularis Barrabæ: ergo eſt ſub peccato, ex altera vero parte ipſa eſt ſine peccato in gratia, in gloria ratione Chriſti &c. ergo idem realiter ſingulare eſt &c. Fateor tamen eſt adhuc aliquis locus exceptionibus factis, ex parte ſaltem.

Similiter etiam evadi poteſt hæc probatio: Quod eſt eſſentiale alicui non poteſt eſſe ſeparatum ab ipſo: illa natura communis eſt de eſſentia ſingularium; ergo non poteſt eſſe ſeparata ab ipſis. Dici enim poteſt ſenſum maioris debere eſſe iſtum, ut, quod eſt alicui eſſentiale non poſsit non ineſſe ei cui eſt eſſentiale, at verò quod nulli alteri inſit, vel quod nullibi alias ſit, non perinde requiri, ſicut anima, qua ego cōſto nō poteſt nō eſſe in me: at verò poſtquam eſt in me non repugnare expreſsè, quod etiam ſit extra me, & ponatur in alio, aut loco, aut corpore &c. Denique evadi poteſt argumentum Theologicum à myſterio Trinitatis deſumptum de quo infra fortè, atque ita hanc Platonis fantaſiam; vt loquitur Mauritius c noſter, quā omnes blaſphemant, non omnes ritè convincunt. Ponam hic duas eius improbationes ex meo.

c *Maur. Hybern. in Anno. q. 18. Lib. 7. Met. Scot.*

3 Primâ ſic arguo, aut illa natura abſtracta, & idea eſt ſingularis de ſe, aut non eſt de ſe ſingularis; ſi ſit ſingularis, habeo intentum: iam enim quodlibet exiſtens eſt ſingulare iam nihil eſt univerſale, ne quidem abſtractum, aut idea: ſi non ſit ſingularis: ergo non repugnabit ei habere aliam per omnia ſimilem, id enim repugnat præciſè per ſingularitatem, adeoque poterit dari alia natura eiuſdem rationis v. g. alia humanitas ut ſic, quo nihil

Digitized by Google

ineptius. Confirmatur, quæro enim utrum ſecunda ſit diverſa ſpecie humanitas à prima, an numero tantum? ſi ſpecie, iam non ſunt eiuſdem rationis contra hypotheſin: ſi diverſa numero; ergo habent unitatem numeralem, & ſingularem: non enim poteſt res differre eo quod non habet. Secunda ratio. Detur inter alias ideas, ſeu naturas abſtractas, etiam natura alicuius continui puta ligni, & ſic palmus ligni vt ſic; dico hunc eſſe ſingularem, & probo, quia aut poteſt dividi in partes integrantes, aut non, ſi non poteſt; iam non eſt continuũ, nam omne tale eſt d *diviſibile in ea quæ inſunt*: ſi autem dicatur (ſicut revera dici debet) eſſe diviſibile in partes integrantes, dividatur in duos ſemipalmos, quo facto certè non remanet palmus; nam duo ſemipalmi non faciunt palmum, niſi continui. At verò ſi idea illa foret natura ligni vt ſic, poſſet dividi in plura ſine ſui detrimento, imò cum ſui multiplicatione: ergo. Confirmo: illud enim ſi eabſtractum eſſet corruptibile, certè enim per diviſionem minuitur, quod autem minuitur denique corrumpitur, ergo

d *Ariſt. 5. Meta. cap. 13.*

Sit etiam tertia probatio fundata in modo quo Plato ponebat ideas qui aſſerebat eſſe formas ſeparatas, & naturas, ſeu eſſentias ſingulorum. Exempli causâ, ponebat humanitatem ut ſic cuius participatione Petrus, ac Paulus, & reliqua individua forent homines; ſimiliter de aliis ſpeciebus, (ſi vera eſt fama,) ponebat ſimulachra quædam, quæ eſſent velut exemplaria, & authographa ſingularium, & quæ ſola merito gererent nomen illius ſpeciei; nam hominem illum ſuum abſtractum dicebat abſolutè hominem, quin ſingulares non abſolutè homines dicendi forent, ſed cum addito, hi homines &c. contra quam imaginationem cuiuſcunque demum ſit, ſic arguo. Iuxta authorem huius modi naturæ illæ abſtractæ ſunt eſſentiales ſingularibus; atqui hoc pugnat cum principiis huiuſmet authores idearum: ergo non poſſunt ſubſiſtere. Minorem oſtendo, iuxta ipſum naturæ illæ abſtractæ ſunt incorruptibiles; atqui nihil incorruptibile realiter poteſt eſſe eſſentiale ſingulari; nam quodliget tale eſt corruptibile, nihil autem incorruptibile poteſt identificari corruptibili; alias incorruptibile eſſet corruptibile, atque etiam aliquando corruptum.

Dici poteſt primo contra hoc, non omnia quæ conveniunt ſuperiori deſcendere cum eo ad inferiora nam etiamſi genus prædicetur & identificetur ſpeciebus, ſed non dat eis genereitatem, ergo poteſt natura illa abſtracta deſcendere ad inferiora & non dare eis incorruptibilitatem. Secunda dici poteſt rationem eſſe ſolvendam nobis, recurrit enim ut probet gradus Metaphyſicos non includi in ſingularibus, nam illi gradus ſunt etiam incorruptibiles. Sed neutrum urget, non primum; quia veriſſimum eſt omnia prædicata intrinſeca ſuperiori ut natura eſt deſcendere cum eo ad inferiora (alias ipſum non deſcenderet) & ſi non omnia prædicata eius ut ſuperius eſt deſcendant: At verò eſſe corruptibile vel incorruptibile, competit ei ut naturæ, adeoque quodlibet habens talem, naturam habebit corruptibilitatem vel incorruptibilitatem &c. 2. autem iam præventũ eſt in ipſa probatione, in qua dixi nihil incorruptibile realiter poſſe includi in aliquo corruptibili; nam gradus illi Metaphyſici, ſicut non ſunt reales realiter ſubiectivè, vt loquuntur; ita nec ſunt incorruptibiles, niſi formaliter tantum, & in intellectu.

4. Obici poteſt pro Platone; obiecta ſcientiarum debent eſſe in rebus, ſicut & ipſæ ſcientiæ ſunt: At verò obiecta illa ſunt univerſalia: ergo debent hæc eſſe, & non tantum ſingularia. Reſpondeo obiecta ſcientiarum eſſe in rebus, non tamen abſtracta à ſingularibus: imo dico quod non ſolum non eſt neceſſe univerſalia exiſtere, ſed nec ipſa ſingularia: nam etſi ſol eras deſineret, vera eſſet definitio ſolis. Non ergo naturæ ſecundum exiſtentiam, ſed ſecundum eſſentiam ſunt obiecta ſcientiarum: ſed contra.

Inſtari ſic poteſt ratio: Demonſtrari poteſt paſſio realis v.g. riſibilitas ſua de Petro; at non poteſt demonſtrari per aliquam cauſam in eſſe eſſentiæ præciſè, ergo per aliquam realiter poſitam: atqui obiecta ſcientiæ ſunt illa de quibus, & per quæ aut potius per quorum definitiones demonſtrantur paſſiones de rebus: ergo obiecta ſcientiarum, & univerſalia dantur in rebus actu. Reſpondeo non poſſe demonſtrari riſibilitatem realem, ſeu ſubiectivam de Petro quum hæc ſit omnino contingens ſicut & ipſe Petrus in tali eſſe: ſolum ergo demonſtrabilis eſt exigentia riſibilitatis à Petro quia hæc ſola neceſſaria eſt.

Obiicitur 2. ſingularitas eſt ſeparabilis à natura; eo autem facto natura eſſet idea: ergo poſsibilis eſt idea. Vis eſt in maiori, quam ſic probo: ſingularitas eſt accidens, & quidem commune naturæ; talia omnia ſunt ſeparabilia: ergo Probatio maioris; quia hæc, *Homo eſt Petrus*: eſt quinti prædicabilis: ergo Petreitas eſt accidens commune. Reſpondeo non omnia accidentia quinti prædicabilis eſſe ſeparabilia: nam etiam differentiæ genericæ, & ſpecificæ, (ac non tantum individuales) identificantur realiter ſubiecto, adeoque ſunt inſeparabiles, & tamen ſunt accidentia quinti prædicabilis reſpectu eius: v.g. rationalitas reſpectu animalis. imo etiam aliquæ formæ phyſicæ ſunt inſeparabiles ſaltem diſiunctim, ut rectitudo, vel curvitas à linea

Reſolutio de Vniverſali coniuncto. Mens Scoti

5. Dico breviter univerſale non dari etiam coniunctum ſingularibus, idque ſic ſe habere, ſive eſſe verum non ſolum ex natura rei, ſed etiam de mente Scoti, quod ultimum ut primo oſtendam, proferam eos Scoti textus, quibus (nemo magis) hanc univerſalitatem negat. Erunt autem iſ ſi illi, in quibus ab adverſariis cēſetur eam univerſalitatem adſtruere: nam 2 diſ.3. ſupra in themate poſito, quum definiſſet univerſale in actu eſſe illud quod habet unitatem indifferentem ſecundum quam ipſum eſt in potentia proxima, ut dicatur de quolibet, ait: *Nihil ſecundum quamlibet unitatem in re eſt tale, quod ſecundum ipſam unitatem præciſam ſit in potentia proxima ad quodlibet ſuppoſitum, ut dicatur de quolibet ſuppoſito prædicatione dicente hoc eſt hoc.* Sanè ſi adhibuiſſet notarios Reipublicæ non potuit conficere inſtrumentum clarius negativum univerſalitatis.

Addo ex 7. Met. q. 18. ubi eandem doctrinam aliis verbis repetit. Vocat enim univerſale *quid indeterminatum, ita quod unum intelligibile numero ſit dicibile de omni ſuppoſito, & hoc* inquit, *eſt completè univerſale*: & ſubdit: *ſed quæ eſt cauſa illius indeterminationis quâ obiectum quum habet eſſe primum in intellectu eſt completè univerſale*: *Reſpondeo non ſola res*: quid ultra quæritur Addit tamen ulterius. *Intellectus igitur agens concurrens cum natura aliquo modo indeterminata ex ſe, eſt cauſa integra univerſalitatis*, non ergo res ulla ſecundum Scotum de ſe eſt univerſalis, non ergo datur univerſale, niſi per operationem intellectus iuxta ipſum toties, nam & quæſtione 15. antece-

Digitized by Google

antecedenti inquit Intelligendum *quod vniuerſale completum eſt, quod eſt in pluribus & de pluribus non actu ſed potentia propinque, tale nihil eſt, niſi ex conſideratione intellectus.* quodlibeto. 6. n. 12. *Hic* [ſcilicet in diuinis] *eſt vnitas magnitudinis numeralis, ſiue ſingularis in duobus. In alijs non eſt vnitas numeralis, licet ſecundum aliquos fortè ſit vnitas aliqua vniuerſalis, ſiue rationis*, quo loco vt vides pro ſynonimis habet vnitatem vniuerſalis, & vnitatem rationis propter quod merito in margine huius loci adſcriptum eſt. *Non dari vniuerſale à parte rei.* Et denique in Logica, quæ primo loco foret citanda, q. 4. vniuerſ. n. 2. *Ad primum argumentum dico. quod Bœtius intelligit de illo quod eſt præter operationem intellectus, cuiuſmodi non eſt vniuerſale.* quid clarius, quid ſæpius dici potuit? ſed.

6. Obijciunt illi Scoto Scotum, & quidem in his ipſis locis: nam perpetua & conſtans eius doctrina eſt quod natura creata non eſt de ſe hæc ſed eſt vna alia vnitate minori, hoc eſt communitate maiori: nam vnitas eſt principium indiuiſibilitatis, ſeu incommunicabilitatis. Verba eius in primo citato ſunt. *Concedo concluſionem iſtarum rationum. & dico quod ſubſtantia materialis ex natura ſua non eſt de ſe hæc.* Et infra ſtatim. *Aliqua eſt vnitas in re realis abſque omni operatione intellectus minor vnitate numerali ſiue vnitate propriâ ſingularis. quæ vnitas eſt naturæ ſecundum ſe. & ſecundum iſtam vnitatem propriam naturæ. vt natura eſt indifferens ad vnitatem ſingularem.* Eſt q. illa 13. Met. id ipſum ſic. *Natura non eſt de ſe hæc, quia cuiuſcunque* (naturæ ſcilicet) *propria vnitas realis eſt minor vnitate numerali*, & alibi plus ſemel. Ex quibus confici poteſt hæc ratio pro vniuerſali ex ipſo. Natura à parte rei habet vnitatem minorem, ſeu ſuperiorem ad vnitatem ſingularem, ſed ſupra ſingulare non eſt niſi vniuerſale, ergo ſecundum Scotum natura habet vnitatem vniuerſalis. Minor patet quia natura habens vnitatem ſingularis eſt communicabilis vni, ergo habens minorem, & ſuperiorem debet eſſe communicabilis pluribus, quia inter vnum & plura non eſt medium. At verò ſic communicabile clarum eſt quod vniuerſale, vnde ſit.

Vrgeo rationem, ſpecies v. g. habet pro immediatis inferioribus ſingularia, & ſingularia ſunt immediata ſubijcibilia ſpeciei, ergo quod eſt ſupra ſingulare eſt ſpecies, Scotus autem cõcedit à parte rei dari aliquod ſupra ſingulare, ergo ſpeciem, Quod etiam confirmari poteſt inde, quia alias fruſtra, & falſo diſtinxiſſent Philoſophi ſpeciem in ſpeciem atomam, & ſubalternam, quia ſecundum hanc viam Scoti nulla eſt atoma, ſed quælibet eſt ſubalterna. Reſpondeo non eſſe laborandum vt probetur Scotum aſſeruiſſe vnitatem minorem numerali, ſexcenties hoc habet, ſed non proinde habet dari vniuerſale, non enim illa vnitas ſufficit vniuerſali, pro quo ſciendum, duplicem cogitari poſſe in aliqua naturâ vnitatem, ſeu communitatem vt voles, vnam negatiuam, alteram poſitiuam, Vnitas (formalis intellige,) ſiuè communitas negatiua eſt quâ natura aliqua libera eſt qualibet determinatâ ſingularitate, ſic vt non ſit ei ita affixa quin poſſit eſſe ſub aliâ, at non ſimul cum priori, ſed tantum dimiſſâ ipſâ. Poſitiua è contra eſt talis qua natura aliqua ſic poteſt eſſe ſub ſecundâ ſingularitate vt ſimul etiam ſit ſub primâ. Breuiter, poſitiua vnitas dat naturæ eſſe ſub pluribus ſingularitatibus coniunctim, negatiua autem tantum diuiſim, ſicut materia prima poteſt de facto aliam formam habere, & Locus aliud contentum, at non niſi dimiſſo priori, Hanc ergo vnitatem negatiuam aſſeruit Scotus, quæ nequaquam ſufficit ad vniuerſale, ſicut nec indiuiduum vagum, adeoque decepti ſunt qui crediderunt eum propterea aſſeruiſſe vniuerſale.

Vnde etiam rationes contextæ pro ipſis facilè euaneſcunt. Concedo enim ſupra vnum non eſſe in ſe multa, ſed diſtinguo de multis, & dico ſupra vnum eſſe non ſolum multitudinem poſitiuã, ſed etiam negatiuam, atque ita naturam illam quamtumuis non ſit de ſe *hæc*, aut vna, & indiuidua, non proinde ſtatim eſſe de ſe multa poſitiuè, & vniuerſale: mediat enim multitudo negatiua, ſive diſiunctiua. In formâ etiam ad ſecundam rationem, nego ſupra ſingulare non eſſe niſi vniuerſale, eſt enim illud communicabile pluribus nagatiuè: nego etiam conſequentiam confirmationis, quod ſcilicet habens vnitatem quamlibet minorem numerali ſit communicabile pluribus, vel diſtinguo ſic eſt communicabile poſitiuè, nego, negatiuè concedo, quod non ſufficit vt dixi ad vniuerſale. Denique ad vltimũ concedo aſſumptum totum, & nego conſequentiam, quia nimirum natura ſecundum ſe non eſt neque prædicabile, neque ſubijcibile propriè, vt hic loquimur, Logicè videlicet. Confirmo ſolutionem etiam apud Aduerſarios, quia ſecundum ipſos & omnes, datur vniuerſale Metaphyſicum, à Logicò diſtinctum: hoc autem neque eſt ſpecies Logica, (alias non eſſet diſtinctum à Logico vniuerſali) neque ſingulare, (alias non eſſet vniuerſale): ergo iam non eſt tam liquido verum quod ſpecies & indiuidua ſint ſibi immediata, ita vt nihil intercedat, ſed diſtinguendum eſt de medio Logico, & Metaphyſico, & dicendum nihil Logicum medium intercedere, negandum autem quin aliquod Metaphyſicum medium intercedat, & hoc eſt quod locis allegatis aſſeruit Scotus, adeoque

Abſoluta improbationes Vniuerſalis coniuncti.

7. Probo iam eandem veritatem abſolutè, & abſtrahendo à mente Scoti, quod ſcilicet non detur vniuerſale etiam cnniunctum: Quia quodlibet in rerum natura eſt ſingulare: ergo nullum vniuerſale. Antecedens ſupra demonſtratum eſt concluſione prima, & ſupponitur hic ab Aduerſarijs. Directius tamen ſic formabitur ratio ad rem hanc; coniunctio ad ſingularitatem, & vniuerſalitas pugnant: ergo non datur vniuerſale coniunctum, ſequela eſt aperta; antecedens autem oſtendo, quia coniunctio ad ſingularitatem ſine dubio efficit ſingulare, ſicut vnio cuiuſuis formæ ad ſubiectum dat illi ſubiecto effectum formalem illius, v. g. vnio ad albedinem eſſe album: atqui ſingulare, & quodlibet etiam minimum vniuerſale ac ſpecificum habent pugnantes conditiones, quia nimirum vniuerſale dicit eſſe communicabile pluribus, ſingulare vni tantũ, vniuerſale habere ſub ſe aliqua, ſingulare nullũ. vniuerſale eſſe indeterminatum, & multiplicabile, ſingulare autem eſſe immultiplicabile, & determinatum &c. ergo à primo ad vltimum implicat vniuerſale coniunctum, eſſet enim ſingulare vniuerſale.

Probari etiam poteſt quia ſi daretur vniuerſale coniunctum, vniuerſale iam eſſet corruptibile, imo

Digitized by Google

imo etiam corruptum. Ratio, quia nimirum ſingulare cui coniunctum eſt, eſt corruptibile. Dices de facto naturam vniuerſalem, v. g. humanitatem in ſingularibus reperiri; nec tamen corrūpi: ergo ſimiliter nec ſequitur &c. Reſpondeo cauſam eſſe quia in ſingularibus non retinet ſuam vniuerſalitatem totam; ſed in quolibet ſingulari, eſt tantum hæc natura, non autem eſt tota ſpecies. Qui autem poneret vniuerſale perfectè, & totaliter in ſingulari neceſſario deberet fateri quod corrupto ſingulari corrumperetur, & deſineret vniuerſale: de facto ergo non corrumpitur quia non retinet in ſingularibus vniuerſalitatem: qui ergo poneret ipſum retinere in ſingularibus vniuerſalitatem, dicere deberet, quod in ſingulari ſubiret corruptionem. Video eſſe locū diſtinctioni de eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ, vt ſcilicet natura in ſingularibus corrumperetur ſecundum eſſe exiſtentiæ: non ſecundum eſſe eſſentiæ: ſed oſtendo eam non eſſe omnino ſufficientem; nam ſine dubio ſingulare eſt magis obnoxium corruptioni quam vniuerſale (quis hoc neſciat.) & tamen hoc modo non eſſet: dici enim poteſt quod etiam ſingulare corrumpatur tantum ſecundum eſſe exiſtentiæ, non verò ſecundum eſſe eſſentiæ: adeoque non ſufficit hæc ſolutio, ſed ſtandum eſt in primā, vt cauſa, quare non deſtruatur vniuerſale in ſingulari ſit quia non eſt in vllo cum ſua vniuerſalitate, hoc eſt, adæquate: qui ergo poneret vniuerſale ipſum cum ſua vniuerſalitate eſſe de facto in ſingulari, premitur hac ratione, & fateri cogitur vniuerſale corrumpi cum ſuo ſingulari.

8. Probari etiam poteſt Theologicè quodammodo ſic; loquimur de naturis creatis; certum eſt enim quod diuina nequidē per intellectum ſit vniuerſalis, (quantò minus à parte rei? Atqui ſi daretur vniuerſale in ſingularibus, de facto daretur myſterium illud naturæ Diuinæ quæ eſt vna in tribus, aut certè aliud ſimile, vel æquale ei, & fortè maius, ac difficilius ipſo: ergo vt hoc vitetur dicendum eſt quod non poſſit eſſe. ſequelam probo, quia miraculum naturæ Diuinæ conſiſtit in eo quod vna realiter ſit identificata multis, quæ etiam realiter à ſe diſtinguuntur; id autē totum contingeret in natura illa vniuerſali creata: identificaretur enim multis indiuiduis, quæ certum eſt à ſe inuicem realiter diſtingui.

Reſponderi poteſt bis, ſiue duplex diſparitas aſſignari: vna, quod natura Diuina ſit vna in multis, ſed ſine multiplicatione: illa autē creata eſſet quidem vna in multis; ſed cum multiplicatione. Iterum dici poſſet non fore omnino ſimile, quia in caſu naturæ Diuinæ vnum ſingulare eſt in pluribus: in caſu autem ipſorum non; ſed potius vniuerſale, quæ latiſſimè diuerſa ſunt, & quidem diuerſitate ad hoc propoſitum conducente vtique enim facilius eſt aliquid cōmune eſſe in multis, quam aliquod ſingulare.

Audio; ſed non moueor iſtis, & antequam Singula illa aggrediar, dico duas illas diſparitates non eſſe adeo certo duas; ſed ferè eandem. quod ſtatim infra oſtendam. Nunc moneo me in probatione dixiſſe quod ex illa oppoſitā aſſertione vniuerſalis coniuncti ſequeretur nō ipſum [illegible] myſterium Diuinæ Trinitatis, ſed ſimile aliquid, ſiue quid continens difficultatem non multò minorem illā quam in myſterio Trinitatis ſola fide ſuperamus. Vnde ad primam inſtantiam concedo non eſſe eundem caſum vtrobique, ſed ferè eundem, & fortè maiorem difficultatem. quia nimirum in Diuinis contingit ſolum identitas alicuius cum pluribus: in noſtro non ſolum eſſet identitas, ſed etiam multiplicatio eiuſdem. fatendum eſt autem, difficultatem aliquam contineri, in eo quod aliquid vnum à parte rei realiter multiplicetur, & proinde noſter caſus adderet aliquid Trinitati. Ad hæc; in caſu Diuinæ Trinitatis, perſonæ tantum ſunt plures, Deus autem & Deitas eſt vnus: at vero in noſtro, non ſolum perſonæ, aut indiuidua eſſent plura, ſed concreta naturarum, ſi enim natura humana v. g. eſſet vniuerſale coniunctum, tum non ſolum eſſent indiuidua puta Petrus, & Andreas, ſed etiā eſſēt plures homines: clarū eſt autē, quod facilius ſit ſaluare vnitatem, in vno & pluralitatē in alijs, quam vnitatem, & pluralitatē in eodem. In noſtro caſu hoc contingeret, nam vniuerſale noſtræ naturæ eſſet ipſum ſimul vnum & multa: in Diuinis autem non ſed aliud eſt quod vnum eſt, & aliud quod multa.

Iam ad ſecundam inſtantiam, & ſolutionem dico eam non eſſe multo diuerſam ab iſta, ac proinde iam ſolutam. Id oſtendo: nam quod natura Diuina ſit vnum indiuiduum in multis, eſt dicere quod non ſit multiplicata: ſine dubio enim immultiplicabilitas eius prouenit ab indiuiduatione eius, imò eſt ipſa ſingularitas, & indiuiduatio: atque ita hæc inſtantia non adfert nouam diſparitatem aut ſolutionem, quæ non ſit reiecta in primâ: Deinde non eſt dubium quin difficultatem contineat, & requirat miraculum identificatio cuiuslibet realis; [quamuis etiam non ſit ſingulare] cum pluribus, adeoque &c.

Rationes in oppoſitum.

9. Obijciam tamen pro hoc vniuerſali ſic. Multitudo inferioris nō pugnat cum vnitate Superioris: vel vt abſtrahamus à terminis ſuperioritatis, & inferioritatis, [multitudo non pugnat vnitate niſi ſit in eo genere, in quo eſt vnitas: ſi enim ſit indiuerſo, & minori, compatitur, quod patet tum in ſenſibilibus, tum in intellectualibus, nam licet repugnet eundem palmum v. g. eſſe plures palmos, ſed non pugnant vni palmo plures ſemipalmi, & quamuis non poſſit aliquid eſſe genus vnum, & habere ſub ſe genera æque latè patentia. tamen non repugnat aliquid eſſe genus, & habere ſub ſe ſpecies minus latè patentes, vnde confici poteſt argumentum ad hominem contra Scotum natura realis creata habet vnitatem ſuperiorem ad ſingularia, idque non beneficio intellectus; ſed ex ſe ipſo realiter ſecundum ipſum, ergo non repugnabit hanc naturam ſic eſſe vnam, vt tamen haberet multa indiuidua, ſeu, quia nimirum vnitas indiuiduorum eſt infra illam naturam, poterit ergo vna natura realiter eſſe multa indiuidua realiter, vel negandum eſt naturam habere eiuſmodi vnitatem, quod tamē Scotus non ſolum concedit ſed probat pro viribus locis allegatis; adeoque à primo ad vltimū merito intulerunt authores hoc vniuerſale ex eius principijs Reſpondeo immeritò plane, & non attento diſcurſu eius, quod iam oſtendam in ſolutione, in qua diſtinguo quodlibet ex antecedentibus ſic. Multitudo inferiorum nō pugnat, aut compatitur cum vnitate poſitiua ſuperioris conce[do], cum vnitate negatiua tantum nego, vnitas autem, ſeu communitas naturæ ſecundū Scotum eſt vnitas tantum negatiua, non verò poſitiua, adeoque nihil minus nocet Scoto quam hoc

Digitized by Google

hoc & ſimilia. Explico ſolutionem & dico vnitatem naturæ quæ compatitur pluralitatem inferiorum debere eſſe vnitatem poſitiuam: non verò negatiuam tantum, quam ſolam Doctor concedit. itaque vult Scotus quod natura ſecundum ſe ſit indifferens ad plura indiuidua diſiunctim non coniunctim; hoc eſt vt natura illa poſſit fieri Petrus, vel Paulus, non autem vt poſſit reddi Petrus & Paulus: hoc autem ſecundum requiritur ad vniuerſalitatem, quod tamen renuit concedere naturæ Scotus. Quod verò communitas illa negatiua quam concedit non ſufficiat ad vniuerſalitatem oſtendo euidenter, & ex confeſſione ipſius aduerſarij, quia nimirum ſi illa ſufficeret etiam ſingulare eſſe vniuerſale, nec ſolum ſingulare vagum; ſed etiam determinatum, & fixum qualis eſt Petrus nam etiam tale ſingulare, & Petrus habet huiuſmodi indifferentiam negatiuam, ac diſiunctiuam, verè enim dico Petrus eſt Petrus, vel Paulus, itē Paulus eſt Petrus, vel Andreas &c. in quibus vides etiam ſingulariſſima prædicari de pluribus disjunctim: non ergo ſufficit hæc communitas diſiunctiua, & negatiua ad vniuerſale: adeoque nec illud habet jota fundamenti in doctrinā Scoti.

10 Obijcio nihilominus 1. Hæ prædicationes. Petrus eſt homo. Paulus eſt homo &c. ſunt veræ ſine dubio, ex hoc autem ſequitur ſtatim dari aliquod vnum in multis à parte rei, nam quod prædicatur de his (ſine dubio ineſt illis; alioquin prædicatio eſſet falſa contra hypoteſim) & ſine dubio eſt reale (quis enim dicat humanitatem eſſe quid rationis?) eſt etiam vnum, & vniuerſale, quia differunt iſtæ prædicationes Petrus eſt homo, & Petrus eſt hic homo: adeoque in prima non prædicatur homo ſingularis; atque ita à primo ad vltimum datur natura aliqua vniuerſalis à parte rei eaque ſingularibus coniuncta; ſed nego huic ſequelam, ſiue, ob veritatem illarum prædicationum dari aliquod vniuerſale, aut vnum realiter in multis. Cauſa eſt, quia hæ prædicationes Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, non prædicant aliquid reale ſubiectiuum, de quo hic loquimur: cuius ſignum eſt quod etiam non exiſtente realiter Petro aut Paulo ſubiectiuè, prædicationes illæ ſunt veræ: prædicant ergo aliquid obiectiuum, & formale, aut eſſentiale, in quo genere dico non eſſe abſurdum aliquid vnum eſſe in pluribus, aut ſi ſit, non eſt illud abſurdum, quod inueniunt aduerſarii in ſententia Scoti: illi enim credunt ſe deducere ex ipſa aliquod vnum ſubiectiuum, & reale exiſtens in pluribus vnum.

Inſtari tamen poteſt adhuc ſic: nam etiam loquendo de humanitate ſubiectiua, & reali: iſtæ prædicationes: Petrus eſt homo, Paulus eſt homo: ſunt veræ ſaltem quando exiſtunt ipſi Petrus, & Paulus in rebus: ergo non euaditur per iſta difficultas argumenti; ſed datur vnum etiam ſubiectiuum, & reale in multis. Reſpondeo tamen, ſi ſermo ſit de humanitate ſubiectiuè ſumptā præciſè, non declinando ad aliquod obiectiuum ſiue ad aliquid ſe habens ex parte intellectus, illas prædicationes non eſſe prædicationes alicuius vnius, ſed multorum, adeoque nec prædicationes alicuius propriè vniuerſalis, alioquin vniuerſale non requireret opus intellectus, ſed daretur à parte rei: plura de hoc non ſunt huius loci, ſed expectanda in Metaphyſicâ, vbi ex profeſſo examinanda eſt hæc vnitas formalis Scoti ſecundum omnes vias quibus Scotiſtæ eam tueri ſolent: non enim deſunt, qui eam ita defendunt, vt velint vnam realiter naturam in pluribus indiuiduis reperiri, vt patet apud Ioannem Canon, & alios Maſtrii in præſenti. *Lib. 1. Phyſ. B. r. b. Maſtr.*

ACTIO QUARTA

Per quam operationem intellectus fiat Vniuerſale.

BREVIARIVM.

Nu. 1. Duplex intellectus apud Ariſtotelem, & quid illi.
2. Abſtractio non ſufficit vniuerſali Logico.
3. Retorquentur probationes ſuperioris concluſionis contra ipſam. Poſſe abſtractionem ipſam ſufficere vtcumque ad hoc.
4. Non fieri vniuerſale per complexam comparationem ſiu iudicatiuam.
5. Obiectiones. Priora prædicabilia propriiſſime talia ſunt.
6. Mens Scoti elucidatur,
7. Impugnatur præciſio formalis Recentium, & oſtenditur vniuerſale non fieri per ipſam.
8 Duæ aliæ improbationes ipſius.
9. Quarta impugnatio. Totum integrale & eſſentiale vt differant.

1 Quum jam reſoluerimus non dari vniuerſale in rebus, neq; conjunctum neque ſeparatū, reſtat vt detur duntaxat per operationem intellectus quū, que hic plures actus habeat, locus eſt controuerſiæ, per quem ex pluribus illis fiat vniuerſale.

Creuit etiam difficultas eo quod non ſolum actus intellectus ſint multi, ſed & ipſe intellectus in plures diuidatur; alius enim cenſetur & eſt intellectus agens, alius poſſibilis; de quibus latè interpretes ad 3. de anim. & quoniam ex horum vera explicatione pendet in primis præſentis difficultatis reſolutio, placuit vtrumque hic ſaltem in tranſitu explicare ad mentem tum Ariſtotelis, tum Scoti, quem moderni aliquot interpretes non videntur rectè expoſuiſſe in hoc negotio. ſciendum ergo animæ noſtræ datas eſſe vires accommodādi ſibi hęc obiecta ſenſibilia, vt ea reddat intelligibilia, atque etiam intellecta; adeoque habere virtutes tum actiuas, tum paſsiuas intelligendi ſiue ſint ab ipſa animâ, & inter ſe diſtinctæ, ſiue non item: vis actiua dicitur intellectus agens paſſiua intellectus poſsibilis, ſeu patibilis, quam doctrinam tradidit primum Ariſt. 3. de anim. c. 5. inquiens. *Quoniam autem in omni natura eſt aliquid hoc quidem materia vniquique generi, id autem eſt quod potentia omnia illa: altera autem cauſa, & factiuum, quod faciendo omnia, quod ars ad materiam paſſa eſt, neceſſe eſt in anima has exiſtere differentias. Et eſt quidam talis intellectus, qui omnia fit, quidam verò, qui omnia facit.* *Ariſtot.* Quem locum exponens Scotus dicit non quidem omnem actiuitatem competere intellectui agenti, ſed tantum omnem actiuitatem potentiæ: prætereà enim obiectum ipſum eſt actiuum ad ſui intellectionem: atque ita Scotus omnem actiuitatem intellectualem

tellectualem tribuit intellectui agenti : verba ipſius. *Eſt ergo intellectus agens quo eſt omnia facere: verum eſt in quantum actio competit animæ non in quantũ obiectum eſt actiuum.* Ita omnem actiuitatem in hoc genere intellectui agenti tribuit, quod & Ariſtoteles manifeſte fecit loco citato volens hos intellectus eſſe ſicut materia, & efficiens. Clarum eſt autem quod materia nihil efficit, adeoque nec intellectus poſſibilis, qui ei reſpondet: fruſtra ergo fatigantur, qui laborãt ad eruendas, & exhibẽdas duas abſtr actiones naturæ, & confectiones operum: vnam intellectus agentis alteram poſsibilis, quam poſsibilis non ſit abſtractiuus, aut effectiuus ſed ſolum paſsiuus ſufficit ergo noturæ aliquot ipſius intellectu actus egentis (nam ab illo certiſsimè fieri vniuerſale ſecundum Scotum præterdicta ſtatim oſtendam) vnus eſt abſtractio naturæ à cõditionibus indiuiduantibus. Alij duo ſunt comparationes; prima dicitur ſimplex; quia nimirum exercetur per ſimplicem apprehenſionem quando intellectus naturam ſic ſpoliatam comparat ad indiuidua, & videt eam in pluribus eorum, imo in omnibus eſſe poſſe. Altera autem comparatio eſt complexa, & iudicatiua, quum ſcilicet intellectus non ſolum apprehendit hoc ſed affirmat, prædicãdo naturam de illis Ex his tribus vnum aliquem aſsignauit huculque vtraque ſchola, noſtra & Thomiſtarum pro confectione vniuerſalis: Recentes verò aliud nouum inuentũ attulerunt cuiuſcã actus quo omnia indiuidua per modum vnius cõcipiuntur. Quum enim odiſſent præciſiones obiectiuas, ſeu diſtinctionem graduum inter ſe, conceſſerunt tantum præciſiones formales, quas volunt fieri per eiuſmodi actus: propter quod in præſenti ego non ſolum vulgatas illas ſententias Scotiſtarum, & Thomiſtarum, ſed etiam nouitatem hanc Recentiorum expendam.

vide tromb. 7. Met. q. 8. fac h. q. 38 vniuerſ. Jonc in Met. 7 Moriſſan. diſp. 1 log. q. 8

2. Dico autem primo vniuerſale Logicum non fieri per abſtractionem ullam; nec per comparationem complexam, ſeu iudicatiuam. Certiſsimè autem fieri ab intellectu agente. Vltimum hoc oſtendo, nam (promiſi,) eſſe Scoti ſententiam: nempe hic 7 Met. q. 9. *ſed quæ* (inquit) *eſt cauſa illius indeterminationis, qua obiectum quum habet eſſe primum in intellectu, eſt completè vniuerſale Reſpondeo non ſola res quia non eſt eius in ſe tanta indeterminatio; nec etiam intellectus poſsibilis.* Audiant Scotiſtæ, vbi addit. *Intellectus igitur agens concurrens cum natura aliquo modo indeterminata ex ſe eſt cauſa integra effectiua obiecti in intellectu poſſibili, ſecundum eſſe primum, & hoc ſecundum completam indeterminationem vniuerſalis:* nec aliter potuit eſſe, alias intellectus poſsibilis non eſſet patibilis tantum, ſed agens. friuolum eſt autem quod quidam Scotiſtæ reſpondent Scotum in illo loco Metaphyſicæ ſequutũ eſſe communem opinionem ſui temporis: quaſi verò non hoc idem de alijs locis Metaphyſicæ, imò omnium operum eius dici poſſet, & ita ſententia Scoti ex operibus eius colligi non poſſet. Hoc ergo poſito, & excluſo intellectu poſsibili excludo etiam aliquos actus ipſius agentis, &c.

Probo vniuerſale non fieri per abſtractionem eius, quæ fuit prima pars concluſionis arguo autem ſic. Abſtractum, & vniuerſale Logicum pugnant, ergo vnum non eſt alterum, neque proinde actione illã qua fit abſtractum fieri poteſt vniuerſale. Conſequentia eſt clara, Antecedens autem facilè probatur; quia abſtractum eſt quid ex multis, ſeu extra multa Vniuerſale autem eſt quid vnum in multis: vniuerſale dicit numerum, & multitudinem, abſtractum ſolam vnitatem ergo. Præterea etiam ſecundo. Vniuerſale Logicum ſine dubio eſt quid relatiuum, & formaliter ad aliud: Abſtractum autem quacunque abſtractione non eſt eo ipſo ad aliud, ergo nulla abſtractione fit vniuerſale Logicum. Maior eſt omnium, & patet ex definitionibus tam Philoſophi, quam porphyrij apud quos vniuerſale tam in genere, quam in ſpeciè ſemper definitur ad aliud: vnde & Porphyrius ait ſe neceſsitate compulſum definiuiſſe genus per ſpeciem, & è contra. Minor *Cap. de ſpec.* autẽ probatur quia naturæ abſtractæ relicta ſunt tantum ea quæ ei ex ſe competunt: At verò illa plerumque ſunt abſoluta: nonne enim prædicata eſſentialia hominis animalis &c. ſunt abſoluta.

Sit etiam tertia probatio: vniuerſale Logicum eſt proximè prædicabile, ex hoc autem ſequitur nullum abſtractum eſſe vniuerſale ergo Maior ſt omnium authorum & (ſi ipſi inter ſe certent de eo an prædicabilitas ſit eſſentia, an paſsio potius vniuerſalis.) omnes enim conueniunt in eo quod eſt hanc prædicabilitatem ipſi conuenire, Probatio Minoris, quia ineſſe præcedit prædicationem, & prædicabilitatem; adeoque non inexiſtens eſt non prædicabile contra quæ vix quidquam adferunt authores abſtractionis: poſſumus tamen pro ipſis.

3 Obijcere noſtra ipſorum argumenta paululum immutata ſic: nam nos collegimus vniuerſale non fieri per abſtractionẽ quia vniuerſale eſt in multis; inexiſtentiæ autem pugnat abſtractio: At verò cogitandum fuit vniuerſale etiam eſſe vnum in multis; hanc autem vnitatem præſtari per abſtractionem; nam ſi accipiatur natura in multis ſicut eſt à parte rei, erit multa in multis; adeoque adhibenda eſt abſtractio, vt fiat vna in multis, atque ita vniuerſalis. Vrgeo difficultatem; nam niſi vniuerſale fiat per abſtractionem fruſtra fit iſta abſtractio, ſiue abſque cauſâ adhibetur in hoc negotio. ſequelam negabunt noſtri, ſed oſtendo ego, nam niſi vniuerſale fiat per abſtractionem fiet per reductionem naturæ (ſcilicet per comparationem) ad multa: at verò ſi natura abſtracta à multis rurſus debet reduci ad multa iam manifeſta abſtractio illa fuit ſuperuacanea. ergo. libet etiam explicare amplius vim principalis rationis, quæ in hoc ſtat, quod vniuerſale duo requirit, & vnitatem; & multitudinem, ſeu communitatem nos autem negamus fieri vniuerſale per abſtractionem, quia hæc præſtat non communitatem, quaſi verò non redeat hæc ratio contra noſtram comparationem; quia nec comparatio hæc præſtat, ſed impedit vnitatem, quæ tamen non minus requiritur ad vniuerſale, quam multitudo.

Obijcio etiam 2. contra: Vniuerſale eſt vnũ in multis, hoc autem habetur per abſtractionem, ergo vniuerſale. Minor probatur, quia natura aliqua puta humana, abſtracta à multis indiuiduis eſt vna in multis, vna quidem per intellectum, in multis vero à parte rei. Augeo rationem: quia vniuerſale & quodlibet conducens ad ſcientias ita diſponi debet vt quam minimum contineat figmenti: at verò ſi dicatur fieri per abſtractionem tum quam minimum continebit figmenti, quia ab intellectu habebit ſolam vnitatem, multitudinem autem à parte rei habebit. ſi verò dicatur fieri per comparationem, tunc omnia tam vnitatem

tamen ſcilicet quam multitudinem habebit ab intellectu, ergo hoc non eſt dicendum.

Reſpondeo ad primum primo comparationē naturæ ad multa non impedire vnitatem eius quia nimirum comparatio, ſeu multitudo hæc eſt per intellectum ſicut etiam eſt vnitas quam habet per abſtractionem: at verò multitudo realis benè impediet vnitatem eius, quia quodlibet ex illis multis dicit ſuam differentiam contractiuam eius, quæ repugnat abſtractioni illius, cum contractio & abſtractio manifeſtè inuicem pugnent, non minus quam limitatio, & illimitatio.

Dices contractio realis impedit ne natura ſic contracta ſit realiter abſtracta, ergo contractio per intellectum impedit ne natura ſit abſtracta per intellectum. Confirmatur; natura contracta per intellectum ad aliquid, habet ſine dubio differentiam contractiuam ſui, ſi ergo differentia contractiua impedit abſtractionem, etiam natura contracta aut comparata per intellectum ad inferiora non manebit abſtracta. Nego paritatem quia opus intellectus nō pugnat ſibi maximè vero in ſimplici apprehēſione in quâ poteſt copulare pugnātia, vt patet in hircoceruis & montibus auri Ad Confirmationē Reſpōdeo diſtinguendo conſequens, nō manebit abſtracta realiter concedo, non manebit abſtracta intentionaliter, ſeu per intellectum, nego: vel etiam concedo non manere abſtractam, non enim eſt de ratione vniuerſalis quod ſit abſtractum, ſed quod ſit vnum commune multis; at verò poſt contractionem illam intellectus natura licet nō ſit abſtracta eſt tamen vna, & communis multis, & quia hæc copulantur per intellectum ſcilicet, vnitas, & communitas, proinde tota eſſentia vniuerſalis ab eo habetur. Ex quo patet ad confirmationē primi argumenti, non enim eſt ſuperuacanea abſtractio licet contingat naturā deinde comparari, aut contrahi per intellectum ad plura, quia nimirum per abſtractionem illam natura redditur vna, & licet deinde per contractionem perdat vtcunque abſtractionem, at non perdit vnitatem. Patet etiam hinc ad rationem ibi motam, cur ſcilicet comparatio, quæ tantum præſtat vnum ex duobus requiſitis ad vniuerſale ſcilicet multitudinem, faciat potius vniuerſale quam abſtractio, quæ præſtat alterum, ſcilicet vnitatem, cauſa enim eſt quia comparatio illa ſupponit abſtractionē, abſtractio non ſupponit comparationem & licet verè dicatur cōparatio naturæ reddere eā vniuerſalem, id tamen non eſt verum, niſi ſuppoſita abſtractione, vnde etiam non falſo diceretur vniuerſale fieri per abſtractionem intelligē partialiter, aut ſaltem præſuppoſitiuè propter (iſta quæ fateor me nimius mouiſſe, quam ſoluere) & maximè propter difficultatem ſecundæ obiectionis ſequentis non; reputo improbabile quod aliquid fiat vniuerſale, per abſtractionē: hoc eſt quod ponatur in ſtatu, in quo ſit vniuerſale, licet non præſtetur ei totum per ſolam abſtractionem, quia nimirum ex duobus quæ conſtituant vniuerſale vnitas præſtatur ei per abſtractionem, multitudo autem habetur in ſeipſa extra, ſtando tamen in concluſione poſita.

Reſpondeo ad ſecundam obiectionem negando minorem, & dando rationem cur non ſufficiant æque benè iſta ad vniuerſale ſcilicet vnitas per intellectum, & multitudo in rebus, quia nimirum vniuerſale propriè poſitum, debet eſſe quid perfectum non autem aggregatū, & multo minus quid concretū ex partibus quarū vna ſit primæ, altera ſecundæ intentionis atque adeò vt propriè loquamur de ipſo, debemus dicere, quod ſit totaliter & abſolutè, vel in re, vel in intellectu: oſtenſum eſt autem ſupra ipſum non poſſe eſſe in re reſtat ergo, vt totaliter ſit in intellectu, ſcilicet tam quoad vnitatem, quā quoad multitudinem.

4 Dico iam 2. vniuerſale non fieri per comparationem complexam, aut iudicatiuam, ſed per ſimplicem potius, quæ et iam non ſit ab intellectu poſſibili, ſed ab agente. Hæc pro vltima parte eſt contra pleroſque Scotiſtas ſed ideò quia ipſi in hac parte ſunt contra Scotum vt probem autem primam partem aſſertionis, declaro vtramque comparationem. Complexa enim eſt quando actu affirmatur natura aliqua de pluribus, ſiue, quū dicitur actu illis ineſſe: ſimplex autem comparatio eſt quum non quidem affirmatur, ſed apprehenditur tantum illis ineſſe, & quaſi videtur, ſicut ſenſus videret rem eſſe in pluribus locis, qui tamen nullum de hoc format iudicium, quo poſito *Ant. Andr. Oriell. in prædic. Faber 4. Met. q. 9.*

Probo intentum, quia ante illam comparationem res iam eſt vniuerſalis; adeoque non fit per ipſam vniuerſalis conſequentia eſt legitima. nec enim fieri poteſt, quod iam factum eſt. Antecedens autem conſtat; quia antequam prædicetur eſt prædicabile; quidquid autem eſt prædicabile eſt certiſſimè vniuerſale; quia nimirum prædicabilitas, aut eſt ipſa eſſentia vniuerſalis, aut eſt paſſio eius, quodcunque autem ex duobus ſit, probat ipſum iam habitum eſſe ante prædicationem, quia neque eſſentia vniuerſalis poteſt eſſe ſine ſeipſâ; neque paſſio ſine eſſentiâ.

Probari 2. poteſt quia antequam intellectus affirmet aliquid vnum de pluribus debet apprehendere ipſum in illis; ſed apprehenſam naturam in multis facit uniuerſalem: cur enim apprehendendo alia ſimulacra facit ipſa v. g. hircoceruos, & ceruocentauros &c. non vniuerſalem Maior autem eſt euidens propter neceſſarium ordinem primæ operationis ad ſecundam. Sed de hac ratione paulò infra, interim ſit.

Tertia quia ſi prædicatio faceret vniuerſale quodlibet fieri poſſet quodlibet vniuerſale, quid enim impediat ne intellectus quodlibet de quolibet affirmet v. g. ſpeciem de ſpeciebus, ac non tantum de indiuiduis &c. Dices redue rationem contra me nam etiam intellectus poteſt apprehēdere quælibet. Reſpondeo non eſſe ita quatenus facit ad noſtrum propoſitum, quia quum agamus de incluſione ſuperioris in inferiori, tanquam alicuius eſſentialis, & conſtitutiui ipſius hoc debet attingi apprehenſione, quæ eſt viſio, aut intuitio: huiuſmodi autem apprehenſionem non poteſt intellectus pro libitu habere, & quamuis nec poſſit fortè prædicare aliqua de ſe inuicem; ſed ideo non poteſt, quia non poteſt apprehendere: adeoque prima radix eſt apprehenſio, & proinde ipſa eſt quæ primo facit prædicata eſſentialia, & vniuerſalia, puta genera, & differentias &c. Aliquid valet ratio, nec tamen eſt integra. Addi autem poſſunt argumenta omnia quibus ſupra probatū eſt vniuerſale non fieri per prædicationem, aut prædicabilitatem, ſed per ineſſe: nam reuera hæc veritas probatur eò loci.

5. Obijci etiam poteſt primo ſic: Quando intellectus naturam abſtractam comparat, vt nos dicimus ad plura: comparat eam ad ipſa tanquā

rem quæ actu ſit in illis, aut tanquam rem, quæ poſſit ineſſe illis: ſi tanquam rem quæ ſit actu in illis, actus eſt falſus; quia abſtractum ab inferioribus non eſt in illis, alias abſtractum non eſſet abſtractum; ſupponimus autem vniuerſalia non falſo fieri, ſed habere fundamentum in re, alioquin quodlibet poſſet fieri quodlibet, vt iam ſupra proximè, ergo. ſi autem comparat naturam ad inferiora tanquam rem quæ poſſit tantum in illis eſſe, actus eſt inſufficiens, quod ſic oſtendo: vniuerſale debet eſſe proxime prædicabile, ſed quod poteſt tantum ineſſe ſubiecto non eſt de eo prædicabile, alioquin de pariete albo. v.g. poſſet proximè, & verè prædicari nigredo; quia nimirum poteſt ei ineſſe nigredo certiſſime. ergo, atque ita inexiſtentia neceſſaria eſt non tantum ad prædicationem, ſed etiam ad prædicabilitatem. Reſpondeo doctrina hæc de vniuerſalibus intelligenda eſt quam maximè de primis illis genere, & ſpecie ac differentia, illa enim propriiſſimè vniuerſalia ſunt quo præmiſſo, dico intellectum apprehendere naturam tanquã quid potens eſſe realiter, & ſecundum exiſtentiã in pluribus: at vero actu inexiſtens ſecundũ exigentiam (ſicut etiam quum iudicat, & prædicat tale vniuerſale de inferioribus, dicendo, v. g. homo eſt animal) facit ſenſum non quod homo exiſtat animal ſed quod exigat eſſe tale nec cõtra hoc procedit ratio poſita, quia illa natura, ſiue prædicata eſſentialia ſecundum ſe ſumpta exiguntur ab inferioribus, ſemper etiam, actu; licet non ſemper actu includantur. Ex quo patet ad formam argumenti.

Obijcio etiam ſecundo rationem quam ſupra tetigi, ſi intellectus noſter eſſet practicus, & poneret res in eſſe reali intelligendo, non efficeret eas apprehendendo, ſed iudicando tantum: ergo quamuis ponatur eſſe practicus quoad eſſe intentionale rerum, non tamen producet res in illo eſſe niſi iudicando, non verò apprehendendo. Ratio dependet ab antecedenti, quod probo in hunc modum, voluntas, quæ eſt practica non efficit res ſimplici complacentia, ergo nec intellectus ſi eſſet efficax, efficeret res ſimplici apprehenſione à paritate, patet autem antecedens probationis quia Deus, cuius voluntas eſt practica, habet ſimplices complacentias multorum quæ nunquam fient ergo. Reſpondeo euidens eſt intellectum efficere res in eſſe intentionali etiam non iudicando: imo fiunt ita, etiam non apprehendendo, nam & ſpecies impreſſæ intellectui ſunt quædam imagines rerum, in quibus proinde obiecta habent eſſe aliquod, nego ergo antecedens, & ad probationem nego paritatem, & conſequentiam; quia nimirum illæ ſimplices complacentiæ non ſunt abſolutæ volitiones; ſed velleitates, at vero apprehenſiones ſunt verè intellectiones.

6. Sed quid dicemus ad Scotum toties citatũ à Scotiſtis contra hoc quod dicimus vniuerſale fieri ab intellectu agente, Scotus enim 5. Met. q. 11. dicit ipſum fieri à poſſibili? Reſpondeo negando hoc ibi haberi: ſed inquiunt: id habet ſaltem 1. d. 3. q. 7. Nego quin potius q. 6. antecedenti expreſſè oppoſitum, id eſt noſtram concluſionem habet: ſimiliter citatur ex. 4. d. 1. q. 2. vbi tamen huius negotij de intellectu agente & poſſibili, nec vola, nec veſtigium eſt, Fateor. 2. d. 3. q. 1. aliquid pro intellectu poſſibili contra agentem habet: ſed non niſi apparens, & in hoc decepti ſunt Scotiſtæ, quod teneant vniuerſale fieri ab intellectu poſſibili ſecundum Scotũ quũ Scotus tantum dicat vniuerſale habere eſſe ſubiectiuè in poſſibili, quæ diuerſiſſima ſunt, ſit ergo ab agente, ſed recipitur in poſſibili, qui proinde eo nomine appellatur, quia concurrit hic in genere cauſæ paſſibilis, & materialis: propter quod Doctor rectè inquit eo loci non fieri vniuerſale ab agente, intellige ſine poſſibili: quamquam etiam huius alia ratio ſit apud Doctorem ibi, quia non abſolutè negat fieri vniuerſale ab intellectu agente; ſed negat fieri per hoc quod ille denudet *quod quid eſt*, hoc eſt eſſentiam rei, intellige à materialitate cui inuoluta eſt in phantaſmate, vbi ulterius enim denudanda eſt etiam à conditionibus indiuiduantibus. Iam vltimo deſcendo ad Recentiores, &

Ouied. Com. log. p. 5. Hurtad. diſp. 9. log. ſect. Arriag. diſp. 5. ſect. 4.

7. Dico non rectè dictum ab illis quod vniuerſale fiat actu quo cognoſcuntur plura per modum vnius, & confusè, explicandum eſt hoc inuentũ, vt refutetur. Dicunt ergo illi rẽ cognoſco cõfusè quando ex vi illius cognitionis nõ poteſt ſecerni ab alia. Item cognoſci aliqua per modũ vnius quãdo cognoſcuntur quoad cõnotata cõmunia v.g. homo & leo quoad ſenſationes, quod cũ intellectus facit dicitur ſecundũ hos cognoſcere animal. & quidem huius ſententiæ examen alio ſpectat, ad Metaphyſicam ſcilicet, vbi ex profeſſo videnda eſt doctrina illa de præciſionibus, nunc eatenus tantum examinanda eſt quatenus facit contra naturam. & conſtitutionem vniuerſalis in quo ſenſu arguo, contra eam, &

Probo concluſionem ſic: quando dicitur vniuerſale eſſe plura confusè cognita, ſeu cognita ſub vna ratione v g. homo, & equus in ratione ſenſitiui, aut hæc dicens intendit quod vniuerſale ſit aliquod vnum commune multis, aut non, ſed ipſa multa. ſi primum, admittunt præciſiones obiectiuas, quas omni diligentiâ vitare cupiunt, nã ſenſitiuitas vt ſic eſt quid obiectiuè præſcindens, nec nos aliter ſtatuimus præciſiones obiectiuas: ſi ſecundum, contra arguo, & oſtendo quod nõ poſſit ſubſiſtere, quia vniuerſale eſt quid vnum multa autem vt multa non ſunt vnum ergo nec vniuerſale.

Vrgeo hanc rationem primo, quia qui videt duo indiuidua ſimilia, ita apprehendit illa, vt non poſſit inter illa diſcernere, & tamen non facit indiuidua vniuerſale, ergo non ſufficit ad faciendũ vniuerſale, quod quis ita apprehendat plura, vt neſciat inter ea diſtinguere. Explico argumentum applicando ipſum ad praxim: demus enim duos pueros ſimiles per omnia in vultibus, & veſtibus, quorum etiam quiſque vocetur Petrus, ſanè non diſtinguam inter illos ſimul, aut ſucceſſiue mihi propoſitos, nec tamen proinde dicor apprehendere aut apprehendendo facere Petrum, aut indiuiduum vt ſic vniuerſale: ergo etiamſi apprehendam duos homines in humanitate ita indiſtinctos non faciam hominem vniuerſalem, quia nimirum ſemper retineo pluralitatem in conceptu, quam de illis formo.

8. Vrgeo iterum, & probo ſecundo concluſionem quia prædicatio vniuerſalis vera eſt de quolibet inferiori ſeorſim, prædicatio multorum non: ergo vniuerſale non eſt multa. Confirmo, & explico rationem, nam iuxta modum Recentium hæc prædicatio: Petrus eſt homo: facit hunc ſenſum Petrus eſt multi homines: hic autem eſt manifeſtè falſus, nec enim Petrus eſt multi, ſed

vnus

Digitized by Google

vnus: ergo

Probo 8. & quæro vtrum apprehendens duo indiuidua puta Petrum & Paulum vt vnum, aut confuſè modo ipſorum faciat vniuerſale nec ne? ſecundum dici non poteſt, niſi contradicatur principio & definitioni vniuerſalis apud ipſos, quod ſcilicet ſit multa confuſè cognita. Deinde etiam contradicetur definitionibus Porphyrij, & Ariſtotelis ſemper receptis, quia illud tale ſcilicet homo acceptus, Petro, & Paulo eſt vnũ in multis, & de multis: adeoque negari non poteſt quin ſit vniuerſale. At verò nec affirmari poteſt ſtando in hac via recentium, quia homo vniuerſalis, ſeu vniuerſale ſpecificum eſt prædicabile de omnibus, & ſingulis indiuidius humanitatis, illud confuſum non, quod ſic Probo. nam illud in hoc caſu non eſt prædicabile de Andrea. v. g. quia nimirum humanitas, quæ de Andrea verificanda eſt non eſt in illo cumulo. non enim Andreas eſt homo qui ſit Petrus, nec qui ſit Paulus, homo autem tertius, ſeu abſtractus ab his non conceditur: alioquin incidunt in præciſiones obiectiuas, ergo iam ſtando in hac inuentione non habetur fundamentum verificandi propoſitiones, quas omnes concedere debent eſſe veriſſimas.

9. Probo denique ſic, quia vniuerſale Logicum eſt totum eſſentiale, non verò totum integrale, nec habet partes integrantes, ſed ſubiectiuas, quæ alio modo prorſus reſpondent ei ac partes integrantes ſuo toti integrali, vt fert vetuſtiſſima Logicorum doctrina, & nihilominus ratione probatur ſuo loco. Subſumo interim, atqui modo hoc recentium vniuerſale eſſet totum planè integrale nihil enim aliud foret quam plura coniuncta, ſicut numerus ternarius eſt tres vnitates, aut palmus eſt duo ſemipalmi, vniuerſale enim ſpecificum v. g. humanitas, aut homo eſt Petrus, & Paulus, & cætera indiuidua hominis, vel ſi nolint hoc concedere in his terminis, fateantur hominem vt ſic abſtractum, & communem ſingularibus, quod vero non poſſit vniuerſale accipi per modum totius integrantis, præter communem conſenſum authorum, ratio etiam in promptu eſt, quia nimirũ totum eſſentiale, quale eſt vniuerſale, debet poſſe dici de ſingulis etiam ſeorſim, ac non tantum coniunctim. At verò totum integrale non, nec enim vere dicas numerus ternarius eſt dualitas, ſemipalmus eſt palmus &c. quæ ſufficit hic dixiſſe: alia enim hoc concernentia, ipſæ etiam obiectiones Recentium totaliter currunt de diſtinctione graduum ſuperiorum ab inferioribus, quã vocant præciſionem obiectiuam. vnde vt dixi alio pertinent, & in Metaphyſica ſunt expectanda. ſit hic.

ACTIO QUINTA

Vtrum vniuerſale Logicum adæquate diuidatur in quinque illa vulgata, Genus, Speciem, differentiam Proprium, & Accidens?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Diuiſio quinaria rectè facta eſſe probatur dupliciter.*
2. *Improbatæ probationes Scoti, & defenſæ.*
3. *Definitio an faciat ſextum vniuerſale?*
4. *Indiuiduum vagum an? & cur non? faciat? Alia duo obiecta.*
5. *Propoſitiones aliquæ ex myſterio Incarnationis an exigant proprium prædicabile?*
6. *Ens &c. an vniuerſalia? quid de hoc Scotus.*
7. *Probabiliter dici eſſe tantum quatuor vniuerſalia.*
8. *Obiectiones. Quid inducat varietatem Logicam propriè.*

Boſſel. 1 d 7. q. 1. Caac cap. de ſpecie. Adnerſa q. 8. ſect. 16 Damiſ. in prædic. t. 1. a. ſeript. ibid. com. 6. Auer. & Amon. in prædi- cam. Auicen. 1. part. logic. Albert.

1 NOſtri ſeculi authores libenter corrigunt Porphyrium circa numerum vniuerſalium ab eo aſſignatum, aliqui plura vellent alij pauciora. Quidã de Racconis octo numerat alius tria tantum concedit, nec de ſunt qui omnis generis ſententias reputent probabiles. Conabor oſtendere omnia hæc eſſe, improbabilia vnde &

Dico retinendum eſſe. quinarium numerum vniuerſalium ſub ijs terminus quibus eos Porphyrius aſſignauit, ſcilicet Genus, ſpeciem &c. Hæc eſt veterum, & melioris notæ authorum: pro ea ſuadenda multæ deductiones, & diſcurſus fiunt. Doctor noſter tres adfert, ex quibus moderni nunc vnum, nunc alium deſcribunt. Primus eſt iſte: vniuerſale, aut ſignificat ſubſtantiam, aut accidens: ſi ſubſtantiam, aut totum aut partem, ſi partem, vel materialem, & ſic eſt genus, vel formalem, & eſt differentia ſi totam ſubſtantiam, eſt ſpecies: ſi autem importet accidens, Illud vel eſt conuertibile, & erit proprium, vel non conuertibile, & erit Accidens.

Secundus modus probandi concluſionẽ apud Doctorem [omitto enim alium intermedium, eſt iſte diſpoſitus penès prædicari. Quod enim prædicatur de pluribus, aut prædicatur de illis in quid, aut prædicatur in quale, ſi in quid, aut in quid cõpletũ, aut in quid incompletũ, eſt ſi incõpletũ genus ſi cõpletũ eſt ſpecies, ſi in quale, aut in quale eſsẽtiale. & ſic eſt differentia, aut in quale accidentale, & hoc vel ab intrinſeco veniens. & eſt Propriũ, ac quartum vniuerſale, vel merè ab extrinſecõ, & eſt Accidens quintum vniuerſale. Hæc eſt vltimata, & propria probatio huius veritatis, in quam proinde reſoluitur prima illa, nam quod in prima dicitur vniuerſale aut ſignificare ſubſtantiam, aut accidens intelligendum eſt vniuerſale debere ſignificare eſſentiam aut accidens ſeu extraneum, non verò ſubſtantiam prædicamentalem, alias diuiſio eſſet manifeſte diminuta quum dentur vniuerſalia, quæ non ſunt ſubſtantiæ prædicamentales, & eiuſmodi ſint omnia genera, et ſpecies accidentium: imò diminutius proceſſit ſic Porphyrius quam ſi adhibuiſſet accidens, & omiſiſſet ſubſtantiam, quia nimirum plura ſunt accidentia, quam ſubſtantiæ; quum accidentiũ ſunt

Tract. prædicab. cap. 9. D. Thom. opuſc. 48 ci. 1c 91 vnen. & 893. Alex. Sueſſan. &c. q. 11. vniuerſ. cit.

Digitized by Google

ſint nouem genera, ſubſtantiæ, tantum vnum Itaque ſubſtantia hic accipienda eſt ſicut apud Ariſtotelem pro eſſentia, ſed contra ſecundam deductionem. prædic. 2 cap. 1.

2. Obijci poteſt malè eſſe definitum genus, quod prædicatur in quid, & differentiam, quæ prædicatur in quale, quum potius differentia prædicanda ſit in quid quia eſt actus, genus autem quia eſt potentia in quale: ſed Reſpondeo, ad præſens hoc nihil referre, nam ſiue ſit ita, ſiue non nō, proinde augetur aut minuitur numerus prædicabilium. Genus enim ſemper faciet vnum prædicabile, & differentia aliud, ſiue hæc prædicatur inquale & illud inquid ſiue illud in quale, &c. de quo expectandæ ſunt propriæ apologiæ horum prædicabilium. Melius.

Obijceretur Scoto quod ait ſpeciem eſſe totam eſſentiam rei; id enim videtur falſum quum in quolibet indiuiduo præter ſpeciem aliud ſit & quidem de neceſſitate ſcilicet differentia indiuidualis, ſine qua tam impoſſibile eſt haberi rem aliquam exiſtentem, quam ſine genere &c. Imò videtur Scotus ſe ipſum inuoluere hac ratione, & ſecum ipſe pugnare, ſi enim ſit aliquod prædicabile in quid, quod ſit tota eſſentia rei, iam non poterit dari prædicabile aliquod in quale eſſentiale: datur autem ſecundum ipſum & eſt differentia tertium prædicabile: ergo Reſpondeo tamen neceſſario verum eſſe quod ait Scotus ſpeciem importare totam eſſentiam rei, alias duo indiuidua eiuſdem ſpeciei differrent eſſentialiter, nec poſſet vna definitio competere vtrique &c. & quod contra affertur non cogit quidquam, manifeſtè enim deficit vt patet inſtantijs: multa enim requiruntur ad conſtitutionem alicuius, quæ non ſunt ei eſſentialia: vnio partium phyſicarum requiritur, nec tamen eſt de eſſentia totius.

Priuatio requiritur vltra materiam, & formam nec tamen poteſt eſſe eſſentialis, & ſaltem exiſtentia ipſa requiritur, vt res aliqua exiſtat; nec tamen exiſtentia eſt de eſſentia exiſtentis, quum iſta duo ponantur tanquam duo membra diuidentia idem, & denique nihil notius eſt, quam eſſe quaſdam conditiones, *ſine quibus non*, nec tamen illas eſſe eſſentiales illis rebus, quæ ſine illis non ſunt: atque ita prior illa ratio euanuit: Oſtendo etiam ſequentis vanitatem; nam etiā ipſe ſic arguens fateri debet aliquod prædicabile in quid dicere totam eſſentiam; quia ſaltem ipſum indiuiduum id dicit indiuiduum autem prædicatur in quid: vt hic v. g. Petrus eſt hic homo, vel è contra: ergo iam aliquid prædicabile in quid dicit totam eſſentiam ſubiecti, & nihilominus reſtat prædicabile aliquod in quale, quæ eſt Differentia.

Diceret fortè arguens non cogi ſe ad fatendum quod indiuiduum prædicetur in quid Audio: ſit ita, prædicetur ergo in quale, æquale abſurdum imminet: nam ſi indiuiduum prædicetur in quale, & tum dicit totam eſſentiam; iam non poterit aliquod prædicabile in quid eſſe eſſentiale, & dicere totam eſſentiam rei, aut ratio ſupra facta contra Scotum nihil nocere.

Melius ergo diceret indiuiduum non eſſe aliquod vniuerſale ſicut ſpecies eſt: adeoque nō haberi inſtantiam contra ipſam, quod aliquod vniuerſale prædicetur tanquam tota eſſentia in quid, & tamen reſtet aliquod prædicabile eſſentiale in quale. At non aduertit ſic diſcurrens vniuerſalitatem in hoc negotio eſſe impertinentem: non enim difficultas oritur ex vniuerſalitate, ſed ex totalitate, quod ſcilicet aliquid ſit totū. & præter ipſum ſit aliqua pars. hæc autem recurrit in indiuiduo, nā indiuiduū prædicatur tanquam tota eſſentia idque in quid, & tamē reſtat aliquid prædicabile in quale: & ſi dicat fortè Aduerſarius illud prædicabile in quale contineri in ipſo indiuiduo, dicā etiam ergo ipſum contineri in ſpecie, ſine dubio enim differentia eſſentialis puta rationale continetur in homine, ſicut continetur in Petro.

Manet ergo in ſuâ vi vtraque ratio Doctoris, quæ quidē opportunè ſic diſpoſitæ ſunt, vna enim procedit per ineſſe, altera per prædicari, quæ ſunt duo prædicata neceſſaria, & intrinſeca vniuerſali: vnum tanquam eſſentia, alterum vt proprietas, adeòque non potuit aliter inſtitui diuiſio vniuerſalis, nec probatio diuiſionis. Et quamuis (vt viſum eſt hactenus, & amplius in obiectionibus ſequentibus videndum) labor ſit defendere hunc quinarium numerum vniuerſalium tam religioſè vt nec augeri poſſit, nec minui tamen nihil facilius, quā hæc facere ſi permittatur cuilibet ea ſupponere, & notare quæ ei placent, vt faciunt qui ſtatim hic in principio notant non agi hic de vniuerſalibus complexis, non de tranſcendentibus, non de indeterminatis, non de incompletis &c. quibus excluſis, quis nō videt tot ſolū relinqui, quot his notarijs placet. At enim horum ratio aliqua adferenda fuit, nec ſufficiunt ſuppoſitiones, aut notabilia, ideò obijciam in ſe ſingula, vt cuique propriam rationem aſſignem, & in primis. Ponci diſp. 3 qu. 9.

3. Obijcio Definitionem; hæc enim eſt vniuerſale cum ſit prædicabilis de pluribus; verè enim dico Petrus eſt animal rationale, Paulus eſt animal rationale, non minus quam Petrus eſt homo &c. ergo iam animal rationale, quæ definitio, eſt vniuerſale, non minus quam homo, qui eſt ſpecies. Hinc ſtatim ſe expediunt, qui dicunt, vniuerſalia non poſſe eſſe complexa: clarum eſt enim definitionem complexum quid eſſe; ſed adeſt qui neget hoc requiri; quin potius velit incomplexionem eſſe planè impertinentem, quia prædicabilia quæ ab omnibus recipiuntur, & ſunt incomplexa, poſſunt æquè benè per terminos complexos deſignari: perinde enim eſt dicere rationalis, ac aptus diſcurrere; riſibilis, ac habens principium riſus. Raph. Auerſa 1. Logi. ſect. 16

Exiſtimo hunc non expugnaſſe adhuc veterem illam doctrinam de incomplexione requiſitā ad vniuerſale: non enim attulit exemplum alicuius prædicabilis complexi; nam *aptus ridere* non eſt magis complexum, quam riſibile, niſi in voce, & ſyllabis; in re autem dicit vnam ſimplicem formalitatem, adeoque Complexio ergo quæ arcetur à ratione vniuerſalis eſt illa quæ conſtat pluribus rebus aut certè pluribus formalitatibus vt homo albus, corpus animatum &c. ſed quid cenſendum de hac ipſa complexione vtrum arcenda, an admittenda ſit ad vniuerſalia? Reſpondeo admitti poſſe non obſtantibus rationibus aduerſantium, & conſequenter concedi poſſe totam obiectionem. Rationem huius adfero ex *Ariſtotele* tum in *Topicis* tum in *Analiticis*, quibus locis docet in definitionibus loco generis proximi, poſſe poni genus remotum cum differentia intermedia: hæc autem duo ſimul ſunt complexum quid, & ſunt definitio generis proximi, & tamē ſunt genus [illa enim definitio propter ipſa conſtat generi adeoque vniuerſale] ergo tā aliquod 1. Topic. 14 Poſter. 14

Digitized by Google

quod complexum, & nominatim id de quo agitur hic ſcilicet definitio, eſt vniuerſale: Deinde quæro quomodo definitio, eſt magis complexa, aut compoſita quam definitum: nonne partes omnes imò eædem quæ componunt ipſam componūt definitum v. g. animal, & rationale ſunt partes componentes hoc complexum animal rationale; & quæro nonne homo componitur ex animali, & rationali, qui tamen eſt definitum.

Dices ergo definitio eſt vniuerſale: adeoque datur Sextum vniuerſale: Nego hoc, et reſpondeo ad obiectionem poſitam aſsignando aliam rationem cur definitio non ſit vniuerſale præter complexionē eius, eſt autem quia definitio non eſt vnū vniuerſale ſed duo, ſcilicet genus & differentia; non eſt ergo ſextum vniuerſale, ſed duo ex quinque ſcilicet primum & tertium. vrgeo vniuerſale diuiditur in quid, & in quale tanquam in differentias eſſentiales, adeoque incompatibiles: at verò definitio vtramque dicit, ſcilicet quid & quale, nam genus prædicatur in quid differentia in quale.

Dices ſi hoc quidquam valet probat etiam ſpeciem non eſſe ex his vniuerſalibus: quia nimirum ipſa conſtat ex quid, & ex quale, ſcilicet ex genere & differentia: nam homo v. g. eſt animal rationale, quæ ſunt genus, & differentia eius. Reſpondeo aliud eſt conſtare aliquibus, aliud exprimere, ſeu expreſsè dicere ipſa: ſpecies continet quidem illa duo, at non exprimit ſicut definitio. At verò res ſunt cenſendæ penes illa quæ exprimunt, non penes illa quæ continent: nam homo v. g. continet animam non tamen eſt anima &c.

4 Obijci 2. poteſt indiuiduum vagum, vt aliquis homo hoc enim eſt vniuerſale quia de pluribus prædicabile, nec tamen eſt vllum ex quinque. Reſpondeo hoc non eſſe vniuerſale, quia eſt ſingulare, nec differt ab alijs certis, & fixis indiuiduis, niſi in determinatione, quam certum eſt non ſufficere ad vniuerſale, quia poteſt cadere in ſingulare fixiſsimum, & certiſsimū: poteſt enim eſſe in determinatum: mihi, qui poſſum eſſe certus de aliquo indiuiduo, & incertus de eo quod ſit: v. g. num ſit Petrus, an Paulus. Retorqueo etiam argumentum in authorem: nam indiuiduum vt ſic, abſtrahendo à vago, non eſt vniuerſale, tum ob rationes Metaphyſicas huius, tum quia alias fruſtra adhibuiſſet Caetanus indiuiduum vagum ad augendum numerum prædicabilium & tamen ratio quæ currit de indiuiduo vago procedit etiam de ipſo: nam etiam illud apparet prædicari de pluribus, vt quum dico, Petrus eſt indiuiduum, Paulus eſt indiuiduum, adeoque

Obijci 3. poteſt ipſum vniuerſale vt ſic, quod ſine dubio eſt vniuerſale, & tamen non eſt vllum ex his quinque, alioquin eſſet ſub ſe, cui difficultati ſatisfaciam Apologia 2 ſequenti, & Apologia 4. Alteri iſti de differentia quę videri poteſt facere duo prædicabilia non minus quam genus, & ſpecies quia datur differentia quæ prædicatur de ſpecie differentibus in quale, & alia quæ de numero differentibus in quale, vt iam cenſeri poſſint ſex prædicabilia, quum ſola differentia faciat duo: Cur enim prædicabile in quid de ſpecie differentibus, & prædicabile in quid de numero differentibus facient duo prædicabilia, & non faciet prædicabile de ſpecie differentibus in quale, & prædicabile de numero differentibus in quale: hæc aliò refero, tum quia eo ſpectant, tum quia trita ſunt. Interim dicam ad id quod

5. Obijciunt aliqui ex myſterio Incarnationis, hanc ſcilicet & ſimiles; Chriſtus eſt homo: non enim videtur reduci poſſe ad vllum ex quinque ſed facillimè expeditur, dico enim illam eſſe ſecundi prædicabilis: ſimilem huic, Petrus; eſt homo, nam ly Chriſtus, atque etiam Ieſus ſunt nomina propria huius hominis, ſicut Petrus, quamuis alias ly Chriſtus ſit nomen appellatiuum, ſed vt dixi hic tranſiuit in proprium, ſiue per antonomaſiam, ſiue aliter.

Difficilius ergo eſt negotium de hac: homo eſt Verbum, vel vice verſâ: Verbum eſt homo; quæ propoſitio non videtur reducibilis ad vllum ex quinque: nō enim ad vllum ex primis quatuor, quia prædicatum non eſt inſeparabile à ſubiecto, non ad quintum, quia non eſt accidens, ſed ſubſtantia.

Reſpondeo, ad difficultatem huius argumenti non eſſe neceſſarium myſterium Incarnationis: nā dato, quod ſuppoſitum creatum terminaret alias naturas, haberet locum difficultas: imo ſtatim infra oſtendam caſum de facto euenire quantum ad omnem difficultatem huius loci. Deinde Reſpōdeo prædicationem ipſam ſpectare ad quintū prædicabile non obſtante ratione ibi adductâ; quia nimirum ad quintum prædicabile non ſolum ſpectāt accidentia prædicamentalia, ſed etiam ſubſtantiæ. nam & hæc: ſtatua eſt deaurata: eſt quinti prædicabilis, & tamen non prædicat accidens prædicamentale, ſed ſubſtantiam. Inſtari tamen poteſt, quia quintum prædicabile, prædicatur in quale: Verbum de homine, & viciſsim homo de Verbo in quid, adeoque prædicationes horum non poſsūt eſſe quinti prædicabilis. Multa aliqui ad hoc; ſed planè improbabilia, quibus neglectis: Reſpondeo Accidens quintum prædicabile, non eſſe definitum per prædicari in quale. Tres quidem definitiones eius tradit Porphyrius, quarum nulla eſt per prædicari in quale.

Sed inquies *Porphyrius* docet genus differre ab accidente per prædicari in quid, ergo iam accidens ſecundum ipſum non prædicatur in quid, ſed in quale; (ait enim) *A differentia verò, & ab ijs quæ communiter ſunt accidentia differt genus: quoniam & ſi de pluribus differentibus ſpecie prædicantur differentia & communiter accidentia, non tamen in eo quod quid eſt, ſed in eo quod quale* Poſſem reſpondere non omnia quæ in quinto prædicabili ſunt, prædicari in quale ſed *communiter accidentia*, quale ſine dubio non eſt Verbum, aut aliud reſultans ex vnione hypoſtaticâ, quæ ſunt ſupernaturalia, & miraculoſa atque ideò rariſsima; ſed non ſatisfacerem, quia ſine dubio Porphyrius hic accipit accidentia communia vt opponuntur proprijs, quæ ſunt quarti prædicabilis. *Iſagog. cap. 2*

Reſpondeo tamen non ſufficere rationem ad augendum numerum prædicabilium, aut ad ponendum hoc prædicatum extra quintum prædicabile; quia quintum prædicabile diuidi poteſt in duo, quorum vnum comprehendat prædicationes formarum inhærentiū, aliud prædicationes formarum ſubſiſtentium. Atque ita tota difficultas eò vergit num ſcilicet hæc diuiſio ſit in ſpecies infimas, vel in ſubalternas, quidquid autem ex his dicetur, ſalua eſt præſens concluſio, & diuiſio vniuerſalis in quinque membra. An autem impediat argumentum ne diuiſio hæc ſit in ſpecies infimas, ſuo loco videbitur: Adhuc tamen reſtat difficultas de prædicatione in quale; non enim Verbum prædicatur tunc in quale. Reſpondeo conſequenter *quale* eſſe duplex: ſignificat enim & aliquid extraneum, &

duplex

aliquid adjacens, ſeu informans: primo modo cōprehendit prædicationem illam verbi, & ſimiles: ſecundo cæteras.

6. Denique obiici poſſunt ens & alia tranſcendentia, quæ dicuntur de pluribus, nec tamen ſunt univerſalia, adeòque jam dantur alia univerſalia præter iſta quinque. Reſpondeo primò, non eſſe certum, quod hæc ſint univerſalia: qui enim negant ea eſſe univoca conſequenter negant ea eſſe univerſalia, id autem eſt communis doctrina omnium extra noſtram ſcholam; ſed neque nos tenemur ad defendendam horum univocationem: ait enim Doctor: *Dicendum quod cui eſt æquivocum, ideo non eſt univerſale.*

Caiet. op. de Ente & eſſ. Ferr. 1. con. Gent. Vaſq. 1. p. diſp. 14 F. rſec. 1. Mec. 2. Suar. diſp. 2. Met. qu. 12. univ. 1. d. 8 q. 3

Sed quoniam in ſententiis oppoſitum docet, ſcilicet ens &c. non eſſe univocum, tamen non eſſe genus, non videtur quomodo omnia hæc conciliari poſſint, niſi fatendo hanc quæſtionem de univerſalium numero, atque etiam illam, an tranſcendentia ſint ſub genere? habere nonnihil de nomine.

Soluo tamen aliter difficultatem, & dico cum Scoto ibidem Ens eſſe vniuocum Deo, & creaturis, non tamen vniuerſale, aut genus rigidè loquendo. Cauſa quia ens, & alia tranſcendentia in Deo ſunt de ſe hæc, ſeu ſingularia; adeoque reſpectu eorum non poteſt dari genus, aut vniuerſale, quod tale ſit reſpectu ipſorum, ſicut nec datur reſpectu indiuiduorum verbi gratia Petri & Pauli. Quomodo autem intelligi poſſit quod reſpectu eorum detur vniuocatio, non detur vniuerſale, explicari poteſt à ſimili: nam relatio verbi gratia Paternitas, aut ſimilitudo ſanè quoad referre eſt eiuſdem rationis in Diuinis, ac in creatis, & tamen Diuina relatio entitatiuè eſt ſubſtantia; creata autem accidens. Ita hic intelligi poteſt quod ens, ſubſtantia &c. quoad rationes entis, & ſubſtantiæ vtrobique eiuſdem rationis ſint, licet poſtea vna ſit magis alia minus communicabilis.

7. Et hæc quidem dicta ſunt ne numerus vniverſalium augeatur; vereor tamen ne minui poſſit & ſane nil quid obſtaret dicerem tantum eſſe quatuor, eo quod cenſeam duo poſtrema prædicabilia facilè reduci poſſe ad vnum. moueor quia id in quo diſtinguitur non videtur ſufficere ad variationem prædicabilis; eſt enim ſeparabilitas, & inſeparabilitas, eo quod quartum ſit inſeparabile, quintum ſeparabile à ſubiecto At verò hoc non ſufficere aſſerendæ eorum diſtinctioni) probo in primis ex Porphyrio qui (cap. 6. quod eſt de Accidente quinto prædicabili) diuidit ipſum Accidens in duo; ſeparabile, & inſeparabile; adeoque poteſt aliquid quinti prædicabilis eſſe inſeparabile; atque ita propter inſeparabilitatem, non debet quidquam reponi in alio prædicabili. Secundò ex eodē quia ſeparabilitas, quam Porphyrius requirit ad quintum prædicabile eſt quod poſſit per intellectum ſaltem forma aliqua abſtrahi a ſubiecto, ſiue ſubiectum concipi ſine ipſâ: At verò hæc conuenit etiam iis quæ à communi ſententiâ ponuntur in quarto prædicabili: clarum enim eſt quod poſſim concipere hominem ſine riſibilitate, & tamē riſibilitas cenſetur eſſe quartum prædicabile reſpectu hominis. Tertiò quia indiuidualitas, vt dixi eſt quintum prædicabile reſpectū naturæ ſpecificæ v.g. Petreitas reſpectu humanitatis & tamen eſt abſolutè inſeparabilis ab illa, etiam in ordine ad quamcunque potentiam, loquendo de verâ ſeparatione, ſeu reali.

Nec ſufficit reſpondere quod ſingularitas. v.g. Petreitas ſeparari poſſit; imò de facto ſeparetur quia nimirum datur natura illa ſine Petreitate in Paulo: nam præterquam quod hæc via efficeret, quod non ſolum ſeparari poſſet forma illa, puta Petreitas à ſubiecto; ita vt affirmatio & negatio eius ſucceſſiuè inſint ſubiecto, ſed etiam efficeret vt affirmatio, & negatio eius ſimul inſint ei, nam quando natura Petri habet Petreitatem, certè tunc & ſimul natura Pauli caret ea. Vltra hoc inquā oſtendo ſolutionem non ſufficere, quia Petreitas non ſolum accidit naturæ humanæ ſpecificæ, ſed etiam illi realiter ſumptæ: nam etiam illa realis humanitas, quæ in Petro eſt non exigit Petreitatem magis quam Pauleitatem (alias vnitas formalis naturæ non conſequeretur eam in indiuiduis) & tamen (quidquid ſit de humanitate ſpecificè ſumpta, ſeu de humanitate vt ſic) humanitas realis, ſeu realitas humanitatis, quæ eſt in Petro, eſt omnino, ac abſolutè inſeparabilis à Petreitate: ergo. Fortaſſis tamē non huic medio aut deductioni nitetur diſtinctio horum prædicabilium, ſed alteri quâ divideretur accidens in illud quod egrederetur à principiis intrinſecis ſubiecti, & in id quod non item, ſed accederet ab extrinſeco.

At neque ſic ſubſiſtet: nam multa egrediuntur à principiis intrinſecis ſubiecti, quæ tamen ſunt quinti prædicabilis v.g. calor in igne, ſine dubio egreditur à principiis intrinſecis ignis, & tamen nō eſt quarti, ſed quinti prædicabilis, cum diſtinguatur realiter, & ſit ſeparabilis ab igne. Ad hæc exercitia differentiarum, & proprietatum in rebus v.g. diſcurſus actualis, & riſus item actualis egrediuntur ſine dubio à principiis intrinſecis ſubjectorum & tamen diſtinguitur, & ſeparatur ab ipſis, adeoque reperiuntur non in quarto, ſed in quinto prædicabili.

8. Itaque, quia utrumque hoc prædicatur eodem modo ſcilicet in quale extrinſecè, ſeu extra eſſentiam rei, nec in aliis prædicabilibus attenditur diverſitas niſi penes aliquod ex his duobus ſcilicet penes prædicari eſſentialiter, aut extra eſſentiam, in quid, aut in quale: facilè defendi poſſunt duo illa facere unum.

Obiici poteſt Scotus citatus; ſed non multum premere poteſt objectio, quia Scotus eo loci reſolvit quod ſint tantum quinque prædicabilia, id eſt non plura, an verò ſint pauciora ibi non tangit, nec ego dixi id verum eſſe, ſed tantum defendi poſſe. Melius

Objicitur ratio. Quia quartum prædicabile, prædicatur neceſſario, quintum contingenter; ſed hi duo modi ſunt ſufficienter diſtinctivi prædicabilium. Cur enim alii ſic, & iſti non? Cur eſſentialiter & accidentaliter diſtinguent, non diſtinguent neceſſario, & contingenter? Reſpondeo, cauſam eſſe quia à Logico conſideratur modus quo prædicata inſunt ſubjecto, ſive modus quo afficiunt illud, non vero mora temporis, ſi ſemper inſunt, aut ſi aliquando non inſunt: non externa potentia, ſi poſſit aut non poſſit ea ſeparare, cum ergo eodem modo iſta duo afficiant ſubjectum ſcilicet tanquā res extra eſſentiam manentes, & qualificantes ſequitur &c.

Dices neceſſarium, & contingens ſunt modi eſſendi etiam Logicè diſtincti: nam Logicus diſtinguit inter ſyllogiſmum procedentem ex neceſſariis & inter eum qui procedit ex contingentibus. Reſpondeo ex ſupradictis argumentum eſſe in oppoſitum: nam uterque ſyllogiſmus eſt ejuſdem ſpeciei Logicæ, differunt enim duntaxat ratione ma-

teriæ

Digitized by Google

teriæ quæ ad Logicam non ſpectat. Si ergo ſit paritas, dicendum eſt hæc prædicabilia non diſtingui Logicè, quia nec ſyllogiſmi illi Logicè diſtinguuntur ſcilicet topicus & demonſtrativus.

ACTIO SEXTA

Vtrum hæc diviſio univerſalis in quinque vulgatas ſpecies ſit univoca, immediata, & ultima.

BREVIARIVM

Num. 1. *Diviſum hic univocè participatur à dividentibus, Rationes huius.*

2. Obiectio contraria, quomodo genus ſit ſpecies & univerſale ut ſic genus.

3. Aliæ duæ obiectiones in unum.

4. Quarta obiectio. Quomodo accidens habeat ſubiicibilia.

5. Cur genus & ſpecies faciant duo prædicabilia, non item differentia generica; & ſpecifica.

6. Has nō eſſe immediatas ſpecies univerſalis ut ſic.

1. QVoad primam partem quæſiti Doctor noſter traxit ad ſe authores, Ante ipſum ſiquidē communis opinio tam Græcorum quam Latinorum fuit quod univerſale non eſſet univocū ad quinque illa cujus oppoſitū docuit Scotus *a* & poſt ipſum cæteri fere omnes. Moneo autem ſenſum primæ illius partis eſſe etiam hunc. An univerſale ſit genus ad quinque illa, quomodo etiam ſolet moveri, & reſolvi à nōnullis quæſtio ad quam

a q. 8. univerſ.

Dico affirmativè: hoc eſt, univerſale eſſe genus ad quinque illa, & diviſionem eſſe univocā. Eſt communis omnium *b* ut dixi poſt Doctorem, nec aliam difficultatem habet quam ut ſatisfiat obiectionibus quæ contra moventur: nam rationem pro ipſa facilè eſt formare, quia nimirum prædicati de multis in omnibus illis quinque invenitur, & ſanè niſi inveniretur, univerſale non eſſet univerſale reſpectu ipſorum: deinde certum eſt ſingula ex his inter ſe differre eſſentialiter, ut jam viſum eſt, & quamvis non differrent, non proinde diviſio deſineret eſſe univoca: ſed tantum deſineret eſſe generica: nam etiam ſpecies atoma eſt univoca individuis quæ tamen nō differunt inter ſe eſſentialiter. At cum oſtenſum ſit ſingula horum habere eſſentiales differentias, habetur etiam quod diviſum non ſolum ſit univocum, ſed genus. Vrgeo quædam intentiones ex his non poſſunt applicari illis naturis, quibus aliæ poſſunt; v.g. intentio generis non poteſt applicari homini; poteſt autem intentio ſpeciei; ergo intentiones generis & ſpeciei ſunt eſſentialiter diverſæ.

b Tollet. q. 1. in Porphyr. Sot q. 4. Vene. hic Ock 1. p. Log. c. 18.

Poſſumus etiam ad hoc uti argumento illo trito Doctoris, Quum quis certus de uno, & incertus de aliquo disjuncto, conceptus certus eſt univocus utriq; parti illius disjuncti, v.g. ſum certus de aliquo quod ſit homo, incertus an ſit Petrus an Paulus, homo debet univocè & verè reperiri in Petro & Paulo. Tum ſic, contingit aliquem eſſe certū de univerſali, & incertū quod aut quale univerſale ex his ſit: ſequitur ergo univerſale univocè cōvenire cuilibet ex his. Caſus eſt in iſto, animal rationale, quod antiqui putaverunt eſſe genus, nos autem dicimus eſſe ſpeciem, apud utroſque certum eſſe debuit quod ratio univerſalis eſſet quid abſtractum & cōtentum verè tam in genere quam in ſpecie. Et quoniam his eſt potiſſimum de ultimis univerſalibus, quæ dicuntur æquivocè talia, applico rationem ipſis. Poteſt enim ſciri aliquod eſſe univerſale, & dubitari utrum ſit ultimum, an aliquod ex primis: nam ſingularitatem nos ponimus eſſe accidens individuo, alii ponunt eſſe tertium prædicabile: ergo jam &c.

Tertio ſic. Quodlibet ex his habet ſubijcibilia: ergo quodlibet eſt univerſale ſeu prædicabile quod idem eſt, patet enim prædicabile & ſubijcibile eſſe convertibilia. Antecedens autem patet, quia nullū horum eſt quod non poſſit eſſe prædicatum in propoſitione, ſeu prædicatione directa; imò in multis talibus quod oſtendo in accidenti, de quo quam maximè eſt dubium, iſtæ enim ſunt directiſſimæ prædicationes, paries eſt albus, pavimentum eſt album, &c. Formo etiam hanc rationem pro univocatione prædicabilium. Poteſt idem eſſe primū, & ultimum prædicabile: ergo poteſt aliquod eſſe univocū, utrique utique enim unum eſt univocum, aut potius pluſquam univocum ſibi. Antecedens oſtendo in colore, vel albedine, quæ reſpectu huius albedinis eſt ſpecies, reſpectu huius muri eſt accidens. Denique quidquid probat diviſionem ullius ſuperioris eſſe univocam probat id de præſenti. Itaque labor hujus loci eſt ſolvere rationes aliquot dubitandi, quarum primam ex ipſo Doctore.

2. Obijcio ſic: omne univocum multis ſe habet ſub ratione alicuius univerſalis, ſed univerſale non cōparatur ad hæc quinque ſub ratione univerſalis, ergo non ſub ratione univoci. Probatio minoris: quia quodlibet univerſale eſt aliquod ex his quinq; univerſale ut ſic non, alioquin non eſſet univerſale ut ſic. Et urgetur ratio oſteneendo quod non ſit genus, ut communiter reſponderi ſolet: nam ſi univerſale ut ſic eſſet genus reſpectu iſtorum quinque, tum iſta quinque eſſent ſpecies ejus, atque ita genus eſſet ſpecies, quod eſt abſurdum, cum ge- & ſpecies ſint contrapoſita, & membra dividentia aliquod commune: Deinde ſi univerſale ut ſic eſſet genus, non ſolum eſſet ſpecies utcunque, ſed eſſet ſpecies ſui ipſius, quia quodlibet genus eſt ſpecies univerſalis ut ſic: hoc autem videtur implicare in adjecto: ergo. Reſpondet ipſe Subtilis dupliciter. Primo negando minorem, & ad probationes dicit ſpecies oppoſitas poſſe de eodem dici in relativis: ſic idem dicitur pater & filius, ſed diverſorum. At enim hinc reſultat nova ratio contra nos, ſi enim ſpecies oppoſitæ non poſſunt convenire eidem ne quidem in relativis, ſequitur univerſale non eſſe genus, eſſet enim genus generis, & ſpecies ejuſdem, Melior ergo eſt ſecūda ſolutio ejuſdem, quam transfero per totum argumentum ſic: Primo nego primam minorem, & ad probationē diſtinguo eā ſic: Quodlibet univerſale eſt aliquod ex his quinque eſſentialiter negō, vel eſſentialiter vel denominativè concedo. Itaque uni-

Digitized by Google

verſale ut ſic denominativè tantum eſt genus, planè ſicut animal, aut ſubſtãtia, de quibus genus prorſus accidentaliter & extrinſecè prædicatur. Vnde ad primam probationem ſequentem dico genus eſſe etiam ſpeciem, ſed aliter; nam eſt genus eſſentialiter, eſt autem ſpecies tantùm accidentaliter & denominativè. Vnde iſtæ prædicationes *Genus eſt genus* prædicabile, ſive eſt *univerſale*, & *genus eſt ſpecies* univerſalis intellige) ſunt ſimiles iſtis: homo eſt animal rationale, homo eſt ſpecies: quorum prima eſt quidditativa, ſecunda autem planè accidentalis. Vnde ad ultimum dico genus eſſe ſpeciem ſui, ſive eſſe ſuperius & inferius eiuſdem, & ſimiliter ex altera parte ſpeciem habere ſupra, & infra ſe genus, ſed aliter, & aliter, nam ſpecies eſſentialiter eſt ſub univerſali ut ſic, quod eſt genus reſpectu eius. At vero univerſale ut ſic denominativè; & accidentaliter tantum eſt ſub ſpecie, ſicut paries ſub albedine: ſimiliter in prima parte argumenti hæc prædicatio: *Univerſale ut ſic* (quod eſt genus) *eſt ſpecies*, eſt prædicatio quinti prædicabilis, adeoque accidentaria: at verò iſta, *Species eſt univerſale*: eſt eſſentialis, in ea enim prædicatur genus de ſpecie, adeoque eſt ſecundi prædicabilis prædicatio. In his ergo eſt aliquid acuminis, atq; etiam confuſionis, ex eo quod intentiones iſtæ generis & ſpeciei aliquando accipiantur ut intentiones, aliquando ut naturæ quædam, in quibus proinde aliæ intentiones recipi poſſunt: quando accipiuntur, ut naturæ, tunc prædicationes eorum quæ imminent illis in rectâ lineâ, ſunt eis eſſentiales v. g. hæc Genus eſt univerſale: quia univerſale imminet, ſive eſt directè ſupra genus: at verò prædicationes eorum quæ non ſunt in illa linea, accidentaliter dicuntur de ipſis (ſicut accidens de ſubſtantia) unde hæc *Genus eſt ſpecies Univerſalis*, eſt accidentalis quia minorum tunc intentiones prædicatorum accipiuntur ut modi, intentiones autem ſubjectorum accipiuntur ut naturæ aut res: adeoque.

3. Objicio 2. Differentia eſſentialis & accidentalis non conveniunt univocè, in eo quod eſt facere differre: ergo nec in eo quod eſt prædicari: probatio antecedentis, quia eſſentialis facit ſimpliciter differre, accidentalis non, ſed ſecundum quid, ſecunda probatio quia non conveniunt in conſtituere: ergo nec in diſtinguere, nam ſine dubio aliter conſtituit rationalitas v.g hominem, & aliter doctrina aut albedo: cõſequentia vero argumenti probatur quia quando fundamentum alicuius relationis non convenit univocè pluribus, nec ipſa relatio ſic convenire poteſt. hoc argumentũ continet cõmunem difficultatem ortã ex eo quod prædicari, in quo ſita eſt natura univerſalis cõvenit in quid eſſentialiter quibuſdã accidentaliter aliis at verò nihil eſt univocũ illis quorũ uni eſſentialiter convenit, actualiter autem aliis: ergo. Probatio aſſumpti, quia duo prima prædicantur in quid & eſſentialiter, duo poſteriora in quale accidentaliter. Reſpõdeo autẽ inprimis ad hanc ipſam formam negando minorem, ſive rationem univerſalis cõvenire accidentaliter ulli ex iſtis, quia prædicari in quo ſita eſt natura univerſalis eſt purũ prædicari non vero prędicari in quid aut quale; hoc autẽ prædicari omnibus eſſentialiter cõvenit etiam accidenti, nam quũ prædicari accidentaliter conveniat eſſentialiter accidenti, utique prædicari quod eſt genus & pars huius complexi eſſentialiter ei cõvenit, unde ad formam prioris argumenti diſtinguo cõſequens: differentia eſſentialis & accidẽtalis nõ conveniunt in prædicari ſpecifico, concedo nã unius prædicari eſt in quale quid, alterius in quale non quid, non conveniunt in prædicari generico nego.

4. Obijcio ipſe quarto contra quintũ prædicabile Accidentis, quod non videtur eo nomine dignum: quia prædicabile, ſeu univerſale quodcunq; tale eſt reſpectu ſubiicibiliũ, & ipſum univerſale eſt ſuperius reſpectu eorum, illa autem ſunt inferiora eius. At verò Accidens reſpectu eorum quibus eſt quintũ prædicabile, non eſt ſuperius aut latius patens, ſed ſæpiſſimè quid diſparatum & ęque latè patens, imò aliquando minus. Deinde abſtractio ſuperioris ab inferioribus denudat ipſum à conditionibus individuantibus; abſtractio accidentis à ſubjectis non quia nõ individuatur accidens per ſubjecta, ut ſuppono, adeoque non poteſt habere illa tanquam inferiora Ad hæc tamẽ reſpondeo negando minorem primi argumenti, & majorem ſecũdi. Dico ergo accidens latius patere quam ſua inferiora diviſivè ſũpta, id eſt quam quodlibet ipſorum: licet non latius pateat quam ipſa collectivè ſumpta quod etiã evenit aliis prædicabilibus: Cum enim dico lignum eſt album, lapis eſt albus, jam albedo & album latius patet quam lignum, quia convenit lapidi, & latius patet quam lapis, quia convenit ligno.

Dices tamen id fortaſſe eſſe verũ in exemplo allato & ſimilibus, nõ tamen univerſaliter; nam quum dico, corpus eſt album non latius patet prædicatũ, quam ſubjectum: nihil enim poteſt eſſe album, niſi corpus: adeoq; non latius patet prædicatum quam ſubjectum. Reſpondeo illam prædicationem eſſe quidem accidentis: at non accidentis univerſalis, quia non eſt prædicabilis de pluribus. Dices ergo dantur plura prædicabilia quam hęc quinque, nego vel diſtingno conſequens: dãtur plura prædicabilia, id eſt quæ prædicari poſſunt, concedo; plura prædicabilia, i.e. univerſalia nego, nõ eſſe abſurdum dari plura prædicabilia in priori ſenſu patet, quia individuum etiam eſt prædicabile ut definit Porphyrius ſed de uno ſolo, adeoque non eſt univerſale.

Præterea etiã abſtrahendo ab individuo, oſtendo hoc quod in accidente miramur, recurrere etiam in aliis prædicabilibus. Hæc enim homo eſt riſibilis, ſine dubio eſt alicuius prædicati, & quidem proprii. Hæc homo eſt rationalis: eſt etiam legitima, imo etiã differentiæ prædicatio, nec tamen illa ſunt ullius prædicabilis, id eſt univerſalis prædicationes propter rationem jam objectam accidenti, quia nimirum non latius patet homo, quam riſibile, aut quam rationale. Alia argumenta trita ſunt, & apud Logicos *a* paſſim leguntur unde omiſſis his pergo ad alias partes tituli.

5. Dico diviſionem hanc eſſe atomam, ut infra, nõ tamen immediatam de hoc Scotus nihil Scotiſtæ *b* plurimum Primam partem probo, quia nullum ex iſtis poteſt dividi in alia, neque habet ſub ſe aliam ſpeciem, non genus, non differentia, non proprium de ſpecie & certiſſimum eſt. Dices oppoſitum eſſe verius, quia differentia dividitur in ſpecificam, & ſubalternam: vnde formari poteſt hæc

Obj Genus & ſpecies faciũt duo prædicabilia, ergo differentia poterit dividi in duo. Cauſa, quia nõ videtur ratio, cur prędicabile in quid, quod eſt ſuperius ad genus, & ſpeciem poſſit dividi in illa duo prædicabilia, & prædicabile in quale non poſſit dividi in alia duo, ſed potius omnimoda paritas eſt; ſicut enim ſub prædicabili in quid invenitur aliquod prædicabile de pluribus ſpecie differentibus, & facit genus: item aliud prædicabile de pluribus numero differentibus & facit ſpeciem. Ita etiam ſub prædicabili in quale invenitur aliquod prædicabile de ſpecie differẽtib⁹, quod eſt differẽtia ſubalterna, & prędicabile de numero differentibus quę eſt ſpecifica, quidni ergo dicamus differẽtiã ſive prædicabile in quale eſſe univerſale genericũ ſicut eſt prędicabile

a Vide … ber trac… univ… Paul V… ner. q. … ſub. P… phyrii … Per nig… q 16 C… lam in … præfat. … Porphyr… q ult.

b Mau… Hyber… cra q … M… c 1. de … niv d. … q 1. P… d. 1. q … Maſtr… & B… diſp. 4. … 6.

Digitized by Google

cabile in quid, & habere ſub ſe duas ſpecies, quarum una ſit differentia generica, altera ſpecifica, quod ſi rectè dicatur, jam falſo dictum eſt in concluſione has eſſe omnes ſpecies infimas univerſalis: jam enim tertia ſpecies univerſalis, quæ eſt differentia erit ſpecies ſubalterna, & habebit ſub ſe duas alias. Reſpondeo ad replicam, negando aſſumptum, & ad objectionem negando conſequẽtiam: Diſparitatem aſſigno, quia nimirum fallitur objiciens in eo quod exiſtimet genus & ſpeciem facere duo univerſalia: propterea quod unum prædicetur de ſpecie differentibus; alterum de ſolo numero differentibus, quæ diſparitas ſi ſufficeret, ſanè convinceret argumentum, quod etiam darentur duæ differentiæ, quæ eſſent duo prædicabilia. Non eſt ergo illa ratio, ſed hæc, quia genus aliter prædicatur, & aliter ineſt inferioribus ac ſpecies; genus enim prædicatur tanquam pars eſſentialis, ſpecies tanquam tota eſſentia. Ex quo patet cur non dentur duæ differentiæ, quæ faciant duo prædicabilia, quia nimirum non datur ulla differentia, quæ prædicetur & inſit tanquam tota eſſentia ſubjecti. Dividitur ergo *prædicabile in quid* in duo, quia nimirum ſunt duo modi prædicandi in quid, completus, & incompletus, non dividitur prædicabile in quale, quia eſt unus tantum modus prædicandi in quale, nec enim poteſt quod in quale dicitur, completè dici. Reſpondeo jam ad alteram partem, &

Probo has non eſſe immediatas ſpecies univerſalis, prius enim ſine dubio deſcendit univerſale in prædicabile in quid, & in quale quam in genus, ſpeciem & differentiam, quia nimirum aliqua horũ ſunt in quid, alia in quale: imo ipſum quale eſt ſubalterna ſpecies: dividitur enim in duo ſcilicet quale eſſentiale & quale accidentale, ſicut etiam prædicari in quid in duo dividitur: ſed prędicari in quale eſt adhuc latiùs patens, nã alterum mẽbrũ eius ſcilicet quale accidentale habet ſub ſe duo ſcilicet ſeparabile, & inſeparabile, quod dico conſequenter ad communem ſententiam ſuſtinentem quinarium numerum prædicabilium, nam meum ſenſum ſupra dixi.

Objicies: non eſt potior ratio cur prædicabile ut ſic dividatur immediatè in prædicabile in quid, & prædicabile in quale, quam quod dividatur in prædicabile eſſentiale, & accidentale, quod patet. At verò ſi fiant iſtæ diviſiones fient contra rationẽ, & Philoſophiam, ſi enim una eademque ſpecies eſſet ſub diverſis generibus, nam differentia, quæ eſt tertia ſpecies univerſalis eſſet ſub genere prædicabilis eſſentialis in ſecunda diviſione, & ſub genere prædicabilis in quale in prima diviſione, quod expreſſè repugnat regulæ Philoſophi *a in prædicamentis*, quâ docet quod diverſorum generum non ſubalternatim poſitorum diverſæ ſunt ſpecies: atque ita non poteſt utraque diviſio fieri: ſi autem non utraque, certè neutra: nam, ut dixi, æqualis eſt ratio utriuſque: atque ita denique dicendum eſt, quod nulla ſit diviſio univerſalis ante hanc, & proinde iſtæ quinque erunt immediatæ ſpecies univerſalis, quod negat concluſio: ita ferè Conymbricenſes, quibus reſpondendum eſt ipſorum verbis, & commentario Nempe illi regulam illam anteprædicamentalem ita intelligunt, *b* ut poſſint eſſe eædem

a Ariſto. c. 2.

Conymb.

b in com. c. .it. Ariſtot.

differentiæ plurium generum, quorum unum ſub altero non collocatur dummodo utrumque ſit ſub tertio, & non viderunt prædicabile eſſentiale, & prædicabile in quale eſſe ſub uno tertio hic, ſcilicet ſub univerſale ut ſic. Sed in re aliter reſpondendum eſt ad hoc & alia ejuſdem farinæ, quod ſcilicet nullatenus ſequatur illud inconveniens, eò quod facta unâ diviſione eiuſmodi, & ſtante eâ non poteſt fieri ſecunda. Atque adeò nulla eſt differentia, aut ſpecies eſt ſimul ſub duobus, vel conjunctim, ſed ſucceſſivè, & diviſim tantùm, quod non eſt inconveniens

9. Hanc tamen veritatem, de eo quod diviſio hæc ſit atoma: credo equidem limitandam ad naturaliter poſſibilia, ut ſcilicet naturaliter poſſibiles, non ſint prædicationes ullæ, niſi quæ ad aliquam ex quinque pertineat, at verò non dubito quin ſupernaturaliter poſſibilis; & facta ſit aliqua prædicatio, quæ ſit ſexta contenta ſub aliquo horum, & in re eſt illa ſupraposita Actione præcedenti *Verbum eſt homo*, pro hac enim, vel numerandum eſt ſextum prædicabile, vel neceſſariò dividendum eſt aliquod prædicabile ex his in duo; certè enim non poteſt contineri ſub rationibus de facto aſſignatis his prædicabilibus: ſupra illam repoſui ſub Accidente, & objicienti mihi quod accidens prædicaretur in quale, iſta autem prædicatio ſit in quid. Reſpondi quale eſſe duplex, ſemel enim ſignificat aliquid per modum informantis; aliter ſignificat idem quod extraneum, ſive non quidditativum, ut ita opponatur *to quid*: Illam autem prædicationem eſſe in quale ſecundo modo licet non primo.

Sed reverà non evaſi omnem difficultatem ſic, non enim cohæret gloſſa cum textu: nam *quale* apud Porphyrium non poteſt facere hunc ſenſum noſtrum, quod ſic oſtendo: Quale apud Porphyrium eſt quid commune tertio & quinto prædicabili, ut patet ex ipſa Actione præcedenti numero quinto, ſed eſſe extraneum, ſeu non quidditativum, non eſt commune tertio, & quinto prædicabili, quia tertio non convenit omnino quum tertium, ſcilicet differentia ſit quidditativa ergo. Dicendum eſt quod quale tertii prædicabilis non poſſit eſſe extraneum, ſed benè quale quinti prædicabilis, & præterea quale tertio, & quinto commune. Itaque illa prædicatio erit quinti prædicabilis *in quale*, hoc eſt prædicans aliquid extraneum, non tamen in quale, hoc eſt prædicans aliquid informans, ſed potiùs ſubſiſtens, quod proinde dici poteſt in quid: nam etiam *quid* poteſt duplicem ſenſum facere, ſcilicet ſignificare *quid*, hoc eſt, eſſentiale: iterum *quid* id eſt ſubſiſtens. Vnde illa prædicatio poſſet etiam ad ſecundum prædicabile reduci diſtinguendo ibi *quid*, ſicut in quinto diſtinguitur quale, quæ magis patebunt ex ſequentibus.

ACTIO SEPTIMA
De ſubijcibili, & ſubjecto Vniuerſalis.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Non cuilibet ſubijcibili identificari univerſale.*
2. *Prædicationem de uno ſubiicibili non eſſe perfectè Vniverſalis.*
3. *Natura immultiplicabilis non poteſt fieri univerſalis, probatur ad hominem ab inconvenienti.*
4. *Evaſiones* Caetani *& ſuorum præcluduntur.*
5. *Novæ aliquot rationes pro concluſione.*
6. *Objectiones Thomiſtarum.*
7. *Aliæ meliores. Ariſtoteles quid ſenſerit de cælis.*
8. *Tranſcendentia, & incompleta an univerſalia?*

1. CIrca primum inprimis quæro: utrum univerſale debeat ſuo ſubijcibili identificari, & è contra. Videtur communiter reſponderi quod ſic, ſi loquamur de ſubiicibilib⁹ priorum trium, non verò de ſubijcibilibus ultimorũ duorum. Cenſeo hanc doctrinam non eſſe certam: Moveor hac inſtantia, ad quam præmitto deficere nobis nomina pro rebus, etenim ſub ſpecie dantur non ſolũ individua ſed perſonæ; nos autem nõ utimur niſi nominibus individuorum, dicẽdo Petrus, & Paulus &c. Cudamus ergo nomina etiam perſonis, & illa Petri vocetur B. vel *alpha* dico in hac: *alpa* eſt homo: Subijcibile non identificari univerſali, & tamen prædicationem eſſe ſecũdi prædicabilis. Ratio majoris, quia ſeparabilis eſt perſonalitas ab humanitate, & humanitas à perſona: nullum autem identificatum eſt ſeparabile. ergo.

2. Quæro ſecundo quum verũ ſit, quod jam dictum eſt in minori probationis: ſive utrũ prædicatio alicuius naturæ de uno ſubijcibili ſit prædicatio univerſalis. Reſpondeo cenſeri talem, ſed immeritò, ſaltem oppoſitũ habere Logicam probabilitatem. Cauſa, quia non fit univerſale comparando naturã ad unum; adeoque nec exercetur univerſalitas prædicando ipſam de vno. Explico & confirmo correlativum univerſalis quà talis eſt plura: ergo quando reſpicit aliquod quod non ſit plura, non reſpicit illud ſub ratione univerſalis, ſicut pater licet habeat ſervum, tamen non reſpicit illum ut pater, ſed ut dominus. Confirmo ſecundo, quia reſpicere unum, ineſſe uni, & prædicari de ipſo convenit individuo: nihil autem conveniens individuo poteſt convenire univerſali, qua tale Obijcies communiter cenſeri, hanc Petrus eſt homo eſſe prædicationem ſpeciei & tamen eſt de uno ſubijcibili. Confirmatio huius quia quod eſt prædicabile de multis eſt etiã prædicabile de uno. Confirmo 2. quia univerſale eſt prædicabile de multis diſtributivè, & non tãtum conjunctim: ſicut dicitur quod decem unitates ſunt denarius, non autem dici poteſt de ſingulis unitatibus ſeorſim quod ſint denarius: id autẽ in univerſali eſt falſum: nã non ſolum vera eſt iſta: omnes homines ſunt homo (ſi tamen ſit vera) ſed etiam verum eſt, quod quilibet ex illis ſit homo. Reſpondeo ad primũ: fruſtra id adhiberi: illa enim eſt propoſitio quã examino & nego Ad ſecundum, ſive ad confirmationem, concedo id eſſe prædicabile de uno, at nõ per modum univerſalis, niſi etiam prædicetur de aliis ſimul, non quidem eadem prædicatione dicendo: Petrus & Paulus, ſunt homo, ſed diſtinctè formando de quolibet ſuam.

Dices, ergo nunquam prædicatur univerſale, quia quando ſupervenit ſecunda prædicatio deſinit prima Reſpondeo deſinere illam in voce, non deſinere in mente, & ſaltem non deſinere in reipſa: nam ſimul Petrus eſt homo, atque etiam Paulus Hinc vides ſecundam confirmationem nihil nocere patet enim illa non eſſe medium inter prædicari de pluribus cõjunctim, & prædicari de uno ſolo, quum intermediet prædicari de plurib⁹ diviſim & diſtributivè

Quoad ſecundam partẽ de ſubjecto univerſalis, ſive de natura cui poſſit applicari forma hæc: ſeu ſecunda intentio univerſalitatis, ſingularis eſt ſentẽtia quorundã Thomiſtarum *a* poſſe quamlibet naturã creatam reddi, & cenſeri univerſalem, quantũcunq; ſingularis & immultiplicabilis ſit: loquor de univerſalitate priorum prædicabilium, nam de ultimo jã dixi. Dicunt autem illi naturam, cuius unũ tantum individuũ eſt poſſibile eſſe ſpeciem ac proinde dicunt naturam Angelicam licet ſecũdum ipſos immultiplicabilis ſit in plura individua, etiã de abſoluta potentia Dei adhuc eſſe ſpeciem: Quæ opinio ab omnibus *b* jam dudum exploſa eſt, & ſpeciatim dãnata articulo Pariſienſi, imo tribus ut referunt *Conymb.* hic: ſanè non eget illa improbatione tam eſt improbabilis, adferam tamen quæ illi excogitarunt, ad dandam ei apparentiam aliquam veritatis, ſed in primis

3 Dico reſolutivè eam omnino repugnare philoſophicis principiis. Ita omnes præter Thomiſtas, etiam *D. Thomas. c*

Probo ipſam, quia natura Divina non eſt univerſalis, ut docet etiam S. Doctor, eſt autẽ univerſalis quam Angelica illa: ergo Angelica illa non eſt, nec eſſe poteſt univerſalis, vis eſt in minori, quam ſic oſtendo, quoniam diſparitas, quæ eſt inter Divinam & Angelicã non conducit ad univerſalitatem. Differunt enim in eo tantum quod Divina ſit ſeipſa immultiplicabilis, hoc eſt, non per aliquam differentiam numeralem ei additã; natura Angelica per differentiã; hoc autem non juvare probo, quia etſi differentia numerica ſit extra eſſentiam Angeli, tamẽ exigentia differentiæ numericæ non eſt extra ſed intra eſſentiã eius: at verò quod ex ſe exigit differentiam illam, ſeu ſingularitatem non poteſt eſſe, aut fieri univerſale; quia non poteſt annecti alicui quod ei repugnat, ſed rei exigenti eſſentialiter ſingularitatem repugnat oppoſitum eius

Dices non repugnare oppoſitũ, ſed exigentiã oppoſiti; ſed falſo hoc dices, nam quod exigit incõmunicabilitatem ei repugnat cõmunicabilitas: diverſo enim, & oppoſito modo debet ſe habere ad cõmunicabilitatem, ac ſe habet ad incõmunicabilitatem oppoſitus autem modus exigentiæ eſt repugnantia: ſit exemplum, quia natura ſubſtantialis exigit ſubſiſtentiam, repugnat ei poſſe inhærere, & è contra, quia accidens exigit ſuſtentationem, repugnat ei poſſe ſubſiſtere, ergo ſimiliter ſi aliqua natura intrinſecè exigit immultiplicationem,

repugnat

a Caiet. in cap. de Spec. & ... de ente & eſſen. q. 2 & ... p. q. ... ar. ... 9. & ſequ. Catharr. de ſpec. p. 2 a. 2. Mercat. q. un. arg. 1.

b D. Th. ... p. q. 1 ... Bona. 2 d. 9 ... Alex ... 2 p q. 20. n. 6 Carth 2 cit. q. 3. Gab 2 d 3. q ... Marſil. ibid. q. 3 Durand. ibid.

c de Spir creat. ar. 1. 1 p q. ... ar. 4.

repugnat ei multiplicabilitas. At vero cui repugnat multiplicabilitas, clarum eſt quod repugnet ei univerſalitas; ergo.

Impugno adhuc illam ſententiam, & diſparitatem utriuſque naturæ Divinæ, & creatæ; quia non refert utrũ aliquid repugnet prima alicui, an vero repugnet ratione alterius, ut ſit incomponibile cum tali prædicato, ergo licet Deo ratione ſui repugnet proximè univerſalitas: Angelo autem nõ proximè, aut primo, tamen erit incomponibilis univerſalitas huic, ſicut illi. Antecedens oſtendo exemplo: nã Petro v.g. repugnat aſininitas, aut equinitas, & univerſaliter omnis irrationalitas, ſeu differentia brutalis, ita ut impoſſibile ſit intellectui iudicare Petrum irrationalem, & tamen irrationalitas non repugnat Petro primo, ſed prius repugnat homini, ſimiliter humanitati Petri ex altera parte repugnat multiplicatio, ſeu diviſio in plura, & tamen hæc non primo repugnat humanitati, ſed primo Petreitati.

Probatio à priori huius eſt illa petita ex definitione univerſalis, quod eſt unũ aptum ineſſe multis, ex quo ſequitur nullum ineptum ineſſe multis eſſe univerſale. Vrgeo argumentum: nam natura illa angeli, ut præcedit differentiam numeralem, aut eſt multiplicabilis, aut immultiplicabilis poſitivè, aut eſt neutra, id eſt talis cui non repugnat multiplicari contra ſecundum redit ratio iam poſita, quam nihilominus firmo ſic, omne univerſale eſt multiplicabile, nulla natura Angelica eſt multiplicabilis: ergo nulla talis eſt univerſalis. maior eſt omnium: hinc enim excluditur natura divina ab univerſalitate iudicio S. Thomæ. Minor eſt Thomiſtarum: ergo. contra primum, & tertium facit quod ſi natura angeli ſit multiplicabilis aut poſitivè, aut negativè, tam fruſtra deducunt Thomiſtæ poſſe aliquid in multiplicabile eſſe univerſale ex eo quod natura angeli poſſit eſſe univerſalis: non enim illa eſt quid immultiplicabile ſecundum ipſos; & revera res eſt tam clara, ut ſupervacaneum ſit in ea probanda immorati: probationes enim noſtræ non ſunt deteriores quam à definitione ad definitum, aut rectius à negatione definitionis ad negationem definiti.

4. Supereſt videre quid illi excogitaverint ad eas evadendas: Aliqui dicunt inter naturam Angelicam v.g. illam Michaelis dici univerſalẽ quia licet illi, ut talis in ſpecie eſt, repugnet communicabilitas, aut multitudo, non tamẽ ut talis in genere eſt; vel ſic: quia licet id ei repugnet ut talis ſpecies eſt, non tamen quatenus habet rationem ſpeciei ut ſic, alias id omni ſpeciei repugnaret; quod dicere non erat excuſare priorem errorem, ſed novum incurrere non minorẽ præcedenti. In primis enim quæro, quænam ſit illa natura generica angelorũ; cui non repugnet multitudo? non poteſt eſſe niſi ſubſtantia ſpiritualis completa; omni autem tali repugnat multitudo numerica intra eandẽ ſpeciẽ ſecũdum ipſos ergo. Deinde detur hoc illis quod genus Angeli habeat non repugnantiam, ad ſic multiplicari, nõ propterea Angelus eam habebit, alioquin dicã eum habere nõ repugnantiam ut ſit in diverſis ſpeciebus, nã generi hoc non repugnat.

Caetan. ſupr. cit. Familiaris reſponſio Thomiſtarum, & quæ authori huius univerſalis placuit, eſt, talem naturam fore univerſalem nõ in re; ſed per intellectũ, quod mirũ eſt ipſis veniſſe in mentem; non enim poteſt intellectus facere univerſalia, aut ſi poteſt, non quæcunq; poteſt: alias cur nõ poſſit reddere naturã Divinam univerſalem, quod tamen ipſi negant. Requirit ergo fundamentũ ex parte rei, id eſt indifferentiam ad plur. hanc non invenit in angelo. Confirmo: non poteſt intellectus facere ſpeciem genus, aut genus infimũ ſubalternũ, nec ſubalternũ ſupremũ, nec vice verſâ. v. g. non poteſt facere hominem genus, aut animal æquè latè patens ac ſubſtantia, quia nimirum natura ſpecifica non eſt multiplicabilis in ſpecies; ſed in individua &c. atqui palã eſt naturã eiuſmodi non eſſe multiplicabilẽ in individua; ergo nõ poterit etiã ab intellectu fieri ſpecies. quo loco poſſumus inſerere novã rationem pro concluſione, quia ratio ſpecifica hominis, & generica animalis rationis quorũ repugnat homini fieri genus & animali fieri quid tranſcendens, hæc inquã ſunt extra eſſentiam horum, quũ unitas ut ſic ſit paſſio tantũ entis, ut ſic, adeoque extra eius eſſentiã: unde infero: ergo licet differentia numerica ſit extra eſſentiam angeli: non propterea verum erit quod angelo competet multiplicabilitas oppoſita, aut ſi non competat, quod poſſit fieri ſpecies.

5. Formo etiã adhuc iſtã: Angelus ſeipſo eſt immultiplicabilis in plura individua, ut ſtatim oſtendã ad hominẽ, atq; hic ex eo infero in primis non eſſe diſparitatẽ quoad hoc inter Deũ, & angelum: Deinde non poſſe concipi angelũ ut univerſalem: primũ conſequens eſt contra primã diſparitatem ſupra datam ab ipſis inter Deũ & angelum: ſecundũ autẽ eſt contra ſecundam ſolutionem proximè poſitam ex Caetano, quod angelus poſſit fieri univerſale per intellectũ probo iam antecedens: quia ſecundũ Thomiſtas non eſt aliud in angelo differentia ſpecifica, & aliud differentia numerica, ne quidẽ formaliter: quia cum ipſe ponat numerationẽ, ſeu multitudinem individualẽ fieri per materiam, eo aliquid eſt immultiplicabile, quo eſt immateriale: atqui certũ eſt angelũ ſeipſo, id eſt per eſſentiã eſſe immaterialẽ: ergo. Probo iam primam cõſequentiã, quia nec Deus eſt magis unus numero, quã ut ſit eſſentialiter talis, id eſt ut intra ſuam eſſentiã habeat ſuã ſingularitatẽ: ſecundã ſic, quoniã non poteſt ne quidẽ ab intellectu concipi res cũ prædicato ſibi repugnante, non poteſt concipi homo irrationalis; alioquin conciperetur ut non homo, & ſic de cæteris. Imò ſunt multa etiã extra eſſentias rerũ, quorũ oppoſita non poſſunt cõcipi cũ illis v.g. nõ poteſt intelligi dualitas æqualis ternario, & tamẽ æqualitas, vel inæqualitas quæcunque ſit, eſt extra eſſentiã ternarii; adeoque licet daremus Thomiſtis immultiplicabilitatem hanc eſſe extra eſſentiã Angeli, debẽt ipſi nobis dare, quod non poſſit Angelus concipi cum oppoſito: adeoque non poſsit fieri univerſalis nequidem per intellectum? Audiamus Thomiſtas.

6. Obiiciunt autẽ: natura Michaelis cõcipi poteſt abſtracta à differentia individuali: tũ autẽ non repugnat illam fieri univerſalem: ſic enim fiunt aliæ naturæ univerſales à nobis. Cõfirmatur quia in illo ſtatu habet aliquã unitatẽ, non numericã. id enim eſſet cõtra hypotheſim: ergo formalẽ, hoc eſt aliã minorẽ numerali, qualẽ habent aliæ naturæ, quæ à nobis fiunt univerſales. Declaratur hoc, quia Michael differt eſſentialiter à Gabriele, & differt numero ab eodem: ergo habet differentiã numericam ſive ſit eadem cum ſpecifica; ſive non.

Reſpondeo maiorẽ eſſe falſã apud ipſos Thomiſtas, ut videor oſtẽdiſſe paulo ante; ſed demus eam eſſe veriſſimam, nego nihilominus minorem: cauſa eſſet diſparitas per quã reſpondetur ad confirmationem, eſt quod natura angeli apud hos exigat ſingularitatem, & immultiplicabilitatem, aliæ materiales

ACTIO SEPTIMA
De ſubijcibili, & ſubjecto Vniuerſalis.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Non cuilibet ſubijcibili identificari univerſale.*
2. *Prædicationem de uno ſubiicibili non eſſe perfectè Vniverſalis.*
3. *Natura immultiplicabilis non poteſt fieri univerſalis, probatur ad hominem ab inconvenienti.*
4. *Evaſiones Caetani & ſuorum præcluduntur.*
5. *Nova aliquot rationes pro concluſione.*
6. *Objectiones Thomiſtarum.*
7. *Alia meliores. Ariſtoteles quid ſenſerit de cælis.*
8. *Tranſcendentia, & incompleta an univerſalia?*

1. Circa primum inprimis quæro: utrum univerſale debeat ſuo ſubijcibili identificari, & è contra. Videtur communiter reſponderi quod ſic, ſi loquamur de ſubiicibilib[us] priorum trium, non verò de ſubijcibilibus ultimorũ duorum. Cenſeo hanc doctrinam non eſſe certam: Moveor hac inſtantia, ad quam præmitto deficere nobis nomina pro rebus, etenim ſub ſpecie dantur non ſolũ individua ſed perſonæ; nos autem nõ utimur niſi nominibus individuorum, dicẽdo Petrus, & Paulus &c. Cudamus ergo nomina etiam perſonis, & illa Petri vocetur B. vel *alpha* dico in hac: *alpa* eſt homo: Subijcibile non identificari univerſali, & tamen prædicationem eſſe ſecũdi prædicabilis. Ratio majoris, quia ſeparabilis eſt perſonalitas ab humanitate, & humanitas à perſona: nullum autem identificatum eſt ſeparabile. ergo.

2. Quæro ſecundo quum verũ ſit, quod jam dictum eſt in minori probationis: ſive utrũ prædicatio alicuius naturæ de uno ſubijcibili ſit prædicatio univerſalis. Reſpondeo cenſeri talem, ſed immeritò, ſaltem oppoſitũ habere Logicam probabilitatem. Cauſa, quia non fit univerſale comparando naturã ad unum; adeoque nec exercetur univerſalitas prædicando ipſam de vno. Explico & confirmo correlativum univerſalis quà talis eſt plura: ergo quando reſpicit aliquod quod non ſit plura, non reſpicit illud ſub ratione univerſalis, ſicut pater licet habeat ſervum, tamen non reſpicit illum ut pater, ſed ut dominus. Confirmo ſecundo, quia reſpicere unum, ineſſe uni, & prædicari de ipſo convenit individuo: nihil autem conveniens individuo poteſt convenire univerſali, qua tale Objicies communiter cenſeri, hanc Petrus eſt homo eſſe prædicationem ſpeciei & tamen eſt de uno ſubijcibili. Confirmatio huius quia quod eſt prædicabile de multis eſt etiã prædicabile de uno. Confirmo 2. quia univerſale eſt prædicabile de multis diſtributivè, & non tãtum conjunctim: ſicut dicitur quod decem unitates ſunt denarius, non autem dici poteſt de ſingulis unitatibus ſeorſim quod ſint denarius: id autẽ in univerſali eſt falſum: nã non ſolum vera eſt iſta: omnes homines ſunt homo (ſi tamen ſit vera) ſed etiam verum eſt, quod quilibet ex illis ſit homo. Reſpondeo ad primũ: fruſtra id adhiberi: illa enim eſt propoſitio quã examino & nego Ad ſecundum, ſive ad confirmationem, concedo id eſſe prædicabile de uno, at nõ per modum univerſalis, niſi etiam prædicetur de aliis ſimul, non quidem eadem prædicatione dicendo: Petrus & Paulus, ſunt homo, ſed diſtinctè formando de quolibet ſuam.

Dices, ergo nunquam prædicatur univerſale, quia quando ſupervenit ſecunda prædicatio deſinit prima Reſpondeo deſinere illam in voce, non deſinere in mente, & ſaltem non deſinere in reipſa: nam ſimul Petrus eſt homo, atque etiam Paulus Hinc vides ſecundam confirmationem nihil nocere patet enim illa non eſſe medium inter prædicari de pluribus cõjunctim, & prædicari de uno ſolo, quum intermediet prædicari de plurib[us] diviſim & diſtributivè

Quoad ſecundam partẽ de ſubjecto univerſalis, ſive de natura cui poſſit applicari forma hæc: ſeu ſecunda intentio univerſalitatis, ſingularis eſt ſententia quorundã Thomiſtarum *a* poſſe quamlibet naturã creatam reddi, & cenſeri univerſalem, quantũcunq; ſingularis & immultiplicabilis ſit: loquor de univerſalitate priorum prædicabilium, nam de ultimo jã dixi. Dicunt autem illi naturam, cuius unũ tantum individuũ eſt poſſibile eſſe ſpeciem ac proinde dicunt naturam Angelicam licet ſecũdum ipſos immultiplicabilis ſit in plura individua, etiã de abſoluta potentia Dei adhuc eſſe ſpeciem: Quæ opinio ab omnibus *b* jam dudum exploſa eſt, & ſpeciatim dãnata articulo Pariſienſi, imo tribus ut referunt *Conymb.* hic: ſanè non eget illa improbatione tam eſt improbabilis, adferam tamen quæ illi excogitarunt, ad dandam ei apparentiam aliquam veritatis, ſed in primis

3 Dico reſolutivè eam omnino repugnare philoſophicis principiis. Ita omnes præter Thomiſtas, etiam *D. Thomas*. *c*

Probo ipſam, quia natura Divina non eſt univerſalis, ut docet etiam S Doctor, eſt autẽ univerſalis quam Angelica illa: ergo Angelica illa non eſt, nec eſſe poteſt univerſalis, vis eſt in minori, quam ſic oſtendo, quoniam diſparitas, quæ eſt inter Divinam & Angelicã non conducit ad univerſalitatem. Differunt enim in eo tantum quod Divina ſit ſeipſa immultiplicabilis, hoc eſt, non per aliquam differentiam numeralem ei additã; natura Angelica per differentiã; hoc autem non juvare probo, quia etſi differentia numerica ſit extra eſſentiam Angeli, tamẽ exigentia differentiæ numericæ non eſt extra ſed intra eſſentiã eius: at verò quod ex ſe exigit differentiam illam, ſeu ſingularitatem non poteſt eſſe, aut fieri univerſale; quia non poteſt annecti alicui quod ei repugnat, ſed rei exigenti eſſentialiter ſingularitatem repugnat oppoſitum eius

Dices non repugnare oppoſitũ, ſed exigentiã oppoſiti; ſed falſo hoc dices, nam quod exigit incõmunicabilitatem ei repugnat cõmunicabilitas: diverſo enim, & oppoſito modo debet ſe habere ad cõmunicabilitatem, ac ſe habet ad incõmunicabilitatem oppoſitus autem modus exigentiæ eſt repugnantia: ſit exemplum, quia natura ſubſtantialis exigit ſubſiſtentiam, repugnat ei poſſe inhærere, & è contra, quia accidens exigit ſuſtentationem, repugnat ei poſſe ſubſiſtere, ergo ſimiliter ſi aliqua natura intrinſecè exigit immultiplicationem,

a Caiet. in cap. de Spec. & ... de ente & eſſen. q. 3 & 1 p. q. ... q. 6 ... Capreol. de ... 2 a. 2 Mercen... b D. Tho. p. q. 1 ... 2 d. q. ... Alii ... q. 10 ... Caiet. ... ct. q. ... Gab. ... Marſil. ibid. q. ... Durand. ibid. c de ſin. creat. ... ar. 4.

repugnat ei multiplicabilitas. At verò cui repugnat multiplicabilitas, clarum eſt quod repugnet ei univerſalitas; ergo.

Impugno adhuc illam ſententiam, & diſparitatem utriuſque naturæ Divinæ, & creatæ; quia non refert utrũ aliquid repugnet prima alicui, an vero repugnet ratione alterius, ut ſit incomponibile cum tali prædicato, ergo licet Deo ratione ſui repugnet proximè univerſalitas: Angelo autem nõ proximè, aut primo, tamen erit incomponibilis univerſalitas huic, ſicut illi. Antecedens oſtendo exemplo: nã Petro v.g. repugnat aſininitas, aut equinitas, & univerſaliter omnis irrationalitas, ſeu differentia brutalis, ita ut impoſſibile ſit intellectui iudicare Petrum irrationalem, & tamen irrationalitas non repugnat Petro primo, ſed prius repugnat homini, ſimiliter humanitati Petri ex altera parte repugnat multiplicatio, ſeu diviſio in plura, & tamen hæc non primo repugnat humanitati, ſed primo Petreitati.

Probatio à priori huius eſt illa petita ex definitione univerſalis, quod eſt unũ aptum ineſſe multis, ex quo ſequitur nullum ineptum ineſſe multis eſſe univerſale. Vrgeo argumentum: nam natura illa angeli, ut præcedit differentiam numeralem, aut eſt multiplicabilis, aut inmultiplicabilis poſitivè, aut eſt neutra, id eſt talis cui non repugnat multiplicari contra ſecundum redit ratio iam poſita, quam nihilominus firmo ſic, omne univerſale eſt multiplicabile, nulla natura Angelica eſt multiplicabilis: ergo nulla talis eſt univerſalis. maior eſt omnium: hinc enim excluditur natura divina ab univerſalitate iudicio S. Thomæ. Minor eſt Thomiſtarum: ergo contra primum, & tertium facit quod ſi natura angeli ſit multiplicabilis aut poſitivè, aut negativè, tam fruſtra deducunt Thomiſtæ poſſe aliquid in multiplicabile eſſe univerſale ex eo quod natura angeli poſſit eſſe univerſalis: non enim illa eſt quid immultiplicabile ſecundum ipſos; & revera res eſt tam clara, ut ſupervacaneum ſit in ea probanda immorari: probationes enim noſtræ non ſunt deteriores quam à definitione ad definitum, aut rectius à negatione definitionis ad negationem definiti.

4. Supereſt videre quid illi excogitaverint ad eas evadendas: Aliqui dicunt iure naturam Angelicam v.g. illam Michaelis dici univerſalẽ quia licet illi, ut talis in ſpecie eſt, repugnet communicabilitas, aut multitudo, non tamẽ ut talis in genere eſt; vel ſic: quia licet id ei repugnet ut talis ſpecies eſt, non tamen quatenus habet rationem ſpeciei ut ſic, alias id omni ſpeciei repugnaret; quod dicere non erat excuſare priorem errorem, ſed novum incurrere non minorẽ præcedenti. In primis enim quæro, quænam ſit illa natura generica angelorũ; cui non repugnet multitudo? non poteſt eſſe niſi ſubſtantia ſpiritualis completa; omni autem tali repugnat multitudo numerica intra eandẽ ſpeciẽ ſecũdum ipſos ergo. Deinde detur hoc illis quod genus Angeli habeat non repugnantiam, ad ſic multiplicari, nõ propterea Angelus eam habebit, alioquin dicã eum habere nõ repugnantiam ut ſit in diverſis ſpeciebus, nã generi hoc non repugnat.

Caetan. ſupr. cit. Familiaris reſponſio Thomiſtarum, & quæ authori huius univerſalis placuit, eſt, talem naturam fore univerſalem nõ in re; ſed per intellectũ, quod mirũ eſt ipſis veniſſe in mentem; non enim poteſt intellectus facere univerſalia, aut ſi poteſt, non quæcunq; poteſt: alias cur nõ poſſit reddere naturã Divinam univerſalem, quod tamen ipſi negant.

Requirit ergo fundamentũ ex parte rei, id eſt indifferentiam ad plura: hanc non invenit in angelo. Confirmo: non poteſt intellectus facere ſpeciem genus, aut genus infimũ ſubalternũ, nec ſubalternũ ſupremũ, nec vice versâ. v. g. non poteſt facere hominem genus, aut animal æquè latè patens ac ſubſtantia, quia nimirum natura ſpecifica non eſt multiplicabilis in ſpecies; ſed in individua &c. atqui palã eſt naturã eiuſmodi non eſſe multiplicabilẽ in individua; ergo nõ poterit etiã ab intellectu fieri ſpecies. quo loco poſſumus inferere novã rationem pro concluſione, quia unitas ſpecifica hominis, & generica animalis ratione quorũ repugnat homini fieri genus & animali fieri quid tranſcendens, hæc inquã ſunt extra eſſentiam horum, quũ unitas ut ſic ſit paſſio tantũ entis, ut ſic, adeoque extra eius eſſentiã: unde infero: ergo licet differentia numerica ſit extra eſſentiam angeli: non propterea verum erit quod angelo competet multiplicabilitas oppoſita, aut ſi non competat, quod poſſit fieri ſpecies.

5. Formo etiã adhuc iſtã: Angelus ſeipſo eſt immultiplicabilis in plura individua, ut ſtatim oſtendã ad hominẽ, atq; hic ex eo infero in primis non eſſe diſparitatẽ quoad hoc inter Deũ, & angelum: Deinde non poſſe concipi angelũ ut univerſalem: primũ conſequens eſt contra primã diſparitatem ſupra datam ab ipſis inter Deũ & angelum: ſecundũ autẽ eſt contra ſecundam ſolutionem proximè poſitam ex Caetano, quod angelus poſſit fieri univerſale per intellectũ probo iam antecedens: quia ſecundũ Thomiſtas non eſt aliud in angelo differentia ſpecifica, & aliud differentia numerica, ne quidẽ formaliter: quia cum ipſe ponat numerationẽ, ſeu multitudinem individualẽ fieri per materiam, eo aliquid eſt immultiplicabile, quo eſt immateriale: atqui categorice eſt angelũ ſeipſo, id eſt per eſſentiã eſſe immaterialẽ: ergo. Probo iam primam cõſequentiã, quia nec Deus eſt magis unus numero, quã ut ſit eſſentialiter talis, id eſt ut intra ſuam eſſentiã habeat ſuã ſingularitatẽ: ſecundã ſic, quoniã non poteſt ne quidẽ ab intellectu concipi res cũ prædicato ſibi repugnante, non poteſt concipi homo irrationalis; alioquin conciperetur ut non homo, & ſic de cæteris. Imò ſunt multa etiã extra eſſentias rerũ, quorũ oppoſita non poſſunt cõcipi cũ illis v.g. nõ poteſt intelligi dualitas æqualis ternario, & tamẽ æqualitas, vel inæqualitas quæcunque ſit, eſt extra eſſentiã ternarii; adeoque licet demus Thomiſtis immultiplicabilitatem hanc eſſe extra eſſentiã Angeli, debẽt ipſi nobis dare, quod non poſſit Angelus concipi cum oppoſito: adeoque non poſſit fieri univerſalis nequidem per intellectum? Audiamus Thomiſtas.

6. Obiiciunt autẽ: natura Michaelis cõcipi poteſt abſtracta à differentia individuali: tũ autẽ non repugnat illam fieri univerſalem: ſic enim fiunt aliæ naturæ univerſales à nobis. Cõfirmatur quia in illo ſtatu habet aliquã unitatẽ, non numericã, id enim eſſet cõtra hypotheſim: ergo formalẽ, hoc eſt aliã minorẽ numerali, qualẽ habent aliæ naturæ, quæ à nobis fiunt univerſales. Declaratur hoc, quia Michael differt eſſentialiter à Gabriele, & differt numero ab eodem: ergo habet differentiã numericam ſive ſit eadem cum ſpecifica; ſive non.

Reſpondeo maiorẽ eſſe falſã apud ipſos Thomiſtas, ut videor oſtẽdiſſe paulo ante; ſed demus eam eſſe veriſſimam, nego nihilominus minorem: cauſa ſſet diſparitas per quã reſpondetur ad confirmationem, eſt quod natura angeli apud hos exigat ſingularitatem, & immultiplicabilitatem, aliæ materiales

teriales

teriales non. Vlterius etiam ad confirmationem dici poteſt, non eſſe aſſignandam naturæ Angelicæ aliam unitatem præter numeralem, & quamvis hæc numerica vnitas intelligatur poſterior eſſentiâ eius, tamen non dari aliam eâ priorem, nam omnis vnitas eſt poſterior ſuo ſubjecto.

7. Objiciunt alii melius pro ipſis: Vniverſalitas eſt quid rationis, ergo ſufficiunt ipſi inferiora rationis, ſive fabricata per intellectum. Confirmatur quia aptitudo ad eſſendum in multis, quam requirit univerſale eſt aptitudo ad eſſendũ in multis conjunctim, at verò hæc non habetur à parte rei ne quidem in naturis illis quas nos dicimus eſſe vniverſales, v. g. in humana, equina &c. ergo jam nos ipſi admittere debemus ſufficere quod neceſſaria ad univerſale habeantur per intellectum. Cõfirmatur ſecundo quia Ariſtoteles poſuit corpora cæleſtia eſſe univerſalia, & tamen poſuit eadem eſſe immultiplicabilia: ergo jam non eſt implicantia dicere aliquid immultiplicabile, & vniverſale. Hæc mihi videntur plus pro Thomiſtis pugnare, & quamvis facilè evertantur, tamen mirum eſt ſubeſſe tantum fundamenti contra demonſtrationes poſitas pro concluſione. Reſpondeo ergo ad primum, univerſalitatem eſſe fortaſſis quid rationis, at non eſſe quid arbitrarium, ſeu pro libitu cujuſque diſponendum, ſed accommodãdum rebus, alioquin quodlibet fieri poſſet quodlibet vniverſale, quod ipſimet negare debent; alias Deus fieret ſpecies, & ſpecies genus &c. Ad ſecundum patet ex hoc ſolutio, non enim eſt totum univerſale à parte rei ſed eſt fundamentum totius, ſcilicet liberatio naturæ humanæ, ſeu exemptio eius ſecundum ſe ſumpta à differentia individuali, cuius oppoſitum contingit naturæ Angelicæ ſecundum iſtos: adeòque intellectus ex natura Angelica, non poteſt facere niſi individuum huius enim ſolius fũdamentum in ea invenit. Aſſigno etiam aliud fundamentum univerſalis, & diſparitatem inter utraſque naturas puta Angelicam, & corporalem v. g. humanam, quia quodlibet individuum naturæ humanæ habet, vel habere poteſt aliud ſibi ſimile: omnis autem ſimilitudo fundatur in vnitate, hoc eſt in aliquo communi ſimilibus: adeòque datur aliquid unum in duobus individuis naturæ humanæ: non poteſt autem individuum angeli v.g. Michael habere aliud ſibi ſimile ſecundum iſtos: ergo Ad ſecundam confirmationem reſpondetur communiter *a* iſta duo in Ariſtotele non pugnare, quia nimirum poſuit ille cœlum ab intrinſeco eſſe multiplicabile, & ab extrinſeco tantum immultiplicabiles quia ſcilicet poſuit ideò cœlum non eſſe multiplicabile, eo quod forma eius non poſſit iterum habere tantundem materiæ, quandoquidem de facto occupet totam materiam poſſibilem. Cæterum forma illa ſecundum ſe eſt informativa plurium & multiplicabilis in multa; adeòque: ſed pace authorum huius, neſcio quam rectè dicant cælum ab extrinſeco tantum eſſe immultiplicabile ratione materiæ, ſi materia non eſt extrinſeca cœlo: nam ſi ſit intrinſeca ei, ſicut revera eſt, non minus quam forma, ne quæſo dicetur, multiplicabilitas quæ ei obvenit ratione formæ ab intrinſeco ei convenire, & immultiplicabilitas, quæ ratione materiæ ab extrinſeco, ut omittam quam difficile ſit quod ſit informativa materiæ impoſſibilis. Quidquid autem cenſuerit Ariſtoteles, mordicus tenendum eſt cum concluſione, quod ſi aliquid eſſentiale cœlo ſit immultiplicabile non poſſit cœlum abſolutè ſeu totũ eſſe multiplicabile, Deferendo tamen Ariſtoteli, Reſpondeo ipſum non falsò ſed obſcurè loquutũ, non enim ſemper ille per ly cœlum intelligit compoſitum, ſeu totum ut ſonat, ſed aliquando formam cœli. Teſtis ipſe 1. cœli text. 92. *Quoniam igitur cælum eſt ſenſibile, ſingularium utique erit, ſi autem ſingularium, aliud erit eſſe huic cælo, & aliud cælo ſimpliciter. Alterum igitur eſt hoc cælum, & cælum ſimpliciter: & hoc quidem*)ſcilicet cœlum ſimpliciter) *ut ſpecies & forma, illud autem* (ſcilicet hoc cœlum) *ut cum materia myſtum.* Itaque quum vult cœlum eſſe multiplicabie, de forma cæli intelligendus eſt cũ immultiplicabile de toto ipſo cœlo. ſufficiunt hæc de re improbabili, eò magis quod eadem ferè difficultas reddi ſolet, & infrà videbitur in Apologia de ſpecie.

a Maſtr. 4. univ. q. 1. Amicus tract. 4. Log. q. 1.

8. De aliis ſubjectis controverſis univerſalis partim iam dixi, ſcilicet de tranſcendentibus, ut ente &c. Dubitatur de naturis incompletis, & communiter reſolvitur eas non eſſe fundamenta, aut ſubjecta ſufficientia univerſalitatis. Si cauſam quæras? dicent eſſe quia prædicabilia diſpoſita ſunt in ordine ad prædicamenta: in his autem non ponuntur niſi entia completa; Bene ſtat: ſed quæro ex his utrum intelligant quod prædicabilia reſpondeant prædicamentis ſolum quoad rectam lineam, & intermediam, an verò quoad alias etiam laterales, ſi ſolum quoad lineam rectam intermediam dicant cur differentia ſit numerata in prædicabilibus: patet enim hanc non poni in recta, ſed tantum in laterali linea primi prædicamenti. Si autem prædicabilia facta ſint in ordine ad prædicamenta integrè ſumpta, certè jam poſſunt entia incompleta in illis eſſe: ſunt enim in lineis lateralibus prædicamenti. Itaque puto melius loqui eos, qui cenſent entia incompleta dici & eſſe poſſe univerſalia, v.g. animam, materiam &c.

Agunt de iſtis.

Plato in *Parmenide & Cratilo*. Ariſtot. 1. *Topic*. 12 & 1. *Poſt*. c. 4 & 5. & 3. *Met*. c. 5 & *lib*. 1. *de anima*. Aver. *ibid*. Porph. c. 1. & 7. Boet. *in ipſum*. Averroes *in* Epitom. Logic. c. 1. & *in* c. 1. *de genere* Simplic. c. 1. *Antepradic*. Abulenſ *paradox* c. 34. & *in* c. 23. *num*. 1. Al. 7. *Met*. Albert. *in Porph*. to 2. D. Thom. *opuſc*. 55. Item *de ente & eſſen*. & *in ſum. log* c 1. & 1 *cont. gent*. Albert. parvus *q*. 6. *proœm*. Ocham 1 *d*. 2 & *d*. 35 & *prim. par*. *Logic*. c. 12. & *ſeqq*. Gab. 1. *d* 2. Gregor. *ibid d*. 8. *q*. 11. Anton. And. 7. *Met* Franciſ. Lychet *in comment*. *d*. 3. *ſecundi ſent. Scoti ad q primam* Ioan. Angelic & Braſſavolus *in q*. 11. *univ eiuſdem* Maurit. *q*. 9. quæ eſt expoſitio *q*. 12. *Scoti* Tartaret. *ibid*. Trombet. 7. *Met*. *q*. 8. Ioan. de Magiſtris *in tract*. 2 *ſum. Hiſpan*. Franciſ. Mayron. 2 *d*. 3. Thom. Caet. *de ente & eſſentia* Capr. 3. *d*. 5. *q*. 3. Ægid. *q* 2. prologi Dur. 1. *d*. 3. *q*. 5. Sot. in Logicam *q*. 3 *univerſ*. &c. Ioan. Maior *tract. de accid*. *nu*. 1. Soncin. 12. *Met*. *q* 51. Franciſc. Suar *diſp*. 6. *Met*. Fonſec. 5 *Met*. c. 28. Gratia Deus *in proœm*. *Porphyr*. Hiphus 6. *Metaph. diſp*. 17. Iandun. 1. *de anim*. *q*. 8 Paverius *diſp*. 3 *Met* c 27. &c. Achillin. *in tract. de univ*. Zumel 1. *p q* 13. Araugo 6. *Met*. *q* 3. Sanchez. *lib*. 2. *logic*. Gallego *contr*. 19 Zimara *in annot. contra Iandun*. Burlæus *in Porphyr & diviſ*. 2. *Antepradic* Maſius *ſect*. 4. *de univer*. Paſqual. *diſp* 20. *Met*. &c. Raph. Aver. *in* *Logic*. *q*. 8 Flandria 1. *Met*. *q*. 13. Nic. de Orbellis *initio pradicab*. Conymb. *in praſ*. *Porph q* 8 &c. Zerbius 7. *Met*. *q* 17. Complut. *d*. 3 *de eſſ. univerſ*. Gonzal. 2. *par* Log *diſp*. 4. Poncius *d*. 3 Log. Maſtr. & Bellut. *diſp*. 4. Amic. *tract*. 4 *in Logic*. Petr. Hurt. *in* Log. *d*. 3. & *in* *Met d*. 5 Rod. Ariaga *in* Log *diſp*. 6. & *diſp* 9. Oved. Rub. Rodriq. Fuentes &c. *in Porphyr. paſſim*.

APOLO-

APOLOGIA II.
DE
GENERE PRIMO
PRÆDICABILI.

Actio I. Num Genus ſit definibile, nec ne?
Actio II. Vtrum definitio Generis à Porphyrio data ſufficiat.
Actio III. Quid ſit definitum in aſsignatâ Generis definitione.
Actio IV. Quomodo Genus prædicetur de individuo.
Actio V. Vtrum, & quomodo Genus requirat plures ſpecies.
Actio VI. Quomodo Genus prædicetur de inferioribus ſuis, ut pars ſcilicet an ut totum, & utrum in prædicatione retineat univerſalitatem.
Actio VII. Vtrum Genus eadem habitudine reſpiciat ſpeciem & individua, Item quomodo differat à differentia.

Scotus q. 15. Vniverſ. num. 4.

a *Dicendum ergo ad quæſtionem quod eſt vera definitio, quod ſic oſtenditur. Ratio univerſalis eſt* prædicari de pluribus *per Ariſtot. 1. Periherm. quum ergo in definitione generis ponatur prædicari de pluribus ponitur genus eius, poſtea ponitur* differentibus ſpecie, *& in* quid *quæ ſunt per ſe differentia generis. Probatio quia per ſe dividunt ſuperius ſcilicet prædicari de pluribus: ergo ſunt per ſe conſtitutiva inferioris, ad quod ſuperius per illa appropriatur &c.*

Idem ibid. q. 17. n. 2.

Ad primum argumentum dicitur quod genus in quantum genus non prædicatur de pluribus numero differentibus, niſi per accidens ſicut idem ſecundum extraneam rationem poteſt eſſe genus & ſpecies. Contra, in quantum aliquid prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, prædicatur de numero differentibus: ergo non extraneè. Antecedens patet, quia ad differre ſpecie, ſequitur differre numero, & conſequens prædicatur de antecedenti cum reduplicatione, ideo debet dici &c.

ACTIO PRIMA

Num Genus ſit diffinibile, nec ne?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Pars affirmativa probatur.*
2. *Obiectiones, An genus conſtet genere.*
3. *Aliæ duæ obiectiones, An genus ſit univocum omnibus generibus.*
4. *Vltima obiectio, An hæc quæſtio ſit propria generi.*

Ammonius Boetius Vilal pand. n. 1. quæſt. 5.
b Soncin. & Barlaam in c. de genere Niger q. 38. Vaſi. us in c. de genere ſe 1 q. 4. Rul. his 3.

1. NEgaverunt *a* plerique ex antiquis, (moti argumentis, quæ infra hic ſolvemus) quibus ego aggregandos cenſeo ex poſterioribus authoribus eos *b* qui reijciunt definitionem Generis à Porphyrio aſſignatam, nam ſi illa non ſit exacta definitio eius, ſanè nulla eſſe poterit, ſed reijciendi illi ſunt, &

Dicendum genus Logicum definibile, & diviſibile eſſe. Rationes hujus ſunt ſolutiones argumentorum. Interim utor iſtâ quæ eſt partim ad hominem. Genereitas eſt definibilis: ergo genus. Antecedens debet eſſe ipſorum, qui ideò negant definiri genus, quia eſt concretum, aut complexum, non verò quid ſimplex, conſequentiam probo, quia quod addit genus ſupra genereitatem nō impedit diſſinibilitatem eius: nam genus ſuprà genereitatem dicit ſolum ſubjectum aut concernentiā eius: at verò hanc concernentiam ſubjecti non impedire, quominus concernens ipſum ſit unum per ſe & definibile, inde patet, quia aliàs nullum individuum eſſet unum per ſe, quodlibet enim tale dicit naturam aliquam, & ulterius concernentiam ſubjecti: conſequens autem eſſe falſum patet vel maximè in Deo qui eſt individuus, & tamen ſummè unus; ſed non convincor hac inſtantia Dei; nam individualitas Dei, ſeu concernentia eius eſt aliquid intra eſſentiam eius, adeoque non probatur per ipſum, quod aliquid involvens naturam, & præterea ſubjectum ſit verè unum.

Melius

Digitized by Google

Melius probatur perſonis Divinis, & individuis creatis: nam perſonæ Divinæ concernunt, aut important aliquid ultra eſſentiam, & idipſum faciunt individua omnia creata, quæ tamen eſſe perfectè una inde patet, quia ponuntur rectâ lineâ in prædicamentis.

2 Obijcitur, Genus ad hoc ut definiretur deberet conſtare genere, non poteſt autem, ergo nec definiri, major inde patet quia ipſa definitio non eſt aliud quam aſſignatio generis & differentiæ. Minor autem in hunc modum probatur, quia nimirum ſi genus conſtaret genere, tum illud genus generis, aut eſſet genus ut ſic, aut aliud aliquod infra ipſum: neutrum autem dici poſſe ſic oſtenditur; nō quidem primum, quia tum idem per ſe diffiniretur, non ſecundum, quia genus per quod quidpiā definitur debet latius patere quam ipſum, quod autem eſt infra quidpiam non latius patet quam ipſum, ergo. Hæc & ſequens facilè redeunt in his Logicalibus, maximè verò in tractatu prædicabilium quæ invicem citò miſcentur. Reſpondeo autē negando minorem, ad probationem dico genus huius definiti ſine dubio eſſe aliquid ſupra ipſum, eſt enim univerſale ut ſic, quod utique latius patet, quam hoc determinatum univerſale ſcilicet genus & tunc ad rationem illam: quod nihil poſſit latius patere, quam genus ut ſic, dico non poſſe intentionem ullius generis latius patere quam intentio generis ut ſic, quia in illa una omnia genera includūtur: poſſe tamen naturam aliquam ſeu ſubſtratum latius patere, quam naturam generis ut ſic. Quo loco recolenda eſt doctrina illa Scoti citati ſupra a de ſecunda intentione ſumptâ ut *quid*, ſive ut res, & de eadem ſumpta ut modus, nam etiam intentiones aliquando conſiderandæ ſunt ut naturæ, aut res. Itaque intentio univerſalis ut ſic ſumpta ut quid, ſeu ut res, aut natura, latius patet quam intentio generis ut ſic. Intentio autem generis latius patet ſumpta vt modus, quia univerſale ut ſic eſt ſuperius eſſentiale, & proinde dictum in quid de genere. Genus autem vel potiús genereitas eſt forma quædam ſubjectabilis in univerſali ut ſic, & prædicabilis de eo per modum accidentis, quod cùm ſit aliquod vniverſale, cujus ſubijcibile eſt vniverſale ut ſic debet latius patere, quam vniverſale vt ſic. Dices, ſic ſolvo idem per ſimile, nam etiam accidens eſt quoddam univerſale ſeu determinatum, non minus quam genus; adeoque non poteſt latius patere quam univerſale vt ſic. Reſpondeo verum eſt in quid, falſum eſt in quale, non ergo repugnat aliquid latius patere alio quod eſt ei ſuperius, niſi in eo, in quo eſt *ei* ſuperius. At verò vniverſale ut ſic, non eſt ſuperius accidenti, aut generi niſi in quid. Non ergo implicamus nos contradictionem aut repugnantiam, quum dicimus genus, aut accidens eſſe ſupra univerſale vt ſic, niſi dicamus quod ſit ſuperius illi in quid ſeu eſſentialiter, quod non facimus

a ſup. Apol præc. Act 6, n. 2.

3. Obijcitur 2. Si genus eſſet diffinibile deberet eſſe ſpecies, hoc eſt falſum cùm genus ſit contrapoſitum ſpeciei, atque ita non poteſt incidere in ipſā, ſicut nec ſubſtantia ad propoſitum eſſe accidens, aut homo brutum: deinde deberet conſtare differentia: quæ etiam eſt ſpecies contrapoſita ipſi. atque adeo non poteſt componere ipſum. Ad hæc tamen & ſimilia omnia patet ex ſolutione præcedentis iiſdem enim terminis conſtat vel ſimiliter interſextis. Eſt ergo genus hoc ſpecies, ſed per accidens, & ſecundo intentionaliter ſumptum, non per ſe, nec primo intentionaliter ſumptum: ſeu, ut natura eſt: Conſtat differentia non ſecundo intentionaliter ſumpta niſi per accidens, & tanquam forma contingenter adveniente, ſive tanquam modo, non tanquam re.

Vltimo hoc obijcio: Genus ut definiri poſſet deberet eſſe quid vnivocum, non eſt autem: ergo, major conſtat, quia æquivocum non explicatur una definitione, ſed pluribus: Probo ergo minorē, quia invenitur ratio generis in iis quibus nihil poteſt eſſe univocum ſcilicet in ente reali, & rationis: ergo jam genus non poteſt eſſe aliquid unius rationis, ſed multorum, & proinde æquivocum: Confirmo, illa ratio generis in ente aliquo rationis, puta in univerſali ut ſic, aut eſt realis, aut rationis, ſi realis, non poteſt recipi in ſubjecto rationis, ſi rationis, ergo non eſt jam ejuſdem conditionis cum forma generis afficiente naturam aliquam realem. Reſpondeo negando minorem ſive genus non eſſe vnivocum. Ad probationem dico reperiri rationem generis in utroque ente, & quidem eiuſdem rationis, quia utrobique eſt ens rationis, nihil enim notius quam genus, & cætera Logicalia eſſe ſecundas intentiones, hoc eſt entia rationis. Reſpondeo 2. genus poſſe eſſe univocum omnibus, quamvis daretur vnum genus reale, alterum rationis. Quod ita explicari poteſt, vt quemadmodum non datur alia definitio relationis realis, & alia rationis, ſed una utriuſque, aut ſaltem relationis vt ſic abſtractæ ab utrâque, & una definitio principii complectitur principium quod eſt reale, & quod non eſt tale, ita ſimiliter &c.

Habeo tamen quod adhuc dicam contra ſecundam ſolutionem, & eſt hoc: nam quamvis forma generis, ubique ſit ejuſdem rationis, non tamen materia: nam hæc per omnia tranſit, & modo eſt ens reale, modo ens rationis: ergo adhuc genus ut ſic, non poteſt eſſe quid ejuſdem rationis: probatio conſequentiæ quia genus quum ſit concretum dicit eſſentialiter ſubjectum. Reſpondeo ſicut genus eſt vnum non obſtante incluſione ſubjecti, ut dixi in ſolutione primi argumenti, ita etiam eſt vnivocum licet illud ſit multiplex, & varium, quia nimirum non dicit, niſi ex obliquo ſubjectum, & per connotationem. Et verò mirum eſt authores negare definitionem generi, & concedere eam aliis, in quibus tamen redeunt eædem ferè difficultates nam hæc de concreto redit etiam in ſpecie: illa de compoſitione, quæ fuit prima objectio redit in differentia, nam definibile non ſolum debet conſtare genere, ſed etiam differentia adeo habenda eſt etiam differentia differentiæ &c. ut ſupra: propter quæ Amicus b hic negavit etiam univerſale vt ſic poſſe definiri conſequenter quidem, ſed falsò.

b ... Ami... 4 Leg. ... dub. ...

ACTIO

ACTIO SECVNDA

Vtrum Definitio Generis à Porphyrio data ſufficiat?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Perfectio definitionis Porphyrianæ.*
2. *Quid ſit definitionem aliquam eſſe per additamentum? Notatũ Scotiſta.*
3. *Notatus aliquis Recentior.*
4. *Quid ſit hic genus definiti? An idem poſſit eſſe differentia?*
5. *Quomodo accipiendum illud* differentibus ſpecie?
6. *Multitudo inferiorum, an variat ſpeciẽ ſuperius? Alius ſecundus ſenſus illius particulæ* in quid *aſsignatur, & defenditur.*
7. *Prima, & ſecunda obiectio contra definitionem in ſe.*
8. *Tertia Prædicabilitas quomodo aſſumatur vt quid eſſentiale?*
9. *Alia minuta conglobatè obiecta definitioni?*
10. *Expenditur alia definitio generu à Porphyrio tradita.*

1. LOquor de hac. a *Genus eſt quod de pluribus, & ſpecie differentibus in eo quod quid eſt prædicatur*: Et reſpondeo affirmativè cum Doctore, ac ſuis. Eſt certum in Peripatetica doctrina; ipſa enim definitio eſt Ariſtotelis, deſumpta ex 1. Topic. c. 4. & 5. Metap. 28.

Probari debet vnico argumento, oſtendendo genus, & differentiam eius. Eſt autem hic *prædicabile de pluribus* genus, *differentibus ſpecie in quid.* Differentia, nec quidquam præterea continet: adeoque eſt non ſolum eſſentialis, ſed exacta: Confirmo, quia illa diſtinguit genus ab omni alio: ab individuo per *prædicari de pluribus*: à ſpecie per *differentibus ſpecie*. à cæteris tribus per *in quid*

2. Vbi notare libet acumen quorundam c ex noſtris qui verentur concedere hanc definitionem eſſe abſolutè eſſentialem, & dicunt eam eſſe eſſentialem per additamentum, quia nimirum in eâ ponitur aliquid quod non eſt eſſentiale definito generi. Et ſi quæras quid tandem illud ſit; dicent eſſe ſpeciem, aut etiam *differentibus ſpecie*: quaſi verò definitio aliqua deſinat eſſe perfecta, eo quod in illa adhibeatur terminus aliquis, qui non prædicetur de definito, vel non ingrediatur conſtitutionem eius; aut hæc ſit definitio illa minoris notæ, ſive eſſentialis duntaxat per additamentum quum plurima dentur, quæ non poſſunt definiri niſi adhibendo aliqua eiuſmodi: imò forte, omnia ſint ſic tantum definibilia: nam Relatio & relativum, v. g. paternitas, & pater non poſſunt definiri niſi adhibendo aliqua, quæ ſunt extra eſſentiam ipſorum ſcilicet terminum, v. g. filium: imo etiam abſoluta ipſa talia ſunt, vt ſcientia, memoria &c. Dicent, propterea hæc ex iis eſſe quæ per additamentum definiuntur. Et ego ad hoc dico poſſe quidem hæc per additamentum definiri: at verò quod non poſſint aliter, & perfectè definiri nego, & oſtendo negandum: quia hæc, & ſimilia ſunt entia per ſe vnius ſimpliciter eſſentiæ, conſtant ſuis generibus, ac differentiis: vnde quæro vtrum ſaltem poſſint habere conceptum vnum in intellectu de ſe formatum; negari hoc non poteſt, cur enim alia non iſta; aut quomodo iſta omnia, etiam relationes ſunt entia perfectè prædicamentalia rectis lineis ſituata, ſi non ſint per ſe entia, & per ſe intelligibilia, aut definibilia;

Itaque tum definitio aliqua eſt eſſentialis per additamentum, quando aliquid vltra eſſentiam additur tanquam prædicatum definiti, vt ſi dicam homo eſt animal rationale mortale, *Mortale* ab antiquis additum, reddit definitionem per additamentum, quia apponit definito aliquid ei competens, præter eſſentiam, quæ antecedentibus partibus ſufficienter explicata eſt.

3. Sed & Recentium aliquis d animosè hic notavit illud *differentibus ſpecie*, in definitione generis accipiendum eſſe non de ſpecie formali, ſed de ſpecie materiali; quia, inquit, prædicari de pluribus differentibus ſpecie formali idem eſt, ac prædicari de pluribus contentis ſub genere; atque ita committeretur circulus quidam probando aliquid eſſe genus propterea quod prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, & rurſus hæc eſſe differentia ſpecie quia continentur ſub aliquo genere. Et quidem non defuit e qui oſtenderet hunc fruſtra ſibi plauditum de huius doctrinæ partu quum apud antiquos legatur. Ego timeo etiam eum deceptum in eâ aſſignandâ, idque pluries.

Primo quidem quia ſupponit aliqua differre poſſe ſpecie formali; ſeu ſecundo intentionaliter ſumptâ, quod eſt minus verum: ad hoc enim vt ita eſſet deberent dari plures ſpecie ſpecies, quod eſſe falſum iam vidimus; quia nimirum omnia illa quinque prædicabilia ſunt ſpecies infimæ, neque vlla dividitur in plures ſpecies, adeoque omnes ſpecies, ſicut genera omnia logica ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtinctæ.

Secundo, quia ſupponit vnicam tantum eſſe acceptionem ſpeciei formaliter, ſeu Logicè ſumptæ, cum ſint duæ; vna qua intelligitur vt prædicabilis, altera qua vt ſubiicibilis. Ex his autem ſola ſubiicibilis definitur per genus, & proinde ſola faceret circulum ſi genus definiretur per ipſam: prædicabilis enim cum non definiatur per genus ſed per individua, non facit circulum ſi capiatur etiam formaliter in terminis. Denique Porphyrius vnum ex his per alterum definivit, & ipſi Recentiores, ſi Thomiſtæ eſſe velint, tueri debent, aut hic non eſſe circulum, aut certè non eſſe vitioſum, cum vniverſaliter teneant relationem referri ad correlationem: ſed præſtat explicare definitionem, quod fiet ſolvendo difficultates aliquas, quæ oboriuntur tum contra ipſam in ſe, tum contra modum, quo à nobis expoſita eſt. Diximus genus huius definitionis eſſe *quod prædicatur de pluribus*, quod erat idem dicere, ac *vniverſale*, ſed contra hoc.

4. Obiici poteſt primo, quod id ſit expreſſè contra mentem Porphyrii, qui hoc poſuit tanquam differentiam generis, & dixit ipſum per hoc diſtingui ab individuo. Secundo ſic: Definitio eſt nugatoria, quia dicit idem bis: nam Ly *pluribus* dicitur, & in ſeipſo, & Ly *differentibus ſpecie*: cum

a cap. 2. Iſagog.
b Ariſt. D. Th. de de Ent. & Eſſent. Scot. q. 15. univerſ. Raderi in Vniv q. 3. a. 1. Maſt. Zanad. Conymb. hic 9.
c Roncius d 4 Log q. 2. Matrius ex Bellu d. 4 vniv. art. 2.
d Rod. Arriaga diſp. 7 Log. num 26.
e Maſtr. diſſ. 4. Log. q. 1.

Digitized by Google

cum clarum ſit differentia debere eſſe plura; ſed hæc nihil nocent: primum non, quia bene poteſt genus diſtinguere definitum ab alio aliquo: ſic homo definitur animal rationale & tamen per animal diſtinguitur homo à ligno. Id autem ideo fit quia in genere ſaltem proximo (cuiuſmodi eſt præcedens) includuntur differentiæ ſuperiores. Ad ſecundum dici poſſet huiuſmodi maculas aliquando eſſe neceſſarias in definitionibus vocalibus, quia ad exprimendam vnam rem opus eſt multis verbis, quæ ſubinde redeunt eadem: Reſpondeo etiam non malè poſitū eſſe ly pluribus licet includatur in ly differentibus, quia adhibendo illud, *pluribus*, ponitur genus, & differentia ſeorſim: alias autem non: nam ſi ad evitandum hanc repetitionem omitteretur illud *pluribus*, non relinqueretur genus aſſignandum quærenti ipſum: nam prædicari præciſè non eſt genus generis nec vllius vniverſalis, cum competat etiam individuo.

Diximus differentiam in hac definitione eſſe illud *differentibus ſpecie*, & per hoc genus diſtingui à ſpecie ſecundo prædicabili, contra quod

5. Obiici etiam poteſt quod multitudo inferiorum non ſufficiat ad diſtinctionem vniverſalium; neque etiam diſtinctio eorum: nam in primis genus ſupremum habet ſub ſe plures ſpecies, & magis diſtinctas etiam eſſentiali diſtinctione quam genus ſubalternum, & ſubalternum plures quam infimum: nec tamen hæc genera ſpecie diſtinguuntur non modo in ratione generis, ſed nec in ratione vniverſalis: ergo malè dictum eſt differentiam generis à ſpecie eſſe diſtinctionem ſpecificam inferiorum, vrgeo: genus ſubalternum prædicatur etiam de genere differentibus: genus infimum de differentibus ſolum ſpecie: Si ergo ſpecies diſtinguitur à genere per hoc, quod inferiora eius diſtinguantur tantum numero, inferiora vero generis etiam ſpecie, cur non dicetur genus ſubalternum diſtingui ab infimo quùm inferiora huius diſtinguantur ſola ſpecie, inferiora illius genere differant; Vrgetur iterum difficultas, quia differentia generica, & ſpecifica habent eandem diſtinctionem ſubiicibilium, quam habent genus, & ſpecies, & tamen illæ non faciunt duo prædicabilia; ſed hoc ſupra tetigi. Addo hic ex adverſo differentiam genericam, & proprium genericum habere eandem diſtinctionem ſubiicibilium: nam vtriuſque ſubiicibilia ſpecie diſtinguuntur, & tamen proprium genericum, & differentiæ ſunt diverſa ſpecie prædicabilia: ergo iam neque identitas, ſeu ſimilis natura inferiorum facit idem prædicabile, neque diſtinctio eorum diſtinguit ea. Hæc tamen vltima ratio eſt f alterius, & inſufficiens: ſtatim enim reſponderi poteſt, quod identitas inferiorum, ſeu eadem conditio eorum, faciat vniuſmodi prædicabilia, quando eſt idem modus prædicandi: At verò quando eſt diverſus modus prædicandi, eſſe diverſa prædicabilia: quantumvis enim ſint diverſa inferiora in genere, & ſpecie eſſe eundem modum prædicandi: in differentia generica, & proprio generico non item, quia differentia prædicatur in quale eſſentiale, proprium in accidentale.

f Maſtr. cit.

6. Itaque ad primum Reſpondeo multitudinem inferiorum præciſam non ſufficere ad faciendum diverſum vniverſale vt oſtendunt inſtantiæ ibi allatæ nego tamen conſequentiam, quod proinde malè aſſignata ſit illa differentia generis à ſpecie, ſcilicet *ſpecie differentibus*. Huius rationem [per quam ſolventur ſequentes confirmationes] aſſigno: quia nimirum ſenſus huius particulæ *differentibus ſpecie* eſt quod genus prædicetur in quid incompletè, quod veriſſimum eſt & bene ſpecificatur illis verbis *differentibus ſpecie* nam quia non poſſit eſſe vna quidditas eorum quæ differunt ſpecie, quidquid prædicatur de talibus in quid, neceſſariò prædicatur incompletè. Hinc patet ad primam confirmationem cur genus ſubalternum & ſupremum non ſint diverſa vniverſalia, ſicut genus & ſpecies? quia nimirum neutrum prædicatur in quid completè; ſed vtrumque incompletè; patet etiam ad ſecundum de differentiis, omnes enim quantumvis latè patentes ſunt eiuſdem rationis, quia omnes dicuntur in quale incompletè.

Hanc doctrinam veriſſimam reputo; ſed non auſim dicere, quod fuerit mens Porphyrii; qui potius exiſtimavit mente quod ſignificavit verbis; ſcilicet genus differre à ſpecie, per hoc quod habeat ſub ſe ſpecie differentia, quum ſpecies habeat ſolo numero differentia & ipſe in definitione eius aſſeruit, qui etiam dixit neceſſe fuiſſe in eorum rationibus, ſeu definitionibus vtrorumque rationibus vti, hoc eſt illa per ſe invicem definire; ſi autem iſte eſſet differentia eorum quæ aſſignata eſt in ſolutione, non foret id neceſſe: poſſet enim definiri genus ſine vlla memoria ſpeciei, dicendo quod ſit prædicabile de multis incompletè, & ſpecies prædicabilis de pluribus in quid completè, quomodo nulla eſt reciprocatio ipſorum hinc inde, propter quod exiſtimo intelligi poſſe differentiam generis à ſpecie, ſicut ſonat, vt ſcilicet diſtinguantur, eo quod genus habet ſub ſe inferiora adhuc communicabilia, & vniverſalia, ſpecies autem non, ſed ſola individua, quæ non ſunt vniverſalia.

Sed contra hoc duo faciunt: primum quod ſi ponatur ſpecies aliqua habere vnum tantum individuum, adhuc genus eius non deſineret eſſe genus eius, & tamen non haberet ſub ſe ſpeciem prædicabilem, aut vllum vniverſale: ergo iam differentia generis à ſpecie non ſtat in eo quod genus habeat ſub ſe vniverſale, ſpecies non, ſed ſingulare: demus enim non poſſe dari plures homines ſed ſolum Petrum; in eo caſu animal eſſet genus in definitione Petri, & tamen non haberet ſub ſe vniverſale; ſed vnum ſingulare: qui caſus magis vrgebit ſi ponamus ſolum animal rationale eſſe poſſibile huius autem plura individua, nam tunc animal eſſet genus; nec tamen haberet ſub ſe vniverſalia; ſed ſola ſingularia.

Secundum quod contra hoc facit, & viſum eſt inſolubile Averſæ, eſt quod ſi diſtinguantur per hoc præciſè iſta prædicabilia, tum differentia, ſeu prædicabile in quale dividenda erit in duo prædicabilia ſpecie diſtincta: nam inter differentias dantur aliquæ quæ prædicantur de ſpecie differentibus, & aliæ quæ de ſolo numero differentibus.

Ad primum horum infra dicam Apologia g ſequenti: vbi ex profeſſo res eſt tractanda ſufficiat hic dicere, quod ſupponat probabilitatem Thomiſticæ doctrinæ, quam ſupra oſtendimus eſſe improbabilem de natura Angelica vniverſali, quæ tamen nulla habeat individua inferiora. Ad ſecundum dico eo convinci, quod ſint

g Ibi.

ſine dubio melius diſtinguatur ſpecies à genere dicendo quod ſpecies prædicetur in quid complectè, ſive tanquam tota genus autem incompletè, & tanquam pars tantum eſſentiæ.

Quoniam autem dixi aliam illam explicationem ſuſtineri poſſe, & fuiſſe ad mentem Porphyrii, ſtando in ea, do diſparitatem inter genus, & differentiam quoad hoc, & eſt, quod genus habeat ſub ſe univerſalia aliqua verè, ac directè, & in ipſis ipſum genus ſit receptum, ac contractum: At vero differentia non ita; non enim differentia ſuperior contrahitur per inferiorem nec includitur in ipſa, quod ſuo a loco oſtendetur.

a Infra apolog. p. Aſſ. 5.

Cæterum quod non debeant Scotiſtæ uſque adeo repugnare huic explicationi, facilè ſuaderi poteſt, quia non multum differt ipſorum explicatio ab iſta, & in re ferè ſunt ſynonima quod genus habeat ſub ſe univerſale, & quod prædicetur completè & ut tota eſſentia rei: nam quod dicitur ſpeciem prædicari completè, non ideò verum eſt quaſi nihil ſit in ſubjecto præter ipſam, quum manifeſtè in individuis ſit differentia individualis præterea: ſed ideo verum eſt quia nihil communicabile, aut univerſale eſt ibi: atque ita denique redeunt illa duo in idem, dicere ſcilicet quod ſpecies prædicetur ut tota eſſentia, & dicere quod prædicetur tanquam ultimum univerſale ultra quod non detur aliud prædicatum communicabile licet detur prædicatum conſtitutivum ſed contra ſenſum Porphyrii, & ipſam in ſe definitionem.

Objectiones contra ipſam definitionem abſolutè.

7. Objicio adhuc: differentia cuiuslibet definiti debet in ipſo eſſe, non autem in aliquo externo: At verò hoc quod eſt differre ſpecie in ipſis ſpeciebus eſt, non verò in genere: ergò non benè ponitur hoc in definitione generis tanquam differentia eius. Reſpondeo non ſolum benè, ſed neceſſario poſitum eſſe, quia nimirum relatio quum ſpecificetur à ſuo termino, explicari debuit natura termini, ut intelligeretur natura relationis: non ergo differentia ſpecierum eſt differentia generis; ſed formalitas in ipſo genere reſultans ex tali natura ſpecierum, quæ ſunt terminus, & correlativum eius. Sic Phyſica definitur ſcientia corporum naturalium: Metaphyſica entis. Mathematica quantitatis, quum tamen conſtet corpora naturalia non eſſe intrinſeca Phyſicæ, multò minus eſſentialem differentiam eius, nec ens, aut quantitatem Metaphyſicæ, aut Mathematicæ differentias.

Objicitur Secundo Definitio bona debet dari per priorá, & notiora: hæc non eſt per priora: ergo nec bona: minor patet, quia data eſt per ſpeciem, quæ eſt etiam poſterior Genere. Reſpondeo hanc legem non poſſe ſervari in relativis definiendis: hæc enim neceſſario definire debent per non priora aliquando, & non notiora, ut patet in his correlativis quæ rationem cauſæ, aut principii habent. Scio aliquos velle evadere difficultatem hanc dicendo quod relativa definienda ſint per correlativa materialiter, aut fundamentaliter ſumpta, quomodo non neceſſaria illa ſunt poſteriora; ſed convincentur expreſsè inſtantia quam jam attuli de cauſa & effectu; nam effectus etiam quoad materiale eſt poſterior cauſa.

8. Objicio ergo 3. Hanc definitionem datam eſſe adhuc per poſterius ſcilicet per paſſionem, adeoque non per eſſentialia, quum paſſio ſit extra eſſentiam ſubiecti Ratio antecedentis patet, quia prædicari eſt paſſio tantum univerſalis ut ſic: adeoque tale prædicari, ſcilicet de ſpeciebus, erit paſſio talis univerſalis puta generis: Iam enim diximus eſſentiam univerſalis eſſe ineſſe, prædicari verò paſſionem: ergo.

Hoc argumentum nihil negotii faceſſit illis qui ponunt eſſentiam univerſalis ſitam eſſe in ipſo prædicari: noſtri autem qui oppoſitum verius tenent communiter reſpondent definitionem, & differentiam illam intelligi debere non de prædicabilitate formali, quæ eſt paſſio ſed de fundamentali, aut radicali, quæ eſt. Ineſſe, & eſſentia ipſa univerſalis ſed ſanè & ſi definitio data de prædicabilitate fundamentali ſit eſſentialis; tamen hæc definitio non poteſt eo titulo defendi, quod convincere videor hoc diſcurſu: fundamentum prædicabilitatis eſt ineſſe: Adeoque definitio data per prædicabilitatem fundamentalem debet dari per ineſſe, & verò qui voluit definire per ineſſe, cur omiſit ipſum ineſſe, & ſubſtituit loco eius quod non eſt ipſum abſolutè? Vrgeo amplius intentum: Perperam ego definirem hominem dicendo quod ſit animal riſibile, ſive potens ridere: etſi deinde profiterer me intelligere id de riſibilitate fundamentali: quia nimirū quamvis riſibilitas fundamentalis ſit eſſentialis homini ſcilicet ipſa rationalitas, tamen malè explicatur rationalitas dicendo quod ſit principium ridendi: ita hic. Itaque relicta hac, & aliis inventionibus noſtrorum: Reſpondeo definitionem eſſe datam per prædicabilitatem formalem: neque tamen hic definiri paſſionem, ſed eſſentiam; quia nimirum Porphyrius attendit hæc quinque potius ut prædicabilia, quam ut univerſalia ſunt, & differentiæ ſingularum apud ipſum ſunt differentiæ prædicabilis non univerſalis, ſcilicet prædicari taliter, & prædicari aliter.

Dices ſi ita ſit, adhuc definitionem non eſſe exactam; quia paſſio rei eſt quid incompletum non habens verum genus, ſicut nec differentia habet; quia non eſt perfectè eſſentia; ſed aliquid pullulans ab eſſentia. Propter hoc reſpondeo prædicabilitatem quæ hic definitur non eſſe eam quæ conſequitur naturam aliquam; ſed eſſe aliam ſecundam intentionem, quam ipſe definiens formavit habito illo fundamento in re: cur enim non potuit ille hoc ens rationis fabrefacere, ſicut alia fecit.

9. Objicio ultimo: Minus dicit hæc definitio quam deberet, quia genera aliqua prædicantur etiam de genere differentibus: præterea etiam genus prædicatur de numero differentibus, ut patet in iſta. Petrus eſt animal, & in hac: Hoc animal eſt animal, in qua habet modum ſpeciei & prædicatur tanquam tota eſſentia ſubjecti: Sed hæc levia ſunt, & falſum eſt aſſumptum à primo: nec ratio ſequens ſufficit probationi eius: tum quia illa genera quantumvis ſint genera reſpectu ſubjectorum ſibi; tamen reſpectu ſuperiorum, atque adeo reſpectu generis ſunt ſpecies. Tum quia quantumcunque differant inferiora generis, genus ſervat eundem modum prædicandi de ipſis ſcilicet incompletè. Ex quibus quiſque videre poteſt lapſum cuiuſdam Recentis, b qui genus ex Porphyrio ſic definit. *Quod de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid aptum eſt incomplete prædicari.* Nam iſta defi-

b Ariaga diſp. 7. Log. ſect. 1.

definitio neque Porphyrii, eſt neque bona: non Porphyrii, quia nuſquam apud illum leges illud *incompletè*, non bona, quia redundat; nam poſito ſemel *incomplete*, ſuperfluit illud *differentibus ſpecie*, & viceverſa.

10. Aliam tamen definitionem generis tradidit hic Porphyrius, quod ſcilicet genus *ſit id cui ſpecies ſupponitur*, quæ definitio mihi probari non poteſt. Cauſa; quia ſub genere collocatur aliquid quod non eſt ſpecies, ſcilicet differentia: ne addam individuum, de quo infra nec enim ſufficit ſi dicas cum multis differentia non ſupponi generi directè, ſed ex latere arboris: nam nec ſpecies ſupponitur à latere, atque ita adhuc differentia, & ſpecies ſunt partes, & determinandum fuit quis ex duobus modis competere ei debeat. Deinde etſi unus tantum eſſet modus ſubeſſendi generi, quũ ille ſit eſſentialis definito hic, debuit exprimi. Denique ſi licet ſubintelligere ly directè in hac definitione, licebit in alia definitione eiuſdem generis ſubintelligere ly *inquid* tum à paritate, tum quia revera idem ſignificatur utroque termino; idem enim eſt ſubjici directè, & prædicari in quid; & ideo genus prædicatur in quid ſubſtantive de ſpecie, quia ſpecies recta ei ſubjicitur. At vero ſi dematur inquid: quam præclara diffinitio relinquetur.

Alia culpa à priori huius definitionis eſt quod definiat relationem per terminare reſpectum correlativi; in quo duplex peccatum committitur: unum quidem quia illa terminatio non eſt ei eſſentialis, adeoque nec definitio data per ipſam. Ratio antecedentis (conſequentia enim patet) quia eſſentia relativi eſt ad aliud ſe habere, & cum non poſſit habere duas eſſentias, non erit ei eſſentiale quod aliud ſit ad ipſum. Alterum, quia hoc modo non explicat quidquam relativum, nam relativa non terminant mutuò ſuas relationes ut relativa ſunt, ſed per abſoluta fundamenta, ut in proprio loco Deo auſpice oſtendetur: quum ergo hæc definitio explicet hoc quod eſt terminare, non explicat quidquam relativum. Relicta ergo hac tanquam minus propria generis definitione proſequor alteram, & quarto.

* *
*

ACTIO TERTIA

Quid ſit definitum in aſſignata generis definitione.

BREVIARIUM.

Num. 1. *Ratio dubitandi.*
2. *Prædicatio ſignata, & exercita quid, & quæ.*
3. 5. & 6 *Reſolvo definiri naturam.*
4. *Rationes contra reſolutionem, pro ſecunda intentione.*
7. *Alia obiectio.*
8. *Inventio prædicationis ſignatæ qualis, & quanti facienda?*
9. *Novæ difficultates contra reſolutionem expediuntur.*

1. Quæſtio videri poteſt ridicula, & quæ in terminis ſuis contineat ſui ſolutionem: quid enim eſſet definitum in generis definitione niſi genus? Nihilominus locum habet dubitatio propterea quod in concreto, *Genus*, plura includuntur quorum ſingula, & omnia ſimul definiri poſſunt, ſcilicet intentio, natura, & concretum ex natura & intentione. Horum quodque ſuos authores, & fautores, atque etiam rationes ſatis prægnantes habet, ut veritatem ægrè diſcernas: tantum abeſt, ut quæſtio ridicula ſit, ſimilis illi qua quæreretur quis ſit pater filiorum Zebædei: non enim eſt ibi apex dubitandi de alio patre præter Zebedæum: At verò in caſu tituli plures ſunt quam optares; etſi revera neſciam cur Doctores quæſtionem hanc de genere ſpecialiter moveant, cum ſit omnibus univerſalibus, imò ferè omnibus concretis communis.

2. Præmitto notabile Doctoris qui q. 14. univ. diſtinguit de duplici prædicatione exercita & ſignata. Illa ſit in terminis Primæ intentionis, hæc in terminis ſecundæ: Et ly *eſt* in terminis primæ intentionis illud exercet, quod *prædicari* ſignificat in terminis ſecundæ. Ex quibus habetur quod nomina concreta ſecundæ intentionis reſpectu huius quod eſt prædicari ſupponant pro ſuis fundamentis, ſive ſuppoſitis reſpectu eſſe. Ex quo etiã, ſequitur, quod à prædicari ſignato ad prædicari exercitum, ſive ad eſſe, non tenet conſequentia in iiſdem terminis: Sed benè à prædicari ſignato in intentionibus ad eſſe in fundamentis, ſive in rebus ſic; genus prædicatur de ſpecie: ergo homo eſt animal; Differentia inter actum ſignatum & exercitum patet in multis. Per *non* enim exercetur, per *nego* ſignatur: per *eſt* exercetur; per verba *prædicatur*, *affirmatur*, aut *dicitur*, fit ſignatio. Hæc ille ibi, quæ nobis erunt uſui ad ſolvendam controverſiam de mente eius; non enim caret ambiguitate inter Scotiſtas, quibuſdam contendendibus naturam hic definiri, aliis præferentibus intentionem. Omittam quæ apud omnes leguntur, & unus ex alio deſcribit de excludendo aggregato: de ipſa intentione, & rectà ad punctum controverſum.

3. Dico definitum hic atque etiam in aliorum univerſalium definitionibus rationabiliter cenſeri poſſe ipſam naturam. Ita acervus authorum apud *Amicum* a hic, in quibus ex Scotiſtis eſt *Antonius Andreas*: Sed & *Scotus* à Soto adducitur, & id ipſum poſtea b Recentiores Scotiſtæ de mente eius tenuerunt. Solvam in primis incommoda huius: deinde ipſam in ſe ſuadebo.

4. Objici enim poteſt Scotus qui expreſſè contradicere videtur. q. 14 univerſal. abſolutè negans res definiri. Reſpondeo id veriſſimè à Doctore dictum ſuppoſitis principiis quæ ipſe

a Tract. 5. quæſt. 1. art. 3. Tollet. cap. de Com. Rub. ibid. quæſt. 2. ... univ. b Maſtr. ... lib. 1. Met. ... cap. ...

Tarth. Maſtr. Ro ... m. Bellut diſp. 1. Vn. 5.

ipſe ibi ingenioſè diſpoſuit, ſcilicet prædicari in definitione poſitum eſſe prædicari ſignatum, & intentionale: id enim certum eſt non rei, ſed intentioni convenire. At verò quoniam rationabile eſt prædicari illud eſſe exercitum, & ineſſe quod ſine dubio ſolis rebus convenit, ideo &c. hinc ſolves hoc quod

Obiicitur 2. Tale credendum eſt eſſe definitum, qualia ſunt definientia: definientia non ſunt realia; ſed intentionalia, ſcilicet prædicari, differre ſpecie, ergo nec definitum, vis huius in eo eſt, quod prædicata rationis non poſſunt eſſe eſſentialia enti reali; prædicata hic ſunt entia rationis; non ergo poterunt eſſe eſſentialia rei, aut naturæ; ſi autem non eſſentialia, certè non definitiva.

Reſpondeo primo: Non contendo nec in concluſione dixi naturam realem hic definiri, intellige ſolam, ac non potius aliquam: quæ comprehendat etiam intentionales naturas: nam etiam intentiones poſſunt eſſe genera pro materiali, & tale vidimus eſſe ipſum vniverſale, vt ſic. Reſpondeo ſecundò negando minorem; nam illud *quod*, & iterum illud *in quid* ſunt realia, [vt videbimus] Ad ea autem quæ in probationem huius adferuntur. Dico *prædicari* ſignatè, fortaſſis eſſe ens rationis: at verò oſtendendum fuit arguenti, quòd prædicari hic poſitum intelligendum ſit de ſignato, quod non fecit: à me autem fiet oppoſitum, ergo

Tertiò obiicitur. Hic definitur aliquid commune omnibus naturis: at verò non datur aliquid reale commune omnibus illis, & multò minùs datur aliquid tale commune omnibus tam realibus, quam intentionalibus naturis. Reſpondeo neque etiam dari intentionem, quæ ſit communis omnibus his, vt ad propoſitum faceret, quia ad rem hanc facit ſolum quod eſt commune eſſentiale, & in quid omnibus: at verò certum eſt quod nulla intentio ſit communis in quid, ſeu eſſentialiter intentionibus, & rebus; quæ etiam ſolutio repellit aggregatum ex intentione, & re. Diceret quis minorem eſſe falſam, quia ens eſt commune omnibus; ſed hoc eſt nihil dicere: Primo quia ſic iſta deberet eſſe definitio entis, quod eſt falſum. Secundò quia non ſufficit ne quidem ipſum ens; nam fortaſſis etiam ens eſt genus ſicut alia, adeoque quærendũ eſt aliquod ſupra ens, & alia; Ad ipſam autem difficultatem ſupra dixi in ſimili poſſe ſcilicet dari aliquid vtrique iſti commune, & tale eſſe rationem cauſæ, principii &c. quæ æqualiter invenies in ente reali, & rationis. Vnde in forma ad argumentum diſtinguo Minorem, non datur aliqua determinata natura concedo, aliqua tranſcendens nego. Reiectis ergo his tanquam offendiculis viæ.

5. Probo aſſertionem meam in primis de mente Porphyrii palam: hic enim poſt aſſignatam illam definitionem generis attulit in exemplum eius naturam, *vt animal.* Et ſanè analogiæ illæ de genere quas adducit ſatis ſuadent eum de naturis loqui: ita enim dicit genus Romanorum eſſe à Romulo & Athenienſium à Cecrope &c. ſed rationes plus faciunt.

Sunt autem iſtæ, quia quod prædicatur in quid eſt natura; quod ineſt eſt natura, ſola ipſa deſcendit ad inferiora: v.g. in hac: homo eſt animal: quæ eſt exercitium, & exemplum prædicationis genericæ, animal, ſive natura illa viventis, eſt quæ eſſentialiter competit homini; intentio autem non competit illi eo modo: ipſa natura eſt quæ ineſt homini tanquam conſtitutivum eius, genereitas autem, quæ eſt intentio, non modo non eſt eſſentialis homini, ſed nec accidentalis quidem, quia non deſcendit omnino ad ipſum: anne enim hæc vera ſunt: homo eſt genereitas; aut etiam homo eſt genus? Augeo rationes ex Porphyrio ſimul, & Scoto: ſecundum Scotum genereitas eſt *id quo* quidpiam prædicatur: atqui definitum hic ſecundum Porphyrium eſt *id quod* prædicatur: adeoque.

6. Probo adhuc amplius id ipſum ex illo *differentibus ſpecie*: hoc enim non poteſt accipi de aliquo intentionali: ergo nec definitio. Probo aſſumptum: ly *differentibus ſpecie*, idem eſt ac eſſentialiter differentibus: atqui nihil eſſentialiter differt vlla intentione: ergo. Vrgeo, ſenſus definitionis, vt ſupra, eſt quod genus prædicetur incompletè, atque ita tanquam pars cum alia comparte, quæ eſt differentia, ſed natura realis eſt quæ componitur cum differentia; nam intentio illa cum ſit in genere ſuo quid completum non poteſt cum alio componere; quæ ratio paulò clarior eſt in principiis Recentium ſocietatis, hi enim loco ſecundæ intentionis ponunt cognitionem, & dicunt per hanc formaliter fieri vniverſale; clarum eſt autem quod cognitio illa ſit in genere ſuo ens completum, quod illa non componat ſpeciem cum genere v. g. hominem cum animali &c. Deinde definitum hic debet habere ſub ſe ſpecies propter illud *ſpecie differentibus*; neque enim ſpecie differunt, niſi quæ ſpecies ſunt, at verò ſecunda intentio genereitatis non habet ſub ſe ſpecies, alioquin ipſa eſſet genus cuius oppoſitum ſupra diximus, vbi concluſimus omnia quinque vniverſalia eſſe ſpecies atomas vniverſalis vt ſic. Deinde notum eſt abſtractum non prædicari de concreto, nec vice verſa; ergo iam genereitas non eſt genus nec vice verſa. Conantur Scotiſtæ aliqua ex iſtis evadere diſtinctiunculis aliquot de prædicabili vt *quod*, & de prædicabili vt *quo*; item de prædicatione exercitâ, & de ſignatâ, ſed planè fruſtra, quod patebit applicando eas alicui argumento ex meis, & ſit primum illud. Quod prædicatur in quid eſt natura, definitum hic eſt quod prædicatur in quid; ergo definitum eſt natura, non enim valet diſtinguere de prædicabili vt *quod*, & vt *quo*, dicendo quod prædicabile vt quo ſit intentio & tale prædicabile ſit hic definitum, aut etiam dicere quod prædicabile prædicatione ſignata ſit hic definitum; & ſit ſecunda intentio: nam vt incipiam à reiectione ſecundi huius, prædicabilitas generis non eſt ſignata, ſed exercita, quod videor mihi ſic monſtrare: Prædicabilitas generis in actu primo eſt illa cuius actus ſecundus eſt iſta, homo eſt animal; ſed iſta eſt actus ſecundus exercitæ, non verò ſignatæ, ergo. Maior eſt Porphyrii, minor Scotiſtarum, & vt redeam ad refellendam priorem ſolutionem, falſum eſt genus eſſe prædicabile vt quo, non vt quod, aut certè non rectè definitum eſt à Porphyrio, hic enim manifeſtè ait genus eſſe *quod* prædicatur, non vero *quo* prædicatur.

Sed fac ita eſſe vt illi dicunt, & genus eſſe prædicabile hic vt *quo*, dico adhuc illos non viciſſe quod genus, aut definitum hic ſit intentio, quia nimirum intentio non eſt prædicabile;

vt quo; nempe prædicabile vt quo eſt ratio formalis cur aliquid ſit prædicabile : at verè intentio, non eſt ratio formalis, cur natura aliqua ſit prædicabilis in quid : non enim vlla ſecunda intentio, aut vllum ens rationis, ſeu factum ab intellectu eſt cauſa cur homo ſit eſſentialiter animal; ſed cauſa eſt ipſa natura hominis quæ talis eſt.

In quibus habes reiectum aliud diverticulum adverſariorum : ſolent enim dicere per hæc noſtra argumenta probari quod intentio pura, aut abſtracta hic non definiatur, definiri tamen intentionem in concreto : ſed hæc ſunt verba tantum; nam vt hoc in re verum eſſet; deberet intentio eſſe cauſa cur totum quod hic dicitur conveniat naturæ : nam quia in hac : album eſt diſgregativum viſus; quia inquam hic definitur albedo ipſa in concreto, proinde albedo ipſa eſt cauſa cur totum hoc verificetur de ſubiecto; nam in ligno albo v. g. tota ratio diſgregandi viſum eſt albedo. Atqui falſum eſt totam rationem cur ea quæ ponuntur in hac definitione conveniant alicui naturæ eſſe ſecundam aliquam intentionem, aut ens rationis, vt iam oſtendi: ergo. Et per hoc patet ad aliud quod

7. Obiiciunt adhuc ſic; quando definitur concretum explicatur, quod eſt formale in ipſo, non vero quod materiale, vt patet in illa definitione albi : ibi enim explicatur natura albedinis, non autem ſubiecti : ergo ſimiliter hic explicatur genereitas. Reſpondeo, concedo totum; ſed nego intentum eorum, concedo explicari genereitatem; ſive id per quod quidpiam eſt potens in eſſe eſſentialiter rebus; ſed nego hoc eſſe ſecundam vllam intentionem.

Dices neceſſe eſt fateantur ſecundam intentionem hoc præſtare ſaltem partialiter nam licet aliquid inſit alicui eſſentialiter independenter ab omni operatione intellectus, tamen nihil idem ineſt plur bus independenter ab omni actione intellectus. At vero genus non eſt quid aptum ineſſe alicui eſſentialiter vtcunque ſed eſt quid aptum ineſſe pluribus eſſentialiter, propter hoc. Dicendum eſt definiri hic intentionem partialiter, ſed vt quo : nec tamen retractanda eſt præcedens concluſio, quia definitum hic non eſt id quo aliquid eſt in pluribus : ſed quod eſt in eis. Addere poſſumus in gratiam Scotiſtarum, quod intelligendo terminos definitionis de prædicatione ſignata definitum hic ſit ipſa intentio : probatio huius iam poſita eſt in explicatione huiuſmodi prædicationis, & multò amplius in obiectionibus factis contra naturam, quas etiam confirmabunt aliæ infra ſtatim addendæ.

8. Si tamen liceret hic abſolutam ſententiam ferre ſalva authoritate priorum, dicerem inventionem hanc prædicationis ſignatæ ingenioſam magis eſſe, quam neceſſariam, aut veram. Moveor quia (vt iam ſupra innui) author prædicabilium non videtur quidquam de eâ cogitaſſe, vt videor mihi ibidem probaſſe. Deinde quia prædicatio ſignata (quam verius diceres ſignantem) eſt tantum ſignum prædicationis exercitæ : ſcimus autem nihil vnum vnivocè dici de ſigno, & ſignato : non enim homo vnivocè dicitur de vero, & picto, aut albedo de colore, & de hac voce, vel ſcriptura, albedo? Quod etiam magis propriè in hac ipſa materia patet, nam dicere genus prædicari de ſpecie, vel etiam animal de homine, hoc inquam non eſt prædicare genus aliquod, aut animal de homine, ſed eſt affirmare prædicabilitatem de genere puta animali. Itaque hæc diſtinctio prædicationis exercitæ, & ſignatæ eſt inventum Doctoris iam tum adoleſcentis, nam deinde maturior in ſententiis ſive Oxonienſibus, ſive Reportatis vix aut ne vix vnquam poſtea illius meminit. Vnde ſtandum eſt in eó quod ex vtraque concluſione colligitur ſcilicet diffinitum hic eſſe naturam, ſed vt ſubſtat intentioni non quaſi intentioni competat definitio primò, & ratione eius naturæ (vt imaginantur adverſarii) quemadmodum eſſe diſgregativum viſus competit primo albedini, & ratione eius ſubiecto; ſed potius ſicut homo iuſtus dicitur amicus, & gratus Deo, quum tamen juſtitia non ſit amica, neque Deus amicus juſtitiæ, aut gratiæ, ſed hominis habentis eam propter ipſam. Ita hic definitio generis competit naturæ non intentioni licet competat naturæ propter intentionem ſaltem partialiter.

9. Habeo tamen adhuc aliquas difficultates contra naturam in hoc negotio. Prima eſt, quod hic definitur aliquid commune omnibus generibus, at vero non datur aliqua natura realis communis omnibus talibus, & multò minus datur aliqua communis omnibus omnino tam realibus, quam rationis; datur autem intentio aliqua omnibus intentionibus communis, ergo cenſenda eſt potius ipſa definiri. Secunda, quod determinare & definire de naturis rerum pertinet ad alias ſcientias; certum eſt autem quod hæc definitio ſpectat ad Logicam, ergo hæc non eſt tradita de natura, ſed de intentione. Vrgetur quia primæ intentiones non niſi per accidens ad Logicam ſpectant, atq; ita hæc definitio per accidens convenit naturæ, non poteſt autem per accidens tantum convenire ſuo definito, ergo iam definitum non eſt natura.

Sed ad primũ horum negavi aſſumptum, & dixi dari etiam naturam generis vt ſic, ſicut datur natura cauſæ vt ſic: ereliquit ergo arguens, quod probandum erat. Ad ſecundum etiam dico aſſumptum verum eſſe de naturis realibus : at verò iam dixi naturam generis ex ſe non eſſe realem, magis quam rationis.

Sed poteſt contra hanc ſolutionem redire argumentum ſic : Hæc definitio certiſſimè ſpectat ad Logicam præ aliis ſcientiis, natura autem illa abſtracta non ſpectat; ergo definitum hic non eſt natura illa abſtracta. Aliter ergo diſtinguo aſſumptum illud. Determinare de naturis realibus abſolutè non ſpectat ad Logicam concedo : determinare de illis vt ſubſunt ſecundis intentionibus nego; ſed fortaſſis omnium optimè reſponderetur per doctrinam ſupra traditam de obiecto Logicæ, quod dixi ſuo loco, defendi poſſe eſſe abſolutè reale & ſaltem ſuſtineri poſſe ſine figmentis ſecundarum intentionum.

ACTIO QVARTA

Quomodo Genus Prædicetur de Individuis?

BREVIARIVM.

Num.1. *Indiuidua in duplici differentia.*

2. *Genus etiam reſpectu indiuiduorum genus eſt.*

3. *Mediatè prædicatur de indiuiduis completis.*

4. *Dici poteſt quod etiam immediatè de illis prædicetur.*

5. *Alia dua probationes huius.*

6. *Obiectio: ſupremum, & infimum prædicamenti quam remota.*

7. *Indiuidua incompleta reſpiciunt genus tanquam ſpeciem.*

8. *Obiectio ſoluta: Quomodo vna ſingularitas afficiat omnes gradus rei?*

1. VTrum ſcilicet immediatè ſicut de ſpecie prædicetur, an tantum mediante ipſa ſpecie? ad quod præmitto duplicis generis individua aliqua ſunt completa, illa ſcilicet quæ ſpeciem participant v. g. Petrus Paulus, quæ non ſolum animal ſupponunt & continent, ſed etiam hominem. Alia ſunt, & dicuntur incompleta, illa ſcilicet quæ immediatè contrahunt genus ſine interpoſita differentia ſpecifica, per ipſam differentiam numericam proximè. Talia ſunt, *hoc animal*, *illud corpus*, *illa ſubſtantia*, & ſimilia, quæ in rebus dari videtur demonſtratum experientiâ Petri à longe venientis, in quo ante rationem ſpecificam hominis concipimus, gradum animalis, & ante hunc, gradum corporis &c. vltimo aut vltimam ipſam individuationem Petri, qui eſt ſingulare ſpeciei & completum, atque adeo dantur ſingularia generum immediata. Et hic eſt communis authorum ſenſus de hiſce individuis. Prætetea etiam communiter reſpondent ad titulum diſtinguendo. Concedunt genus immediate prædicari de individuis illis genericis & incompletis: at vero da completis individuis negant ipſum prædicari niſi mediante ſpecie verb. gr. Volunt animal non poſſe prædicari proximè de Petro ſed à longe medio homine; Hoc autem ipſum accipiendum eſt de authoribus anterioribus; Nam Recentiores, qui præciſiones formales ſequuntur, tenentur dicere genus immediatè prædicari de quocunque individuo quantumvis completo, vt notavit etiam *a* aliquis ipſorum, quia nimirum, quum ipſi ponant ſpeciem nihil aliud eſſe quam collectionem individuorum, quandoquidem ponant ſine dubio genus de ſpecie immediatè prædicari poſſe, neceſſario ponere debent ipſum ſimiliter de individuis prædicari. Dici poteſt eos proinde debere aſſerere quod genus prædicetur immediatè de tota collectione individuorum, non autem de ſingulis; ſed quoniam illi intelligunt individua diſiunctivè ſumpta facere vniverſale, nec requiri copulationem aut ſimultatem eorum, clarum eſt quod ſecundum ipſos prædicetur genus de vno individuo immediatè, quia vnum individuum eſt omnia diſiunctive ſumpta; nam v g. Petrus eſt Petrus vel Andreas.

a Hurté p.4. de ...

2. Dico ergo primo, Genus prædicatur de individuis completis & ſpecificis prædicatione generis. Ratio eſt quia prædicatur de illis in quid completè, id eſt tanquam pars eſſentiæ eorum, non tanquam tota, iſte autem eſt modus prædicandi Generis, vt viſum eſt, ergo. Atque hæc aſſertio egregiè concordat cum Porphyrio, qui nominatim inquit *Genus prædicari* non de ſpeciebus differentibus, ſed de *ſpecie differentibus*, quo modo loquendi individua complexus eſt tanquam inferiora vera generis, nam duo individua diverſæ naturæ, humanæ & equinæ, v.g. Petrus, & Bucephalus ſunt differentia ſpecie atque adeo inferiora generis vt genus eſt.

Auicenna Hurtad.d. 4.sect 5. Maſtr.& Bellut.diſp 5.vniverſ. art.3.

Dices primo aſſumi falſum in probatione, nã genus non prædicatur vt pars ſed vt totum: Reſpondeo primo ſi ita ſit, genus prædicari de individuis vt totum, atque adeo per modum generis. Reſpondeo ſecundo genus prædicari per modum totius ſed potentialis non actualis.

3. Dico ſecundo de individuis completis prædicatur Genus mediatè, mediantè ſcilicet ſpecie: eſt dicere, animal de Petro dicitur non proximè ſed medio homine. Ita *b* communis cum Doctore.

b Albert. Tract.4. prædicab. Maſius ſect. 2. Conimb. hic. quæſt. 1. Fuent.diſp. ficul.3.q.7.

Rationes breviter ſunt iſtæ; prima, quia non datur tranſitus ab extremo in extremum niſi per medium; genus & individuum ſunt extrema, quorum medium eſt ſpecies, adeoque genus non coniungitur individuo niſi mediante ſpecie. Secunda quia prius deſcendit genus in ſpeciem, quã in individuum, idq; prioritate naturæ & indiſpenſabili adeoque non poteſt deſcendere ad individuum, niſi deſcendat ad ſpeciem: Antecedens oſtendo. Prius enim eſt id à quo non convertitur ſubſiſtendi conſequentia; atque à ſpecie ad individuum non ſubſiſtit conſequentia, nec enim valet, eſt homo, ergo Petrus; ſed tamen è contra, ergo prius deſcendit animal in hominem quam in Petrum.

Tertia eſt quaſi confirmatio huius, nam ſi negetur Petrum eſſe animal, bene probatur per hoc quod Petrus ſit homo, atque hæc probatio cenſetur à priori, adeoque prius eſt hominem eſſe quam animal. Sed revera mirum videri poteſt hanc vltimam probationem cenſeri à priori, quum ipſum animal prius ſit quam homo. Tenendum tamen eſt illam eſſe à priori quia nec eſt à poſteriori, nec à concomitante, non enim oritur ex animali humanitas, neque eſt ſimul naturâ cum ipſo, adeoque conſequentia ducta ab homine ad animal eſt à priori. Et ad rationem in oppoſitum dic, quod licet animal ſecundum ſe ſit prius homine, tamen in Petro prius eſt Homo quam animal. Cuius etiam ratio in promptu eſt, quia nimirum oppoſitus eſt ordo incipientibus ab vniverſalioribus, & cum iſtâ viâ prius ſit genus quam ſpecies, aliâ illâ prior debet eſſe ſpecies.

Dici tamen adhuc poteſt hanc probation à deſtruere ſeipſã, nã aut conſequentia illa eſt à priori aut nõ; quidquid dicetur faciet contra probationẽ: ſi enim non eſt à priori non iuuat quidquam

hic,

hic, tum enim poſt Petreitatem non ſtatim intrat ſpecies, puta humanitas, ante animalitatem vt vult arguens. Si autem eſt à priori iterum non iuuat, quia non tenet ſive non ſubſiſtit, ita enim Lex dictat quod à prioribus naturâ non tenet ſubſiſtendi conſequentia. Reſpondeo conſequentiam eſſe à priori vt iam explicui, & proinde iuuare. Dico denide regulam illam Dialecticam certiſſimam eſſe, ſed intelligendam de rebus connaturaliter diſpoſitis, quomodo ſunt quando vniverſaliora primo diſponuntur, tum minus vniverſalia, vt fit in arbore prædicamentali cuius contrarium hic vides contingere adeoque

Contra primam etiam probationem obiici poteſt: Si diſcurſus ille valeret, fore vt genus etiam de individuis incompletis mediatè prædicaretur, atque ita non ſit, ergo nec iſta ratio convincit quod de vllo individuo mediate tantum prædicetur. Sequela maioris oſtenditur nam genus & individuum incompletum ſunt extrema ſive maximè diſtantia, v. g. ſubſtantia quæ eſt generaliſſimum & proinde ſupremum, in illo prædicamento, & hæc ſubſtantia, quæ cùm ſit ſingularis nihil poteſt habere infra ſe adeoque eſt infima. At vero ſupremum & infimum debent habere medium. Reſpondeo nondum determinavi genus dici immediatè de individuis incompletis. Cauſa eſt, quia inter individua completa, & genus datur reverà medium, inter incompleta & ipſum genus non datur, propter quod genus & individuum incompletum non ſunt propriè extrema, quia nimirum nihil illis mediat, nec ſunt ſupremum & infimum, ſed potius ſupernum & infernum, hoc eſt ſupra & infra abſolutè loquendo, non tamen comparative aut ſumme, quia in illorum ſerie non dantur alia quæ ſint ſupra & infra, quod tamen neceſſarium foret ad hoc vt illa eſſent ſummè talia. Atque hæc ſufficiunt probationibus defendendis, & probationes concluſioni, quam magis fundatam & probabilem video ſaltem ex authoritate. Quia tamen Scotus non abſolutè affirmavit genus de individuis mediate prædicari, ſed tantum ait id poſſe dici.

c Ruu. cap. de ſp. q. 5. Onied. Cont. 4. Log. Hurt. diſp. 4. Log. Sec. 5. Sanch. q. 5. 6. Prædicab. Ariag. diſp. 7 Log.

4. Dico iterum defendi poſſe genus etiam immediate de individuis prædicari. Hæc eſt problematica reſponſio Doct. cit. placuit Recentioribus c aliquo. ſed nō placent eorū probationes.

Aliquis ſic conatur eam oſtendere, quia inquit hæ prædicationes ſecundum omnes ſunt immediatæ, homo eſt animal, Leo eſt animal, & tamen in aliqua ex his prædicatur aliquid inexiſtens obiecto mediâ aliquâ ſpecie, nam inter Leonem & animal ſine dubio mediat aliud genus intermedium iumenti, quadrupedis, aut ſimilis quod genus eſt etiam ſpecies, & licet non eſſet, tamen difficultas non deſinit vt vides ita ille; ſed ego nego illi hanc, Leo eſt animal, eſſe immediatam, propter rationem in argumento allatam, & probo aliter intentam ex prima concluſione ſic.

Quando prædicatur genus de individuo completo v. g. animal de Petro, prædicatur adhuc prædicatione generis id eſt tanquam partialis non verò totalis eſſentia eius quod ſupra oſtendi & exinde ſic arguo in propoſito, ergo prædicatur animal genericum de Petro, probo hanc conſequentiam quia animal phyſicū contractum per rationale non eſt incompleta aut partialis eſſentia Petri, ſed totalis.

Dicere potes, totum eſſe verum, at non ſatis, prædicatur enim animal genericum de Petro ſed mediate, ſcilicet mediante ſpecie quæ eſt homo, nā & inde probari poteſt quod Petrus ſit animal, adeoque mediat homo inter Petrum & animal vt ſupra. Audio ſed contra hunc diſcurſum habeo, quod quando infertur Petrum eſſe animal, ex eo quod ſit homo, tunc inquam aut infertur idem ex ſemetipſo, aut unum ex alio: ſi primum conſequentia nulla eſt vt vides, & adhuc ſequitur intentum nam quùm animal illud illatum ſit animal genericum, etiam animal id ex quo infertur etiā genericum, atque ita animal genericum prædicatur immediatè de Petro. Si autem hic infertur aliud ex alio ergo datur aliud & aliud animal in Petro, atque ita ipſe eſt bis animal, quod ſine dubio abſurdum eſt. Nam inde ſequitur illum eſſe ter vivens quater corpus, ſæpius ſubſtantiam, quæ omnia paradoxa ſunt, nec vitari poſſe videntur niſi negando illum diſcurſum qui tamen fuit probatio arguentis & præcedentis concluſionis

5. Probo ſecundo idipſum; definitio ſpeciei prædicatur immediatè de individuo, ergo & genus. Conſequentia videtur valere, quia in definitione cuiuslibet ponuntur genus & differentia eius. Antecedens fortè negabunt illi qui volunt prædicationem ipſius ſpeciei mediate, ſed non valde prudenter, nam quamvis in arbore prædicamentali inter genus & individuum interponatur ſpecies, nunquam tamen viſum aut auditum eſt inter genus & ſpeciem interponi definitionem ſpeciei, ſaltem Porphyrius id non facit, atque adeo ſi aliud non obſtet, concedendum eſt apud ipſum genus immediatè dici de individuo. Rectius recentior quidam negavit conſequentiam quia tunc prædicatur genus contractum (caſus enim eſt in hac propoſitione: Petrus eſt animal rationale:) ſcilicet animal affectum rationalitate, quo caſu animal contrahitur per rationalitatem quæ eſt differentia, atque hinc ipſum dicitur contractiva, ſed ſupra oſtendi vniverſalia nō amittere vniverſalitatem in prædicatione, alioquin enim nunquam eſſent vniverſalia quando enim? Vide ſi placet dicenda infra Act. 6. 15. Deinde quando prædicatur genus remotum cum proxima differentia de individuo, vt hic: Petrus eſt ſubſtantia rationalis, non prædicatur tunc ſpecies atoma, quia genus remotum non poteſt componere proxime ſpeciem atomam, & evidens eſt cæteris paribus latius patere ſubſtantiam quam animal, ergo aliquid communius, atqui nihil communius eſt ſpecie niſi genus ergo.

Probo denique concluſionem inde, quia ſaltem ſpecies immediatè ſubiicitur generi ſecundum Adverſarios meos, atqui ſic non ſubiiceretur, ergo Minorem oſtendo, quia hæc prædicatio animal eſt homo, non eſt immediata, quod ſi ita ſit, certe nec hæc erit immediata: Homo eſt animal, eſt enim eadem extremorum vicinia, ſicut eadē eſt diſtantia Athenis Thebas, & Thebis Athenas. Scio vnam eſſe indirectam, aliam formalem, & regulatam; ſed hoc nihil facit ad immediationem oſtendo iam Aſſumptum, quod hæc, animal eſt homo non ſit immediata, quia ſcilicet mediat hæc, animal eſt rationale, nam eſſe rationale eſt cauſa animali cur ſit homo, & poteſt à priori probari per rationale quod animal ſit homo modo illo Adverſariorum. Confirmo: Animal rationale eſt prius quam homo (hinc enim aſſumitur ab Adverſariis tanquam medium à priori) ergo & rationale. Probatur

ſequela

ſequela quia ſine eo totum non eſſet prius cum ipſum ſit aliquid totius. Alias probationes huius apud Recentiores cit. legendas omitto.

6. Obiicies: Si genus v.g. animal prædicaretur immediatè de individuo Petro, ſequeretur etiam vivens immediatè dici de eodem, nam quâ ratione inter Petrum & animal non mediat homo, nec etiam inter vivens & hominem mediat animal quod ſi ita ſit, etiam corpus & ſubſtantia immediatè de eodem dicentur, immo etiam Ens. Atque ita ſupremum & infimum immediatè copulantur quod nos ſupradiximus non currere de individuis incompletis, currere autem & abſurdiſſimum eſſe in individuis completis, ergo Reſpondeo, tenendo probabilitatem huius partis, idem dicendum eſſe quantum ad hoc de vtroque individuo tam completo quã incompleto, ſcilicet non eſſe extrema & medium in omni rigore vt ſupra. Ex quo ſolutum manet primum fundamentum oppoſitæ concluſionis. Ad alia duo quæ fere recidunt in idem vt ibi, Reſpondeo non nimis mihi probari eiuſmodi probationes: eſt animal rationale, ergo homo; vel eſt animal rationale, ergo animal; quia ſcilicet in illis vix vnum infertur ex alio, eò quod vix ſit vnum & aliud, quid enim eſt aliud homo quam animal rationale? & in ſecunda illa, licet aliquid addatur præter animal in antecedenti: tamen illud additũ ſcilicet *rationale* non eſt principium conſequentis, aut medium ex quo inferatur, nam rationale non eſt cauſa hominis cur ſit animal, quia rationale non includit animal, ſicut neque ulla differentia ſuum genus: tum quia ſic irrationale eſſet cauſa Leoni eſſendi animal quod eſt impoſſibile, quia idem proveniret non ſolum à diverſis principiis, ſed etiam ab oppoſitis, & quaſi contradictoriis. Atque hæc dicta ſint problematicè, & quaſi velitando, non omnino ex animi ſententia, quam necdum muto: de individuis incompletis.

7. Dico 3. Illa in rebus non dari, ſed nec poſſe. At verò vt per intellectum concipiuntur & ſubiiciuntur generi, cenſeo tunc genus de illis dici non generis prædicatione, ſed ſpeciei. Pro hac citatur D. 1. d. 3. q. 6. ſed immeritò; habet tamen ipſam vltimam partem quæ huc ſpectat, *a* alibi D. *Th. opuſ.* 55. & vtriuſque diſcipuli *b* cum ipſis.

a 1. *d.* 8. *q.* 2. *& d.* 43 *q.* 1.
b Scot. & Bellut. diſp 5. *q.* 1. *Sanches. q.* 56. *prædicam. Polanc. diſp.* 1. *ſect.* 6. *Hurtad. diſp.* 4. *Log.* 4.

Prima pars probatur, primo quia genus eſſentialiter reſpicit ſpeciem, tanquam correlativum ergo indiſpenſabilis eſt ordo ſive coniunctio generis ad ſpeciem, adeoque non poteſt dari in individuo quin detur in ſpecies, conſequentia probatur, quia ordo eſſentialis non poteſt inverti, hinc enim nõ poteſt dari dominus ſine ſervo, nec pater ſine prole. Secundo ſic: Gradus rerum ſic ſe invicem afficiunt & ſequuntur ſicut in arbore videmus per ordinem magis & minus communis, ſed ibi patet inter genus & individuum mediare ſpeciem ergo. Vis huius magis patebit aſſumendo ipſos gradus vniverſales, ex quibus non poſſunt participari duo extrema relicto medio v. g. ratio viventis & hominis relicto animali, ergo ſimiliter nec ratio animalis & Petri relicta ratione hominis.

Et totum clariſſimè patet hac confirmatione, non enim poſſibile eſt dari aut poni in eſſe per vllius potentiam ens quod non ſit finitum nec infinitum, ſubſtantia quæ non ſit ſpiritualis aut materialis, & ſimilia, adeoque neceſſario interponitur differentia ſpecifica inter genus & numeralem: Et quidem hæc pars videtur poſita extra controverſiam. Altera autem quæ eſt quaſi ſuppoſitum quoddam, quod ſcilicet non erret intellectus addendo immediatè genus differentiæ numericæ vt dicendo, *hoc animal*, ſic oſtendi poteſt, quia revera genus ſingularizatur per illam differentiam numericam, & non ſolum ſpecies, adeoque meritò poteſt denominari ab ipſa, Explico me, poſſum dicere parietem album, & vinum dulce & ſimilia, & tamen neq. albedo ineſt ſubſtantiæ parietis ſed quantitati immediatè, neque dulcedo ſimiliter vino. Imo deficit ſimilitudo, & dicit minus, quia qualitates non afficiunt ſubſtantiam reali immediatione, at vero individualitas realiter individuat etiam gradus genericos, nam non ſolum animal eſt individuatum, quia homo eſt ſed immediatè ſe ipſo. Explico ergo opportunius rem metaphyſico exemplo in terminis propoſitis, nam genera diſpoſita recto trunco prædicamenti, puta vivens animal &c. Sunt ſemetipſis entia, & non ſolum ſubſtantia eſt ens, & alia ratione ſubſtantiæ duntaxat, ergo ſimiliter genera illa ſunt individuata, & non ſola ſpecies. Non enim eſt ratio cur vna extremitas afficiat media omnia alia autem non Ens autem eſt extremum ſupra individuum ſubtus, ergo. Atque ita ſicut poſſum diſputare de hoc concreto *ſubſtantia animata* cur non poſſem de alio illo *hæc ſubſtantia*, & quærere an quando de illo prædicatur ipſum genus ſubſtantiæ prædicetur prædicatione generis? Ad hoc autem, quæ fuit vltima pars concluſionis oſtendo reſpondendum eſſe negativè vt ibi, hoc eſt, has prædicationes *Hæc ſubſtantia eſt ſic ſubſtantia: illud animal eſt animal*, eſſe ſecundi prædicabilis ſcilicet ſpeciei non generis, quod eſt primum prædicabile, ſic autem arguo: ſecundum prædicabile prædicat totam eſſentiam ſubjecti, primum prædicabile non item, ſed aliquid ſeu partem ſolam illius; in hac prædicatione *hæc ſubſtantia eſt ſubſtantia*, prædicatum dicit totam eſſentiam ſubjecti, & non tantum partem eius, ergo prædicatio eſt ſecundi prædicabilis ſeu ſpeciei, non primi; Minorem probo Maior enim eſt ipſa definitio horum prædicabilium ac prædicationum) à ſimili, in hac Petrus eſt homo, prædicatum dicit totam eſſentiam ſubjecti, & proinde prædicatio eſt ſecundi prædicabilis quia ſcilicet nihil eſt in Petro niſi ſola humanitas præter ſingularitatem quæ non cenſetur eſſentialis vt dixi, ergo jam in hujuſmodi prædicationibus prædicatum dicit totam eſſentiam ſubjecti. Hic diſcurſus validus eſt, nihilominus contra ipſum

8. Obiicio *Hoc animal* demonſtrato Petro æquivalet Petro, adeoque idem eſt dicere hoc animal eſt animal, ac dicere Petrus eſt animal, ſed hæc Petrus eſt animal; eſt prædicatio generis nõ ſpeciei, ergo & hæc, hoc animal eſt animal. Reſponderi poteſt in re quidem idem eſſe vtrumq; tamen intellectũ poſſe explicare ſingularitatẽ immediatè ipſi generi relictâ differentiâ ſpecificâ; ſive poſſe vti ſingularitate ut afficit genus non vtendo eâ vt afficit ſpeciem. Hæc eſt huius vulgata ſolutio, ſed contra ipſam facit vna ratio, ae quam præmitto, non quamlibet ſingularitatem cuilibet individuando ſufficere; nam ſi poneretur ſingularitas alicuius equi in humanitate non eſt credibile quod efficiat nobis Petrum; quo ſuppoſito, arguo ſic. Quodlibet individuabile determinat ſibi ſingularitatem ex diſcurſu iam facto quodlibet genus eſt individuabile ergo quodlibet

libet genus determinat ſibi propriam ſingularitatem atque ita non ſufficit ſingularitas ſpeciei ad individuandum ipſum genus adeoque nec Petreitas unde duo illa non ſunt ſynonima, unum videtur ſuper eſſe quod reſpondeatur ad hoc, ſcilicet illam eandem ſingularitatem ſingularizare genera & ſpeciem, ſed aliter; genera ſecundum rationem genericam ſingularitatis, ſpeciem ſecundum ultimam rationem: At contra hoc facit vehementer Metaphyſica illa noſtrorum, qua probant nō dari rationem genericam individui, nec poſſe ab intellectu concipi individuum ut ſic, quo ſuppoſito vides ruere ſolutionem. Reſpondeo ergo ad replicam, unam eſſe ſingularitatem qua omnes illi gradus ſingularizantur, ſed æquè primò & inſimul. quia nimirum taliter attemperata eſt ut ſolis his gradibus poſſit ſervire; atque ita nec quælibet ſingularitas quibuslibet ſufficit, nec eſt opus invenire rationē ſpecificam & genericam in ſingularitate de quo plura expectanda ſunt loco citato.

ACTIO QUINTA.

VTRVM ET QVOMODO GENVS REquirat plures ſpecies?

Num. 1. *Duplex ſenſus tituli explicatur.*
2. *Opus eſſe individuis pluribus, & non tantum pluribus ſpeciebus ad genus.*
3. *Fundamentum oppoſitæ partis diſſolvitur.*
4. *Quid ſit eſſe eſſentiale?*
5. *Miſcetur argumentum Theologicum.*
6. *Opus eſt generi pluribus ſpeciebus, & non tantum pluribus individuis eiuſdem ſpeciei.*
7. *Fundamentum oppoſiti; ſolutum.*
8. *Aliud fundamentum eiuſdem Diſcrimen inter differentiam, & formam phyſicam.*

DVos caſus in præſētia examinandos ſuſcipio, eo libentius quod alterum eorum non video à multis hactenus tractatum. Sunt autem iſti caſus: Vnus An ad genus requirantur abſolute plures ſpecies, nec ſufficiant plura individua unius ſpeciei? V.g. Vtrum animal eſſet genus, caſu quo alia animalia præter hominem non forent poſſibilia, dummodo ipſius hominis poſſibilia aut exiſtentia forent plura individua, puta Petrus Paulus &c. Alter ſenſus & caſus & iſte. Si ſupponamus genus habere aliquot ſpecies aut quaſi ſpecies, ſed ſingulas pluribus incommunicabiles, an inquam natura illa his ſpeciebus communis foret verè genus; V.g ſi ſupponamus ſub animali dari hominem & Leonem at vero ſub homine non poſſe eſſe niſi ūnum Petrum, nec ſub Leone ullum niſi unicum item qui pro nunc vocetur Pardus, an inquā tūc animal foret verè & integrè genus necne? quod eſt aliis terminis quærere an ſpecies, quæ ad genus requiruntur debeant eſſe ulterius communicabiles? quem caſum in primis reſolvam, Vtpote minus ab aliis ante diſcuſſum. Reſpondit tamen ad huc nuper nec malè aliquis *a* noſtratum: & tenuit in hoc caſu adhuc animal fore genus, quod quidem reputo probabile. Quia tamen D. caſum non tetigit (eo quod illius tempore non fuerit forte excogitatus) poſſum quovis ire; Et ut habeat quo nitatur qui contrarium elegerit.

a Ponciús quæſt. 3. de Gen.

2. Dico *b* & probo in eo caſu animal non fore vere & integrè genus, ſive (univerſalioribus terminis) opus eſſe ad conſtituendum genus ut ſpecies ipſi ſuppoſitæ ſint ulterius communicabiles multis, quod intelligo de ſingulis, non tantum de pluribus conjunctis, ſcilicet opus eſſe, ut ſub ſingulis ſpeciebus dentur plura individua.

b Fr. Ovi. Controv 4. punct. 2. Averſ. 9. 10 Log ſect. 4.

Moveor quia in eo caſu duo individua duarum ſpecierum non haberent aliam eſſentiam niſi eam quæ eſt utrique eorum communis: eſt dicere, in exemplis poſitis, quod Petrus & Pardus haberent eandem eſſentiam totaliter, quæ eſt animal, atque adeo animal reſpectu eorum prædicaretur in quid complete: hæc autem eſt prædicatio ſpeciei non generis ergo animal hinc non eſſet genus. Confirmatur quia debet contrahi per differētias ſpecificas in illis individuis nō contrahetur animal per differentias ſpecificas ergo animal in illis non eſſet genus. Major argumenti & minor confirmationis probanda ſunt, exinde enim totum pendet: Probo autem ambas ſic quia in eo rerum ſtatu ſine cauſa diſtingueretur rationalitas Petri V.g. à Petreitate eius, adeoque rationalitas cenſenda eſſet Petreitas ſcimus autem quod Petreitas non eſt Petro eſſentialis, ergo nec rationalitas tunc eſſet. Major huius diſcurſus probatur ex medio quo collecta eſt aliquorū diſtinctio, aut multiplicatio, quæ fuit ſeparatio eorum, ex eo enim quod viderunt Philoſophi rationem animalis in aliquo in quo non viderunt gradum rationalitatis, collegerunt illam eſſe alium ab hoc, & è contra ſimiliter quia viderunt rationale V.g. inveniri in aliquo præter quodcunque aſſignabile determinatum individuum hominis, judicarunt rationale non eſſe aliquid proprium viri individuo hominis ſed quid commune omnibus. Atqui in eo ſtatu non eſſet hoc fundamentū, non enim videretur rationale niſi in uno individuo, ergo non poſſet judicari de eo aliter niſi quod oriretur ex differentia numerica eius, aut eſſet ipſa. Huc etiam pertinet cōmune principium, quod non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate; nulla autem tunc eſſet non modo neceſſitas ſed nec poſſibilitas quidem multiplicandi differentias in Petro ſpecificam & numericam, ſive diſtinguendi rationale à Petreitate ergo cenſendæ eſſent per omnia unum. Duces non diſtinguerentur realiter, ſed ratione adſummum, aut formaliter. Contra nec de facto aliter diſtinguuntur, tum autem minus deberent diſtingui, adeoque ne ratione quidem. Eſt tamen hic aliquis ſcrupulus quem.

3. Objicias ſic: Petrus in eo caſu diſtingueretur pluſquam numero à Pardo, ergo haberet aliam differentiam quam numericam. Patet conſequentia nec enim numerica niſi numero diſtinguit.

guit. Antecedẽs autem probatur quia plus diſtingueretur in eo caſu à Pardo quã modo diſtinguitur à Paulo, non autem diſtingueretur ab eo per animal. (in hoc enim conveniunt,) ergo. Et quid clarius quam Petrum in tali caſu fore rationalem Pardum non, ſed vegetativum aut ſenſitivum? Ita illi ſed fruſtra, do enim totum, non nego ego tunc fore rationalitatem in Petro; ſed nego diſtinguendam à Petreitate: ſi autem non diſtinguatur, dicit mihi ille cur rationalitas tunc eſſet de eſſentia Petri, & Petreitas modo non ſit? Certe ad cõſtitutionem Petri tam concurrit Petreitas quam humanitas, & tam implicat intelligere Petrum ſine Petreitate quam ſine rationalitate, aut animalitate neque quidquã aſſignari poteſt in cauſam cur non ponatur eſſe eſſentialis niſi quia nõ eſt communicabilis. Si ergo rationalitas tum nõ eſſet communicabilis, non eſſet dicenda eſſentialis. Confirmatur ex communi ſenſu omnium, quia ſoli Deo proprium eſt quod eſſentia eius ſis de ſe *hæc* omnes fatentur, ergo jam in creatis non poterit aliquid eſſe de ſe hoc & eſſe eſſentiale; rationalitas tunc eſſet de ſe *hæc* ergo non eſſentialis

a Cūſp. 4. Log. q. 1. 4. Vnde apparet quam parum proficit *P. Pontius* a arguendo ſic: Ratio ſubſtantiæ ſpiritualis infinitæ eſt eſſentialis Deo & tamen eſt incommunicabilis ergo poteſt aliquid incommunicabile eſſe eſſentiale: nos enim non ſolum aliquid incommunicabile concedimus eſſe eſſentiale Deo, ſed etiam ipſam incommunicabilitatem. At quærit ille cur poſſit aliquid incommunicabile eſſe Deo eſſentiale, creaturæ vero non? Et dicit hoc gratis dici. Miror ſane ipſum hoc mirari nam (ne deſcendam altius) conſtat divinam naturam eſſe multiplicabilem de ſe, non autem per aliquod adjectum aut extra poſitum quorum neutrum creaturæ convenit. Inſtat ille; in eo caſu animal prædicaretur de duobus illis Petro & Pardo ut verum univerſale, non ut ullum ex quatuor ultimis, adeoque ut primum. Antecedens de duobus ultimis probetur, quia illa non dicuntur eſſentialiter; Animal etiam tunc non diceretur in quale adeoque non eſſe differentia quæ eſt tertium. Denique non eſſet tota eſſentia eorum adeoq; non ſpecies. Reſpondeo ultimum hoc jam eſſe negatum, & verè negandum: eſſet ergo tunc animal tota eſſentia iſtorum duorum quia eſſet totum cõmunicabile: alioquin enim dicere cogeretur hominem de facto non prædicari ut totã eſſentiam de Petro, non enim eſt abſolute totum quod in eo eſt ſed totum communicabile duntaxat. Sed aſsignat ipſe rationem diſparitatis, & dicit Petreitatem non eſſe eſſentialem, at non ideo quia incommunicabilis eſt, ſed quia non eſt principium ullius operationis egredientis ab habente ipſam; tale enim eſt omne eſſentiale. Quam doctrinã ego abſolute non damno, ſed (quod cœpi,) impugno ſic. Datur aliquid quod eſt principium operationis & tamen non eſt eſſentiale, ergo non eſt metienda eſſentialitas per hoc quod eſt eſſe principium operationis: patet conſequentia; Antecedens autem oſtendo inſtantia perſonalitatis divinæ V. g. paternitatis, quæ ſine dubio eſt principium ſaltem partiale actionis, ſcilicet generativæ (non enim ſola eſſentia aut intellectus,) nec poteſt dici eſſe conditio tantum, alioquin enim eſſentia aut intellectus dici poſſet generare; ſicut dicitur ignis ignem generare, licet requiratur præter ipſum conditio. Si ergo paternitas divina V. g. eſt principium operationis nec tamen eſt eſſentialis (alioquint res perſonæ non eſſent unius eſſentiæ,) quid cenſendum eſt niſi quod hoc quod eſt principiare actionem aut paſſionem non facit aliquid eſſe habenti eſſentiali, ſed potius hoc quod eſt eſſe communicabile, quod quia non convenit paternitati, illa non eſt eſſentialis, licet ſit principiũ operationis.

5. Video hic tergiverſari poſſe, & proinde proſequor argumentum: aut paternitas divina eſt principium operationis, aut non eſt: Si ſit, jam tergiverſari non poteſt ille ſed currit toto impetu argumentum. Si non ſit, tum ſic arguo: Si paternitas divina eſſet communis tribus, certe diceretur eſſentialis (hæc enim eſt nota eſſentialium in divinis) ergo non requiritur nec ſufficit ad hoc ut aliquid ſit eſſentiale quod ſit principium operationum. Vrgeo adhuc. Principium individuationis ſecundum ipſum non eſt principium operandi, & tamen in divinis principium individuationis eſſentiale ergo non eſſe principium operationis aut paſſionis non impedit aliquod prædicatũ eſſe eſt eſſentiale. Ex his vides quid cenſendum ſit de ſubſtantia ſpirituali ſuppoſita ſententia Thomiſtarum quod ſpiritus non ſint multiplicabiles, numero intra eandem ſpeciem, tum enim neceſſario judicandum eſt quod ſpiritus ſeu ſubſtantia ſpiritualis completa non ſit nec poſſit eſſe genus, atque ita natura angelica non eſt generica ſi ſingulæ ſpecies poſſint tantum habere ſingula individua ſubſe. Quid autem de hoc ipſo ſuppoſito cenſendum ſit, ſeu an ulla natura poſſit eſſe ſpecies cum uno ſolo individuo, ſuo loco dicetur. Hunc ad alterum caſum ex propoſitis.

6. Dico etiam negative, ſcilicet quod ſi natura aliqua, puta animal, haberet tantummodo unicam ſpeciem ſubſe, puta hominem, etſi ſpecies illa haberet plurima individua V. g. Petrum, Paulum, Andream; adhuc naturam animal non futuram genus. Hanc hoc modo & ſolvit D. *q. 18 prædicab.* & cum illo ſui *b* omnes, alii etiam majori numero. Probatur univerſale, enim non eſt niſi quod ſubſe habet plura, ergo nec tali univerſale niſi quod habet ſub ſe plura ſubjicibilia talia, ſcilicet propria illi univerſali. At qui ſubjicibilia generis ſunt ſpecies, (hunc enim definitur per ipſum,) ergo ubi non ſunt plures ſpecies neque genus erit. Nec juvat ſi dicas ſubjicibilia per quæ diffinitur genus non eſſe ſpecies ſed differentia ſpecie, nam hic nec ſpecies, nec differentia ſpecie ſunt, num enim Petrus differt ſpecie ab Andrea & alias non poſſunt dari differentia ſpecie, niſi ubi dantur ſpecies, nam differrent ab eò quod non eſt. Probo iterum minorem illam argumenti: Genus eſt ſpeciei ſubjicibilis correlativum, ergo ſpecies ſubjicibilis eſt generis correlativum probo antecedens hoc: Aliquod univerſale ex quinque vulgatis debet eſſe ſpeciei correlativum, non aliud quam genus ergo. Minorem hanc probo quia ſpecies non ſubjicitur in quid niſi generi, ergo ſpecies habet pro correlativo genus, & genus ſpeciem, intellige in ratione ſpeciei formaliter, ergo denique debentur generi plures ſpecies. Dices forte deberi ei multitudinem ſpecificam: at verò hanc haberi per multiplicationem alicuius ſpeciei in individua. Sed contra; Hoc eſt multiplicari individua non ſpeciem, alioquin dicam etiam ſpeciem prædicari de multis differentibus ſpecie. Contra iterum aptius: correlatio generis ſecundo intentionaliter eſt relatio ſeu ſecunda intentio ſpeciei, ſed in iſtis non multiplicatur hæc intentio ſed tantum intentio individui ergo. Hanc veritatem inſinuavit ſæpe Philophus 4 Top. 1. *Si ſpecies prædicatur de æqualibus cum genere interi-*

b *Ioan. Angelic. q. 5 prædicab. Scot. Lovaniſ. p. 4 Logic. Comp. ... 1 ſp. 6 q. 2. Tollet. q. .. e ſpec. Rubig. 94. in cap. 5. de ſpec.*

mitur quod ponitur pro genere & cap 3. *ſi non contingat alteram ſpeciem. Sic dicti generis, manifeſtum quoniam omne non erit genus* & cap. 4. *ſi deſtructa ſpecie deſtruitur & genus male aſſignatur genus.*

7. Objicies tamen : Adhoc ut quidpiam ſit genus ſufficit ut prædicetur de pluribus differentibus ſpecie in quid, cuius ſenſus, ut vidimus, eſt quod prædicetur in quid incompletè, atqui genus unius ſpeciei ſic prædicaretur de individuis V. g. animal de Petro & Paulo ergo negari non poteſt quin ſit genus. Minor in qua eſt vis probatur quia animal non eſſet tota eſſentia Petri & Pauli tunc, quandoquidem haberent præterea rationale ergo. Et confirmatur quia Petrus & Paulus eſſent eiuſdem eſſentiæ tunc cuius nunc ſunt, (quid enim eorum refert quod dentur à parte rei Leones, aut alia puta.) nunc autem animal non eſt tota eſſentia eorum eſtque genus reſpectu eorum, ergo tunc eſſet. Reſpondeo negando minorem primo & deinde probationem eius. Haberent tunc Petrus & Paulus rationalitatem ſed illa non eſſet diſtincta ab animalitate tunc quin potius coiret in unam completam differentiam cum ipſa, ſicut riſibile & flebile faciunt unam adæquatam paſſionē vel quemadmodū eſſe viſivum, auditivum &c. conſtituunt unam adæquatam differentiam ſenſitivi. Ad confirmationem patet hinc, potes enim dicere ſive Petrum & Paulum fore tunc eiuſdem eſſentiæ cuius nunc ſunt, ſive diverſæ ; quidquid autem ſit de eo an illi eſſent eiuſdem eſſentiæ, certum eſt quod ipſa eſſentia non eſſet eiuſdem communitatis, tunc enim rationale æque latè pateret ac animal, nunc verò minus latè patet.

8. Objicies, poteſt dari materia determinata ad unam dumtaxat formam, ergo & genus determinatum ad unam tantum ſpeciem, ſeu rectius ad unam differentiam ſpecificam. Antecedens videtur in facto, talis enim eſt de facto materia cœli, ſcilicet determinata ad unam illam formam, non potens alias elementorum aut mixtorum admittere. Conſequentia autem valet, quia genus aſſimilatur materiæ, differentia formæ. Reſpondeo inprimis hanc cœleſtem Philoſophiam mihi non uſque adeo probari, dicam enim ſuo loco materiā cœli eſſe aut ſimilem aut parem noſtrati. Hic autem opportunius reſpondeo dato antecedenti, conſequentiam eſſe negandam : Cauſa eſt quia in hoc aſſimilatur genus materiæ quod utrumque ſit receptivum plurium, adeoque quando deſineret materia eſſe indeterminata ad plures, deſineret eſſe ſimilis generatione materiæ, adhuc illa conveniret in aliquo cum genere, aut non conveniret; ſi conveniret, tunc ob illud commune in quo convenirent, poſſet (quod dicunt) genus deſumi à materia & aſſimilari ipſi, ſi non, tum ſolutio data valet undique nec patitur exceptionem neganda enim eſt conſequentia & ſimilitudo utriuſque.

ACTIO SEXTA.

QVOMODO GENVS PRÆDICETVR DE INFERIORIBUS ſuis, ut pars ſcilicet; an vero ut totum? & utrum in prædicatione retineat Vniverſalitatem?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Diverſæ conſiderationes generis.*
2. *Genus prædicatur ut totū non vt pars tantum.*
3. 4. *Obiectio : Quid ſit prædicari ut totum potentiale.*
5. *Genus etiam in actuali prædicatione retinet Vniverſalitatem.*
6. *Genus poſt contractionem manet indifferens ad plura.*

1. DVpliciter enim intelligi poteſt Genus ſe habere ad ſpeciem, vel vt pars, vel ut totum : Vt pars quidem quatenus cum differentia componit pſam, vt totum quatenus habet inferiora tanquam partes ſubjectivas ſui, quarum ſingulas excedit, licet ab omnibus ſimul æquetur, planè ſicut totum integrale majus eſt vno dimidio ſui, duobus autem æquale. Sed hæc acceptio totius non eſt quæ facit ad propoſitum huius loci ſed potius alia quæ genus dicitur totum, non reſpectu omnium ſpecierum; ſed reſpectu vnius, quatenus ſcilicet dicit in confuſo totum quod in illa ſpecie eſt, ſcilicet non ſeipſum ſolum ſed etiam differentiam, licet non diſtinctè.

2. Dicendum eſt hoc modo genus prædicari ſcilicet vt totum potentiale, non autem vt partem. a Sic dixit Subtilis q. 16. un. & probavit quia pars non prædicatur de toto ex 4. Top. vbi etiam habetur *eos peccare, qui dicunt partē eſſe genus* quod intelligendum eſt in prædicatione, nam certum eſt quod in conſtitutione ſit pars, ergo ſint inſtantiæ falſo dicam homo eſt animal, vel lignum eſt materia; non aliunde niſi quia prædicat hic ſunt partes, ergo; ſed magis evidentes inſtantiæ huius ſunt mathematicæ v. g. Arithmeticæ, aut Geometricæ; clarum eſt enim mentiri eum qui ait vnitas eſt dualitas, ſemipalmus eſt palmus, vel, ſi transferam rem ad ſpacium ſive loci ſive temporis ſic; falsò dicam, id quod duravit ſemi hora duravit hora; quod abeſt medio milliari, abeſt milliari, non aliunde niſi quia affirmo totum de parte. Dices convertentes harum eſſe veras, verè enim dicam, quod duravit hora duravit media hora, hoc autem facit argumentum eſſe in oppoſitum, nam quando prædicationes partium de toto ſunt falſæ, falſæ etiam ſunt prædicationes totius de partibus, ergo jam in his & ſimilibus, prædicationes partium de toto ſunt veræ, quia veræ ſunt prædicationes totius de partibus, vt vidiſti. Reſpondeo convertentes etiam eſſe falſas in ſenſu quo prædicant totum de parte, falſum enim eſt quidquam duratione horaria duraſſe mediam horam, aliàs hora coextenderetur tota mediæ horæ, quod eſt falſum,

a Cart. de Ene. & b... Soto un. q. 1. 7. ar. 1. Sua. disp. 15. Met. ſec. 11. Ma. Comp. Rot

Digitized by Google

falſum : ergo. Reſpondeo jam ad propoſitum & dico partem non prædicari verè de toto, quia veritas prædicationis fundatur in identitate prædicati & ſubiecti; at verò nulla pars identificatur toti, cuius ratio eſt illa jam tacta, quia quod identificatur alicui coextenditur quodammodo ei, at verò nulla pars coextenditur toti, ergo

3. Obiici tamen poteſt ratio dubitandi; Genus non poteſt prædicari verè niſi quo modo verè eſt, ſed verè eſt tantum pars. Item aliter ſic; Genus prædicatur in quid incompletè, ergo vt pars nam totum non eſt incompletum, aliàs non eſſet totum, ergo. Confirmatur, ſi enim diceret totum, non differret à ſpecie quæ in eo præcisè diſtinguitur à genere, quod hoc dicatur ad modum totius, illud non ſed ad modum partis Reſpondeo non ſufficere ad veritatem prædicationis vt dicatur id quod verè eſt, niſi etiam dicatur modo quo poſſit importari veritas, aut cauſa veritatis eius. Nam in re id quod eſt realiter animalitas eſt realiter, id eſt quod rationalitas, tamẽ iſta eſt falſa, animalitas eſt rationalitas. Negari ergo poteſt primo major, & iterum minor; nam etiam Genus eſt totum potentiale ac non tantum pars actualis. Ex quo patet ad Confirmationem, quia ſpecies prædicatur, vt totum actuale, Genus tantum vt totum potentiale.

Sed difficultas eſt in explicanda quid ſit eſſe totum potentiale: Communis explicatio in qua ſiſtunt Scotiſtæ nunc dierum eſt quod genus prædicetur per modum totius potentialis quia in concreto ſumptum dicit ſubjectũ, atque adeo totum, Vnde ſenſus huius *homo eſt animal eſt iſte homo eſt habens animalitatem*. Et quia habens animalitatem eſt totus homo, verè dicitur homo eſt animal, quæ reſponſio videtur placuiſſe Doctori q. 16. Vniverſal., vbi per ipſam ſalvat abſurdum iam poſitum. De Doctoris mente in fine dicam, in primis autem de ipſa in ſe reſponſione dico eam non videri ſufficientem, quia ſi ſenſus huius *homo eſt animal* ſit quod habens humanitatem ſit animal, tunc non erit propriè prædicatio generis de ſpecie ſed generis de ſuppoſito, Nam habens propriè eſt ſuppoſitum 2. quia ſi ſic explicandum ſit Ly homo ſcilicet habens humanitatem, Ly animal ſic erit explicandum vt ſenſus ſit; habens humanitatem eſt habens animalitatem, atque ita prædicabitur ſubjectum de ſe ipſo. Tertiò quia ſi iſte ſit ſenſus propoſitionis, tunc animal non prædicatur vt genus, aut non vt quid, vel vt ſubſiſtens, ſed in *quale*, ſicut dicitur album eſſe quod habet albedinem, quo caſu certũ eſt albedinem prædicari in quale: Denique hæc propoſitio: homo eſt Deus, eſſet tam eſſentialis quam iſta, Verbum eſt Genus; ratio, quia ſenſus vtriuſque eſt idem quod habens humanitatem eſt Deus. Imo hæc, verbum eſt Deus, eſſet falſa, non enim poſſet exponi per habens quia nihil eſt quod habeat perſonam aut perſonalitatam Verbi quam ipſa ſit vltimus actus. Denique non eſt mala ratio illa, quod ſi animal ſit idem ac habens animalitatem, etiam homo erit idem quod habens humanitatem & Deus erit idem ac habens deitatem, quod eſt falſum, aliàs eſſent plures Dii ſunt enim plures, & quidem tres habentes deitatem nec quidquam contra eam facit reſponſio quorundam ex noſtris quod ſcilicet non ſint plures Dii quia ad multiplicationem concreti ſubſtantialis non ſufficit multiplicatio ſuppoſiti, ſed opus eſt multiplicatione etiam formæ, adeoque ad multiplicandum hoc concretum Deus oporteret multiplicari deitates quod non fit: Hoc inquam non nocet, nam hæc doctrina eſt quidem veriſſima, ſed impertinens, & propterea non poteſt defendi cum alia ſuperiori de exponendis concretis per ly habens. Primũ oſtendo quia hoc concretum, habens Deitatem, non eſt ſubſtantiale ſed accidentale, quia habitio, cum importet vnionem, habet accidentalem ſignificationem: Propter quod *habens ſpirationem activam*, eſt concretum accidentale aut quaſi accidentale in divinis, licet ipſa ſpiratio ſit in entitate ſua ſubſtantiæ: Dixi etiam non poſſe defendi hanc doctrinam cum alia illa, quia non poteſt conſiſtere quod idem ſit Deus ac habens Deitatem, niſi ſint tres Dii ſi ſint tres habentes deitatem, eoque ad ſuſtinendum quod non ſint tres Dii debet negari idem eſſe Deus ac habens deitatem.

4. Itaque exiſtimo animal & econtra genera ſignificare non ſuppoſita aut habentia naturas vel formas, ſed ipſas naturas ſubſtantive & ſubſiſtenter: ſenſus huius *homo eſt animal* poſſit intelligi eſſe iſte homo eſt animalitas ſubſiſtens, licet his verbis non aptè explicetur, quia non poteſt abſtractum rectè prædicari de concreto. Ex quo habetur aliqua ſatisfactio ad quæſitum illud de toto potentiali quid ſit, & quomodo inuet genus vt ſe ſolo prædicari poſſit, quod ſit totum potentiale; quia nimirum per hoc quod ſit quid ſubſiſtens importat totum quod in ſubjecto eſt, expreſsè quidem quidquid eſt ſubſtantivum & ſubſiſtens in eo; virtualiter autem quod eſt quale, aut formale in ipſo, propterea quod omne tale innititur ei quod eſt ſubſtantivum aut ſubſiſtens, adeoque quidquid illud eſt quod ſignificat id quod quid eſt ſubjecti, eo ipſo importat per conſequens & virtute id quod quale & formale eſt, adeoque genus ſuo modo importat, potentialiter ſcilicet, differentius, & conſequenter totum, quod fuit probandum. Iam vero authoritas Scoti, non multum premere debet, quia non loquitur ibi abſolutè de ſua mente, ſed potius de mente Auicen. ait enim *Dici ad primum poteſt*: quin potius oppoſitum ibi ſignificat, & in Grammatica ſpeculat; *a* & alibi vniverſaliter enim tenet quod idem ſignificat abſtractum & concretum; clarum eſt autem quod abſtractum non ſignificet primo & in concreto ſuppoſitum, adeoque a Cap. 15.

5. Dicendum etiam quod Genus atque etiam cætera vniverſalia in ipſa prædicatione retineant vniverſalitatem. Oppoſitum tenent Recentiores ſed malè: Cauſa eſt, quia aliàs genus non eſſet genus neque vllum vniverſale prædicabile de multis, adeoque nec Vniverſale, immo non eſſet prædicable, ne quidem de vno ſolo, quia nimirum quando reducitur ad prædicationem perdit genereitatem, & vniverſalitatem omnẽ reſpectivè; ſic veriſſimè dico quod mortuus non poteſt ſe movere, quia licet id quod eſt mortuum poſſit abſolutè ſe movere, tamen non poteſt hoc facere quamdiu mortuum eſt: Vnde vrgetur ratio ſic. Vt aliqua propoſitio ſit vera debet prædicatum ineſſe ſubjecto, hic verò ita non fit; pro quo probando accipiendum eſt ex ſupradictis in prædicatione ſignata prædicari ipſam prædicationem ſeu prædicabilitatem, vnde in hac *genus prædicatur de ſpecie* prædicatum eſt *prædicari* & ſubjectũ genus, adeoque niſi prædicatio id inſit ge-

Digitized by Google

neri tanquam ſubjecto, propoſitio illa eſt falſa. Atqui ſecundum negantes concluſionem, prædicatio non ineſt generi tanquam ſubiecto, nam eo ipſo quod genus incipit prædicari deſinit eſſe genus. atque ita hoc prædicatum *prædicari* aut, eſſe prædicabile, nunquam ineſt huic ſubjecto *genus*; & omnino ſimile eſt in his cœci vident, claudi ambulant, leproſi ſunt mundi, quæ omnes & ſimiles, in rigore ſunt falſæ, non enim copulari poſſunt illa duo ſcilicet viſio & cœcitas, lepra & munditia, & tamen vt poſſint exprimi, vera propoſitione deberent copulari inſimul, quia extrema propoſitionis invicè vniuntur per copulam: ergo. Hæc autem nemo non videt eſſe abſurdiſſima & pugnare ipſis primis principiis Logicorum: dicere quod prædicabile non eſt prædicabile; quod genus nequidem de vno prædicari poſſit &c.

6. Obiicies tamen Genus quod prædicatur de ſpecie eſt contractum, atqui genus contractum amplius non eſt genus, ergo genus non retinet in prædicatione genereitatem, probatio Majoris; vtique enim genus quod prædicatur eſt genus quod ineſt illi ſpeciei: certum eſt autem quod genus inſiſtens ſpeciei, eſt genus contractũ Minore. Eſt adhuc clarior quia genus contractum per vnam differentiam non eſt amplius indifferens ad alias, deberet autem eſſe vt foret genus, imo res non eget probatione quia genus contractum eſt ſpecies, certum eſt autem quod ſpecies non ſit genus, non prædicabile de ſpeciebus, ergo: Sed non debuerunt Recentiores tam facile contra genus moveri; argumenta enim non habent vim; ſed apparentiam ſolam ſi recte intelligatur genus; nego ergo hic Minorem, nego genus contractum non eſſe genus, & quid clarius quam oppoſitum? alioquin non eſt genus contractum, ſed aliud. Deinde ſi genus nunquam ſit contractum, certè nec eſt contrahibile, quod non audebunt dicere Adverſantes. Dico ergo genus etiam poſt contractionem remanere genus, quia nimirum in hoc conſiſtit genereitas & vniverſalitas eius vt ſcilicet ipſum manens ſua vnitate vnum ſit multa inferiora, puta multæ ſpecies. Itaque non deſtruitur ſed exercetur genereitas quando contrahitur genus ad ſpeciem, & poſtquam contractum eſt ad vnam ſpeciem remanet contrahibile ad aliam etiam coniunctivè & ſimul, cuius oppoſitum decepit Adverſarios. Supereſt tamen aliquid præcedentis difficultatis adhuc exponendum ſi enim genus non poteſt prædicari vt pars ſed tantum vt totum certe nec differentia, & tamen differentia non habet modum totius ſed partis, quum prædicetur in quale, totum autem non eſt quale ſed quid. Quæ replica vim habet ex noſtra explicatione ſupra poſita, de ratione totius in genere; diximus enim ipſum importare totum quod eſt in ſubjecto: (Ex eo quod prædicetur in quid:) expreſsè quidem quod eſt verè *quid* ſeu ſubſtantivum in ſubjecto implicitè autem alia quæ ſunt *qualia* eo quod qualia innitantur ei quod eſt ſubſtantivum. At verò hæc ratio non quadrat in differentiam, vt quiſque videt; adeoque aut poterit prædicari pars, aut certè differentia non poterit ſe ſola prædicari de ſubjecto ſed tantum conjuncta cum genere, quod eſt falſum, quia tum prædicaretur definitio (quæ tamen non eſt prædicabile) non verò differentia. Reſpondeo, exiſtimo nunquam fieri prædicationem *in quale* ſolam, ſed ſemper admixtum eſſe ei *quid*, nam quantumcunque exponas concretum aliquod differentiæ ſive eſſentialis ſive propria, aut etiam accidentalis nunquam poterit explicatio facere prædicatum propoſitionis niſi involvatur aliquid ſubſtantivum; malè enim dices hominem eſſe riſibilem ſic homo eſt riſibilitas in concreto; eſt riſibilitas vnita ſubſtituto &c. vt patet, dico ergo prædicationem differentiæ eſſe prædicationem totius quia importat reverâ totum v. g. hæc, *Homo eſt rationalis* eo quod ibi etiam ingrediatur quid ſubjecti, ac non ſolum quale. Dices, ergo non differunt prædicationes generis & differentiæ, nam vtrumque importat idem, ſcilicet totum; ſequitur etiam ſecundò differentiam non prædicari in quale, nam totum non eſt quale, ſed quid ſui ipſius. Denique non prædicabitur incompletè &c. ad quæ dicam Act. ſequenti quæſt.

ACTIO SEPTIMA.

De ſubjicibili Generis.

Vtrum genus eadem habitudine reſpiciat ſpeciem & individua? Item quomodo differat à Differentiâ.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Explicatio tituli.*
2. *Vna eſt habitudo generis ad ſpecies & individua. Probatur.*
3. *Duæ aliæ probationes & exempla huius.*
4. *Obiectio Thomiſtica bis retunditur.*
5. *Individuum diverſis relationibus reſpicit ſpeciem & genus.*
6. *Definitio non excludenda ab vniverſalibus. Nota communem rationem ſolutam.*
7. *Obiectio an individuum & ſpecies habeant plures, relationes ad genus? Problema.*
8. *Subiicibile generis non poteſt abſtrahi à ſpecie & individuo.*
9. *Exhibetur differentia Differentiæ à Genere.*
10. *Solutæ rationes dubitandi de hoc.*

1. Explico ſenſum prioris partis exemplo: Animal v. g. reſpicit hominem & reſpicit Petrum tanquam prædicabile, de vtroque enim prædicatur: dubitari ergo poteſt vtrum ad vtrumque horum habeat duos reſpectus, ſuum ad vnumquodque, an vero

rò vnum ad vtrumque; ſive, vtrum ſuffi. iat ponere in genere prædic bilit item ad ſpeciem. & eo ipſo reddatur ac intelligat: r prædicabile de individuis; an verò poſt habitudinem quam habet genus ad ſpeciem adhuc addenda ſit ei alia qua ad ipſa individua referatur? De hoc

onſer. 5. tetaph. 5. onymb. 1. caſius & 2. verſ. 9. Log.

2: Exiſtimo ſufficere vnam: *a* Et ſi quæratur ad quod terminetur illa hab tudo, puta ad ſpeciem an ad individua; an potius ad omnia ſeu ad vtrumque tanquam ad vnum. Dicendum exiſtimo habitudinē prædicabilitatis in genere proximè ad ſpeciem terminati. Probo primam partē relationis. Quotieſcunque ſubjectum nō poteſt reperire vnum ex pluribus terminis quin reſpiciat cæteros, tunc omnino dicendum eſt quod vna relatione reſpiciat omnes; non poteſt autem genus reſpicere ſpeciem quin reſpiciat individua, ergo dicendum eſt quod vnâ relatione reſpicit ſpeciem ac individua, Major huius patet ex principio de nō multipl candis entibus ſine neceſſitate, quod ſi vnquam recipi debet certè vel maximè amplectendum eſt in relationibus, quæ, niſi coerceantur, in quandam infinitatem exereſcent. Minorem probo, quia non poteſt eſſe genus in ſpeciebus niſi ſit in illis in quibus ſunt ſpecies; clarum eſt autem quod naturæ ſpecificæ ſint in individuis ergo. Declarari & probari poteſt res à paritate; quia quando plura corpora inclu ſunt ſe invicem, corpus intimum non eſt in extremo niſi quatenus eſt in medio. Sint enim tres circuli aut ſphæræ, quarum vna alteram ambia: v.g. cœlum Lunæ, Mercurii, & Solis, dico cœlum lunæ non ali er eſſe in cœlo Solis, niſi quatenus eſt in cœlo Mercurii, nec dicere relationem locati ad cœlum Solis immediatè, quo enim immediata locatio ad id in quo res eſt mediatè tantum locata? at verò cœlum Lunæ eſt mediate tantum locatum à cœlo Solis, adeoque non debet dicere immediatam relationem ad ipſum: Et tamen vere dicitur cœlum Lunæ contineri à cœlo Solis, & eſſe intra ipſum; ergo vere dicetur genus eſſe in individuo ſive actu ſive potentia per hoc quod ſit in ſpecie.

3. Alterum exemplum huius eſt in To, *cauſa* quæ denominatio competit multis reſpectu eorum ad quæ nullam habuerunt cauſalitatem terminatam, eo tantum quod habuerunt cauſalitatem ſeu actionem terminatam ad ea quæ fuerunt ipſis cauſæ: Sic meus avus inter cauſas meas cenſetur, & eſt; protoplaſtes Adam omnium hominum pater, quum tamen generatione & cauſalitate ſua pauciſſimos olim attigerit; dicatur tamen & eſt cauſa cauſati quia eſt cauſa cauſæ, & ſic de aliis ſexcentis, ergo jam ſufficit eſſe habitudinem in aliquo quod ad alia referatur ad hoc vt ipſius correlativum etiam ad vlteriora illa referatur, atque ita in propoſito ſufficit ſi genus referatur ad ſpeciem ad hoc vt ad individua referatur, quandoquidem ipſa ſpecies ad ea refertur. Confirmari poteſt aliâ inſtantiâ, ſed ſimili: Quod eſt prius priori eſt prius poſteriori, & vice verſa: v.g. vnitas quia eſt prior dualitate, eſt prior etiam trinitate & vice verſa, vt ſi auferamus, ſaltem per intellectum omnem reſpectum ad vnitatem à trinitate tamen relicto ei poſterioritate ad dualitatem, erit adhuc ſemper poſterior vnitate: ita hic, vides enim paritatem,

4. Obiicies tamen ſi donatur ſpecies aliqua non habens plura individua, non erit idem relationem generis terminari ad ſpeciem ac terminari ad individua quia tum dabitur ſpecies non dabuntur individua; quæ autem non ſunt, certum eſt quod non terminent vllius relationem. Caſus Majoris eſt in Angelis ſecundùm D. Th. quorum quiſque eſt ſpecies nec tamen habere poteſt niſi vnū individuum. Reſpondeo ſine dubio poſito illo caſu concluſio mea eſt falſa ſed enim ſufficit mihi: concluſionem eſſe tam veram quàm eſt illa doctrina falſa, cuius oppoſitum ſupra videor mihi concluſiſſe. Etiam hic do Thomiſtis caſum illum eſſe poſſibilem: Dico tamen eo poſito non falſificari concluſionem, quia id quod illi credunt in eo caſu eſſe genus, eſt tantum ſpecies, & differentia quam putant eſſe ſpecificam eſt numeralis, atque ita ne tum quidem contingeret referri genus ad ſpeciem, abſque eo quod referatur ad individua.

5. Sed nunquid idem eſt de individuis reſpectu generis, vt ſcilicet referantur ad genus ipſa relatione qua referuntur ad ſpeciem non alia? Exiſtimo non eſſe idem. Moveor, quia quod eſt diverſum ſpecie non poteſt eſſe idem numero. At verò diverſa ſpecie eſt relatio quâ refertur individuum ad ſpeciem ab eâ quâ refertur ad genus, nam ad ſpeciem refertur tanquam ad completè conſtitutivum ſui, ad genus autem tanquam ad incompletè conſtitutivum, ergo. Cenſeo tamen defendi poſſe quod eadem relatione referatur individuum ad ſpeciem & ad genus: quia ſcilicet individuum poteſt dici referri ad ſpeciem duabus partialibus relationibus, ſicut reverà ſpecies conſtat duabus partibus conſtituentibus individuum, ſcilicet genere differentia. Iam verò hæc relatio partialis quæ eſt ad genus in ſpecie tendit etiam ad ipſum genus & poteſt eſſe illa quâ individuum refertur ad primum prædicabile ſeu genericum.

Dices non poſſe hoc dici quia individuum refertur ad ſpeciem tanquam ad vnum quid & vnum prædicabile, ſic autem referretur ad illa tanquam ad duo, & confirmatur quia ſic referretur ad definitionem, & non ad ſpeciem quæ eſt definitum. Video hæc cum fundamento dici, & propterea non abſolutè reſpondi illo vltimo modo ad quæſitum: Do nihilominus quandam congruitatem huius modi; quia niſi hoc dicamus debebimus dicere individuum bis referri ad idem, puta ad differentiam; ſemel enim referretur ad ipſam in ſpecie, iterum referretur ad ipſam in ſe. At verò ponendo rem illo ſecundo modo, ſemel tantum referretur ad differentiam. Exemplum aliquod huius eſſe poteſt aſſumptio naturæ humanæ à verbo, quod ſi dicamus aſſumpſiſſe immediatè ipſas partes, poterimus defendere quòd nunquam dimiſit quidquam ex iis quæ ſemel aſſumpſit, nam non dimiſit partes, puta animam aut corpus in morte: At verò ſi dicatur aſſumpſiſſe totam primò, & ratione eius partes, tum debet dici quod dimiſerit aliquid aſſumptum, & quidem principale, ſcilicet totum; præterea etiam debebunt admitti vniones aliquæ hypoſtaticæ periiſſe, & rurſum novæ productæ, quorum nihil requiritur in oppoſita ſententia, & proinde vtar hoc argumento ſuo loco contra Tertiarios noſtros ſive ponentes tertiam entitatem.

6. Applico amplius argumentum ad propoſitum noſtrum hic, nam certum eſt quod in objecto extrà non ſit aliud ipſa ſpecies & aliud genus

ac

ac differentia conjuncta : V. g. in Petro non eſt una formalitas quo ſit homo, & alia quæ ſit animal rationale, alioquin Petrus bis eſſet animal, & bis rationalis, ſemel ratioe hominis, & iterum ratione utriuſque horum in ſe ipſis, adeoque cum certum ſit ipſum referri ad has partes conjunctas tanquam conſtitutivas eius, non videtur neceſſe referre ipſum ad aliud aliquod totum Metaphyſicum. Propter quod equidem exiſtimo, definitionem non tam certò excludendam ab Vniverſalibus, quin potius coincidere cum ſpecie, vel etiam ſpeciem cum ipſa : Quo loco ſubit mihi ſolutio rationis quam pro oppoſito aſſignavi. Dixi enim diſtinctionem non eſſe unum prædicabile quia habet modos, prædicandi duorum, ſcilicet generis & differentiæ, quum utrumque includat. At vero hæc ratio non me jam convincit : quia nimirum falsũ exiſtimo quod definitio habeat modos prædicandi duorum, cum habeat tamen unum ſcilicet *in quid* quod ſic ſuadeo; quærenti quid ſit homo? bene reſpondetur quod ſit animal rationale; ecce animal rationale quæ eſt definitio prædicati *in quid*; alias per ipſum non bene reſponderetur ad quæſtionem *quid* atque ita diffinitio tota prædicatur in quid licet includat aliquid quale; ſicut etiam ſpecies includit, nec tamen prædicatur in quale etiam partialiter, ſed abſolutè & totaliter in quid.

7. Objicies contra primariam reſolutionem : Individuum & ſpecies diverſis relationibus referuntur ad genus, ergo & genus diverſis relationibus ad ipſa; quælibet enim relatio habet ſuã correlationem, quũ ſine dubio iſtæ ſint ex illis quæ cenſentur mutuæ. Reſpondetur primo negando conſequentiam : exemplum datur de patre & matre quæ referuntur duabus relationibus ad prolem quum tamen proles unica referatur ad ipſas. Non approbo uſque adeo exemplum (licet doctrina non diſpliceat,) nam quando moritur unus ex parentibus, fierent nimis magni ſumptus à filio, cuius filiatio tota periret hac viâ ; non periret autem tota pereunte uno parente ſi ponantur in eo plures partiales, & non una tantum. Sed quidquid de hoc ſit, ſolutio valet, & exemplum accommodatius eſſet de compoſit, quod unica relatione refertur ad utramque partem Reſpondeo etiam ſecundo negando antecedens poteſt enim dici, quod quum individuum referatur ad genus ratione ſpeciei, quam genus componit (non enim componit individuum immediate) quod inquam individuum referatur ipſa relatione qua ſpecies refertur (ſicut dixi avum meum referri ad me relatione qua refertur ad patre meum) ideo enim Petrus V. g. eſt animal quia homo eſt animal.

8. Addo his & dico non bene dici quod ſubjicibile generis abſtrahi poſſit à ſpecie & individuo, aut hoc eſſe prædicatum utrique commune, ut credidit quidam a Neotericus. Ratio, quia ut aliquid eſſet commune multis, abſtrahibile ab ipſis, deberet reperiri in multis illis multiplicatum; at vero non datur ratio ſubjicibilis generici multiplicata in ſpecie & individuo, ſicut nec datur ratio generis ſubalterni in genere infimo & in ſpecie multiplicata, propter quod genus ſubalternum non eſt verum univerſale ratione eorum V. g. Vivens non eſt genus reſpectu animalis & hominis, quia vivens ſemel tantum reperitur in homine, non vero bis, puta ſemel ratione ſui, & iterum ratione animalis. Ita hic quandoquidem individuum ſubjiciatur generi ratione ſpeciei, non ſunt proprie duo ſubjicibilia ſed unum adeoque nec ſubjicibile ut ſic poteſt abſtrahi tanquam tertium quid aut univerſale ab illis. Explico hoc exemplo poſito de cauſa cauſati quæ ideo dicitur talis eſſe quia cauſa cauſæ : Exemplo prioris, quod dicitur tale ratione tertii præcisè eò quod ſit prius intermedio, ſic fundamentum dicitur prius tecto, & ſuſtentare illud quia ſuſtentat parietes. Adhuc alia inſtantia in hac ipſa materia eſt, nam Petrus dicitur riſibibilis riſibilitate ſpeciei ſcilicet humanitatis, non enim eſt in Petro alia, cur ergo non dicetur ſubijcicibilitate eius ſicut dicitur riſibile riſibile ſubijbilitate eius. &c.

a Hurtad. diſp 5 L 3. ſect. 1.

9. Accedendo jam alteram partem tituli de diſtinctione generis à differentia aliquas rationes dubitandi de hoc ſupra attuli num. 6. Act. præced. Hic addo iſtam quæ paulò magis realis eſt ; quia revera videntur hic tantum nomina multiplicari, idem enim eſt quod dicitur genus & differentia ; vt probatur in vno hoc exemplo pro omnibus quum enim dicitur ſubſtantia corporea, ibi Ly *corporea* eſt differentia. Quum verò dico corpus, idipſum eſt genus, vtique enim corporeitas illa differentiæ eſt illa quæ facit corpus, adeoque eadem eſt corporeitas generis & differentiæ ſive eadem corporeitas eſt genus & differentia.

10. Dico tamen differre genus à differentia, oppoſitum dixit idem Neotericus ; Probo dictum, in primis ſolvendo ea quæ illum moverunt ad oppoſitum. Secundo ſic quia error eſt exiſtimare differentiam illam corporeitatis eſſe quæ deinde dicitur corpus quum illa ſit à latere arboris in ramis, hæc directè eſt in trunco; illa prædicatur in quale hæc in quid, non ergo illa corporeitas eſt corpus ſed ſubſtantia ipſa & ſi quid ſupra ipſam ſit ac deniquo ipſum Ens eſt quod ſit corpus. In ſumma debet accipi aliquid ſubſtantivum & ſubſiſtens vt fiat genus adeoque non eſt idem genus ac differentia. Dices ſaltem hinc habetur includi differentiam in genere. Reſpondeo aliud eſſe includi aliud eſſe : Deinde etſi includatur non tamen includitur in eo vt genus eſt, ſed vt ſpecies? Reſpondeo jam ad rationes dubitandi de hoc ſupra allatas in calce Act. præced. Et dico differentiam etiam prædicari per modum totius non enim poteſt per modum partis verè prædicari, nego tamen prædicari eam ſicut genus, quia nimirum aliter genus importat totum, aliter differentia; Genus enim ſpecificat ipſum quod quid eſt & ſubſtantivum rei, differentia non item ſed ſignificat quale : Ipſum autem quod quid eſt ſeu ſubſtantivum ſubiecti non ſignificat differentia, ſed ſupponit tantum pro eo, quod aliud eſt, vt in ſummulis docetur : Ex quo patet ad duo alia quæ ibi ſequuntur, adhuc enim differentia prædicatur in quale & incompletè, quia ſignificat tantum partem formalem ſubiecti, licet ſupponat pro materiali ſeu pro eo quod ſubſtantivum eſt in ſubiecto ratione concretionis.

Agunt de Genere Authores.

ARiſt. 1. *Topic.* 4. *& lib.* 4. *c.* 1. *&* 2. *&* 5. *Met. cap.* 28 Porphir. *hic in Iſagog* Amon. & Alex. *ibid.* Aver. *in Comment. eius* D. Thom. *Opuſc.* 48. *Tract.* 1. *c.* 2. & *in* 2. *ſent diſtin.* 34. *q.* 1 *& art.* 1. Boet. *&* Canther. *hic* Ant. And. *ib. q. ult.* & ſimiliter Ioann. Anglicus, ac Tartaret. Burlæus etiam & Tollet. *ib q* 2. Vilalp. *q.* 4. Ioan. de Lapide *q. & not.* 2. Soto *q vn. de Genere* Titilman. *c.* 7. *de Prædicabil.* Mer. *c. de Gen.* Clyp *q.* 39. Ioan. Ang. & Braſovol *hic ſuper* 15. Scoti Ioannes de Magiſtris *q.* 6. *Log dub.* 1.

Rubr.

Digitized by Google

Rubi. *ſect 3* Compl. *diſp.* 5 *q.* Conymb. *in c.* 1. *de Gen.* Ægyd. in *Porphir. hoc c.* Balduin item *ibid.* Paul. Venet. *hoc cap.* Tollet *ib. q.* 1 *&c.* Gal. *Log. controv.* 12. *&c* Arav. *lib* 13. *Metaph* Auerſ. *quaſt.* 10. *Log.* Rocc. *hoc. cap.* Moris. *diſp.* 2. *art* 2. Blanc. *diſp.* 3. *ſect* 3. Sanchez. *q.* 56 *prædicab.* & Roderiq. *in Comento. Doct. hic. ar.* 1. & Laurent: Valla *apud Lovanbic.* Gonzales. *p.* 2. *Log. diſp. & q.* 4. Ioan. à S. Tho. *q.* 7. Maſtr & Bellut. *diſp.* 5. Log. *q* 1. Flandr. 7. *Metaph q.* 6. *&c* Fr. Su. *diſp.* 15. *Metaph.* Fonſec. 5 *Met. c* 28. Poncius. *diſp* 4. Log. Petr. Hurt. *eadem* Roderic. Arriag. *lib.* 3. *curſ. diſp.* 7. Franc. Oviedo *contr.* 4. Marin. *in cap.* 2. *de Gen. diſp. unic.* Ian. Lalemand. *diſp.* 5. *partit.* 1.

APOLOGIA TERTIA.

DE SPECIE II. PRÆDICABILI.

Actio I. Explicat ſpeciem ſubjicibilem.
Actio II. Quid ſit generis ſubjicile; ſive an ſpecies adæquatè ſubjiciatur ei?
Actio III. Explicat ſpeciem prædicabilem.
Actio IV. Vtrum natura in uno individuo contenta foret ſpecies, etſi plura non eſſent ne poſſibilia quidem?
Actio V. Reſoluit aliqua ſparſim de genere & ſpecie
Actio VI. De Individuo.

Scotus 5. Met. q. 14. n. 3.

AD aliud dico quod ſpecies primo refertur ad Genus, & per ſe ad individua. Vnde genus eſt primum correlativū, & non poteſt eſſe ſine individuis quæ ſunt per ſe correlativum. Authoritas in contrarium patet, quia intellectus ſi dicitur ad intelligentem, & ad intelligibile, idem dicetur bis æque primo, quia reſpicit vtrumque æque. Vel aliter, tunc omne accidens habet duo correlatiua, ſcilicet ſubiectum & obiectum. Ad aliud quod ad quod refertur genus, & ſpecies; verum eſt, ſed non primo.

Idem q. 21. Vniverſalium. n. 2.

DIcendum quod definitio eius (ſpeciei) *conveniens eſt, ſicut ſupra dictum eſt de definitione generis. Ad primum argumentum dicetur quod ſpecies dicitur correlatiue ad genus, & ideo neceſſe eſt aliquam definitionem eius dari, in qua ponatur genus & eſt iſta* ſpecies eſt quæ ponitur ſub aſſignato genere. *Aliam autem comparationem habet ſpecies ad individua, non ſecundum quam eſt genus (quia ſi negat Porphir. cap. de ſpecie, extrema habere duas habitudines) ſed ſecundum quam eſt ſpecies, & ideo neceſſe eſt ipſam habere aliam definitionem in comparatione ad individua.*

ACTIO PRIMA.

Explicat ſpeciem ſubiicibilem.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Porphyrius quot definitiones ſpeciei aſſignavit?*
2. *Definitio communiter recepta ex ipſo minime eſt exacta ratio.*
3 *Prima excuſatio Porphyrii: recuſata.*
4. *Alia item.*
5. *Tertia excuſatio? Recens quidam reiectus.*
6. *Ratio pro Porphyrio contra concluſionem.*
7. *Vera excuſatio, & defenſio Porphyrii.*
8. *Secundum vitium eiuſdem definitionis.*

1. POrphirius hic cap. 2. occurrens æquivocationi, quæ poſſet eſſe in voce *ſpecies*, aſſignat Logicam acceptionem eius dicendam eſſe eam, quæ eſt ſub aſſignato genere, qua ratione ſecundùm omnes, ſpeciem ſubiicibilem deſignavit, quam etiam infra ſtatim definiens ait, *ſpeciem eſſe quæ ponitur ſub genere, & de qua genus in eo quod quid eſt prædicatur* Hæc doctrina Porphirii ſemper experta eſt difficultates non mediocres, tamen authores communiter eas diluere conantur, & Porphyrium excuſare an id fecerint videndum eſt.

In primis autem autem dubitant an illa definitio ſubiicibilis apud ipſum, *quæ ponitur ſub genere, & de qua genus &c.* ſit vna an duæ? Ego verò puto dubitari poſſe, an non ſint apud ipſum tres, cenſeo enim illam quam voluit eſſe acceptationem & quaſi quid nominis ſpeciei, eſſe quid rei & aliquam definitionem eius, *illam ſcilicet, quod ſit ſub aſſignato genere.* Cur enim hæc *ſpecies eſt quæ ponitur ſub genere?* erit ſpeciei definitio non vero iſta *ſpecies eſt quæ eſt ſub aſſignato genere?* Et quoniam Scotus totus eſt in examinanda ſpecie prædicabili, poſſumus liberè de ſubiicibili cenſere.

2. Dico ergo primo, ſuppoſitâ doctrinâ Por-

phyrii præcedenti cap. de genere, hæc de ſpecie non eſt exacta, niſi fortè intellecta modo infra aſſignando. Cenſeo ergo definitionem hanc Porphyrii (quamcunque ex tribus) ſumptam cum illa definitione generis circulum committere, quia nimirum declarat genus per ſpeciem & ſpeciem per genus; ita facit idē notius & ignotius eodem: dum enim definit genus per ſpeciem facit ſpeciem notiorem genere, & iterum genus notius ſpecie, quia definit ſpeciem per genus. Imo facit idem notius & ignotius ſe ipſo v.g. genus; quum enim faciat ipſum notius ſpecie, & ſpeciem notiorem genere, an non facit genus genere notius? qui diſcurſus transferri poteſt per ignotius vt vides, & probare quod genus ſit ſe ipſo obſcurius. Huius circuli damnum eſt, quod per definitiones & deſcriptiones in quibus intervenit, nemo vnquam proficere poteſt, aut quidquam diſcere, quia nimirum antequam eas intelligas debes intelligere ipſum definitum, quod reddit definitionem non ſolum ſupervacaneam, ſed impoſſibilem Nam quo mihi definitio, id eſt oratio rei naturam explicans ſi jam ante eſt explicata? imo non poteſt eſſe eius explicatio vt vides; atque ita non eſt dubium quin reprehenſibilis ſit iſte recurſus ab eodem in idem. Excuſationes eius ab aliis adductas hic expendam.

a Hurtad. diſp. 5.

3. Dicit ergo aliquis a circulum quidem eſſe vitioſum, ſed tum tantum quando non explicat naturam definiti. Vt ſi dicam Pater eſt qui habet filium, & filius qui habet Patrem, malè circumeo, quia audiens necdum ſcit quid eſt pater aut filius. Quando autem explicatur definitum, poſſet bene circumiri dicendo Patrem eſſe qui habet filium, filium autem eſſe hominem ab alio genitum in ſimilitudinem naturæ &c. Sed hanc excuſationem ego accuſo, primo inde quia impoſſibile eſt explicari naturam definiti circulo, vt vidimus, ergo fruſtrà diſtinguit de explicatione, & non explicatione definiti. Iterum exinde quia in caſu noſtro factum eſt quod ipſe cenſuit non eſſe faciendum. Quid enim eſt dicere Genus prædicatur de ſpecie: ſpecies ſubiicitur generi aut *eſt illud de quo genus prædicatur*; niſi tale quale eſt illud; Pater eſt qui habet aut genuit filium; filius qui genitus eſt à patre.

b Maſtr. in quæſt. 2. vniverſ. diſp. 5 a. 2.

4. Aliter excuſat alius b ex noſtris quod accipienda ſunt correlativa in definitionibus correlativorum, pro materiali ſuo, non vero pro formali, atque ita non definitur idem per idem, aut per æquè notum, ſed per diverſum, & ita in præſenti poſſumus in definitione generis ſumere genus pro formali, & ſpeciem pro materiali. Viciſſim in definitione ſpeciei ipſam ſpeciem pro formali; & genus pro materiali quomodo non fit ille circuitus ab eodem in idem, ſed in diverſum. Sed ſit ita, quis mihi rationabiliter dicet, aut credet dicenti, quod quando dico genus & ſpecies, genus quidem accipiendum ſit pro formali, ſpecies autem pro materiali; cum autem dico ſpecies & genus, (quod fit in dicta definitione quæ eſt ſpeciei) cum ſpecies accipienda ſit pro formali, genus non ſed pro fundamento? An non apparet liquidiſſime vim fieri verbis, per hanc tam arbitrariam æquivocationem? Deinde ſaltem docendus fuit quid eſſet ipſa ſpecies pro materiali, explicando aut exponendo ipſam, vt per eam exponeretur mihi genus. Denique ſic poſſem dicere vt ſupra, quod Pater eſt qui habet filium, filius qui habet patrem intelligendo ſcilicet filium materialiter ſumptum in definitione patris, & patrem ſimiliter ſumptum in definitione filii; & tamen omnes vno ore damnant illam ineptiſſimam definitionem patris, quia rotundum circulum deſcribit; ergo hæc etiam & omnes ſimiles in illa damnatæ ſunt, vides enim etiam oculis clauſis paritatem.

c Pe. Hurtad. diſp. 1 Log.

5. Alius c ergo aliter excuſavit Porphyrium, quod ſcilicet bene potuerit definire genus per ſpeciem & viciſſim ſpeciem per genus, dummodo in definitione generis vteretur ſpecie aliter intellecta quam per genus & è contra. Sed in primis id non excuſat ſed accuſat vt dixi Porphyrium, ſi enim potuit nobis genus aliter innoteſcere quam per ſpeciem, certe perperam ille immiſcuit ſe tot difficultatibus definiendo vnum per aliud, quàm aliter ſe expedire potuiſſet. Deinde ſi ſpecies poſita in definitione generis eſt ſpecies aliunde cognita, tum illa alia cognitio eſt pars huius definitionis vt vides, atque ita debuit inſeri huic definitioni quod non eſt factum, ergo. Propter hoc forte aliquis Recentior d correxit Porphyrii definitionem & ſubdit ſuam volens quod loco huius quod eſt *differentia ſpecie* in definitionem generis ponatur, *notabiliter differentia* & tum denique poſſe ipſum vocabulum *ſpecie* adhiberi in alia definitione, ſed quis non videt id incautè dictum eſſe, quum conſtet notabiliter differre aliqua, quæ ſpecie non differunt, nam fœmina differt notabiliter à viro, nec tamen ſpecie differt ſecundum ipſum & communem ſententiam: Linea brevis notabiliter differt à linea longiſſima, non tamen ſpecie, & calor remiſſus ab intenſo notabiliter etiam ſenſibiliter differt, & tamen incidit ſemper in eandem ſpeciem.

d Arriag. diſput. 1 ſect. 2.

6. Obiici pro Porphyrio poteſt quod relativa ſint ſimul naturâ & cognitione adeoque non poſſit vnum niſi ſimul cum altero ſciri, ac proinde meritò, imò neceſſariò ille vnum per alterum explicavit. Confirmo authoritatem hanc ratione, quia relativa ſunt eſſentialiter ad alterum, ergo definienda erunt per invicem, quandoquidem definitio explicare debet eſſentiam rei: Reſpondeo non venit mihi in mentem negare quod relativa ad invicem ſint explicanda, ſed quod carpo eſt, relativa ipſa formaliter ſumpta aſſumi ad ſe invicem explicanda aut certe committi fœdam æquivocationem in definitionibus, quod non debet fieri puto iam eſt oſtenſum; nec contrarium convincitur ratione hic adductâ, ſed potius hoc ipſū probatur, quia nimirum relativum non eſt ad correlativum formaliter, ſed ad ipſum fundamentaliter ſumptum, ſive ad ſubſtractum correlativi ſui, adeoque per ipſum ſubſtractum debuit explicari, non per formale &c.

7. Tentemus iam ipſi Porphyrium excuſare ſi fortè modum aliquem aſſignemus, quo definitiones eius ſubſtant. Puto autem non malum fore iſtum, ſi ſcilicet in definitione generis, permittatur Ly *ſpecie* & intelligatur eſſe idem quod eſſentialiter, vt ſenſus ſit, quod genus prædicetur in quid de eſſentialiter differentibus, eo autem poſito libere poteſt deinde in definitione ſpeciei ipſum genus repeti, non enim circuitur cum non repetatur idipſum. Fateor ſi in ipſa definitione generis loco Ly *ſpecie* adhiberetur expreſſe, Ly eſſentialiter minori tumultu res componeretur. Sed tamen id non eſt penitus neceſſarium quia de facto aliquid illius definitionis vt ibi iacet facit hunc ſenſum ſecundum omnes. Nam illius particulæ *de pluribus differentibus ſpecie* &c. Senſus communis eſt quod genus prædicetur tanquam aliquid

quid eſſentiæ, non tanquam totum, vides per *ſpeciem* etiam ab aliis intelligi *eſſentiam*. Dices, vitamus forte circulum hoc invento, ſed incurrimus æquivocationem. Modo enim accipimus To *ſpecies* pro eſſentia, modo pro ſe ipſa. Reſpondeo in hac definitione non recurrit niſi ſemel ſpecies, atque ita hic non æquivocatur: Reſpondeo iterum noſtram æquivocationem apud omnes inveniri, etiam omnes per illud *differentibus ſpecie* intelligunt differentia eſſentia partiali. Reſpondeo 3. per rationem horum, quia nimirum ipſa ſpecies eſt tota eſſentia rei, adeoque non eſt mirum quod abſolutè poſitum ſtet pro eſſentia.

8. Alius defectus in hac definitione notatur quod competat aliis à definito, nam individuum etiam generi ſubiicitur, adeoque non eſt proprium (& multò minus eſſentiale) ſpeciei quod ſubiiciatur generi: Huic autem notæ evadendæ non deſunt antiquis gloſſæ. Aliquis dicit ſubintelligendum eſſe To ſoli, ut ſenſus ſit ſpeciem ſubiici *ſoli* generi, quod ſi ita eſſe admittatur, iam individuum non poterit huc intrudi, quum conſtet ipſum non ſoli generi ſubiici, ſed ſpeciei quoque. Alius vult ſubintelligendum eſſe Ly *immediatè*, quod etiam individuum hinc arcet, quia illud mediatè generi ſubeſt. Denique alii vim ponunt in Ly *quod*, quo vocabulo intelligi volunt vniverſale. Id ſi ita ſit, protinus hinc individuum repellitur, quum nihil minus ſit quàm vniverſale. De his gloſſis cenſeo priores duas accuſare magis quàm liberare Porphyrium. Vtraque enim ponit ipſum omiſiſſe particulam ſummè neceſſariam. Præterea prima falſa eſt, nam homo eſt ſpecies ſubiicibilis, & tamen non ſoli ſubiicitur generi, ſubiicitur enim enti vt ſic, quod tamen non eſt genus. Secunda etiam, nam idem homo ſubiicitur ſubſtantiæ & corpori &c. Eſtque non quodlibet ſubiicibile horum, ſed ſpecies ſubiicibilis, & tamen non ſubeſt ſubſtantiæ immediatè, nec corpori &c. ſed tantùm animali. Ad hæc ſupra vidimus etiam individua ſubiici immediatè generi adeoque aliqui *a* ad rationem illam reſpondere ſe putant, dicendo hominem non eſſe ſpeciem immediatam ſubſtantiæ &c. ſive non ſubiici ipſi niſi in generibus intermediis corpore, vivente &c. imo non niſi in vltimo quod eſt animal, quia non contrahitur ad ipſum, nec deſcendit niſi per illa interpoſita. ſed ſi ita ſit, tum fortaſſe nec animal quidem prædicabitur immediatè de homine, ſive (ad rem præſentem) homo non erit ſpecies ſubiicibilis ne quidem animalis; clarum enim eſt animal non deſcendere ad hominem niſi mediante rationali. Vnde in arbore interponitur rationale (quanquam non directè) homini & animali & tamen hæc prædicatio homo eſt animal eſt ſpeciei ſubiicibilis, & non ſolum hæc homo eſt animal rationale, imo hæc nullatenus eſt talis ergo. Itaque non caret difficultate quid ſit correlativum & ſubiicibile generis, de quo infra tertio loco dicam: Iterim. Dico ſecundo definitionem Porphyrii in hac parte non eſſe vitioſam; ſive bene definiri ſpeciem quod generi ſubiicitur, licet individuum etiam ei ſubiiciatur. Hæc concluſio dependet ex reſolutione controverſiæ de correlativo generis, quam hic proximè expedio.

a Ioann. à S. Th. hic Poncius citat diſp. 5. q. 1.

ACTIO SECUNDA.

Quid ſit Generis ſubiicibile? & An ſpecies adæquatè ſubiiciatur? &c.

BREVIARIUM.

Num. 1. *Species ſola correlativum generis probatur.*
2. *Aliæ duæ probationes eiuſdem.*
3. *Obiectio. An individua augeant ſubiicibile generis?*
4. *Obiectio altera. An genus contrahatur per differentias numerales?*
5. *Alii duo modi aſſignandi correlativum generis, reiecto primo.*
6. *Secundo, tertio & quarto.*
7. *Non ſufficere ſecundum communem ſententiam ſpeciem & individua pro correlativo generi.*
8. *Novæ difficultates contra concluſionem & probationes eius, ſolutæ.*

DIco adæquatum correlativum Generis, & non ſolum immediatum eſſe ſpecies. *b* Hæc reſpondet directè ad quæſitum, & repugnat ex diametro, committi? ſolutioni quod ſcilicet immediatum correlativum & ſubiicibile generis ſit ſpecies; adæquatum autem ipſa ſpecies & individua. Probo inprimis ſic: correlativum generis ſunt *ſpecie differentia*, ſed huiuſmodi ſunt ipſæ ſpecies ſolæ, non autem individua, ergo hæc non ſunt correlativa generis, ſed illa maior probatur, quia relativum eſt definiendum per ſuum correlativum: Genus autem definitum eſt per ſpecie differentia vt patet: Minor autem probatur: quia individua qua talia non differunt eſſentialiter, ſed ſpecifica differentia eſt eſſentialis ergo.

b Raph. Averſ. q. 10 ſ. 05.

Dices argumentum eſſe in oppoſitum, nam individua etiam ſpecie differunt: Petrus ſiquidem & Bucephalus individua ſunt hominis & equi, & tamen ſpecie differunt ergo. Reſpondeo argumentum eſſe pro me, & contra illos: Illi enim volunt etiam individua vnius ſpeciei eſſe ſubiicibilia generis ſcilicet Petrum & Paulum, eaque integrare ſubiicibile adæquatum Generis, & tamen hæc non ſpecie differunt ergo. Fateor, dantur aliqua individua ſpecie diverſa, at vero illa ſola non ponuntur eſſe ſubiicibilia generis ſed etiam illa, quæ vnius & eiuſdem ſpeciei ſunt, adeoque ſi improbetur, quod individua vnius ſpeciei ſint ſubjicibilia generis, improbata eſt abſolutè opinio ponens individua eſſe ſubiicibile generis. Vlterius proſequor intentum argumenti ſic: Subiicibile generis ſeu correlativum eius ſunt ſpecie differentia, ſed individua etiam diverſarum ſpecierum quà talia, ſeu qua individua non ſunt ſpecie differentia, ſed numero, ergo quà talia non ſunt ſubiicibile aut correlativum ge-

neris ſed tantum quà ſpeciem includunt.

2. Probo ſecundo idipſum: Secundum authores oppoſitos. Individua licet ſubjiciantur generi non tamen mediatè ſed mediante ſpecie, atq; ita ſicut ſpecies facit ne illa ſint immediatum correlativum generis, ita individua efficiunt ne ſpecies ſit adæquatum: ita illis Ex quo ſic arguo; In illo inſtanti priori quo deſcendit genus ad ſpeciem priuſquam ad individua, aut habet ſubjicibile, & correlativum adæquatum; aut non habet: Alterum dici debet, neutrum dici poteſt, quod oſtendo; ſi enim dicatur quod habeat adæquatum: jam approbatur concluſio poſita, ſic enim ſpecies erit ſubjicibile adæquatum eius; quod eſt intentum ut vides ſi autem non habet pro tunc adæquatum, ergo tunc non eſt, non enim poteſt eſſe relativum ſine correlativo, aut relatio ſine termino. Nec valet diſtinguere de adæquato & inadæquato, quia quodlibet exigit adæquatum, ut ſi quid deſit, non poſſit ipſum ſubſiſtere, ſicut quilibet effectus exigit adæquatam cauſam, ut deficiente cauſa partiali eius ipſe deſit, nec opus eſt deficere totalem. Sic qualitas ſubjectatur in quantitate, tamen ſi quantitas non eſt adæquatum ſubjectum eius, ſed præterea requiratur concurſus ſubſtantiæ, certe ablata ſubſtantia deſinet niſi per miraculum conſervetur. Et idem eſt in aliis ſexcentis, ergo. Vlterior probatio huius erit ſolutio objectionum in oppoſitum in quibus obiter, & data occaſione clarius aperietur probabilitas concluſioni. Interim probari poteſt hæc ex proxime præcedenti: ſi enim individua eſſent ſubjicibile ſaltem partiale generis, certè male definiret Porphyrius genus per ſolam ſpeciem niſi adderet etiam individua alioquin poſſet definire eam etiam per individua.

3. Objicio: Genus prædicatur de individuo, ac non ſolum de ſpecie, ergo ſubjicibile generis eſt individuum, & non ſola ſpecies. quid clarius? Confirmatur etiam argumentum ne evadatur diverticulo illo Lovanienſium: Nam genus prædicatur de individuis in quid incompletè, prorſus ſicut de ſpecie. Hic autem eſt modus proprius generis ut genus eſt, ergo. Caſus huius argumenti eſt in prædicationibus: homo eſt animal. Petrus eſt animal, quæ omnino diverſæ ſunt quia ſubjecta eorum non ſunt ſynonima ut patet, ergo. Huic nego antecedens attenta proprietate terminorum: volo dicere, ſpeciem prædicari de individuis, non tamen de aliquo præter ſpeciem, quia nimirum ipſa individua continent ſpeciem, imò nihil (eſſentiale ſeu in quid) ſunt præter ſpeciem Idem dic ad Confirmationem; & explicabis rem à ſimili in hunc modum; Scimus enim Proprium habere tanquam correlativum ipſam ſpeciem, quæ quidem eſt non ſolum immediatum, ſed adæquatum correlativum eius loquendo de proprio quarto modo, nam individua non ſunt ne quidem partiale correlativum eius, quia proprietas non convenit ulli eorum ſoli. Habet ergo. Proprium adæquatam ſive cauſam ſive ſubjectum in ſpecie, & tamen competit deinde individuis, per accidens quidem quantum ad proprietatem attinet licet ſi per ſe fiat, ſi attendatur res quoad exigentiam individui. Ita hic; Genus habet adæquatum correlativum in ſpeciebus ita ut alio non egeat; & tamen transfertur ad individua, plane impertinenter ſi genus ſpectes; Etſi non ita ſi attendatur individuum. Simile Phyſicum eſt in aqua replente concham quam aliæ duæ circumdant; prima enim non ſolum eſt mediatus ſed adæquatus locus aquæ, & tamen non falſo dicitur aqua contineri vel eſſe intra ſecundam & tertiam concham Denique ad ipſum contingit qualitati V.g. albedini afficienti ſubjectum ſuum quod eſt quantitas; ibi enim illa adæquate recipitur, & tamen dicitur non ſolum quantitas v.g. ſuperficies alba, ſed etiam ſubſtantia, puta lignum; ſed illa per ſe, hoc per accidens. Dices, ſupradiximus non ſufficere generi ſpecies niſi ipſæ ſpecies habeant individua ergo falſo hic, & ſaltem inconſequenter dicimus Genus ex ſe non requirere individua. Nego ſequelam, non enim ſupra requiſivi niſi ut differentia ſpecifica eſſet communicabilis, quod quandocumque contingeret, etiam ſine individuis, haberetur genus dico ergo ſi poneretur in rebus ideæ Platonicæ ſpecierum naturam ſuperiorem fore genus reſpectu eorum, quo caſu non darentur individua. Dices ſecundo ſequi hinc quod genus non ſolum individua ſed etiam ſpecies & genera etiam aliqua, per accidens reſpiciat. Ratio eſt quam nos adducimus contra individuum quia nimirum genus V g. ſubſtantia non eget animali, licet animal egeat illâ ſufficit enim ei recipi in corpore, & contrahi per differentias eius. Reſpondeo iterum, negando ſequelam propter diſparitatem quæ lata eſt in utraque quia Petrus ut talis reduplicative non includit animal aut gradum ullum communicabilem, at vero animal includit, ita ut ſi per impoſſibile non inter poneretur aut corpus aut vivens inter animal & ſubſtantiam adhuc animal eſſet ſubſtantia, quod omnino probat animal includere gradum ſubſtantiæ non tantum ratione corporis &c. ſed etiam ratione ſui.

4. Objicies ſecundo. Non ſolum ſpecies, puta homo, ſed etiam genus V.g. animal contrahitur per differentias individuales ergo non ſolum ipſa ſed genus habet pro ſubjicibili individuum, antecedens puto jam oſtenſum, quia una individualitas afficit omnes gradus, & non ſolum Petrus eſt hic homo, ſed etiam eſt hoc animal, probatur conſequentia cur enim genus reſpicit differentiam ſpecificam & conſtitutum per ipſam non vero numericam, ſi ſimiliter contrahitur per ipſam, & cum ipſa aliud conſtituit? Reſpondeo diſtinguendo antecedens, genus contrahitur per differentias individuales in eſſe generis negatur, in eſſe ſpeciei concedo. Itaq; animal reſpectu huius animalis non eſt genus Sed ſpecies Reſpondeo ſecundo eſſe diſparitatem inter genus & ſpeciem reſpectu individuorum, quia licet individuum ſit extra eſſentiam utriuſque tamen requiruntur ad rationem prædicabilis ſeu univerſalis in uno, non requiruntur in alio, quia nimirum ſpecies non habet alia inferiora, quam individua, habet autem genus.

5. His ita poſitis, libet examinare alios duos modos reſpondendi ad hoc quæſitum, quos video proprius ad rem accedere. Eſt autem unus hic, ut dicatur a immediatum correlativum Generis eſſe ſubjicibile incompletum in quid. Alter ut teneatur immediatum ſubjicibile eius eſſe naturã abſolute ſupponentem, aut ſecundum ſe ſumptam ut abſtrahit à ſuppoſitione ſimplici & perſonali Fundamentum primi eſt, quia ſpecies & individuum conveniunt in hoc quod eſt eſſe ſubjicibile in quid incompletum, ergo ab utroque abſtrahi poteſt ratio ſubjicibilis talis, quæ cum ſit prior illis, erit proxima Generi, atque adeo per ipſam poterit reſponderi ad quæſtionẽ. Dicendum tamen neutrum modum horum ſufficere ut per eum reſpondeatur quæſito. Non primum; Quod hoc argumento convincitur. Subjicibile correlativum ge-

a Petrus Hurtado diſp 5

neris

neris debet eſſe naturâ aliqua realis . ſicut debet eſſe ipſum genus : Atqui non datur natura ulla talis abſtracta à ſpecie & individuo, ergo Minor erit evidens attendenti ; quæ enim humanitas erit communis homini & Petro ? Quod etiam iterum oſtenſive probatur, quia ſi daretur aliquid tale puta homo abſtractus ab homine & Petro, tum animal non eſſet Genus infimum hominis qui eſt ſpecies atoma hoc autem eſt contra omnes, ſed probatur ſequi, quia inter animal & hominem mediaret ille homo abſtractus , qui ſine dubio debet eſſe genus, quandoquidem habeat ſub ſe ſpeciem. Denique ſi datur homo abſtractus ab homine ſpecifico & individuali etiam dici debet , quod detur animal abſtractum ab animali ut ſic generico, & ab animali rationali , quæ eſt ſpecies & hoc ab hoc animali numerico , qui eſt Petrus. Eædem fere rationes currunt contra naturam abſolutè ſumptam prout abſtrahit à ſuppoſitione ſimplici & perſonali. Non enim eſt aſſignabilis conceptus ille naturæ illius V. g. humanæ. Nam ſi eſt, aſſignetur.

6. Deinde illa natura ſecundum ſe ſumpta neceſſario ſupponit ſimpliciter, quia nimirum vt ſic abſtrahit à ſingularibus , ergo iam inventor huius ſtratagematis dum fugit ſuppoſitionem ſimplicem incidit in ipſam. Tertiò valentius arguo contra hoc fantaſma; non poteſt quidquam abſtrahi à natura ſupponente perſonaliter ergo errat quiſquis ille eſt ſic reſpondendo. Antecedens probo : quia illa iam eſt individuata, at vero individuum quâ tale non habet in quo cum vllo conveniat quia eſt primo diverſum ab omni alio, quia ne ipſum quidem communiſſimum gradum entis includit. Denique impugno ſimul vtrumque, vbicunque eſt abſtractum aliquod à pluribus debet natura abſtracti multiplicari in illis pluribus , nam nullum tertium abſtrahitur ab vno , vt manifeſtum eſt exemplis, quia ratio colorati v. g. non rectè abſtraheretur à quantitate & ſubſtantia parietis, eo quod vtrumque facit vnum coloratum , & ſiſtendo in eodem exemplo, ratio accidentis malè abſtraheretur ab eadem albedine quamvis in ea concurrat ratio qualitatis & coloris, quia denique tota illa eſt vnum accidens ; ſed caſus eſt in propoſito, quia natura ſimpliciter & perſonaliter ſupponens eſt vna ; Petrus & natura ſpecifica in ipſo non ſunt duo homines , ſed vnus, ergo. Iam ad rationem dubitandi adductam pro ſubiicibili incompleto vt ſic, patet hinc; etſi enim poſſit abſtrahi per intellectum huiuſmodi gradus, ſive ſecunda intentio communis , tamen non poteſt dari natura huiuſmodi communis. Subiicibile autem generis eſt natura non intentio : Deinde illa ſubiicibilitas ſpeciei, & individui eſt eiuſdem rationis (ſcilicet ſubiicibilitas incompleta) & differunt ſolo numero , ergo nihil prodeſt ponere tale ſubiicibile pro correlativo generis, magis quam ponere ipſam ſpeciem aut ſubiicibilitatem eius. Ex quo etiam ſolves quidquid dici poteſt pro natura abſolute ſupponente vt abſtrahit à ſuppoſitione ſimplici & perſonali; ſunt enim eiuſdem farinæ fundamenta : Dic ergo non dari in re eiuſmodi ſuppoſitionem : deinde ſi daretur malè aſſignandam, pro correlativo generis, quia aut illa ſuppoſitio coincidit cum ſimplici, & ita non eſt abſtracta; aut non coincidit ſed eſt abſtracta aliqua & ſuperior illâ , ex quo ſequitur quod non ſufficerent generi ſpecies ſed requiratur ſub genere genus , quia illa ſuppoſitio debet eſſe generica, cum abſtrahatur à pluribus ſpecie diverſis. Illa ergo ſubiicibilitas abſtracta vt maximè deſerviet ad prædicationes ſignatas, nihil autẽ ad exercitas; & vero videtur eſſe abſtractio accidentis à ſubjectis, ſicut albedinis à cygno & ligno non verò ſuperioris ab inferioribus qualis debet eſſe illa quæ reſponderet generi.

7. His addo ſententiam illam ponentium tam ſpeciem quam individua pro correlativo generis etſi vnum immediatius alio , adhuc non ſatisfacere, ſed addenda eſſe illis adhuc alia ſubiicibilia quæ ſunt ſuppoſita, nam reverà etiam de ſuppoſitis prædicatur genus, & illa differunt ab individuis, ſicut ipſa individua à ſpecie, addunt enim ei novam differentiam, aut quaſi differentiam contractivam ſuo modo individui, quod licet ſit ex ſe incommunicabile vt *quod* eſt communicabile vt *quo*, & ita videmus vnum individuum facere diverſa ſuppoſita. Sit exemplum noſtri huius additamenti in perſona Chriſti, ſuppono autem nomen eius proprium vt individuus homo erat fuiſſe *Ieſus* quo nomine verè vocaretur , etſi nunquam foret aſſumptus hypoſtaticè à Verbo; nomen autem *Chriſtus* eſſe eiuſdem nomen quatenus ſuppoſitum eſt, & ſubſiſtit in perſona verbi divini; quo poſito , certum eſt quod dixi , nam non ſolum hæc prædicatio vera eſt, Ieſus eſt animal. ſed hæc, Chriſtus eſt animal, quæ nullatenus ſunt ſynonimæ vt patuit, ergo.

8. Habeo tamen ipſe quod dicam contra doctrinam principalem Actionis, nam ſi verum eſt ſpeciem & individuum facere vnum ſubiicibile quia includunt naturam ſemel tantum non autem bis, adeoque non poſſe ab illis abſtrahi tertium ſequitur hanc prædicationem Petrus eſt homo eſſe ineptam , quia ſcilicet eſt prædicatio eiuſdem de ſe, non enim eſt alia humanitas quæ prædicatur, niſi ipſa eadem de qua prædicatur. 2. Acrius ſic, datur prædicabile in quid commune & abſtractum à genere & ſpecie, ergo etiam admitti debet ſubiicibile vt ſic abſtractum à ſpecie & individuo; hæc enim ſunt inferiora illorum ſuperiorum ſeu vniverſalium, ſtandum tamen eſt concluſioni. Ad primum dico valere doctrinam datam , non item valere replicam ; cauſa eſt quia aliud eſt abſtractio, aliud prædicatio: illa manifeſtè requirit pluralitatem eorum à quibus fit; prædicatio autem manifeſtè non , quia redderet eam falſam, ſufficit ergo ad hanc, quod idem alio modo dicatur ; Vnde hæc eſt optima, homo eſt animal rationale , & tamen vtrobique dicitur idem, licet aliter. Ad ſecundum nego conſequentiam , quia in genere & ſpecie eſt alia, & alia natura, alia enim eſt hominis, alia animalis ; in ſpecie & individuo non. Deinde eiuſdem rationis ſubijcibilitas eſt in ſpecie & individuo, reſpectu generis , non autem eiuſdem rationis prædicabilitas in ſpecie & genere. Vnde reſponderi ſatis bene poſſet ; concedendo totum , non tamen ad propoſitum arguentis; concedo ergo ſpeciem & individuum habere diverſæ rationis ſubijcibilitates , at non reſpectu generis, ſed reſpectu ipſius, & ſpeciei ; aliter enim ſubijcitur ſpecies generi, aliter individuũ ſpeciei Vides ergo definitionem Porphyrii datã de ſpecie ſubijcibili legitimam eſſe , etſi individua generi ſubijciantur , quod fuit intentum huius Actionis & finis præcedentis. Adhuc tamen opponi aliud poteſt, ſcilicet differentia ; nam hæc generi ſubijcitur, nec tamen eſt ſpecies. Reſpondetamen adhuc definitionem ſalvam eſſe, quia non ſubiicitur *in quid*; ſed contra : Dico opponi

poſſunt, vnum eſt, quod licet id ſufficiat ſpeciei, non ſufficiat Porphyrio, qui non addidit particulam illam omnibus definitionibus, ſed ex tribus vni tantum. Secundum & majus eſt hoc, quod videatur falſum reſponderi, non enim ſubiicitur generi differentia in quale ſed in quid, nam quærenti quale eſt rationale? v. g. non bene reſpondetur eſt animal; bene autem quærenti quid eſt? ergo reſpondeo non oportet nos nimis ſollicitos eſſe de Porphyrii authoritate. Defendi tamen poteſt hic; quia addidit eam particulam vltimam vltimæ definitioni quæ ex duabus conſtat. Ad ſecundum negari poteſt abſolute differentia ſubiici generi; probari enim non poteſt oppoſitum: ego autem hoc facile probo quia neque ſubiicitur ei in quale, neque ſubiicitur in quid, non primo modo, quia quærenti quale eſt rationale? non bene reſpondetur eſt animal; non ſecundo quia animal non eſt eſſentiale rationali. Confirmatur quia ſi differentia ſubiicietur generi; etiam proprium ſubiicietur ei. At hoc nemo dixerit ergo; patet paritas quia genus & differentia ſunt tantum realiter idem: quomodo proprium etiam eſt idem ei.

ACTIO TERTIA
Explicat Speciem prædicabilem.

BREVIARIUM.

Num 1. *Approbatur definitio Porphyrii,*
2. *Obiicitur ad hominem contra.*
3. *Obiectio ſoluta. Differentia individualis an de eſſentia individui?*
4. *Aſſignatur ratio cur differentia individualis non ſit eſſentialis, Confirmationes Theologicæ huius.*
5. *Obiicitur Deus quomodo non ſit ſpecies?*
9. *Altera obiectio.*
7. *Tertia ratio dubitandi, vbi etiam an mas & fœmina differant ſpecie?*
8. *Vltima obiectio: Idea Platonica, an ſubiicibilia ſpeciei?*

1. Dico autem illam eſſe quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid. Ita Porphyrius citatus Doct. hic q. 21. & omnes Explicata & probata eſt in definitione generis, quia omnes illius definitionis particulæ huc redierunt: ſupereſt ſola differentia ſpeciei quæ eſt prædicari de *differentibus numero* cuius ſenſus eſt ſpeciem prædicari completè, id eſt tanquam totam eſſentiam ſubiectorum, quum enim illa de quibus prædicatur ſolo numero differant, non differunt eſſentialiter quia differentia numerica non eſt eſſentialis, ſed extra eſſentiam rerum atque ad eo ſpecies eſt tota eſſentia eorum. Dici poteſt non ſequi hoc, quia genus etiam prædicatur in quid de differentibus ſolo numero v. g. de Petro & Paulo, nec tamen eſt tota eſſentia eorum, ergo. reſpondeo ſi prædicaretur genus proximè de his bene argueretur; quia ergo ſpecies proxime prædicatur de illis, de ipſa verum erit, quod in explicatione dixi; ſed contra

2. Inſtabis, ſupradictum eſt teneri poſſe quod Genus prædicetur immediate de individuis, ergo non ſufficit nobis iſta ſolutio hic, Reſpondeo non reprobavimus oppoſitum quin teneri ibi poſſet ſed quia aliter ibi punctum illud reſolvimus, aliter hic; Reſpondeo, optime intelligi poſſe clauſulam illam de *differentibus numero*, vt faciat ſenſum quod ſubiicibilia propria ſpeciei ſint individua; hoc autem poſito non poterit definitio competere generi, quia habet alia. Dices nec poterit competere ſpeciei, quia licet hæc non habeat alia ſubiicibilia, tamen aliud prædicabile habet hæc ſubiicibilia ſcilicet Genus. Reſpondeo hoc nihil obeſſe, quia licet aliud prædicabile habet hæc at nullum aliud prædicabile habet hæc ſola: Iam verò hoc quod eſt eſſe totam eſſentiam inferiorum provenit ſpeciei ex eo quod prædicetur de ſolis numero differentibus immediatè, adeoque hoc convenit ſpeciei non item generi. Ab aliis autem tribus prædicabilibus diſtinguitur eò quod prædicetur *in quid* abſolutè, quod addo quia differentia prædicatur in *quale quid* vlterius à duobus vltimis diſtinguitur ex eo quod hæc ſint extra eſſentiam rei. Adhuc etiam ab vltimo, quod ſit inſeparabilis: Redeundo etiam ad prima, differt à differentia quia hæc non ſubiicitur generi vt iam explicavi. A proprio, quia è nullius eſſentia emanat, ab accidente etiam quod nec intelligi quidem poſſit id cuius eſt natura ſpecifica ſine ipſa; & alia diſcrimina huiuſmodi adferri poſſunt ex Porphyrii cap. 7. de convenientiis & diſcrepantiis prædicabilium. Vnde denique habes definitionem eſſe exactè eſſentialem, nam quod dicunt nonnulli de ipſa & ſupra dixerunt *a* de generis definitione, eſſe eſſentiales per additamentum frivolum eſt & iam ſupra *b* exploſum.

a Poncius Maſtr. Roderiq. ſupra.
b Apol. 1. unm. Ab 1. num. 1.

3. Obiici ſolet: Individuum conſtat non ſolum naturâ ſpecificâ, ſed etiam differentia individuali: ſpecies autem dicit tantum naturam, non verò differentiam individualem, ergo non dicit totum quod eſt individuum, adeoque non prædicatur de eo completè. Reſpondetur communiter ſpeciem non dicere totum quod eſt abſolutè individuum dicere tamen totum quod eſſentialiter eſt aut dicit individuum. Sed huius ratio quæritur, quomodo differentia numerica v. g. Petreitas non ſit eſſentialis Petro, ſed ſola humanitas? quum tam impoſſibile ſit eſſe aut intelligi Petrum ſine Petreitate, quam ſine humanitate. Recentiorum aliqui victi ratione iam poſita dixerunt illam eſſe eſſentialem individuo, adhuc tamen verum eſſe, quod ſpecies prædicatur in quid completè de individuis, quia licet non dicat abſolutè totam eſſentiam individui, dicit totam eſſentiam prædicabilem eius. Ita illi *c* At enim hoc non videtur Logicè dictum, quia ipſum individuum & differentia numerica eius eſt prædicabilis, licet de vno. Intelligit fortè Adverſarius prædicabilitatem de multis; ſed ſi licet ipſi pro libitu inſerere gloſſas definitioni, licebit etiam mihi meam adhibere, & dicere etiam genus prædicari completè & tanquam totam eſſentiam de inferioribus, intelligendo prædicabilitatem de vlterius ſic prædicabilibus,

c Fr. Ovid. de Contr. 5. Log. 1.

aut

ſunt communicabilibus, ſive prædicabilitatem de ſpeciebus, nam nihil tale eſt eſſentiale rebus niſi genus ſpecies enim non prædicatur de ſpeciebus.

4. Itaque ſto antiquorum reſponſioni, quod ſcilicet rectius dicendum ſit ſpeciem eſſe totam eſſentiam individui, adeoque prædicari de eo completè quia nimirum eſt totum communicabile quod habet individuum, quoniam differentia numerica non poteſt numerari aut communicari per multiplicationem ſui. Iam res vertitur in eo an id quod non eſt communicabile ſit cenſendum eſſentia aut eſſentiale? de quo, reſolutio negativa quam dedimus ſatis Chriſtiana eſt, & ſuaderi poteſt Theologiæ in hunc modum: Quoniam in divinis relationes perſonales tam intrinſicè conſtituunt perſonas, quam Petreitas Petrum, quidni enim, Paternitas Patrem, filiatio filium, &c. ſic conſtituat? & tamen illæ nec dicuntur nec ſunt eſſentiales perſonis, alioquin omnes tres non eſſent vnius eſſentiæ, ergo iam eo ipſo quod aliquod prædicatum incommunicabile, iam eſt extra eſſentiam omnem etiam rei conſtitutæ per ipſum, aliud enim non officit relationibus illis ne ſint eſſentiales niſi quod ſunt incommunicabiles. Præterea etiam abſtrahendo à myſteriis idipſum ſic ſuadeo: Eſſentia quoque debet eſſe ex materia & forma, ſive ex gradibus contrahibili & contracto, at vero nullum incommunicabile habet eiuſmodi gradus vt vides ergo. Maior videtur in confeſſo, hinc enim definitio dicitur explicare eſſentiam rei, & tamen omnis illa conſtat genere & differentia ſine gradu contrahibili & contracto. Dixi ipſe contra hoc aliquando, bene requiri ad eſſentias naturarum gradus communicabiles; at verò quando agitur de conſtituendo aliquo incommunicabili potius nocere quam iuvare communicabilitatem; ſingulare autem eſt incommunicabile, adeoque bene poterit ſingularitas eſſe de eſſentia eius, immo melius quam vniverſalitas, quæ ſtatim ipſam deſtrueret. Sed tenendum eſt vt ſupra, per hanc rationem oſtendi quod ſingularitas poſſit bene ingredi conſtitutionem individui, non verò quod ingredi poſſit eſſentiam eius quia nimirum hanc non habet.

5. Obiicitur 2. Deus eſt prædicabilis de pluribus numero differentibus, nec tamen eſt ſpecies ergo maior patet inſtâs Pater eſt Deus; filius eſt Deus; Spiritus ſanctus eſt Deus. Reſpondetur ab omnibus negandam eſſe maiorem, nec probatur ſufficienter illis inſtantiis, quia perſonæ non differunt numero. At enim huius cauſa aſſignanda eſt: Certum eſt quod illæ plures ſunt, cum ſint tres qui eſt ſpecies numeri, cur ergo non erunt plures numero? Itaque hic etiam numero repetendam antiquorum ſolutionem & applicandam maiori, dicendo, quod prædicetur quidem de pluribus, ſi voles etiam numero differentibus, non tamen cum ſui multiplicatione, hanc autem neceſſariam eſſe ad vniverſale quodcunque. Quia ergo Pater & filius &c. ſic eſt Deus, ne plures illi ſint plures Dii, ipſo Deitas non eſt ſpecies quia non vniverſalis. Atque hinc accommodari poteſt ſolutio in terminis argumenti iam poſiti, dicendo quod abſolutè non ſint plures numero illæ perſonæ quia nimirum illa pluralitas abſolutè numerica involvit pluralitatem ſeu multiplicationem non ſolum ſingularitatis quæ minus principalis eſt, ſed naturæ quæ plus facit, quia ergo eadem eſt natura in tribus (idem autem non poteſt numerari) non ſunt abſolutè tres aut tria ibi, ſed cum addito tres perſonæ vt ſubtiliter notavit Noſter 1. d. 24. quæſtion. vn. ſed hinc oritur difficultas, quam

6. Obiicies 3. Saltem perſonæ ſunt tres numero in divinis, ex hoc autem ipſo falſificatur concluſio, ergo. Minorem oſtendo, tum enim ratio perſonæ poterit de illis tribus numero differentibus prædicari etiam in quid, & tamen illa non eſt ſpecies, quia nihil divinum eſt in genere aut prædicamento vt ſuppono. Hic Logici ſentiunt ſe arctari, & præ omnibus noſtri, propter loca Doct. quibus videtur dicere, quod ab illis tribus poſſit abſtrahi ratio perſonæ, omnibus vnivocè communis; ſed reverà hoc non dicit niſi hæſitanter, & ad ſummum problematicè vt patet ex ipſo 1. *d.* 23. *q. unic.* fine inibi eodem modo loquitur de perſonis illis ac de individuis; clarum eſt autem quod ab individuis non poſſit abſtrahi conceptus communis in doctrina eius: Deinde eadem diſt. & q. numer. 5. etſi concedat conceptum perſonæ tribus communem, negat tamen eum eſſe vniverſalem & eod. 1. *d.* 26. *q. un. num.* 5. dicit idem eſſe in divinis paternitatem & hanc paternitatem, atque ita renuit concedere abſtractum à rationibus perſonalibus. Vnde ad argumentum poſſumus ſecurè negare minorem eius, & minorem probationis; quod eſt dicere, non dari conceptum vnivocum abſtrahibilem, tanquam tertium aut quartum quid, à perſonis; quod reverà valde veriſimile eſt: ſi enim individuis & individualitatibus non datur talis quomodo dabitur perſonis quæ ſunt vlterius determinationes rerum, & accedunt naturis poſt individuationes? Adhuc etiam ſupponendo quod tenuerit dari conceptum abſtrahibilem ab illis, non erit ſpecies, ſicut ens aut ſubſtantia non eſt genus in Deo, eo quod non involvat potentialitatem; & hoc planius exhaurit difficultatem; revera enim difficile eſt quod non detur ſaltem ratio relationis communis illis tribus &c. in Deo.

Scot.

7. Obiicies Homo eſt ſpecies, & tamen non prædicatur tantum de pluribus numero ſed & de ſpecie differentibus, ergo. Minor inde probatur, quia dicitur de mare & fœmina quæ videntur ſpecie diſtingui manifeſtè enim plus diſtinguatur quam duo mares aut duæ fœminæ. Ad hoc omnes idem reſpondent diſtingui marem & fœminam plus quam numero, non tamen ſpecie niſi accidentali. Sed (eorum pace) neſcio ubi didicerint ſpeciem accidentalem; aut quod aliquid ſit ſupra ſpeciem & non ſit genus; aut denique ubi viderint convenire in una illa plura quorum unū eſt ſecundum prædicabile, alterum quintum. Ad rem ipſam & formam argumenti reſpondendum eſt maiorem eſſe falſam ſi minor ſit vera, & vice verſa, ſi concedatur maior negetur minor, atque ita hic non poteſt facere difficultatem. Sed quoad materiam argumenti fateor diu jam adhæſit mihi ille ſenſus de mare & fœmina, quod probabiliter loquendo ſpecie diſtinguantur, intelligo vt debeo de ſpecie eſſentiali & verâ. Moveor autem argumento quo alias ubique huiuſmodi diſtinctionem intelligimus quia videmus ſcilicet aliquod prædicatum aut actionem convenire uni quod in altero non videmus quis enim hoc non videat in mare & fœmina cum neuter ſe ipſo generare poſſit, uterque poſſit. Dici poteſt hoc non inferre differentiam eſſentialem, ſed ad ſummum materialem aut quantitativam eorum, quia eſſentia eiuſdem ſpeciei plus poſſunt plura quam unum. Sed ſi ita eſt,

hæc

nec requiruntur niſi ad augmentum eiuſdem, quare non generant duo eiuſdem ſexus aut etiam unus qui ſine dubio ſæpiſſimè æquare duos poteſt. Reſponderi poteſt nec hoc eſſe impoſſibile, quin aliquando factum *Dion* memoriæ tradidit ut ex eo refert *Rhodiginus* a Pſyllos omnes viros fuiſſe nec compertum eſſe Pſyllam fœminam. Dorothæus medicus retulit Alexandriæ in Ægypto Cynædum peperiſſe, & fœtum miraculi cauſa aſſervari. Apud Germanos in exercitus Romano quem D. Curilius duxit ſervus militis peperit. *b* At enim ſint iſta vera, ut eſſe non videntur (nam de Pſyllis Plinius c multa & tamen de hoc nihil dicturus certiſſime ſi quid tale fuiſſet) adhuc illi different, nam etſi forte vir ſine fœmina genuerit non fœmina ſine viro (præter unicam quam proinde omnes mirantur) nam quod de Pergeſone refert ex aliis *d Cælius* & de junone. *Natalis e Comes*, fabulæ ſunt & proinde ridendæ, quales etiam ſolent hiſtoriæ ſupra poſitæ de viris parientibus, aut certe illi Androgni fuerunt ac proinde fœminæ. Sed ex hoc ipſo conſurgit huic ſententiæ noſtræ non parum difficultatis. ſi enim ſpecie differrent non poſſent in unum convenire, eo quod nihil unum poſſit eſſe in diverſis ſpeciebus, ſicut nec tranſire ab una ſpecie in aliam quomodo videmus ex fœminis fieri mares. Dicendum tamen hæc monſtra non præjudicare noſtræ ſententiæ non enim conveniunt in unum uterque ſexus, neque ſuccedunt ſibi in eodem niſi materialiter, & quoad corporis organizationem, nam qui ex fœminis viri apparuerunt, nunquam poſtea filios ſuſceperunt, & hermaphroditæ ſimiliter uno ſexu efficacites pollere ſolent. Vnde etiam *Cap. Presbyter 16.* & *diverſis* de *Cler. coniugat.* & *L. ſi plures ſſ de pactis*: lege compelluntur ad unius dumtaxat uſum. At vero ſpecifica differentia non eſt ſua in diverſitate organorum dumtaxat ſed vel maxime in diverſitate virtutis activæ aut paſſivæ unde *Ariſt.* 4. *de Gen. Animal.* cap. 10. *Mas* (inquit,) & *fœmina potentia quadam & impotentia definiuntur*, & eiuſdem operis lib. 1. c. 2. *Mas & fœmina inter, ſe differunt ratione, quod facultas utriſque diverſa eſt*, ex quo tanquam ex alio priori ibidem dicit ortam eſſe organorum diverſitatem. Atque ita argumentum noſtrum adhuc viget, ſed & Porphyrius in ſua arbore poſuit animal rationale tanquam genus; & Rudolphus agricola docuit ipſum hominem poſſe eſſe genus intermedium. Hoc hactenus parcius ob materiæ qualitatem.

a *Cælius lib.* 4. *c.* 23
b *Phlegon. Trallianus de mirabil. & longæ.*
c *Lib.* 7. *cap.* 2.
d *Lib.* 4. *c.* 1
e *Lib.* . . *cap.* 2.

8. Objicies ultimo, ſpecies eſſet prædicabilis de pluribus numero differentibus univerſaliter, tunc omnia numero differentia ſubjicerentur alicui ſpeciei. At non eſt ita nam ſi ponerentur à parte rei duæ naturæ ſpecificæ ſeparatæ V.g. humana & equina, veluti totidem ideæ Platonicæ ſine ſingularitatibus, eſſent plura numero differentia, non tamen ſub ulla ſpecie; quæ enim eſſet illa? nec valet dicere huiuſmodi ideas ſeparatas non eſſe poſſibiles, nam etſi ita ſit non deſinit difficultas, quia ſaltē ratione ſeparari poſſunt, ſicut genus à differētia ſpecifica, & tum redit difficultas ut omittam etiam à parte rei in aliquo inſtanti priores eſſe naturas ſingularitatibus. Reſpondeo ſpeciem eſſe prædicabilem univerſaliter, & eſſentialiter de differentibus numero tantum, adeoque non inveniri ſic differentia quæ non ſint alicuius ſpeciei ſubjicibilia ex quo patet & cur illæ eſſentiæ ſeparatæ non debeant eſſe ſubjicibilia ullius ſpeciei quia nimirum differunt pluſquam numero, non autem numero tantum. Alia vulgaria omitto: Vna tantum ſupereſt difficultas de ſubjicibilibus ſpeciei, an neceſſario debeant ſaltem poſſe eſſe plura, quod quidem Porphyrius in definitione ſua affirmat, ſed Thomiſtæ negant ſatis improbabiliter quod ni fallor oſtendam in ſequenti.

ACTIO QUARTA.

Vtrum Natura uno individuo contenta, foret ſpecies, etſi plura non eſſent, ne poſſibilia quidem?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Occaſio controverſia.*
2. *Concluſio negativa; probata*
3. *Alia probatio eiuſdem, An ſufficiant univerſali inferiora ficta?*
4. *Nova ratio ad hominem etiam. Angelos creatos non fieri ſpecies à Thomiſtis.*
5. *Irrita diligentia cuiuſdam contra Thomiſtas hic; adjuvatur*
6. *Objectiones duæ ſolutæ. An Angeli apud Adverſarios differant ſpecie?*
7. *Tertia acrior, & ad hominem. Reſpondetur ei etiam ad hominem*
8. *Reſponſio abſoluta & in noſtra ſententia & in illa recentiorum.*

1. Hoc dubium ſupra ex parte tractavi, quod cum non meminiſſem, iterum id hic reſolvi, nec debere volvi quia addit pleraque dictis. Cæterum nemo unquam de hoc dubitaſſet niſi Thomiſtæ aliqui ex quadam ipſorum Theologia minus probata aliam abſurdiorem ſententiam in Logica docuiſſent. Tenent ergo illi cum *D. Thoma a* Angelos non poſſe multiplicari intra eandem ſpeciem, ſive non poſſe dari duos ſpiritus eiuſdem naturæ V. g. duos Michaeles, vel, ut rectius dicam, alium Michaelem ſimilem, ne autem cogerentur negare naturas illas ſpecificas eſſe, dixerunt naturam immultiplicabilem poſſe eſſe ſpeciem. Ita illi ſed improbabiliter & cōtra communem fateor, difficultas non eſt propria ſpeciei ſed communis omni univerſali; ſed meritò hic examinatur, tum ut in terminis reprobetur hoc inventum Thomiſtarum; tum quia ſupra ſpecialiter reſolvimus ſimile dubium de Genere, in aliis autem prædicabilibus, non eſt tam apertè neceſſaria multiplicatio ut infra.

a 1. 2. *&* ; b *Cant. de exi.* 4. 4. *&* 1. *p.* *&* *in Logic.* F. *par.* 2. *com. Gent. c.* ; *Iavellus* 12 *Metaph.* 9. 2. 4. *Petr. Bern. in Cam. Hen.* 2. *d.* 5.

2. Dico ergo ad quæſtionem naturam cuius unicum tantum individuum eſt poſsibile, non eſſe ſpeciem, ſed requiri ut ſub ipſa poſſint ſaltem dari plura. Nihil receptius apud Logicos. *b* Probatur à noſtris quia niſi requireretur ad univerſalem,

c *Porph. cap.* 3.

Pariſienſ. tribus artic. & cap. de Gen. Ant. And. ibi l. Mauric. Hibern. Io. Anglic. in q. 18 univerſal. Scot. Lovanienſ. cap. de Gen. Rate. ibid. Paſqualim Metaph. diſp. 56.

lem, item naturam divinam, quorum vtrumque eſt falſum; ſequela autem patet quia nihil eis deficit niſi multitudo, ſingula enim eorum poſſunt prædicari de vno, imo natura divina poteſt prædicari aliquo modo de tribus, quod tamen non iuvat, quia non multiplicatur in tribus, ſed repetitur tantum aut communicatur. Hoc argumentum nonnulli ex noſtris putant eſſe validiſſimum, at non ego, niſi quid addatur; promptum enim eſt diſcrimen inter individuum, item inter naturam divinam, & inter angelum illum puta Michaelem Thomiſtarum; quia ſcilicet de eſſentia naturæ divinæ eſt ſingularitas, de eſſentia Michaelis non. De eſſentia autem aut quaſi eſſentia individui humani puta Petri eſt, (ſaltem conſtitutionem individui ingreditur) ſingularitas, non item conſtitutionem ſpeciei angelicæ ſicut nec Petreitas conſtitutionem humanæ; atque ita patet hic non eſſe paritatem & conſequenter negandam conſequentiam. Poteſt tamen iuvari argumentum ne pereat, applicando diſcurſum ſupra factum Apologia præcedenti de genere habente plures ſpecies, vlterius incommunicabiles. Fateor ſtante illâ diſtinctione ſingularitatis à natura eſt quidem diſparitas inter hæc ſcilicet inter individuum, & Deû, & inter naturam illam Angelicam Thomiſtarum quia nimirum in individuo & in Deo individualitas eſt intra eſſentiam, in natura illa Angelica non ſed diſtinguitur differentia numerica, à ſpecifica & eſſentiali. At enim ipſa diſtinctio differentiæ numericæ à ſpecifica in Angelis non ſubſiſtit, nec eſt admittenda, quod probari poteſt eodem modo quo ibi, quia quum non viderem ego differentiam ſpecificam latius patere, aut inveniri poſſe extra materialem, ſine cauſa dicerem dari aliam differentiam propter ipſam numeralem: ab eodem ergo proveniret ſpecificatio à quo individuatio Michaelis; ac ſi dicerem idem eſſe rationalitatem & ſingularitatem Petri. Nec valet reſpondere fore idem realiter non autem formaliter, quia manifeſtè plus coincideret tunc differentia ſpecifica cum numerica quam de facto coincidit; de facto autem ſunt realiter vnum, ergo in illo caſu poſſibili eſſentiam formaliter, & per omnia vnum. Forte dicturi ſunt in ipſa eadem differentia abſtrahi poſſe rationem ſpecificationis à ratione individuationis, etiam in illo caſu, ſed etiam oſtendi hoc pugnare cum caſu, aliter non magis coinciderent tunc quàm modo. Et præterea arguo de novo contra, quia differentia numerica cuiuſcunque eſt irreſolubilis in plures conceptus, neque quidquam ei convenit cum vllo alio quod ſuppono ſuo loco demonſtrandum in Metaphyſica; ergo ſi conſtitutum Michaelis eſt differentia numerica, non poteſt ita dividi in duo.

3. Probo aliter intentum, & in primis ſuppono doctrinam Adverſariorum, ſeu modum quo intelligunt & defendunt hanc ſententiam. Dicunt enim illi naturam Michaelis immultiplicabilem eſſe ſpeciem non quod velint poſſe haberi ſpeciē ſine multitudine, ſed quod putent ſufficere multitudinem fictam per intellectum, ſeu imaginariam ad hoc vt natura ſub qua ſunt, ſit & dicatur ſpecies. Contra hanc imaginationem arguunt alii quod hoc modo quodlibet poſſet fieri quodlibet vniverſale, ſpecies [v.g. homo] poſſet fieri genus, & genus quodlibet quamvis ſubalternum & atomum, poſſet protinus fieri ſupremum in prædicamento; quid enim dubitet inter alia figmenta, hæc etiam poſſe fingi? vtar hoc medio, ſed aliter vt recurrat non ſolum contra Thomiſtas ſed etiam contra vtentes eo, adverſarios adverſariorum. Arguo ergo ſic: natura incommunicabilis fit vniverſalis fingendo eam habere inferiora & eſſe in illis; atqui non poteſt intellectus hoc fingere; ergo nec reddere naturam eiuſmodi vniverſalem. Maior eſt ipſorum, probo ego minorem; non poteſt intellectus affirmare de vllo prædicata ei repugnantia repugnat autem rei incommunicabili communicabilitas vt patet, ergo non poteſt intellectus iudicare ipſam eſſe talem & multo minus prædicare ipſam de pluribus. Dices ad vniverſale non eſſe opus in iudicio, aut actuali prædicatione. Reſpondeo, ſit ita pro nunc, ſaltem opus eſt vt apprehendatur ineſſe ei prædicabilitas aut incommunicabilitas; atqui nec hoc ipſum poteſt etiam apprehendere rem cum prædicato ei repugnante v.g. hominem cum hinnibilitate, tum enim non hominem apprehenderet ſed equum, ſicut enim vera & realis hinnibilitas deſtrueret realiter hominem, ita hinnibilitas diſtrueret conceptum hominis. Confirmatur ſecundo quia licet non ſit opus ad vniverſale vt affirmetur aut prædicetur actu de inferioribus, tamen opus eſt vt reddatur prædicabile de illis; atqui non poteſt reddi prædicabilis de multis etiam per intellectum illa natura incommunicabilis, nam ſi eſt prædicabilis, non repugnabit dari actualē prædicationem eius; atque repugnat ſecundum conceſſa à te; Quod etiam amplius probo, quia ſi intellectus poteſt pro libitu ſuo quodlibet credere & iudicare tum nunquam poterit cogi ad quidquam iudicandum aut opinandum, cuius oppoſitum experimur, ac propterea conamur diſputationes noſtras ad prima principia reducere; quia illa & ſimilia non poteſt intellectus negare. At vero definitiones rerum ſunt principia, & quidem prima in illis materiis, quia non datur alia veritas prior; adeoque non poteſt intellectus oppoſitum eorum ſive ſimul cum illis, ſive poſt ea ſibi perſuadere: & ſane oppoſitum huius eſt condere potentiæ neceſſariæ libertatem, & facere intellectum voluntatem.

4. Probo denique tertio, quia ſpecies & quodcunque vniverſale debet vnione dici de inferioribus; natura illa Michaelis non ſic diceretur, etiam cō eſſis ei aliis individuis fictis ergo. Probo minorē, Michael verus & Michael fictus non habent rationem ſubſtantiæ eandem ſed pluſquā diverſam ſicut homo verus & pictus; nam & fingere, pingere quoddam eſt, & pictura eſt inſtar Poeſis ac fabulæ, ergo. Declaro rationem; homo abſtractus à vivo, & picto ſive mortuo, vel Michael abſtractus ab exiſtente & ficto neceſſario debet aliquid ficti continere, alioquin non abſtraheretur à ficto, deberet etiam aliquid veri, aliàs non abſtraheretur à vero, vt vides; ex quo ego duplicem conſequentem infero; primo iſtam, ergo non datur nec dari poteſt illud tertium abſtractū; patet quia non poteſt dari quidquam conſtans ex vero & ficto, ſicut enim poteſt dari quidquam totaliter fictum; non enim ratio totius eſt quæ impedit exiſtentiam eius, ſed ratio figmenti. Secundò infero, ergo ſententia Cajetana etiam poſt omnia fundamenta & figmenta eius eſt falſa, probo, nam etſi concedamus oppoſita prioris conſequentis ſcilicet dari naturam Angelicam continentem aliquid veri & ficti, tamen natura Angelica quæ jam eſt Michaelis non eſt talis; ſed eſt verè vera, ergo

Licet concedamus naturam fieri poſſe ſpeciem componendo eam ex vera & ficta id non facit naturam Michaelis eſſe ſpeciem, ſed aliam. Atqui Thomiſtæ abſolutè volunt naturas Angelicas quæ de facto ſunt, eſſe ex hoc capite vniverſales, quam merito vides, ergo.

5. Hoc argumentum quum apud me formaſſem vidi deinde ex parte apud alium, qui etiam conatus eſt Thomiſtas ſuo telo vulnerare retorto eorum fundamento in ipſos, ſic: Natura Angelica ideo immultiplicabilis eſt quia immaterialis, nam omnis diſtinctio numerica (ſecundum ipſos) ſumitur à materia, quum ergo Angeli materia careant debent etiam carere multitudine. Ex quo infert ille Rec. ergo in natura Angelica non ſolum poſſunt dari plura individua, ſed ne vnum, quia ad vnum individuum debet etiam aliquid materiæ concurrere, aliàs ipſa ſola non eſſet principium numericum; ſed neſcio an per hoc læſerit Adverſarios; volunt enim ipſi principium multitudinis numericæ eſſe materiam, ex quo quid ſequitur; niſi quod vbi non eſt materia non poſſit eſſe multitudo; At verò ſine multitudine clarum eſt poſſe eſſe vnitatem, ergo non tenentur Thomiſtæ negare omne individuum in ſpecie Angelica eò quod negent plura, ſed poſſunt vnum concedere, licet multa nolint, nam quis neſcit negato poſteriori non negari prius neque ex oppoſito antecedentis inferri oppoſitum conſequentis? Aliunde tamen mihi videor poſſe inſtaurare replicam, quia multitudo eſt repetitio vnitatis, adeoque eodem conſtant hinc inde vnum & multa, dico eodem in ſpecie, atque ita quidquid eſt quod facit vnum, idipſum repetendum eſt ad faciendum multa, toties quoties, id eſt, bis pro duobus, ter pro totidem, & ſic de cæteris: ſi autem eſſent faciendi multi Angeli, eſſet adhibenda materia, & repetenda in illis ergo in illo vno qui de facto eſt, de facto illa adhibita eſt, vel ſi ille vnus qui datur ſine materia eſt, etiam plures dari poſſent, qui etiam ſine materia forent. Habeo quidem quod ad hoc dicam, ſed non ſtatui hic juvare Thomiſtas.

6. Obiicio ex ipſorum penu. naturæ Angelicæ ponuntur in prædicamento, ergo ſunt vniverſales, prædicamentum enim eſt coordinatio generum & ſpecierum. Ita illi, quod mireris: in primis enim conſequens nemo negat, omnes enim fatentur eas verè eſſe vniverſales, quia ſunt verè multiplicabiles. Deinde antecedens ipſis negandum eſt, quod ſic oſtendo ex ſubiecta eorum probatione: non ponuntur illæ naturæ in prædicamento, niſi vt ſunt genera, aut ſpecies, ſcilicet prædicabiles de multis; atqui ſic non poſſunt poni in prædicamento ab ipſis, quia nimirum ſunt genera & prædicabilia de multis partim fictis, partim veris; in prædicamento autem non reponuntur figmenta nec totaliter nec partialiter ergo. Denique etſi nec genera nec ſpecies eſſent in prædicamentis adhuc iſti forent ibi, nonne enim ibi ſunt individua? & ſanè hoc titulo duntaxat Angeli Thomiſtarum ibi eſſe poſſunt, aut vt maxime alio quem aſſignabo in ſolutione ſequentis

Objiciunt enim ſecundò: Michael & Gabriel differunt ſpecie, ergo naturæ eorum ſunt ſpecificæ. Antecedens intelligendum eſt in eorum ſententia ſupponendo ſcilicet quod nulla duo individua poſſint eſſe eiuſdem eſſentiæ; verbo, accipiendo Michaelem & Gabrielem inſtar Petri & Bucephali, conſequentia autem patet: ſed ego conſequens diſtinguo, ergo ſunt ſpecies ſubiicibiles concedo conſequentiam, prædicabiles nego, quod tamen fuit probandum. Idem dic ad hoc aliud: Naturæ illæ conſtant genere & differentia, hæc autem faciunt ſpeciem ergo. Verum eſt enim de ſubiicibili tantum, non alia; ſed & antecedens diſtingui poteſt, conſtant genere & differentia numerica concedo, ſpecificâ & eſſentiali nego, pro quo refero me ad dicta ſupra, de vera acceptione eſſentiæ & eſſentialis. Addo etiam hic ex ibi addictis, non cogi nos ad concedendos Angelos illos eſſe etiam ſubiicibiles ſpecies, quia nimirum ſubiicibiles ſunt correlativum generis, & ipſum ineſſe talis conſtituunt; at vero ſupra oſtendi, non ſufficere generi ſpecies pluribus incommunicabiles ergo: pluris facio ſequentia duo; ex quibus

7. Obiicio 3. Etiam in illis naturis quas nos ponimus eſſe verè & completè ſpecies, totum non eſt in re, ſed aliquid ſupplendum per intellectum, ergo natura Angelica poterit bene dici vniverſalis licet aliqua prædicata aut inferiora eius ſuppleantur per intellectum, patet paritas, & probatur antecedens, accipio enim vnam v. g. humanam; certe natura humana non habet completam vniverſalitatem à parte rei, non enim eſt à parte rei vnica in multis, ſed multa in multis: Item ſi conſideretur ſecundum ſe antequam ponatur à parte rei contrahi per ſingularitates, licet non ſit ad vnum aliquod individuum determinata, non tamē eſt indifferens poſitivè, vt poſſit eſſe in multis coniunctim, ſed negativè, vt poſſit eſſe in quolibet vno quaſi diſiunctim. At vero ad vniverſale opus eſt vt natura ſit ſeu poſſit eſſe in multis poſitive & coniunctim, ergo denique aliquid ſemper ſupplendum eſt, & cur non hoc quod deeſt Thomiſtis;

8. Hoc dubium non vidi motum à Thomiſta vllo, ſi quis tamen eorum dubium vrgeret, reſpondendum eſſet ad hominem movendo aliud hoc; cur ſcilicet inter gradum ſuperiorem & inferiorem, inter duo attributa Dei detur diſtinctio illorum rationis ratiocinatæ, quæ non datur inter gradum inferiorem & ſe ipſum ſive inter idem attributum Dei, quum ad diſtinctionem habendam etiam inter plures gradus aut plura attributa opus ſit opere ſeu negotiatione aliqua intellectus? Reſpondebunt vtique diſcrimen eſſe quod ad diſtinctionem ponendam inter plura illa, habetur fundamentum in re, ad diſtinguendum autem idem à ſe non item. Idem ego dico in præſenti, quod ad faciendam ſpeciem ex homine intellectus invenit fundamentum in re, non vero vt ex illo faciat genus: Ad illos autem Angelos non invenit fundamentum vt faciant aut genus aut ſpecies niſi utrumque æqualiter & ita neutrum vero. Deinde in Rec. Sententiā nullo figmento opus eſt vt fiat vniverſale, ponunt enim ipſi vniverſale v. g. ſpeciem, non eſſe aliud quam aggregationem individuorum, clarum eſt autem adeſſe individua aggregata ſine figmento. Alii etiam qui ponunt in vniverſali vnitatem ſimilitudinis duntaxat, non egent figmento, vt vides; Nam etiam individua eiuſdem naturæ ſine fictione ſunt ſibi ſimilia ſed quia nos neutrum modum approbamus liberaliter excutere obiectionem hic, & fiet recolendo actus quibus fit vniverſale tam apprehenſivos quā comparativos. *In apprehenſivis ſeu abſtractivis non eſt mendacium,* vt fatentur omnes poſt Philoſophū 21
a In iudicativis, nec etiam; quando ſcilicet prædicamus naturam de inferioribus, ſic dicendo Petrus eſt homo, Paulus eſt homo. Vbi ergo eſt

men-

eſt mendacium & figmentũ? nullibi ſanè & quã-vis fictio poſſit eſſe ſine mendacio, tamen non eſt cenſenda hic intervenire, quia nihil non molimur, per intellectum abſtrahendo, & comparando. niſi quod neceſſarium eſt ad veritatem horum & ſimilium, Petrus eſt homo, Paulus eſt homo; certum eſt autem hæc non egere figmentis, quia veritas non eget: ergo.

ACTIO QVINTA.

Reſolvo plura ſparſim de Genere ſimul & Specie.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Nec genus in vna ſpecie, nec ſpecies in vno individuo Logicè.*
2. *Quid de illis Metaphiſicè acceptis?*
3. *An ſit quoad hoc aliqua differentia inter genus & ſpeciem?*
4. *Ratio partis affirmativa.*
5. *Species ſubiicibilis an vniverſalis?*
6. *Obiectiones contra concluſionem: pro parte affirmativa.*
7. *Ratio ſpeciei an univoca ſubiicibili & prædicabili?*
3. *Prædicabilitatem priorem eſſe ſubiicibilitate ſpeciei.*
9. *Oppoſitum tamen defenditur.*
10. *Ingenioſa doctrina Sub. Doctoris de hoc.*

1. PRimum ſit, an genus in vna ſpecie, & ſpecies in vno individuo conſervari poſſint, vel an quoad hoc ſit diſcrimen aliquod inter genus & ſpeciem? Ad quod reſpondeo iam reſponſum eſſe ſupra Apologia præcedenti pro magna parte, inde enim conſtat falſam eſſe *Cœleſtini* ſententiam putantis rationem generis in vna ſpecie conſervari poſſe, licet aliæ eſſent impoſſibiles, eò quod tunc quoque prædicaretur incompletè de individuis: at verò rationem ſpeciei non ſic in vno individuo eo quod tunc non haberet plura inferiora: qui modus reſpondendi non tangit quæſitum hoc directè, quia non eſt ratio ſpeciei quæ deeſſet illi naturæ hic ſed ratio vniverſalis vt ſic, vtique enim putaret ille quod tunc ſpecies prædicaretur de illo individuo completè id eſt tanquam tota eſſentia. Sed lapſus eſt in vtroque, nam neque genus prædicaretur incompletè tunc de individuis illis v.g. animal de Petro &c. Sed completè quia tunc coinciderent in vnum genus & differentia ſpecifica, puta animal & rationale vt ſupra, neque tota ſpecies eſſet eſſentialis individuo, quia differentia ſpecifica coincideret cum individuali quam ſcimus non eſſe eſſentialem. Itaque in eo ſtatu bis inverteretur ordo rerum, nam genus in priori caſu coincideret cum differentia ſpecifica, nec magis latè pateret. In ſecundo autem differentia numerica æquaret ſpecificam & æque latè pateret atque ita liquet quoad hoc non eſſe diſcrimen inter genus & ſpeciem, quod propriè eſt quæſitum huius loci.

diſp. 5. Log ſect. 2.

2. Poteſt tamen non tantum hoc Logico ſenſu ſed alio Metaphyſico quæri vtrum ſit diſcrimẽ aliquod inter naturam genericam & ſpecificam, vt vna exigat multa inferiora alia non? ad quod exiſtimo dicendum, Genus & multo magis ſpeciem tam quoad actualitatem, quam quoad potentialitatem ſuam poſſe in vno conſervari, dummodo aliæ ſpecies &c. ſint poſſibiles. Cauſa patet quia genus deſcendit ſecundum totum eſſe ſuum in quamlibet ſpeciem habetque in ſingulis omnia ſua conſtitutiva: v. g. animal in homine habet ſuum genus & differentiam, atque ita in illo ſolo eſt quoad omnia quæ dicit vt totum actuale eſt: atque etiam pro omni quod dicit vt eſt totum potentiale, quia ſtante poſſibilitate aliarum ſpecierum in homine, animal v.g. eſt tantum pars eſſentiæ & prædicabile incompletum de illo, remanetque contrahibile ad alias ſpecies per alias differentias quod eſt eſſe totum potentiale. Dices ſi exiſteret in vnâ tantum ſpecie, non poſſet cenſeri latiùs patere quam differentia ſpecifica, ergo non poſſet cenſeri genus ex diſcurſu hic & Apolog. præced. facto, ergo: Reſpondeo aliud eſt quod non foret genus, aliud quod non deprænderetur à nobis eſſe: Iterum dico replicam non habere locum; ſcimus enim in caſu quo aliæ ſpecies eſſent poſſibiles, qua circũſtantiâ adhibitâ, animal v. g. omnimodo eſſet genus eſſet realiter genus ſi in re eſſent poſſibiles illæ ſpecies: Eſſet intentionaliter, & cognitione noſtrâ ſi cognoſceretur à nobis habere ſpecies poſſibiles, quod idem fortiùs dicendũ eſt & ſimiliter probandum de ſpecie in ordine ad individua.

3. Adhuc tamen extendi poteſt difficultas, & quæri vtrum genus magis exigat plures ſpecies, quàm ſpecies plura individua, vt vel ſic ſaltem ſit aliqua differentia inter vtrumque: Reſpondeo affirmativè in gratiam antiquorum; *a* Ratio eſt, quia genus eſt quid eſſentialiter incompletum, ſpecies eſt contra completa; at vero incompletum ſine dubio appetit complementum ſui, quod confirmatur ex notiſſimo appetitu materiæ ad formam qui hinc oritur, itemque formæ ad materiam; nam & anima rationalis appetit conjunctionem ad corpus, (licet in aliquo noceat ei) propter majus bonum completionis, propter quod dicam ſuo loco reſurrectionem mortuorum fuiſſe quodam modo neceſſariam. Sed non videtur hæc ratio convincere intentum antiquorum, contra quos inſtantia materiæ retorqueri poteſt, nam & materia completur per vnam formam, & anima per ſuum corpus, nec altera eorum plura ſimul exigit. Video quidem diſparitatem inter hæc quod genus, quum ſit Logicum quid, ſit ſimul capax plurium; materia autem quia phyſicum, quid vnius duntaxat ſimul: ſed neſcio an hæc diſparitas faciat ad rem præſentem, agimus enim de natura reali generica, & potius Metaphyſicè quàm Logicè ſumpta; ſic autem non eſt capax duarum differentiarum ſimul, accepta ſcilicet realiter ſecundùm eſſe exiſtentiæ.

a D. Thom. 1. poſterior ſect. 12. Soto cap. de Gen. Paul Venet. ibid. Pau. Sonc. c. de ſp.

4. Puto ergo rem deducendam eſſe ex medio egeſtatis ad medium perfectionis, nam perfectio quæ accedit generi per compartem eſſentialem ex genere ſuo eſt maior & melior illâ quæ

accedit ſpeciei per aliquod accidentale: differentia autem ſpecifica eſt compars eſſentialis, numerica accidentalis, quia cum illa genus componit aliquod eſſentiale, cum hac ſpecies non. Declaro rem breviter repetendo inſtantias ſuprapoſitas melius enim eſſet materiæ ſi poſſet informari ſecundâ formâ ſubſtantiali quàm albedine; & animæ habere corpus quam ſecundùm locum ex quo colliges fruſtra aliquos exigere duas ſpecies ſub genere, vt minimum, aut duas differentias ſpecificas, nam genus tam exigit centeſimam differentiam quam ſecundam, non enim ex neceſſitate id exigit ſed ex perfectione, quam accipiet ſimiliter à quacumque differentia, adeoque Atque hinc deducenda eſt ratio reſolutionis, quia ſcilicet genus eſt eſſentialiter pars, pars autem melius eſſe habet quando actu componit; non verò ex eo quod genus perfectius eſſe habet in quibuſdam ſpeciebus quam in aliis, quo ſuppoſito dixit Recens *a* quidam genus certiſſimè requirere plures ſpecies, ſi ſcilicet teneatur quod in vna ſpecie habeat perfectiùs eſſe quàm in alia & idem dicit tenendum de individuis quoad multitudinem eorum, ſi teneatur idem, quod ſcilicet ſpecies habeat perfectius eſſe in vno quàm in alio: Hic inquam non probavit quãtum voluit; Nam etiam eo ſuppoſito non rectè dicitur genus requirere plures ſpecies, ſufficeret enim ei vnica perfectiſſima in qua inferiores gradus perfectionum aliarum ſpecierum includuntur: idem dic de individuis; Bene quidem colligeret ille requiri plures ſpecies, ſuppoſito quod producta ſit imperfecta duntaxat, abſolutè autem non; vt omittam quod ne quidem conceſſum cogimur concedere ei; Nam ſi animal v. g. ex ſe dicit & petit tantummodo perfectionem vt vnum, etſi poſtea admittat perfectionem vt duo, tamen negari non poteſt quin ſervari poſſit in ſpecie perfecta vt vnum.

a Hurtà. diſp 5. ſect 4.
Alb Tr. 4. in Porph. complut. diſp. 6. q. 3.

5. Quæro 2. Vtrum ſpecies qua ſubjicibilis, ſit univerſalis? & quomodo ſe habeãt duæ iſtæ rationes ſubjicibilis & prædicabilis in ſpecie; de quo Albertus Avicen. reprehendit, Cajeta. Albertum; Toletan. Cajetanum, poſteriores fere omnes Toletanum atque etiam Caet: adhærentes Alberto, qui planè docuit ſpeciem ut ſubjicibilem non eſſe prædicabilem; quod ante etiam Aliphærabius docuit, ſed omnium ſubtiliſsimè in hoc negotio verſatus eſt Noſter, q. 21. Vniverſalium & 29. prædicam. cum quo. Dico ad primum negativè, ſcilicet ſpeciem quà ſubjicibilem nõ eſſe univerſalẽ. *b* Probo quia ſubjicibilitas & univerſalitas sũt rationes oppoſitæ, & ſaltem diſparatæ, at vero unum diſparatum non continet aliud, & multo minus unum oppoſitum aliud contrapoſitum, ſi autem non continet jam non poteſt præſtare effectum eius, adeoque ſubjicibilitas non poteſt præſtare univerſalitatem. Major probanda eſt quia continet vim argumenti, probatur autem ſic ſubjicibilitas & prædicabilitas opponuntur: univerſalitas eſt quædam prædicabilitas, ergo univerſalitas & ſubjicibilitas opponuntur. Secundo idipſum, ſubjicibile qua tale reſpicit unum, univerſalitas qua tale plura, ſubjicibile enim eſt reſpectu ſuperioris, univerſalitas reſpectu inferiorum ergo. Confirmatur prima probatio, prædicatum & ſubjectum opponuntur, ut nihil quà prædicatum poſsit eſſe ſubjectum, ergo nec ſubjicile quo tale eſſe prædicabile.

b Alpharab. & Avicen. cap. de ſpec.

6. Objicies. Genus non eſt prædicabile (proxime intellige) niſi de ulterius prædicabilibus ergo ſubjicibile generis debet eo ipſo eſſe prædicabile de aliis. Antecedens eſt noſtrum ſupra ubi dictum eſt ſpeciem incommunicabilem non ſufficere generi, conſequẽtia patet, quid enim eſt ſubjectũ aliquod quatenus A. eſſe B. niſi non poſſe eſſe aut non poſſe habere rationem formalẽ A. niſi habeat rationem B Reſpondeo ad proximam hanc interrogationem iſta duo eſſe aliud & aliud, nam ſenſus ſecundi ſolum exigit ut inveniantur duo illa conjuncta in ſubjecto; ſenſus autem primi (quem nos negamus) exigit ipſam formam A. tribuere ſubjecto effectum formalem B. quod nos meritò negamus in propoſito fieri, ſcilicet ſubjicibilitatem prædicabilitatem tribuere, tamen pro oppoſita concluſione poſſet adhuc objici 2. Species ſubjicibilis ſe ipſa eſt prædicabilis de hac & illa ſpecie ſubjicibili, ergo ſe ipſa ſeu qua ſubjicibilis eſt univerſalis. Moveo hoc propter ſolutiones magis quam propter ipſum argumentum. Reſpondeo ergo primo extra formam quod ſubjicibilis reſpectu huius & illius ſubjicibilis non eſt ſubjicibilis, niſi ſolo nomine (quia ſic non reſpicit genus) ſed prædicabili. Reſpondeo 2 ſpeciem ſubjicibilẽ eſſe prædicabilem denominative, ſicut quæcunque alia natura primæ intentionis; quomodo ſupra dixi genus ut ſic eſſe ſpeciem & univerſale ut ſic eſſe genus, & ſub genere ſibi ſuppoſito. In forma ergo diſtinguo conſequens; ergo eſt univerſalis & prædicabilis prædicatione ſpeciei, denominativè tranſeat, eſſentialiter ſeu ex ſe nego. Dices, ſpecies ſubjicibilis non dicitur denominativè de hac & illa ſpecie ſubjicibili, ſed per ſe & eſſentialiter, ergo falsè reſponſum eſt. Propter hoc explico me, & dico eam, non eſſe eſſentialiter ſeu ex ſe prædicabilem id eſt illa ſecunda intentione, qua eſt ſubjicibilis, ſed alia ſibi per accidens adveniente denique dico argumentum non facere ad rem & mentem Adverſ. ſive Avicen. ſive Caet. quia in hac & ſimilibus quæſtionibus agitur de natura & prædicabilitate eius ut *quod*, de prædicabilitate autem intentionis non niſi ut *quo*. Arguens autem aſſumpſit intentionem ut *quod* & ut rem, non vero quomodo debuit ut *quo*, aut ſicut loquitur D. ut modum. Iam quoad ſecundam partem tituli de ordine harum rationum in ſpecie D. q. *illa 21 prædicabilium* diverſas vias tradit quarum ego unam amplectar, alteram proponam, cui ea libuerit, amplectendam.

Scotum

7. Dico ergo ſubjicibilis & prædicabilis non eſt cenſenda una ſpecies, ſed duæ, atque ita ly ſpecies eſt æquivocum utrique. In natura autem habente utrumque reſpectum prior videtur ille reſpectus prædicabilitatis quam ſubjicibilitatis quã Primam partem habet Doct. cit. in ſolutione ad quartam nu. 4. ſecundam q. 21. prædicabil. ibidem §. *Sic ſpecies* ubi dicit ſpeciem ſecundum rationem ſui generis dici ad inferiora; ſecundum propriam ad genus. Videtur autem prius convenire rei id quod ei convenit ratione generis quam quod ei convenit ratione differentiæ, ſicut ipſum genus prius eſt differentia. Probo primam, quia ſpecies illæ habent diſtinctos & quidem ſpecie terminos, una habet genus altera habet individua; ſcimus autem relativum diſtingui & multiplicari per terminos, ergo. Atque hæc eſt vis illius axiomatis apud, quod Ariſt. idem bis non dicitur relative; ſenſus enim eſt quod nihil referatur primo ad diverſa, clarum eſt autem genus & individua eſſe diverſa, ergo nihil unum refertur ad illa; referuntur autem ſpecies ſubjicibilis & prædicabilis,

adeo-

Digitized by Google

adeoque non ſunt unum quid. Id ipſum probant argumenta poſita à nobis pro concluſione præcedenti, & pulcherrime proſequitur D. N. q. illa prædicab. citat, quia inquit ſi idem bis æque primo ſeu ad plura æqualiter referretur illa relatio eſſet duæ relationes eſſentialiter. Item tunc idem haberet duas definitiones, quia per utrumque correlativum æque primo definiretur: conſequẽs autem eſt falſum, quia tunc poſſit cognoſci per unam & non cognoſci per aliam. Itẽ tunc poſſet idẽ ſimul eſſe & non eſſe accipio enim duo correlativa A & B. Tum autem C. referatur ad utrumq; ſi C. referatur ad A. æque primo & etiam ad B. igitur quum A. poſſit eſſe ſine B. ſequitur quod C. relatum ad ambo ſcilicet ad A. & B. ſimul eſſet & non eſſet, quia eſſet exiſtente A. & B. deſtructo non eſſet. Pergo jam & probo illa eſſe æquivoca, vel potius ſpeciem ut ſic eſſe illis æquivocam, quia nimirum licet detur ratio relativa, intentionis & ſecundæ communis ſubjicibili & prædicabili, tamen nulla ratio ſpeciei aſſignabilis eſt utrique communis (quæ enim illa) atque ita ly ſpecies erit planè æquivocum illis, non minus quam canis cœleſti & marino, quia etiam hæc conveniunt in ratione corporis & ſubſtantiæ, & tamen æquivocè ſignificantur per ly canis, quia nulla natura canis communis eſt illis.

8. Probo alteram partem quod ſcilicet prior ſit prædicabilitas, ex ſupra poſitis, ubi diximus ad rationem generis opportere ut ſpecies de quibus eſt prædicabilis ſint univerſales, & ulterius communicabiles, ex quo ſic arguo. Ad hoc ut ſpecies ſit ſubjicibile generi requiritur tanquã conditio neceſſaria ut ipſa ſit prædicabilis & potens eſſe in pluribus, ergo ex duobus illis reſpectibus in ſpecie, prior eſt ille prædicabilitatis, conſequentia probatur quia quidquid requiritur ad conſtitutionem alicuius prior eſt ipſo, quodcumque enim ſic requiritur ſe habet ex parte alicuius cauſæ à quo dependet effectus, ſive efficientis, ſive materialis ut in propoſito; quod autem ſe habet ex parte alicuius cauſæ & complet eam, neceſſario prius eſt effectu, quia ſine dubio cauſa completa prior eſt illo. Objicies D. citatum, ubi dicit quod ſpecies primo reſpicit genus; individua autem per ſe quidem at non primo. Reſpondeo hoc eſſe additamentum non textum illius quæſtionis, in nulla enim editione habentur niſi in codicibus M. S. bibliothecæ Anicianæ ex quibus ipſa & ſequentia omnia ad finem quæſtionis deſumpta ſunt à PP. huius noſtri Collegii & inſerta textui in ultima editione quã hinc emiſimus; ſed quia eandem doctrinam repetit D. in Met. q. 14. quæ eſt ultima, (Lib. 5.) ubi totum illud additamentum fere ad verbum habet (quod noſtri non notarunt) Reſpondeo primo Scotum hoc non abſolute ſed ſub disiunctione dixiſſe illis verbis *vel aliter*; alterum autem abſolute. Poſt hæc etiam ad ſubtilem undique defendendum Reſpondeo cum ipſo & 9. Dico dici poſſe quod prior ſit reſpectus ſubjicibilitatis in ſpecie, quàm prædicabilitatis. Probo in neceſſariò relativis prior eſt reſpectus ad priora, ſpecies ſeu natura talis neceſſario refertur ad utramque ſcilicet ad genus & ad individua, adeoque prius reſpicit priora, ſed prius eſt genus, & poſteriora individua ergo ſpecies prius reſpicit genus quam individua. Confirmatur quodlibet prius eſt in ſe quam communicetur aliis (quod enim non eſt neq; communicabile neque incommunicabile eſt, ſed ſpecies *eſt* in ſe compoſita ex genere & differentia, & per hæc conſtituitur, ergo prius involuit genus & ordinem ad ipſum quã reſpiciat ulla ulteriora, quia nimirum in primo inſtanti reſpicit genus, alia non niſi in poſteriori aliquo: Quorum omnium ratio obvia eſt, quia nimirum prius quodque reſpicit ea à quibus ipſum dependet, quam illa quæ dependent ab ipſo.

Cogor iam reſpondere ad rationem à me ſupra poſitam in contrarium & dico, naturam prius eſſe communicabilem quam ſit ſubjicibilis atque etiam quam ſit prædicabilis; prius tamen eſſe ſubjicibilem quam prædicabilem, hic eſt enim ordo iſtorum; ſpecies debet conſtitui ex genere & differentia ſpecifica ſeu communicabili, quod totum cum ſit conſtitutivum ſpeciei prius eſt quocumque ordine eius ad alia; quum autem incipiunt ordines ad alia, primùm pullulat ille ad genus, quia eſt ad aliquid intimum, & deinde ille ad individua propter rationem pro ultima parte adductam.

10. Ad calcem actionis pro coronide ſubdam ingenioſum modum dicendi Doct. quo conatur oſtendere ſpeciem ſubjicibilem & prædicabilem poſſe aliquo modo coire in vnam, & ſaltem eo poſito priorem fere rationem ſubjicibilitatis quã prædicabilitatis: Quia (inquit) *poſſibile eſt idem referri ad diverſa non primo, nam primo refertur & per ſe ad primum correlativum & poteſt referri per ſe ad correlativum ſui generis v. g. multiplex & ſub multiplex referuntur*, & duplum ac dimidium *referuntur, ſed duplum primo & per ſe refertur ad dimidium, per ſe autem & non primo ad ſubmultiplex, quod eſt correlativum ſui generis & non primum dupli, ſed primum multiplicis, multiplex enim eſt genus dupli & ſubmultiplex dimidii, ſubmultiplex poteſt eſſe non exiſtente dimidio ſed dimidium non poteſt eſſe niſi exiſtente ſubmultiplici, ſed idem non poteſt referri ad quæcunque diverſa, quia ſi ad vnũ primo, & ad aliud per ſe non primo, tũc primum poſſet eſſe tale, quod non poſſet eſſe ſine per ſe correlativo, quam è contrario ſine primo & correlativo. Primò quaſi poſſet eſſe ſine per ſe correlativo, ſequeretur quod unum extremum ſimul eſſet & non eſſet, quia exiſtente dimidio, neceſſario eſt duplum quia eſt per ſe & primo correlativum, ſed deſtructo ſubmultiplici quod eſt per ſe correlativum dupli, & non primum deſtruitur duplum; ergo ſi dimidiũ poſſet eſſe non exiſtente ſubmultiplici ſimul eſſet duplum ad eſſe dimidii, & deſtrueretur ad deſtructionem per ſe correlativi, poteſt tamen eſſe è contrario extremum ſubmultiplex ſine dimidio, cuius cauſa eſt quia eſſe correlativum per ſe tantum ponit eſſe generis, & non ponit aliquid poſterius genere, omne enim ſuperius abſtrahit ab inferiori, poteſt ergo eſſe ſubmultiplex ſine dimidio. Ita ille ibidem* & vt dixi etiam 5. Met. ex quibus colligit ſpeciem reſpicere vtrumque ſcilicet genus & individua ſed illud primo, quia ratione ſui, hæc ſecundo quia ratione ſui generis ſcilicet vniverſalis.

Scot. q. 25. Vniverſal. & Metaph. q. 14.

Digitized by Google

ACTIO SEXTA
De Individuo.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Expenſus textus Porphyrii circa individuum.*
2. *Individuum prius prædicabile quam ſubiicibile.*
3. *Obiectio. Exempla individui à Porphyrio adducta an exacta?*
4. *Prædicabilitas individui.*
5. *Obiectiones duæ An & quomodo ſpecies ſit immediata individuis?*
6. *Aliæ duæ ex Ariſt. ex primo Prior.*

1. ERit autem de Individuo ſecũdo intentionaliter ſumpto, nam Individuum primò intentionaliter ſeu realiter ſumptum Metaphyſicæ releſvamus, vbi examinabimus quid ſit & an ſciri poſſit, item vtrum detur conceptus abſtractus ab omnibus individuis, & alia quæ aliqui a importune ſatis hic examinant, quũ nihil minus quam Logicam contingant. Breviter ergo duas illas definitiones Individui à Porphyrio traditas, primam & vltimam hic expendemus, eſt autem prima: *Individuum* eſt *quod de ſolo vno prædicatur*, vt communiter refertur; cæterum in textu eſt Ly *particulari*, vultque individuum eſſe quod de vno ſolo particulari prædicatur. Altera hæc: *Individuum eſt quod ſub ſpecie continetur*, quæ duæ definitiones reſpondent (vt vides) duabus, quas idem ſupra de ſpecie tradidit; vt iam videatur Porphyrius dividere individuum quoque in ſubiicibile & prædicabile, & fere eadem argumenta redeunt quæ ſupra de ſpecie: de his dicam quod ſentio ſequentibus.

a Poncius diſp. 6. per totum.

2 Dico autem primo, quidquid ſit de prioritate ſubiicibilitatis ad prædicabilitatem in ſpecie; certum eſſe debet rationem prædicabilitatis in individuo priorem eſſe, ratione ſubiicibilitatis in eodem. Probo qua nihil ineſt vlli ante ſeipſum, adeoque nihil prius convenit individuo puta Petro quam Petrus, ſed ex eo quod quidpiam eſt aliquid ex eo inquam illud aliquid eſt prædicabile de eo, ergo nihil prius convenit Petro quam eſſe prædicabile de ſeipſo, imo nihil æque primum, adeoque nec eſſe ſubijcibile ulli. Confirmatur: tanto prius competit prædicabilitas alicui, quanto prædicatum eſt intimum ſubjecto; ſed prædicatum Petrus magis eſt intimum ſubjecto Petrus quam prædicatum homo, & individuum, quam ſpecies ergo ſive loquamur de prædicatione exercita, ſive de ſignata intimius eſt Petro prædicabilitas de vno illo particulari quam ſubiicibilitas ad ſpeciem. Dices, hæc eſt immediatiſſima propoſitio: Petrus eſt homo; in hac autem individuum ſubijcitur ſpeciei, ergo immediatiſſimè ſubiicitur ſpeciei individuum atque adeo nihil immediatius ei convenit quam ſubiicibilitas & ita non prædicabilitas, vt dixit concluſio. Reſpondeo ſi vera fateri volumus fortaſſis negandum eſſe antecedens: ratio eſt quia mediat iſta *hic homo eſt homo* ſicut nec hæc eſt immediata: homo eſt animal, quia mediat hæc, homo eſt animal rationale. Imo exiſtimo rectius dictum iri: *homo eſt rationale animal*; quia propior eſt ſpeciei differentia quam genus Ratio omnium eſt, quia prædicationes eo magis immediatæ ſunt, quo prædicatum minus recedit à ſubiecto, & minus excedit ipſum. Vnde prædicatio generis de individuo eſt mediatior & remotior quam illa ſpeciei; & prædicatio generis ſupremi quam ſubalterni, atque adeo prædicatio æqualis de æquali prior eſt quam prædicatio alius latius patentis: prædicatio definitionis de ſpecie eſt prædicatio alicuius æqualis quia iſta convertitur cum definito; prædicatio generis eſt alicuius latius patentis ergo illa eſt immediatior hac, inſtari tamen poteſt: hæc eſt immediata, homo eſt animal rationale, ergo & hæc homo eſt animal, ſi enim totum illud prædicatum eſt immediatum ſubiecto, quanto magis pars eius? Reſpondeo meo modo prædicationem immediatam formandam eſſe ſic, *homo eſt rationale animal*, & tum hæc *homo eſt rationale* fortaſſe concederetur à me eſſe immediata. Ad tuam autem nego eſſe immediatam quod eſt negare conſequentiam argumenti; cauſa, quia in vna prædicatur animal contractum, in alia animal latè patens; at vero etſi animal contractum ſit immediatum homini, & æquè latè patens, non tamen animal in tota latitudine.

3. Obiici tamen poteſt ſecundo, totum hactenus dictum verum eſſe tantum de prædicatione naturali & identica: At verò individuum non eſſe prædicabile duntaxat prædicatione identica, ſed formali, ergo non ſufficit ratio poſita concluſioni. Vis argumenti pendet ex dicendis quæſt. ſequenti. Interim explicatur ſic; Licet immediatius conveniat Petro Petrum eſſe quam ſubiici ſpeciei, tamen immediatius competit ei eſſe ſub ſpecie, ſeu eſſe hominem quam eſſe hoc album & tamen *hoc album* eſt individuum etiam ſecundúm Porphyrium; & iſta Petrus eſt hoc album, eſt prædicatio individui, ergo. Reſpondeo duo vltima exempla individui à Porphyrio adducta non eſſe valde exacta, ſcilicet hoc album, & Sophroniſci filius, primum enim eſt individuum accidentis, non ſubſtantiæ aut ſpeciei, de quo voluit exemplificare: ſecundum autem manifeſtè poteſt multis convenire; potuit enim ſine dubio Sophroniſcus cum Socrate multos filios habere, & licet ſupponamus eum non habuiſſe alios quam Socratem, tamen id non ſufficit, aliàs dicam homo eſſe terminum ſingularem, ſi nòn daretur ſecundus homo, quod falſum eſt etiam caſu quo nullus daretur. In forma objectionis nego maiorem; nam hæc: Petrus eſt hic homo, non eſt identica, ſed formalis, & tamen immediatior eſt illa prædicatio, quam ſi ſubiiceretur ſpeciei immediatè: Imo & iſta, *Petrus eſt hic* eſt immediatior ea, eſtque prædicatio individui, ergo Maior huius probatur in ſimili; hæc enim: *Homo eſt rationalis*; videtur immediatior illâ, *homo eſt animal rationale* ergo & alia illa: *Petrus eſt hic*: quam iſta *Petrus eſt hic homo*, patet enim paritas.

4. Dico 2. Prædicabilitas individui qua de vno

vno ſolo prædicatur non eſt ſolum identica aut naturalis ſed formalis & artificioſa. Hanc negavit Tolletus, qui proinde ab omnibus vapulat. Probo ipſam in primis ex textu Porphyrii; nam niſi hoc dicamus Porphyrius turpiſſimè æquivocat, quia ille cap. 3. de ſpecie, continua ſerie ponit prædicabilitatem generis de ſpecie, ſpeciei de individuo omnium aliorum de pluribus, individui autem de vno ſolo; certum eſt autem genus prædicari formaliter de ſpecie, ſpeciem ſimiliter de individuo, ergo & individuum de ſuo vno, nam quis ferat authorem vocibus abutentem, vt nequidem in vna & eadem ſententia ſervaret eandem vocis ſignificationem? Probatur ſecundo inſtantiis quas circumferam per omnia prædicabilia: Ecce enim iſtas: Petrus eſt hoc animal: Petrus eſt hic homo; eſt hoc rationale, hoc riſibile, hoc album; omnes ſunt individui prædicationes, omnes ſunt omnium prædicabilium, prima primi, ſecunda ſecundi &c. Denique omnes ſunt formales, quia licet idem importetur per ſubjectum & prædicatum, non tamen eodem modo, quod ſufficit ad prædicationem formalem, aliàs prædicationes trium priorum prædicabilium ſemper eſſent identicæ. Negat aliquis *a* ſecundam eſſe ſecundi prædicabilis, aut omnino formalem ſed identicam, & ſynonimicam huic. Petrus eſt Petrus; ſed perperam, quæro enim ex illo an hæc, homo eſt animal rationale: ſit identica, & ſynonimam huic, homo eſt homo? negabit vtique quia illa eſt definitionis definitio: & non vidit ille hanc quoque eſſe; nam hæc *Petrus eſt hic homo*, eſt quaſi definitio Petri, conſtat enim Petrus naturâ ſpecifica & differentia individuali, ſicut ſpecies naturâ generica, & differentiâ ſpecifica: cur ergo aſſignatio generis & differentiæ ſpecificæ erit definitio ſpeciei, aſſignatio autem ſpeciei & differentiæ numericæ non erit quaſi definitio individui? ſi autem ſit, iam illa, Petrus eſt hic homo, eſt definitio aut quaſi definitio individui, nam natura ſpecifica eius eſt in Ly *homo* differentia numerica *hic*. Imo non ſolum iſto modo quo jacent, erunt formales illæ prædicationes, ſed etiamſi invertantur & dicatur *hic homo eſt Petrus*: itē *hoc animal eſt Petrus*, tam enim abſunt ab identicis iſtæ prædicationes quam aliæ illæ, vtroq; enim modo importatur aliud & aliud per ſubjectum & prædicatum, hoc autem intereſt quod in priori forma prædicationes ſunt non ſolum formales ſed directe in iſta autem ſunt quidem formales ſed indirectè. Stet ergo veriſſimè definitum eſſe individuum quod de vno ſolo prædicatur, etiā intelligendo prædicationem formalem & directam.

5. Dices primò, in prædicatione formali opus eſſe vt prædicatum ſit vniverſalius ſubjecto, id autem non obſervatur in dictis prædicationibus, vel ſi obſervatum ſit, iam illæ non ſunt prædicationes individui, quum enim ſubjecta harum ſint individua ſi prædicata eorum latius patea nt, quam ipſa, iam aut prædicata non ſunt individua, aut individuum non prædicatur de vno ſolo ſed de vno & aliquo præterea. Reſpondeo antecedens eſſe falſum, aliter enim prædicationes paſſionis de ſubiecto non eſſent formales v.g. iſta homo eſt riſibilis, immo nec prædicationes definitionis de definito vtraque enim iſta convertuntur.

Obiicies 2. acrius contra totam doctrinam hanc: ſi hæc: *Petrus eſt hic homo* ſit formalis & immediata, (idemque eſt de aliis ſupra aſſignatis prædicationibus individui) ſequitur quod ſpecies infima non infimè & immediatè prædicetur de individuis: conſequens eſt hactenus inauditum ſic enim ponitur individuum ſub ſpecie infima quomodo ſpecies ſub genere quod ſcimus immediatè de ipſa prædicari, conſequentia autem probatur, quia inter Petrum quod eſt individuum & hominem, qui eſt ſpecies mediant omnia illa ſuppoſita prædicata. Reſpondeo primo, negando abſunde conſequentiam, quia non omnia prædicata illa mediant propriè inter ſpeciem & individuum, non enim: hoc album, intercedit propriè inter ſpeciem & individuum: ſed adiacit ei tanquam quid extraneum & contingens: denique *de hoc animali* & ſimilibus ſupradixi, an & quomodo ſint immediata? Dico etiam tertiò & vltimatè, quod dicitur nihil mediare inter ſpeciem infimam & individuum completum, intelligendum eſſe de aliquo intermedio vniverſali non autem abſolutè de omni.

6. Obiicies 3. directè contra definitionem individui prædicabilis ſic. In hac ſine dubio definitur individuum in communi, ſed individuum in communi de multis prædicatur non autem de vno ſolo, ergo falſa definitio. Minor oſtenditur his & ſimilibus inſtantiis; verè enim dico, Petrus eſt individuum, Paulus eſt individuum: Item, hoc individuum eſt individuum, ergo nec evades dicendo prædicatum hic vbique eſſe æquivocum, quia ſcilicet non datur ratio individui ab omnibus abſtracti: Hoc inquam non prodeſt, procedit enim de individuo primò intentionaliter ſumpto, definitio autem & argumentum de ſecundo intentionaliter ſumpto, ergo Hoc argumentum frequens eſt in hiſce intentionibus vt patuit hactenus ſemper. Itaque reſpondeo concedendo maiorem & diſtinguendo minorem, Individuum in communi prædicatur de multis in actu ſignato nego, in actu exercito concedo; quod non negatur in definitione, ſecundò diſtinguo ſic, prædicatur de multis vt *quod* concedo vt *quo* nego, loquendo de intentione quæ hic definitur in concreto: Tertio diſtinguo ſic, prædicatur de pluribus prædicatione individui, nego alia tranſeat. Illæ ergo prædicationes Petrus eſt individuum, Paulus eſt individuum &c. ſunt quinti prædicabilis, illa: hoc individuum eſt individuum ſecundi.

Obiicies vltimo Ariſt. *b* qui in præd. ait primam ſubſtantiam id eſt individuum de nullo prædicari: Reſpondeo ſi hoc abſolute diceret Ariſt. non ſolùm concluſioni ſed ſibi contradiceret: Audi ipſum 1. Prior. *Vnumquodque ſenſibilium tale eſt [id eſt aptum] ut prædicetur; dicimus enim aliquando album illud Socratem eſſe, & accedens Calliam.* Ecce Socratem quæ eſt prima ſubſtantia prædicari: Conciliandus eſt ergo tam nobis quam ſibi Ariſt. vt in priori loco dicat non poſſe individua completa directè prædicari, In ſecundo poſſe ſed indirectè. Vbi non omittam Lectorem commonefacere, ne cuique credat de textu Ariſt. loco citato, in quo plane in contrarium ſui citatur à quodam quaſi dixerit, *Quod igitur entium quædam de multis apta ſint dici manifeſtum eſt*, cum textus Philoſophi manifeſtè habeat *Quod igitur entium quædam de nullo apta ſint dici manifeſtum eſt*.

Agunt de hoc Prædicabili & Subiicibili eiuſdem

Ariſt. 2 *Topic. c.* 2. *& lib.* 4. *c.* 1. *&* 2. & ante lib. 1. *capp.* 4. *&* 7. ſub titulo *de termino, Proprio &c.* & alibi

a Hurtad. ep. 5 Log. ſ. 3.

b Tract. 2. cap. de ſubſtant.

Digitized by Google

alibi Avicen. 1 *part. Log.* Amon. *hic* Porphyr. *hic cap.* 3 tract vt refert Laert. *lib.* 7. *de vit* Auer. *cap. de ſpec.* Albert. mag. *tract q.* 17. Alens. 1. *p. q.* 43 *artic.* 1. Boet. *in cap. de ſpecie vtraque editione in Porphyr.* D. Thom *opuſc* 48. *tract.* 1. *c* 3. Ookan. 1. *parte Logic. cap.* 21 & in *Logica textuali cap. de ſpec* Ioan. de Magiſt *q.* 7. *Log.* Ioan Anglic. & Braſovol. in Coment. Scoti hic. Franciſcan. Mayr. 3. & 4. *partibus univer.* Conymb. in *Coment. Porph. hic & qq.* 1. *ar.* 2. Aleman. *q.* 4. *de ſpec. ar.* 3. Rub. *c. de Spe.* Murcia *ib. diſp* 2. *q. unic.* Smiglet. *diſp.* 5. *vniverſ. q.* 3. Blancus *diſp.* 3. *ſect.* 7. *de ſpec.* Caët. *c. de ſpec.* Tolet. *ib q.* 1: Niger. *q.* 5. Onna *q.* 2. *ar.* 2. Moin. 1. *p. q* 50. *ar.* 4. Suar. *diſp.* 5. *Met ſect.* 2. Perez. *in Laurea ſalam. Certam.* 3 Cabero *tract.* 31 *diſp.* 3. *dub.* 3. Averſ. *q.* 11. *Log.* Complut. *diſp.* 5. *Logic. quæ.* 4. Fonſec. 5. *Metaph. cap.* 28 Hurtad. *diſp.* 5. *Log. ſect.* 2. Roderiquez. *q.* 1. *de ſpec. ar.* 4. Gonzalez. *ſecund. part.* Log. *q* 5. *diſp.* 4 Poncius *diſp.* 5. & *diſp.* 6. *Log.* Maſtr. & Ballut. ſimiliter *diſp.* 5. *q.* 2. Merin. *in cap* 3. *Porph. diſp.* 1. & 2 Roderic. Ariaga. *diſp.* 7. *Log.* Franciſci Oviedo. *in Log. Contr.* 5.

APOLOGIA QUARTA.

DE DIFFERENTIA.

Actio I. Vtrum definitio Differentiæ prædicabilis ſit exactè à Porphyrio aſſignata nec ne?

Actio II. Vtrum differentia dividi debeat in duo prædicabilia?

Actio III. Reſpectu quorum differentia eſt univerſale?

Actio IV. Examinat definitionem trimembrem differentiæ apud Porphyrium.

Actio V. Vtrum differentia inferior includat ſuperiorem, aut etiam Genus quod contrahit.

Actio VI. vtrum ſpecies infima habeat ſemper unam differentiam conſtitivam ſui?

Scotus q. 7. un. num. 3.

D*ici poteſt quod Genus & ſpecies non tantum differunt per hoc quod eſt prædicari de pluribus numero & ſpecie differentibus, ſed in* quid *convenit eis æquivoce quia genus prædicat partem eſſentiæ ſpecies vero totum. Non ſic autem quale ſubſtantiale convenit æquivoce differentiæ ultimæ, & intermediæ, quia utraque dicit partem formalem. definitio igitur iſta eſt tantum differentiæ intermediæ, & non ultimæ. Differentiæ autem in communi eſt ſufficiens definitio prædicari de pluribus in quale eſſentiale quæ convenit utrique differentiæ, prædicari autem in* quid *univocè non convenit generi & ſpeciei, ideo illa ſunt duo univerſalia, differentia vero unum.*

Idem 4. d. 11. q 3. num. 48.

Quod etiam additur quod differentia inferior includit ſuperiorem, hoc eſt manifeſte falſum, quia tunc impoſſibile eſſet per genus proximum, & differentiam proximam definire, quia idem bis diceretur ſcilicet illa differentia ſuperior per ſe incluſa tam in ratione differentiæ inferioris, quam in ratione generis proximi. Unde ponendo rationes generis & differentiæ loco nominum manifeſtè appareret negatio. Et hæc eſt intentio Philoſophi ibidem quomodo debeat negatio cognoſci in definitione, ponendo ſcilicet rationes pro nominibus: nec etiam poſſet dari diffinitio per genus remotum & plures differentias, quia eadem differentia proxima illius generis, diviſiva remoti pluries diceretur in illis multis differentiis additis generi.

ACTIO PRIMA.

Vtrum diffinitio differentiæ prædicabilis ſit exactè à Porphyrio aſsignata nec ne?

Num. 1. *Definitiones differentiæ apud Porphyrium.*
2. *Secunda (quæ communiter uſurpatur) an exacta?*
3. *Modus quo defendi poſſit.*
4. *Obiectio contra; ſoluta.*
5. *Variæ diligentiæ auctorum ut efficiant hanc definitionem omni differentiæ convenire.*
6. *Aſsignatur denique verus modus id præſtandi.*
7. *Obiectio prima Differentia vtrum abſtractum an concretum,*
8. *Altera: Differentia differentia an eſſe poſſit.*

Defini-

1. DEfinitiones differentiæ apud Porphyrium quinque ſunt prima eſt: differentia eſt *qua ſpecies excedit genus* 2. Differentia eſt *quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid* 3 *Qua dividit ea qua ſub eodem genere collocantur* 4. Differentia eſt *qua differunt à ſe ſingula* 5. quam cæteris præfert ipſe Porphyrius: Differentia eſt *quæ ſic diſtinguit rem ab alia, ut ſit etiam pars conſtitutiva eius*. De his ita nos in ſequentibus ne res intentionibus confundamus; & quoniam ſecunda intentio Logici examinis vel maximè eſt, à diffinitione illa principali incipimus quæ ſecunda ordine eſt, & dicit differentiam prædicari de pluribus ſpecie differentibus in quale quid; ex quinque enim definitionibus à Porphyrio aſſignatis, ſola iſta ei quadrat ſecundò intentionaliter acceptæ. De hac autem duo diſputari poſſunt; primum an conveniat differentiæ in tota latitudine? ſecundum an ſaltem differentiam ſubalternam exactè deſcribat, ad quod in primis reſpondeo &

2. Dico in verbis illis Porphyrii contineri exactam definitionem differentiæ ſubalternæ ſeu genericæ. Hæc eſt omnium omnino acum D. q. illa 27. probata ab ipſo ibid. citato, quia nimirum conſtat genere & differentia. *Genus eſt prædicabile de pluribus*: reliquum differentia, de qua fuſius dictum in ſimili ſupra de genere, ubi primo occurrit hæc forma definitionis. Dixi autem contineri in his verbis definitionem differentiæ, potius quam ipſam orationem totam eſſe definitionem quia nimirum exiſtimo illud ly *differentibus* ſalva definitione expungi poſſe, non poſſe item ſalva ipſa manere, Primum quidem, nam ſi dicam differentiam eſſe quæ prædicatur de pluribus ſpecie, iam intelliguntur correlativa ſeu ſubiicibilia differentiæ ſpecie differre, nam quæ numero ſolo differunt non ſunt plura ſpecie ſed vnum, quo modo Porphyrius dixit plures homines participatione ſpeciei eſſe vnũ: ſecundo autem ideirco cenſeo quia adhibere Ly *differentibus* in definitione differentiæ videtur quædam ſaltem verbalis petitio principii, & explicatio eiuſdem per ſemetipſum, cum tamen definitio debeat non ſolum adhibere aliud, ſed aliud notius patet hoc nam niſi ſciam quid ſint differentiæ nunquam diſcam per hanc definitionem quid ſit differentia, atque ita hic implicor infinito circulo, & inutili, quia debeo ſcire differentia ante differentiam, & hanc ante illa, quoniam ad ſciendum concretum debet intelligi abſtractum, differentia autem eſt forma & abſtractum huius concreti differens, atque adeo debet ſciri ante ipſum. Confirmo quia hic definitum debet ſciri ante definitionem, ſed ex communi habitudine definitionis & definiti vt ſic, definitio debet ante definitum ſciri, quum ſit explicatio ſcientifica eius, & oppoſitum non eſt aliud quam dicere quod aliquid (puta definitum) debeat ſciri ante ſcientiam eius: Vides anguſtias definitionis.

Ioc. lit. to Cai. v. Tolet. illeg. n. 17. y. Strat. lib. ... q. 4. ...ic 6.

3. Sed quoniam Scotus abſolutè pronunciavit illam eſſe definitionem differentiæ ſubalternæ, in gratiam Doct. libet etiam Porphyrium defendere, & quoquomodo ab hac tautophoniâ excuſare. Fiet autem id ſi dicamus definitum eſſe ſecundam intentionem, definiens autem primam; proinde non eſſe eiuſdem per ſe definitionem, ſed per longe diverſum, & omninò, diſparatum; nam differentia quod eſt definitum hic eſt abſtractum huius concreti *differens*; aut ſi ſit, nõ neceſſario ad propoſitum ſic accipitur. Hic enim definitur ſecunda intentio tertii prædicabilis, quam ſi lubeat potes appellare *Centaurum* quod diſparatum eſſe vides, aut etiam *concordiam* quod vides eſſe contrarium, atque ita ſignificatio Ly *differentia* hic eſt nova inſtitutio Logicorum non autem antiqua Grammaticorum quæ redit in Ly *differentibus*, vnde non recurrit hic eadem vox niſi naturaliter, & multò minus eadem res, quod omninò defendit definitionem: habeo tamen adhuc quod contra concluſionem & doctrinã Scoti hic.

4. Obiicio ſecundo, nam ſi hæc eſt definitio differentiæ ſubalternæ non autem infimæ quoque, ſequitur differentiã infimã ſpecie differre à ſubalterna, ſequela patet, quæ enim differunt, definitione ſine dubio ſpecie differunt quum definitio contineat eſſentiam etiam ſpecificã rei, vnde etiam Philoſophus ait ſolam ſpeciem definiri poſſe: conſequens eſt falſum, & contra ipſum Scotum, ſic enim darentur ſex prædicabilia quia ſola differentia faceret duo, & illa infima eſſet ſextum quod negat expreſſe præ aliis Scotus citatus: vel ſi propter hoc argumentum voles tenere quod vtraque differentia ſit eadem ſpecie, dices etiam infimam hac definitione eſſe definitam (quod pugnat cum infinitate eius vt videbimus) & proinde etiam definitionem hanc ſufficere differentiæ vt ſic quod negat Scotus & cum ipſo omnes. Confirmo argumentum occurendo ſolutioni quæ dari poſſet diſtinguendo de differentia primo & ſecundo intentionaliter accepta: hic enim (vt ſupra monui) agitur de differentia ſecundo intentionaliter ſumpta, vnde ſic arguo; aut differentiæ ſubalterna & infima ſecundò intentionaliter, & in ratione vniverſalis acceptæ differũt ſpecie, aut non; ſi ſic jam ſunt diverſa vniverſalia, ſi non, ergo hæc ſola definitio conveniet vtrique atque ita differentiæ vt ſic. Reſpondeo eligendum eſſe potius quod vtriuſq; poſſit eſſe vna definitio, ne incurratur inconveniens ſupra illatũ. At verò cum hoc ſtat quod hæc definitio non comprehendat vtramque: Inſtas, aut hæc eſt eſſentialis aut non, ſi non, ergo nequidem ſubalternæ ſufficit, ſi ſic & non convenit vtrique, quod hinc ſequitur niſi vtramque habere aliam & aliã eſſentiam? Reſpondeo hanc eſſe eſſentialem, at non purè talem, ſed involvere aliquid materiale & extrinſecum ſcilicet ſubiectum. Differunt ergo differentiæ ſubalterna & infima, non in eſſentiã, aut in ratione vniverſalis, ſed in ratione ſubiecti, quod in vna latius patet quàm in altera, quia vna eſt prædicabilis de differentibus ſpecie quum alia ſit prædicabilis de numero ſolo diverſis; & omnino ſe habent vtraque illa differentia, ſicut negatio & privatio, aut ſicut criſpũ & ſimũ quæ in ratione curvitatis planè idem ſunt non ſolum genere ſed ſpecie, differũt autem pænes ſubiecta, propter quæ poſſent formari de iis definitiones vtrũq; diverſæ. Ex his vides teneri à nobis quod hæc non conveniat differentiæ infimæ; quod quidem ipſa definitio probat, quia illud, *differentibus ſpecie* planum eſt ei non convenire quum nõ prædicetur illa de ſpeciebus, aut differẽtibus ſpecie, alioquin non eſſet infima, tum enim infra illam darentur aliæ differentiæ ſpecificæ, & eorum ſpecies; infima ergo prædicatur de ſolo numero differentibus, propter quod hæc definitio de illa non verificatur, adeoq; nec de differentia vt ſic.

5. Hic ergo iam labor eſt contra tam evidentẽ rationem ſuſtinere definitionẽ illam & authoritatem Porphyrii Recentiorum b aliquis tactus

b Hurtad. diſput. 6.

Logic. ſect. 5. hac difficultate ſubitò reſpōdit in ea re erraſſe turpiter Porphyriū, nec poſſe ſe ferre tam ſollicitos de eius auctoritate: Doctor reſpondit nō intendiſſe Porphyriū definire niſi ſubalternas, quod quidem multū detrahit invidiæ Porphyrio, quoniā vt ait Ariſt. 5. Eth. c. 5. *in* Ariſtot. *arte quidem qui ſponte peccat magis eligēdus* hoc eſt minus reprehēdendus quin laudandus *eſt*: non tamen abſolutè liberat eum; propter quod alii alias vias tentavērūt Avicenna. Alpharab. Averroes. M. itē Albert. &c. vt ſupra. Caet. & Soto. meliori animo quam eventus reſponderunt definitionē datā omnibus differentiis competere ſed particulam *differentibus ſpecie* intelligēdam eſſe non poſitivè ſed negativè, vt ſenſus ſit; differentia eſt cui quantū eſt ex ſe non repugnat prædicari de differentibus ſpecie, quod verū eſt etiā de infimis, ſed errant; repugnat enim infimæ ſic prædicari. Dicēt forte non repugnare ei vt differentia præciſè eſt, ſed eſto; num propterea per hoc rectè definitur, quaſi ſpecies aliqua rectè definiatur aſſignādo genus eius, ſive ea quæ ei cōpetunt ratione generis; Præterea ſic poſſē definire differentiam vt ſit quod ſit prædicabilis de pluribus numero tantū differentibus, quod etſi ſoli infimæ conveniat, tamen hi homines tenentur intrudere et á ſubalternæ æquo iure, nam ſpectatæ ſecundùm abſtractam rationem differentiæ id ei non repugnat, atq; ita eiuſdem rei erunt nō ſolùm diverſæ, ſed oppoſitæ & contrariæ omninò definitiones. Alii aliter, volunt ſubintelligendam eſſe particulā disiunctivam *vel numero* & tum deniq; definitionē fore exactā. Alii apud Avic. volunt definitionem ſine illa bene ſedere, quia etiā inferiora differentiæ infimæ differunt ſpecie, etſi non à ſe invicem, bene tamen ab aliis; ſed nihil proficiunt omnes; Primi quidem quia accuſant potiùs Porphyrium quem volunt omiſiſſe particulā apprimè neceſſariam, ſcilicet To *vel numero*. Deinde universaliter reprobæ ſunt eiuſmodi definitiones disiunctivæ, nam quis ferat me definientē hominē quod ſit *animal rationale vel irrationale &c.* Accidens quod ſit *ens in alio vel per ſe &c.* omitto perſequi alios, ſolū dico, quod illo modo poſſem definire ſpeciē eſſe quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, nam individua ſpeciei quantūvis infimæ differant ſpecie ab omni alia ſpecie & individuis eius, Tentemus iam ipſi tot præcedentibus ſuccedere ſi forte veteri cauſæ novum patrocinium adferamus. 6. Dico ergo poſſe ſic intelligi definitionē Porphyrii vt vtramq; differentiā amplectitur, atq; ita vna ipſa ſufficiat vtriq; tam ſpecificæ quā genericæ differentiæ. Hic me profiteor Porphyriū non Scotum tueri: concluſionem ſtatuo topicè, tantum defendendam ſeu viā aliquā probabilē, nō demonſtrativā. Probo autem eam aſſignando ipſum modū, qui eſt, vt illud *differentibus ſpecie* non intelligatur vt ſonat pro diverſitate eſſentiali inferiorū differentiæ ſed pro modo quo differentia ipſa de inferioribus prædicatur, vt ſenſus ſit, differētia eſt prædicabile de pluribus in quale incōpletè. Hoc autē poſſet cū fundamento dici, & eo dicto ſive credito diffinitionē ſubſiſtere ſive omni differentiæ convenire, ſic oſtendo: Nam eadē particula ſupra præceſſit in definitione generis, & hunc ſenſū habuit, non enim potuit intelligi pro diverſitate eſſentiali inferiorū, quum genus prædicetur de non diverſis eſſentialiter, puta de individuis eiuſdē ſpeciei, idq; per modū generis, alioquin ipſum genus faceret duo prædicabilia (quod falſò exiſtimarunt Lovanienſes) Debet ergo ſenſus eſſe quod genus prædicetur de pluribus in quid incōpletè: Si ergo tenendus eſt idē ſenſus eorundem vocū & vitanda ſummopere æquivocatio (vt dixi paulò ſuperius) nonne hic meritò eūdem ſenſum faciet, quod fuit primū ex duobus propoſitis punctis, ſecundum ſic oſtēdo quia conſtituto primo illo, ſenſus huius, differētia eſt quæ prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quale quid; erit quod differētia ſit prædicabilis de pluribus in quale quid incompletè, hæc autem ſecūdùm omnes eſt exacta definitio differētiæ tertii prædicabilis, & convenit omni; ergo. ſunt tamen aliqua quæ faciūt obicem huic expoſitioni. Dici enim poteſt id de genere rectè, dici non item de differētia quia nimirū nō datur aliquid prædicabile in quale quid cōpletè adeoq; Ly *differentibus ſpecie* fruſtra faceret illum ſenſū in definitione differentiæ, etſi neceſſariò fecerit in definitione generis Reſp. primò hoc probare quidem quod non neceſſariò iſtud ſignificetur iis verbis in definitione differentiæ, nō autē probare quod nō verè ſignificetur nā non ſolū verū eſt nihil: idem poſſe dici in quid completè de differentibus ſpecie, ſed etiā verum eſt nihil poſſe dici completè in quale de illis. Reſpōd. 2. & aſſigno ego aliquid prædicab. in quale quid cōpletè, eſt autē definitio quæ quoniā continet genus quod prædicatur in quid & differētiā quæ prædicatur in quale, meritò dicetur prædicari in quale quid, cæterū autē certū eſt quod prædicetur cōpletè ergo iā datur aliquid prædicab. in quale quid cōpletè.

7. Obiicio cum D. Differentia eſt abſtractum vt vides, ergo non poteſt prædicari verè de ſubiecto, nedū in quid aut eſſentialiter, probatur cōſequentia, notū enim eſt abſtracta ſic non prædicari, Antecedens etiā eſt certum, quia cōcretū eius eſt differens. Reſpond. breviter *differentiam* in ſe eſſe abſtractum, in inferioribus ſuis concretū, & vtroque modo prædicari poſſe; Abſtractū illud, in actu ſignato, vt fieri vides in hac ipſa definitione; concretum in actu exercito, vt quum dicitur rationale de Petro & Paulo. Dices reddit aliquid argumenti, nam ſi ſuperiora de inferioribus prædicantur non poteſt differentia eſſe abſtractum & inferiora eius concretum, niſi abſtracta de concretis prædicentur. Reſpondeo primo differentiam non eſſe abſtractam niſi in voce, idem enim eſt hic differentia ac id quod facit differre; Reſpondeo 2. ſit abſtractum, adhuc poterit prædicari & ſubiici concreto, hæc enim eſt vera & formalis, albedo eſt accidens, cuius cauſa eſt quia albedo nō eſt vltimatè abſtractum talle enim eſt albdineitas, & hic tale eſt differenticitas.

8. Obiicies iterum differentiā non eſſe definibilē, quia differentiæ non eſt differentia, aliàs iretur in infinitum, atqui omnis rei definibilis debet eſſe aliqua differentia, quū ipſa definitio non ſit aliud quàm aſſignatio generis & differentiæ, Reſpōdeo pro ſubiecta materia negando aſſumptū, vel diſtinguendo ſic differentia primo intentionaliter, non eſt definibilis tranſeat, ſive, differo hinc alio examinandum: Differentia ſecundo intentionaliter nego: [de hac autē hic agitur] & nego probationem eius, nā huiuſmodi differentiæ datur differētia & eſt *prædicari in quale quid*, ſicut datur illius genus quod eſt vniverſale aut prædicabile de multis: ſimilis eſt obiectio iſta differētia eſt relatio, relatio autē nō refertur (ſed refert) aliàs iretur in infinitum, ergo differentia nō eſt prædicabilis, ſed vel prædicatio ipſa exercitè vel alicuius ſimilis exercitū, reſpondendū eſt autem differentiā nō eſſe relationem ſed relativum, quamvis efferatur in abſtracto, non enim (ut dixi) attendendum eſt ad tenorem nominis, ſed ad ſignificationem eius. Exemplū huius redibit infra Apolog. ſequenti, de proprio. Interim ex his patet non eſſe mirandum quod Porphyrius dixerit differentiā prædicare *in quale quid* ſive huiuſmodi prædicabilitatem poſſe ulli uni convenire quam duo illa ſint differentiæ oppoſitæ dividentes prædicabilitatē ut ſic, adeoq; videntur non poſſe deinde ulli uni convenire. Nam *quid* hic poſitum in definitione differentiæ, non eſt *quid* contra poſitum quali, ſed eſt idem ac eſſentiale, ut ſenſus ſit differentiam prædicari in quale eſſentiale; non autem eſt quid ſubſtantiale aut ſubſiſtens quod convenit Generi & ſpeciei, Hoc enim *quid* excluditur per *quale*.

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO SECVNDA.

Vtrum Differentia dividi debeat in duo Prædicabilia?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Fundamentum partis affirmativa*

2. *Reſolutio negativa, & ſolutio. fundamentorum oppoſiti.*

3. *Poſſe hoc tertium prædicabile dividi in duo.*

4 *Non tamen æque diverſa ac primum & ſecundum.*

1. RAtio dubitandi eſt paritas ejus ad genus & ſpeciem quæ faciunt duo prædicabilia, quia unum prædicatur de differentibus ſpecie & alterum de differentibus numero, hoc autem totum recurrit in differentia, datur enim una quæ prædicatur de differentibus ſpecie ſcilicet ſubalterna, & alia quæ de differentibus numero tantum ſcilicet infima. Et quoniam dici poteſt ad hoc (ut nos proxime diximus) non ideo genus & ſpeciem facere duo prædicabilia, quia unum prædicatur de differentibus ſpecie, alterum de numero differentibus numero, ſed quia unum prædicatur completè, & alterum incompletè a Modernus quidam conatur perſuadere, quod etiam hoc conveniat utrique differentiæ, ut ſcilicet una prædicetur incomplete tantum, ſcilicet ſubalterna, alia etiam complete ſcilicet infima. Ratio eius eſt quia in tantum ſpecies prædicatur in quid complete in quantum non additur ei ulla differentia eſſentialis, ſed ſola differentiæ numericæ, quæ non ſunt de eſſentia rei: Atqui differentiæ infimæ non ſuccedit alia eſſentialis, ſed ſola individualis quæ (ut dictum eſt jam,) eſt extra eſſentiam rei, ergo. Idipſum alius ſic probavit Differentia ultima adæquate conſtituit compoſitum individuale diſſimile aliis & ſubalterna non adæquate V.g. rationale adæquatè diſtinguit hominem ab aliis quæ ſunt extra ſpeciem humanam, quod non facit ſenſitivum ergo iam duæ illæ differentiæ feciunt duo vniverſalia, ſicut genus & ſpecies: cur enim prædicari in quid completè & incompletè facient duo prædicabilia & nō facient prædicari in quale completè & incōpletè?

a R. Averſa 912. Log. 14.

2. Dicendum tamen quod horum nec concluſio nec ratio ſubſiſtit: non enim ideo ſpecies eſt tota eſſentia compoſiti, quia ei adduntur tantū differentiæ numerales, ſed potius è converſo, & in ſumma ratio eſt quia ſpecies dicit & includit poſitivè genus & differentiam, propter quod ruit ratio illa Averſæ, quia differentia non includit genus, adeoque nec totam eſſentiam rei. Ad ſecundum: vidit ipſe author negandum eſſe antecedens & omnino falſum & fallens eſt; confundit enim adæquatum cum vltimo quæ diſtinguenda ſunt, nam differentia ſpecifica facit vltimo differre, non tamen adæquatè, aliàs fruſtra adderentur differētiæ ſuperiores; longe alia eſt cōditio generis & ſpeciei, quia ſpecies non ſolum includit vltimū conſtitutivum eſſentiale, individui ſed omnia, ex quibus quia deeſt aliquid generi ideo genus prædicatur tantū incompletè ſpecies autem cōpletè. At vero clarum eſt quod omni differentiæ aliquid deeſt, ergo quælibet prædicatur incompletè. Dicet aliquis argumentum noſtrum poſſe contra nos torqueri, ſi enim ſpecies ultima includit totam eſſentiam individui jam fruſtra adhibentur ſubalternæ V. g. ſi homo eſt tota eſſentia Petri, fruſtra ſunt præterea animal & vivens & Reſpondeo non fruſtra ſunt, quia nec ſunt aliquid præterea ſed interea ſeu aliqua incluſa in ipſo homine. Sed contra erit, quod ſimiliter poterit adverſarius dicere differentias ſuperiores includi in poſteriora, cur enim ſuperiora genera in ultimo, & differentiæ ſuperiores non? Propter hoc de quo infra hac ipſa Apolog

3. Dico ſecundo ſi differentiæ ſuperiores includuntur in inferioribus poterit aſſignari aliquod prædicabile in quale quid incomplete & aliud finaliter in quale quid incomplete, atque ita tenentibus illam incluſionem dividi poterit differentia in duo prædicabilia, licet non æque diſtincta ac Genus ſpecies. Probatur facile quia differentia ſubalterna erit prædicabile in quale quia incomplete, infima autem in quale completè, non videtur autem ratio cur completum & incompletum *in quid* facient duo prædicabilia, non vero completum & incompletum in quale. Dici poteſt diſparitas eſſe, quod omnis omnino differentia prædicetur eodem modo, ſcilicet per modum partis, at vero non ita omne prædicabile in quid, datur enim prædicabile in quid quod prædicat totum eſſentiam ſubjecti. Reſpondeo hæc ratio probat quod dixi in ſecunda parte concluſionis, non tamen facit contra id quod dixi in prima. Concedo enim dari prædicabile in quid quod importat totalem eſſentiam ſubjecti, ſed quæro rationem huius, cur opus ſit ut quale completum quod faciet novum prædicabile, ſit abſolutè tota eſſentia ſubjecti, & non ſufficiat quod ſit tota eſſentia qualis (ut ſic dicam) ſeu differentialis eius; Certe ſi velimus rem rigidè expendere, complementum ſpeciei quæ prædicatur in quid completè ſecundū Te, non eſt propriè intra genus *quid* ſed participat de *quali*, ideo enim ſpecies completè prædicatur præ. genere, quia vltra genus dicit differentiam; at verò differentia non dicitur in *quid*, ſed *quale*, ſi ergo complementum alterius ordinis facit vt quidpiam prædicetur completè in *quid* quidni complementum in eodem ordine ſcilicet in *quale* faciat, vt quidpiam prædicetur completè in quale: Itaque ambo iſta ſe habent ſicus excedens & exceſſum, ſpecies plus habet de abſoluto complemento in eſſe & prædicari, at verò differentia plus habet de complemento in quale, adeoque videtur hæc magis prædicabilis in quale completum quam ſpecies in quod completum.

4. Habes etiam hic rationem eius quod dixi duo prædicabilia quæ fuit differentia non fore tam diſtincta quam genus & ſpecies, quia non tam different in ratione completi & incompleti, eò quod ſpecies abſolutè completè prædicatur differētia autem infima non, ſed completè ſecundū quid & cum addito, ſcilicet completè in quale. Video poſſe reprehendi quod dicitur ſpeciem prædicari in quid vt iam innui, ſed id non præiudicat reſolutioni datæ, ſive enim eius prædicatio ſit dicenda in quid ſive in quale, ſive aliter, omnino cenſenda eſt completa, quod ſatis eſt ad præſens.

ACTIO TERTIA.

Reſpectu quorum Differentia eſt Vniverſale?

BREVIARIVM.

Num. 1 *Status controverſiæ.*

2. Differentia non eſt vniverſale reſpectu ſpeciei probatur.

3. Aliæ duæ probationes huius.

4. Obiectio, num ſpecies aut differentia contineat virtualiter individua?

5. Obiectio altera, Differentia non proprie dicitur differentia.

6. Extendenda hæc doctrina ad genus reſpectiuè.

1. Controverſia eſt inter ſpeciem, ac inferiora eius: & quærit vtrum rationale v. g. ſit vniverſale reſpectu hominis, an vero reſpectu individuorum eius puta Petri, Pauli &c. Nam quod aliqui huc adhibent genus, quaſi dubitari poſſit, num differentia reſpectu eius ſit vniverſale, frivolum eſt, quum non prædicetur de eo differentia vt talis, nam rationale v. g. non eſt *quale quid* reſpectu animalis, quum omnino ſit extra eſſentiam eius; eſt autem reſpectu ſpeciei & individuorum eius, eadem difficultas eſt de Proprio, reſpectu quorum ſit vniverſale, puta reſpectu naturæ ſpecificæ à qua emanat, an verò reſpectu individuorum? quanquam maiori fundamento poteſt de proprio dubitari; de vtroque prædicabili alii hoc, alii illud ſentiunt.

a Complut disp.7 Log. q.2 Rubius in hic cap Averſa 912. Log. 53. b Hoc Soc. Sotus. Caitan c Hurtad d.6. Log.5. Ovid. Cont.6.p.4

2. Dico reſolutivè Differentiam eſſe vniverſale reſpectu inferiorum ſpeciei, non autem reſpectu ipſius Ita Subt. q. 30. prædicab. & cum eo fere a omnes, oppoſitum eſt paucorum b minoris notæ & numeri: Vbi tamen ſubit mihi notare Recentiorum c aliquot in conſequentiam qui cum teneant ſpeciem nihil eſſe niſi plura individua, hic tamen movent hanc difficultatem & reſolvunt nobiſcum conſtitui ſcilicet differentiam ineſſe vniverſalis per ordinem ad individua, non verò per ordinem ad ſpeciem, tanquam apud ipſos aliud eſſet hoc & aliud illa ſed Probo concluſionem, correlativum differentiæ in eſſe vniverſalis ſunt multa; ſpecies non eſt multa, ſed vna ergo non eſt correlativum &c. Maior probatur, quia correlativum vniverſalis vt ſic ſunt plura, ergo & ſpeciei in eſſe vniverſalis. Vnum effugium huius rationis eſt dicere, quod non ſufficiat quidem aliquid de vno quocumque prædicari, vt ſit vniverſale, bene tamen ſufficiat ſi vnum illud ſit vniverſale, nam hoc eſt inſtar plurium adeoque quod de illo prædicatur eo ipſo eſt prædicabile de pluribus: imo videtur id omnino dicendum non ſolum ſecundum Recent. ſed & ſecundum Scotiſtas, quandoquidem communiter ponant, quod genus eadem aptitudine referatur ad ſpecies & individua, ſimiliter enim differentia eadem aptitudine referretur ad illa utraque, & vel erit vniverſale per ordinem ad ſpeciem, vel non erit per ordinem ad individua. Cum authoribus primæ replicæ controverſia eſt, vtrum ad correlativum vniverſalis ſufficiat virtualiter, an verò requirantur formaliter multa. Probo autem requiri formaliter multa: primo quia vniverſale definitur vnum aptum ineſſe multis, in quâ definitione, ſine dubio termini non æquivocantur, ſed accipiuntur pariformiter, atque ita vna & multa eodem modo reſpectivè accipiuntur. Atqui vnum accipitur formaliter, ergo & multa: atque hinc arguo ſecundo in idipſum, quia ex tenore illius definitionis vnitas appropriatur vniverſali multitudo autem eius correlativo, atque ita iam reſpectu cuius aliquid eſt vniverſale, aliter & magis debet eſſe multa quam id quod eſt vniverſale reſpectu eius: Tum ſic, ſpecies non eſt aliter, aut magis multa quam differentia, quia etiam differentia eſt virtualiter multa ergo, differentia non eſt vniverſale reſpectu ſpeciei. Tertio ſic; quia vniverſalia debet eſſe multis, illa autem inferiora virtualia ſunt potius in ſpecie, quia in illa virtualiter continentur. Quartò; quod plus eſt: illa multa de quibus eſt prædicabile vniverſale debent eſſe extra ſe invicem, id eſt unum extra alterum; atqui illa virtualiter contenta in ſpecie non ſunt vnum extra alterum ergo Maior ſupponenda eſt, quia aliàs non facerent numerum atque etiam quia univerſale eſt prædicabile de illis diſtributivè & non ſolum collectiuè ſumptis; Minor autem multo magis probatur, quia quæcumque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, illa autem vni tertio, ſcilicet, ſpeciei ſupponis enim illa nihil individua ſunt eadem eſſe adhuc niſi ipſam entitatem ſpeciei ergo.

3. Redeo iam ad probandam concluſionem principalem: Vniverſale eſt ſuperius reſpectu eorum quorum reſpectu eſt vniverſale; Differentia non eſt ſuperius reſpectu ſpeciei, ergo non vniverſale. Maior eſt principium Logicum; minor autem probatur facile quia ſuperius latius patet quam inferius, at verò differentia ſpecifica non latius patet quam ſpecies: à ſuperiori non convertitur ſubſiſtendi conſequentia; à differentia ad ſpeciem convertitur, valet enim: eſt rationale ergo homo, & alia ſimilia quæ in hanc ſententiam dici poſſunt. Vnam tantum rationem addam quæ ſit iſta: Quod quidpiam prædicetur de ſpecie, non ſufficit vt ſtatim prædicari poſſit de individuis; neque quod prædicetur ſeu conveniat vlli vniverſali ad hoc vt proinde ſtatim dici poſſit de multis, ergo ad conſtituendum aliquid vniverſale non ſufficit aſſignare vnum aliud vniverſale, ſed debent ipſa particularia multa inveniri, antecedens probandum eſt, in eo enim eſt vis argumenti, & expreſſe contradicit ſolutioni ſupradatæ primæ probationis de continentia virtuali. Probo ego ipſum, quia ſpecies non continet virtualiter individua, quod oſtendo; nam non continet differentias numericas, hæ enim ab efficiente debent fieri, & reſpectu earum ipſa natura ſpecifica merè paſſivè ſe habet, ergo natura ſpecifica non continet individuas differentias & multo minus generica continet ſpecificas. Confirmo hoc ſecundò quia differentiæ ſpecificæ ſunt

perfe-

perfectiores differentia ipſius generis & multo magis gradu generico eius ergo non poſſunt hæ in illo virtualiter contineri.

Obiicitur: vt quid ſit prædicabile de multis ſufficit eſſe prædicabile de vniverſali aliquo, ergo differentia bene poteſt eſſe vniverſale per hoc quod ſit prædicabilis de ſpecie: probatio antecedentis, quia quod habet ſub ſe vniverſale habet ſub ſe multa, ſcilicet inferiora illius vniverſalis. Confirmatur vt ſuprà quia genus eſt genus etiam reſpectu individuorum, & tamen ſecundum nos non reſpicit individua niſi reſpiciendo ſpeciem, hoc eſt eadem relatione ergo. Reſpondeo negando antecedens: eſt æquivalens vtcunque illud, ſed non eſt ipſum; at verò ad confirmationem dico quod quamvis aliquid vna relatione reſpiciat plura ſibi ſubordinata certo ordine, tamen poteſt habere aliquam determinationem reſpectu proximi termini quam non habet reſpectu remoti; ſic avus eadem relatione reſpicit filium & nepotem, tamen reſpectu prioris eſt pater reſpectu ſecundi non, ſed dicitur auus. Ita ergo differentia poteſt eadem relatione reſpicere ſpeciem & individua eius, & tamen vniverſale eſſe reſpectu individuorum, reſpectu ſpeciei non item.

5. Obiicio ergo aliter; Differentia ut talis, eſt prædicabilis ſine dubio de iis quo facit differre, at vero differentia ſpecifica non facit individua differre, non enim differunt Petrus & Paulus in rationali ergo. Et confirmatur quia convenientia non poteſt eſſe differentia, atqui illud prædicabile *in quale quid* (ne jam utar nomine differentiæ) eſt convenientia ſive, id in quo aſſimilantur individua, ergo non poteſt eſſe differentia eorum. Hoc argumentum non eſt pro ſpecie, ſed contra individua; non enim probat ſpeciem eſſe correlativum differentiæ ſed individua non eſſe, etſi fortè claremus ipſi individua non proinde ſpecies erit. Re autem vera exiſtimo dandum eſſe argumento quod tertium prædicabile non valde convenienter appellatur nomine *Differentiæ* quia nimirum non facit differre illa de quibus prædicatur ſive, (ut rectius dicam) non exercet differentialitatem ſuam in illis in quibus exercet univerſalitatem quod videtur probare in objectione. Dices falſum aſſumi, facere enim differre illa, licet non inter ſe. Et hoc ergo expectabam dicendum: Sed contra inſto ex proxime dictis ſic; non facit differre illa niſi comparata ad individua diverſæ ſpeciei; At vero prædicatur in quale & ſuis individuis abſolute, & ſine ulla mentione individuorum alterius ſpeciei. Itaque exiſtimo nomen differentiæ hic non nimis apte ſedere: neque tamen timendum eſſe ſi deleatur, prædicabilia proinde immunii, quia cum differentia duo præſtet, & conſtituere rem in eſſe ſeu componere, & diſtinguere ipſam ab omni alio, venia Doctiorum dico tertium prædicabile rectius habiturum nomen à munere conſtituendi quam à munere diſtinguendi.

6. Denique quod dixi hic de differentia ſpecifica reſpectu individuorum, non eſt ipſi proprium ſed accipiendum cum proportione de omni differentia etiam ſubalterna & ſuprema, ut ſc licet, quemadmodum correlativum differentiæ ſpecificæ non eſt ipſa ſpecies ſed individua eius, ita ſubalternæ correlativum non ſit genus quod conſtituit, ſed ſpecies illi ſubjectæ.

ACTIO QVARTA.

Examinat diviſionem trimembrem Differentiæ apud Porphyrium.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Quid hic reſolvendum?*
2. *Definitio tria puncta circa hoc diviſum, & membra dividentia eius.*
3. *Differentia an propriè prædicabile?*
4. *Poſſe differentiam & debere adhuc in alias dividi. Adæquatio diviſionis & nihilominus imperfectio.*
5. *Rationes contra adæquationem motæ, ſolutæ. Proprium quartum prædicabile ad quod ex his ſpectet.*
8. *Probatur æquivocatio ſeu imperfectio diviſionis.*
9. *Obiectio prima, in oppoſitum, differentia Differentiæ ab univerſali ut ſic.*
10. *Obiectio 2. &c. An idem per omnia ſit conſtituere ac diſtinguere?*

1. Hic digrediar nonnihil à ſcopo ad examinandam differentiam primo intentionaliter ſumptam, quod quidem extra objectum Logicum eſt, ſed (neſcio quomodo) decet hic tractari non ſolum lege conſuetudinis, ſed quia in Methaphyſica non habet tam opportunum locum. Titulus autem quærit de prima tantum diviſione differentiæ [ſola enim illa trimembris eſt, reliquæ omnes bipartitæ] & meritò quia illa cæteras comprehendit, neque eſt vllum ex aliarum diviſionum membris quod ſub aliquo huius non contineatur. Dubitatur autem an ſit ſufficiens? univoca exacta, ſive ſecundum regulas præfixas bonæ diviſioni, ſed ego ante hæc omnia dicam meum ſenſum de materia ipſa diviſionis &

2. Dico neque diviſum hic, neque dividentia, pertinent ad hoc prædicabile: Imo ſi in rigore loquamur ad nullum. Addo diviſum non continere propriè rationem prædicabilem, etſi ſit multis prædicabilibus commune; explico me, & probo breviter intentum. Diviſum hic eſt commune tribus vltimis prædicabilibus, nam ex tribus membris diviſionis quodlibet eſt in diſtracto prædicabili, primum in vltimo, ſecundum in penultimo, tertium in tertio; differentia enim communis pertinet ad quintum prædicabile, propria ad quartum propriiſſima ad tertium; ex quo probatur illud de membris

iſſimam intelligi differentiam intrinſecè conſtitutivam rei: per propriam autem formam aliquam, quæ quidem, non conſtituit rem, ſed identificatur ei realiter: per communem, abſolutè ſeparabilem & diſtinctam. Ex quibus breviter patet ad tria ſupra obiecta: Differentia enim numerica propriiſsima eſt individuo quia conſtitutiva: & ſane ſtando in ipſis terminis Porphyrii talis eſt, quæ enim magis propria? certe ſpecifica non, quia hæc communis eſt illi cum aliis individuis. Ad ſecundum dicendum erit differentiam ſubalternam reſpectu ſpecierum quoque eſſe propriiſsimam, quia eſt conſtitutiva; paſsionem ſimiliter eius ad propriã pertinere, quia etiam illa eſt realiter identificata ſpeciebus. Ad tertium denique dico formam ſubſtantialem reſpectu materiæ eſſe differentiam communem, quia contingenter adeſt, atque ita ſeparabilis eſt, reſpectu autem compoſiti eſſe maxime propriam, quia eſt conſtitutiva. Vbi adverto quamvis hoc neceſſariò dicendum ſit, tamen non poſſe ſic reſponderi aliis qui exiſtimant formas diſtingui à toto, ſive partes à compoſito. Dices non requiri ad propriiſsimam niſi vt ſit conſtitutiva ſeu eſſentialis ſubiecto, talis autem eſt ſine dubio forma. Reſpondeo verum eſt; ſed quis ferat eſſentialia rei diſtingui ab ipſa, propria autem identificari? & tamen ſic illi philoſophantur.

7. Quæritur de proprio quarto prædicabili ad quam ex his pertineat; Reſpondeo mirari me quod hoc quæratur, quaſi dubium eſſet num proprium ſit propriũ: Dico nihilominus ex modis Proprii apud Porphyrium primũ & tertiũ pertinere ad tertium membrum huius diviſionis, ſecundum & quartum ad ſecundum. Cauſa eſt quia primum & tertium ſunt ſeparabilia, ſecundum & quartum non item, at verò non omnia inſeparabilia quæ ſunt extra eſſentiam pertinent ad ſecundum membrum huius diviſionis, ergo. Dices differentia propria eſt per accidens tantum inſeparabilis, propria autem paſſio eſt per ſe inſeparabilis. Item differentia propria ſuſcipit magis & minus, paſſio autem non, ſicut differentia ſpecifica, ergo aſſumpta harum rationum ſive maiores vt vocant ſunt doctrina Porphyrii. Reſpondeo doctrinam Porphyrii procedere in exemplis ab eo adductis, ipſe autem adduxit exempla Proprii numerici ſeu individualis; non verò ſpecifici, hoc eſt non eorum quæ emanant à natura ſpeciei ſed quæ accidunt individuo, talia enim ſunt aquilinum aut ſimum eſſe apud Porphyr. Itaque in forma nego vtrumque aſſumptum, & revera neganda (quoniam falſa) ſunt, nec libet morari levibus quæ ab auctoritate vnius pendent.

8. Supereſt probanda ſecunda pars concluſionis ſive analogia & æquivocatio harum differentiarum, quam ſic oſtendo. Differentia propriiſſima ſive eſſentialis facit ſimpliciter & abſolutè differens, communis non, ſed ſecundum quid, & impropriè, ergo nomen differentiæ illi verè (quia propriè) conveniet, huic falsò, quia impropriè, ſicut pictura dicitur impropriè prototypus. Antecedens continet vim rationis, & ſuadetur ſic: non poteſt differentia ſpecialiter & abſolutè convenire ei quod ſimpliciter & abſolutè eſt idem ei à quo dicitur differre; differentia communis competit ei quod ſimpliciter eſt idem ei à quo dicitur differre, ergo. Maior eſt tam certa, quam eſt verum aliquid non poſſe eſſe ſimul ſubſtantiam & accidens ſimpliciter, abſolutum & relativum, & ſimilia, quia ſimiliter idem & diverſum dividunt omne ens: probo ergo Minorẽ, quia differentia communis pôteſt competere vni & eidem ac diſtinguere ipſum à ſeipſo, ſic enim ſedens differt à ſtante, quietus à moto, ſecundum ipſum Porphyrium; at verò clarum eſt idem non poſſe eſſe aliud à ſeipſo. Probo etiam idipſum ſic: Differentia non ſolum eſt diſtinctiva ſed & cõſtitutiva, & quidem prius quodammodo, ſi ſit aliquod intervallum inter ea, quod non puto, quia differentia conſtituendo diſtinguit, vt ſupra notavi: vnde ſic arguo. Conſtitutum per differentiam propriiſſimam & per communem non conveniunt vnivocè in eſſe conſtituti, ergo neque ipſa differentia vnivocè aut eodem modo vtrobique conſtituit, ſed omnino æquivoco modo ac diverſo quod patebit cuilibet exemplo, nam rationale v.g. non ſic conſtituit Petrum ſicut albedo eius, illa enim ſimpliciter & abſolutè eum conſtituit & componit, iſta ſecundum quid & accidentaliter duntaxat; Vnde infero, ergo rationale & albedo æquivoca etiam diſtinguunt eum, cur enim munus conſtituendi erit in vtraque differentia illa æquivocum non autem munus diſtinguendi?

9. Obiici ſolet vniverſale vt ſic eſſe genus vnivocum ad quinque hæc, & tamen aliqua eſſe eſſentialia, vt tria prima alia accidentalia, vt duo poſteriora; ergo ſimiliter poterit ratio differentiæ eſſe eis vnivoca, licet aliqua faciant eſſentialiter differre, alia accidentaliter duntaxat. Sed ego vicinius obiicio ſic: Prædicari in quale vnivocè convenit omnibus his differentiis, ſive, quod idem eſt, tribus vltimis prædicabilibus, ergo & facere differre; vel ſic: quale eſt vnivocum quali eſſentiali & accidentali ergo diſtinguere erit etiam vnivocũ diſtinctioni ſeu differentiæ eſſentiali. &c. Reſpondeo ad primam formam argumenti negando conſequentiam propter diſparitatem quã ſic aſſigno: Quia nimirum de ſingulis illis quinque verè & propriè dicitur *eſſe in multis* in quo ſtat ratio vniverſalis. At verò de ſingulis his non ſimiliter dicitur *diverſum facere* in quo ſtat ratio differentiæ, quia propriiſſima ſola facit ſimpliciter diverſum & aliud vt loquitur Porphyrius: atque huius vlterior ratio eſſe poteſt quod ſola propriiſſima facit numerum, ſive multa, adeoque ſola ipſa facit differentia, quia differentia, qua talia debent eſſe plura, non autem omnes differentiæ exigunt numerum aut multitudinem ſed poſſunt compati cum vnitate vt patet in differentia communi; v. g ſtatione & ſeſſione eiuſdem ergo, ſed

10. Obiicies adhuc ipſam probationem concluſionis Differentia conſtituendo diſtinguit, ſive ſe ipsâ & ſua entitate diſtinguit, atqui ratio entitatis ſive (vicinius) ratio qualitatis aut formæ eſt vnivoca differentiæ propriiſſimæ & communi, ergo & ratio differentiæ. Deinde clarum eſt differentiam communem verè diſtinguere, ac non tantum pictè aut falsò cur ergo erit æquivoca ad propriiſſimam ſicut eſt pictum ad verum: Reſpondeo hunc diſcurſum probare concluſionem, non autem lædere, quia nimirum differentia ſe ipſa conſtituit, & ſe ipſa diſtinguit, at non ſe ſola; poſſet enim eſſe ipſa & etiam conſtituere neç diſtinguere, caſu ſcilicet quo non daretur aliud præter conſtitutum, vt ſi non daretur animal niſi rationale, tum rationalitas eſſet conſtitutiva non diſtinctiva. Ex quo probatur negandam conſequentiam conceſſo vel diſtincto antecedenti modo iam poſito. Iterum reſpondeo argumentum plenè eſſe in oppoſitum ſi enim differentia conſtituendo diſtinguit, certè æquivocè diſtinguunt,

ſine dubio minus latè patet quam genus, quia contrahit ipſum; ergo jam ſi genus ſe ipſum contrahit, minus late patebit ſe ipſo; contrahit autẽ ſi includatur in differentia, nam tota differentia cõtrahit, ſicut totum genus contrahitur, ergo jam idem magis & minus latè patet eodem, ſcilicet genus genere, aliquid ſe excedit ſcilicet genus ſeipſũ. Imo hæc abſurda bis hic ſequuntur ut patebit attendenti, ſemel ratione generis, item ratione differentiæ, cui etiam hæc contradictoria conveniunt. Simile argumentum formari poteſt ex eo quod differentia componat cum genere, hoc enim non poſſet ſi includeret ipſum ut vides. Probo iterum alio argumento Logico; dico enim hinc perverti doctrinam prædicabilium, & differentiam prædicari in *quid*, quod Porphyrius & cum eo omnes negant; ſed probo ſequi, quia genus prædicatur in quid, at vero differentia ſecundum adverſarios eſt genus ergo. Dices non ſequi illatum; quamvis enim differentia includat genus, aut etiam ſit genus non prædicabitur in quid hoc enim competit ei quod ſolum genus eſt, non vero ei quod genus eſt & ſimul aliud, qualis erit in hac ſententia adverſariorum differentia. Accipio ſolutionem, & adhuc probo etiam ex ipſa illatum: Differentia includit genus quod prædicatur in quid, ergo ipſa prædicatur in quid licet includat præterea aliquid quod prædicatur in quale probo hanc: ſic; ſpecies prædicatur in quid abſolute, & tamen includit aliquid quod prædicatur in quale, ſcilicet differentiam cur ergo ipſa differentia non prædicabitur in quid ſi ſi includat genus quod eſt prædicabile in quid, quamvis habeat etiã partem prædicabilẽ in quale; quia ubi duo illa prædicata concurrunt, abſoluta prædicabilitas rei eſt *in quid* ut jam patuit in ſpecie.

3. Tertium argumentum eſt etiam Logicum quaſi differentia includit genus formaliter, ſequitur quod fruſtra aſſignatur illud extra differentiã, & ita in omni definitione committitur negatio. Probatio ſequelæ, quia idem bis dicitur ſcilicet genus, ſemel in ſe, iterum in differentia exemplum: hæc; Homo eſt animal rationale quæ eſt abſolutiſſima definitio hominis, erit identica & nugatoria quia animal bis ponitur ibi, ſemel in ſe, & iterũ in rationali; ſimilia alia poſſunt reddi, ut quod tum differentia recta collocaretur in prædicamento aut certe (ut includit Doctor) deberent poni aliud prædicamentum imo duo alia etiam in ipſo genere ſubſtantiæ, (& ſine dubio ſimiliter in aliis generibus,) quia duæ illæ ſeries differentiarum ab utraque parte arboris prædicamenti circa truncũ medium faciunt ſingulæ ſuum prædicamentum, niſi admittantur ad medium huius quod nolunt adverſarii concedere, & merito, ergo. Sequela huius patet, cur enim ſpecies ſive ſubalterna ſive infima ponitur in arbore recta lineâ eo quod conſtet genere ac differentia, & differentia ipſa non ponetur ſi ſimiliter ijs partibus conſtet? Sequitur denique ex genere & differentia non poſſe fieri unum quia nimirũ differentia eſt ens completum, adeoque non poteſt cum alio componere niſi ens per accidens quod eſt falſum. Præcedentem rationem de poſitione differentiæ in arbore prædicamentali recta linea eo quod componatur ex genere & differentia poſſet quis cavillari, dicendo hanc eſſe falſam imaginationem noſtram, quia differentia non componitur ex ſe ipſa, adeoque male dicitur componere ex genere & differentia. Sit exemplũ, rationale non componitur ex rationali, adeoque licet includat animal nõ componetur ex genere & differentia, illa enim eſſent animal & rationale, hæc autem non ſunt partes rationalis, aliter idẽ eſſet totum & pars. Reſpondeo contra ipſum ſequitur quod rationale componatur ex rationali & differentia ex differentia, licet non ex illa differentia quæ eſt compoſitum bene tamen & neceſſariò ex alia, & unum rationale ex alio rationali, nam rationale quod ſecundum ipſum includit animal certe non includit animal ſolum, ſed præterea aliquid; illud autem aliquid ſine dubio eſt aliquid diſtinctivum, & ita differentia; non aliud quã rationale, ergo jam rationale cõponetur ex rationali & atq; ita in uno erunt duo rationalia, unũ cõpoſitum & alterũ componẽs atq; alia ſexcẽta paradoxa quæ facile inferri poſſunt ex hac Logica Adverſariorũ.

4. Probo jam Metaphyſicè intentum, & accipio genus animal; differentias rationale ac irrationale, & ſic arguo ut probẽ animal non includi in rationali; Non includitur animal in rationali, ergo nec in rationali conſequentia ſine dubio valet, antecedens autem ſi concedatur, habetur intentum, ſi negetur, ſequitur quod ipſa differentia ſit conveniẽtia aliquorum, quo nihil falſius; patet autem ſequi, quia irrationale eſt differentia hominis & bruti, ſive id in quo diſconveniunt, hæc autem ſecundum. Adverſarios eſt cõvenientia eorũ, quia eſt animal in quo conveniunt homo & brutũ. Hic reſolvendum eſt quod ſupra adverti differentiam hic nõ ſignificare quod ſonat, ſcilicet ipſum diſcrimen aut diſtinctionẽ in abſtracto, ſed id potius in quo aliqua differrunt, & à quo oritur illa differentia ſeu diſſimilitudo, tum autem manifeſtè ſequitur conſequẽtia ſupra illatã, quia manifeſtè idem eſt principium conveniendi & differendi homini ac bruto ut vides, ergo Probo etiam ſecundò medio Metaphyſico idem ſequitur enim ex oppoſito infinitus proceſſus generum atque differentiarũ, vel, ut propriè dicam, ſequitur genus aliquod in eodem cõpoſito infinities includi, & ſimiliter eandem differentiam infinities reperi in eodem, quo nihil ineptius, ſed probatur ſequi: Accipio enim rationale & irrationale, & de his quæro utrum conveniant in animali; necne? ſi non, habetur intentum; ſi ſic, etiam certum eſt quod diſconveniant in aliquo, atque ita dabitur aliqua eorum differentia: De illa differẽtia rationalis ab irrationali quæro an includat animal? ſi non, iterum eſt intentum concluſionis; ſi ſic, jam bis habetur animal in eodem, necdũ ſatis tamen; quæram enim de illis etiam differentiæ differentia an includat genus, & debebit reſpõdere quod ſic, cur enim una, & nõ omnes; eo autẽ dato, dabitur etiam tertia differẽtia hominis à bruto ſive eadem tertio repetita & genus toties atque ita pergendo invenietur utrumq; in quolibet individuo infinities quo nihil ſtultius dici poteſt, nec tamen evadi poteſt ab adverſariis niſi tranſeant ad noſtras partes, & fateantur genus à principio non fuiſſe incluſum in differentia. Video tamen dici poſſe, nõ ſequi quod ſecunda differẽtia ſive differentia differentiæ, illa ſcilicet qua rationale differt ab irrationali includat animal quia animal nõ eſt eius genus, ſed tantum primæ differentiæ, ſeu primi rationalis, adeoq; ex eo quod dicãt illi genus includi in differentiis non rectè colligitur animal includi in ſecũdo rationali; tantũ enim ſequitur genus includi in prima differentia, at vero in illa differẽtia differentiã primã includi. Sed eſto totũ; concedo quod animal non ſit genus niſi reſpectu primæ differẽtiæ, adhuc includetur in ſecunda, ſive in differentia differẽtiæ, nõ minus quam in prima quæ fuit generis differẽtia; Ecce quomodo: quia nimirũ prima differentia includitur in ſecunda, (hæc enim, ſcilicet

ACTIO SEXTA
De Individuo.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Expenſus textus Porphyrii circa individuum.*
2. *Individuum prius prædicabile quam ſubiicibile.*
3. *Obiectio. Exempla individui à Porphyrio adducta an exacta?*
4. *Prædicabilitas individui.*
5. *Obiectiones duæ An & quomodo ſpecies ſit immediata in dividuis?*
6. *Alia duæ ex Ariſt. ex primo Prior.*

1. ERit autem de Individuo ſecũdo intentionaliter ſumpto, nam Individuum primò intentionaliter ſeu realiter ſumptum Metaphyſicæ reſervamus, vbi examinabimus quid ſit & an ſciri poſſit, item vtrum detur conceptus abſtractus ab omnibus individuis, & alia quæ aliqui *a* importune ſatis hic examinant, quũ nihil minus quam Logicam contingant. Breviter ergo duas illas definitiones Individui à Porphyrio traditas, primam & vltimam hic expendemus, eſt autem prima: *Individuum* eſt *quod de ſolo vno prædicatur*, vt communiter refertur; cæterum in textu eſt Ly *particulari*, vultque individuum eſſe quod de vno ſolo particulari prædicatur. Altera hæc: *Individuum eſt quod ſub ſpecie continetur*, quæ duæ definitiones reſpondent (vt vides) duabus, quas idem ſupra de ſpecie tradidit; vt iam videatur Porphyrius dividere individuum quoque in ſubiicibile & prædicabile, & fere eadem argumenta redeunt quæ ſupra de ſpecie: de his dicam quod ſentio ſequentibus.

a Poncius diſp. 6. per totum.

2. Dico autem primo, quidquid ſit de prioritate ſubiicibilitatis ad prædicabilitatem in ſpecie; certum eſſe debet rationem prædicabilitatis in individuo priorem eſſe, ratione ſubiicibilitatis in eodem. Probo quia nihil ineſt vlli ante ſeipſum, adeoque nihil prius convenit individuo puta Petro quam Petrus, ſed ex eo quod quidpiam eſt aliquid ex eo inquam illud aliquid eſt prædicabile de eo, ergo nihil prius convenit Petro quam eſſe prædicabile de ſeipſo, imo nihil æque primum, adeoque nec eſſe ſubijcibile ulli. Confirmatur: tanto prius competit prædicabilitas alicui, quanto prædicatum eſt intimum ſubjecto; ſed prædicatum Petrus magis eſt intimum ſubjecto Petrus quam prædicatum homo, & individuum, quam ſpecies ergo ſive loquamur de prædicatione exercita, ſive de ſignata intimius eſt Petro prædicabilitas de vno illo particulari quam ſubiicibilitas ad ſpeciem. Dices, hæc eſt immediatiſſima propoſitio: Petrus eſt homo; in hac autem individuum ſubijcitur ſpeciei, ergo immediatiſſimè ſubiicitur ſpeciei individuum atque adeo nihil immediatius ei convenit quam ſubiicibilitas & ita non prædicabilitas, vt dixit concluſio. Reſpondeo ſi vera fateri volumus fortaſſis negandum eſſe antecedens: ratio eſt quia mediat iſta *hic homo eſt homo* ſicut nec hæc eſt immediata: homo eſt animal, quia mediat hæc, homo eſt animal rationale. Imo exiſtimo rectius dictum iri: *homo eſt rationale animal*; quia propior eſt ſpeciei differentia quam genus Ratio omnium eſt, quia prædicationes eo magis immediatæ ſunt, quo prædicatum minus recedit à ſubiecto, & minus excedit ipſum. Vnde prædicatio generis de individuo eſt mediatior & remotior quam illa ſpeciei; & prædicatio generis ſupremi quam ſubalterni, atque adeo prædicatio æqualis de æquali prior eſt quam prædicatio alius latius patentis: prædicatio definitionis de ſpecie eſt prædicatio alicuius æqualis quia iſta convertitur cum definito; prædicatio generis eſt alicuius latius patentis ergo illa eſt immediatior hac, inſtari tamen poteſt: hæc eſt immediata, homo eſt animal rationale, ergo & hæc homo eſt animal, ſi enim totum illud prædicatum eſt immediatum ſubiecto, quanto magis pars eius? Reſpondeo meo modo prædicationem immediatam formandam eſſe ſic, *homo eſt rationale animal*, & tum hæc *homo eſt rationale* fortaſſe concederetur à me eſſe immediata. Ad tuam autem nego eſſe immediatam quod eſt negare conſequentiam argumenti; cauſa, quia in vna prædicatur animal contractum, in alia animal latè patens; at vero etſi animal contractum ſit immediatum homini, & æquè latè patens, non tamen animal in tota latitudine.

3. Obiici tamen poteſt ſecundo, totum hactenus dictum verum eſſe tantum de prædicatione naturali & identica: At verò individuum non eſſe prædicabile duntaxat prædicatione identica, ſed formali, ergo non ſufficit ratio poſita concluſioni. Vis argumenti pendet ex dicendis quæſt. ſequenti. Interim explicatur ſic; Licet immediatius conveniat Petro Petrum eſſe quam ſubiici ſpeciei, tamen immediatius competit ei eſſe ſub ſpecie, ſeu eſſe hominem quam eſſe hoc album & tamen *hoc album* eſt individuum etiam ſecundùm Porphyrium; & iſta Petrus eſt hoc album, eſt prædicatio individui, ergo. Reſpondeo duo vltima exempla individui à Porphyrio adducta non eſſe valde exacta, ſcilicet hoc album, & Sophroniſci filius, primum enim eſt individuum accidentis, non ſubſtantiæ aut ſpeciei, de quo voluit exemplificare: ſecundum autem manifeſtè poteſt multis convenire; potuit enim ſine dubio Sophroniſcus cum Socrate multos filios habere, & licet ſupponamus eum non habuiſſe alios quam Socratem, tamen id non ſufficit, aliàs dicam homo eſſe terminum ſingularem, ſi non daretur ſecundus homo, quod falſum eſt etiam caſu quo nullus daretur. In forma objectionis nego maiorem; nam hæc: Petrus eſt hic homo, non eſt identica, ſed formalis, & tamen immediatior eſt illa prædicatio, quam ſi ſubiiceretur ſpeciei immediatè: Imo & iſta, *Petrus eſt hic* eſt immediatior ea, eſtque prædicatio individui, ergo Maior huius probatur in ſimili; hæc enim: *Homo eſt rationalis*: videtur immediatior illâ, *homo eſt animal rationale* ergo & alia illa: *Petrus eſt hic*: quam iſta *Petrus eſt hic homo*, patet enim paritas.

4. Dico 2. Prædicabilitas individui qua de

vno

vno ſolo prædicatur non eſt ſolum identica aut naturalis ſed formalis & artificioſa. Hanc negavit Tolletus, qui proinde ab omnibus vapulat. Probo ipſam in primis ex textu Porphyrii; nam niſi hoc dicamus Porphyrius turpiſſimè æquivocat, quia ille cap. 3. de Specie, continua ſerie ponit prædicabili atem generis de ſpecie, ſpeciei de individuo omnium aliorum de pluribus, individui autem de vno ſolo; certum eſt autem genus prædicari formaliter de ſpecie, ſpeciem ſimiliter de individuo, ergo & individuum de ſuo vno, num quis ferat authorem vocibus abutentem, vt ne quidem in vna & eadem ſenten ia ſervaret eandem vocis ſignificationem? Probatur ſecundo inſtantiis quas circumferam per omnia prædicabilia: Ecce enim iſtas: Petrus eſt hoc animal: Petrus eſt hic homo; eſt hoc rationale, hoc riſibile, hoc album; omnes ſunt individui prædicationes, omnes ſunt omnium prædicabilium, prima primi, ſecunda ſecundi &c. Denique omnes ſunt formales, quia licet idem importetur per ſubjectum & prædicatum, non tamen eodem modo, quod ſufficit ad prædicationem formalem, aliàs prædicationes trium priorum prædicabilium ſemper eſſent identicæ. Negat aliquis *a* ſecundam eſſe ſecundi prædicabilis, aut omnino formalem ſed identicam, & ſynonimicam huic. Petrus eſt Petrus; ſed perperam, quæro enim ex illo an hæc, homo eſt animal rationale: ſit identica, & ſynonimam huic, homo eſt homo? negabit vtique quia illa eſt definitionis definitio: & non vidit ille hanc quoque eſſe; nam hæc *Petrus eſt hic homo*, eſt quaſi definitio Petri, conſtat enim Petrus naturâ ſpecifica & differentia individuali, ſicut ſpecies naturâ generica, & differentiâ ſpecifica: cur ergo aſſignatio generis & differentiæ ſpecificæ erit definitio ſpeciei, aſſignatio autem ſpeciei & differentiæ numericæ non erit quaſi definitio individui? ſi autem ſit, iam illa. Petrus eſt hic homo, eſt definitio aut quaſi definitio individui, nam natura ſpecifica eius eſt in Ly *homo* differentia numerica *hic*. Imo non ſolum iſto modo quo iacent, erunt formales illæ prædicationes, ſed etiamſi invertantur & dicatur *hic homo eſt Petrus*: item *hoc animal eſt Petrus*, tam enim abſunt ab identicis iſtæ prædicationes quam aliæ illæ, utroq; enim modo importatur aliud & aliud per ſubjectum & prædicatum, hoc autem intereſt quod in priori forma prædicationes ſunt non ſolum formales ſed directe in iſta autem ſunt quidē formales ſed indirectè. Stet ergo veriſſimè definitum eſſe individuum quod de vno ſolo prædicatur, etiā intelligendo prædicationem formalem & directam.

5. Dices primò, in prædicatione formali opus eſſe vt prædicatum ſit vniverſalius ſubjecto, id autem non obſervatur in dictis prædicationibus, vel ſi obſervatum ſit, iam illæ non ſunt prædicationes individui, quum enim ſubjecta harum ſint individua ſi prædicata eorum latius pateant quam ipſa, iam aut prædicata non ſunt individua, aut individuum non prædicatur de vno ſolo ſed de vno & aliquo prætérea. Reſpondeo antecedens eſſe falſum, aliter enim prædicationes paſſionis de ſubiecto non eſſent formales v. g. iſta homo eſt riſibilis, immo nec prædicationes definitionis de definito vtraque enim iſta convertuntur.

Obiicies 2. acrius contra totam doctrinam hanc: ſi hæc: *Petrus eſt hic homo* ſit formalis & immediata, (idemque eſt de aliis ſupra aſſignatis prædicationibus individui) ſequitur quod ſpecies infima non infimè & immediatè prædicetur de individuis: conſequens eſt hactenus inauditum ſic enim ponitur individuum ſub ſpecie infima quomodo ſpecies ſub genere quod ſcimus immediatè de ipſa prædicari, conſequentia autem probatur, quia inter Petrum quod eſt individuum & hominem, qui eſt ſpecies mediant omnia illa ſuprapoſita prædicata. Reſpondeo primo, negando aliunde conſequentiam, quia non omnia prædicata illa mediant propriè inter ſpeciem; & individuum. non enim: hoc album, intercedit propriè inter ſpeciem & individuum: ſed adiacit ei tanquam quid extraneum & contingens: denique *de hoc animali* & ſimilibus ſupradixi, an & quomodo ſint immediata? Dico etiam tertiò & vltimatè, quod dicitur nihil mediare inter ſpeciem infimam & individuum completum, intelligendum eſſe de aliquo intermedio vniverſali non autem abſolutè de omni.

6. Obiicies 3. directè contra definitionem individui prædicabilis ſic. In hac ſine dubio definitur individuum in communi, ſed individuum in communi de multis prædicatur non autem de vno ſolo, ergo falſa definitio. Minor oſtenditur his & ſimilibus inſtantiis; verè enim dico, Petrus eſt individuum, Paulus eſt individuum: Item, hoc individuum eſt individuum, ergo nec evades dicendo prædicatum hic vbique eſſe æquivocum, quia ſcilicet non datur ratio individui ab omnibus abſtracti: Hoc inquam non prodeſt, procedit enim de individuo primò intentionaliter ſumpto, definitio autem & argumentum de ſecundo intentionaliter ſumpto, ergo Hoc argumentum frequens eſt in hiſce intentionibus vt patuit hactenus ſemper. Itaque reſpondeo concedendo maiorem & diſtinguendo minorem, Individuum in communi prædicatur de multis in actu ſignato nego, in actu exercito concedo; quod non negatur in definitione, ſecundò diſtinguo ſic, prædicatur de multis vt *quod* concedo vt *quo* nego, loquendo de intentione quæ hic definitur in concreto: Tertio diſtinguo ſic, prædicatur de pluribus prædicatione individui, nego alia tranſeat. Illæ ergo prædicationes Petrus eſt individuum, Paulus eſt individuum &c. ſunt quinti prædicabilis, illa: hoc individuum eſt individuum ſecundi.

Obiicies vltimo Ariſt. *b* qui in præd. ait primam ſubſtantiam id eſt individuum de nullo prædicari: Reſpondeo ſi hoc abſolute diceret Ariſt. non ſolùm concluſioni ſed ſibi contradiceret: Audi ipſum 1. Prior. *Vnumquodque ſenſibilium tale eſt [id eſt aptum] ut prædicetur; dicimus enim aliquando album illud Socratem eſſe, & accedens Calliam.* Ecce Socratem quæ eſt prima ſubſtantia prædicati: Conciliandus eſt ergo tam nobis quam ſibi Ariſt. vt in priori loco dicat non poſſe individua completa directè prædicari, In ſecundo poſſe ſed indirectè. Vbi non omittam Lectorem commonefacere, ne cuique credat de textu Ariſt. loco citato, in quo plane incontrarium ſui citatur à quodam quaſi dixerit, *Quod igitur entium quædam de multis apta ſint dici manifeſtum eſt*, cum textus Philoſophi manifeſtè habeat *Quod igitur entium quædam de nullo apta ſint dici manifeſtum eſt*.

Agunt de hoc Prædicabili & Subiicibili eiuſdem

Ariſt. 2 *Topic. c.* 2. *& lib.* 4. *c.* 1. *&* 2. & ante lib. 1. *capp.* 4. *&* 7. ſub titulo *de termino, Proprio &c.* & alibi

a Hurtad. disp. 5 Log. ſect. 3.

b *Tract.* 2. *cap. de ſubſtant.*

Digitized by Google

alibi Avicen. 1 *part. Log.* Amon. *hic* Porphyr. *hic cap.* 3 tract vt refert Laert. *lib.* 7. *de vit* Auer. *cap. de ſpec.* Albert. mag. *tract q.* 17. Alens. 1. *p.* q. 43 *artic.* 1. Boet. *in cap. de ſpecie vtraque editione in Porphyr.* D. Thom *opuſc* 48. *tract.* 1. c 3. Ookan. 1. *parte Logic. cap.* 21 & in *Logica textuali cap. de ſpec* Ioan. de Magiſt. *q.* 7. *Log.* Ioan Anglic. & Braſovol. in Coment. Scoti hic. Franciſcan. Mayr. 3. & 4. *partibus univer.* Conymb. in *Coment. Porph. hic & qq.* 1. *ar.* 2. Aleman. *q.* 4. *de ſpec. ar.* 3. Rub. *c. de Spe.* Murcia *ib. diſp* 2. *q. unic.* Smiglet. *diſp.* 5. *univerſ. q.* 3. Blancus *diſp.* 3. *ſect.* 7. *de ſpec.* Caët. *c. de ſpec.* Toler. *ib q.* 1: Niger. *q.* 5. Onna *q.* 2. *ar.* 2. Mo in. 1. *p. q* 50. *ar.* 4. Suar. *diſp.* 5. *Met ſect.* 2. Perez. in *Laurea ſalam. Certam.* 3 Cabero *tract.* 31 *diſp.* 3. *dub.* 3. Avetſ. *q.* 11. *Log.* Complut. *diſp.* 5. *Logic. quæ.* 4. Fonſec. 5. *Metaph. cap.* 28 Hurtad. *diſp.* 5. *Log. ſect.* 2. Roderiquez. *q.* 1. *de ſpec. ar.* 4. Gonzalez. *ſecund. part.* Log. *q* 5. *diſp.* 4 Poncius *diſp.* 5. & *diſp.* 6. *Log.* Maſtr. & Ballut. ſimiliter *diſp.* 5. *q.* 2. Merin. *in cap* 3. *Porph. diſp.* 1. & 2 Roderic. Ariaga. *diſp.* 7. *Log.* Franciſci Oviedo. *in Log. Contr.* 5.

APOLOGIA QUARTA.

DE DIFFERENTIA.

Actio I. Vtrum definitio Differentiæ prædicabilis ſit exactè à Porphyrio aſſignata nec ne?

Actio II. Vtrum differentia dividi debeat in duo prædicabilia?

Actio III. Reſpectu quorum differentia eſt univerſale?

Actio IV. Examinat definitionem trimembrem differentiæ apud Porphyrium.

Actio V. Vtrum differentia inferior includat ſuperiorem, aut etiam Genus quod contrahit.

Actio VI. Vtrum ſpecies infima habeat ſemper unam differentiam conſtitivam ſui?

Scotus q. 7. un. num. 3.

Dici poteſt quod Genus & ſpecies non tantum differunt per hoc quod eſt prædicari de pluribus numero & ſpecie differentibus, ſed in quid *convenit eis æquivoce quia genus prædicat partem eſſentiæ ſpecies vero totum. Non ſic autem quale ſubſtantiale convenit æquivocè differentiæ ultimæ, & intermediæ, quia utraque dicit partem formalem, definitio igitur iſta eſt tantum differentiæ intermediæ, & non ultimæ. Differentiæ autem in communi eſt ſufficiens definitio prædicari de pluribus in quale eſſentiale quæ convenit utrique differentiæ, prædicari autem in* quid *univocè non convenit generi & ſpeciei, ideo illa ſunt duo univerſalia, differentia vero unum.*

Idem 4. d. 11. q 3. num. 48.

Quod etiam additur quod differentia inferior includit ſuperiorem, hoc eſt manifeſte falſum, quia tunc impoſſibile eſſet per genus proximum, & differentiam proximam definire, quia idem bis diceretur ſcilicet illa differentia ſuperior per ſe incluſa tam in ratione differentiæ inferioris, quam in ratione generis proximi. Unde ponendo rationes generis & differentiæ loco nominum manifeſtè appareret nugatio. Et hæc eſt intentio Philoſophi ibidem quomodo debeat negatio cognoſci in definitione, ponendo ſcilicet rationes pro nominibus: nec etiam poſſet dari diffinitio per genus remotum & plures differentias, quia eadem differentia proxima illius generis, diviſiva remoti pluries diceretur in illis multis differentiis additis generi.

ACTIO PRIMA.

Vtrum diffinitio differentiæ prædicabilis ſit exactè à Porphyrio aſsignata nec ne?

Num. 1. *Definitiones differentiæ apud Porphyrium.*

2. *Secunda (quæ communiter uſurpatur) an exacta?*

3. *Modus quo defendi poſſit.*

4. *Obiectio contra; ſoluta.*

5. *Variæ diligentiæ auctorum ut efficiant hanc definitionem omni differentiæ convenire.*

6. *Aſsignatur denique verus modus id præſtandi.*

7. *Obiectio prima Differentia vtrum abſtractum an concretum.*

8. *Altera: Differentia differentia an eſſe poſſit.*

Defini-

DEfinitiones differentiæ apud Porphyrium quinque ſunt prima eſt: differentia eſt *qua ſpecies excedit genus* 2. Differentia eſt *quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid* 3 *Quæ dividit ea quæ ſub eodem genere collocantur* 4. Differentia eſt *qua differunt à ſe ſingula* 5. quam cæteris præfert ipſe Porphyrius: Differentia eſt *quæ ſic diſtinguit rem ab alia, ut ſit etiam pars conſtitutiva eius*. De his ita nos in ſequentibus ne res intentionibus confundamus; & quoniam ſecunda intentio Logici examinis vel maximè eſt, à diffinitione illa principali incipimus quæ ſecunda ordine eſt, & dicit differentiam prædicari de pluribus ſpecie differentibus in quale quid; ex quinque enim definitionibus à Porphyrio aſſignatis, ſola iſta ei quadrat ſecundò intentionaliter acceptæ. De hac autem duo diſputari poſſunt; primum an conveniat differentiæ in tota latitudine? ſecundum an ſaltem differentiam ſubalternam exactè deſcribat, ad quod in primis reſpondeo &

2. Dico in verbis illis Porphyrii contineri exactam definitionem differentiæ ſubalternæ ſeu genericæ. Hæc eſt omnium omnino ᵃcum D.q. illa 17. probata ab ipſo ibid. citato, quia nimirum conſtat genere & differentia. *Genus eſt prædicabile de pluribus*: reliquum differentia, de qua fuſius dictum in ſimili ſupra de genere, ubi primo occurrit hæc forma definitionis. Dixi autem contineri in his verbis definitionem differentiæ, potius quam ipſam orationem totam eſſe definitionem quia nimirum exiſtimo illud ly *differentibus* ſalva definitione expungi poſſe, non poſſe item ſalva ipſa manere, Primum quidem, nam ſi dicam differentiam eſſe quæ prædicatur de pluribus ſpecie, iam intelliguntur correlativa ſeu ſubiicibilia differentiæ ſpecie differre nam quæ numero ſolo differunt non ſunt plura ſpecie ſed vnum, quo modo Porphyrius dixit plures homines participatione ſpeciei eſſe vnũ: ſecundo autem idcirco cenſeo quia adhibere Ly *differentibus* in definitione differentiæ videtur quædam ſaltem verbalis petitio principii, & explicatio eiuſdem per ſemetipſum, cum tamen definitio debeat non ſolum adhibere aliud, ſed aliud notius patet hoc nam niſi ſciam quid ſint differentiæ nunquam diſcam per hanc definitionem quid ſit differentia, atque ita hic implicor infinito circulo, & inutili, quia deberem ſcire differentiã ante differentiam, & hanc ante illa, quoniam ad ſciendum concretum debet intelligi abſtractum, differentia autem eſt forma & abſtractum huius concreti differens, atque adeo debet ſciri ante ipſum. Confirmo quia hic definitum debet ſciri ante definitionem, ſed ex communi habitudine definitionis & definiti vt ſic, definitio debet ante definitum ſciri, quum ſit explicatio ſcientifica eius, & oppoſitum non eſt aliud quam dicere quod aliquid (puta definitum) debeat ſciri ante ſcientiam eius: Vides anguſtias definitionis.

3. Sed quoniam Scotus abſolutè pronunciavit illam eſſe definitionem differentiæ ſubalternæ, in gratiam Doct. libet etiam Porphyrium defendere, & quoquomodo ab hac tautophonia excuſare. Fiet autem id ſi dicamus definitum eſſe ſecundam intentionem, definiens autem primam; proinde non eſſe eiuſdem per ſe definitionem, ſed per longe diverſum, & omninò, diſparatum; nam differentia quod eſt definitum hic eſt abſtractum huius concreti *differens*; aut ſi ſit, nõ neceſſario ad propoſitum ſic accipitur. Hic enim definitur ſecunda intentio tertii prædicabilis, quam ſi lubeat potes appellare *Centaurum* quod diſparatum eſſe vides, aut etiam *concordiam* quod vides eſſe contrarium, atque ita ſignificatio Ly *differentia* hic eſt nova inſtitutio Logicorum non autem antiqua Grammaticorum quæ redit in Ly *differentibus*, vnde non recurrit hic eadem vox niſi naturaliter, & multò minus eadem res, quod omninò defendit definitionem: habeo tamen adhuc quod contra concluſionem & doctrinã Scoti hic.

4. Obiicio ſecundo, nam ſi hæc eſt definitio differentiæ ſubalternæ non autem infimæ quoque, ſequitur differentiã infimã ſpecie differre à ſubalterna, ſequela patet, quæ enim differunt, definitione ſine dubio ſpecie differunt quum definitio contineat eſſentiam etiam ſpecificã rei, vnde etiam Philoſophus ait ſolam ſpeciem definiri poſſe: conſequens eſt falſum, & contra ipſum Scotum, ſic enim darentur ſex prædicabilia quia ſola differentia faceret duo, & illa infima eſſet ſextum quod negat expreſſe præ aliis Scotus citatus: vel ſi propter hoc argumentum voles tenere quod vtraque differentia ſit eadem ſpecie, dices etiam infimam hac definitione eſſe definitam (quod pugnat cum infinitate eius vt videbimus) & proinde etiam definitionem hanc ſufficere differentiæ vt ſic quod negat Scotus & cum ipſo omnes. Confirmo argumentum occurendo ſolutioni quæ dari poſſet diſtinguendo de differentia primo & ſecundo intentionaliter accepta: hic enim (vt ſupra monui) agitur de differentia ſecundo intentionaliter ſumpta, vnde ſic arguo, aut differentiæ ſubalterna & infima ſecundò intentionaliter, & in ratione vniverſalis acceptæ differũt ſpecie, aut non; ſi ſic jam ſunt diverſa vniverſalia, ſi non, ergo hæc ſola definitio conveniet vtrique atque ita differentiæ vt ſic. Reſpondeo eligendum eſſe potius quod vtriuſq; poſſit eſſe vna definitio, ne incurratur inconveniens ſupra illatũ. At verò cum hoc ſtat quod hæc definitio non comprehendat vtramque: Inſtas, aut hæc eſt eſſentialis aut non, ſi non, ergo nequidem ſubalternæ ſufficit, ſi ſic & non convenit vtrique, quod hinc ſequitur niſi vtramque habere aliam & aliã eſſentiam? Reſpondeo hanc eſſe eſſentialem, at non purè talem, ſed involvere aliquid materiale & extrinſecum ſcilicet ſubiectum. Differunt ergo differentiæ ſubalterna & infima, non in eſſentiã, aut in ratione vniverſalis, ſed in ratione ſubiecti, quod in vna latius patet quàm in altera, quia vna eſt prædicabilis de differentibus ſpecie quum alia ſit prædicabilis de numero ſolo diverſis; & omnino ſe habent vtraque illa differentia, ſicut negatio & privatio, aut ſicut criſpũ & ſimũ quæ in ratione curvitatis planè idem ſunt non ſolum genere ſed ſpecie, differũt autem penes ſubiecta, propter quæ poſſent formari de iis definitiones vtcũq; diverſæ. Ex his vides teneri à nobis quod hæc non conveniat differentiæ infimæ; quod quidem ipſa definitio probat, quia illud, *differentibus ſpecie* planum eſt ei non convenire quum nõ prædicetur illa de ſpeciebus, aut differẽtibus ſpecie, alioquin non eſſet infima, tum enim infra illam darentur aliæ differentiæ ſpecificæ, & eorum ſpecies; infima ergo prædicatur de ſolo numero differentibus, propter quod hæc definitio de illa non verificatur, adeoq; nec de differentia vt ſic.

5. Hic ergo iam labor eſt contra tam evidentẽ rationem ſuſtinere definitionẽ illam & authoritatem Porphyrii Recentiorum ᵇ aliquis tactus

ᵃ Item Pro... ro Caie... n. Toler... illeg... n. 17. g. Scoti lib. ... ., qu... tic ...

ᵇ Hurtad. diſput. 6.

Logic. ſeſt. 5. hac difficultate ſubitò reſpōdit in ea te erraſſe turpiter Porphyriū, nec poſſe ſe ferre tam ſollicitus de eius auctoritate: Doctor reſpondit nō intendiſſe Porphyriū definire niſi ſubalternas, quod quidem multū detrahit invidiæ Porphyrio, quoniā vt ait Ariſt. 5. Eth. c. 5. *in* Ariſtot. *arte quidem qui ſponte peccat magis eligēdus* hoc eſt minus reprehēdendus quin laudandus *eſt*: non tamen abſolutè liberat eum; propter quod alii alias vias tentavērūt Avicenna. Alpharab. Averroes. M. itē Albert. &c. vt ſupra, Caet. & Soto. meliori animo quam eventus reſponderunt definitionē datā omnibus differentiis competere ſed particulam *differentibus ſpecie* intelligēdam eſſe non poſitivè ſed negativè, vt ſenſus ſit; differentia eſt cui quantū eſt ex ſe non repugnat prædicari de differentibus ſpecie, quod verū eſt etiā de infimis. ſed errant; repugnat enim infimæ ſic prædicari. Dicēt forte non repugnare ei vt differentia præciſè eſt, ſed eſto; num propterea per hoc rectè definitur, quaſi ſpecies aliqua rectè definiatur aſſignādo genus eius, ſive ea quæ ei cōpetunt ratione generis; Præterea ſic poſſē definire differentiam vt ſit quod ſit prædicabilis de pluribus numero tantū differentibus, quod etſi ſoli infimæ conveniat, tamen hi homines tenentur intrudere et á ſubalternæ æquo iure, nam ſpectatæ ſecundùm abſtractam rationem differentiæ id ei non repugnat, atq; ita eiuſdem rei erunt nō ſolùm diverſæ, ſed oppoſitæ & contrariæ omninò definitiones. Alii aliter, volunt ſubintelligendam eſſe particulā diſiunctivam *vel numero* & tum deniq; definitionē fore exactā. Alii apud Avic. volunt definitionem ſine illa bene ſedere, quia etiā inferiora differentiæ infimæ differunt ſpecie, etſi non à ſe invicem, bene tamen ab aliis; ſed nihil proficiunt omnes; Primi quidem quia accuſant potiùs Porphyrium quem volunt omiſiſſe particulā apprimè neceſſariam, ſcilicet To *vel numero*. Deinde univerſaliter reprobæ ſunt eiuſmodi definitiones diſiunctivæ, nam quis ferat me definientē hominē quod ſit *animal rationale vel irrationale &c.* Accidens quod ſit *ens in alio vel per ſe &c.* omitto perſequi alios, ſolū dico, quod illo modo poſſem definire ſpeciē eſſe quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, nam individua ſpeciei quantūvis infimæ differant ſpecie ab omni alia ſpecie & individuis eius, Tentemus iam ipſi tot præcedentibus ſuccedere ſi fortè veteri cauſæ novum patrocinium adferamus. 6. Dico ergo poſſe ſic intelligi definitionē Porphyrii vt vtramq; differentiā amplectitur, atq; ita vna ipſa ſufficiat vtriq; tam ſpecificæ quā genericæ differentiæ. Hic me profiteor Porphyrium non Scotum tueri: concluſionem ſtatuo topicè, tantum defendendam ſeu viā aliquā probabili, nō demonſtrativā. Probo autem eam aſſignando ipſum modū, qui eſt, vt illud *differentibus ſpecie* non intelligatur vt ſonat pro diverſitate eſſentiali inferiorū differentiæ ſed pro modo quo differentia ipſa de inferioribus prædicatur, vt ſenſus ſit, differētia eſt prædicabile de pluribus in quale incōpletè. Hoc autē poſſet cū fundamento dici, & eo dicto ſic credito diffinitionē ſubſiſtere ſive omni differentiæ convenire, ſic oſtendo: Nam eadē particula ſupra præceſſit in definitione generis, & hunc ſenſū habuit, non enim potuit intelligi pro diverſitate eſſentiali inferiorū, quum genus prædicetur de non diverſis eſſentialiter, puta de individuis eiuſdē ſpeciei, idq; per modū generis, alioquin ipſum genus faceret duo prædicabilia (quod falſò exiſtimarunt Lovanienſes) Debet ergo ſenſus eſſe quod genus prædicaretur de pluribus in quid incōpletè: Si ergo tenendus eſt idē ſenſus earundem vocū & vitanda ſummopere æquivocatio (vt dixi paulò ſuperius) nonne hic meritò eūdem ſenſum faciet, quod fuit primū ex duobus propoſitis punctis, ſecundum ſic oſtēdo quia conſtituto primo iſto, ſenſus huius, differētia eſt quæ prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quale quid; erit quod differētia ſit prædicabilis de pluribus in quale quid incompletè, hæc autem ſecūdum omnes eſt exacta definitio differētiæ tertii prædicabilis, & convenit omni; ergo. ſunt tamen aliqua quæ faciūt obicem huic expoſitioni. Dici enim poteſt id de genere rectè, dici non item de differētia quia nimirū nō datur aliquid prædicabile in quale quid cōpletè adeoq; Ly *differentibus ſpecie* fruſtra faceret illum ſenſū in definitione differentiæ, etſi neceſſariò fecerit in definitione generis Reſp. primò hoc probare quidem quod non neceſſariò iſtud ſignificetur iis verbis in definitione differentiæ, nō autē probare quod nō verè ſignificetur nā non ſolū verū eſt nihil: idem poſſe dici in quid completè de differentibus ſpecie, ſed etiā verum eſt nihil poſſe dici completè in quale de illis. Reſpōd. 2. & aſſigno ego aliquid prædicab. in quale quid cōpletè, eſt autē definitio quæ quoniā continet genus quod prædicatur in quid & differētiā quæ prædicatur in quale, meritò dicetur prædicari in quale quid, cæterū autē certū eſt quod prædicetur cōpletè ergo iā datur aliquid prædicab. in quale quid cōpletè.

7. Obiicio cum D. Differentia eſt abſtractum vt vides, ergo non poteſt prædicari verè de ſubiecto, nedū in quid aut eſſentialiter, probatur cōſequentia, notū enim eſt abſtracta ſic non prædicari, Antecedens etiā eſt certum, quia cōcretū eius eſt differens. Reſpond. breviter *differentiam* in ſe eſſe abſtractum, in inferioribus ſuis concretū, & vtroque modo prædicari poſſe; Abſtractū illud, in actu ſignato, vt fieri vides in hac ipſa definitione; concretum in actu exercito, vt quum dicitur rationale de Petro & Paulo. Dices reddit aliquid argumenti, nam ſi ſuperiora de inferioribus prædicantur non poteſt differentia eſſe abſtractum & inferiora eius concretum, niſi abſtracta de concretis prædicentur. Reſpondeo primo differentiam non eſſe abſtractam niſi in voce, idem enim eſt hic differentia ac id quod facit differre; Reſpondeo 2. ſit abſtractum, adhuc poterit prædicari & ſubiici concreto, hæc enim eſt vera & formalis, albedo eſt accidens, cuius cauſa eſt quia albedo nō eſt vltimatè abſtractum tale enim eſt albdineitas, & hic tale eſt differentieitas.

8. Obiicies iterum differentiā non eſſe definibilē, quia differentiæ non eſt differentia, aliàs iretur in infinitum, atqui omnis rei definibilis debet eſſe aliqua differentia, quū ipſa definitio non ſit aliud quàm aſſignatio generis & differentiæ, Reſpōdeo pro ſubiecta materia negando aſſumptū, vel diſtinguendo ſic differentia primo intentionaliter, non eſt definibilis tranſeat, ſive, differo hinc alio examinandum: Differentia ſecundo intentionaliter nego: [de hac autē hic agitur] & nego probationem eius, nā huiuſmodi differentiæ datur differētia & eſt *prædicari in quale quid*, ſicut datur illius genus quod eſt vniverſale aut prædicabile de multis: ſimilis eſt obiectio iſta differētia eſt relatio, relatio autē nō refertur (ſed refert) aliàs iretur in infinitum, ergo differentia nō eſt prædicabilis, ſed vel prædicatio ipſa exercitè vel alicuius ſimilis exercitiū, reſpondendū eſt autem differentiā nō eſſe relationem ſed relativum, quamvis efferatur in abſtracto, non enim (ut dixi) attendendum eſt ad tenorem nominis, ſed ad ſignificationem eius. Exemplū huius redibit infra Apolog. ſequenti, de proprio. Interim ex his patet non eſſe mirandum quod Porphyrius dixerit differentiā prædicare *in quale quid* ſive huiuſmodi prædicabilitatem poſſe illi uni convenire quam duo illa ſint differentiæ oppoſitæ dividentes prædicabilitatē ut ſic, adeoq; videntur non poſſe deinde ulli uni convenire. Nam *quid* hic poſitum in definitione differentiæ, non eſt *quid* contra poſitum quali, ſed eſt idem ac eſſentiale, ut ſenſus ſit differentiam prædicari in quale eſſentiale; non autem eſt quid ſubſtantiale aut ſubſiſtens quod convenit Generi & ſpeciei, Hoc enim *quid* excluditur per *quale*.

ACTIO

ACTIO SECVNDA.

Vtrum Differentia dividi debeat in duo Prædicabilia?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Fundamentum partis affirmativa*

2. *Reſolutio negativa, & ſolutio. fundamentorum oppoſiti.*

3. *Poſſe hoc tertium prædicabile dividi in duo.*

4. *Non tamen æque diverſa ac primum & ſecundum.*

1. Ratio dubitandi eſt paritas ejus ad genus & ſpeciem quæ faciunt duo prædicabilia, quia unum prædicatur de differentibus ſpecie & alterum de differentibus numero, hoc autem totum recurrit in differentia, datur enim una quæ prædicatur de differentibus ſpecie ſcilicet ſubalterna, & alia quæ de differentibus numero tantum ſcilicet infima. Et quoniam dici poteſt ad hoc (ut nos proxime diximus) non ideo genus & ſpeciem facere duo prædicabilia, quia unum prædicatur de differentibus ſpecie, alterum de numero differentibus numero, ſed quia unum prædicatur completè, & alterum incompletè a Modernus quidam conatur perſuadere, quod etiam hoc conveniat utrique differentiæ, ut ſcilicet una prædicetur incomplete tantum, ſcilicet ſubalterna, alia etiam complete ſcilicet infima. Ratio eius eſt quia in tantum ſpecies prædicatur in quid complete in quantum non additur ei ulla differentia eſſentialis, ſed ſola differentiæ numericæ, quæ non ſunt de eſſentia rei: Atqui differentiæ infimæ non ſuccedit alia eſſentialis, ſed ſola individualis quæ (ut dictum eſt jam,) eſt extra eſſentiam rei, ergo. Idipſum alius ſic probavit Differentia ultima adæquate conſtituit compoſitum individuale diſſimile aliis & ſubalterna non adæquate V.g. rationale adæquatè diſtinguit hominem ab aliis quæ ſunt extra ſpeciem humanam, quod non facit ſenſitivum ergo iam duæ illæ differentiæ feciunt duo vniverſalia, ſicut genus & ſpecies: cur enim prædicari in quid completè & incompletè facient duo prædicabilia & nõ facient prædicari in quale completè & incõpletè?

a. Averſa qu. Log. 31.

2. Dicendum tamen quod horum nec concluſio nec ratio ſubſiſtit: non enim ideo ſpecies eſt tota eſſentia compoſiti, quia ei adduntur tantũ differentiæ numerales, ſed potius è converſo, & in ſumma ratio eſt quia ſpecies dicit & includit poſitivè genus & differentiam, propter quod ruit ratio illa Averſæ, quia differentia non includit genus, adoque nec totam eſſentiam rei. Ad ſecundum: vidit ipſe author negandum eſſe antecedens & omnino falſum & fallens eſt; confundit enim adæquatum cum vltimo quæ diſtinguenda ſunt, nam differentia ſpecifica facit vltimo differre, non tamen adæquatè, aliàs fruſtra adderentur differẽtiæ ſuperiores; longe alia eſt cõditio generis & ſpeciei, quia ſpecies non ſolum includit vltimũ conſtitutivum eſſentiale, individui ſed omnia, ex quibus quia deeſt aliquid generi ideo genus prædicatur tantũ incompletè ſpecies autem cõpletè. At vero clarum eſt quod omni differentiæ aliquid deeſt, ergo quælibet prædicatur incompletè. Dicet aliquis argumentum noſtrum poſſe contra nos torqueri, ſi enim ſpecies ultima includit totam eſſentiam individui jam fruſtra adhibentur ſubalternæ V.g. ſi homo eſt tota eſſentia Petri, fruſtra ſunt præterea animal & vivens & Reſpondeo non fruſtra ſunt, quia nec ſunt aliquid præterea ſed interea ſeu aliqua incluſa in ipſo homine. Sed contra erit, quod ſimiliter poterit adverſarius dicere differentias ſuperiores includi in poſteriora, cur enim ſuperiora genera in ultimo, & differentiæ ſuperiores non? Propter hoc de quo infra hac ipſa Apolog

3. Dico ſecundo ſi differentiæ ſuperiores includuntur in inferioribus poterit aſſignari aliquod prædicabile in quale quid incomplete & aliud finaliter in quale quid incomplete, atque ita tenentibus illam incluſionem dividi poterit differentia in duo prædicabilia, licet non æque diſtincta ac Genus ſpecies. Probatur facile quia differentia ſubalterna erit prædicabile in quale quia incomplete, infima autem in quale completè, non videtur autem ratio cur completum & incompletum *in quid* facient duo prædicabilia, non vero completum & incompletum in quale. Dici poteſt diſparitas eſſe, quod omnis omnino differentia prædicetur eodem modo, ſcilicet per modum partis, at vero non ita omne prædicabile in quid, datur enim prædicabile in quid quod prædicat totum eſſentiam ſubjecti. Reſpondeo hæc ratio probat quod dixi in ſecunda parte concluſionis, non tamen facit contra id quod dixi in prima. Concedo enim dari prædicabile in quid quod importat totalem eſſentiam ſubjecti, ſed quæro rationem huius, cur opus ſit ut quale completum quod faciet novum prædicabile, ſit abſolutè tota eſſentia ſubjecti, & non ſufficiat quod ſit tota eſſentia qualis (ut ſic dicam) ſeu differentialis eius; Certe ſi velimus rem rigidè expendere, complementum ſpeciei quæ prædicatur in quid completè ſecundũ Te, non eſt propriè intra genus *quid* ſed participat de *quali*, ideo enim ſpecies completè prædicatur præ. genere, quia vltra genus dicit differentiam; at verò differentia non dicitur in *quid*, ſed *quale*, ſi ergo complementum alterius ordinis facit vt quidpiam prædicetur completè in *quid* quidni complementum in eodem ordine ſcilicet in *quale* faciat, vt quidpiam prædicetur completè in quale: Itaque ambo iſta ſe habent ſicus excedens & exceſſum, ſpecies plus habet de abſoluto complemento in eſſe & prædicari, at verò differentia plus habet de complemento in quale, adeoque videtur hæc magis prædicabilis in quale completum quam ſpecies in quod completum.

4. Habes etiam hic rationem eius quod dixi duo prædicabilia quæ fuit differentia non fore tam diſtincta quam genus & ſpecies, quia non tam different in ratione completi & incompleti, eò quod ſpecies abſolutè completè prædicatur differẽtia autem infima non, ſed completè ſecundũ quid & cum addito, ſcilicet completè in quale. Video poſſe reprehendi quod dicitur ſpeciem prædicari in quid vt iam innui, ſed id non præiudicat reſolutioni datæ, ſive enim eius prædicatio ſit dicenda in quid ſive in quale, ſive aliter, omnino cenſenda eſt completa, quod ſatis eſt ad præſens.

ACTIO TERTIA.

Reſpectu quorum Differentia eſt Vniverſale?

BREVIARIVM.

Num. 1 *Status controverſiæ.*
2. *Differentia non eſt vniverſale reſpectu ſpeciei probatur.*
3. *Alia duæ probationes huius.*
4. *Obiectio, num ſpecies aut differentia contineat virtualiter individua?*
5. *Obiectio altera, Differentia non proprie dicitur differentia.*
6. *Extendenda hæc doctrina ad genus reſpectiuè.*

1. CONtroverſia eſt inter ſpeciem, ac inferiora eius: & quærit vtrum rationale v. g. ſit vniverſale reſpectu hominis, an vero reſpecta individuorum eius puta Petri, Pauli &c. Nam quod aliqui huc adhibent genus, quaſi dubitari poſſit, num differentia reſpectu eius ſit vniverſale, frivolum eſt, quum non prædicetur de eo differentia vt talis, nam rationale v. g. non eſt *quale quid* reſpectu animalis, quum omnino ſit extra eſſentiam eius; eſt autem reſpectu ſpeciei & individuorum eius, eadem difficultas eſt de Proprio, reſpectu quorum ſit vniverſale, puta reſpectu naturæ ſpecificæ à qua emanat, an verò reſpectu individuorum? quanquam maiori fundamento poteſt de proprio dubitari; de vtroque prædicabili alii hoc, alii illud ſentiunt.

2. Dico reſolutivè Differentiam eſſe vniverſale reſpectu inferiorum ſpeciei, non autem reſpectu ipſius Ita Subt. q. 30. prædicab. & cum eo fere *a* omnes, oppoſitum eſt paucorum *b* minoris notæ & numeri: Vbi tamen ſubit mihi notare Recentiorum *c* aliquot in conſequentiam qui cum teneant ſpeciem nihil eſſe niſi plura individua, hic tamen movent hanc difficultatem & reſolvunt nobiſcum conſtitui ſcilicet differentiam ineſſe vniverſalis per ordinem ad individua, non verò per ordinem ad ſpeciem, tanquam apud ipſos aliud eſſet hoc & aliud illa ſed Probo concluſionem, correlativum differentiæ in eſſe vniverſalis ſunt multa; ſpecies non eſt multa, ſed vna ergo non eſt correlativum &c. Maior probatur, quia correlativum vniverſalis vt ſic ſunt plura, ergo & ſpeciei in eſſe vniverſalis. Vnum effugium huius rationis eſt dicere, quod non ſufficiat quidem aliquid de vno quocumque prædicari, vt ſit vniverſale, bene tamen ſufficiat ſi vnum illud ſit vniverſale, nam hoc eſt inſtar plurium adeoque quod de illo prædicatur eo ipſo eſt prædicabile de pluribus: imo videtur id omnino dicendum non ſolum ſecundum Recent. ſed & ſecundum Scotiſtas, quandoquidem communiter ponant, quod genus eadem aptitudine referatur ad ſpecies & individua, ſimiliter enim differentia eadem aptitudine referretur ad illa utraque, & vel erit vniverſale per ordinem ad ſpeciem, vel non erit per ordinem ad individua. Cum authoribus primæ replicæ controverſia eſt, vtrum ad correlativum vniverſalis ſufficiat virtualiter, an verò requirantur formaliter multa. Probo autem requiri formaliter multa: primo quia vniverſale definitur vnum aptum ineſſe multis; in quâ definitione, ſine dubio termini non æquivocantur, ſed accipiuntur pariformiter, atque ita vna & multa eodem modo reſpectivè accipiuntur. Atqui vnum accipitur formaliter, ergo & multa: atque hinc arguo ſecundo in idipſum, quia ex tenore illius definitionis vnitas appropriatur vniverſali multitudo autem eius correlativo, atque ita iam reſpectu cuius aliquid eſt vniverſale, aliter & magis debet eſſe multa quam id quod eſt vniverſale reſpectu eius: Tum ſic, ſpecies non eſt aliter, aut magis multa quam differentia, quia etiam differentia eſt virtualiter multa ergo, differentia non eſt vniverſale reſpectu ſpeciei. Tertio ſic; quia vniverſalia debet eſſe multis, illa autem inferiora virtualia ſunt potius in ſpecie, quia in illa virtualiter continentur. Quartò, quod plus eſt: illa multa de quibus eſt prædicabile vniverſale debent eſſe extra ſe invicem, id eſt unum extra alterum; atqui illa virtualiter contenta in ſpecie non ſunt vnum extra alterum ergo Maior ſupponenda eſt, quia aliàs non facerent numerum atque etiam quia univerſale eſt prædicabile de illis diſtributivè & non ſolum collectiuè ſumptis: Minor autem multo magis probatur, quia quæcumque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, illa autem vni tertio, ſcilicet, ſpeciei ſupponis enim illa nihil individua ſunt eadem eſſe adhuc niſi ipſam entitatem ſpeciei ergo.

a Complut. diſp. 7 Log. q. 2 Ruvius in hic cap. Averſa 912. Log. 53.
b Hoc Soc. Sotus. Cartan.
c Hurtad. d. 6. Log. 5. Ovid. Cont. 6. p. 4.

3. Redeo iam ad probandam concluſionem principalem: Vniverſale eſt ſuperius reſpectu eorum quorum reſpectu eſt vniverſale; Differentia non eſt ſuperius reſpectu ſpeciei, ergo non vniverſale. Maior eſt principium Logicum; minor autem probatur facile quia ſuperius latius patet quam inferius, at verò differentia ſpecifica non latiùs patet quam ſpecies: à ſuperiori non convertitur ſubſiſtendi conſequentia: à differentia ad ſpeciem convertitur, valet enim: eſt rationale ergo homo, & alia ſimilia quæ in hanc ſententiam dici poſſunt. Vnam tantum rationem addam quæ ſit iſta: Quod quidpiam prædicetur de ſpecie, non ſufficit vt ſtatim prædicari poſſit de individuis; neque quod prædicetur ſeu conveniat vlli vniverſali ad hoc vt proinde ſtatim dici poſſit de multis, ergo ad conſtituendum aliquid vniverſale non ſufficit aſſignare vnum aliud vniverſale, ſed debent ipſa particularia multa inveniri, antecedens probandum eſt, in eo enim eſt vis argumenti, & expreſſe contradicit ſolutioni ſupradatæ primæ probationis de continentia virtuali. Probo ego ipſum, quia ſpecies non continet virtualiter individua, quod oſtendo; nam non continet differentias numericas, hæ enim ab efficiente debent fieri, & reſpectu earum ipſa natura ſpecifica merè paſſivè ſe habet, ergo natura ſpecifica non continet individuas differentias & multo minus generica continet ſpecificas. Confirmo hoc ſecundò quia differentiæ ſpecificæ ſunt perfe-

perſectiores differentia ipſius generis & multo magis gradu generico eius ergo non poſſunt hæ in illo virtualiter contineri.

Obiicitur: vt quid ſit prædicabile de multis ſufficit eſſe prædicabile de vniverſali aliquo, ergo differentia bene poteſt eſſe vniverſale per hoc quod ſit prædicabilis de ſpecie: probatio antecedentis, quia quod habet ſub ſe vniverſale habet ſub ſe multa, ſcilicet inferiora illius vniverſalis. Confirmatur vt ſuprà quia genus eſt genus etiam reſpectu individuorum, & tamen ſecundum nos non reſpicit individua niſi reſpiciendo ſpeciem, hoc eſt eadem relatione ergo. Reſpondeo negando antecedens: eſt æquivalens vtcunque illud, ſed non eſt ipſum; at verò ad confirmationem dico quod quamvis aliquid vna relatione reſpiciat plura ſibi ſubordinata certo ordine, tamen poteſt habere aliquam determinationem reſpectu proximi termini quam non habet reſpectu remoti; ſic avus eadem relatione reſpicit filium & nepotem, tamen reſpectu prioris eſt pater reſpectu ſecundi non, ſed dicitur avus. Ita ergo differentia poteſt eadem relatione reſpicere ſpeciem & individua eius, & tamen vniverſale eſſe reſpectu individuorum, reſpectu ſpeciei non item.

5. Objicio ego aliter; Differentia ut talis, eſt prædicabilis ſine dubio & iis quo facit differre, at vero differentia ſpecifica non facit individua differre, non enim differunt Petrus & Paulus in rationali ergo. Et confirmatur quia convenientia non poteſt eſſe differentia, atqui illud prædicabile *in quale quid* (ne jam utar nomine differentiæ) eſt convenientia ſive, id in quo aſſimilantur individua, ergo non poteſt eſſe differentia eorum. Hoc argumentum non eſt pro ſpecie, ſed contra individua; non enim probat ſpeciem eſſe correlativum differentiæ ſed individua non eſſe, etſi fortè claremus ipſi individua non proinde ſpecies erit. Re autem vera exiſtimo dand[illegible] eſſe argumento quod tertium prædicabile non valde convenienter appelletur nomine *Differentiæ* quia nimirum non facit differre illa de quibus prædicatur ſive,) ut rectius dicam) non exercet differentialitatem in [illegible] in quibus exercet univerſalitatem quod videtur prob[illegible] ſſe in objectione. Dices falſum aſſumi, facit enim differre illa, licet non inter ſe. Et hoc ego expectabam dicendum: Sed contra inſto ex proxime dictis ſic; non facit differre illa niſi comparata ad individua diverſæ ſpeciei; At vero prædicatur in quale & ſuis individuis abſolute, & ſine ulla mentione individuorum alterius ſpeciei. Itaque exiſtimo nomen differentiæ hic non nimis apte ſedere: neque tamen timendum eſſe ſi deleatur, prædicabilia proinde immunii, quià cum differentia duo præſtet, & conſtituere rem in eſſe ſeu componere, & diſtinguere ipſam ab omni alio, veniâ Doctiorum dico tertium prædicabile rectius habiturum nomen à munere conſtituendi quam à munere diſtinguendi.

6. Denique quod dixi hic de differentia ſpecifica reſpectu individuorum, non eſt ipſi propriū ſed accipiendum cum proportione de omni differentia etiam ſubalterna & ſuprema, ut ſc licet, quemadmodum correlativum differentiæ ſpecificæ non eſt ipſa ſpecies ſed individua eius, ità ſubalternæ correlativum non ſit genus quod conſtituit, ſed ſpecies illi ſubjectæ.

ACTIO QVARTA.

Examinat diviſionem trimembrem Differentiæ apud Porphyrium.

BREVIARIUM.

Num. 1. *Quid hic reſolvendum?*
2. *Definitio tria puncta circa hoc diviſum, & membra dividentia ejus.*
3. *Differentia an propriè prædicabile?*
4. *Poſſe differentiam & debere adhuc in alias dividi Adaquatio diviſionis & nihilominus imperfectio.*
5. *Rationes contra adæquationem motæ, ſolutæ Proprium quartum prædicabile ad quod ex his ſpectet?*
8. *Probatur æquivocatio ſeu imperfectio diviſionis*
9. *Obiectio prima, in oppoſitum, differentia Differentiæ ab univerſali ut ſic.*
10. *Obiectio 2. &c. An idem per omnia ſit conſtituere ac diſtinguere?*

1\. Hic digrediar nonnihil à ſcopo ad examinandam differentiam primo intentionaliter ſumptam, quod quidem extra objectum Logicum eſt, ſed (neſcio quomodo) debet hic tractari non ſolùm lege conſuetudinis, ſed quia in Metaphyſica non habet tam opportunum locum. Titulus autem quærit de prima tantum diviſione differentiæ [ſola enim illa trimembris eſt, reliquæ omnes bipartitæ] & meritò quia illa cæteras comprehendit, neque eſt vllum ex aliarum diviſionum membris quod ſub aliquo huius non continentur. Dubitatur autem an ſit ſufficiens? univoca exacta, ſive ſecundum regulas præfixas bonæ diviſioni, ſed ego ante hæc omnia dicam meum ſenſum de materia ipſa diviſionis &

2\. Dico neque diviſum hic, neque dividentia, pertinent ad hoc prædicabile: Imo ſi in rigore loquamur ad nullum. Addo diviſum non continere propriè rationem prædicabilem, etſi ſit multis prædicabilibus commune; explico me, & probo breviter intentum. Diviſum hic eſt commune tribus vltimis prædicabilibus, nam ex tribus membris diviſionis quodlibet eſt in diſtincto prædicabili, primum in vltimo, ſecundum in penultimo, tertium in tertio; differentia enim communis pertinet ad quintum prædicabile, propria ad quartum propriiſſima ad tertium; ex quo probatur illud de mem-

bris

iſſimam intelligi differentiam intrinſecè conſtitutivam rei: per propriam autem formam aliquam, quæ quidem, non conſtituit rem, ſed identificatur ei realiter : per communem, abſolutè ſeparabilem & diſtinctam. Ex quibus breviter patet ad tria ſupra obiecta: Differentia enim numerica propriiſsima eſt individuo quia conſtitutiva: & ſane ſtando in ipſis terminis Porphyrii talis eſt, quæ enim magis propria? certe ſpecifica non, quia hæc communis eſt illi cum aliis individuis Ad ſecundum dicendum erit differentiam ſubalternam reſpectu ſpecierum quoque eſſe propriiſsimam, quia eſt conſtitutiva; paſsionem ſimiliter eius ad propriã pertinere, quia etiam illa eſt realiter identificata ſpeciebus. Ad tertium denique dico formam ſubſtantialem reſpectu materiæ eſſe differentiam communem, quia contingenter adeſt, atque ita ſeparabilis eſt, reſpectu autem compoſiti eſſe maxime propriam, quia eſt conſtitutiva. Vbi adverto quamvis hoc neceſſariò dicendum ſit, tamen non poſſe ſic reſponderi aliis qui exiſtimant formas diſtingui à toto, ſive partes à compoſito. Dices non requiri ad propriiſsimam niſi vt ſit conſtitutiva ſeu eſſentialis ſubiecto, talis autem eſt ſine dubio forma Reſpondeo verum eſt; ſed quis ferat eſſentialia rei diſtingui ab ipſa, propria autem identificari? & tamen ſic illi philoſophantur.

7. Quæritur de proprio quarto prædicabili ad quam ex his pertineat; Reſpondeo mirari me quod hoc quæratur, quaſi dubium eſſet num proprium ſit propriũ: Dico nihilominus ex modis Proprii apud Porphyrium primũ & tertiũ pertinere ad tertium membrum huius diviſionis, ſecundum & quartum ad ſecundum. Cauſa eſt quia primum & tertium ſunt ſeparabilia, ſecundum & quartum non item, at verò non omnia inſeparabilia quæ ſunt extra eſſentiam pertinent ad ſecundum membrum huius diviſionis, ergo. Dices differentia propria eſt per accidens tantum inſeparabilis, propria autem paſſio eſt per ſe inſeparabilis. Item differentia propria ſuſcipit magis & minus, paſſio autem non, ſicut differentia ſpecifica, ergo aſſumpta harum rationum ſive maiores vt vocant ſunt doctrina Porphyrii. Reſpondeo doctrinam Porphyrii procedere in exemplis ab eo adductis, ipſe autem adduxit exempla Proprii numerici ſeu individualis; non verò ſpecifici, hoc eſt non eorum quæ emanant à natura ſpeciei ſed quæ accidunt individuo, talia enim ſunt aquilinum aut ſimum eſſe apud Porphyr Itaque in forma nego vtrumque aſſumptum, & revera neganda (quoniam falſa) ſunt, nec libet morari levibus quæ ab auctoritate vnius pendent.

8. Supereſt probanda ſecunda pars concluſionis ſive analogia & æquivocatio harum differentiarum. quam ſic oſtendo. Differentia propriiſſima ſive eſſentialis facit ſimpliciter & abſolutè differens, communis non, ſed ſecundum quid, & impropriè, ergo nomen differentiæ illi verè (quia propriè) conveniet, huic falsò, quia impropriè, ſicut pictura dicitur impropriè prototypus. Antecedens continet vim rationis, & ſuadetur ſic: non poteſt differentia ſpecialiter & abſolutè convenire ei quod ſimpliciter & abſolutè eſt idem ei à quo dicitur differre; differentia communis competit ei quod ſimpliciter eſt idem ei à quo dicitur differre, ergo. Maior eſt tam certa, quam eſt verum aliquid non poſſe eſſe ſimul ſubſtantiam & accidens ſimpliciter, abſolutum & relativum. & ſimilia, quia ſimiliter idem & diverſum dividunt omne ens: probo ergo Minorẽ, quia differentia communis poteſt competere vni & eidem ac diſtinguere ipſum à ſeipſo, ſic enim ſedens differt à ſtante, quietus à moto, ſecundum ipſum Porphyrium; at verò clarum eſt idem non poſſe eſſe aliud à ſeipſo. Probo etiam idipſum ſic: Differentia non ſolum eſt diſtinctiva ſed & cõſtitutiva, & quidem prius quodammodo, ſi ſit aliquod intervallum inter ea, quod non puto, quia differentia conſtituendo diſtinguit, vt ſupra notavi: vnde ſic arguo. Conſtitutum per differentiam propriiſſimam & per communem non conveniunt vnivocè in eſſe conſtituti, ergo neque ipſa differentia vnivocè aut eodem modo vtrobique conſtituit, ſed omnino æquivoco modo ac diverſo quod patebit cuilibet exemplo, nam rationale v.g. non ſic conſtituit Petrum ſicut albedo eius, illa enim ſimpliciter & abſolutè eum conſtituit & componit, iſta ſecundum quid & accidentaliter duntaxat; Vnde infero, ergo rationale & albedo æquivoca etiam diſtinguunt eum, cur enim munus conſtituendi erit in vtraque differentia illa æquivocum non autem munus diſtinguendi?

9. Obiici ſolet vniverſale vt ſic eſſe genus vnivocum ad quinque hæc, & tamen aliqua eſſe eſſentialia, vt tria prima alia accidentalia, vt duo poſteriora; ergo ſimiliter poterit ratio differentiæ eſſe eis vnivoca, licet aliqua faciant eſſentialiter differre, alia accidentaliter duntaxat. Sed ego vicinius obiicio ſic: Prædicari in quale vnivocè convenit omnibus his differentiis, ſive, quod idem eſt, tribus vltimis prædicabilibus, ergo & facere differre; vel ſic: quale eſt vnivocum quali eſſentiali & accidentali ergo diſtinguere erit etiam vnivocũ diſtinctioni ſeu differentiæ eſſentiali. &c. Reſpondeo ad primam formam argumenti negando conſequentiam propter diſparitatem quã ſic aſſigno: Quia nimirum de ſingulis illis quinque verè & propriè dicitur *eſſe in multis* in quo ſtat ratio vniverſalis. At verò de ſingulis his non ſimiliter dicitur *diverſum facere* in quo ſtat ratio differentiæ. quia propriiſſima ſola facit ſimpliciter diverſum & aliud vt loquitur Porphyrius: atque huius vlterior ratio eſſe poteſt quod ſola propriiſſima facit numerum, ſive multa, adeoque ſola ipſa facit differentia, quia differentia, qua talia debent eſſe plura, non autem omnes differentiæ exigunt numerum aut multitudinem ſed poſſunt compati cum vnitate vt patet in differentia communi; v. g ſtatione & ſeſſione eiuſdem ergo, ſed

10. Obiicies adhuc ipſam probationem concluſionis Differentia conſtituendo diſtinguit, ſive ſe ipſâ & ſua entitate diſtinguit, atqui ratio entitatis ſive (vicinius) ratio qualitatis aut formæ eſt vnivoca differentiæ propriiſſimæ & communi, ergo & ratio differentiæ. Deinde clarum eſt differentiam communem verè diſtinguere, ac non tantum pictè aut falsò cur ergo erit æquivoca ad propriiſſimam ſicut eſt pictum ad verum: Reſpondeo hunc diſcurſum probare concluſionem, non autem lædere, quia nimirum differentia ſe ipſa conſtituit, & ſe ipſa diſtinguit, at non ſe ſola; poſſet enim eſſe ipſa & etiam conſtituere neç diſtinguere, caſu ſcilicet quo non daretur aliud præter conſtitutum, vt ſi non daretur animal niſi rationale, tum rationalitas eſſet conſtitutiva non diſtinctiva. Ex quo probatur negandam conſequentiam conceſſo vel diſtincto antecedenti modo iam poſito, Iterum reſpondeo argumentum plenè eſſe in oppoſitum ſi enim differentia conſtituendo diſtinguit, certè æquivocè diſtinguunt,

ſtinguit, certè æquivocè diſtinguunt propriiſſima & communis, quia æquivocè conſtituunt; clariſſimum eſt enim rationalitatem quæ conſtituit Petrum ineſſe hominis aliter eum componere ac albedinem quæ componit eum ineſſe albi vnde omnes concedunt hanc conſequentiam eſſe vitioſam, & à ſecundum quid ad ſimpliciter: Petrus deſinit aut incipit eſſe albus, ergo deſinit aut incipit eſſe: eſt cognitus iam Adamus, ergo Adamus iam eſt. Ex quo patet ad alterum illud ſupra additum in argumento, quod differentia communis verè non fictè aut falsò diſtinguit; concedo enim hoc, nam neque fictè aut falsò Petrus deſinit eſſe albus albedine, & tamen non ſimpliciter deſinit eſſe? ita ibi, homo albus à nigro verè differt, accidentaliter tamen non ſimpliciter differt. Dubitari tamen poteſt vtrum hæc æquivocatio differentiæ ad tria illa ſit ratione differentiæ communis tantum, an etiam ratione propriæ, hoc eſt, an ratio differentiæ vnivocè conveniat propriæ & propriiſſimæ, licet æquivocè conveniat ipſis & communi? Item de differentia numerica, vtrum æquivocè an vnivocè cum propriiſſima diſtinguat? Et reſpondendum breviter, quod etiam propria æquivocè diſtinguat? Cauſa patet ex ſecunda probatione concluſionis, quia propria non conſtituit aut componit ſubiectum: Ad ſecundum de differentia numerica iam ſupradictum eſt. Obiiciuntur alia contra Porphyrium in hac diviſione, quod non tradiderit eam per oppoſita, id quod inde colligunt quia non fecit eam bimembrem; tria enim membra non poſſunt ſibi opponi, alioquin vni plura opponerentur quod eſt falſum; & cætera quæ ipſe Doct. in litera obiicit, ac ſolvit, & ex ipſo aut. videatur q. 23. prædicab. nobis ſit.

ACTIO QVINTA.

Vtrum differentia inferior includat ſuperiorem, aut etiam Genus quod contrahit?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Sterno viam difficultati, explicando minutè caſum.*
2. *Reſolutio negativa de genere & prima demonſtratio eius. Item ſecunda.*
3. *Tertia: Omnes Logicæ probationes.*
4. *Quarta probatio Metaphyſica; Quinta item: Infinitas differentiarum apud Adverſarios.*
5. *Applicatæ probationes iam poſitæ de Genere contra incluſionem differentiæ ſuperioris in inferiori.*
6. *Prima obiectio pro incluſione differentiæ ſuperioris in inferiori.*
7. *Secunda melior: ſpiritualitas ſubſtantiæ & accidentis an vnivoca?*
8. *Tertia: Explicatus Ariſtoteles 7. Met. ſect. 45.*
9. *Plures aliæ inſtantiæ ſimul ſolutæ.*
10. *Vltima, & acerrima.*
11. *Solutio aliquorum Scotiſtarum reiecta.*
12. *Vera reſponſio; An ex immediatis præmiſſis ſequatur immediata concluſio.*
13. *Inſtauratur rurſus obiectio.*
14. *Vltima obiectio: An ſupremum coincidat cum infimo?*

1. TItulus actionis intelligendus eſt de incluſione formali ſcilicet in cõceptu eſſentiali rei quæ incluſio tũ habetur quando incluſũ eſt in eſſentia includentis, nã de materiali incluſione pars affirmativa ita eſt certa, vt certum eſt differentias omnes & genera identificari realiter in omni ſpecie, & individuo: coincidit autem hæc quæſtio ſic intellecta cum aliis quibus quæritur an genus prædicari poſſit de ſuis differentiis contractivis ac diviſivis? an differentia ſubalterna de infima. Et ne evadi poſſint tam valida argumenta quæ pro noſtra concluſione formanda ſunt nominali vlla æquivocatione, nota quæri hic de differentia reduplicativè & formaliter, non autem de ipſa ſpecificativè & materialiter ſumpta? dupliciter enim intelligi poſſumus de ipſa loqui, materialiter ſcilicet, & in concreto, quomodo dicit totam entitatem ſubiecti, & rationale enim dicit totum quod homo, & iterum quaſi præcisè & formaliter pro eo quod ſignificat ratione ſui; non ratione ſubiecti: Verbo, eſt quærere de differentia prout contrahit genus, & eſt actus ac pars formalis compoſiti v.g. de rationali ut præcisè dicit principium rationandi an includat ſenſitivum aut animal? Vbi adverte quod non oppoſuerim rationali in concreto ipſum rationale in abſtracto, nam certiſſimum eſt apud omnes abſtracta non poſſe de invicem prædicari aut de concretis quamquam aliàs includantur eſſentialiter in invicem. Vterque ergo ſenſus currit de differentia v.g. rationali in concreto, & quærit an in eo ſic præcisè ſumpto includantur ſenſitivum, animatum, &c. item animal, vivens &c. in quo (vt vbique aliàs) authores diſſentiunt affirmativam partem tenuerunt olim a antiqui. Tribuitur etiam nominalibus: Eam quantum ad incluſioné differentiarum in ſe invicem defendit Canter. cap. de differ. Iamdun. &c. Oppoſitum multò communius eſt in ſcholis poſt *Doct.* *Subtilem* variis b locis Logicis & Theologicis. ipſum ſequuntur Scotiſtæ c omnes vno agmine, longa ſerie apud Amicum hic tract. 5. q. 2. vnde

2. Dico reſolutive non includi genus in differentiis contrahentibus ipſum, nec differentiam ſuperiorem in inferiori; probo primum p. huius, & probationes procedent in primis de genere, quod ſcilicet differentiæ non includant ipſum. Arguo autem ſic: Differentia contrahit genus, ergo non includit, antecedens nemo negat, conſequentia etiam non poteſt negari, nihil enim ſeipſum contrahit, aliàs idem magis & minus pateret eodem, aliquid excederet ſeipſum. Quod enim contrahit aliud minus latè patet eo quod contrahitur, atque ita differentia ſine

a Themiſt. 10. poſt c. 11. & 13. Alex. Aphrod. 5. Metaphyſ. tex. 30. Canter.
b 1. Poſter. q. 24. 4. diſt. 11. q. 3
c Mauric. Hiber. in vni Andr. 7. Met. 7. quæſt. 15. Faventin. diſp. 9. Io Canon. 10. Phyſ. 97. Ponc. diſp 7. Log. Maſtr. & Bellut. diſp 4. vnit. q. 3. artic 3

Digitized by Google

ſine dubio minus latè patet quam genus, quia contrahit ipſum; ergo jam ſi genus ſe ipſum contrahit, minus latè patebit ſe ipſo; contrahit autẽ ſi includatur in differentia, nam tota differentia cõtrahit, ſicut totum genus contrahitur, ergo jam idem magis & minus latè patet eodem, ſcilicet genus genere, aliquid ſe excedit ſcilicet genus ſeipſũ. Imo hæc abſurda bis hic ſequuntur ut patebit attendenti, ſemel ratione generis, item ratione differentiæ, cui etiam hæc contradictoria conveniunt. Simile argumentum formari poteſt ex eo quod differentia componat cum genere, hoc enim non poſſet ſi includeret ipſum ut vides. Probo iterum alio argumento Logico; dico enim hinc perverti doctrinam prædicabilium, & differentiam prædicari in *quid*, quod Porphyrius & cum eo omnes negant; ſed probo ſequi, quia genus prædicatur in quid, at vero differentia ſecundum adverſarios eſt genus ergo. Dices non ſequi illatum; quamvis enim differentia includat genus, aut etiam ſit genus non prædicabitur in quid hoc enim competit ei quod ſolum genus eſt, non vero ei quod genus eſt & ſimul aliud, qualis erit in hac ſententia adverſariorum differentia. Accipio ſolutionem, & adhuc probo etiam ex ipſa illatum: Differentia includit genus quod prædicatur in quid, ergo ipſa prædicatur in quid licet includat prætereà aliquid quod prædicatur in quale probo hanc ſic; ſpecies prædicatur in quid abſolute, & tamen includit aliquid quod prædicatur in quale, ſcilicet differentiam cur ergo ipſa differentia non prædicabitur in quid ſi ſi includat genus quod eſt prædicabile in quid, quamvis habeat etiã partem prædicabilẽ in quale; quia ubi duo illa prædicata concurrunt, abſoluta prædicabilitas rei eſt *in quid* ut jam patuit in ſpecie.

3. Tertium argumentum eſt etiam Logicum quaſi differentia includit genus formaliter, ſequitur quod fruſtra aſſignatur illud extra differentiã, & ita in omni definitione committitur negatio. Probatio ſequelæ, quia idem bis dicitur ſcilicet genus, ſemel in ſe, iterum in differentia exemplum: hæc; Homo eſt animal rationale quæ eſt abſolutiſſima definitio hominis, erit identica & nugatoria quia animal bis ponitur ibi, ſemel in ſe, & iterũ in rationali; ſimilia alia poſſunt addi, ut quod tum differentia recta collocaretur in prædicamento aut certe (ut includit Doctor) deberent poni aliud prædicamentum imo duo alia etiam in ipſo genere ſubſtantiæ, (& ſine dubio ſimiliter in aliis generibus,) quia duæ illæ ſeries differentiarum ab utraque parte arboris prædicamenti circa truncũ medium faciunt ſingulæ ſuum prædicamentum, niſi admittantur ad medium huius quod nolunt adverſarii concedere, & merito, ergo. Sequela huius patet, cur enim ſpecies ſive ſubalterna ſive infima ponitur in arbore rectâ lineâ eo quod conſtet genere ac differentia, & differentia ipſa non ponetur ſi ſimiliter iis partibus conſtet? Sequitur denique ex genere & differentia non poſſe fieri unum quia nimirũ differentia eſt ens completum, adeoque non poteſt cum alio componere niſi ens per accidens quod eſt falſum. Præcedentem rationem de poſitione differentiæ in arbore prædicamentali recta linea eo quod componatur ex genere & differentia poſſet quis cavillari, dicendo hanc eſſe falſam imaginationem noſtram, quia differentia non componitur ex ſe ipſa, adeoque male dicitur componere ex genere & differentia. Sit exemplũ, rationale non componitur ex rationali, adeoque licet includat animal nõ componetur ex genere & differentia, illa enim eſſent animal & rationale, hæc autem non ſunt partes rationalis, aliter idẽ eſſet totum & pars. Reſpondeo contra ipſum ſequitur quod rationale componatur ex rationali & differentia ex differentia, licet non ex illa differentia quæ eſt compoſitum bene tamen & neceſſariò ex alia, & unum rationale ex alio rationali, nam rationale quod ſecundum ipſum includit animal certe non includit animal ſolum, ſed prætereà aliquid, illud autem aliquid ſine dubio eſt aliquid diſtinctivum, & ita differentia; non aliud quã rationale, ergo jam rationale cõponetur ex rationali & atq; ita in uno erunt duo rationalia, unũ cõpoſitum & alterũ componẽs atq; alia ſexcẽta paradoxa quæ facile inferri poſſunt ex hac Logica Adverſariorũ.

4. Probo jam Metaphyſicè intentum, & accipio genus animal; differentias rationale ac irrationale, & ſic arguo ut probẽ animal non includi in rationali: Non includitur animal in rationali, ergo nec in rationali conſequentia ſine dubio valet, antecedens autem ſi concedatur, habetur intentum, ſi negetur, ſequitur quod ipſa differentia ſit convenientia aliquorum, quo nihil falſius; patet autem ſequi, quia irrationale eſt differentia hominis & bruti, ſive id in quo diſconveniunt, hæc autem ſecundum Adverſarios eſt cõvenientia eorũ, quia eſt animal in quo conveniunt homo & brutũ. Hic reſolvendum eſt quod ſupra adverti differentiam hic nõ ſignificare quod ſonat, ſcilicet ipſum diſcrimen aut diſtinctionẽ in abſtracto, ſed id potius in quo aliqua differrunt, & à quo oritur illa differentia ſeu diſſimilitudo, tum autem manifeſtè ſequitur conſequẽtia ſupra illatã, quia manifeſtè idem eſt principium conveniendi & differendi homini ac bruto ut vides, ergo Probo etiam ſecundò medio Metaphyſico idem ſequitur enim ex oppoſito infinitus proceſſus generum atque differentiarũ, vel, ut propriè dicam, ſequitur genus aliquod in eodem cõpoſito infinities includi, & ſimiliter eandem differentiam infinities reperi in eodem, quo nihil ineptius, ſed probatur ſequi: Accipio enim rationale & irrationale, & de his quæro utrum conveniant in animali; necne? ſi non, habetur intentum; ſi ſic, etiam certum eſt quod diſconveniant in aliquo, atque ita dabitur aliqua eorum differentia: De illa differẽtia rationalis ab irrationali quæro an includat animal? ſi non, iterum eſt intentum concluſionis; ſi ſic, jam bis habetur animal in eodem, necdũ ſatis tamen; quæram enim de illis etiam differentiæ differentia an includat genus, & debebit reſpõdere quod ſic, cur enim una, & nõ omnes; eo autẽ dato, dabitur etiam tertia differẽtia hominis à bruto ſive eadem tertio repetita & genus toties atque ita pergendo invenietur utrumq; in quolibet individuo infinities quo nihil ſtultius dici poteſt, nec tamen evadi poteſt ab adverſariis niſi tranſeant ad noſtras partes, & fateantur genus à principio non fuiſſe incluſum in differentia. Video tamen dici poſſe, nõ ſequi quod ſecunda differẽtia ſive differentia differentiæ, illa ſcilicet qua rationale differt ab irrationali includat animal quia animal nõ eſt eius genus, ſed tantum primæ differentiæ, ſeu primi rationalis, adeoq; ex eo quod dicãt illi genus includi in differentiis non rectè colligitur animal includi in ſecũdo rationali; tantũ enim ſequitur genus includi in prima differentia, at vero in illa differẽtia differentiã primã includi. Sed eſto totũ; concedo quod animal non ſit genus niſi reſpectu primæ differẽtiæ, adhuc includetur in ſecunda, ſive in differentia differẽtiæ, nõ minus quam in prima quæ fuit generis differẽtia; Ecce quomodo: quia nimirũ prima differentia includitur in ſecunda, (hæc enim, ſcilicet pri-

prima, eſt quaſi genus reſpectu ſecūdæ) genus autem includitur in prima, adeoq; neceſſariò debet genus includi in ſecunda, etſi in ſecunda, certè in tertia, & trigeſima, & ita in infinitum vt vides, erg.

5. Hæc eadem argumenta applicari poſſunt ad probandum quod non includatur differentia ſuperior in inferiori vt patet transferenti ipſa ſuo ordine ad hāc partem concluſionis probandam: nam & differentia inferior contrahit ſuperiorē, quum contrahat genus & ſimiliter componit cum ipſa etſi non immediatè. Tertia etiam probatio huc pertinet; quod vt oſtendam, vtar doctrina illa *Ariſt.* a vbi docet quod quando ſpecies definienda eſt per genus remotum, in ea definitione debent adhiberi omnes definitiones intermediæ; at verò id ineptè fieret ſi res ſe haberet vt volunt Adverſarii. Si enim differentia inferior includit ſuperiores omnes, ſufficeret adhibere vnam infimam, quia in illa omnes aliæ adiungerentur. Denique ſi differentiæ ſuperiores in inferioribus includantur, redit ille proceſſus infinitus, ſi enim differentiæ illæ differunt & conveniunt, atqui non poſſunt ſe totis differre, differunt ergo novâ differentiâ, de qua quæro an includat ſuperiorem, v. g. quæro an differentia rationalis ab irrationali includat ſenſitivum nec ne ſi ſic, debet aſſignari etiam huius differentiæ differentia & ſic in infinitum vt ſupra: ſi non, habetur intentum vt patuit ex forma argumenti applicata differentiis reſpectu generum, iam enim conceditur aliqua differentia, quæ non includat ſuperiorem; data autem vna quæ non includat ſuperiorem, ſequitur nullam eſſe quæ eam includat, eadem enim eſt ratio de omnibus, & argumenta adverſariorum æque de omnibus procedunt, ergo. Vel dicamus ſic, applicando argumentum tam generi quā differentiæ ſuperiori: Rationale v. g. ſi includit animal & ſenſitivum: aut includit ea ſola aut ipſa aliquid aliud; ſi ſola ipſa, iam rationale conveniret irrationali vt quæ enim rationali conveniunt eſſe animal & ſenſitivū ſi ipſa, & præterea aliquid, de illo præterea quæro, vtrum includat animal? & an ſolum, an cum aliquo præterea? ſi ſolum ergo iam non fuit aliquid præterea id eſt præter conceptum animalis aut ſenſitivi, quod eſt contra hypotheſin: ſi non ſolum ſed cum addito, de illo addito quæro an includat animal, & ſi ſic, iam non fuit additum, ſed idem: ſi non, habetur intentum, & hoc præterea quod abſurdè ſatis permitterent Adverſarii ſe huc trahi, vt confiterentur in fine quod ſtatim poterant in principio, quæcunque enim abſurditas ſequitur ex eo quod prima differentia v. g. rationale non includat genus aut differentiam ſuperiorem ſequitur ex eo quod hoc additum non includat ipſa, vt patet applicanti argumenta quæ ſupra necteremus Hæc autem noſtra argumenta aut non vidit Averſa aut diſſimulavit, certè autem non obiecit ſibi ea, ſed alia frivola & facilia ſolutu. Audiamus autem ipſos Adv. pro incluſione vnius differentiæ in alia; et ſit hinnibile v. g. in quo includ. formaliter ſenſitivum, videtur efficaciter probari ratione hac quam ſubiicio

Proferuntur & ſolvuntur argumenta adverſa.

6. Obiicio primo non poteſt concipi hinnibile formaliter, quin concipiatur ſenſibile: hinnibile eſt differentia inferior, & ſenſitivum ſuperior, ergo non poteſt concipi &c. atque adeo includitur ſenſitivum in hinnibili ſive differentia ſuperior in inferiori: maior paulò faciliùs probatur de hic acceptis in actu ſecundo hincinde, v. g. de hinnitu & ſenſatione, non enim poteſt concipi hinnitus, niſi vt intelligatur eſſe ſenſatio, ergo iam ratio ſenſationis quæ eſt operatio animalis includitur in ratione hinnitus, ergo & operatio equi, ex quo ſequitur quod etiam in hinnitivo quod eſt actus primus equi involvatur ſenſitivum quod eſt actus primus animalis; ſine dubio enim ſic ſe habet actus primus ad primum ſicut ſecundus ad ſecundum ergo; Hoc eſt ſummum & maximum fundamentum adverſariorum, ipſorum æſtimatione quod tamen ſolvo negando antecedens, ſi ſermo ſit de hinnibili reduplicativè & præciſè ſumpto: ſimiliter falſum eſt quod aſſumitur in probationem huius quod ſcilicet hinnitus ſive operatio propria equi ſit ſenſatio, non enim illa præ ſè ſumpta eſt ſenſatio ſed talis ita, vt ſic dicam ſenſationis, nec hinnibilitas eſt principium ſentiendi, ſed determinatio eiuſmodi principii, atque ita tota operatio non provenit à differentia equi ſed ab illa ſimul & differentia animal, ita vt ratio generica ſenſationis proveniat ab animali & differentia eius, ſpecifica autem à differentia ipſa ſpecifica. Aliter etiam non male reſpondit ad hoc alius diſtinguendo antecedens, non poteſt concipi hinnibile quin concipiatur ſenſibile tanquam quid connotatum & præſuppoſitum concedo, tanquā quid conſtitutivum eius præciſè & propriè acceptum nego anteced. & patet negandum ſexcentis aliis inſtantiis, tam phyſicis quàm moralibus, quæ etiam obviæ ſunt, & vel ideo omittuntur, vt videas quàm immeritò æſtimaverit tanquā b hoc argumentum vix eſſe ſolubile; ergo magis movetur ſequenti argumento c Averſæ. b *Arriaga d. p. 8 Log. ſect. 9a.* c *Log. 1.*

7. Obiicit igitur ipſe vt probet genus non præſcindere perfectè à ſuis differentiis: quum ſubſtantia dividitur in corporalem & ſpiritualem tanquam genus in ſpecies per eiuſmodi differentias, rationes corporei & ſpiritualis dici debent ſubſtantiales, quia ſubſtantia non poteſt niſi ſubſtantialibus contrahi, non enim accidentalibus, aliàs aliquod accidentale eſſet de eſſentia ſubſtantiæ; nec etiam aliquo abſtracto ab vtroque ſcilicet ſubſtantia & accidente, tale enim non eſt niſi ens quod nemo ponet eſſe differentiam cōtractivam ſubſtantiæ, quum ſit ſuperius ad ipſam, Confirmat egregiè ſi differentiæ contrahentes ſubſtantiam adinſtar generis, præſcindant ab eſſe ſubſtantiali & accidentali iam illæ erunt magis communes & magis egebūt determinatione quam ipſum ſubſtantiæ genus quod eſt contra omnem Philoſophiam, ſed probatur ſequi quia ſubſtantia eſt tantum indifferens ad ſpiritualem & corporalem, at verò illæ differentiæ erunt indefinientes ad ſubſtantiā & accidens quæ multò latius patent. Hanc rationem poſſumus contrahere ad ſolam differentiam ſpiritualitatis, ſic: aut ſpiritualitas à qua ſubſtantia dicitur ſpiritualis eſt eadem in ſpecie cum ſpiritualitate accidentis, aut non; ſi non, iam ſpiritualitas ſubſtātiæ erit ſubſtantialis, non enim poteſt concipi quomodo illæ ſint diverſæ ſpiritualitates niſi quia vna eſt ſubſtantialis, alia accidentalis; ſi autem ſit eadem ſpecie ſpiritualitas, vtrobiq; aut vtraque erit ſubſtantialis quod abſurdum eſt, ſic enim aliquid ſubſtantiale includeretur in accidēti & ècōtra ſi vtraq; ſit accidentalis, vt vides: aut denique ſpiritualitas vtriuſque abſtrahit à ſubſtantia & accidenti, & tum redit abſurdum in confirmatione poſitum de maiori indifferentia differentiæ quam generis, ergo. Reſpondeo ad hanc vlti-

vltimam formam ſpiritualem ſubſtantiæ & accidentis poſſe dici eſſe eiuſdem rationis ſcilicet abſtractam à ſubſtantia & accidente & ita in neutra differentia ſpiritualitatis includitur ratio generis, ſcilicet ſubſtantiæ aut accidentis. Ad abſurdum contra hoc illatum quod ſcilicet differentia eſſet magis indifferens quàm genus, dico id non ſequi, quia ſpiritualitas illa non eſt communis ſubſtantiæ & accidenti vt ſic, ſed ſubſtantiæ & accidenti tali, ſcilicet ſpirituali, atque ita non latius patet ſpirituale vt ſic quam ſubſtantia vt ſic, ſicut enim ſpirituale vt ſic habet ſub ſe ſubſtantiam & accidens, ita ſubſtantia vt ſic habet ſub ſe ſpiritū & corpus. Aliter dici poteſt ſpiritualitatem ſubſtātiæ & accidentis eſſe diverſæ rationis, quia vna eſt quodammodo ſubſtantialis, ſcilicet identicè, alia ſimiliter identicè accidentalis neutra autem formaliter ſubſtantialis aut accidentalis. Quomodo autem aliquid poſſit eſſe ſubſtantia identicè non autem formaliter, declarari poteſt exemplo puncti, quod eſt aliquid corporeum & de genere quantitatis, non tamen includit rationem formalem quantitatis. Ita hic differentiæ contrahentes ſive ſubſtantiam ad corpus & ſpiritum, ſive ſpiritum ad rationem ſubſtantiæ & accidentis, ſunt ſubſtantiæ, & ſunt ſpiritus, ſive, includunt rationem ſubſtantiæ & ſpiritus identicè non formaliter. Et per hoc patet ad alia quæ adfert pro ſe Averſa cit. omnia enim eiuſdem farinæ ſunt, & ideo ſubſunt eidem ſolutioni, imo vtrique illi. Vnde ad primam formam argumenti nego antecedens ſcilicet differentias corporalis & ſpiritualis eſſe ſubſtantiales: ad rationem contra hoc, dico bene comprobare quod illæ non ſint accidentia, non tamen bene probare quin ſint abſtractum ab vtroque ſcilicet ſubſtantia & accidente; non enim abſolutè verum eſt quod ibi adducitur in probationem ſcilicet nihil eſſe abſtractum à ſubſtantia & accidentia niſi ens. Nihil quidem eſt abſtractum à ſubſtantia vt ſic latiſſimè ſumptâ & accidente per modum ſuperioris niſi ens; bene tamen poteſt aliquid abſtrahere ab illis per modum determinativi aut differentiæ præter ens [& tales ſunt illi modi corporalis & ſpiritualis,] vt, ſicut ipſū ſuperius non includit differentias inferiorum v. g. ſubſtantia vt ſic non includit corporeitatem, ita corporeitas non includit ſubſtantiam. Secundò reſpondeo concedendo quod includant rationem generis, ſed identicè non formaliter quod ſupra explicatum eſt idem.

8. Objicit etiam Ariſtotelem, quem dicit apertè ſuam ſententiam tradere ſeptimò Met. tex. 45. ſive ſum. 2. cap. 14. vbi de hac materia ex profeſſo agit & dicit genera ac differentias communes debere dividi per alias differentias ſpeciales; non debere autem dividi per alias diſparatas, ſed per proprias includentes rationem communem, & ponit exemplum de animali quod ſi dividatur per differentias habentis & non habentis pedes, illud habens pedes non debet dividi per aliquod impertinens puta per implume aut plumatum, ſed per habere tales aut tales pedes, puta fiſſos aut ſolidos, ſive integræ vngulæ: cuius rationem aſſignans ait *fiſſio namque pedis aliqua peditas eſt* ergo ſignum eſt quod iudicavit Philoſophus differentias ſuperiores in inferioribus includi, ſive (quod idē ferè eſt) ipſum genus. Reſpondeo doctrinā Ariſt. eſſe ſolidā ſed non pro Averſa: nihil verius quam ſuperius aliquod non eſſe dividendum per extraneas & impertinentes differentias, quàm ineptè enim ſanguis divideretur in plumas, aut plumæ in cornua? quærenda eſt ergo opportunitas differentiarum quæ tamen nō ſtat in eo quod differentiæ includant genus, ſed quod eſſentialiter determinentur ad illud; id autem oritur ex eo quod ſunt (vt ſupr. dixi) non quidē repetitio generis, ſed taleitas eius, fiſſio enim pedis aut vngulæ eſt quædam taleitas pedis; & hoc voluit Ariſt. dicendo quod eſſet peditas aut pedalitas: ſenſus enim eſt quod ſit aliquid concernens pedes. Quod verò ille non intenderit idem quod Adverſarii, ſive differētias ſuperiores includi in inferioribus, aut dividi per illas, & prædicari de illis, vt videtur dicere, oſtendo primò ratione, tum etiā authoritate eius: nam ſi differentia per differentias dividatur, tum differentia nō erit differentia quod implicat, ſed oſtendo ſequi, nam differentia illa diviſiva v. g. ſenſitivū quod dividitur in rationale & irrationale includetur in vtroque, & ita homo per rationale conveniet cum bruto, rationale autem eſt differentia eius à bruto atque ita conveniet per ſuam differentiam cum eo, quod eſt differentiam non eſſe differentiam ſed convenientiam eius. Præterea ipſe Philoſophus ibidem ſæpe requirit pluralitatem differentiarum ad definitionem. *a Quarè manifeſtum eſt quod definitio eſt ratio ex differentiis* & antea *Nihil aliud in definitione erit niſi genus quod primum dicitur & differentiæ*: vides vbique exigi ab eo differentias: atqui ibidē *Omnino nihil refert per multa an per pauca dicatur &c.* hoc eſt, ſi omnes differentias cum genere remoto ponas, vbi mens Ariſt. eſt quod ſi quis velit definire ſpeciem per genus ſupremum, debeat omnes differentias apponere; at verò hoc eſſet ineptè omninò & nugativè factum ſi inferior differentia ſuperiores includeret, tunc enim ſufficeret ipſam ſolam ponere, etiam cum genere remoto vt ſupra tetigi. Quod ergo ait Ariſt. ibid. differentiam vltimam eſſe rei ſubſtantiam, intellige nō formaliter ſed identicè & præſuppoſitivè, & ita eſſe intelligendum patet ex ratione illa Doct. q. 23. poſt. nam ſi non ita eſſet, & vltima differentia includeret formaliter alias, non ſolum fieret nugatio ponendo alias differentias in definitione ſed etiam ponendo ipſum genus: cauſa, quia id iam eſt poſitum in vltima differentia, nam genus non eſt aliud niſi aggregatum differentiarum. a Metaph. cap. 14. tex. 43.

9. Ex his vides ſolutas alias inſtantias quæ ex aliis prædicamentis hoc adferri poſſunt, & de facto congerit Averſa citatus, vt quod linea ſit lōgitudo ſine latitudine, ſuperficies longitudo cū latitudine aut latitudo ſine profunditate &c. vbi apparet in propriis rationibus involvi communes rationes, vt in ratione ſuperficiei longitudinē, in ratione corporis ſuperficiū ſive latitudinē, & in omniū rationibus extēſionē ſine qua nulla ſpecies & nulla differētia huius generis poteſt intelligi, ſicut nec differentiæ relationis ſine relatione, vel ordine aliquo qui eſt ipſū genus: omnia enim ſunt vera ratione præſuppoſitionis, non ratione incluſionis generū aut differentiæ ſuperioris vt ſupra. Itaq; nihil hic difficilius video eo quod habet D. q. illa ci: Poſt & Obiicio vltimo; Hæc eſt per ſe *rationale & ſenſitivū* ergo differentia ſuperior includetur formaliter in inferiori: probatur conſequentia quia non eſt propoſitio per ſe niſi quando prædicatum includitur in ſubiecto primo modo perſeitatis; ſi autē prædicatum huius includitur formaliter in ſubiecto, iā differentia ſuperior includitur in inferiori vt videtur. probo autem includi ſive illam propoſitionem eſſe per ſe, quæ fuit maior diſcurſus facti. hoc ſyllogiſmo in Darapti qui eſt primus modus tertiæ figuræ: omnis homo eſt ſēſitiv⁹, omnis homo eſt rationalis ergo rationale eſt ſēſitivū. In quo ſyllogiſmo præmiſſæ

Digitized by Google

miſſæ ſunt per ſe ac proinde talis erit concluſio; ſicut enim ex neceſſariis non ſequitur niſi neceſſarium, neque ex vero niſi verum, ſic videtur neque ex præmiſſis per ſe ſequi niſi concluſio per ſe: &, ne fiat vlla tergiverſatio, formetur ſic ſyllogiſmus; omnis homo eſt per ſe ſenſitivus, omnis homo eſt per ſe rationalis, ergo rationale eſt per ſe ſenſitivum, præmiſſis huius non poſſunt eſſe veræ niſi conſequens eius ſit ſimiliter verum, ſi autem conſequens hoc ſit verum, concluſio Actionis erit falſa, quia iam ſenſitivum includitur in rationali [& ita differentia ſuperior in inferiori] alias enim non prædicaretur per ſe de illa, ergo. Mira & multa ſunt quæ ad hoc dicuntur ab iis qui nobiſcum tenent non includi differentias ſuperiores in inferioribus, vt videre eſt fuſiſſimè apud *Amicum a* hic reſpondent Scotiſtæ *b* aliqui, & cum illis alii *c* poſſe ex præmiſſis per ſe ſequi concluſionem quæ non ſit per ſe, non enim oportet vt tanta ſit connexio extremorum inter ſe quanta eſt earum cum medio, cuius inſtantia valentiſſima videtur eſſe in hoc ſyllogyſmo: Homo eſt primò riſibilis; Petrut eſt primò homo, ergo Petrus eſt primò riſibilis. Vbi vides conſequens eſſe falſum, non enim Petro, ſed homini convenit primò riſibilitas, & tamen præmiſſæ ſunt veriſſimæ & quidem per ſe, & hanc ſolutionem adfert Doctor in 1. *Poſter. tit.* ſed neq; ipſius expreſſa eſt nec vera, nempe ſi ex præmiſſis per ſe nu. ſequitur concluſio per ſe, ex quibus ſidem ſequitur? certè nō ex præmiſſis per accidens neque ex aliis quæ nō ſint per ſe. Neq; oppoſitum convincitur illo ſyllogiſmo; Pro quo adverte vnum, (in quo hallucinati videntur authores illius ſolutionis) ſcilicet opportere omnino vt tanta ſit connexio uxtremorum inter ſe in concluſione quanta eſt eorum cū medio in præmiſſis vno gradu minus hoc eſt tantam eſſe excepto eo quod admittitur per ipſum medium, num cum extrema copulentur immediatè medio, ſibi autem ipſis mediante medio, non poteſt tanta eſſe connexio eorum inter ſe quanta eſt eorum cum medio; & hic exceſſus ſupponendus eſt ſemper in concluſione aliàs illa non eſſet cognitio diſcurſiva, de cætero autem tanta omnino eſt connexio eorum inter ſe quam cum medio, aut certe forma ſyllogiſtica deficit. Vnde facile reſpondeo ad argumentum concedendo illam eſſe per ſe, at non in primo modo perſeitatis, ſed in ſecundo, in quo eſt iſta; rationale eſt riſibile, quæ quidem eſt per ſe, & tamen prædicatum non eſt de ratione formali ſubiecti. Et cum contra inſtatur ex illo ſyllogiſmo in Darapti cuius præmiſſæ ſunt in primo modo perſeitatis. Reſpondeo ita eſſe, tamen concluſionem non debere ita eſſe ſed in ſecundo, ſcilicet vno gradu minus, quia ſcilicet præmiſſæ ſunt ſine medio, concluſio autem eſt per medium, aliàs non eſſet concluſio, & proinde mediatius & minus vera quam præmiſſæ, nam propter quod *vnumquodque tale & illud magis tale.* Vbi etiam vides ſyllogiſmum ab illis Scotiſtis pro ſe adductum, pro me eſſe: nam velle quod Petro conveniat riſibilitas primò id eſt immediatè, & velle quod ei conveniat per medium quomodo ſyllogiſmus id probat, eſt inſania: eſt enim velle idem eſſe & non eſſe immediatum, ſemper ergo concluſioni defuit aliquid de excellentia præmiſſarum, & ſunt vno gradu infra eas vt notum eſt axiomate iam adducto ex 2. Poſt. vbi ipſum Ariſt. pronūciavit, ad hoc ipſum propoſitum. Quod autem abſolutè concedendum ſit illam *rationale eſt animal* eſſe per ſe, demonſtrari poteſt contra illos Scotiſtas autoritate & ratione D. citati; formo enim hunc ſyllogiſmum: *omnis homo per ſe eſt animal, omnis homo per ſe eſt rationale ergo eſt rationale per ſe animal.* Præmiſſæ ſunt veræ ergo & conſequens; bonitas enim conſequentiæ manifeſta eſt, & probatur efficaciter per reductionem eius ad impoſſibile modo à Philoſopho tradito, ſcilicet aſſumendo minorem, & ex ipſa cum oppoſito concluſionis inferendo oppoſitum maioris, *ſic: nullum rationale eſt per ſe animal omnis homo eſt per ſe rationalis ergo nullus homo per ſe animal.* Itaque illa eſt propoſitio per ſe, ſic tamen ut non noceat concluſioni noſtræ, quia non eſt per ſe ita ut unum extremum eius includat alterum in ſuo conceptu formali quod opus fuit ad falſificandam concluſionem. Dices tamen adhuc; illa eſt neceſſaria, ergo eſt per ſe, & in primo modo; probò conſequentiam, quia ſic arguit Ariſt. ut probet demonſtrationem eſſe ex propoſitionibus per ſe; infert enim eam eſſe ex per ſe, quia eſt ex neceſſariis. Reſpondeo non eſſe exploratum eum eſſe diſcurſum Ariſt. eo loco; Græci & Arabes interpretes ita eum intelligunt, ſed D. Thomas aliter interpretatur eum ut velit potius ex per ſe inferre neceſſitatem non è contra: ſed quidquid ſit de hoc, tenendo etiam primum ſenſum, tunc tenet conſequentia illa quando præpoſitiones ſunt directæ, hic autem propoſitio eſt indirecta quia rationale quod prædicari debuit ſubiicitur.

10. Multo acriùs obiici poteſt pro concluſione illa ſyllogiſmi in Darapti hoc modo: Hæc eſt per ſe *homo eſt rationale*, ergo & iſta *rationale eſt animal*, quam conſequentiam ſic ſuadeo, ſi hæc, homo eſt rationalis, ſit per ſe, etiam illa erit: rationale eſt homo, ſit per ſe, tum hæc erit per ſe *rationale eſt animal* quia nimirum homo eſt animal, & quidem eſſentialiter & per ſe in primo modo. Conſequentia prima iam probata eſt, hic probo probationem eius, quia hæc: rationale eſt homo: eſt convertens illius: homo eſt rationalis: at verò convertens propoſitionis per ſe debet eſſe per ſe; & convertens propoſitionis neceſſariæ eſt neceſſaria, ergo Reſpondeo breviter negando conſequentiam & probationem eius, non enim propoſitio per ſe convertitur in per ſe, quod non eſt novum: quia nec vniverſalis ſemper convertitur in vniverſalem, vt patet in affirmativis; Cur autē nō convertatur per ſe in per ſe, cauſa eſt quia vt ſit per ſe propriè aliqua pro poſitio opus eſt vt prædicatum imbibaur in eſſentia ſubiecti quod non contingit in convertentibus vniverſaliter, nam in propoſito homo totus non eſt eſſentialis rationali, quia nimirum homo dicit animal quod eſt extra conceptum rationalis. *Duces* id eſſe in controverſia: & præterea ſi hoc quod eſt animal eſſe extra conceptum rationalis facit ne propoſitio convertens ſit per ſe, tunc illa per ſe & ſolemnis propoſitio *homo eſt rationalis* non poterit converti niſi in identicam hanc, rationale eſt rationale; Probatur ſequela nam ſi aliquid addatur vltra rationale puta animal, convertens non erit per ſe ſecundum ſe. Reſpondeo in re fere ita eſſe, licet non debeat res trahi illis terminis identicis: nec mirum eſt convertentem illam ſic eſſe accipiendā, nam etiam converſa ipſa ſcilicet *homo eſt rationalis* debet illū ſenſū aliquomodo facere, quia nec homo ſecundum ſe totum eſt rationalis, non enim ſecundum quod animal. Alii obiiciunt ſi differentia vltima non includit

aliam

aliam ſuperiorem ſequitur jam ultima eſſe ſupremam quia nimirum nullam habet ſupra ſe includatur deinde erit actus ſimplex; ſed neutrum ſequitur, non primum quia non ex eo dicitur differentia aliqua ſuprema quod non includat aliam, ſed quoniam in compoſito per eam non ſupponit aliam priorem cui ſubordinetur, cuius oppoſitum contingit differentiæ infimæ ſecundum nos, ergo. Non etiam ſecundum, quia etſi forte non ſit compoſita ipſa, eſt tamen compoſitiva alicuius quod non cum ſumma ſimplicitate ſit nunc

ACTIO VLTIMA.

Vtrum ſpecies in firma habeat ſemper vnam Differentiam ſimplicem conſtitutivam ſui?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Explicatus ſenſus quæſiti.*
2. *Reſolutio negativa probabilis.*
3. *Alia probatio eiuſdem. Notatæ quædam diviſiones.*
4. *Nova via retinendi definitionem primam differentiæ poſitam ex Porphyrio ſuprà*
5. *Prima obiectio. num contingat genus contrahere differentias?*
6. *Secunda, tertia, ac quarta; ſoluta*
7. *An rationale noſtrum in ſolis nobis, ideſt ſolis hominibus ſit?*
8. *Pars negativa ſuadetur pluries.*

1. SEnſus tituli nullo melius declarabitur quam exemplo quæſiti, & ſit nobis homo, qui duobus modis poteſt intelligi conſtitui, ſcilicet ex genere aliquo ultimo puta animali, & ultima item differentia ſcilicet rationali, quæ differentia rationalis in ullo alio inveniatur. Alio modo poteſt intelligi eſſe conſtitutus ex genere aliquo ſubalterno v. g. vivente & duabus differentiis puta ſenſitivo & rationali, quarum quælibet poſſit extra ipſum hominem inveniri, tamen utraque conjuncta nulli convenire poſſit niſi homini. Quod ergo hic dictum eſt de homine, quæritur in titulo de omnibus ſpeciebus infimis ut Leone, Lapide, Angelo, & an judicandæ ſint ſingulæ eſſe compoſitæ ex genere & una differentia ſimplici incommunicabili, an vero ex duabus, quarum ſingulæ ſint communicabiles alteri, complexum autem ex utroque incommunicabile? De quo ſemper fuerunt in Scholis lites ut patet ex cathalogo authorum, pro quavis parte Sufficiat ſcire in partem *a* negativam propenſos fuiſſe antiquos, Platonicos præſertim, affirmativam *b* placuiſſe ſequentibus.

Alex. 1. ... opic. 3. ... implic. ... radice. ... ment. c. 19. ... ibr in ... metaphyſ ... Bonav. ... ... Thom. ... bella ... herelles ... 70. ... ocin ... odeq. bic

2. Dico breviter non eſſe improbabile quod ſpecies atomæ conſtituantur pluribus differentiis ac non tantum una ſimplici. Hanc non tetigit ex profeſſo D. ſed q. 19. prædic. in ſimili, & ubique alias ſuſtinet Porphyrium qui hanc tenuit ut notum eſt pro ea multa adferuntur ab antiquis quæ apud ipſos videas; Mea ratio iſta eſt. Si ponamus quamlibet ſpeciem atomam habere propriam differentiam ſimplicem, dabimus differentias & diſtinctiones non neceſſarias, hæc autem ſunt Philoſopho vitandæ, ſicut revera à natura ipſa vitantur, & non ſunt. At vero ponendo plures differentias partiales in quolibet, non; nec multiplicamus quidpiam ſine neceſſitate, ergo. Antecedens huius oſtendendum eſt, & facio ſic: Sumo in exemplum hominem, qui ſi modo adverſariorum conſtituatur per propriam ſimplicem differentiam, puta rationalitatem, diſtinguetur ſupervacaneè ab aliquo, v. g. ab Angelo per ſenſitivum; ſi autem modo jam poſito in concluſione, non ita, ergo Explico probationem. Si ponamus rationale hominis non eſſe ultimam differentiam, aut ſolam hominis, erit communis ipſi cum alio, ſcilicet cum Angelo & tamen homo diſtinguitur ab angelo per ſenſitivitatem ſolam, quia in rationalitate conveniet cum eo. Si autem ponamus modo adverſariorum rationalitatem eſſe diverſam à rationalitate Angeli, differet in rationalitate ab eo, & præterea in ſenſibilitate. At vero ſufficit ad excludendum unumquodque una differentia, ergo in oppoſita ſententia dabitur differentia & diſtinctio ſupervacanea, quod cavendũ eſt, ut dixi, Philoſopho, ut in re alias incerta, qualis eſt præſens ſequi debeat partem quæ libera eſt ab hoc inconvenienti multiplicandi entia ſine neceſſitate.

3. Probo etiam ſecundo idipſum utraque ratione quam tetigit D. q. 19 cit nam ſi dicamus ita res conſtitui, ſic facilius ſaluabimus diviſiones plurimas aut potius eas. V g. dividitur anima ut ſic in vegetativum, ſenſitivum, & rationalem, ubi ne diviſum coincidat cum uno membrorum dividentium, vegetativa illa dicitur vegetativa tantum (nam etiam anima ut ſic eſt vegetativa) jam dico animam hanc conſtitui per duas differentias, quarum una. Eſt *vegetativa*, & alia innominata quam circumloquimur per ly *tantum*, nam alias ponere negationem illam *tantum* pro differentia aut parte differentiæ alicuius poſitivi eſt abſurdum. Idem eſt de diviſione animalis in rationale & irrationale utique enim melius eſt intelligere per illud, irrationale poſitivum quam privationem, & in re idem eſt animal irrationale ac ſenſitivum tantum: Sicut ergo videmus animam vegetativã conſtitui per duas differentias, ita debemus judicare brutum conſtitui etiam per duas, atque ita habemus duas inſtantias huius præter hominem, qui fuit prima. Vnum tantum ad hoc dici poteſt quod quidem illud *tantum* & ſimilia accipienda ſint poſitivè non tamen ut nos volumus tanquam condifferentiæ ſimul cum alio conſtituentes ſpeciem ſed tanquam una differentia contractiva prioris, & ita inferior illa priori. Cõtra hoc & ſimilia utor hoc diſcurſu pro concluſione. De facto recepta eſt diviſio corporis in animatum & inanimatum & in arbore Porphyrii, nec tamen negari poteſt potuiſſe aliter conſtitui arborem, & dividi prædicamentum ſubſtantiæ, primo in animatam & inanimatam ſive viventem & non viventem, deinde

tur, niſi enim diſtinguerentur, nihil competeret vni quod in alterum non quadraret.

8, Sed primo horum vtor ego pro me, nec fruſtra: ſi enim oſtendero rationale animæ & hominis eſſe vnum, certe erit demonſtratum quod homo non habeat ſolum illud rationale pro differentia, quia licet non competeret illud angelis, competeret tamen alteri ab homine ſcilicet animæ: oſtendamus ergo ſic. Eſſe materiale vnivocè convenit toti homini, & parti eius v.g. corpori, & eſt eadem materialitas vtriuſque, ergo ſimiliter eſſe rationale, quod remanet in anima ſeparata eſt ipſum quod fuit in toto. Idem eſt de denominationibus accidentalibus nam homo dicitur gravis & corpus hominis aut cadaver grave eâdem ſine dubio gravitate, ergo ſimiliter rationale quod denominabat hominem eſt ipſũ quod denominat animam eius ſeparatam; cur enim denominationes provenientes à corpore remanebunt in ipſo, non verò illæ provenientes ab anima ipſa? Confirmatur, ſi dicamus hominem eſſe ſubſtantiam ſpiritualem propter animam, ſicut dicimus modo eſſe corporalem propter corpus, certè eadem numero ſpiritualitas erit illa quæ remanet in anima, & quæ fuit in homine, ergo ſimiliter eadem rationalitas eſt in anima quæ fuit in toto. Secundam difficultatem hic reiicio, quia licet competat illa potentia vtendi fantaſmatibus animæ hominis aut rationalitati eius, tamen non ſufficit id vt diſtinguatur in eſſe rationalis ab angelo niſi hoc conveniat rationali eius qua tale ſive qua rationale eſt: at verò non ita eſt, ſed competit animæ ex alio capite, puta quatenus pars eſt, & proinde non diſtinguit rationalitatem eius ab illa Angeli. Declaratur ſimili, ſpiritualitas animæ eſt talis vt ei non repugnet informare materiam, ſpiritualitas Angeli talis eſt vt ei id repugnet, & tamen ratio ſpiritualitatis in vtroque eſt eadem; quia nimirum hoc qualecunque diſcrimen non oritur ex ratione ſpiritus ſed ex alia, ita hic.

De Differentia diſſerunt

Ariſt. 7. *Met. tex.* 45. & 1. *Topic. c.* 14. *& p. de part. Animal. c.* 3. Avic. & Alpharab. *cap. de Differ.* Averroes. 7. *Met. tex.* 43. Themiſt. Philop. & Alex. *in Ariſt. ibid:* Boet. *lib.* 4. *in Porphyr.* Simplic. *cap.* 3. *Antepradic. reg.* 2. D. Aug. *tom.* 1. *lib. Catag. cap.* 7. & 9. S. Thom. *opuſc.* 48. & . Alb. *tract.* 5. *c.* 1. Ockan. 1. *part. Log. cap.* 23. Caet. *cap. de Differ.* Soto *hic q.* 13 Ioan. de Lapide *q.* 1. *ad* 1. Lovanien. hic Canterus *ibid.* Murtia *etiam q. vnic.* Burlæus *ſimiliter* Sanchez. *lib.* 3. *Log. q.* 23. Iavelt. *in cap de different.* Onna *hic q.* 1. *art.* 2. Didacus à Ieſu 8. *qu.* 2. Gallego *Controverſ.* 17. Vincent. Iuſtin. *lib. Dialect. Inſtit. ca.* 6. &c. Aracyo *lib.* 3. *Met. q.* 4. *&c.* Sancinn. 7. *Met. q.* 37. Conimb. *hic in Comment. & qq.* 1. *ac.* 2. Raph. Averſ. *q.* 12. *Log.* Cailer. *diſput.* 4. *dub* 2. Ioan. Ang. & Braſialvol. *ſup qq.* 23. 24. 25. & 27. 28. & 29. *Scot. de vniv. vbi etiam* Rodriguez. *in Recapit. tex.* Maurit. *in expoſ. à qu.* 20. *vſque ad* 26. Merin. *hic diſp.* 1. & 2. Fonſec. *L.* 5. *Met. c.* 14. & *lib.* 3 *cap.* 30. & iterum *L.* 5. *cap.* 28. *q.* 25. *&c.* Maſius *ſect.* 1. *qu.* 7. & 8 Rub. *c.* 4. *q.* 7. Niger. *qu.* 42. *&c.* Barthol. Sanna. 7. *Met. defenſ.* 16. Ant. Andr. *ibid. q.* 1. Faber. *diſp.* 19. Canon. 1. Phiſ. *Complut. hic diſp.* 7. Paſqua. . *Met. diſp.* 57. Terb. 7. *Met. q.* 16. *&c* Denig. Toller. Suell. in. Blanc. Hur. Ponc. Maeſtr Arnag. Oviedo. &c. Recent.

APOLOGIA
DE PROPRIO QUARTO PRÆDICABILI.

Actio I. De diviſionibus proprii apud Porphyrium & quæ propria ad hoc prædicabile pertineant?

Actio II. Examinatur definitio Porphyrii & expediuntur dubia aliquot de ipſo tam phyſicè quam Logicè accepto.

Actio III. Vtrum propria paſſio ſit inſeparabilis realiter à ſubjecto?

Scotus q. 31. Vniver. num. 3.

AD tertiam dico quod proprietas ut eſt nomen primæ intentionis non ſic convenienter definitur, ſunt enim quæ definiuntur ſecundum intellectum; ergo ibi ſumantur intentiones quæ non definiunt rem primæ intentionis, quia ſunt naturaliter poſteriores ea. Si vero ſit nomen ſecundæ intentionis ſignificans idem quod intentio proprii illa non convenienter definitur ſic, quia illa ſignificatur ſub modo oppoſito ei quo ſibi convenit accidere omni.

Idem 2. diſt. 16. q. V. num. 17.

Alia ſunt contenta in aliquo unitivè quaſi poſteriora quia quaſi paſſiones continentis, nec ſunt res aliæ ab ipſo continente; Iſto modo ens continet multas paſſiones, quæ non ſunt res aliæ ab ipſo ente, ut probat Ariſt. in princ: quarti Metaph. diſtinguitur tamen ab invicem formaliter & quidditativè, aliter Metaphyſica concludens tales paſſiones de ente non eſſet ſcientia.

ACTIO PRIMA.

De diviſionibus Proprii apud Porphyrium & quæ propria ad hoc prædicabile pertineant?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Diviſio Proprii apud Porphyrium inadæquata*
2. *Adæquata tamen ſpeciei infimæ*
3. *An aliqua inſtantia adferri poſſit contra? Vbi de hæcceitate*
4. *Diviſio etiam analoga*
5. *Secundus modus, (ac non ſolum quartus) ad hoc prædicabile ſpectat*
6. *Obiectiones. Alluſio quadam tertii & quarti prædicabilium.*

1. Qvatuor genera ſive modos proprii aſſignavit Porphyrius, unum quod *ſoli* alicui ſpeciei convenit. Etſi non omni (intellige de omni eius individuo) ut homini medicum eſſe aut Geometram, alterum quod cō venit *omni* ſcilicet individuo ſpeciei) etſi non ſoli (intellige ipſi ſpeciei) ſic homini convenit bipedem eſſe Tertium quod convenit *omni & ſoli* at non ſemper ut homini, caneſcere quartū denique ſummè & propriè proprium eſt quod convenit *omni, ſoli & ſemper*, vt homini eſſe riſibilem. Mitto veritatem horum exemplorum: de qualitate diviſionis. Dico primò eam non eſſe adæquatam, ſive proprium primò intentionaliter ſumptum latius patere quam hæc quatuor membra. Probo; datur aliquod proprium præter hic expreſſa, quod ſic oſtendo; ſub primo modo poſſunt conſtitui duo membra, alterum quod convenit ſemper, vt eſſe bipedem reſpectu animalis; alterum quod non ſemper, vt eſſe Geometram aut Grammaticum reſpectu eiuſdem; confirmatur & declaratur à ſimili, quando aliquod prædicatum convenit *omni & ſoli* diſtinguitur in duo membra, ex eo quod conveniat ſemper aut non ſemper, ergo ſimiliter quando convenit *ſoli non omni* diſtingui debent duo membra penes ſemper aut non ſemper convenire, etſi dicatur comprehendi vtrumque ſub vno illo expreſſo à Porphyrio, ſimiliter dicam ego debere vtrumque illud membrum ſubalterno tro comprehendi, & ita ſi ibi non deficit diviſio hæc erit redundans. Obiicitur Porphyrius reſpondeo, in hoc & præcedenti capite rem i Porphyrium quia nec illius capitis doctrina omnibus differentiis competit, nec huius omnibus propriis. Melius tamen reſpondeo Porphyrium non in doctrina, ſed intentione fuiſſe diminutum, quoniam in illo capite non omnem differentiam, ſed ſubalternam ſolam voluit definire, & in hoc non omne proprium, ſed ſolum infimum ſive infimæ ſpeciei. Cuius cauſa eſſe poterat, quod in ſcientiis, differentiæ ſubalternæ frequentior uſus eſt proprii autem infimi. Quod autem Porphyrius decreverit de proprio infimo agere, probatur inde, quia per ſpeciem cui appropriat propriū intelligit infimam, ut manifeſtum eſt exemplis eius, clarum eſt autem, quod proprium ſpeciei infimæ ſit infimum.

2. Quæres ergo vtrum ſit adæquata diviſio ſaltem proprii ſpeciei infimæ? Reſpondeo affirmativè, hoc eſt non dari vllum proprium ſpeciei infimæ quod non ſit aliquo modo ex illis proprium, ſcilicet omni ſoli, aut ſemper; conſtabit ex ſolutione ſequentis. Obiicies rationem præcedentis concluſionis, poſſe ſcilicet inveniri aliquod etiam ſpeciei infimæ proprium ſoli & ſemper, item aliud ſoli non ſemper, ergo iam dantur quinque nam ſecundus diviſus eſt in duos. Reſpondeo nagando antecedens, ſi loquamur vt debemus de *ſoli non omni*, non nego dari ſoli ſemper, & ſoli non ſemper, ſed iſtud ſoli eſt *ſoli omni*, qui quando eſt non *ſemper*, & tertius modus proprii quando cum *ſemper*, quartus atque ita falſum eſt quod aſſumpſit arguens, ſcilicet ſecundum modum poſſe dividi in duos. Denique nihil convenit ſoli ſemper ſpeciei infimæ quod non convenit omni I. ſto tamen contra & adfero inſtantiam alicuius convenientis ſpeciei infimæ *ſoli (non omni)* & tamen *ſemper*, tale eſt enim paſſio individui ſive peculiaris inclinatio eius ad agendum vel patiendum tale. Scimus enim aliquem eſſe qui inclinetur ad determinatum hoc vitæ genus, puta Theoricam ſeu contemplativam, & infra latitudinem huius ad determinatum puta ad Mathematicam præ Metaphyſica: Alium aliquem ad Practicam puta ad pictoriam &c, accipio ergo hanc inclinationem Petri & excellentiam eius ad pingendum: hæc comparata ad ſpeciem humanam eſt *ſoli & ſemper*, *non omni* ergo. Declaro rem à ſimili; paſſio ſpeciei comparata ad genus v. g. riſibile comparata ad animal eſt ſoli non omni & ſemper; ergo paſſio individui comparata ad ſpeciem eſt ſoli non omni & ſemper, patet enim paritas Reſpondeo valituram paritatem ſi ſubſiſteret inſtantia; at enim non ſubſiſtit, quia non datur proprietas individui qua talis. Illa inclinatio quorundam ad determinatas actiones puta ad pſallendum aut pingendum oritur ex tali complexione humorum quæ faciliimè in alio individuo occurrere poteſt.

3. Inſtari tamen adhuc poteſt, principium ipſum numericum poteſt eſſe origo alicuius actionis aut certi alicuius modi agendi; at verò licet humorum complexio quæcumque poſſit in duobus inveniri, non tamen principium numericum, puta Petreitas ergo, Reſpondeo negando maiorem; Principium ergo numericum non eſt principium agendi ſed individuandi; ſive non eſt principium actionis aut modi eius nec inclinationis ad vllam, ſed contractionis omnium horum ad eſſe hæc, ſi autem contingat oppoſitum, aut ſi quo caſu conſtaret ſane inſtantia multum faceret contra reſolutionem.

4. Dico etiam ſecundò: Diviſio illa eſt analogi in analogata, ſolumque proprium quarto modo eſt propriè tale: quo non obſtante ad hoc prædicabile pertinent duo modi eius, ſcilicet ſecundus

dus & quartus. Hæc eſt conformis D. hic q.31. in ſolut. primi & tertii: Probatur facile advertendo Proprium ex vi nominis aliud ſignificare & aliud ex vſu Philoſophorum: Hoc vltimo modo ſignificat in ſcholis quartum prædicabile de quo in præſenti: ex vi autem nominis ſignificat quod cuipiam peculiare eſt & appropriatum. Vnde formaliter dicit relationem convenientiæ alicui cum negatione conveniantiæ alteri, atque hinc ſtatim apparet probata concluſio, cæteri enim omnes modi præter poſtremum deficiunt in aliquo horum: nam aut non conveniunt ſubiecto: aut conveniunt alteri ab ipſo, primus non convenit toti ſubiecto quia non toti ſpeciei, ſed alicui eius individuo; ſecundus non ſoli, tertius non convenit etiam totaliter ſubiecto, quia non toto ſive omni tempore. Dices in quolibet individuo contineri totam ſpeciem, atque adeo quod convenit vni, convenire toti ſpeciei. Præterea illud adductum contra tertium modum non facit quo minus proprietas eiuſmodi ſit verè propria ſubiectio, ſaltem eo tempore quo ei convenit, ſed hæc nihil faciunt. non primum, nam ſpecies eſt ſubiectum hic non quatenus totum actuale eſt conſtans tali eſſentia, ſed quatenus totum potentiale dicens tanquam partes inferiora, quod inde conſtat quia illo priori modo eſt indiviſibilis, hic autem accipitur vt diviſibilis, ſive vt habens plura in quorum aliquo forma propria eſſe poſſit, etſi non ſit in alio, vt probatur ex To omni. Ad ſecundum dico etſi forma aliqua inſit ſubiecto aliquo tempore, non ſufficere vt abſolutè dicatur propria ſed ad ſummum illo, imo ne illo quidem quia proprium debet habere aliquid vltra accidens in communi, ineſſe autem aliquo tempore convenit etiam accidenti communi. Patet etiam concluſio ex definitionibus propriis infra aut ſequenti ex Ariſt. & Porphyr. adducendis. Imo ſecundus modus quantũ ad ea quæ ponit in Littera Porphyrius poteſt accidenti communi & quinto prædicabili competere, quis enim dubitet quin aliquod accidens competere poſſit omnibus individuis vnius ſpeciei? certè nuditas conveniebat aliquando omni homini, & obedientia ad hominem omni bruto, nihilominus

5. Probo ſecundam partem concluſionis, ſcilicet ſecundum modum proprii pertinere ad hoc prædicabile: Pertinent enim huc ea quæ emanant à principiis intrinſecis ſubiecti, & inſeparabiliter ipſi conveniunt. Talia ſunt non ſolum quarto ſed ſecundo modo propria, ergo. Maior huius inde ſupponenda eſt & inde conſtat, quia hoc prædicabile, habet oppoſitum modum ſequenti, ſequens autem ſeparabiliter & extrinſecè convenit ſubiecto, ergo Minor facile oſtenditur inſtantiis, nam eſſe ſenſitivum, mobile progreſſivè (quæ ſupponantur pro nunc eſſe paſſiones animalis) inſeparabiliter conveniunt homini, ab intrinſeco etiam, & ſunt ſecundi modi ſcilicet omni non ſoli, nam omnis homo eſt ſenſitivus, non ſolus tamen ſed cum aliis, ergo verbo, paſſiones generis comparatæ ad ſpeciem ſunt ab intrinſeco ſubiecti, & neceſſariò ei annexæ qui eſt character quarti prædicabilis, ergo ipſius ſunt, ſed contra

6. Obiicies; ſi ita eſt ſequitur male hic dictum eſſe quod proprium ſit analogum proprio quarto modo & tribus aliis, iam enim eſt vnivocum ſecundo & quarto. Reſpondeo proprium prædicabile eſſe vnivocum ſecundo & quarto modis, ſive Logicum proprium & in Scholaſtica acceptione tale eſſe. Proprium autem Phyſicum ſive ex vi nominis & vulgi acceptione eſſe æquivocum illis, quia convenit ſoli quarto modo ſed contra hoc quoque Obiicies ſecundo: ergo ſaltem hoc habetur quod aliquid analogicè & impropriè proprium poteſt ſubire intentionem quarti prædicabilis; ſi autem ita ſit, iam omnia propria quamvis impropriè talia ad hoc prædicabile pertinebunt, cur enim vnum & non alia? Reſpondeo concedendo primam conſequentiam & negando ſecundam. Diſparitas vtriuſque eſt quia ſcilicet ad hoc prædicabile pertinent ea quæ ab intrinſeco ſubiecti emanant, & inſeparabiliter ei competunt, hoc aut convenit aliquando ei quod impropriè proprium reale aut Phyſicum, & ex vi nominis eſt; & proinde aliquod tale poteſt huc pertinere; non autem conveniunt omnibus ac proinde &c. Itaque ſicut definitio differentiæ à Porphyrio tradita ſolum convenit ſubalternæ, & tamen tam ſubalterna quam infima ad tertium prædicabile ſpectant, ita definitio eius de Proprio tradita non convenit ſubalterno ſeu generico proprio qui eſt ſecundus modus ſupra & tamen ipſum ſubalternum huc ſpectare debet, & ad quartum prædicabile non minus quam infimum ſpectare.

ACTIO SECUNDA

Examinatur Definitio Porprii, & expediuntur dubia aliquot de ipſo, tam Phyſicè, quàm Logicè accepta

BREVIARIVM.

Nu.1. *Impugnatur; ſed & defenditur Porphyrii definitio.*
2. *Exactius definitur proprium*
3. *Obiectio: figura quam inſeparabilis à corpore*
4. *Obiectio altera; Colores quomodo elementis proprii.*
5. Hæc Petrus eſt albus *non eſt omnino quinti prædicabilis.*
6. *Actum eſſe poſſe proprium.*
7. *Obiectio, Actus primus quomodo debet præcedere ſecundum?*
8. *Aliæ ſolutiones huius, vbi alii modi prioritatis.*

1. DOctor Subtilis q.31. vniverſal. defendit Proprii definitionem à *Porphyrio a* traditam, eamque dicit eſſe ſynonimam definitioni *Ariſtotelis b* de eodem Proprio, adeoque nos vtramque approbare poſſumus. Definitio autem Porphyrii de proprio eſt quarta acceptio proprii apud ipſum quod *omni ſoli, & ſemper accidit* Ariſtotelis *Quod non indicat quid eſſe rei, ſoli*

a cap. 5. Iſag. b 1. Topic. 4.

venire aliis quam elementis, non tamen convenire illis modo proprietatis ſcilicet ita vt exigantur à natura ſubiecti, quomodo conveniunt elementis (non verò mixtis,) & propterea ſunt propria elementorum ſed nihil dicit, fallitur enim in eo quod exiſtimat hoc quod eſt *exigi connaturaliter* ſe habere ex parte proprii, non enim ita eſt, ſed ſe habet ex parte ſubiecti v.g. proprietas hominis riſus aut riſibilitas abſolutè & non tantum riſus connaturaliter factus aut exactus, alioquin non eſſet abſurdum quod alia animalia riderent, qui enim id diceret poſſet prætendere quod alia animalia non riderent connaturaliter, atque ita poſſet omnia omnibus attribuere, etiam eſsentias vt patet. Reſpondent *Conymb.* a primas qualitates eſse proprias elementorum licet inveniantur in mixtis, ideo enim ibi ſunt quia ipſa ſimplicia elementa ibi ſunt, componũtur enim mixta ex elementis. Sit ita; ſaltem elementa non componuntur ex elementis, & tamen eorum qualitates ipſis invicem conveniunt, aqua calet, terra humet &c. Reſpondeo ergo imprimis, has qualitates non eſſe Metaphyſicè propria elementorum; id eſt inſeparabilia aut identificata: quia tamen exiſtimo etiam Phyſica propria huc pertinere (iuxta quod dixi ſupra illud To *ſemper* dividi poſſe in duo) dico qualitates illas non eſſe proprias elementorum in quocumque gradu, ſed in determinato puta in ſummo aut ſimili: at verò ſic ſumpta nulli alteri convenire poſſunt, nihil enim habet ſummum calorem v.g. niſi ignis. Dices etſi non poſſint alteri convenire poſſunt tamen elementis non convenire, poteſt enim aqua nõ eſſe ſumme frigida aut humida quod ſufficit. Reſpondere poteſt proprium elementi non eſſe vnam ſimplicem qualitatem, ſed combinationem duarum quarum vtraque ſeparari non poteſt ab elemento, licet vna poſſit, ſed. Contra facit, quod quando deeſt vna ex duobus non poteſt adeſſe combinatio, hic autem fateris deeſſe vnam, ergo non adeſt ſemper combinatio, adeoque non eſt propria. Itaque ad hæc vltimatè dici debet quod propria hic poſita, & deſcripta ſint ea quæ conſequuntur naturaliter ad ſubiecta ſibi ipſis promiſſa, licet aliàs valeant impediri. Colliges hoc ex exemplis Porphyrii, ſine dubio enim impediri poterit homo ne ſit bipes, & multo facilius ne caneſcat. Definiendum eſt Proprium ſecundò intentionale ſeu vniverſale, quod *prædicatur de pluribus in quale accidentale neceſſario connaturaliter* ſive cum exigentia ex parte ſubiecti. Intelligo autem abſolutam neceſſitatem, & intelligo proprium eſſe vniverſale non reſpectu ſpeciei, ſed reſpectu ſubiicibilium eius. Probatio definitionis eſt differentia eius ab aliis prædicabilibus nam per To *quale* differt à duobus primis prædicabilibus; per ſequentem a tertio; per duas poſteriores à quinto. Intelligo autem abſolutam neceſsitatem ſeu inſeparabilitatem quia Proprium hoc eſt demonſtrabile de ſubiecto, quod autem eſt demonſtrabile eſt abſolute inſeparabile ergo. Probatio vltimæ partis ſupra poſita eſt in ſimili de differentia quam oſtendi eſſe vniverſale, non reſpectu ſpeciei ſed reſpectu individuorum Vides ergo fragilem conſequentiam cuiuſdam moderni qui colligit per illa *omni, ſoli*, *& ſemper* definitum eſſe à Porphyrio proprium in ratione prædicabilis, non in ratione Proprii; quia (inquit) Ly *omni* non convenit proprio vt proprium, ſic enim ſumptum proprium accidit vni ſoli: Ita ille, quaſi verò non poſſit alius pro ſe vti eadem definitione, & inde colligere definitum hic eſſe proprium vt tale non verò vt vniverſale, eò quod particula illa *ſoli* non poteſt accommodari ipſi vt vniverſale eſt, ſic enim debet competere pluribus, non autem vni ſoli. Illud ergo *omni* accipiendum eſt de omnibus individuis illius ſpeciei, ſicut etiam To *ſoli* de vna ſola ſpecie: vnde ſenſus totus eſt quod proprium debeat competere omnibus inferioribus illius tantum ſpeciei. Itaque meritò D. N. q. vniverſal. iudicavit hanc definitionem vtriq; proprio convenire, ſcilicet tam reali quam intentionali ſive proprio Metaphyſice & Logicè ſumpto.

a Quaſt. in cap. 5. Porphyr.

Obiicies paralogiſmum hunc. Proprium eſt proprium, ergo non univerſale, conſequentiam probabis quia univerſale debet eſſe commune, proprium autem contraponitur communi. Sed ego priuſquam eum ſolvam, retorquebo in authores, nam etiam Differentia tertium prædicabile eſt propria, quum ſit eſſentiale diſtinctivum rei à quovis alio, unde poſſumus ſic arguere. Differentia eſt differentia ergo non univerſale. Itaque argumentum hoc probat quod nos non negamus, ſcilicet proprium non eſſe univerſale reſpectu eius cuius eſt proprium, eſt enim proprium ſpeciei, univerſale reſpectu individuorum Obiicio ulterius hanc & ſimiles, *homo eſt riſibilis* nam illa nullius prædicabilis eſt niſi huius, erit ergo huius, atque ita Proprium habet eſſe prædicabile reſpectu ſpeciei ſed Reſpondeo propoſitionem illam quidem eſſe prædicati neceſſarii ſed nullius prædicabilis; quod ſi nitentur Adverſarii dicant mihi cuius prædicabilis prædicatio ſit iſta homo eſt animal rationale, aut hæc, animal eſt vivens ſenſitivum? Obiicit b adhuc aliquis; albedo convenit homini *omni* non *ſoli* quia nullus eſt homo qui ſecundum aliquid ſui non ſit albus quin etiam Aethiops ſit albus ſecundum dentes, & ſimul conſtet alia ab homine eſſe alba atque ita convenit ei ſecundo modo Porphyrii, & tamen certum eſt eſſe prædicatum quinti prædicabilis reſpectu eius, ergo falſum eſt ſecundum modum proprii pertinere ad hoc prædicabile Reſpondeo omnia hæc non probare conſequentiam quod ſcilicet ſecundus modus proprii non pertineat ad hoc prædicabile: oppoſitum enim manifeſtum in hac & ſimilibus *homo eſt ſẽſitivus* ſive Loco *motivus ſui*, & univerſaliter in prædicatione paſſionis genericæ de ſpecie aut individuo. Confirmo doctrinam, quia communiter docetur Porphyrius fuiſſe diminutius in hoc & præcedenti capite, quia ibi non definivit niſi ſubalternam differentiam, hic autem non enumeravit niſi infima propria adeoque tenendam eſt quod ad quartum pertinent propria ſubalterna. hæc autem ſunt propria ſecundo modo vt vides, ergo. Itaque licet aliquod forte ſecundi modi huc non pertineat tamen non proinde ſecundus modus abſolutè huc non pertinebit. Deinde neque hoc ipſum do argumento, quin puto ipſum deſtruere ſe, nam ſi albedo ſit quinti prædicabilis reſpectu hominis, iam poteſt cuilibet abeſſe. Demus ergo ipſum deeſſe vni, iam non convenit *omni*, in quo vides exploſum fundamentum Poncii.

b Ponc. diſp. 8. Log. 3ie. qu. 2.

5. Denique dicam meum ſenſum de hac: homo eſt albus; exiſtimo illam aut certè alias ſimiles non tam certò eſſe quinti prædicabilis Cauſa quia iam ſupra vidimus colores, ſive eſſe coloratũ eſſe propriũ corporum mixtorum, oriuntur enim colores ex diverſo temperamento primarũ qualitatũ, atq; ita ſicut mixtum in genere exigit colorem vt ſic, ita tale talem. ſunt quidem colores aliqui quinti prædicabilis, ſed illi qui à pictoribus & tinctoribus illinuntur, non quæ ab intrinſeco ſubiecti procedunt.

Digitized by Google

cedunt. Redeo iam ad priora & probo ſecundum modum proprii pertinere ad hoc prædicabile; ſive non requiri illud Ly *ſoli*: ſi enim ſupponamus ſingulis diebus aut horis nova ſpecies animalis produci, aut etiam reddi poſſibiles, certè non variatur proprietas ſenſitivi ſeu loco motivi ad hominem, eodem enim modo conveniet ipſi quo ante, & tamen minus conveniet *ſoli* ipſi. Confirmo efficaciter rem, explicando confirmationem proximè præcedentem ſic: differentia ſubalterna ſpectat ad tertium prædicabile non minus quàm infima, neque vllus vnquam diviſit ipſas, aut ſolam vnam tertio prædicabili appropriavit, quin potius taxant Porphyrium quod ſignificaverit ſe oppoſitum ſentire, ex quo infero, ergo *omni ſemper* etiam *non ſoli* pertinet ad idem prædicabile ad quod *omni ſemper* & *ſoli* patet, quia differentia infima eſt *omni ſemper & ſoli*, ſubalterna, omni ſemper non ſoli: ſi ergo differentia poteſt eſſe vera talis, nec tamen competere *ſoli* quanto magis proprium? adferri etiam poteſt hic genus quod manifeſtè eſt non ſoli & tamen eſt eſſentiale nam multo magis aliquod poteſt eſſe proprium & non ſoli, cum proprium denique ſit aliquid accidentale. Fallitur ergo qui exiſtimat Ly *omni* impertinens eſſe ad proprium, Ly *ſoli* requiri aut *omni* non pertinere niſi ad proprium vt prædicabile, cum viderimus oppoſitum evenire: nam hæc, homo eſt ſenſibilis, non eſt prædicatio alicuius vniverſalis, & tamen ad veritatem huius requiritur *omni*, non requiritur *ſoli*: Imo exiſtimo illud Ly *ſoli* omninò potuiſſe omitti in huius definitione. Moveor qui omittendo illud definitio complectetur propria tam infima quàm ſubalterna, adhibendo reſtringetur ad infima ſola: ſicut ergo in definitione differentiæ, illud *ſpecie differentibus* omnium judicio omitti potuit, imo debuit ſecundùm pleroſque vt definitio competeret omni differentiæ, ita hic videtur idipſum dicendum de *ſoli* quod ſi adhibeatur definitio reſtringetur ad propria infimæ ſpeciei ſolius, ſi omittatur extendetur ad ſubalterna.

6. Quæſitum eſt num Proprium ſemper dicat aptitudinem, an verò poſſit etiam actus eſſe proprius? Ad quod reſpondit *a* & meritò aliquis noſtrorum negativè, hoc eſt non ſolum aptitudines ſed etiam actus poſſe eſſe proprietates, quod etiam probatur inſtantiis illius, quia triangulo proprium eſt actu habere tres angulos æquales duobus rectis, inhærentia actualis eſt propria relationi. Denique Deo proprium eſt miſereri & parcere, nam quidquid ſit de his actibus in ſpecie quum non ſemper habuerit Deus materiam miſericordiæ, certum eſt aliquos actus voluntatis eſſe ei proprios atque etiam intellectus: Et deſcendo ab his Theologicis ad naturalia, videtur exemplum eſſe in proiectis quæ neceſſariò habent actu ferri ſeu moveri, quia impetus illi impreſſus non eſt actus primus ſed ſecundus. Certè autem inſtantia eſt in paſſionibus diſiunctivis nam quodlibet ens neceſſariò eſt vnum aut multa, numerus neceſſariò eſt par aut impar, columna recta aut obliqua: & in hanc claſſem exemplorum poſſunt referri differentiæ omnes eſſentiales quarum ſingulæ ſunt accidentia reſpectu generis, ſed diſiunctum eſt ei proprium v.g. ens neceſſariò eſt abſolutum vel reſpectivum: animal rationale vel irrationale &c.

a Maſtr. diſt. 4. univ. qu. 4. art. 1.

7. Obiicio tamen contra; ſi actus ſecundus ſit a quando proprium alicui ſequitur [quod eſt impoſſibile] actum primum non eſſe priorem ſecundo; ergo repugnat hæc noſtra reſolutio. Oſtendo ſequelam in exemplo illo relationis, ſi enim inhærentia actualis ſit propria ei ſine dubio debet aptitudinalis ſeu potentia inhærentiæ competere ei, ab actu enim ad potentiam notum eſt valere conſequentiam. Tum ſic, aut hæc eſt propria, aut accidentalis, aut eſſentialis. Eſſentialis non eſt ſecundùm nos, nam illa eſt eſſentialiter *ad* non autem *in*: ſi autem eſt accidentalis jam actus primus eſt poſterior ſecundo: ſi proprium ſaltem non eſt prior ſed ſimul. Explico hoc, eſſentia rei competit ei in primo inſtanti quod vocetur *A* paſſio in ſecundo quod vocetur *B* tum quæro an inhærentia aptitudinalis conveniat relationi in inſtanti B. ſi ſic, iam ſunt ſimul quod fuit intentum argumenti, nam inſtantia A, & C. non poſſunt prætendi, quia A. eſt inſtar eſſentiæ C. inſtar accidentium communium. Reſpondeo, argumentum; etſi valde apparens non poſſe habere vim, & cuivis ſolvendum eſſe, nam non ſolùm quædam proprietates conſiſtunt in actu ſed etiam quædam eſſentiæ, quia actualis exiſtentia eſt de eſſentia Dei, tum autem redit ille diſcurſus de prioritate actus primi ſeu potentiæ ad exiſtendum, debet enim aut eſſe ſimul, quod eſt abſurdum ab argumento intentum; aut prius quod eſt adhuc magis impoſſibile, nego ergo ſequelam; aut, ſi vokes, diſtinguo, actus primus Phyſicus aut Metaphyſicus, qui eſt principium elicitivum aut emanativum ſecundi, cuiuſmodi actus eſt eſſentia animæ v.g. reſpectu potentiarum intellectus & voluntatis, aut ipſæ potentiæ reſpectu actuum ſuorum non poteſt ſimul eſſe cum ſecundo concedo; actus primus Logicus, id eſt non repugnantia ad actum non poteſt eſſe ſimul cum ſecundo, nego & talis eſt actus primus qui contingit in his quarum paſſio aut eſſentia conſiſtit in actu. Do huius inſtantiam in creatis, vt abſtraham à Theologiâ illâ de Deo cui actualis exiſtentia eſt eſſentialis Actio, v.g. calefactio poteſt calefacere, non tamen prius quam calefacit, quia actuale exercitium calefaciendi eſt ipſa eſſentia eius quâ nihil poteſt ei prius competere.

8. Addere poſſum vnam ſolutionem, negando minorem vniverſaliter, ſive oppoſitum eſſe impoſſibile: fateor in ſe prior eſt actus primus ſecundo, ſed in aliquo poteſt eſſe non prior, ſic animal prius eſt rationali, tamen Petrus non prius eſt animal quam rationale. Tertiò dici poteſt vtrumque eſſe altero prius, ſed diverſo modo ſicut privatio formæ prioris prior eſt inductione ſecundæ, & hæc eſt illâ prior, cum ſit cauſa eius. Poſſem Quarto reſpondere ſed pergo vt ſit nobis.

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO TERTIA.

Vtrum Propria paſſio ſit inſeparabilis realiter ſubiecto, nec ne?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Proprium identificari realiter ſubiecto demonſtratur.*
2. *Reſponſio Thomiſtarum ad dictam probationem; reiicitur.*
3. *Alia evaſio, aliquoties refutata.*
4. *Allata inſtantia contra rationem, ſolvitur.*
5. *Probatio alia concluſionis.*
6. *Tertia probatio; omnes à poſteriori.*
7. *Probatio Scoti à priori profertur & defenditur.*
8. *Obiectio prima. An ſubiectum ſit cauſa paſſionis?*
9. *Obiectio ſecunda. Expenditur axioma celebre Scoti.*
10. *Aliæ duæ obiectiones allatæ & ſolutæ: Vbi de differentia divinorum & creatorum attributorum.*
11 *Quæſitum. An paſſio inferior excludat ſuperiorem.*

1. Ratione ly *ſemper* poſiti à Porphyrio in definitione Proprii hic quæritur quam neceſſario inſit proprium ſubiecto, num ita ut ſolum naturali virtute ſit inſeparabile à ſubiecto; An inſeparabile ſit etiam abſoluta & ſupernaturali potentia Dei; In qua controverſia primam illam partem tenent communiter Thomiſtæ cum ſuo *a* Doct. contra quem. Dico ad quæſtionem negativè; hoc eſt proprium non poſſe ullius potentia à ſubiecto ſuo ſeparari Ita *D. Noſter b* ſæpe, hic & alibi paſſim quem præter ſubtiles ſuos ſequuntur etiam externi ſententiam late ſuſtinet Ioan. Can. 1. r Phyſ. Probatur primo, argumento à poſteriori; ſi per ullam potentiam ſeparari poſſet paſſio à ſubiecto contingere poſſet concluſionem demonſtratam eſſe falſam; Hoc autem abſolutè impoſſibile eſt, ergo ſimiliter impoſſibile eſt paſſionem à ſubiecto ſeparari Minor huius eſt Philoſophi 2. *Poſter. tex* 15 & vbicumque definit aut tractat ſcientiam & demonſtrationem, quam dicit eſſe de neceſſariis & impoſſibilibus aliter ſe habere; Maior autem probatur, quia concluſio demonſtrationis potiſſimæ eſt affirmatio coniunctionis proprii cum ſubiecto vt notum eſt, ergo. Idem argumentum militat in demonſtratione *quia* ſive à poſteriori vt infra deducam: & ſane eſt efficax, & vel ſolum ſufficit concluſioni: Vnde Adverſarii variè ipſum eludere conati ſunt

a 1. Part. q. 77. art. 1.

2. Omnes tamen evaſiones ad vnam hanc reducuntur. Dicere enim poſſent non poſſe vnquā ſubiectum ſic ſeparari à paſſione quin exigat ipſam licet poſſit fieri ne habeat eam, vel ſic: poſſe riſibile v. g. & rationale ſic ſeparari, ne animal rationale ſit formaliter riſibile, non poſſe tamen vnquam ſic ſeparari ne ſit radicaliter tale, quod ſufficit. Sed hoc nec eſt verum, nec ſi eſſet, ſufficit; quod patebit examinando vtrumque, nam (quoad primum) quæro quando prædicatur & demonſtratur paſſio de ſubiecto, ſic dicendo: homo (v. g) eſt riſibilis, aut prædicatur exigentia riſibilitatis de homine aut ipſa riſibilitas: ſi exigentiā dicant, contra ſe reſpondent ſic enim paſſio erit inſeparabilis à ſubiecto, nam cum exigentia ſit inſeparabilis & ſit paſſio ſequitur quod paſsio ſit inſeparabilis ſi riſibilitas ipſa, iterum contra ſe reſpondent, nam ſic non ſola exigentia erit paſsio, ſed etiam id quod exigitur Confirmo intentum contra ipſos qui planè intendunt priorem ſenſum quod paſsio ſit exigentia ipſa, quia hoc poſito poſſemus demonſtrando inferre hanc concluſionem, ergo homo ridet: ſequela probatur, nam ſi reducatur ad ſenſum exigentiæ, eſt veriſsima & neceſſaria, certum eſt enim quod homo connaturaliter exigat actualem riſum, cum propter illum habeat aptitudinem, ſicut vniverſaliter omnis potentia eſt propter actum; hanc autem concluſionem nemo dicit eſſe demonſtrabilem, nec facit in ſcholis illum ſenſum, ſed facit ſenſum inexiſtentiæ. Tum autem manifeſtè dant manus Adverſarii, nam ſi illa concluſio eſt perpetuò & infallibiliter vera ifallabiliter erit coniuncta homini riſibilitas, quod eſt intentum.

3 Secundæ reſponſionis idem ferè eſt ſenſus, vix enim eſt aliud exigere hoc, quam eſſe virtualiter tale, atque adeo eodem argumento impugnata eſt, & vel maximè vapulat, ſecundâ illâ ratione de riſu actuali, nam etiam homo eſt virtualiter ridens, nempe habet principium vt rideat (& quid eſt aliud eſſe virtualiter tale quàm habere huius virtutem? & tamen non poteſt demonſtrari hæc, *homo ridet*, ergo. Obiter etiam occurrit mihi alia refutatio harum evaſionum, nam ſi ſenſus huius, homo eſt riſibilis, ſit iſte, homo eſt virtualiter riſibilis, ſeu habet potentiam ridendi, iam homo habet potentiam potendi ridere, quod eſt ridiculum, nec enim datur potentia ad potentiam ſed ad actum, omnis enim potentia eſt ad aliquid actu agendum ac patiendum vt conſtat. Atque ita facile eſt tam extraneas ſolutiones reiicere, habeo tamen ipſe quod contra rationem illam,

4 Obiiciam. Etſi concedatur paſsio demonſtrari de ſubiecto, idque quoad exiſtentiam, & non tantum quoad exigentiam adhuc non habetur abſoluta connexio vtriuſque in omnem eventum vt nos volumus, ſed tantum ordinaria, nam in Aſtronomia multa demonſtrantur, quæ abſolutè ſeparari poſſunt; demonſtratur enim Eclypſis Solis aut Lunæ, & tamen hæc Eclypſis non eſt abſolutæ certitudinis, ſed tantum naturalis, quia ſupernaturaliter impediri poteſt, ergo. Reſpondeo facile, ſi ſupernaturaliter impediri poteſt non fuiſſe demonſtratum, nam quid eſt opus ſexcenties repetere infallibilitatem ſcientiæ, & demonſtrationis per quam gignitur, vt debeat eſſe de neceſſariis, per ſe ſecundum quod ipſum &c. quæ ſuſo

proſequitur Philoſophus citatus, ac denique de impoſſibilibus aliter ſe habere, quam impoſſibilitatem repetit ſeu vult bis hic intercedere, ſemel ex parte rei, iterum ex parte potentiæ ſive ipſius demonſtrantis vt ipſe certiſſime ſibi perſuadeat [ſi concluſionem demonſtravit] non poſſe oppoſitum evenire: ex quo. Redeo ad rationem meam & confirmo eam ſic: ſi enim poteſt vllus ſeparare ſubiectum à ſua paſſione ſequitur nos nihil certò ſcire, ſed omnem noſtram cognitionem eſſe opinativam & dubium, ſeu potius nos debere de quacunque quantumvis demonſtrata dubitare, quod eſt implicantia quia deſtruit ipſam demonſtrationem vt vidimus. Sequela tamen probatur, ſi enim poteſt Deus ſeparare paſſionem à ſubiecto, vnde mihi conſtat, quod ita non faciat hic & nunc, quando ego demonſtro; atque ita poſſum, imo debeo dubitare an concluſio à me demonſtrata ſit vera? Confirmo adhuc rationem, nam ſi paſſio poteſt aliquando non ineſſe ſequitur quod non ſolum concluſio demonſtrationis ſit falſa ſed primum eius principium, nam ex præmiſſis illius demonſtrationis iſta eſt maior: omne animal rationale eſt riſibile iſta eſt falſa ergo.

5. Probo aliter concluſionem inſtantia, quæ ſit de potentiis animæ v. g. intellectu & voluntate, quas, omnes ſupponunt eſſe animæ rationalis paſſiones, ſicut aliàs potentias animæ vegetativæ & ſenſitivæ reſpectivè. Arguo ergo ſic; intellectus non poteſt ſeparari ab anima rationali, intellectus eſt eius paſſio, ergo aliqua paſſio eſt abſolutè inſeparabilis à ſubiecto; ſi autem aliqua certè omnis, vtique enim eadem eſt conditio omnium. Probo ergo maiorem, ſi intellectus ſepararetur ab anima rationali tum anima illa poſſet eſſe nec eſſe rationalis, hoc autem implicat in terminis vt vides, eſt enim idem eſſe & non eſſe ſimul, ſcilicet animam rationalem non eſſe rationalem, ergo Maiorem probo ſic, anima eſt rationalis per intellectum, eſt enim rationalis per id quod poteſt ratiocinari aut diſcurrere, [hoc nempe eſt eſſe rationale,] intellectus autem eſt id per quod poteſt diſcurrere ergo eſt rationalis ratione intellectus, atque adeo ſeparato ſeu ablato intellectu, ſi maneret ipſa irrationalis. Dices animam eſſe rationalem per differentiam ſuam eſſentialem, atque adeo eſſe rationalem ante illas potentias. Reſpondeo, verum eſt, ſed videtur reſpondens an haberet ipſam differentiam ſine intellectu, certe principium ſufficiens ratiocinandi non haberet, aliàs de facto intellectus non concurreret ad diſcurrendum. Vrgeri poteſt probatio in hunc modum: ſi ſeparari poſſet paſſio à ſubiecto v. g. riſibilitas ab homine, ſequeretur quod non converteretur cum ipſo, non ſolum quia daretur homo v. g. non riſibilis, ſed quia daretur riſibile non homo, hoc ſuppono falſum eſſe, ſed probo ſequi, quia riſibilitas ſeparata ab homine poſſet in alio ſubiecto poni, quidni enim? aut quomodo id repugnant noſtro modo bene id repugnat & facilè aſſignatur ratio, quia identificatur realiter ſubiecto; modo Adv. non. Dices riſus actualis etiam ſecundum nos diſtinguitur realiter à ſubiecto, nec tamen poteſt convenire alii ab homine ſecundum Adverſarios, non ideo tamen tenentur admittere quod poſſit convenire alteri. Reſpondeo caſum eſſe diſparem hinc inde, quia ad hoc vt quidpiam reddatur riſibile ſufficit dare ei riſibilitatem, illo paſſivè ſe habente quod fieri poteſt ſi ſeparari ab homine poſſit, at verò ad ridendum opus eſt actione & conatu, qui non poteſt haberi ab eo qui non habet actum primum ſeu principium ridendi: Probo aliter de novo concluſionem, ſi proprium eſſet ſeparabile à ſubiecto ſequeretur proceſſus infinitus in paſſionibus, hic eſt abſurdus in omni ſententiâ & materiâ, ergo, probo autem ſequelam, ſeparetur riſibilitas ab homine, & tum quæro an ſubiectum homo ſit aptum natum recipere illam an non: ſecundum dici non poteſt, ſi autem dicatur primum, quæro an ſubiectum ſe ipſo ſit aptum recipere riſibilitatem illam, an verò alia aptitudine diſtincta & ſeparabili: Primum eſt intentum noſtrum iam enim aliqua paſſio eſt identificata realiter ſubiecto, ſcilicet illa aptitudo ſi autem alia aptitudine ſit aptum, quæram de illa alia ſimiliter & ita aut dabis aliquam identificatam ſubiecto quod prætendimus, aut dabis proceſſum infinitum in aptitudinibus quod eſt ridiculum. Confirmatur, eatenus ponitur aptitudo ad aliquid in ſubiecto, quatenus ſubiectum poteſt & habere ipſum & non habere, vnde non ponitur aptitudo in nulla re ad habendam ſuam eſſentiam aut aliquid illius ergo, ſi aptitudo quæ eſt proprietas v. g. riſibilitas ſit ſeparabilis, ad illam dabitur aptitudo &c. vt ſupra.

6. Probo etiam ſic: ſi proprium eſſet ſeparabile per vllam potentiam à ſubiecto non relinqueretur diſcrimen inter accidentia quarti & quinti prædicabilis, conſequens eſt abſurdum, alioquin illa non eſſent quartum & quintum, ſive duo prædicabilia, ſed vnum, ſequela probatur, quia diſcrimen vltimatum inter illa prædicabilia eſt ſeparabilitas vnius, & inſeparabilitas alterius, hæc non contingeret tum vt vides, ergo. Vel ſumo clarius ſic, ſi inſeparabilitas quarti non eſſet abſoluta ſed tantum in ordine ad naturalem potentiam non differret vniverſaliter ab inſeparabilitate quinti, nã etiam aliqua quinti prædicabilis ſunt naturæ viribus inſeparabilia, vt levitas & calor ab igne, intelligendo diſtributivè de ſingulis ſeorſim, frigus & humor ab aqua intelligendo ſaltem de vtroque coniunctim, ergo. Dices non ſolam hanc eſſe differentiam eorum ſed quia vna emanat à principiis intrinſecis ſubiecti, altera non. Contra ſi intelligatur emanatio propria id eſt Metaphyſica productio alicuius indiſtincti realiter à ſuo principio habetur intentum concluſionis; ſi autem productio Phyſica alicuius diſtincti realiter in hoc non eſt diſparitas, nam etiam alia accidentia, ſic emanant, & ſic petunt ineſſe v. g. frigus ab aqua. Atque hæ ſunt rationes huius à poſteriori.

7. A priori autem probatur illa argumento Doctor. cit. Quoniam non eſt poſſibile cauſam neceſſariam ſeparari, ſeu poni ſeorſim à ſuo effectu; Eſſentia ſubiecti eſt cauſa neceſſaria proprietatis ergo non poteſt illa ſeparari ſeu poni ſeorſim à proprietate, ſed enim hæc res patitur inſtantias, & tota verificatur in iis quæ ab invicem ſeparari poſſunt, v. g. Aqua eſt cauſa frigoris & humiditatis, quæ tamen ſingula poſſunt ab ea ſeparari, vt notum eſt. Hic ergo atque etiam in ſequenti obiectione num. 8. neceſſe eſt Scotum defendere, quod fiet ad propoſitum reiiciendo inſtantiam aquæ in primis quoad ſeparabilitatem naturalem ſic. Non poteſt natura ſeparare frigus ab aqua niſi inducendo oppoſitam qualitatem ſcilicet calorem, atqui non poteſt induci oppoſitum riſibilitatis homini, ergo non poteſt

Digitized by Google

poteſt ab illo ſeparari riſibilitas, atque ita non obſtante illa inſtantia aquæ, ratio Doct. valet apparet enim longè alia neceſſitas eſſentiæ in cauſanda paſſione & alia aquæ in cauſanda frigiditat, quod ulterius probo etiam in ordine ad potentiam ſupernaturalem ſic. Non poteſt homo eſſe & non poſſe ridere, ergo riſibilitas non eſt ſeparabilis ab homine: probo antecedens ad hominē, quia ſecūdùm ipſos adverſarios non poteſt homo eſſe &c. quin ſit virtualiter riſibilis, nec aqua quin ſit virtualiter frigida; quid autem eſt hoc niſi non poſſe eum eſſe niſi habeat virtutem ridendi, quod ſine dubio eſt idem ac eſſe riſibile. Dicet forte aliquis riſibilitatem formalem eſſe paſsionem hominis, hanc eſſe ſeparabilem, adeoque ſed quorſum illa riſibilitas formalis, ſi per virtualem poteſt haberi actus ridendi, quod autem poſsit oſtendo, hoc medio. Quidquid poteſt cauſare cauſam alicuius effectus, poteſt ipſū effectum immediatè cauſare, quando cauſa & effectus ſunt vnivoca ſeu eiuſdem rationis,& differunt ſolùm per hoc quod vnum ſit actus primus, & aliud actus ſecundus: ſic autem eſt in propoſito, ſic enim differunt riſibilitas & riſus iuxta adverſarios, ergo. Supereſt tantum confirmare illam maiorem, quod facio his inſtantiis: Quia enim habitus & actus ſic differunt propterea potentia quæ poteſt actum mediante habitu cauſare poteſt eum immediatè cauſare, & ignis qui calefacit mediante calore, certè ſi auferretur ei calor, poſſet calefacere aliter nunquam reduceret ſe ad calorem quod falſum eſt. Dices, nec malè; ſi diſcurſus valeret ſequi quod aqua poſsit frigefacere, ablato ei frigore cuius oppoſitum experimur. Reſpondeo negando ſequelam, neq; experientia eſt in oppoſitum diſcurſus facti, non enim habemus experientiam de aqua ſpoliata frigore niſi etiam accipiat calorem, hic ergo impedit frigefactionem.

Fit ſatis argumentis in oppoſitum.

8. Obiicies hinc ipſum: omnis cauſa neceſſaria diſtinguitur realiter à ſuo effectu ſubiectum ſecundum non eſt cauſa paſſionis, ergo diſtinguitur realiter à paſſione, ex quo duo ſequuntur contra nos; nempe nos dicimus illa identificari realiter quia ſunt inſeparabilia, hinc autem habetur ſeparabilia eſſe quæ diſtinguuntur, diſtingui autem quia cauſantur, & cauſant hinc inde. Reſpondetur diſtinguendo maiorem, cauſa Phyſica ſeu effectiva diſtinguitur realiter ab effectu concedo, Metaphyſica ſeu emanativa nego: ſed quæras quænam ſit Phyſica & effectiva. Dicetur eſſe illa quæ mediante actione vera cauſat; emanativa è contra quæ non utitur tali actione. Ita noſtri communiter, *a* quanquam non omnes tam exactè diſtinguant de actione & non actione ſed ſolum adhibent cauſam Phyſicam & Metaphyſicam, in quo mihi videntur (venia ipſorū) circumire aut petere principiū nam cum explicent cauſam Phyſicā per hoc quod eſt diſtingui realiter ab effectu; dicere in ſolutione quod cauſa Phyſica ſit diſtincta ab effectu, plane idem eſt ac dicere quod cauſa effectus realiter diſtincti, eſt realiter ab effectu diſtincta. Sed nec noſtra via caret ſua difficultate; Olim contra ipſam ſic argui: Eſſentia eſt eadem realiter paſsioni ſecundum nos, ergo ſi eſſentia emanat paſsionem realiter ſive entitatem illam quæ eſt paſsio emanat realiter ſe ipſam Præterea emanans eſt prius ratione aut origine re emanata (ut ſic ſignificantius dicam,) atqui eadem res non poteſt eſſe prior ſe ipſa & quæ non evaduntur dicendo formalitatem unam eſſe poſteriorem alia, & cauſari ab ea nam argumentum currit de re quæ eſt paſsio quam probat non poſſe ſequi ad rem quæ eſt eſſentia. Adhuc contra, Emanatio illa eſt genus quoddam actionis ſeu influxus (per illam enim ſupponitur paſsio accipere ſuum eſſe) ergo non poteſt eſſe niſi rei ſingularis; atqui propria paſsio non ineſt primo rei ſingulari, ſed univerſali ergo non ineſt per emanationem. vel ſic: omnis actio, & quaſi actio accedit naturæ poſt ſingularitatem, omnis paſsio ſeu proprietas accedit ante poſt ſingularitatem, ergo nulla actio eſt propria paſsio. Minor, ſi negatur, inde probanda eſt, quia accidens proprium prius accedit rei quam accidens commune. Proprium eſt proprium ſine dubio, ſingularitas autem reſpectu naturæ eſt commune, ergo. Vt omittam quæ de ipſa actione dici poſſunt ab aliis in quorum ſententia non eſt unquam diſtincta à termino & agente. Itaque exiſtimo emanationem illam (& idem eſt in omnibus realiter identificatis) nihil aliud eſſe, quam quod eſſentia poſtulet annecti ſibi principium talium operationum, re autem vera cauſam paſſionis eſſe illam quæ eſt cauſa eſſentiæ, idque totaliter ut nulla actio relinquatur eſſentiæ reſpectu eius, quo non obſtante retinendus eſt modus ille communis loquendi de emanatione & tantum intelligendus ut monui jam dictis.

a Poncius lat. &c. ſp. & q. 2.

9. Obiicies 2. Omne prius in quantum tale poteſt eſſe abſque poſteriori; ſubiectum eſt prius paſſione, & præterea abſolutum quid,) quod inter eſt plurimum, & prævenit inſtantiam de relatione quæ non poteſt eſſe abſque correlatione) ergo poteſt ſubiectum eſſe abſque paſſione. Major eſt principium familiare ſubtilibus ex D. 2. d. 12 q. 2 num. 3. Vbi per ipſum probat materiam poſſe eſſe abſque forma. Confirmatur: nullum prius dependet à poſteriori, ſubiectum eſt prius paſsione, ergo non dependens, ſi autem non poſſet eſſe ſine illa, utique dependeret ergo. Reſpondet aliquis maiorem eſſe veram in iis quæ realiter diſtinguuntur ſecus in illis quæ identificantur, ut contingit ſubiecto & paſsioni; ſed quam rectè, quum ratio hæc ſi quid valeat, probet non identificationem eorum, atq; ita hæc ſolutio videtur eſſe pœnè aut etiam penitus repetitio principii. Alius reſpondit ita eſſe ſemper, niſi ubi occurrit ſpecialis repugnantia occurrit autem in propoſito, adeoque. Sed ſi poſsūt occurrere huiuſmodi repugnantiæ jam illud principium eludi poteſt pro cuiuſque libitu, & quum uteretur eo D. ad probandam ſeparabilitatem materiæ & formæ vel viciſsim ſtatim redigi potuit ad ſilentium ab adverſario prætendente repugnantiam. Itaque reſpondendum eſt ad argumentum negando maiorem in illis terminis qui non ſunt Doct. ſed ait Doct. *Abſolutum diſtinctum & prius alio abſoluto poteſt abſque contradictione eſſe ſine illo.* In hac autem forma nego minorem argumenti, nam non eſt hic aliud, & aliud, ſed utrobique unum, quia ſubiectum & paſsio ſunt una res. Erat ad propoſitum Doct. principium illud quia conſtabat materiam diſtingui realiter à forma, & dubitabatur de eius ſeparabilitate: ego merito utar eo contra quoſdam, qui exiſtimant ſe Scotiſare, dum tenent totum à partibus diſtingui; quia principium illud deſeruit ad probandam ſeparabilitatem diſtinctorum non autem ipſa diſtinctionem; & ex his patet ad confirmationem nam etiam dependentia exercetur inter plura quum idem non poſsit dependere à ſe: hic autem non ſunt plura ſed unum; atque ita conceden-

cedendum eſt totus prior ſyllogiſmus, & negandum ſub ſumptum, non enim ideo repugnat ſubjecto eſſe ſine paſsione, quia dependet ab ea, ſed quia eſt idem ipſi, ſicut etiam non poteſt eſſe ſine ſe ipſo & tamen non dependet à ſe. Ad ipſum autem medium in ſe puto non eſſe repugnantiam aut abſurdum quod prius dependeat à poſteriori. Sic genus eſt prior differentia, & tamen dependet quoad eſſe à differentia, (intelligo contractivâ.) Materia eſt prior forma & tamen dependet, forma denique ipſa eſt prior accidentibus & tamen dependet ab illis, itaque illa prioritas naturæ reddit ſic prius independens quoad intelligi, non quoad eſſe.

10. Objicies 3. Attributa divina quæ ſunt quaſi paſsiones eſſentiæ, identificantur realiter tantum eſſentiæ divinæ quæ eſt quaſi ſubjectum earum, ergo creatæ paſsiones non identificantur realiter ſuis ſubjectis, quia nimirum multo maior identitas & ſimplicitas concedenda eſt divinis quam creatis in omni ordine. Hoc argumentum eſt ad hominem contra Scotiſtam, nam Thomiſta quis poneret etiam formalem identitatem inter illa, facilè evaderet negando maiorem: Ego autem nego conſequentiam, & oſtendo Adverſario negandam; nam ſi valet illa, nullius rei extra Deum paſsio identificatur ei quod eſſe falſum apud ipſos, etiam conſtat in ente, nam ens identificat ſibi unitatem bonitatem &c. itaque non differunt divina à creatis in omnibus, ſed conveniunt in nonnullis ex quibus hoc eſt unum. Objicies ultimo nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale ſimul: eſſentia rei v. g. hominis eſt virtualiter riſibilis ergo non eſt formaliter talis. Huic putavit aliquis *a* ſe reſpondiſſe exemplo ignis, qui eſt virtualiter calidus quatenus poteſt producere calorem, & formaliter per calorem receptum; Sed enim non ſufficit ei exemplum ad negandam majorem illam in omni ſenſu; quod ut pateat, formetur ſic illa: Nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale per eandem formam: quo dicto ſufflatur inſtantia ignis, nam non eſt eadem realiter forma qua ignis eſt virtualiter, & qua eſt formaliter calidus: eſt enim ſua ſubſtantia virtualiter calidus, formaliter autem accidentè ſuperaddito. In hac autem forma, probo argumenti maiorem quia nulla una forma poteſt dare plures effectus formales ſpecie diſtinctos. At vero eſſe virtualiter, & eſſe formaliter tales ſunt ectus ſpecie diſtincti, ergo. Sed etiam ſic formato argumento nego vel diſtinguo maiorem ſic: nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale per eandem realiter formam nego, per eandem tam realiter quam ſpecificè ſive ré & ratione concedo, & ita hic contingit ſubjectum & paſſio ſunt unum quid realiter diverſum ſive plura formaliter & ratione; atque ita poſſunt reddere virtualiter & formaliter tales; & niſi hoc ita foret genus & differentia, Eſſentia & ſingularitas non darent diverſas denominationes; nam etiam hæc ſunt una res.

a Ponc. ſup. d. 20. q. 2.

11. Quæritur utrum paſſio inferior includat ſuperiorem? Reſponde quod ſupra dictum eſt in ſimili de differentiis, nam etiam Propria ſunt differentiæ, etſi non propriiſſimæ. Vlterior ratio eſt quia ſi includeret inferior paſſio ſuperiorem, tum inferior non eſſet propria, ſed ſecunum aliquid commune: v. g. riſibilitas vel alia paſsio hominis ſi includeret paſsionem animalis non eſſet ipſa tota propria homini. Sed hæc ratio non eſt plena, neque aliæ ſupra videntur hic locum habere, unde de hoc denique ſum dubius. Sed quid ad illud, an includat genus aut differentiam ſubjecti? an riſibilitas v.g. includat animal aut rationale videtur enim quod ſic quia exercitium paſsionis includit exercitium generis v.g. riſus actualis includit ſenſationem. Deinde quis dubitet quin riſus ſit actus vitalis? atque ita includit exercitium vitæ ex quo ſequitur quod riſibilitas includat rationem viventis quod eſt genus. Denique admiratio (quæ ponitur paſsio hominis) eſt aliqua ratiocinatio, atq; adeo includit differentiam quæ eſt rationale, & ſi non ipſe actus ſecundus admirationis, ſaltem admirativitas quæ eſt actus primus & paſsio, nec refert quod non includat ratiocinationem hoc eſt diſcurſum, nam ſi hoc requireretur, nec ſimplex apprehenſio eſſet exercitium rationalis in homine, ergo. Puto tamen probabilius reſponderi negativè. Primum & ſecundum argumentum ſupra ſoluta ſunt in ſimili Apolog. præced act. 5, num. 6. & ſimiliter ſolui tertium poſſet; ſed non eget ea ſolutione, nam admiratio non videtur eſſe actus ſed mera paſsio, ſicut verecundia aut dolor. Cur autem reſponderim ad quæſitũ negativè, cauſa eſt, quia ſi riſibile v.g. includeret animal aut rationale, tum homo eſſet bis animal, aut bis rationale, ſemel per genus aut differentiam, iterum per paſsionem. Deinde ſi riſibile includeret rationale, tum animal cauſaret rationale actu, quum tamẽ non includat ipſum niſi in potentia. Nec valet quod non cauſet ſe ſolo rationale, ſed cum alio, nam neque cum alio poteſt cauſare niſi includat ipſum in virtute ſua actu ſaltem partialiter, & alia huiuſmodi addi poſſunt quæ omitto.

Agunt de Proprio.

Porphyr. *hinc cap.* 5. S. Auguſtin. in Cathegr. cap. 9. & lib. 4. de Trinit. cap. 3, & 4. Albertus Magnus *tract. 6. de Propr. cap. 1. & tr. 7 cap. 1.* Och 1. *p. Log. cap* 24. & *in expoſit cap. de Proprio* Albertus parvus *q. un. de propr.* D. Th. *opuſc.* 48 cap 7. Lovanienſ & Canter in *hoc cap.* Arago *lib. 3. Met.* Gallego hic *controv. 18* Ioan. de Magiſt. *q. 9. Log* Ioan. Anglic. & Brahavol. ſuper q. 30. & unic. Scot. cap. 1. *diſt.* 3. *q.* 3. Caet. 1. *p. q.* 52. *ar.* 3. Socin. 8. *Met. q.* 1 *ad* 4. Ferrarien. 4. *contr. Gent. c.* 65. Soto *q. 2. de Propr.* Bannes 1. *p. q.* 73. *ar.* 6. Tartar. de prop. *dub.* 1, 2 & Ioan. Canon. 1 *Phyſic. q.* 4. *ar.* 2. Trumbeta 4. *Met. q.* 4. Lychez *q.* 3 *prolog.* Faber. 4. *Met diſp.* 6. Flandria 5 *Met.* Maſsius *cap. de Propr.* Fonſeca 5. *Met. c.* 29 *q.* 19 Gregor 2. *d* 16. *q.* 3. Gabriel 161. *q.* 1. Marſil. 1. *q* 7. *ar.* 3. Durand. 2. *d.* 3. *q* 2. Conymb. in *Coment. huius* cap. & q. *de Prop. artic. trib.* Complutenſ. hic *diſp.* 8. Averſa *q.* 10 Rodriq. & Mauritius in *expoſ. q.* 30. *Vn. Doct.* Poncius. Merſner. *propria diſp.* Maſt. & Bell. *diſp.* 5. *q.* 4. Amicus tract. 8. *Logic.* Hurt. Ariaga Oviedo & *Recent. ſupracitati.*

Digitized by Google

APOLOGIA VLTIMA.
DE ACCIDENTE QVINTO PRÆDICABILI.

Act. I. Examinat definitionem illam Accidentis. Quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem.
Actio II. An & quomodo Accidens ſit univerſale diſtinctū à Proprio? & alia ſparſim de utroque prædicabili reſolvuntur.

Scot. 7. Met. q. 4. num. 5.

Quod non ſit intentio Philoſophi negare omnem entitatem formaliter ab accidentibus præter entitatem ſubſtantiæ actu, videtur Philoſophi 4. Phyſ. tex. com. 58 poſito quod in aliquo ſpacio ſit tantum ſonus quærit utrum illud ſpacium ſit vacuum? & reſpondet quod ſi in ſpacio poteſt recipi corpus vacuum eſt, ſi non, non eſt vacuum. Poſito ergo quod accidens non poteſt eſſe ſine ſubiecto, ſequitur contradictoria ſimul vera videlicet quod ibi ſit corpus & quod non

Idemque 2. prædicab. n. 2.

Ad quæſtionem dicendum quod Proprium & Accidens *ſunt diſtincta univerſalia, quia accidentium quædam ſunt ab intrinſeco; & hoc vel ratione materiæ, ut quantitas, vel qualitatum activarum ſicut qualitates ſenſibiles: quædam ab extrinſeco, & hoc dupliciter, vel manent amoto illo extrinſeco, ut nigredo ab æſtu, vel non manent, ut calor vel figura aquæ quæ ſibi relicta redibit ad propriam naturam. Nullum iſtarum eſt proprium quia nullum convertitur, eſt enim defectus in aliqua trium particularum requiſitarum ad convertibilitatem, vel in omnibus.*

ACTIO PRIMA.

Examinat definitionem illam Accidentis *quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem.*

BREVIARVM.

Nu. 1. *Defenditur definitio Accidentis. 1. difficultas cōtra eam*
2. *Secunda difficultas etiam ſoluta, num aliquod ſit inſeparabile?*
3. *Solutio huius, & diſcrimen quarti ac quinti prædicabilis.*
4 *Tertia obiectio conſequentiæ à coniuncto ad diviſum, qualis?*
5. *Accidens, num ſit prædicabile de ſpecie an tantum de numero differentibus?*

1. EXamen autem ad duo extendetur, ſive ad vnum dupliciter ſumptum, ſcilicet ut reſolvam an illa deſcribat accidens reale, ſive primò intentionaliter ſumptum? & deinde an accidens prædicabile ſive ſecundo intentionaliter ſumptum. Dico autem illam bene convenire accidenti realiter ſeu primò intentionaliter ſumpto; hoc eſt materiæ ſeu ſubſtrato quinti prædicabilis. Ita D. qu. 35. præd. cib. & cum eo ſui omnes atque etiam *a* externi ſe nuper vſque ad noſtrum ſæculum in quo Recent. aliqui corrigere eam, & carpere authorum ſolent. Probanda eſt ſolutionibus obiectionum, quas claritatis cauſa, diſponam ſeorſim ab invicem in duas claſſes & primò eas quæ faciunt contra particulam *adeſſe*; adverſus quam. Obiiciuntur mors, conflagratio, calor ſummus, & ſimilia quæ non adſunt niſi cum ſubiecti corruptione, nam mors corrumpit ſive deſtruit animal, conflagratio lignum, calor ſummus aquam, & tamen ſunt accidentia de quibus hic. Hæ enim prædicationes, homo moritur, lignum ardet, aqua calefit, & ſimiles ſunt quinti prædicabilis ergo. Iſtæ inſtantiæ magnam moleſtiam attulerunt omni ævo Logicis, vt apparet ex ipſorum inventionibus ad evadendas eas. Puto tamen facile reſponderi ſi notetur verus ſenſus propoſitionum, atque etiam verum ſubiectum: Nego ergo minorem, ſive iſta eſſe accidentia illorum ſubiectorum, non enim mors eſt in homine vt ſubiecto, ſed in materia, eſt enim ſeparatio animæ à corpore atque adeo corpus eſt ſubiectum eius ſicut eſt ipſius animæ. Idem eſt de ligno reſpectu ignis, non enim lignum ardet, ſive habet formam ignis [niſi vulgi æſtimatione] ſed materia. Denique nunquam ineſt ſummus calor aquæ, ſed aliquis infra ſummum: quod autem præter Phyſicam veritatem horum, ita etiam Logicè dicendum ſit, oſtendo; nam ſi homo v. g. eſſet ſubiectum mortis tum homo morte non moreretur, & ſic de aliis illis, quod eſt nimis falſum patet autem ſequi, quia ſi ſubiectaretur mors in homine debet ad minus pro aliquo inſtanti eſſe in eo, atque ita adhuc exiſtere non obſtante ipſius morte, quod ſufficit conſequentiæ probandæ, ſed præterea ſequitur quod etiam tota æternitate poſſint ſimul eſſe, nam qua ratione poteſt homo vno inſtanti ſtare cum iſta morte certe poteſt duobus & ducentis &c. Dices; transferamus rem extra hos terminos, & dicatur ſic: Deſitio hominis non poteſt intelligi adeſſe ei ſine eius corruptione: Deſitio eſt accidens ei, ergo aliquod accidens non poteſt intelligi adeſſe ſine ſubiecti corruptione. Reſpondeo adhuc negando Minorem, quia quando deſitio eſt, homo non eſt, deſinit enim homo per primum ſui non eſſe, ſic explicandum: Iam non eſt homo, immediatè ante fuit. Itaque non eſt inſtans aliquod, (vt imaginatur arguens) medium inter eſſe & non eſſe hominis quod ſit menſura deſitionis eius. Adhuc tamen ex hac ipſa ſolutione inſtaurari poteſt argumentum, quia licet homo deſinat intrinſecè & inſtantaneè, ſunt tamen aliqua quæ non ita, ſed deſinunt ſucceſſivè & in his datur tempus medium inter eſſe & non eſſe quod eſt tempus deſitionis, talia ſunt motus, tempus, & ſimilia ſucceſſiva, ergo in his ſaltem contingit dari accidens quod non adeſt niſi cum ipſorum corruptione. Reſpondeo videri hic eſſe diſparitatem ſed revera omnia eſſe ſimilia quia videlicet pars ſucceſſivi quæ deſinit in tempore non habet eſſe illo tempore quo deſinit, adeoque verè non adeſt ei deſitio, quia vt adeſſet deberet vtrumque eſſe, id eſt pars & deſitio ſimul, quod non contingit. Obiicitur contra illud *abeſſe* accidens inſeparabile, quale ipſe Porphyrius admiſit, qui proinde videtur ſibi contradixiſſe, nam eſſe inſeparabile & poſſe abeſſe, idem eſt ac eſſe & non eſſe inſeparabile; poſſe & non poſſe abeſſe: ſunt autem multa huiuſmodi, talis enim eſt nigredo in corvo, candor in nive, lux in corporibus cœleſtibus, figura in corpore finito, vmbra item in corpore illuminato & ſimilia; quæ alii notarunt. Mihi autem plus videntur hic facere iſtæ & ſimiles inſtantiæ: differentia in genere v. g. rationale in animali, individualitas in ſpecie v. g. Petreitas in natura humana, & ſi quæ talia ſint. Clarum eſt enim iſta non poſſe ſeparari à ſubiectis, multa & mira videas ad hæc ab authoribus excogitata, quæ quā ſint explicationes Porphyrii certum eſt nunquā veniſſe in mentem Porphyrio: Et quod plus eſt, non

a D. Th. de pr. creat. a. 7. lib. 3. § 3. Caet. Soto &c.

non veniunt ad rem, ego dupliciter reſpondebo, primò ad mentem Scoti & Porphyrii: nempe vidit ipſe Porphyrius difficultatem, & ſolvit eam dicendo quod inſeparabile illud puta nigredo corvi, poſſit ſaltem cogitatione ſeparari, quamvis revera in translatione Boetii, non videantur ea verba à Porphyrio in hunc finem poſita. Quæ enim connexio horum: *Dormire quidem ſeparabile accidens eſt, nigrum vero eſſe, inſeparabiliter corvo & Æthiopi accidit, poteſt enim intelligi & corvus albus, & Æthiops abiiciens colorem præter ſubiecti corruptionem.* Mihi ſatis eſt Scotum ſic reſpondiſſe, vnde ita primò Reſpondeo ſed contra hanc viam facit vulgaris replica quod ſic nõ diſtinguetur propriũ ab accidente, Nam etiam ſine proprio poteſt ſubiectum intelligi. Reſpondetur, aliter poſſe ſubiectum intelligi ſine proprio, & aliter ſine accidenti: nam ſine accidenti ita poteſt intelligi ſubjectum vt etiam intelligatur eſſe ſub oppoſito; ſine proprio non ita, v.g. poteſt corvus intelligi cum albedine, non tamen homo cum hinnibilitate. Ita plures ex quibus eſt D. N. *a* propter quod ſolutio admitti poteſt; ſed non cogimur admittere eam, quia in priori loco apud Scotum non eſt ſolutio; in ſecundo non eſt de mente eius. Et verò quorſum ad abſentiam vnius oppoſiti, præſentia alterius? quod facit ad hoc vt albedo poſſit abeſſe quid nigredo poſſit ineſſe? [hic autem ſumus in examine *abeſſe* præciſè, nonne ſunt duæ mutationes iſtæ: nonne nigredo poteſt abeſſe alicui, cui albedo non poteſt adeſſe; Aliter ergo reſponderi poteſt negango ſequelam, cuius ratio notanda eſt iſta, quia ſine proprio non poteſt intelligi ſubiectum niſi tantùm pro primo inſtanti, quo nondum emanavit ſine accidente autem communi poteſt ſemper. at verò abeſſe pro primo inſtanti non ſufficit ad propoſitum, quia abeſſe hic eſt ſeparatio alicuius coniuncti, ſed in illo inſtanti non fuit coniuncta paſſio ergo. Confirmo ſolutionem: accidens quinti prædicabilis definitur per adeſſe & abeſse coniunctim. nunquam autem contingit hoc reſpectu proprii, quia in primo inſtanti non eſt aptum adeſſe, in ſequentibus non eſt aptum abeſſe, ergo. Maior huius inde patet quia aliàs albedo poſſet dici accidens Angeli & Dei, nam clarum eſt quod poſſit abeſſe his; Ex quibus videas quàm bellè quidam Recentior *b* dixerit Ly & accipiendũ eſſe diſiunctim: vt ſit idẽ quod *vel* quia neq; poteſt ſic accipi, neq; debet hic vt patet aliàs quodlibet eſſet cuiuslibet accidens quia poteſt adeſſe *vel* abeſſe ei v.g. albedo Deo. Dices ipsũ abeſſe ſufficit vt formentur propoſitiones de prædicato dicendo Deus nõ eſt albus. Reſpondeo nihil minus facere ad rẽ Adverſarii, quã hoc quia illa prædicatio non eſt quinti prædicabilis cum ſit neceſſaria: hæc primò. Secundò reſpondeo omne accidens quinti prædicabilis eſſe realiter ſeparabile, nam prima illa quorum aliqua recenſuit Porphyrius ſunt in facto eſſe ſeparabilia per potentiam ſaltem ſupernaturalem Dei, ſcilicet albedo, nigredo, lux, quãtitas, & quælibet ſignata in particulari: Alia illa quæ plus faceſſunt negotii, ſcilicet differentia ſpecifica à genere, & numerica à ſpecie, dico eſſe ſeparabilia in ſenſu diviſo, etſi nõ in ſenſu compoſito; eſt dicere jam non poteſt ſeparari ab animali quod eſt in homine rationalitas tamen potuit non fuiſſe ei coniuncta, potuit enim illud animal quantum eſt de ſe fieri irrationale & idẽ eſt de homine cui coniuncta eſt Petreitas, potuit enim quantum erat de ſe coniungi ei alia differentia numerica vt fieret Paulus aut Andræas.

a q. 32. & 81. univerſ.

b Hurt diſput. & ſect. 6. Log.

4. Obiicies partes definitionis per ſe conveniunt definito, ergo adeſſe per ſe convenit accidenti; ſi autem *adeſſe* per ſe ei cõvenit nunquam, poterit *abeſſe* ei convenire. Confirmatur, omne accidens neceſſariò ineſt, quia inhærentia eſt de eſſentia accidentis, ergo. Hoc argumentum ex Doct. tacito nomine deſcripſit Rec. quidam hic Reſpondet ergo D. negando antecedens, ſive negando potius hanc eius probationem, quæ adhiberetur ei negatæ: accidens per ſe adeſt & abeſt: ergo accidens per ſe adeſt eſt enim à ſecundùm quid ad ſimpliciter, ſimilis iſti: contingens neceſſariò eſt contingens, ergo contingens neceſſariò eſt. Sed contra hanc ſolutionem inſtat ipſe ſubtiliter ſic: à genere poſito ſub differentiâ tenet conſequentia ad genus ſimpliciter: ſequitur enim; eſt animal rationale, ergo eſt animal: At verò totum hoc *adeſt & abeſt* eſt hic poſitum loco differentiæ ergo conſequentia tenet etiam ad partem. Reſpondet ergo denique ipſe Subtilis *per ſe* convenire accidenti ſi *per ſe* ſit determinatio inhærentiæ, non verò ſi ſit determinatio inhærentis; quod eſt dicere ineſſe per ſe convenire accidenti, at verò accidens non per ſe convenire ſubiecto. Simile eſt de vniverſali vt ſic, cui per ſe convenit prædicari de multis, & tamen quintum prædicabile per accidens prædicatur de multis, quia nimirum prædicari per accidens, per ſe ei convenit. Brevius tamen diceretur ad antecedens primi argumenti partes definitionis coniunctim convenire definito, non verò ſeparatim vniverſaliter. Partes principales definitionis bene verum eſt quod verificentur etiam ſeparatim de definito, ſcilicet genus & differentia, at verò partes partiũ non item. Hic autẽ Ly *adeſt* eſt pars partis ſcilicet differentiæ quia totum hoc *adeſt & abeſt* eſt differentia accidentis.

5. Fateor tamen accidens ſecuriùs & faciliùs definitum iri ſic. *Eſt prædicabile de pluribus in quale contingenter.* Quæres tamen de hac ipſa an accipienda ſit de pluribus numero differentibus, an de pluribus ſpecie, an de vtroque modo diverſis, ne laboremus in æquivoco? reſpondeo poſſe formari prædicationes quinti prædicabilis de ſubiecto communi dicendo, homo eſt albus, equus eſt albus &c. ſed quia hæ non ſunt immediatæ, cum ſint veræ ratione harum, Petrus eſt albus, Bucephalus eſt albus &c. ſi requiratur ad vniverſale prædicatio immediata intelligendã eſſe definitionem de differentibus numero; ſed vt monui, hoc eſt improbabile, & patet tale eſſe ex prædicatione generis de individuis, nam hæc omnia de individuis mediatè tantùm prædicantur. Dices primò differentiam & proprium non prædicari de pluribus ante individua, quia licet immediatiùs prædicetur de ſpecie, illa tamen eſt vna tantum, ſeu vnum ſubiectum. Reſpondeo verum eſſe id de differentia & proprio infimis, ſaltem de ſubalternis. Dices ſecundò acriùs hæc, homo eſt albus non verificatur niſi ſuppoſita veritate huius, Petrus eſt albus, at verò ſuppoſita veritate huius illa eſt neceſſaria; atqui nulla neceſſaria eſt quinti prædicabilis, ergo nec illa. Reſpondeo ſi valeret argumentum probaret quod hæc ipſa, Petrus eſt albus, ſaltem hæc, Petrus eſt coloratus, ſit neceſſaria, atq; ita non quinti prædicabilis; patet: quia hæc, homo eſt coloratus eſt neceſſaria ſuppoſita veritate illius, Petrus eſt albus. In forma ergo diſtinguo ſubſumptum, eſt neceſſaria neceſſitate conſequentiæ, cõcedo, neceſſitate conſequentis nego conſequentiã ſimiliter iã.

ACTIO SECVNDA.

An; & quomodo accidens ſit Vniverſale? An diſtinctum à Proprio & alia ſparſim de utroque prædicabili reſolvuntur.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Prima difficultas circa accidens num ſit univerſale.*
2. *Secunda: An univerſale debeat latius patere ſuo ſubjicibili.*
3. *An accidens ſit diſtinctum prædicabile à Proprio.*
4. *Singulare poſſe eſſe quartum univerſale.*
5. *Accidens requirit ſui & ſubiecti exiſtentiam.*
6. *Dari tamen caſum in quo eam non requirat:*
7. *Nihil quinti prædicab. ineſt à natura.*
8. *Aliquid quinti prædicabilis contineri poteſt ſub quarto prædicabili*
9. *Inferiora Accidentis quæ?*
10. *An idem poſſit eſſe in quarto, & quinto prædicab.*

1 QVoad primã partem Concluſio affirmativa poſita eſt ſupra Apol. 1. act. 5. ſupereſt hic ſolvere obiectiones quas ponam primò contra abſolutam rationem Vniverſalis in Accidente, deinde tractabo diſtinctionem eius à proprio. Objicies ergo primo Vniverſale exigit identitatẽ ſui cum inferioribus, accidens non exigit, imo neque admittit eã, ergo accidens non eſt univerſale. Maior patet ex prædicationibus, quæ in omni univerſali exercentur per verbum *eſt*; at vero To *eſt* importat identitatem prædicari ſui cum ſubiecto aliquam; non formalem aut eſſentialem, illa enim redderet prædicationem identicam, ergo realem, quæ fuit maior probanda. Minorẽ autem probant iſtæ: paries eſt albus, homo ridet & in quibus patet prædicatum diſtingui realiter à ſubiecto, ergo. Reſpondeo primo argumentum ſolvendum eſſe arguentibus, nam nec proprium identificatur realiter ſubiecto ſecundum ipſos ut viſum eſt. Reſpondeo ſecundo, patet quod Ly *eſt* non importat identitatem realem extremorum quorum eſt copula, alias quandocumque haberetur eiuſmodi identitas propoſitio eſſet vera, quod tamen falſum eſt, ut conſtat ex iſtis. Petreitas eſt humanitas. Paternitas divina eſt ſpiratio activa in quorum utraque prædicatum identificatur realiter ſubiecto & tamen Logici primam negant, Theologi ſecundam. Deinde ſi Angelus aſſumeret hypoſtaticè hominem; in iſta; Angelus eſt homo; non haberetur identitas prædicati cum ſubiecto, aut aliqua parte eius, nam & natura, & hypoſtatis angeli diſtinguitur ab humanitate cum hypoſtatis diſtinguatur ab ipſa etiam Angeli natura. Denique non eſt opus exemplis, nam hæc: paries eſt albus licet pro nunc dubium ſit an ſit prædicatio alicuius univerſalis, tamen certum eſt quod ſit vera, & tamen non identificatur albedo parieti. Itaque Ly *eſt* importat tantum quod prædicatum faciat unum cum ſubiecto, (quale facere poſſunt realiter diſtincta ut patet in materia & forma) non autem quod faciat idem; & hæc mihi videtur genuina huius explicatio: dicere enim quod habeatur hic identitas realis, eo quod non prædicetur albedo ſed ſubiectũ, ut ſenſus ſit, paries eſt res habens albedinem, redit in idẽ abſurdũ, nam adhuc albedo involuitur in illo prædicato ut vides, & tamẽ nõ identificatur.

2. Obiicio 2. Vniverſale debet latius patere quam ſubiicibile eius, oppoſitum contingit in accidenti, ergo oſtendo minorem, nam cum dico lignum eſt albũ, ſaxum eſt album, quæ ſunt prædicationes accidentis, Ly *album* quod eſt prædicatum non latius patet quã ſubiectum v. g. lignum, ſicut enim datur album quod non eſt lignum, puta ſaxũ, ita datur lignum quod non eſt album ſcilicet ebenus, ergo. Reſpondeo hoc argumentum facere etiam contra priora prædicabilia quæ tamen omnes admittunt. Hoc oſtendo, nam cum dividitur ens v. g. in abſolutum & reſpectivum atque iterum in ſubſtantiam & accidens, iſta eſt eſſentialis: Relatio eſt accidens, eſtque prædicatio generis ſicut etiam iſta: Quantitas eſt accidens, & tamen dantur relationes quæ non ſunt accidentia, ſcilicet divinæ. Iterum ens ſpirituale commune eſt ſubſtantiæ & accidenti, & tamen exceditur à quolibet eorum non minus quam excedit ea, ſicut enim datur ens ſpirituale quod non eſt ſubſtantia puta accidens, ita datur ſubſtantia quæ non eſt ens ſpirituale puta lignum.

3. Dixi ſuo loco ſupra *a* hæc duo vltima prædicabilia bene poſſe redigi in vnum, atque ita vniverſalia probabiliter numeranda eſſe quatuor; contra quam reſolutionem hic moveo ſequentia dubia pro maiori rei claritate; Itaque probavimus ibi iſta duo non diſtingui quia ambo prædicantur in quale accidentale, & per modũ partis aut quaſi partis; quod verò deinde prædicetur vnum contingenter, & alterum neceſſariò eſt ex parte materiæ quæ ad Logicam non ſpectat adeoque nec variare debet res Logicas, vt ſunt prædicabilia. Contra autem facit quod ſi argumentũ quidquam valet, probat etiam nec differentiam à proprio diſtingui, quia vtrumque prædicatur in quale, & per modum partis aut quaſi partis; quod autem vna forma ſit eſſentialis, alia non, dici poteſt eſſe ex parte materiæ quæ ad Logicam non ſpectat, adeoque Reſpondeo diſparem eſſe caſum, quia hic non ſolum materia eſt diverſa, ſed modus ineſſendi qui ad Logicam ſpectat, nam differentia ineſt & prædicatur in quale quid proprium autem in quale tantum ſeu in quale non quid, Obiici ſecundò poteſt; Eſſentiale commune & eſſentiale proprium faciunt diverſa prædicabilia ergo accidens commune faciet diverſum prædicabile ab Accidente Proprio; cur enim magis illa quam hæc? antecedens autem conſtat verum eſſe in genere & differentia, ergo. Sed hoc non multum facit, nam genus & differentia non ideo faciunt duo prædicabilia quia ſunt proprium & commune ſed aliunde, quia nimirum vnum prædicatur in quid, & alterum aliter. Inſtari tamen poteſt ſic; proprium & commune eſſentiale habent (vndecumque veniant) annexos duos modos prædicandi, & ineſſendi diverſos, ergo etiam proprium & commune accidentale. Reſpondeo negando conſequentiam quia omnia accidentia ſunt vniuſmodi, non autem omnia eſſentialia; non enim dantur accidentia quorum vnum ſit in quid & alterum in quale, dantur autem eſſentialia talia adeoque dixi ſingulare poſſe eſſe vniverſale quinti prædicabilis, idque ſupra ſuo loco probavi; hic

a Apolog. 1. Vnivers. Act. 5. n. 7

4. Addo aſſertioni, ſingulare poſſe eſſe etiam Proprium, quantum ad præſens; probo inſtantiã ſpirationis activæ in divinis quæ eſt propria aut quaſi propria, nec enim eſt accidens commune Deo, quum emanet inſeparabiliter, hæ ergo prædicationes, pater eſt ſpirans, filius eſt ſpirans, non ſunt quinti prædicabilis, nec priorum trium, quia prædicatum non eſt cõſtitutivum ſubiectorum, adeoque. Dices contra probationem concluſionis, albedinem non prædicari ſed album. Reſpondeo hoc maledici, primò quia prædicari album non negat prædicari albedinem, ſed affirmat potius, quia album eſt albedo in concreto. Deinde de quocumque ſe vertat Adverſarius in illo prædicato nihil eſt pertinens ad quintum prædicabile niſi albedo. Obiicitur acriùs contra concluſionem ipſamet concluſio, quæ videtur implicare in terminis, quia ſingulare pugnat cum vniverſali, ad hæc videor ſupra reſpondiſſe, vnde pergo hic, &

5 Dico tertiò quintum prædicabile requirere ſui & ſubiectorum exiſtentiam, hanc ſtatuo contra abſolutè negantes eam, nam & ipſe infra oſtendam eam aliquando eſſe falſam. Probo interim eam, accidens debet eſſe prædicabile de ſubiecto contingenter, non eſt ſic prædicabile niſi ſecundùm eſſe exiſtentiæ, ergo. Minorem probo, (Maior enim conſtat ex definitione accidentis) quia quod contingenter prædicatur, ita dicitur vt poſſit negari, quod ſic ſuadetur; aut enim affirmatur actualis inhærentia de ſubiecto, aut aptitudinalis; ſi ſecundum, habetur intentum argumenti. ſi enim prædicatur id quod non poteſt negari, ſi primũ habetur etiam intentum concluſionis, tum enim requiritur actualis exiſtentia ergo. Tentavit aliquis evadere hoc argumentum, dicendo non poſſe quidem

a Maſtr. diſp. 5 V. niv. art 1.

b 1. diſt. 3. q. 1.

haberi exercitium prædicationis quinti prædicabilis, niſi exiſtentibus extremis, adhuc tamen habet vniverſalitatem quia hæc non exigit actum qui eſt exercitium illud, ſed aptitudinem. At immerito reſpondit ſic Scotiſta, *a* quin meminiſſe debuit ſecundum *Scotum b* vniverſale eſſe proximè prædicabile de multis prædicatione dicente hoc eſt hoc; res autem quæ poteſt tantum eſſe in pluribus & non eſt, non eſt proximè ſic prædicabilis, nam deeſt ei non ſolùm prædicatio quæ eſt actus ſed aliquid primævum, quod proinde debet eſſe prædicabilitas, aut aliquid eius. Præterea etiã quandocumque aliquid habet potentiam, non repugnat dari actum: vniverſale habet ſecundum ſe potentiam ad prædicari ante exiſtentiam, ergo poterit verè reduci in actum. Demus ergo eam redigi in actum, demus fieri prædicationem quinti prædicabilis ante exiſtentiam extremorum dicendo paries eſt albus, aut Petrus ſcribit; & tum ſic arguo ego: Poſſibili poſito nullum ſequitur abſurdum, ſequitur ex eo quod de Petro aut pariete non exiſtentibus prædicetur (vere intellige) albedo, aut ſcriptio; ergo hoc non fuit poſſibile quod tu aſſeruiſti: at vero ad vniverſale requiritur ſaltem potentia illa ad prædicari, ergo ante exiſtentiam non habetur vniverſalitas huius vniverſalis. Vrgetur ratio concluſionis: ſubiecta non exiſtentia reſpiciuntur ab accidente poſſibiliter, hæc autem reſpicientia eſt neceſſaria, neceſſarium eſt enim quod poſſibile ſit parietem eſſe album, ergo reſpondet ipſe. in prædicationibus aptitudinalibus quinti prædicabilis non poſſibilitatem aut exiſtentiam poſſibilem prædicari ſed formam ipſam quæ illis ineſſe poteſt contingenter, vnde (inquit) licet illa neceſſario apta ſit ad eſſendum in illis, non tamen ad eſſendum in illis neceſſariò ſed contingenter ſed hic homo non potuit rectius contra ſe dicere, nam etiam totum hoc quod accidens poſſit eſſe in ſubiecto contingenter eſt neceſſarium; v. g. neceſſariò verum eſt quod albedo ſic poſſit ineſſe ſuperficiei vt poſſit etiam abeſſe inde & aboleri.

6. Exiſtimo tamen ipſe dicendum quod accidens quinti prædicabilis non neceſſario exigat ſui & ſubiectorum exiſtentiam, (propter quæ ſupra in concluſione non definivi oppoſitum vniverſaliter, ſed tantum indefinitè) ecce inſtantias. Hæ enim prædicationes ſunt quinti prædicabilis, Adam vixit, Anti-Chriſtus erit; hæ non exigunt ſubiectorum exiſtentiam; quid ſequitur, niſi quod aliquæ prædicationes quinti prædicabilis verificantur ſine exiſtentiis? nec aliquæ aut paucæ ſolum, ſed omnes de præterito & futuro, atque ita hiſtoriæ omnes & omnes prophetiæ ſunt propoſitiones veræ quinti prædicabilis abſq; exiſtentia. Quod ergo dixit reſolutio præcedens locum habet in propoſitionibus de præſẽti v. g. illis paries eſt albus, Petrus currit, hæc autem in ſ. partis &c. quam diſtinctionem videntur mihi non notaſſe quotquot abſolutè aſſerunt aut negant requiri ad hoc prædicabile exiſtentias. Obiicies tritum illud: vniverſale definiri per eſſe aptum ex quo ſequitur non requiri quod actum ſit ulli, requirit autem quiſquis exiſtentiam; certum eſt enim quod non adſit exiſtentia formæ & ſubiecti, niſi etiam adſit vnio eorum, ergo. Reſpondeo vniverſale Logicum definiri per eſſe aptum prædicari, non per eſſe aptum ineſſe, ſed potius per actu ineſſe, nam actu ineſſe requiritur ad aptitudine prædicari, vt notavit D. cit. in tertio patet hoc ex Philoſop. *Vniverſale eſt unum in multis & de multis.* Vide ſupr. dicta *c*

c Apol. 1. univ. A ſtion. 2.

7. Quæro an accidentia quinti prædicabilis à natura aliquando? exiſtimo non ineſſe abſolutè & (ut puto) ſuadebo hoc reſpondendo inſtantiis: Videtur enim oppoſitum paſſim contingere nam homo naſcitur albus, arbores creſcunt rotundæ, mel ſapit flores olent, & alia ſexcẽta habent ſimiles qualitates à natura, ergo. Reſpondeo adhuc non eſſe allatã inſtantiam quinti prædicabilis purè, hoc eſt quæ non ſit in aliquo modo quarti prædicabilis. Albedo enim in homine & aliis non eſt merum accidens ab extrinſeco veniens, ſed oritur ex natura talis mixti, & idem eſt de ſapore in melle, quæ ſunt proinde in ſecundo modo proprii, ſcilicet *omni & ſemper*. Figura autem aut oritur ab intrinſeco, ſicut colores & ſapores, & ita pertinet ad proprium, aut ab extrinſeco & tum non eſt à natura

8. Quæro an accidentia quinti prædicabilis contineri poſſunt ſub aliquo quarti prædicabilis? Reſpondeo diſtinguendo; poſſunt contineri ſub aliquo diſtincto quarti prædicabilis, non poſſunt autem ſub aliquo determinato. Explico rem ſimul, & probo: linea habet proprium ſibi eſſe rectum aut curvum, numerus par aut impar, genus v. g. animal, hanc aut illam differentiam ex duabus. ut impoſſibile ſit hæc ſubiecta ſeparari ab hoc disjuncto, & tamen poteſt ſeparari Linea & rectitudo quæ continentur ſine dubio ſub disjuncto illo rectitudo aut curvitas; Poteſt numerus inveniri ſine paritate, & ſic de aliis. Si autem proprium Lineæ eſſet determinata differentia curvitatis, non contingeret caſus ut vides. Dices oppoſitum eſſe verum, & apparere in iis quæ habent paſſiones determinatas, nam riſibilitas eſt determinata paſſio hominis v. g. Petri & tamen quæcumque riſibilitas in particulari eſt accidens ei; poſſet enim eſſe ſine illa cum alia riſibilitate. Reſpondeo totum hoc nihil efficere contra reſolutionẽ. Ecce quomodo nõ. Nam, aut comparamus riſibilitatem ad hominem ut ſic, aut comparamus eam ad Petrum; ſi ad hominem, illa eſt determinata paſſio, ſed ſub illa nulla accipi poteſt quæ ſit accidens aut ſeparabile, nam riſibile ut ſic (& ita quodlibet riſibile) debetur homini ut ſic: ſi autem comparatur ad Petrum, dico nos eſſe in caſu paſſionis disjunctæ, proprium enim Petri eſt vel hæc vel illa riſibilitas; Quod dico ſuppoſito quod Petrus non exigat hanc numero riſibilitatem, puto autem verius quod exigat, ſed tranſeo pro nunc. unde caſus locum opportunius habet in propriis Phyſicis v. g. in calore reſpectu ignis. Exiſtimo præterea non modo ſubiecta determinare ſibi formas ſeu paſſiones ut intellexit Porphyrius, ſed paſſiones determinare ſibi ſubiecta, atque ita dari propria etiam individuorum. Probatio erit inſtantia, huius, figura nũ poteſt eſſe niſi in corpore finito, ecce formam appropriare ſibi ſubiectum, punctum non poteſt eſſe ullius niſi continui. Et alia ſexcenta. Sæpius autem occurrunt eiuſmodi inſtantiæ in ſingularibus, nam licet ego v. g. poſſim ſcribere alia ſcriptione ab ea qua ſcribo, tamen hæc ſcriptio non poteſt eſſe alterius agentis quam mei. ſive, nullus alius poteſt hac ſcriptione ſcribere alias daretur infinitas formarum aggregatarum ſimul, & dari neceſſario deberet adhoc ut ego redderer ſcribens, quod, quia ſuppono demonſtrabile & ſuo loco in Metaphyſica probandum eſt. Hic demonſtrat huiusloci intentum jam enim accidens ſcilicet ſcriptio, determinat ſibi ſubjectum, ut per nullam potentiam ſine eo eſſe poſſit, & quid magis proprium.

9. Quæro etiam inferiora Accidentis, non enim facile aſſignantur in illis de quibus prædicatur Accidens, in quibus tamen ſine dubio inveniri debent. Totum hic vides Accidẽs v. g. albedo prædicatur & de ligno & de Lapide, prædicationibus quinti prædicabilis, & tamen adhuc non apparent inferiora eius, non enim lignum & Lapis, quia, non ut corpora ſunt, neque ut qualia ſunt, non ſunt corpora, ſic enim ſunt ſub ipſo corpore, aut ſub alio in genere ſubſtantiæ, neque qualia puta ut alba, quia prædicatio albedinis de illis ut alba ſunt non eſt quinti prædicabilis. hæc enim non eſt accidentalis, hoc album eſt album. Reſpondeo inferiora eius eſſe in caſu poſito lignum & Lapidem ut ſubjecta ſunt, non ut concreta ſunt. Et ſi voles audire reſponſionem in terminis jam poſitis & impugnatis, Reſponderi poteſt lignum & Lapidẽ eſſe inferiora albedinis ut corpora ſunt, nec ratio in oppoſitũ hoc refellit. Dico enim quod illa ut corpora, ſunt ſub corpore aut alio genere ſubſtãtiali per ſe & eſſentialiter, per accidens autẽ ſub qualitate, nec id novum eſt, nam lignũ & lapis non ſolũ ſunt ſub genere corporis ſed ſub differentia corporeitatis & perſeitatis, ecce idem ſub diverſis prædicabilib.

10. Quæro denique an idem eſſe poſſet in quarto & quinto prædicabilibus; Ratio dubitandi eſt, calor ſummus v. g qui eſt proprietas ignis, & tamen inveniri poteſt extra illum, & accidentaliter competere alteri, vt ſtupæ: lux quæ eſt propria cæleſtibus cõvenit elementis, & mixtis Sed merito reſpondit ad hoc D N. *d* negativè, quia nimirũ ſi proprium alteri convenire poſſet, iam non eſſet huius proprium quia non ineſſet ei convertibiliter. Inſtantiæ allatæ non continent vera aut propriè propria ut ſupra vidimus adeoq. ſed Objicio, aliquid idem poteſt eſſe differentia eſſentialis unius rei, & adhuc competere alteri per modum accidentis, ergo multo magis poteſt eſſe proprium unius & accidens alterius. Antecedens oſtendo, in *eſſe diſgregativum viſus* quæ eſt differentia eſſentialis albedinis & tamen convenit aliis v. g. ſuperficiei muri & chartæ per modum accidentis quinti prædicabilis. Sed nihilominus ſtandum eſt reſolutioni negativæ Doct. Vnde ad objectum Reſpondeo nec differentiam eſſentialem, competere alteri immediatè (de quo quæritur) ſed mediante compoſito, de quo non quæritur, nam ſic etiam propriũ poteſt alteri competere, & de facto cõpetunt ſubjectis omnia propria formarũ quæ illis inhærent, unde ſi nos ſciremus proprietatem albedinis poſſemus eã de charta affirmare, in quo definant Apologiæ prædicabilium.

d q. 3. prædic.

De Accidenti denique ſcribunt.

Ariſt. & Aug. *ubi ſupra Apol. præced.* D. Th. etiã *ibid* citatus, & præterea de *Spiritual. Creat. art ul.* Alb Mag. *tr. 4 c. 1* & Damaſc. in *Dialect c. 13.* Avicen. & alii Arabes *apud Auer. cit.* Ægid. *Post text* 8 Rup. Ab. *l. 7 de oper. Spir. ſan. c. 1.* Avet. *in cap de Accid.* Ock. *1 p Log. c. 25* & in *Log Text cap de Accid.* Boet. *ibid* Ferrar. *2. contra Gent c. 81* Philip *1 Poſt 34.* Sarnan Ang. & Maur. cum *Scoto q. 35. Vniv.* Rob. Bellarm. *l. 5. de amiſſ. Grat. c. 1.* Levinus. Sonid *cap. de accid.* Io à Lap Iſern. Lovanienſ. & Colon. *ibid* Tratatet *ib. q.* Alb. *par. q. unic.* Io à Magiſt. *q. 10 prædicab* Ant Aud. *in hoc cap.* Lalem *hic diſp. partit 5.* Moriſã *hic q 5 Fonſec lib 5 Met c. 28 q 19 & Avic. tr. 9. Log* Averſa *q 14* Rodr. *in comento* Doct. *cit.* Ponc. Maſt. Arrag. Oviedo & Recentes cit Apolog. præcedent.

FINIS PRIMÆ PARTIS LOGICÆ.

APOLOGIA PRIMA DE SIGNO.

ACTIO. I.

Quid ſit Signum & Significare.

ACTIO. II.

Inquo conſiſtat ratio formalis Signi tam naturalis quam placiti?

ACTIO. III.

Quid voces immediate Significent, res an Conceptus?

ACTIO. IV.

De Significato Scripturæ & Nutuum.

Sco. 4. d. 1. q. 2, n. 7.

6. TErtio quod in ratione nominis prædictâ includitur aliquid quod dici rens rationis, ſcilicet hoc quod eſt ſignum ex inſtitutione, nam iſta relatio non conſequitur fundamentum ex naturâ rei, quia etſi in re ſit aptitudo ad ſignandum effectum ſignatum, tamen actualis ſignatio non convenit ſibi per actum imponentis.

Idem in primum Periherm. q. 2. n. 2.

VErbum ſignificat aliquid, conſtituit enim intellectum qui dicitur, ex quo ſequitur quod ſignificare eſt alicuius intellectum conſtituere illud ergo ſignificatur cuius intellectus per vocem conſtituitur, ſed prolata voce non conſtituitur intellectus ſpeciei ſed rei; ut probatur in quocumque audiente vocem ſignificativam. Item in primo elench. dicit Ariſt. quod pro rebus utimur nominibus, quia non poſſumus ferre res ad diſputandum, ſed ſpecies intelligibiles poſſumus ferre nobiſcum, erga illarum non ſunt voces notæ ſed rerum.

ACTIO PRIMA.

Quid ſit Signum & ſignificare?

Breviarium

Num. 1. *Rejecti aliquorum modi dicendi*
2. *Diviſiones aliquot ſigni*
3. *Signa formalia, non ſigna.*
4. *Signum proprie quid.?*
5. *Objectiones duæ ſolutæ ad quem actum intellectus pertinet ſignum?*
6. *Alia objectio an idem ſui ſignum?*
7. *An neceſſaria inſtitutio ad ſignum?*
8. *Cauſa an ſignum?*
9. *An intentio ſignificandi neceſſaria?*
10. *Definitio abſoluta ſigni.*

1. IDEM Utrumque, eſt, ſcilicet ſignum eſſe, & ſignificare; Unde non ſatis exactè recens quidam(*a*) quærenti, quid eſſet ſignum reſpondit *quod aliquid ſignificat*: Perinde enuntuit hoc reſpondere, ac dicere, quod ſignum eſſet quod eſſet ſignum, nam qui neſcit quid ſit ſignum utique neſcit quid ſit ſignificare.

a Hurt diſp. 9. Log. ſect. 1.

Alij volunt quod ſignum eſſe ſeu ſignificare ſit facere devenire in rei alicujus cognitionem: ſed etiam ipſi lapſi ſunt, patet enim multa ducere nos in cognitionem rerum quæ non ſunt ſigna: Inprimis enim ipſum objectum ducit nos in cognitionē rei, nec tamen eſt ſignum ſui cum ſit ſignatum, & ſignum cum ſit relativum, neceſſario eſt ad aliud Deinde(; ut omittā potentiam v.g. magiſter, ſeu quiſquis nos docet naturas rerū, facit nos venire in cognitionem earum, nec tamen eſt ſignum earum. Plures alij tentarunt naturam ſigni explicare, quos facile ex dicendis reijcias, ita obvia quæque & facilia intellectu, ſunt difficillima explicatu, nam nec illa Auguſtini probatur omnibus, *quod præter ſpeciem ſui quam ingerit ſenſibus facit aliud in cognitionem venire.* Hanc inquā reijciunt plerique ut mancam, quia non convenit omnib° & quidē fatendum eſt quod non conveniat omnibus, at non proinde fatebor eam eſſe diminutam, quia nimirum Sanctus non voluit omnia definire, ſed materialia tantum, ut patet ex illo *ſenſibus* nam ſpiritualia non ingerunt ſpeciem ſui ſenſibus; non item ſigna formalia, v.g. ſpecies impreſſas aut expreſſas, quia hæ non ingerunt ſpeciem ſui ſed ſe ipſas quæ ſunt ſpeci-

b Vila pond Lib. 1. ſum. p. 1. c. 8. Arriaga 12. n. 2.

a. de Doct. Chriſtiana

es aliorum: Abſolutã definitionẽ infra aſſignabo.

2. Interim ponam communes diviſiones ſigni. Dicitur aliud formale aliud inſtrumentale. Formale eſt quod ſe ipsô, informando facit cognoſcentem aliquid, atque ita ſignificat rem; & hujuſmodi eſt ipſa cognitio ſeu ſpecies expreſſa, & ab aliquibus eiuſmodi dicitur etiam ſpecies impreſſa. Inſtrumentale è contra quod extra ſe habendo deducit in alterius cognitionem agendo ſeu movendo: Talia ſunt cætera fere omnia ſigna ut ſtatuæ, voces, ſcripta.

Ex his autem rectè notatum eſt ab authoribus, aliqua eſſe ſigna ob ſimilitudinem cũ ſignatis, alia non item. Similitudo autem alia eſt formalis, ut illa quæ intercedit inter imaginem, & imaginatum aliquando in lineamentis externis duntaxat, ut in picturis & ſtatuis; aliquando etiam in ipſa natura ut eſt in verbo æternò reſpectu ſui patris alia eſt ſimilitudo virtualis, qualem habent ſpecies cum objecto, hanc autem rationem ſigni habent ſpecies non quatenus ſunt ſigna formalia, ſed quatenus talia ſunt ut videns illas in illis videret prototypum cujus ſunt. Alia ſine illa ſimilitudine ſignificant propter connexionem quam habent cum ſignatis, & iſta dividuntur in naturalia, ut fumũ reſpectu ignis, gemitum reſpectu doloris, & in alia quæ dicuntur ad placitum ut ſunt voces & ſcripta.

Denique dicuntur alia ſigna manifeſtativa tantum ut præcedentia omnia, alia manifeſtativa & ſuppoſitiva, qualis eſt prorex reſpectu regis. de his ſic cenſeo, & primo.

3. Dico ſigna quæ dicuntur formalia ſcilicet ſpecies tam impreſſas quam expreſſas non eſſe propriè ſigna.

Ratio pro impreſſis eſt quia gerunt vices objecti, objectum autem non eſt ſignum ergo nec ſpecies impreſſa. Confirmatur, habitus, quia ſe tenent ex parte potentiæ non dicuntur ſigna ergo nec ſpecies quæ eſt ex parte objecti.

Dices contra principalem rationem vox v.g. homo ſupponit pro objecto, & tamen eſt ſignum eius ergo ſimiliter poterit eſſe ſpecies impreſſa. Reſpõdeo, manifeſte aliter ſupponit vox pro objecto ſuo, aliter ſpecies impreſſa, ſicut aliter ſupponit imago regis pro rege, aliter prorex. Diſtinguo ergo majorem, vox ſupponit pro re tanquam ſignum concedo, tanquam ſubſtitutum nego, hoc ſecundo modo ſupponit ſpecies, adeoque non eſt ſignum.

Ratio pro expreſſis eſt quod ſignum eſt mediũ ad cognitionem, expreſſa ſpecies non eſt medium ſed finis potius, & ipſa cognitio, ergo.

Redeo ad priorem partem probãdam ſic quia ſi ſpecies impreſſa eſſet proprie ſignum, tum contingeret ipſum objectum eſſe ſui ſignum, quod nemo dicet, ſed probatur ſequi, inſtantia ſpeculi in in quo viſio fit per ſpeciem, nam & ſpecies eſt quæ movet oculum, & ipſa eſt quæ terminat viſionem ſecundum multorum ſententiam, atque adeo eſt ſignum & ſignatum, ſive ſignum ſui & fortaſſe idem abſurdum deduci poteſt contra adverſarios extra caſum ſpeculi in cognitione memorativà, in qua ſpecies terminat actum memoriæ (quia objectum non eſt, ſed præterijt) & ipſa ſine dubio concurrit ad cognitionem, ergo ex his quid ſequitur niſi diviſionem illam communem ſigni in formale eſſe ineptam, quia deficit dimidio ſui. Vnde

4 Dicere poſſumus ſignum eſſe quod cognitum movet ad alterius cognitionem. Hujus concluſionis ratio ex dictis habetur, quia nimirum ſignum ut ſic non eſt niſi inſtrumentale [non enim formale ut vidimus] hæc autem eſt deſcriptio ſigni inſtrumentalis, ergo ſigni ut ſic. Hinc habes ſi admittere voles ſignum formale deffiniri ipſum poſſe, *quod non cognitum ducit in alterius cognitionem*: Sic enim ducit ſpecies impreſſa, ducit expreſſa, quas non eſt opus cognoſcere ut faciant ſe cognoſcentẽ, alias iretur in infinitum, & ne tum quidem poſſet quis incipere cognitionem, nam illa quâ cognoſceret aliud, deberet prius ipſa cognoſci per aliam ſpeciem, & ipſa ſpecies per aliam cognitionẽ &c. è contra fit in ſignis inſtrumentalibus v.g. ſtatuâ, imagine ſcripto &c. quæ ipſa prius debent ſub ſenſum cadere, antequam poſſint aliud notificare & debent cognoſci non ſpecificative ſolum ſed reduplicativè, id eſt quatenus ſigna ſunt; hinc enim neſciens linguam Hybernicam aut Hæbreã non ducitur in cognitionem rerum per vocabula illius idiomatis audita, quia licet ſenſu feratur in voces, tamẽ non fertur intellectu in eas ſub ratione ſigni, ſic enim deberet ſcire ſignificationẽ earũ

5. Obijcio tamen contra meam definitionem: Præmiſſæ cognitæ movent ad cognitionem concluſionis & tamẽ nemo dixit eas eſſe ſigna concluſionis, ergo male definiuimus ſignum quod cognitum movet ad alterius cognitionem; quæ conſequentia bis premit nos, quia definivimus eo modo & ſignum ut ſic, & præterea ſignum inſtrumẽtale, cujuſmodi ſine dubio ſunt præmiſſæ ſi ullum ſint: ſolvam hanc poſt ſequentem quâ.

Obijcio 2. effectus deducit nos in cognitionem cauſæ, v.g. Eclipſis Lunæ in cognitionem terræ interpoſitæ ſoli & Lunæ; paſſio item in cognitionem ſubjecti, v.g. riſibile in cognitionem hominis; & tamen non dicuntur iſta ſigna hujuſmodi cognitorum, ergo necdum conſtat noſtra definitio. Reſpondeo iam ad hanc, & ſimul ad antecedentẽ diſtinguendo aſſumpta earum ſic, movent ad cognitionem diſcurſivam concedo, ad aliam puta appræhenſivam, nego: ſic autem debet movere ſignum Dices, ergo ſaltem male poſitum eſt in concluſione quod ſufficiat movere ad cognitionem, nam etiam diſcurſus eſt aliqua cognitio. Reſpondeo negando ſequelam, ſic locutus ſum cum communi authorum qui quamvis diſcrepent in alijs punctis, ſed nullus hanc particulam correxit. Cur autem idem ſit cognitio ut ſic, & appræhenſiva, ſeu cur accipienda ſit pro illâ magis quam pro alijs ſpeciebus cognitionis? cauſa eſt quia cognitio ut ſic non neceſſario debet eſſe judicativa, aut diſcurſiva, non poteſt autem minus eſſe quam appræhenſiva, ſicut anima ut ſic eſt vegetativa, non autem ſenſitiva, aut rationalis. Quamvis ergo riſ. deducat nos in cognitionẽ hominis, & creatura in cognitionem Dei, tamen non ſunt ſigna, quia ad hoc egent diſcurſu quo non egent ſigna, nam angeli uti poſſunt ſignis, & tamen ſecundum multos nõ poſſũt uti diſcurſu & certiſſimè bruta non diſcurrunt, & tamen aliqua eorum ſigna præbent & intelligunt, nam præter experientias, multorũque ad ſtrepitum campanæ concurrunt *d* in piſcinâ Cęſaris murena fuit, quæ nomini ſuo vocata reſpondebat, clarum eſt autẽ quod nomina ſint ſigna ad placitũ. Multo etiam magis intelligunt ſigna naturalia ut gemitus &c. Itaque ſignũ pertinet ad primã operationẽ intellectus, & perinde in definitione clarius poneretur ly appræhenſio quam cognitio.

Dices dari ſigna reſpectu iudiciorum & diſcurſuum poſſumus enim recordari enunciationum & ſyllogiſmorum propoſito aliquo ſigno ergo nõ

d [illegible]

ſolum

ſolum dantur ſigna reſpectu primæ operationis intellectus, ſed etiam reſpectu ſecundæ. Reſpondeo, negò conſequentiam, quia nimirū judicia illa & diſcurſus tum pertinent ad primam operationē intellectus, quia ſimpliciter tantum appræhenduntur ſed contra illam particulam *alterius* quod ſit falſa

6. Obijcit quidam hanc vocem *vox* itē *nomen* aut etiam ipſum hoc ly *ſignum* quæ omnia & ſingula ſe ipſa ſignificant, nam vox cum ſignificet omnem vocem debet ſe ipſam ſignificare, quæ eſt una ex omnibus: idem eſt de Ly *nomen* reſpectu nominum & de Ly *ſignum* reſpectu. ſignorū Reſpōdeo non ſufficere has inſtantias contra concluſionē: Cauſa eſt quia Ly vox[& idē eſt de alijs illis) non ſignificat omnem vocem id eſt quam libet in particulari imò nec ullam, ſed ſignificat vocem ut ſic, quæ non eſt vox ulla in particulari, licet contineat ſub ſe quamlibet in particulari; & patet ita eſſe, alias enim nunquam poſſet inferri aliquid circa vocem in particulari ex voce ut ſic, quia tum idem inferretur ex ſeipſo. &c.

Juſtius obijceretur quod ipſe ſupra tetigi de ſpeculo, in quo idem videtur eſſe ſignum & ſignatum, ſcilicet ipſa ſpecies, tum enim eſt ſignum inſtrumentale, ipſa enim in ſe obijcitur potentiæ, & excitat ad videndum objectum, quod eſt ipſamet. Reſpondeo non eſſe ipſammet quæ videtur, ſed objectum primarium reale, puta ipſe homo, qui à tergo eſt, atque ita ſemel fallitur iſte diſcurſus. Deinde ſi movet & terminat viſionem, dico eam non eſſe ſignum ſed objectum, tum enim ſe habet inſtar imaginis aut ſtatuæ, In re autem, ſpecies illa tum eſt ſignum ſive videatur ipſa, ſive non, ſi non videtur, eſt ſignum formale reſpectu viſionis ſenſitivæ, quâ videtur objectum reale puta homo retro poſitus; ſi vero videatur, eſt ſignum reſpectu cognitionis intellectivæ, ſicut ſtatua vidatur, & eſt ſignum reſpectu viſionis intellectivæ.

Dices, quidquid ſit de hoc, ſaltem in cognitione intellectiva fatendum eſt aliquando idem eſſe ſignum & ſignatum, quum v. g. recordamur præteriti, tum enim ſpecies eſt ſignum formale, & tamen eſt ipſa quæ ſignificatur, nam res illa cujus recordamur nō habet aliud eſſe niſi id quod habet in ſpeciem, ergo. Reſpondeo tamen negando ſequelam, & dico ſpeciem eſſe ſignum non autem ſignificatum, ſed hoc eſſe rem ipſam ſecundum eſſe objectivum extra, quod quidem non habet eſſe realiter, & tamen ſufficit ad terminandum actum circa ipſum: Exemplum; Concupiſco ſanitatem, & ad eam applico media puta medicamenta: Illa ſanitas movet me ſecundum eſſe reale ſine dubio (quò enim mihi eſſe cognitum ſanitatis quod habeo quoties volo?] & tamen eſſe illud reale nondum eſt niſi in apprehenſione; ita hic.

P. Hurt ad. ſp. 6. in. 7. Quorumdam doctrina eſt non ſufficere omnia hactenus dicta ad rationem ſigni niſi præterea ſit inſtitutum ad ſignificandum, ſive à natura ſive ab arbitrio hominum, ita ut quantumuis aliquid ſignificet ſine hoc, ſed non ſit ſignum. At inprimis, ſi ita eſt cur authores non addunt hanc inſtitutionem ad definitionē ſigni? Unde Toletus, qui hanc requirit & tamen omittit in definitione ſigni approbans datam ab Auguſtino, videtur mihi ſimilis antiquis logicis, qui omnes requirunt ad univerſale ut ſit unum in multis cum multiplicatione, & tamen nemo meminit hujus muliplicationis in ſuâ definitione; Habeo deinde inſtantias contra hanc inſtitutionem ſeu neceſſitatem eius. Quum video veſtes domeſtici mei recens mortui, actutum recordor ipſius, & tamen veſtes illæ non ſunt inſtitutæ ad hoc, habemus ergo ſignum ſine inſtitutione cum video mappas inferri tabulæ, intelligo horam comedendi imminere & quis inſtituit mappas in horologium, aut ſignum horarum? ſane Chriſtianus quiſque audiens montem calvariæ cogitat Chriſtum Crucifixum, & tamen Authores oppoſiti inducti videntur ad ipſum ſuſtinendum ex ſimilitudine imaginis cui non ſufficit quod repræſentet objectum niſi etjam adhoc ſit facta: ſed quis neſcit latius patere ſignum quam imaginem.

8. An cauſa poſſit eſſe ſignum effectus negant aliqui quia inquiunt, cognitio rei per ſignum eſt cognitio à poſteriori. Ita Hurt; non intelligens hanc eſſe petitionem principij, & ego oppoſitum facile oſtendo, nam nubes gravidæ, & obſcuræ ſunt ſigna pluviæ, & ſimul cauſa eius ſi non efficiens, certe materialis. Idem dico de cometis qui ſignificant ſimul & cauſant effectus extraordinarios v.g. peſtilentiam, inediā &c. Denique quid dicet meus adverſarius ad ſacramenta quæ certiſſime ſunt ſigna, & certiſſimè cauſa gratiæ etiam phyſica ſecundum ipſum, & ſuos? ergo. Ad hæc, quod ſignum non debeat eſſe poſterius ſignato aut effectus eius, patet contra ipſum in vocibus, quæ enim poſterioritas eſt in illis, aut quæ efficientia in rebus ſignificatis reſpectu earum?

9. Aliud eiuſdem dogma non probo ſcilicet in ſigno requiri reſpectum ad utentem ſigno vnde voces à pſittaco prolatæ non ſunt ſigna ſecundū ipſum, quia pſittacus non intendit uti illis tanquam ſignificativis. At non aſſentior huic, ſed oppoſito potius, nam homo audiens voces articulatas à pſittaco prolatas intelligit ſignificata earum non minus quam ſi ab homine proferrentur, quod ita verum eſt ut niſi pſittacum videat putet eas vere ab homine prolatas. Quid eſt autem ſignificare niſi ex perceptione rei alicuius per ſenſum duci in cognitionē alterius per intellectum? Præterea cum horologij pondera præveniunt horam, & caſu ſuo ſtrepitum intempeſtum cient ſtrepitus ille ſignum eſt, audientes enim excitantur ad vigiliam, & tamen nemo eum inſtituit in ſignum, huic enim determinata fuit hora longe poſt ut ſuppono, ergo.

10. Itaque ſignum eſt quod ducit in alterius cognitionem excitando ſpeciem illius in intellectu percipientis ſignum propter connexionem quam habet res illa quæ dicitur ſignum cum ea quæ dicitur ſignificatum, ſic ſonus campanæ, & clangor tubæ vocant ad chorum, & caſtra; Sic imago deducit in memoriā prototypi &c. propter connexionem & ſimilitudinem quam inter iſta novit intellectus intercedere. Vides ergo definitionem Auguſtini ſuſtineri poſſe ut abſolute vniverſalem, quia nimirum ea quæ ſub illa non comprehenduntur nec ſub ſigno compræhenduntur. ſi tamen velit quis admittere formalia pro vere ſignis, & audire definitionem unam omnium ſit, iſta: ſignum eſt quod repræſentat aliud potentiæ.

Poſſunt tamen tria huic obijci quæ non ſunt definita hic, & tamen eius competit defi-

cedunt. Redeo iam ad priora & probo ſecundum modum proprii pertinere ad hoc prædicabile; ſive non requiri illud Ly *ſoli*: ſi enim ſupponamus ſingulis diebus aut horis nova ſpecies animalis produci, aut etiam reddi poſſibiles, certè non variatur proprietas ſenſitivi ſeu loco motivi ad hominem, eodem enim modo conveniet ipſi quo ante, & tamen minus conveniet *ſoli* ipſi. Confirmo efficaciter rem, explicando confirmationem proximè præcedentem ſic: differentia ſubalterna ſpectat ad tertium prædicabile non minus quàm infima, neque vllus vnquam diviſit ipſas, aut ſolam vnam tertio prædicabili appropriavit, quin potius taxant Porphyrium quod ſignificaverit ſe oppoſitum ſentire, ex quo infero, ergo *omni ſemper* etiam *non ſoli* pertinet ad idem prædicabile ad quod *omni ſemper* & *ſoli* patet, quia differentia infima eſt *omni ſemper & ſoli*, ſubalterna, omni ſemper non ſoli: ſi ergo differentia poteſt eſſe vera talis, nec tamen competere *ſoli* quanto magis proprium? adferri etiam poteſt hæc genus quod manifeſtè eſt non ſoli & tamen eſt eſſentiale nam multo magis aliquod poteſt eſſe proprium & non ſoli, cum proprium denique ſit aliquid accidentale. Fallitur ergo qui exiſtimat Ly *omni* impertinens eſſe ad proprium, Ly *ſoli* requiri aut *omni* non pertinere niſi ad proprium vt prædicabile, cum viderimus oppoſitum evenire: nam hæc, homo eſt ſenſibilis, non eſt prædicatio alicuius vniverſalis, & tamen ad veritatem huius requiritur *omni*, non requiritur *ſoli*: Imo exiſtimo illud Ly *ſoli* omninò potuiſſe omitti in huius definitione. Moveor qui omittendo illud definitio complectetur propria tam infima quàm ſubalterna, adhibendo reſtringetur ad infima ſola: ſicut ergo in definitione differentiæ, illud *ſpecie differentibus* omnium judicio omitti potuit, imo debuit ſecundùm pleroſque vt definitio competeret omni differentiæ, ita hic videtur idipſum dicendum de *ſoli* quod ſi adhibeatur definitio reſtringetur ad propria infimæ ſpeciei ſolius, ſi omittatur extendetur ad ſubalterna.

6. Quæſitum eſt num Proprium ſemper dicat aptitudinem, an verò poſſit etiam actus eſſe proprius? Ad quod reſpondit *a* & meritò aliquis noſtrorum negativè, hoc eſt non ſolum aptitudines ſed etiam actus poſſe eſſe proprietates, quod etiam probatur inſtantiis illius, quia triangulo proprium eſt actu habere tres angulos æquales duobus rectis, inhærentia actualis eſt propria relationi. Denique Deo proprium eſt miſereri & parcere, nam quidquid ſit de his actibus in ſpecie quum non ſemper habuerit Deus materiam miſericordiæ, certum eſt aliquos actus voluntatis eſſe ei proprios atque etiam intellectus: Et deſcendo ab his Theologicis ad naturalia, videtur exemplum eſſe in proiectis quæ neceſſariò habent actu ferri ſeu moveri, quia impetus illi impreſſus non eſt actus primus ſed ſecundus. Certè autem inſtantia eſt in paſſionibus diſiunctivis nam quodlibet ens neceſſariò eſt vnum aut multa, numerus neceſſariò eſt par aut impar, columna recta aut obliqua: & in hanc claſſem exemplorum poſſunt referri differentiæ omnes eſſentiales quarum ſingulæ ſunt accidentia reſpectu generis, ſed diſiunctum eſt ei proprium v.g. ens neceſſariò eſt abſolutum vel reſpectivum: animal rationale vel irrationale &c.

a Maſtr. diſp. 4. vniv. qu. 4. art. 1.

7. Obiicio tamen contra; ſi actus ſecundus ſit *a* quando proprium alicui ſequitur [quod eſt impoſſibile] actum primum non eſſe priorem ſecundo, ergo repugnat hæc noſtra reſolutio. Oſtendo ſequelam in exemplo illo relationis, ſi enim inhærentia actualis ſit propria ei ſine dubio debet aptitudinalis ſeu potentia inhærentiæ competere ei, ab actu enim ad potentiam notum eſt valere conſequentiam. Tunc ſic, aut hæc eſt propria, aut accidentalis, aut eſſentialis. Eſſentialis non eſt ſecundùm nos, nam illa eſt eſſentialiter *ad* non autem *in*: ſi autem eſt accidentalis jam actus primus eſt poſterior ſecundo: ſi proprium ſaltem non eſt prior ſed ſimul. Explico hoc, eſſentia rei competit ei in primo inſtanti quod vocetur *A* paſſio in ſecundo quod vocetur *B* tum quæro an inhærentia aptitudinalis conveniat relationi in inſtanti B. ſi ſic, iam ſunt ſimul quod fuit intentum argumenti, nam inſtantia A, & C. non poſſunt prætendi, quia A. eſt inſtar eſſentiæ C. inſtar accidentium communium. Reſpondeo, argumentum; etſi valde apparens non poſſe habere vim, & cuivis ſolvendum eſſe, nam non ſolùm quædam proprietates conſiſtunt in actu ſed etiam quædam eſſentiæ, quia actualis exiſtentia eſt de eſſentia Dei, tum autem redit ille diſcurſus de prioritate actus primi ſeu potentiæ ad exiſtendum, debet enim aut eſſe ſimul, quod eſt abſurdum ab argumento intentum; aut prius quod eſt adhuc magis impoſſibile, nego ergo ſequelam; aut, ſi voles, diſtinguo, actus primus Phyſicus aut Metaphyſicus, qui eſt principium elicitivum aut emanativum ſecundi, cuiuſmodi actus eſt eſſentia animæ v.g. reſpectu potentiarum intellectus & voluntatis, aut ipſæ potentiæ reſpectu actuum ſuorum non poteſt ſimul eſſe cum ſecundo concedo; actus primus Logicus, id eſt non repugnantia ad actum non poteſt eſſe ſimul cum ſecundo, nego & talis eſt actus primus qui contingit in his quarum paſſio aut eſſentia conſiſtit in actu. Do huius inſtantiam in creatis, vt abſtraham à Theologiâ illâ de Deo cui actualis exiſtentia eſt eſſentialis Actio, v.g. calefactio poteſt calefacere, non tamen prius quam calefacit, quia actuale exercitium calefaciendi eſt ipſa eſſentia eius quâ nihil poteſt ei prius competere.

8. Addere poſſum vnam ſolutionem, negando minorem vniverſaliter, ſive oppoſitum eſſe impoſſibile: fateor in ſe prior eſt actus primus ſecundo, ſed in aliquo poteſt eſſe non prior, ſic animal prius eſt rationali, tamen Petrus non prius eſt animal quam rationale. Tertiò dici poteſt vtrumque eſſe altero prius, ſed diverſo modo ſicut privatio formæ prioris prior eſt inductione ſecunda, & hæc eſt illâ prior, cum ſit cauſa eius. Poſſem quarto reſpondere ſed pergo vt ſit nobis·

ACTIO TERTIA.

Vtrum Propria paſſio ſit inſeparabilis realiter ſubiecto, nec ne?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Proprium identificari realiter ſubiecto demonſtratur.*
2. *Reſponſio Thomiſtarum ad dictam probationem; reiicitur.*
3. *Alia evaſio, aliquoties refutata.*
4. *Allata inſtantia contra rationem, ſolvitur.*
5. *Probatio alia concluſionis.*
6. *Tertia probatio; omnes à poſteriori.*
7. *Probatio Scoti à priori profertur & defenditur.*
8. *Obiectio prima. An ſubiectum ſit cauſa paſſionis?*
9. *Obiectio ſecunda. Expenditur axioma celebre Scoti.*
10. *Aliæ duæ obiectiones allatæ & ſolutæ: Vbi de differentia divinorum & creatorum attributorum.*
11. *Quaſitum. An paſſio inferior excludat ſuperiorem.*

1\. RAtione ly *ſemper* poſiti à Porphyrio in definitione Proprii hic quæritur quam neceſſario inſit proprium ſubjecto, num ita ut ſolum naturali virtute ſit inſeparabile à ſubiecto; An inſeparabile ſit etiam abſoluta & ſupernaturali potentia Dei; In qua controverſia primam illam partem tenent communiter Thomiſtæ cum ſuo *a* Doct. contra quem. Dico ad quæſtionem negativè; hoc eſt proprium non poſſe ullius potentia à ſubjecto ſuo ſeparari Ita D. *Noſter b* ſæpe, hic & alibi paſſim quem præter ſubtiles ſuos ſequuntur etiam externi ſententiam late ſuſtinet Ioan. Can. 1. c Phyſ. Probatur primo, argumento à poſteriori; ſi per ullam potentiam ſeparari poſſet paſſio à ſubjecto contingere poſſet concluſionem demonſtratam eſſe falſam; Hoc autem abſolutè impoſſibile eſt, ergo ſimiliter impoſſibile eſt paſſionem à ſubiecto ſeparari Minor huius eſt Philoſophi *2. Poſter. tex* 15 & vbicumque definit aut tractat ſcientiam & demonſtrationem, quam dicit eſſe de neceſſariis & impoſſibilibus aliter ſe habere; Maior autem probatur, quia concluſio demonſtrationis potiſſimæ eſt affirmatio coniunctionis proprii cum ſubiecto vt notum eſt, ergo. Idem argumentum militat in demonſtratione *quia* ſive à poſteriori vt infra deducam: & ſane eſt efficax, & vel ſolùm ſufficit concluſioni: Vnde Adverſarii variè ipſum eludere conati ſunt

2\. Omnes tamen evaſiones ad vnam hanc reducuntur. Dicere enim poſſent non poſſe vnquā ſubiectum ſic ſeparari à paſſione quin exigat ipſam licet poſſit fieri ne habeat eam, vel ſic: poſſe riſibile v. g. & rationale ſic ſeparari, ne animal rationale ſit formaliter riſibile, non poſſe tamen vnquam ſic ſeparari ne ſit radicaliter tale, quod ſufficit. Sed hoc nec eſt verum, nec ſi eſſet, ſufficit; quod patebit examinando vtrumque, nam (quoad primum) quæro quando prædicatur & demonſtratur paſſio de ſubiecto, ſic dicendo: homo (v. g) eſt riſibilis, aut prædicatur exigentia riſibilitatis de homine aut ipſa riſibilitas: ſi exigentiā dicant, contra ſe reſpondent ſic enim paſſio erit inſeparabilis à ſubiecto, nam cum exigentia ſit inſeparabilis & ſit paſſio ſequitur quod paſsio ſit inſeparabilis ſi riſibilitas ipſa, iterum contra ſe reſpondent; nam ſic non ſola exigentia erit paſsio, ſed etiam id quod exigitur Confirmo intentum contra ipſos qui planè intendunt priorem ſenſum quod paſsio ſit exigentia ipſa. quia hoc poſito poſſemus demonſtrando inferre hanc concluſionem, ergo homo ridet: ſequela probatur. nam ſi reducatur ad ſenſum exigentiæ, eſt veriſsima & neceſſaria, certum eſt enim quod homo connaturaliter exigat actualem riſum, cum propter illum habeat aptitudinem, ſicut vniverſaliter omnis potentia eſt propter actum; hanc autem concluſionem nemo dicit eſſe demonſtrabilem, nec facit in ſcholis illum ſenſum, ſed facit ſenſum inexiſtentiæ. Tum autem manifeſtè dant manus Adverſarii, nam ſi illa concluſio eſt perpetuò & infallibiliter vera iſallabiliter erit coniuncta homini riſibilitas, quod eſt intentum.

3 Secundæ reſponſionis idem ferè eſt ſenſus, vix enim eſt aliud exigere hoc, quam eſſe virtualiter tale, atque adeo eodem argumento impugnata eſt, & vel maximè vapulat, ſecundâ illâ ratione de riſu actuali, nam etiam homo eſt virtualiter ridens, nempe habet principium vt rideat (& quid eſt aliud eſſe virtualiter tale quàm habere huius virtutem? & tamen non poteſt demonſtrari hæc, *homo ridet*, ergo. Obiter etiam occurrit mihi alia refutatio harum evaſionum, nam ſi ſenſus huius, homo eſt riſibilis, ſit iſte, homo eſt virtualiter riſibilis, ſeu habet potentiam ridendi, iam homo habet potentiam potendi ridere, quod eſt ridiculum, nec enim datur potentia ad potentiam ſed ad actum, omnis enim potentia eſt ad aliquid actu agendum ac patiendum vt conſtat. Atque ita facile eſt tam extraneas ſolutiones reiicere, habeo tamen ipſe quod contra rationem illam,

4 Obiiciam. Etſi concedatur paſsio demonſtrati de ſubiecto, idque quoad exiſtentiam, & non tantum quoad exigentiam adhuc non habetur abſoluta connexio vtriuſque in omnem eventum vt nos volumus, ſed tantum ordinaria, nam in Aſtronomia multa demonſtrantur, quæ abſolutè ſeparari poſſunt; demonſtratur enim Eclypſis Solis aut Lunæ, & tamen hæc Eclypſis non eſt abſolutæ certitudinis, ſed tantum naturalis, quia ſupernaturaliter impediri poteſt, ergo. Reſpondeo facile, ſi ſupernaturaliter impediri poteſt non fuiſſe demonſtratum, nam quid eſt opus ſexcenties repetere infallibilitatem ſcientiæ, & demonſtrationis per quam gignitur, vt debeat eſſe de neceſſariis, per ſe ſecundum quod ipſum &c. quæ ſula

T 3 proſe-

a 1. Part. q. 77. art. 1.

b Q. ... Ariſt.

proſequitur Philoſophus citatus, ac denique de impoſſibilibus aliter ſe habere, quam impoſſibilitatem repetit ſeu vult bis hic intercedere, ſemel ex parte rei, iterum ex parte potentiæ ſive ipſius demonſtrantis vt ipſe certiſſime ſibi perſuadeat [ſi concluſionem demonſtravit] non poſſe oppoſitum evenire? ex quo. Redeo ad rationem meam & confirmo eam ſic: ſi enim poteſt vllus ſeparare ſubiectum à ſua paſſione ſequitur nos nihil certò ſcire, ſed omnem noſtram cognitionem eſſe opinativam & dubium, ſeu potius nos debere de quacunque quantumvis demonſtrata dubitare, quod eſt implicantia quia deſtruit ipſam demonſtrationem vt vidimus. Sequela tamen probatur, ſi enim poteſt Deus ſeparare paſſionem à ſubiecto, vnde mihi conſtat, quod ita non faciat hic & nunc, quando ego demonſtro; atque ita poſſum, imo debeo dubitare an concluſio à me demonſtrata ſit vera? Confirmo adhuc rationem, nam ſi paſſio poteſt aliquando non ineſſe ſequitur quod non ſolum concluſio demonſtrationis ſit falſa ſed primum eius principium, nam ex præmiſſis illius demonſtrationis iſta eſt maior: omne animal rationale eſt riſibile iſta eſt falſa ergo.

5. Probo aliter concluſionem inſtantia, quæ ſit de potentiis animæ v. g. intellectu & voluntate, quas, omnes ſupponunt eſſe animæ rationalis paſſiones, ſicut aliàs potentias animæ vegetativæ & ſenſitivæ reſpectivè. Arguo ergo ſic, intellectus non poteſt ſeparari ab anima rationali, intellectus eſt eius paſſio, ergo aliqua paſſio eſt abſolutè inſeparabilis à ſubiecto; ſi autem aliqua certè omnis, vtique enim eadem eſt conditio omnium. Probo ergo maiorem, ſi intellectus ſepararetur ab anima rationali tum anima illa poſſet eſſe nec eſſe rationalis, hoc autem implicat in terminis vt vides, eſt enim idem eſſe & non eſſe ſimul, ſcilicet animam rationalem non eſſe rationalem, ergo Maiorem probo ſic, anima eſt rationalis per intellectum, eſt enim rationalis per id quod poteſt ratiocinari aut diſcurrere, [hoc nempe eſt eſſe rationale,] intellectus autem eſt id per quod poteſt diſcurrere ergo eſt rationalis ratione intellectus, atque adeo ſeparato ſeu ablato intellectu, ſi maneret ipſa irrationalis. Dices animam eſſe rationalem per differentiam ſuam eſſentialem, atque adeo eſſe rationalem ante illas potentias. Reſpondeo, verum eſt, ſed videt reſpondens an haberet ipſam differentiam ſine intellectu, certe principium ſufficiens ratiocinandi non haberet, aliàs de facto intellectus non concurreret ad diſcurrendum. Vrgeri poteſt probatio in hunc modum: ſi ſeparari poſſet paſſio à ſubiecto v. g. riſibilitas ab homine, ſequeretur quod non converteretur cum ipſo, non ſolum quia daretur homo v. g. non riſibilis, ſed quia daretur riſibile non homo, hoc ſuppono falſum eſſe, ſed probo ſequi, quia riſibilitas ſeparata ab homine poſſet in alio ſubiecto poni, quidni enim? aut quomodo id repugnant noſt o modo bene id repugnat & facilè aſſignatur ratio, quia identificatur realiter ſubiecto; modo Adv. non. Dices riſus actualis etiam ſecundum nos diſtinguitur realiter à ſubiecto, nec tamen poteſt convenire alii ab homine ſecundum Adverſarios, non ideo tamen tenentur admittere quod poſſit convenire alteri. Reſpondeo caſum eſſe diſparem hinc inde, quia ad hoc vt quidpiam reddatur riſibile ſufficit dare ei riſibilitatem, illo paſſivè ſe habente quod fieri poteſt ſi ſeparari ab homine poſſit, at verò ad ridendum opus eſt actione & conatu, qui non poteſt haberi ab eo qui non habet actum primum ſeu principium ridendi: Probo aliter de novo concluſionem, ſi proprium eſſet ſeparabile à ſubiecto ſequeretur proceſſus infinitus in paſſionibus, hic eſt abſurdus in omni ſententiâ & materiâ, ergo, probo autem ſequelam, ſeparetur riſibilitas ab homine, & tum quæro an ſubiectum homo ſit aptum natum recipere illam an non: ſecundum dici non poteſt, ſi autem dicatur primum, quæro an ſubiectum ſe ipſo ſit aptum recipere riſibilitatem illam, an verò alia aptitudine diſtincta & ſeparabili: Primum eſt intentum noſtrum iam enim aliqua paſſio eſt identificata realiter ſubiecto, ſcilicet illa aptitudo ſi autem alia aptitudine ſit aptum quæram de illa alia ſimiliter & ita aut dabis aliquam identificatam ſubiecto quod prætendimus, aut dabis proceſſum infinitum in aptitudinibus quod eſt ridiculum. Confirmatur, eatenus ponitur aptitudo ad aliquid in ſubiecto, quatenus ſubiectum poteſt & habere ipſum & non habere, vnde non ponitur aptitudo in nulla re ad habendam ſuam eſſentiam aut aliquid illius ergo, ſi aptitudo quæ eſt proprietas v. g. riſibilitas ſit ſeparabilis, ad illam dabitur aptitudo &c. vt ſupra

6. Probo etiam ſic: ſi proprium eſſet ſeparabile per vllam potentiam à ſubiecto non relinqueretur diſcrimen inter accidentia quarti & quinti prædicabilis, conſequens eſt abſurdum, alioquin illa non eſſent quartum & quintum, ſive duo prædicabilia, ſed vnum, ſequela probatur, quia diſcrimen vltimatum inter illa prædicabilia eſt ſeparabilitas vnius, & inſeparabilitas alterius, hæc non contingeret tum vt vides, ergo. Vel ſumo clarius ſic, ſi inſeparabilitas quarti non eſſet abſoluta ſed tantum in ordine ad naturalem potentiam non differret vniverſaliter ab inſeparabilitate quinti, nā etiam aliqua quinti prædicabilis ſunt naturæ viribus inſeparabilia, vt levitas & calor ab igne, intelligendo diſtributivè de ſingulis ſeorſim, frigus & humor ab aqua intelligendo ſaltem de vtroque coniunctim, ergo. Dices non ſolam hanc eſſe differentiam eorum ſed quia vna emanat à principiis intrinſecis ſubiecti, altera non. Contra ſi intelligatur emanatio propria id eſt Metaphyſica productio alicuius indiſtincti realiter à ſuo principio habetur intentum concluſionis; ſi autem productio Phyſica alicuius diſtincti realiter in hoc non eſt diſparitas, nam etiam alia accidentia, ſic emanant, & ſic petunt ineſſe v.g. frigus ab aqua. Atque hæ ſunt rationes huius à poſteriori.

7. A priori autem probatur illa argumento Doctor. cit. Quoniam non eſt poſſibile cauſam neceſſariam ſeparari, ſeu poni ſeorſim à ſuo effectu; Eſſentia ſubiecti eſt cauſa neceſſaria proprietatis ergo non poteſt illa ſeparari ſeu poni ſeorſim à proprietate, ſed enim hæc res patitur inſtantias, & tota verificatur in iis quæ ab invicem ſeparari poſſunt, v. g. Aqua eſt cauſa frigoris & humiditatis, quæ tamen ſingula poſſunt ab ea ſeparari, vt notum eſt. Hic ergo atque etiam in ſequenti obiectione num. 8. neceſſe eſt Scotum defendere, quod fiet ad propoſitum reiiciendo inſtantiam aquæ in primis quoad ſeparabilitatem naturalem ſic. Non poteſt natura ſeparare frigus ab aqua niſi inducendo oppoſitam qualitatem ſcilicet calorem, atqui non poteſt induci oppoſitum riſibilitatis homini, ergo non

poteſt

poteſt ab illo ſeparari riſibilitas, atque ita non obſtante illa inſtantia aquæ, ratio Doct. valet apparet enim longè alia neceſſitas eſſentiæ in cauſanda paſſione & alia aquæ in cauſanda frigiditat, quod ulterius probo etiam in ordine ad potentiam ſupernaturalem ſic. Non poteſt homo eſſe & non poſſe ridere, ergo riſibilitas non eſt ſeparabilis ab homine; probo antecedens ad hominé, quia ſecúdùm ipſos adverſarios non poteſt homo eſſe &c. quin ſit virtualiter riſibilis, nec aqua quin ſit virtualiter frigida; quid autem eſt hoc niſi non poſſe eum eſſe niſi habeat virtutem ridendi, quod ſine dubio eſt idem ac eſſe riſibile. Dicet forte aliquis riſibilitatem formalem eſſe paſsionem hominis, hanc eſſe ſeparabilem, adeoque ſed quorſum illa riſibilitas formalis, ſi per virtualem poteſt haberi actus ridendi, quod autem poſsit oſtendo, hoc medio. Quidquid poteſt cauſare cauſam alicuius effectus, poteſt ipſú effectum immediatè cauſare, quando cauſa & effectus ſunt vnivoca ſeu eiuſdem rationis, & differunt ſolùm per hoc quod vnum ſit actus primus, & illud actus ſecundus: ſic autem eſt in propoſito, ſic enim differunt riſibilitas & riſus iuxta adverſarios, ergo. Supereſt tantum confirmare illam maiorem, quod facio his inſtantiis: Quia enim habitus & actus ſic differunt propterea potentia quæ poteſt actum mediante habitu cauſare poteſt eum immediatè cauſare, & ignis qui calefacit mediante calore, certè ſi auferretur ei calor, poſſet calefacere aliter nunquam reduceret ſe ad calorem quod falſum eſt. Dices, nec malè; ſi diſcurſus valeret ſequi quod aqua poſſit frigefacere, ablato ei frigore cuius oppoſitum experimur. Reſpondeo negando ſequelam, neq; experientia eſt in oppoſitum diſcurſus facti, non enim habemus experientiam de aqua ſpoliata frigore niſi etiam accipiat calorem, hic ergo impedit frigefactionem.

Fit ſatis argumentis in oppoſitum.

8. Objicies hinc ipſum: omnis cauſa neceſſaria diſtinguitur realiter à ſuo effectu ſubiectum ſecundum non eſt cauſa paſſionis, ergo diſtinguitur realiter à paſſione, ex quo duo ſequuntur contra nos; nempe nos dicimus illa identificari realiter quæ ſunt inſeparabilia, hinc autem habetur ſeparabilia eſſe quæ diſtinguuntur, diſtingui autem quia cauſantur, & cauſant hinc inde. Reſpondetur diſtinguendo maiorem, cauſa Phyſica ſeu effectiva diſtinguitur realiter ab effectu concedo, Metaphyſica ſeu emanativa nego: ſi quæras quæ nam ſit Phyſica & effectiva. Dicetur eſſe illa quæ mediante actione vera cauſit; emanativa è contra quæ non utitur tali actione. Ita noſtri communiter, *a* quanquam non omnes tam exactè diſtinguant de actione & non actione ſed ſolum adhibent cauſam Phyſicam & Metaphyſicam, in quo mihi videntur (venia ipſorú) circuire aut petere principiú nam cum explicent cauſam Phyſicá per hoc quod eſt diſtingui realiter ab effectu; dicere in ſolutione quod cauſa Phyſica ſit diſtincta ab effectu, plane idem eſt ac dicere quod cauſa effectus realiter diſtincti, eſt realiter ab effectu diſtincta. Sed nec noſtra via caret ſua difficultate; Olim contra ipſam ſic árgui: Eſſentia eſt eadem realiter paſsioni ſecundum nos, ergo ſi eſſentia emanat paſsionem realiter ſive entitatem illam quæ eſt paſsio emanat realiter ſe ipſam Præterea emanans eſt prius ratione aut origine re emanata (ut ſic ſignificantius dicam,) atqui eadem res non poteſt eſſe prior ſe ipſa & quæ non evaduntur dicendo formalitatem unam eſſe poſteriorem alia, & cauſari ab ea nam argumentum currit de re quæ eſt paſsio quam probat non poſſe ſequi ad rem quæ eſt eſſentia. Adhuc contra, Emanatio illa eſt genus quoddam actionis ſeu influxus (per illam enim ſupponitur paſsio accipere ſuum eſſe) ergo non poteſt eſſe niſi rei ſingularis; atqui propria paſsio non ineſt primo rei ſingulari, ſed univerſali ergo non ineſt per emanationem. vel ſic: omnis actio, & quaſi actio accedit naturæ poſt ſingularitatem, omnis paſsio ſeu proprietas accedit ante poſt ſingularitatem, ergo nulla actio eſt propria paſsio. Minor, ſi negatur, inde probanda eſt, quia accidens proprium prius accedit rei quam accidens commune. Proprium eſt proprium ſine dubio, ſingularitas autem reſpectu naturæ eſt commune, ergo. Vt omittam quæ de ipſa actione dici poſſunt ab aliis in quorum ſententia non eſt unquam diſtincta à termino & agente. Itaque exiſtimo emanationem illam (& idem eſt in omnibus realiter identificatis) nihil aliud eſſe, quam quod eſſentia poſtulet annecti ſibi principium talium operationum, re autem vera cauſam paſsionis eſſe illam quæ eſt cauſa eſſentiæ, idque totaliter ut nulla actio relinquatur eſſentiæ reſpectu eius, quo non obſtante retinendus eſt modus ille communis loquendi de emanatione & tantum intelligendus ut monui jam dictis.

a Poncius ...tat. & ...ſp. & ...8 q. 2.

9. Objicies 2. Omne prius in quantum tale poteſt eſſe abſque poſteriori; ſubiectum eſt prius paſſione, & præterea abſolutum quid,) quod inter eſt plurimum, & prævenit inſtantiam de relatione quæ non poteſt eſſe abſque correlatione) ergo poteſt ſubiectum eſſe abſque paſſione. Major eſt principium familiare ſubtilibus ex D. 2. d. 12 q. 2 num. 3. Vbi per ipſum probat materiam poſſe eſſe abſque forma. Confirmatur: nullum prius dependet à poſteriori, ſubjectum eſt prius paſsione, ergo non dependens, ſi autem non poſſet eſſe ſine illa, utique dependeret ergo. Reſpondet aliquis maiorem eſſe veram in iis quæ realiter diſtinguuntur ſecus in illis quæ identificantur, ut contingit ſubiecto & paſsioni; ſed quam rectè, quum ratio hæc ſi quid valeat, probet non identificationem eorum, atq; ita hæc ſolutio videtur eſſe pœnè aut etiam penitus repetitio principii. Alius reſpondit ita eſſe ſemper, niſi ubi occurrit ſpecialis repugnantia occurrit autem in propoſito, adeoque. Sed ſi poſsút occurrere huiuſmodi repugnantiæ jam illud principium eludi poteſt pro cuiuſque libitu, & quum uteretur eo D. ad probandam ſeparabilitatem materiæ & formæ vel viciſsim ſtatim redigi potuit ad ſilentium ab adverſario prætendente repugnantiam. Itaque reſpondendum eſt ad argumentum negando maiorem in illis terminis qui non ſunt Doct. ſed ait Doct. *Abſolutum diſtinctum & prius alio abſoluto poteſt abſque contradictione eſſe ſine illo.* In hac autem forma nego minorem argumenti, nam non eſt hic aliud, & aliud, ſed utrobique unum, quia ſubiectum & paſsio ſunt una res. Erat ad propoſitum Doct. principium illud quia conſtabat materiam diſtingui realiter à forma, & dubitabatur de eius ſeparabilitate: ego merito utar eo contra quoſdam, qui exiſtimant ſe Scotiſare, dum tenent totum à partibus diſtingui; quia principium illud deſeruit ad probandam ſeparabilitatem diſtinctorum non autem ipſa diſtinctionem; & ex his patet ad confirmationem nam etiam dependentia exercetur inter plura quum idem non poſsit dependere à ſe: hic autem non ſunt plura ſed unum; atque ita conceden-

ceden-

cedendum eſt totus prior ſyllogiſmus, & negandum ſub ſumptum, non enim ideo repugnat ſubjecto eſſe ſine paſsione, quia dependet ab ea, ſed quia eſt idem ipſi, ſicut etiam non poteſt eſſe ſine ſe ipſo & tamen non dependet à ſe. Ad ipſum autem medium in ſe puto non eſſe repugnantiam aut abſurdum quod prius dependeat à poſteriori. Sic genus eſt prior differentia, & tamen dependet quo ad eſſe à differentia, (intelligo contractivā.) Materia eſt prior forma & tamen dependet, forma denique ipſa eſt prior accidentibus & tamen dependet ab illis, itaque illa prioritas naturæ reddit ſic prius independens quoad intelligi, non quoad eſſe.

10. Objicies 3. Attributa divina quæ ſunt quaſi paſsiones eſſentiæ, identificantur realiter tantum eſſentiæ divinæ quæ eſt quaſi ſubjectum earum, ergo creatæ paſsiones non identificantur realiter ſuis ſubjectis, quia nimirum multo maior identitas & ſimplicitas concedenda eſt divinis quam creatis in omni ordine. Hoc argumentum eſt ad hominem contra Scotiſtam, nam Thomiſta quis poneret etiam formalem identitatem inter illa, facilè evaderet negando maiorem: Ego autem nego conſequentiam, & oſtendo Adverſario negandam; nam ſi valet illa, nullius rei extra Deum paſsio identificatur ei quod eſſe falſum apud ipſos, etiam conſtat in ente, nam ens identificat ſibi unitatem bonitatem &c. itaque non differunt divina à creatis in omnibus, ſed conveniunt in nonnullis ex quibus hoc eſt unum. Objicies ultimo nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale ſimul: eſſentia rei v. g. hominis eſt virtualiter riſibilis ergo non eſt formaliter talis. Huic putavit aliquis a ſe reſpondiſſe exemplo ignis, qui eſt virtualiter calidus quatenus poteſt producere calorem, & formaliter per calorem receptum; Sed enim non ſufficit ei exemplum ad negandam majorem illam in omni ſenſu; quod ut pateat, formetur ſic illa: Nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale per eandem formam: quo dicto ſufflatur inſtantia ignis, nam non eſt eadem realiter forma qua ignis eſt virtualiter, & qua eſt formaliter calidus: eſt enim ſua ſubſtantia virtualiter calidus, formaliter autem accidentè ſuperaddito. In hac autem forma, probo argumenti maiorem quia nulla una forma poteſt dare plures effectus formales ſpecie diſtinctos. At vero eſſe virtualiter, & eſſe formaliter tales ſunt actus ſpecie diſtincti, ergo. Sed etiam ſic formato argumento nego vel diſtinguo maiorem ſic: nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale per eandem realiter formam nego, per eandem tam realiter quam ſpecificè ſive ré & ratione concedo, & ita hic contingit ſubjectum & paſſio ſunt unum quid realiter diverſum ſive plura formaliter & ratione; atque ita poſſunt reddere virtualiter & formaliter tales; & niſi hoc ita foret genus & differentia, Eſſentia & ſingularitas non darent diverſas denominationes; nam etiam hæc ſunt una res.

a Ponc. ſup. d. 8. q. 2.

11. Quæritur utrum paſſio inferior includat ſuperiorem? Reſponde quod ſupra dictum eſt in ſimili de differentiis, nam etiam Propria ſunt differentiæ, etſi non propriiſſimæ. Vlterior ratio eſt quia ſi includeret inferior paſſio ſuperiorem, tum inferior non eſſet propria, ſed ſecunum aliquid commune: v. g. riſibilitas vel alia paſsio hominis ſi includeret paſsionem animalis non eſſet ipſa tota propria homini. Sed hæc ratio non eſt plena, neque aliæ ſupra videntur hic locum habere, unde de hoc denique ſum dubius. Sed quid ad illud, an includat genus aut differentiam ſubjecti? an riſibilitas v.g. includat animal aut rationale videtur enim quod ſic quia exercitium paſsionis includit exercitium generis v.g. riſus actualis includit ſenſationem. Deinde quis dubitet quin riſus ſit actus vitalis? atque ita includit exercitium vitæ ex quo ſequitur quod riſibilitas includat rationem viventis quod eſt genus. Denique admiratio (quæ ponitur paſsio hominis) eſt aliqua ratiocinatio, atq; adeo includit differentiam quæ eſt rationale, & ſi non ipſe actus ſecundus admirationis, ſaltem admirativitas quæ eſt actus primus & paſsio, nec refert quod non includat ratiocinationem hoc eſt diſcurſum, nam ſi hoc requireretur, nec ſimplex apprehenſio eſſet exercitium rationalis in homine, ergo. Puto tamen probabilius reſponderi negativè. Primum & ſecundum argumentum ſupra ſoluta ſunt in ſimili Apolog. præced act. 5, num. 6. & ſimiliter ſolui tertium poſſet; ſed non eget ea ſolutione, nam admiratio non videtur eſſe actus ſed mera paſsio, ſicut verecundia aut dolor. Cur autem reſponderim ad quæſitū negativè, cauſa eſt, quia ſi riſibile v.g. includeret animal aut rationale, tum homo eſſet bis animal, aut bis rationale, ſemel per genus aut differentiam, iterum per paſsionem. Deinde ſi riſibile includeret rationale, tum animal cauſaret rationale actu, quum tamē non includat ipſum niſi in potentia. Nec valet quod non cauſet ſe ſolo rationale, ſed cum alio, nam neque cum alio poteſt cauſare niſi includat ipſum in virtute ſua actu ſaltem partialiter, & alia huiuſmodi addi poſſunt quæ omitto.

Agunt de Proprio.

Porphyr. *hinc cap.* 5. S. Auguſtin. in Catheg. cap. 9. & lib. 4. de Trinit. cap. 3, & 4. Albertus Magnus *tract. 6. de Propr. cap. 1. & tr. 7 cap. 1.* Och 1. *p. Log. cap* 24. & *in expoſit cap. de Proprio* Albertus parvus *q. un. de propr.* D. Th. *opuſc.* 48 cap 7. Lovanienſ & Canter in *hoc cap.* Arago *lib. 3. Met.* Gallego hic *controv. 18* Ioan. de Magiſt. *q. 9. Log* Ioan. Anglic. & Brabavol. ſuper q. 30. & unic. Scot. cap. 1. *diſt. 3. q. 3.* Caet. 1. *p. q. 52. ar. 3.* Socin. 8. *Met. q. 1 ad* 4 Ferrarien. *4. contr. Gent. c.* 65. Soto *q. 2. de Propr.* Bannes 1. *p. q. 73. ar.* G. Tartar. de prop. *dub. 1. 2.* & Ioan. Canon. 1 *Phyſic. q. 4. ar. 2.* Trumbeta 4. *Met. q. 4.* Lychez *q. 3 prolog.* Faber. *4. Met diſp. 6.* Flandria 5 *Met.* Maſsius *cap. de Propr.* Fonſeca 5. *Met. c.* 29 *q. 19* Gregor *2. d 16. q. 3.* Gabriel 161. *q. 1.* Marſil. 1. *q 7. ar. 3.* Durand. 2. *d. 3. q* 2. Conymb. in *Coment. huius* cap. & q. *de Prop. artic. trib.* Complutenſ. hic *diſp. 8.* Averſa *q. 10* Rodriq. & Mauritius in *expoſ. q. 30. Vn. Doct.* Poncius. Merſnet. *propria diſp.* Maſt. & Bell. *diſp. 5. q. 4.* Amicus tract. 8. *Logic.* Hurt. Ariaga Oviedo & *Recent. ſupracitati.*

APOLO-

APOLOGIA VLTIMA.
DE ACCIDENTE QVINTO PRÆDICABILI.

Act. I. Examinat definitionem illam Accidentis. Quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem.
Actio II. An & quomodo Accidens ſit univerſale diſtinctũ à Proprio? & alia ſparſim de utroque prædicabili reſolvuntur.

Scot. 7. Met. q. 4. num. 1.

QVod non ſit intentio Philoſophi negare omnem entitatem formaliter ab accidentibus præter entitatem ſubſtantiæ actu, videtur Philoſophi 4. Phyſ. tex. com. 58 poſito quod in aliquo ſpacio ſit tantum ſonus quærit utrum illud ſpacium ſit vacuum? & reſpondet quod ſi in ſpacio poteſt recipi corpus vacuum eſt, ſi non, non eſt vacuum. Poſito ergo quod accidens non poteſt eſſe ſine ſubiecto, ſequitur contradictoria ſimul vera videlicet quod ibi ſit corpus & quod non

Idemque 2 prædicab. n. 2.

Ad quæſtionem dicendum quod Proprium & Accidens *ſunt diſtincta univerſalia, quia accidentium quædam ſunt ab intrinſeco; & hoc vel ratione materiæ, ut quantitas, vel qualitatum activarum ſicut qualitates ſenſibiles quædam ab extrinſeco, & hoc dupliciter; vel manent amoto illo extrinſeco, ut nigredo ab æſtu, vel non manent, ut calor vel figura aquæ quæ ſibi relicta redibit ad propriam naturam Nullum iſtarum eſt proprium quia nullum convertitur, eſt enim defectus in aliqua trium particularum requiſitarum ad convertibilitatem, vel in omnibus.*

ACTIO PRIMA.

Examinat definitionem illam Accidentis *quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem.*

BREVIARVM.

Nu. 1. *Defenditur definitio Accidentis. difficultas cõtra eam*
2. *Secunda difficultas etiam ſoluta, num aliquod ſit inſeparabile?*
3. *Solutio huius, & diſcrimen quarti ac quinti prædicabilis.*
4. *Tertia obiectio conſequentiæ à coniuncto ad diviſum, qualis?*
5. *Accidens, num ſit prædicabile de ſpecie an tantum de numero differentibus?*

1. EXamen autem ad duo extendetur, ſive ad vnum dupliciter ſumptum, ſcilicet ireſolvam an illa deſcribat accidens reale, ſive primò intentionaliter ſumptum? & deinde an accidens prædicabile ſive ſecundo intentionaliter ſumptum. Dico autem illam bene convenire accidenti realiter ſeu primò intentionaliter ſumpto; hoc eſt materiæ ſeu ſubſtrato quinti prædicabilis. Ita D. qu. 35. prædicab. & cum eo ſui omnes atque etiam externi ſemper vſque ad noſtrum ſæculum in quo Recent. aliqui corrigere eam, & carpere authorum ſolent Probanda eſt ſolutionibus obiectionum, quas claritatis cauſa, diſponam ſeorſim ab invicem in duas claſſes & primò eas quæ faciunt contra particulam *adeſſe*; adverſus quam. Obiiciuntur mors, conflagratio, calor ſummus, & ſimilia quæ non adſunt niſi cum ſubiecti corruptione, nam mors corrumpit ſive deſtruit animal, conflagratio lignum, calor ſummus aquam, & tamen ſunt accidentia de quibus hic. Hæ enim prædicationes, homo moritur, lignum ardet, aqua calefit, & ſimiles ſunt quinti prædicabilis ergo. Iſtæ inſtantiæ magnam moleſtiam attulerunt omni ævo Logicis, vt apparet ex ipſorum inventionibus ad evadendas eas. Puto tamen facile reſponderi ſi notetur verus ſenſus propoſitionum. atque etiam verum ſubiectum: Nego ergo minorem, ſive iſta eſſe accidentia illorum ſubiectorum, non enim mors eſt in homine vt ſubiecto, ſed in materia, eſt enim ſeparatio animæ à corpore atque adeo corpus eſt ſubiectum eius ſicut eſt ipſius animæ. Idem eſt de ligno reſpectu ignis, non enim lignum ardet, ſive habet formam ignis [niſi vulgi æſtimatione] ſed materia. Denique nunquam ineſt ſummus calor aquæ, ſed aliquis infra ſummum: quod autem præter Phyſicam veritatem horum, ita etiam Logicè dicendum ſit, oſtendo; nam ſi homo v.g. eſſet ſubiectum mortis tum homo morte non moreretur, & ſic de aliis illis, quod eſt nimis falſum patet autem ſequi, quia ſi ſubiectetur mors in homine debet ad minus pro aliquo inſtanti eſſe in eo, atque ita adhuc exiſtere non obſtante ipſius morte, quod ſufficit conſequentiæ probandæ, ſed præterea ſequitur quod etiam tota æternitate poſſint ſimul eſſe, nam qua ratione poteſt homo vno inſtanti ſtare cum ſua morte certe poteſt duobus & ducentis &c. Dices; transferamus rem extra hos terminos, & dicatur ſic: Deſitio hominis non poteſt intelligi adeſſe ei ſine eius corruptione: Deſitio eſt accidens ei, ergo aliquod accidens non poteſt intelligi adeſſe ſine ſubiecti corruptione. Reſpondeo adhuc negando Minorem, quia quando deſitio eſt, homo non eſt, deſinit enim homo per primum ſui non eſſe, ſic explicandum: Iam non eſt homo, immediatè ante fuit. Itaque non eſt inſtans aliquod, (vt imaginatur arguens) medium inter eſſe & non eſſe hominis quod ſit menſura deſitionis eius. Adhuc tamen ex hac ipſa ſolutione inſtaurari poteſt argumentum, quia licet homo deſinat intrinſecè & inſtantaneè, ſunt tamen aliqua quæ non ita, ſed deſinunt ſucceſſivè & in his datur tempus medium inter eſſe & non eſſe quod eſt tempus deſitionis, talia ſunt motus, tempus, & ſi quæ alia ſucceſſiva, ergo in his ſaltem contingit dari accidens quod non adeſt niſi cum ipſorum corruptione. Reſpondeo videri hic eſſe diſparitatem ſed revera omnia eſſe ſimilia quia videlicet pars ſucceſſivi quæ deſinit in tempore non habet eſſe illo tempore quo deſinit, adeoque verè non adeſt ei deſitio, quia vt adeſſet deberet vtrumque eſſe, id eſt pars & deſitio ſimul, quod non contingit. Obiicitur contra illud *abeſſe* accidens inſeparabile, quale ipſe Porphyrius admiſit, qui proinde videtur ſibi contradixiſſe, nam eſſe inſeparabile & poſſe abeſſe, idem eſt ac eſſe & non eſſe inſeparabile; poſſe & non poſſe abeſſe: ſunt autem multa huiuſmodi, talis enim eſt nigredo in corvo, candor in nive, lux in corporibus cœleſtibus, figura in corpore finito, vmbra item in corpore illuminato & ſimilia; quæ alii notarunt. Mihi autem plus videntur hic facere iſtæ & ſimiles inſtantiæ: differentia in genere v.g. rationale in animali, individualitas in ſpecie v.g. Petreitas in natura humana, & ſi quæ talia ſint. Clarum eſt enim iſta non poſſe ſeparari à ſubiectis, multa & mira videas ad hæc ab authoribus excogitata, quæ quũ ſint explicationes Porphyrii certum eſt nunquã veniſſe in mentem Porphyrio: Et quod plus eſt, non

D. Th. de ver. creat. art. 3. lib. 3. c. 43. Iac. Soto ...

non veniunt ad rem, ergo dupliciter reſpondebo, primò ad mentem Scoti & Porphyrii: nempe vidit ipſe Porphyrius difficultatem, & ſolvit eam dicendo quod inſeparabile illud puta nigredo corvi, poſſit ſaltem cogitatione ſeparari, quamvis revera in translatione Boetii, non videantur ea verba à Porphyrio in hunc finem poſita. Quæ enim connexio horum: *Dormire quidem ſeparabile accidens eſt, nigrum vero eſſe, inſeparabiliter corvo & Æthiopi accidit, poteſt enim intelligi & corvus albus, & Æthiops abiiciens colorem præter ſubiecti corruptionem.* Mihi ſatis eſt Scotum ſic reſpondiſſe, vnde ita primò Reſpondeo ſed contra hanc viam facit vulgaris replica quod ſic nō diſtinguetur propriū ab accidente, Nam etiam ſine proprio poteſt ſubiectum intelligi. Reſpondetur, aliter poſſe ſubiectum intelligi ſine proprio, & aliter ſine accidenti: nam ſine accidenti ita poteſt intelligi ſubjectum vt etiam intelligatur eſſe ſub oppoſito; ſine proprio non ita, v.g. poteſt corvus intelligi cum albedine, non tamen homo cum hinnibilitate. Ita plures ex quibus eſt D. N. a propter quod ſolutio admitti poteſt; ſed non cogimur admittere eam, quia in priori loco apud Scotum non eſt ſolutio; in ſecundo non eſt de mente eius. Et verò quorſum ad abſentiam vnius oppoſiti, præſentia alterius? quod facit ad hoc vt albedo poſſit abeſſe quid nigredo poſſit ineſſe? [hic autem ſumus in examine *abeſſe* præciſè, nonne ſunt duæ mutationes iſtæ: nonne nigredo poteſt abeſſe alicui, cui albedo non poteſt adeſſe; Aliter ergo reſponderi poteſt negango ſequelam, cuius ratio notanda eſt iſta, quia ſine proprio non poteſt intelligi ſubiectum niſi tantùm pro primo inſtanti, quo nondum emanavit ſine accidente autem communi poteſt ſemper. at verò abeſſe pro primo inſtanti non ſufficit ad propoſitum, quia abeſſe hic eſt ſeparatio alicuius coniuncti, ſed in illo inſtanti non fuit coniuncta paſſio ergo. Confirmo ſolutionem: accidens quinti prædicabilis definitur per adeſſe & abeſſe coniunctim, nunquam autem contingit hoc reſpectu proprii, quia in primo inſtanti non eſt aptum adeſſe, in ſequentibus non eſt aptum abeſſe, ergo. Maior huius inde patet quia aliàs albedo poſſet dici accidens Angeli & Dei, nam clarum eſt quod poſſit abeſſe his; Ex quibus videas quàm bellè quidam Recentior b dixerit Ly & accipiendū eſſe diſiunctim: vt ſit idē quod *vel* quia neq; poteſt ſic accipi, neq; debet hic vt patet aliàs quodlibet eſſet cuiuslibet accidens quia poteſt adeſſe *vel* abeſſe ei v.g. albedo Deo. Dices ipſū abeſſe ſufficit vt formentur propoſitiones de prædicato dicendo Deus nō eſt albus. Reſpondeo nihil minus facere ad rē Adverſarii, quā hoc quia illa prædicatio non eſt quinti prædicabilis cum ſit neceſſaria: hæc primò. Secundò reſpondeo omne accidens quinti prædicabilis eſſe realiter ſeparabile, nam prima illa quorum aliqua recenſuit Porphyrius ſunt in facto eſſe ſeparabilia per potentiam ſaltem ſupernaturalem Dei, ſcilicet albedo, nigredo, lux, quātitas, & qualibet figura in particulari: Alia illa quæ plus faceſſunt negotii, ſcilicet differentia ſpecifica à genere, & numerica à ſpecie, dico eſſe ſeparabilia in ſenſu diviſo, etſi nō in ſenſu compoſito; eſt dicere jam non poteſt ſeparari ab animali quod eſt in homine rationalitas tamen potuit non fuiſſe ei coniuncta, potuit enim illud animal quantum eſt de ſe fieri irrationale & idē eſt de homine cui coniuncta eſt Petreitas, potuit enim quantum erat de ſe coniungi ei alia differentia numerica vt fieret Paulus aut Andræas.

a q. 31. & 35. univerſ.

b Hurt. diſput. & ſect. 6. Log.

4. Obiicies partes definitionis per ſe conveniunt definito, ergo adeſſe per ſe convenit accidenti; ſi autem *adeſſe* per ſe ei cōvenit nunquam, poterit *abeſſe* ei convenire. Confirmatur, omne accidens neceſſariò ineſt, quia inhærentia eſt de eſſentia accidentis, ergo. Hoc argumentum ex Doct. tacito nomine deſcripſit Rec. quidam hic Reſpondet ergo D. negando antecedens, ſive negando potius hanc eius probationem, quæ adhiberetur ei negatæ: accidens per ſe adeſt & abeſt: ergo accidens per ſe adeſt eſt enim à ſecundùm quid ad ſimpliciter, ſimilis iſti: contingens neceſſariò eſt contingens, ergo contingens neceſſariò eſt. Sed contra hanc ſolutionem inſtat ipſe ſubtiliter ſic: à genere poſito ſub differentiâ tenet conſequentia ad genus ſimpliciter: ſequitur enim; eſt animal rationale, ergo eſt animal: At verò totum hoc *adeſt & abeſt* eſt hic poſitum loco differentiæ ergo conſequentia tenet etiam ad partem. Reſpondet ergo denique ipſe Subtilis *per ſe* convenire accidenti ſi *per ſe* ſit determinatio inhærentiæ, non verò ſi ſit determinatio inhærentis; quod eſt dicere ineſſe per ſe convenire accidenti, at verò accidens non per ſe convenire ſubiecto. Simile eſt de vniverſali vt ſic, cui per ſe convenit prædicari de multis, & tamen quintum prædicabile per accidens prædicatur de multis, quia nimirum prædicari per accidens, per ſe ei convenit. Brevius tamen diceretur ad antecedens primi argumenti partes definitionis coniunctim convenire definito, non verò ſeparatim vniverſaliter. Partes principales definitionis bene verum eſt quod verificentur etiam ſeparatim de definito, ſcilicet genus & differentia, at verò partes partiū non item. Hic autē Ly *adeſt* eſt pars partis ſcilicet differentiæ quia totum hoc *adeſt & abeſt* eſt differentia accidentis.

5. Fateor tamen accidens ſecuriùs & faciliùs definitum iri ſic. *Eſt prædicabile de pluribus in quale contingenter.* Quæres tamen de hac ipſa an accipienda ſit de pluribus numero differentibus, an de pluribus ſpecie, an de vtroque modo diverſis, ne laboremus in æquivoco? reſpondeo poſſe formari prædicationes quinti prædicabilis de ſubiecto communi dicendo, homo eſt albus, equus eſt albus &c. ſed quia hæ non ſunt immediatæ, cum ſint veræ ratione harum, Petrus eſt albus, Bucephalus eſt albus &c. ſi requiratur ad vniverſale prædicatio immediata intelligendā eſſe definitionem de differentibus numero; ſed vt monui, hoc eſt improbabile, & patet tale eſſe ex prædicatione generis de individuis, nam hæc omnia de individuis mediatè tantùm prædicantur. Dices primò differentiam & proprium non prædicari de pluribus ante individua, quia licet immediatiùs prædicetur de ſpecie, illa tamen eſt vna tantum, ſeu vnum ſubiectum. Reſpondeo verum eſſe id de differentia & proprio infimis, ſaltem de ſubalternis. Dices ſecundò acriùs, hæc, homo eſt albus non verificatur niſi ſuppoſita veritate huius, Petrus eſt albus, at verò ſuppoſita veritate huius illa eſt neceſſaria; atqui nulla neceſſaria eſt quinti prædicabilis, ergo nec illa. Reſpondeo ſi valeret argumentum probaret quod hæc ipſa, Petrus eſt albus, ſaltem hæc, Petrus eſt coloratus, ſit neceſſaria, atq; ita non quinti prædicabilis; patet: quia hæc, homo eſt coloratus eſt neceſſaria ſuppoſita veritate illius, Petrus eſt albus. In forma ergo diſtinguo ſubſumptum, eſt neceſſaria neceſſitate conſequentiæ, cōcedo, neceſſitate conſequentis nego conſequentiā ita.

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO SECVNDA.

An; & quomodo accidens ſit Vniverſale? An diſtinctum à Proprio & alia ſparſim de utroque prædicabili reſolvuntur.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Prima difficultas circa accidens num ſit univerſale.*
2. *Secunda: An univerſale debeat latius patere ſuo ſubjicibili.*
3. *An accidens ſit diſtinctum prædicabile à Proprio.*
4. *Singulare poſſe eſſe quartum univerſale.*
5. *Accidens requirit ſui & ſubiecti exiſtentiam.*
6. *Dari tamen caſum in quo eam non requirat:*
7. *Nihil quinti prædicab. ineſt à natura.*
8. *Aliquid quinti prædicabilis contineri poteſt ſub quarto prædicabili*
9. *Inferiora Accidentis quæ?*
10. *An idem poſſit eſſe in quarto, & quinto prædicab.*

1 QVoad primã partem Concluſio affirmativa poſita eſt ſupra Apol. 1. act. 5. ſupereſt hic ſolvere obiectiones quas ponam primò contra abſolutam rationem Vniverſalis in Accidente, deinde tractabo diſtinctionem eius à proprio. Objicies ergo primo Vniverſale exigit identitatẽ ſui cum inferioribus, accidens non exigit, imo neque admittit eã, ergo accidens non eſt univerſale. Maior patet ex prædicationibus, quæ in omni uniuerſali exercentur per verbum *eſt*; at vero To *eſt* importat identitatem prædicati ſui cum ſubiecto aliquam; non formalem aut eſſentialem, illa enim redderet prædicationem identicam, ergo realem, quæ fuit maior probanda. Minorẽ autem probant iſtæ: paries eſt albus, homo ridet & in quibus patet prædicatum diſtingui realiter à ſubiecto, ergo, Reſpondeo primo argumentum ſolvendum eſſe arguentibus, nam nec proprium identificatur realiter ſubiecto ſecundum ipſos ut viſum eſt. Reſpondeo ſecundo, patet quod Ly *eſt* non importat identitatem realem extremorum quorum eſt copula, alias quandocumque haberetur eiuſmodi identitas propoſitio eſſet vera, quod tamen falſum eſt, ut conſtat ex iſtis. Petreitas eſt humanitas. Paternitas divina eſt ſpiratio activa in quorum utraque prædicatum identificatur realiter ſubiecto & tamen Logici primam negant, Theologi ſecundam. Deinde ſi Angelus aſſumeret hypoſtaticè hominem; in iſta; Angelus eſt homo; non haberetur identitas prædicati cum ſubiecto, aut aliqua parte eius, nam & natura, & hypoſtatis angeli diſtinguitur ab humanitate cum hypoſtatis diſtinguatur ab ipſa etiam Angeli natura. Denique non eſt opus exemplis, nam hæc: paries eſt albus licet pro nunc dubium ſit an ſit prædicatio alicuius univerſalis, tamen certum eſt quod ſit vera, & tamen non identificatur albedo parieti. Itaque Ly *eſt* importat tantum quod prædicatum faciat unum cum ſubiecto, (quale facere poſſunt realiter diſtincta ut patet in materia & forma) non autem quod faciat idem; & hæc mihi videtur genuina huius explicatio: dicere enim quod habeatur hic identitas realis, eo quod non prædicetur albedo ſed ſubiectũ, ut ſenſus ſit, paries eſt res habens albedinem, redit in idẽ abſurdũ, nam adhuc albedo involuitur in illo prædicato ut vides, & tamẽ nõ identificatur

2 Obiicio 2. Vniverſale debet latius patere quam ſubiicibile eius, oppoſitum contingit in accidenti, ergo oſtendo minorem, nam cum dico lignum eſt albũ, ſaxum eſt album, quæ ſunt prædicationes accidentis, Ly *album* quod eſt prædicatum non latius patet quã ſubiectum v. g. lignum, ſicut enim datur album quod non eſt lignum, puta ſaxũ, ita datur lignum quod non eſt album ſcilicet ebenus, ergo. Reſpondeo hoc argumentum facere etiam contra priora prædicabilia quæ tamen omnes admittunt. Hoc oſtendo, nam cum dividitur ens v.g. in abſolutum & reſpectivum atque iterum in ſubſtantiam & accidens, iſta eſt eſſentialis: Relatio eſt accidens, eſtque prædicatio generis ſicut etiam iſta: Quantitas eſt accidens, & tamen dantur relationes quæ non ſunt accidentia, ſcilicet divinæ. Iterum ens ſpirituale commune eſt ſubſtantiæ & accidenti, & tamen exceditur à quolibet eorum non minus quam excedit ea, ſicut enim datur ens ſpirituale quod non eſt ſubſtantia puta accidens, ita datur ſubſtantia quæ non eſt ens ſpirituale puta lignum.

3. Dixi ſuo loco ſupra *a* hæc duo ultima prædicabilia bene poſſe redigi in vnum, atque ita vniverſalia probabiliter numeranda eſſe quatuor; contra quam reſolutionem hic moveo ſequentia dubia pro maiori rei claritate; Itaque probavimus ibi iſta duo non diſtingui quia ambo prædicantur in quale accidentale, & per modũ partis aut quaſi partis; quod verò deinde prædicetur vnum contingenter, & alterum neceſſariò eſt ex parte materiæ quæ ad Logicam non ſpectat adeoque nec variare debet res Logicas, vt ſunt prædicabilia. Contra autem facit quod ſi argumentũ quidquam valet, probat etiam nec differentiam à proprio diſtingui, quia vtrumque prædicatur in quale, & per modum partis aut quaſi partis; quod autem vna forma ſit eſſentialis, alia non, dici poteſt eſſe ex parte materiæ quæ ad Logicam non ſpectat, adeoque Reſpondeo diſparem eſſe caſum, quia hic non ſolum materia eſt diverſa, ſed modus ineſſendi qui ad Logicam ſpectat, nam differentia ineſt & prædicatur in quale quid proprium autem in quale tantum ſeu in quale non quid, Obiici ſecundò poteſt; Eſſentiale commune & eſſentiale proprium faciunt diverſa prædicabilia ergo accidens commune faciet diverſum prædicabile ab Accidente Proprio; cur enim magis illa quam hæc? antecedens autem conſtat verum eſſe in genere & differentia, ergo. Sed hoc non multum facit, nam genus & differentia non ideo faciunt duo prædicabilia quia ſunt proprium & commune ſed aliunde, quia nimirum Vnum prædicatur in quid, & alterum aliter. Inſtari tamen poteſt ſic; proprium & commune eſſentiale habent (vndecumque veniant) annexos duos modos prædicandi, & ineſſendi diverſos, ergo etiam proprium & commune accidentale. Reſpondeo negando conſequentiam quia omnia accidentia ſunt vniuſmodi, non autem omnia eſſentialia, non enim dantur accidentia quorum vnum ſit in quid & alterum in quale, dantur autem eſſentialia talia adeoque dixi ſingulare poſſe eſſe vniverſale quinti prædicabilis, idque ſupra ſuo loco probavi; hic

a Apolog. 1. Vniverſ. Act. 5. n. 7

4. Addo aſſertioni, ſingulare poſſe eſſe etiam Proprium, quantum ad præſens; probo inſtantiã ſpirationis activæ in divinis quæ eſt propria aut quaſi propria, nec enim eſt accidens commune Deo, quum emanet inſeparabiliter, hæ ergo prædicationes, pater eſt ſpirans, filius eſt ſpirans, non ſunt quinti prædicabilis. nec priorum trium, quia prædicatum non eſt cõſtitutivum ſubiectorum, adeoque. Dices contra probationem concluſionis, albedinem non prædicari ſed album. Reſpondeo hoc maledici, primò quia prædicari album non negat prædicari albedinem, ſed affirmat potius, quia album eſt albedo in concreto. Deinde quocumque ſe vertat Adverſarius in illo prædicato nihil eſt pertinens ad quintum prædicabile niſi albedo. Obiicitur acriùs contra concluſionem ipſamet concluſio, quæ videtur implicare in terminis, quia ſingulare pugnat cum vniverſali, ad hæc videor ſupra reſpondiſſe, vnde pergo hic, &

5 Dico tertiò quintum prædicabile requirere ſui & ſubiectorum exiſtentiam, hanc ſtatuo contra abſolutè negantes eam, nam & ipſe infra oſtendam eam aliquando eſſe falſam Probo interim eam, accidens debet eſſe prædicabile de ſubiecto contingenter, non eſt ſic prædicabile niſi ſecundùm eſſe exiſtentiæ, ergo. Minorem probo, (Maior enim conſtat ex definitione accidentis) quia quod contingenter prædicatur, ita dicitur vt poſsit negari, quod ſic ſuadetur; aut enim affirmatur actualis inhærentia de ſubiecto, aut aptitudinalis; ſi ſecundum, habetur intentum argumenti. ſi enim prædicatur id quod non poteſt negari, ſi primũ habetur etiam intentum concluſionis, tum enim requiritur actualis exiſtentia ergo. Tentavit aliquis evadere hoc argumentum, dicendo non poſſe quidem

haberi exercitium prædicationis quinti prædicabilis, niſi exiſtentibus extremis, adhuc tamen habere vniverſalitatem quia hæc non exigit actum qui eſt exercitium illud, ſed aptitudinem. At immerito reſpondit ſic Scotiſta, a quin meminiſſe debuit ſecundum *Scotum* b vniverſale eſſe proximè prædicabile de multis prædicatione dicente hoc eſt hoc; res autem quæ poteſt tantum eſſe in pluribus & non eſt, non eſt proximè ſic prædicabilis, nam deeſt ei non ſolùm prædicatio quæ eſt actus ſed aliquid primævum, quod proinde debet eſſe prædicabilitas, aut aliquid eius. Præterea etiā quandocumque aliquid habet potentiam, non repugnat dari actum: vniverſale habet ſecundum ſe potentiam ad prædicari ante exiſtentiam, ergo poterit verè reduci in actum. Demus ergo eam redigi in actum, demus fieri prædicationem quinti prædicabilis ante exiſtentiam extremorum dicendo paries eſt albus, aut Petrus ſcribit; & tum ſic arguo ego: Poſſibili poſito nullum ſequitur abſurdum, ſequitur ex eo quod de Petro aut pariete non exiſtentibus prædicetur (vere intellige) albedo, aut ſcriptio; ergo hoc non fuit poſſibile quod tu aſſeruiſti: at vero ad vniverſale requiritur ſaltem potentia illa ad prædicari, ergo ante exiſtentiam non habetur vniverſalitas huius vniverſalis. Vrgetur ratio concluſionis: ſubiecta non exiſtentia reſpiciuntur ab accidente poſſibiliter, hæc autem reſpicientia eſt neceſſaria, neceſſarium eſt enim quod poſſibile ſit parietem eſſe album, ergo reſpondet ipſe in prædicationibus aptitudinalibus quinti prædicabilis non poſſibilitatem aut exiſtentiam poſſibilem prædicari ſed formam ipſam quæ illis ineſſe poteſt contingenter, vnde [inquit] licet illa neceſſario apta ſit ad eſſendum in illis, non tamen ad eſſendum in illis neceſſariò ſed contingenter ſed hic homo non potuit rectius contra ſe dicere, nam etiam totum hoc quod accidens poſſit eſſe in ſubiecto contingenter eſt neceſſarium; v.g. neceſſariò verum eſt quod albedo ſic poſſit ineſſe ſuperficiei vt poſſit etiam abeſſe inde & aboleri.

6. Exiſtimo tamen ipſe dicendum quod accidens quinti prædicabilis non neceſſario exigat ſui & ſubiectorum exiſtentiam, (propter quæ ſupra in concluſione non definivi oppoſitum vniverſaliter, ſed tantum indefinitè) ecce inſtantias. Hæ enim prædicationes ſunt quinti prædicabilis, Adam vixit, Anti Chriſtus erit; hæ non exigunt ſubiectorum exiſtentiam; quid ſequitur, niſi quod aliquæ prædicationes quinti prædicabilis verificantur ſine exiſtentiis? nec aliquæ aut paucæ ſolum, ſed omnes de præterito & futuro, atque ita hiſtoriæ omnes & omnes prophetiæ ſunt propoſitiones veræ quinti prædicabilis abſq; exiſtentiis. Quod ergo dixit reſolutio præcedens locum habet in propoſitionibus de præsēti v.g. illis paries eſt albus, Petrus currit, hæc autem in ſi[illegible]s &c. quam diſtinctionem videntur mihi non notaſſe quotquot abſolutè aſſerunt aut negant requiri ad hoc prædicabile exiſtentias. Obiicies tritum illud: vniverſale definiri per eſſe aptum ex quo ſequitur non requiri quod actum ſit ulli, requirit autem quiſquis exiſtentiam; certum eſt enim quod non adſit exiſtentia formæ & ſubiecti, niſi etiam adſit vnio eorum, ergo. Reſpondeo vniverſale Logicum definiri per eſſe aptum prædicari, non per eſſe aptum ineſſe, ſed potius per actu ineſſe, nam actu ineſſe requiritur ad aptitudine prædicari, vt notavit D. cit. In tertio patet hoc ex Philoſop. *Vniverſale eſt unum in multis & de multis.* Vide ſupra dicta c

7. Quæro an accidentia quinti prædicabilis à natura aliquando? exiſtimo non ineſſe abſolutè & (ut puto) ſuadebo hoc reſpondendo inſtantiis: Videtur enim oppoſitum paſſim contingere nam homo naſcitur albus, arbores creſcunt rotundæ, mel ſapit flores olent, & alia ſexcēta habent ſimiles qualitates à natura, ergo. Reſpondeo adhuc non eſſe allatā inſtantiam quinti prædicabilis purè, hoc eſt quæ non ſit in aliquo modo quarti prædicabilis. Albedo enim in homine & aliis non eſt merum accidens ab extrinſeco veniens, ſed oritur ex natura talis mixti, & idem eſt de ſapore in melle, quæ ſunt proinde in ſecundo modo proprii, ſcilicet *omni & ſemper.* Figura autem aut oritur ab intrinſeco, ſicut colores & ſapores, & ita pertinet ad proprium, aut ab extrinſeco & tum non eſt à natura

8. Quæro an accidentia quinti prædicabilis contineri poſſunt ſub aliquo quarti prædicabilis? Reſpondeo diſtinguendo; poſſunt contineri ſub aliquo diſtincto quarti prædicabilis, non poſſunt autem ſub aliquo determinato. Explico rem ſimul, & probo: linea habet proprium ſibi eſſe rectum aut curvum, numerus par aut impar, genus v.g. animal, hanc aut illam differentiam ex duabus, ut impoſſibile ſit hæc ſubiecta ſeparari abhuc diſiuncto, & tamen poteſt ſeparari Linea & rectitudo quæ continentur ſine dubio ſub diſiuncto illo rectitudo aut curvitas; Poteſt numerus inveniri ſine paritate, & ſic de aliis. Si autem proprium Lineæ eſſet determinata differentia curvitatis, non contingeret caſus ut vides. Dices oppoſitum eſſe verum, & apparere in iis quæ habent paſſiones determinatas, nam riſibilitas eſt determinata paſſio hominis v.g. Petri & tamen quæcumque riſibilitas in particulari eſt accidens ei; poſſet enim eſſe ſine illa cum alia riſibilitate. Reſpondeo totum hoc nihil efficere contra reſolutionē. Ecce quomodo nō. Nam, aut comparamus riſibilitatem ad hominem ut ſic, aut comparamus eam ad Petrum; ſi ad hominem, illa eſt determinata paſſio, ſed ſub illa nulla accipi poteſt quæ ſit accidens aut ſeparabile, nam riſibile ut ſic (& ita quodlibet riſibile) debetur homini ut ſic: ſi autem comparatur ad Petrum, dico nos eſſe in caſu paſſionis diſiunctæ, proprium enim Petri eſt vel hæc vel illa riſibilitas; Quod dico ſuppoſito quod Petrus non exigat hanc numero riſibilitatem, puto autem verius quod exigat, ſed tranſeo pro nunc, unde caſus locum opportunius habet in propriis Phyſicis v.g. in calore reſpectu ignis. Exiſtimo præterea non modo ſubiecta determinare ſibi formas ſeu paſſiones ut intellexit Porphyrius, ſed paſſiones determinare ſibi ſubiecta, atque ita dari propria etiam individuorum. Probatio erit inſtantia, huius, figura nō poteſt eſſe niſi in corpore finito, ecce formam appropriate ſibi ſubiectum, punctum non poteſt eſſe ullius niſi continui. Et alia ſexcenta. Sæpius autem occurrunt eiuſmodi inſtantiæ in ſingularibus, nam licet ego v. g. poſſim ſcribere alia ſcriptione ab ea qua ſcribo, tamen hæc ſcriptio non poteſt eſſe alterius agentis quam mei, ſive, nullus alius poteſt hac ſcriptione ſcribere alias daretur infinitas formarum aggregatarum ſimul, & dari neceſſario deberet adhoc ut ego redderer ſcribens, quod, quia ſuppono demonſtrabile & ſuo loco in Metaphyſica probandum eſt. Hic demonſtrat huiusloci intentum jam enim accidens ſcilicet ſcriptio, determinat ſibi ſubjectum, ut per nullam potentiam ſine eo eſſe poſſit, & quid magis proprium.

9. Quæro etiam inferiora Accidentis, non enim facile aſſignantur in illis de quibus prædicatur Accidens, in quibus tamen ſine dubio inveniri debent. Totum hic vides Accidēs v. g albedo prædicatur & de ligno & de Lapide, prædicationibus quinti prædicabilis, & tamen adhuc non apparent inferiora eius, non enim lignum & Lapis, quia, non ut corpora ſunt, neque ut qualia ſunt, non ſunt corpora, ſic enim ſunt ſub ipſo corpore, aut ſub alio in genere ſubſtantiæ, neque qualia puta ut alba, quia prædicatio albedinis de illis ut alba ſunt non eſt quinti prædicabilis. hæc enim non eſt accidentalis, hoc album eſt album. Reſpondeo inferiora eius eſſe in caſu poſito lignum & Lapidem ut ſubjecta ſunt, non ut concreta ſunt. Et ſi voles audire reſponſionem in terminis jam poſitis & impugnatis, Reſponderi poteſt lignum & Lapidē eſſe inferiora albedinis ut corpora ſunt, nec ratio in oppoſitū hoc refellit. Dico enim quod illa ut corpora, ſunt ſub corpore aut alio genere ſubſtāntiali per ſe & eſſentialiter, per accidens autē ſub qualitate, nec id novum eſt, nam lignū & lapis non ſolū ſunt ſub genere corporis ſed ſub differentia corporeitatis & perſeitatis, ecce idem ſub diverſis prædicabilib.

10. Quæro denique an idem eſſe poſſet in quarto & quinto prædicabilibus; Ratio dubitandi eſt, calor ſummus v.g qui eſt proprietas ignis, & tamen inveniri poteſt extra illum, & accidentaliter competere alteri, vt ſtupæ: lux quæ eſt propria cæleſtibus cō[illegible]it elementis, & mixtis. Sed merito reſpondit ad hoc D N. d negativè, quia nimirū ſi proprium alteri convenire poſſet, iam non eſſet huius proprium quia non ineſſet ei convertibiliter. Inſtantiæ allatæ non continent vera aut propriè propria ut ſupra vidimus adeoq. ſed Objicio, aliquid idem poteſt eſſe differentia eſſentialis unius rei, & adhuc competere alteri per modum accidentis, ergo multo magis poteſt eſſe proprium unius & accidens alterius. Antecedens oſtendo, in *eſſe diſgregativum viſus* quæ eſt differentia eſſentialis albedinis & tamen convenit aliis v. g. ſuperficiei muri & chartæ per modum accidentis quinti prædicabilis. Sed nihilominus ſtandum eſt reſolutioni negativæ Doct. Vnde ad objectum Reſpondeo nec differentiam eſſentialem, competere alteri immediatè (de quo quæritur) ſed mediante compoſito, de quo non quæritur, nam ſic etiam propriū poteſt alteri competere, & de facto cōpetunt ſubjectis omnia propria formarū quæ illis inhærent, unde ſi nos ſciremus proprietatem albedinis poſſemus eā de charta affirmare, in quo deſinunt Apologiæ prædicabilium.

De Accidenti denique ſcribunt.

Ariſt. & Alig. *ubi ſupra Apol præced.* D. Th. etiā *ibid* citatus, & præterea de *Spiritual. Creat. art ul.* Alb Mag. *tr. 4 ca.* 1, & Damaſcen *Dialect c. 13.* Avicen. & alii Arabes *apud Albert. cit.* Ægid. *Poſt text* 8. Rup. Ab. *l. 7. de oper. Spir. ſan. c. 1.* Avet. *in cap de Accid.* Ock. 1 *p Log. c. 25.* & in *Log Text. cap de Accid.* Boet. *ibid.* Ferrar. 2. *contra Gent c. 81.* Philip 2 *Poſt* 34. Sarnan Ang. & Maur. cum *Scoto q. 25. Univ.* Rob. Bellarm. *l. 3. de amiſſ. Grat. c.* 3. Levinc. Sonid *cap. de accid.* Io à Lap Iſern. Lovanienſ. & Colon. *ibid* Tratarer *ib. q.* Alb. par. *q. unic.* Io à Magiſt. *q. 10 prædicab* Ant And. *in hoc cap.* Lalem *hic diſp. partit* 5. Moriſsā *hic q. 5 Fonſec. lib. 5. Met c. 28. q 19. &* Amic. *tr. 9. Log* Averſa *q 14* Rodr. *in comento Doct. cit.* Ponc. Maſt. Arriag. Oviedo & Recentes cit Apolog. præcedent.

FINIS PRIMÆ PARTIS LOGICÆ.

a Maſtr. diſp. 5 Univ. art. 1.

b 1. diſt. 3. q. 1.

c Apol. 1 univ. A[illegible]ion. 2.

d qu. 5 prædic.

APOLOGIA PRIMA DE SIGNO.

ACTIO. I.

Quid ſit Signum & Significare.

ACTIO. II.

In quo conſiſtat ratio formalis Signi tam naturalis quam placiti?

ACTIO. III.

Quid voces immediate Significent, res an Conceptus?

ACTIO. IV.

De Significato Scripturæ & Nutuum.

Sco. 4. d. 1. q. 2, n. 7.

6. TErtio quod in ratione nominis prædictâ includitur aliquid quod dici rens rationis, ſcilicet hoc quod eſt ſignum ex inſtitutione, nam iſta relatio non conſequitur fundamentum ex naturâ rei, quia etſi in re ſit aptitudo ad ſignandum effectum ſignatum, tamen actualis ſignatio non convenit ſibi per actum imponentis.

Idem in primum Periherm. q. 2. n. 2.

VErbum ſignificat aliquid, conſtituit enim intellectum qui dicitur, ex quo ſequitur quod ſignificare eſt alicuius intellectum conſtituere illud ergo ſignificatur cuius intellectus per vocem conſtituitur, ſed prolata voce non conſtituitur intellectus ſpeciei ſed rei; ut probatur in quocumque àudiente vocem ſignificativam. Item in primo elench. dicit Ariſt. quod pro rebus utimur nominibus, quia non poſſumus ferre res ad diſputandum, ſed ſpecies intelligibiles poſſumus ferre nobiſcum, erga illarum non ſunt voces notæ ſed rerum.

ACTIO PRIMA.

Quid ſit Signum & ſignificare?

Breviarium

Num. 1. *Rejecti aliquorum modi dicendi*
2. *Diviſiones aliquot ſigni*
3. *Signa formalia, non ſigna.*
4. *Signum proprie quid.?*
5. *Objectiones duæ ſolutæ ad quem actum intellectus pertinet ſignum?*
6. *Alia objectio an idem ſui ſignum?*
7. *An neceſſaria inſtitutio ad ſignum?*
8. *Cauſa an ſignum?*
9. *An intentio ſignificandi neceſſaria?*
10. *Definitio abſoluta ſigni.*

1. IDEM Vtrumque, eſt, ſcilicet ſignum eſſe, & ſignificare; Unde non ſatis exactè recens quidam (a) quærenti, quid eſſet ſignum reſpondit *quod aliquid ſignificat*: Perinde enuntuit hoc reſpondere, ac dicere, quod ſignum eſſet quod eſſet ſignum, nam qui neſcit quid ſit ſignum utique neſcit quid ſit ſignificare.

a Hurt. diſp. 8. Log. ſect. 4.

Alij volunt quod ſignum eſſe ſeu ſignificare ſit facere devenire in rei alicujus cognitionem: ſed etiam ipſi lapſi ſunt, patet enim multa ducere nos in cognitionem rerum quæ non ſunt ſigna: Inprimis enim ipſum objectum ducit nos in cognitionē rei, nec tamen eſt ſignum ſui cum ſit ſignatum, & ſignum cum ſit relativum, neceſſario eſt ad aliud Deinde (; ut omittā potentiam v.g. magiſter, ſeu quiſquis nos docet naturas rerū, facit nos venire in cognitionem earum, nec tamen eſt ſignum earum. Plures alij tentarunt naturam ſigni explicare, quos facile ex dicendis reijcias, ita obvia quæque & facilia intellectu, ſunt difficillima explicatu, nam nec illa Auguſtini probatur omnibus, *quod præter ſpeciem ſui quam ingerit ſenſibus facit aliud in cognitionem venire.* Hanc inquā reijciunt plerique ut mancam, quia non convenit omnib' & quide fatendum eſt quod non conveniat omnibus, at non proinde fatebor eam eſſe diminutam, quia nimirum Sanctus non voluit omnia definire, ſed materialia tantum, ut patet ex illo *ſenſibus* nam ſpiritualia non ingerunt ſpeciem ſui ſenſibus; non item ſigna formalia, v.g. ſpecies impreſſas aut expreſſas, quia hæ non ingerunt ſpeciem ſui ſed ſe ipſas quæ ſunt ſpeci-

b Vila pend. lib. 1. ſum. 1. c. 8. Ariagad. 18. n. 2.

a. de Doct. Chriſtiana.

es aliorum: Abſolutã definitionẽ infra aſſignabo.

2. Interim ponam communes diviſiones ſigni. Dicitur aliud formale aliud inſtrumentale. Formale eſt quod ſe ipsô, informando facit cognoſcentem aliquid, atque ita ſignificat rem; & hujuſmodi eſt ipſa cognitio ſeu ſpecies expreſſa, & ab aliquibus eiuſmodi dicitur etiam ſpecies impreſſa. Inſtrumentale è contra quod extra ſe habendo deducit in alterius cognitionem agendo ſeu movendo: Talia ſunt cætera fere omnia ſigna ut ſtatuæ, voces, ſcripta.

Ex his autem rectè notatum eſt ab authoribus, aliqua eſſe ſigna ob ſimilitudinem cũ ſignatis, alia non item. Similitudo autem alia eſt formalis, ut illa quæ intercedit inter imaginem, & imaginatum aliquando in lineamentis externis duntaxat, ut in picturis & ſtatuis; aliquando etiam in ipſa natura ut eſt in verbo æternò reſpectu ſui patris alia eſt ſimilitudo virtualis, qualem habent ſpecies cum objecto, hanc autem rationem ſigni habent ſpecies non quatenus ſunt ſigna formalia, ſed quatenus talia ſunt ut videns illas in illis videret prototypum cujus ſunt. Alia ſine illa ſimilitudine ſignificant propter connexionem quam habent cum ſignatis, & iſta dividuntur in naturalia, ut fumũ reſpectu ignis. gemitum reſpectu doloris, & in alia quæ dicunrur ad placitum ut ſunt voces & ſcripta.

Denique dicuntur alia ſigna manifeſtativa tantum ut præcedentia omnia, alia manifeſtativa & ſuppoſitiva, qualis eſt prorex reſpectu regis. de his ſic cenſeo, & primo.

3. Dico ſigna quæ dicuntur formalia ſcilicet ſpecies tam impreſſas quam expreſſas non eſſe propriè ſigna.

Ratio pro impreſſis eſt quia gerunt vices objecti, objectum autem non eſt ſignum ergo nec ſpecies impreſſa. Confirmatur, habitus, quia ſe tenent ex parte potentiæ non dicuntur ſigna ergo nec ſpecies quæ eſt ex parte objecti.

Dices contra principalem rationem vox v.g. homo ſupponit pro objecto, & tamen eſt ſignum eius ergo ſimiliter poterit eſſe ſpecies impreſſa. Reſpõdeo, manifeſte aliter ſupponit vox pro objecto ſuo, aliter ſpecies impreſſa, ſicut aliter ſupponit imago regis pro rege, aliter prorex. Diſtinguo ergo majorem, vox ſupponit pro re tanquam ſignum concedo, tanquam ſubſtitutum nego, hoc ſecundo modo ſupponit ſpecies, adeoque non eſt ſignum.

Ratio pro expreſſis eſt quod ſignum eſt mediũ ad cognitionem, expreſſa ſpecies non eſt medium ſed finis potius, & ipſa cognitio, ergo.

Redeo ad priorem partem probãdam ſic quia ſi ſpecies impreſſa eſſet proprie ſignum, tum contingeret ipſum objectum eſſe ſui ſignum, quod nemo dicet, ſed probatur ſequi, inſtantia ſpeculi in in quo viſio fit per ſpeciem, nam & ſpecies eſt quæ movet oculum, & ipſa eſt quæ terminat viſionem ſecundum multorum ſententiam, atque adeo eſt ſignum & ſignatum, ſive ſignum ſui & fortaſſe idem abſurdum deduci poteſt contra adverſarios extra caſum ſpeculi in cognitione memorativâ, in qua ſpecies terminat actum memoriæ (quia objectum non eſt, ſed præterijt) & ipſa ſine dubio concurrit ad cognitionem, ergo ex his quid ſequitur niſi diviſionem illam communem ſigni in formale eſſe ineptam, quia deficit dimidio ſui. Vnde

4 Dicere poſſumus ſignum eſſe quod cognitum movet ad alterius cognitionem. Hujus concluſionis ratio ex dictis habetur, quia nimirum ſignum ut ſic non eſt niſi inſtrumentale [non enim formale ut vidimus] hæc autem eſt deſcriptio ſigni inſtrumentalis, ergo ſigni ut ſic. Hinc habes ſi admittere voles ſignum formale deffiniri ipſum poſſe, *quod non cognitum ducit in alterius cognitionem*: Sic enim ducit ſpecies impreſſa, ducit expreſſa, quas non eſt opus cognoſcere ut faciant ſe cognoſcentẽ, alias iretur in infinitum, & ne tum quidem poſſet quis incipere cognitionem, nam illa quâ cognoſceret aliud, deberet prius ipſa cognoſci per aliam ſpeciem, & ipſa ſpecies per aliam cognitionẽ &c. è contra fit in ſignis inſtrumentalibus v.g. ſtatuâ, imagine ſcripto &c. quæ ipſa prius debent ſub ſenſum cadere, antequam poſſint aliud notificare & debent cognoſci non ſpecificative ſolum ſed reduplicativè, id eſt quatenus ſigna ſunt; hinc enim neſciens linguam Hybernicam aut Hæbreã non ducitur in cognitionem rerum per vocabula illius idiomatis audita, quia licet ſenſu feratur in voces, tamẽ non fertur intellectu in eas ſub ratione ſigni, ſic enim deberet ſcire ſignificationẽ earũ

5. Obijcio tamen contra meam definitionem: Præmiſſæ cognitæ movent ad cognitionem concluſionis & tamẽ nemo dixit eas eſſe ſigna concluſionis, ergo male definiuimus ſignum quod cognitum movet ad alterius cognitionem; quæ conſequentia bis premit nos, quia definivimus eo modo & ſignum ut ſic, & præterea ſignum inſtrumẽtale, cujuſmodi ſine dubio ſunt præmiſſæ ſi ullum ſint: ſolvam hanc poſt ſequentem quâ.

Obijcio 2. effectus deducit nos in cognitionem cauſæ, v.g. Eclipſis Lunæ in cognitionem terræ interpoſitæ ſoli & Lunæ; paſſio item in cognitionem ſubjecti, v.g. riſibile in cognitionem hominis; & tamen non dicuntur iſta ſigna hujuſmodi cognitorum, ergo necdum conſtat noſtra definitio. Reſpondeo iam ad hanc, & ſimul ad antecedentẽ diſtinguendo aſſumpta earum ſic, movent ad cognitionem diſcurſivam concedo, ad aliam putà appræhenſivam, nego: ſic autem debet movere ſignum Dices, ergo ſaltem male poſitum eſt in concluſione quod ſufficiat movere ad cognitionem, nam etiam diſcurſus eſt aliqua cognitio. Reſpondeo negando ſequelam, ſic locutus ſum cum communi authorum qui quamvis diſcrepent in alijs punctis, ſed nullus hanc particulam correxit. Cur autem idem ſit cognitio ut ſic, & appræhenſiva, ſeu cur accipienda ſit pro illâ magis quam pro alijs ſpeciebus cognitionis? cauſa eſt quia cognitio ut ſic non neceſſario debet eſſe judicativa, aut diſcurſiva, non poteſt autem minus eſſe quam appræhenſiva, ſicut anima ut ſic eſt vegetativa, non autem ſenſitiva, aut rationalis. Quamvis ergo riſus deducat nos in cognitionẽ hominis, & creatura in cognitionem Dei, tamen non ſunt ſigna, quia ad hoc egent diſcurſu quo non egent ſigna, nam angeli uti poſſunt ſignis, & tamen ſecundum multos nõ poſſũt uti diſcurſu & certiſſimè bruta non diſcurrunt, & tamen aliqua eorum ſigna præbent & intelligunt, nam præter experientias, multorũ quæ ad ſtrepitum campanæ concurrunt *d* in piſcinâ Cæſaris murena fuit, quæ nomini ſuo vocata reſpondebat, clarum eſt autẽ quod nomina ſint ſigna ad placitũ. Multo etiam magis intelligunt ſigna naturalia ut gemitus &c. Itaque ſignũ pertinet ad primã operationẽ intellectus, & perinde in definitione clarius poneretur ly appræhenſio quam cognitio.

d [illegible]

Dices dari ſigna reſpectu iudiciorum & diſcurſuum poſſumus enim recordari enunciationum & ſyllogiſmorum propoſito aliquo ſigno ergo nõ

ſolum

ſolum dantur ſigna reſpectu primæ operationis intellectus, ſed etiam reſpectu ſecundæ. Reſpondeo, negò conſequentiam, quia nimirū judicia illa & diſcurſus tum pertinent ad primam operationē intellectus, quia ſimpliciter tantum appræhenduntur ſed contra illam particulam *alterius* quod ſit falſa

6. Obijcit quidam hanc vocem *vox* itē *nomen* aut etiam ipſum hoc ly *ſignum* quæ omnia & ſingula ſe ipſa ſignificant, nam vox cum ſignificet omnem vocem debet ſe ipſam ſignificare, quæ eſt una ex omnibus: idem eſt de Ly *nomen* reſpectu nominum & de Ly *ſignum* reſpectu. ſignorū Reſpōdeo non ſufficere has inſtantias contra concluſionē: Cauſa eſt quia Ly vox [& idē eſt de alijs illis) non ſignificat omnem vocem id eſt quam libet in particulari imò nec ullam, ſed ſignificat vocem ut ſic, quæ non eſt vox ulla in particulari, licet contineat ſub ſe quamlibet in particulari; & patet ita eſſe, alias enim nunquam poſſet inferri aliquid circa vocem in particulari ex voce ut ſic, quia tum idem inferretur ex ſeipſo. &c.

Juſtius obijceretur quod ipſe ſupra tetigi de ſpeculo, in quo idem videtur eſſe ſignum & ſignatum, ſcilicet ipſa ſpecies, tum enim eſt ſignum inſtrumentale, ipſa enim in ſe obijcitur potentiæ, & excitat ad videndum objectum, quod eſt ipſamet. Reſpondeo non eſſe ipſammet quæ videtur, ſed objectum primarium reale, puta ipſe homo, qui à tergo eſt, atque ita ſemel fallitur iſte diſcurſus. Deinde ſi movet & terminat viſionem, dico eam non eſſe ſignum ſed objectum, tum enim ſe habet inſtar imaginis aut ſtatuæ, In re autem, ſpecies illa tum eſt ſignum ſive videatur ipſa, ſive non, ſi non videtur, eſt ſignum formale reſpectu viſionis ſenſitivæ, quâ videtur objectum reale puta homo retro poſitus; ſi vero videatur, eſt ſignum reſpectu cognitionis intellectivæ, ſicut ſtatua vidatur, & eſt ſignum reſpectu viſionis intellectivæ.

Dices, quidquid ſit de hoc, ſaltem in cognitione intellectiva fatendum eſt aliquando idem eſſe ſignum & ſignatum, quum v. g. recordamur præteriti, tum enim ſpecies eſt ſignum formale, & tamen eſt ipſa quæ ſignificatur, nam res illa cujus recordamur nō habet aliud eſſe niſi id quod habet in ſpeciem, ergo. Reſpondeo tamen negando ſequelam, & dico ſpeciem eſſe ſignum non autem ſignificatum, ſed hoc eſſe rem ipſam ſecundum eſſe objectivum extra, quod quidem non habet eſſe realiter, & tamen ſufficit ad terminandum actum circa ipſum; Exemplum; Concupiſco ſanitatem, & ad eam applico media puta medicamenta: Illa ſanitas movet me ſecundum eſſe reale ſine dubio (quid enim mihi eſſe cognitum ſanitatis quod habeo quoties volo?] & tamen eſſe illud reale nondum eſt niſi in apprehenſione; ita hic.

P. Hurt ad. diſp. 6 ſec. 7. Quorumdam doctrina eſt non ſufficere omnia hactenus dicta ad rationem ſigni niſi præterea ſit inſtitutum ad ſignificandum, ſive à natura ſive ab arbitrio hominum, ita ut quantumuis aliquid ſignificet ſine hoc, ſed non ſit ſignum. At inprimis, ſi ita eſt cur authores non addunt hanc inſtitutionem ad definitionē ſigni? Unde Toletus, qui hanc requirit & tamen omittit in definitione ſigni approbans datam ab Auguſtino, videtur mihi ſimilis antiquis logicis, qui omnes requirunt ad univerſale ut ſit unum in multis cum multiplicatione, & tamen nemo meminit hujus muliplicationis in ſuâ definitione; Habeo deinde inſtantias contrà hanc inſtitutionem ſeu neceſſitatem eius. Quum video veſtes domeſtici mei recens mortui, actutum recordor ipſius, & tamen veſtes illæ non ſunt inſtitutæ ad hoc, habemus ergo ſignum ſine inſtitutione cum video mappas inferri tabulæ, intelligo horam comedendi imminere & quis inſtituit mappas in horologium, aut ſignum horarum? ſane Chriſtianus quiſque audiens montem calvariæ cogitat Chriſtum Crucifixum, & tamen Authores oppoſiti inducti videntur ad ipſum ſuſtinendum ex ſimilitudine imaginis cui non ſufficit quod repræſentet objectum niſi etjam adhoc ſit facta: ſed quis neſcit latius patere ſignum quam imaginem.

8. An cauſa poſſit eſſe ſignum effectus negant aliqui quia inquiunt, cognitio rei per ſignum eſt cognitio à poſteriori. Ita Hurt; non intelligens hanc eſſe petitionem principij, & ego oppoſitum facile oſtendo, nam nubes gravidæ, & obſcuræ ſunt ſigna pluviæ, & ſimul cauſa eius ſi non efficiens, certe materialis. Idem dico de cometis qui ſignificant ſimul & cauſant effectus extraordinarios v.g. peſtilentiam, inediā &c. Denique quid dicet meus adverſarius ad ſacramenta quæ certiſſime ſunt ſigna, & certiſſimè cauſa gratiæ etiam phyſica ſecundum ipſum, & ſuos? ergo. Ad hæc; quod ſignum non debeat eſſe poſterius ſignato aut effectus eius, patet contra ipſum in vocibus, quæ enim poſterioritas eſt in illis, aut quæ efficientia in rebus ſignificatis reſpectu earum?

9. Aliud eiuſdem dogma non probo ſcilicet in ſigno requiri reſpectum ad utentem ſigno vnde voces à pſittaco prolatæ non ſunt ſigna ſecundū ipſum, quia pſittacus non intendit uti illis tanquam ſignificativis. At non aſſentior huic, ſed oppoſito potius, nam homo audiens voces articulatas à pſittaco prolatas intelligit ſignificata earum non minus quam ſi ab homine proferrentur, quod ita verum eſt ut niſi pſittacum videat putet eas vere ab homine prolatas. Quid eſt autem ſignificare niſi ex perceptione rei alicuius per ſenſum duci in cognitionē alterius per intellectum? Præterea cum horologij pondera præveniunt horam, & caſu ſuo ſtrepitum intempeſtum cient ſtrepitus ille ſignum eſt, audientes enim excitantur ad vigiliam, & tamen nemo eum inſtituit in ſignum, huic enim determinata fuit hora longe poſt ut ſuppono, ergo.

10. Itaque ſignum eſt quod ducit in alterius cognitionem excitando ſpeciem illius in intellectu percipientis ſignum propter connexionem quam habet res illa quæ dicitur ſignum cum ea quæ dicitur ſignificatum, ſic ſonus campanæ, & clangor tubæ vocant ad chorum, & caſtra; Sic imago deducit in memoriā prototypi &c. propter connexionem & ſimilitudinem quam inter iſta novit intellectus intercedere. Vides ergo definitionem Auguſtini ſuſtineri poſſe ut abſolute vniverſalem, quia nimirum ea quæ ſub illa non comprehenduntur nec ſub ſigno compræhenduntur. ſi tamen velit quis admittere formalia pro vere ſignis, & audire definitionem unam omnium ſit, iſta: ſignum eſt quod repræſentat aliud potentiæ.

Poſſunt tamen tria huic obijci quæ non ſunt definita hic, & tamen eius competit defi-

ACTIO PRIMA.

De diviſionibus Proprii apud Porphyrium & quæ propria ad hoc prædicabile pertineant?

BREVIARIVM.

Num. 1. *Diviſio Proprii apud Porphyrium inadæquata*
2. *Adequata tamen ſpeciei infima*
3. *An aliqua inſtantia adferri poſſit contra? Vbi de hecceitate*
4 *Diviſio etiam analoga*
5 *Secundus modus, (ac non ſolum quartus) ad hoc prædicabile ſpectat*
6 *Obiectiones. Alluſio quadam tertii & quarti prædicabilium.*

1. QVatuor genera ſive modos proprii aſſignavit Porphyrius, unum quod *ſoli* alicui ſpeciei convenit. Etſi non omni (intellige de omni eius individuo) ut homini medicum eſſe aut Geometram, alterum quod cō venit *omni* ſcilicet individuo ſpeciei) etſi non ſoli, (intellige ipſi ſpeciei) ſic homini convenit bipedem eſſe Tertium quod convenit *omni & ſoli* at non ſemper ut homini, caneſcere quartū ocr iq; ſummè & propriè proprium eſt quod convenit *omni, ſoli & ſemper*, vt homini eſſe riſibilem. Mitto veritatem horum exemplorum: de qualitate diviſionis. Dico primò eam non eſſe adæquatam, ſive proprium prim ò intentionaliter ſumptum latius patere quam hæc quatuor membra. Probo; datur aliquod proprium præter hic expreſſa, quod ſic oſtendo; ſub primo modo poſſunt conſtitui duo membra, alterum quod convenit ſemper, vt eſſe bipedem reſpectu animalis; alterum quod non ſemper, vt eſſe Geometram aut Grammaticum reſpectu eiuſdem; confirmatur & declaratur à ſimili, quando aliquod prædicatum convenit *omni & ſoli* diſtinguitur in duo membra, ex eo quod conveniat ſemper aut non ſemper, ergo ſimiliter quando convenit *ſoli non omni* diſtingui debent duo membra penes ſemper aut non ſemper convenire, etſi dicatur comprehendi vtrumque ſub vno illo expreſſo à Porphyrio, ſimiliter dicam ego debere vtrumque illud membrum ſubalterntro comprehendi, & ita ſi ibi non deficit diviſio hæc erit redundans. Obiicitur Porphyrius reſpondeo, in hoc & præcedenti capite reiici Porphyrium quia nec illius capitis doctrina omnibus differentiis competit, nec huius omnibus propriis. Mitius tamen reſpondeo Porphyrium non in doctrina, ſed intentione fuiſſe diminutum, quoniam in illo capite non omnem differentiam, ſed ſubalternam ſolam voluit definire, & in hoc non omne proprium, ſed ſolum infimum ſive infimæ ſpeciei: Cuius cauſa eſſe poterat, quod in ſcientiis, differentiæ ſubalternæ frequentior uſus eſt proprii autem infimi Quod autem Porphyrius decreverit de proprio infimo agere, probatur inde, quia per ſpeciem cui appropriat propriū intelligit infimam, ut manifeſtum eſt exemplis eius, clarum eſt autem, quod proprium ſpeciei infimæ ſit infimum.

2 Quæres ergo vtrum ſit adæquata diviſio ſaltem proprii ſpeciei infimæ? Reſpondeo affirmativè, hoc eſt non dari vllum proprium ſpeciei infimæ quod non ſit aliquo modo ex illis proprium, ſcilicet omni ſoli, aut ſemper; conſtabit ex ſolutione ſequentis. Obiicies rationem præcedentis concluſionis, poſſe ſcilicet inveniri aliquod etiam ſpeciei infimæ proprium ſoli & ſemper, item aliud ſoli non ſemper, ergo iam dantur quinque nam ſecundus diviſus eſt in duos. Reſpondeo nagando antecedens, ſi loquamur vt debemus de *ſoli non omni*, non nego dari ſoli ſemper, & ſoli non ſemper, ſed iſtud ſoli eſt *ſoli omni*, qui quando eſt non *ſemper*, & tertius modus proprii quando cum *ſemper*, quartus atque ita falſum eſt quod aſſumpſit arguens, ſcilicet ſecundum modum poſſe dividi in duos. Denique nihil convenit ſoli ſemper ſpeciei infimæ quod non convenit omni. Inſto tamen contra & adfero inſtantiam alicuius convenientis ſpeciei infimæ *ſoli (non omni)* & tamen *ſemper*. tale eſt enim paſſio individui ſive peculiaris inclinatio eius ad agendum vel patiendum tale. Scimus enim aliquem eſſe qui inclinetur ad determinatum hoc vitæ genus, puta Theoricam ſeu contemplativam, & infra latitudinem huius ad determinatum puta ad Mathematicam præ Metaphyſica: Alium aliquem ad Practicam puta ad pictoriam &c. accipio ergo hanc inclinationem Petri & excellentiam eius ad pingendum: hæc comparata ad ſpeciem humanam eſt *ſoli & ſemper. non omni* ergo. Declaro rem à ſimili; paſſio ſpeciei comparata ad genus v. g. riſibile comparata ad animal eſt ſoli non omni & ſemper; ergo paſſio individui comparata ad ſpeciem eſt ſoli non omni & ſemper, patet enim paritas Reſpondeo valituram paritatem ſi ſubſiſteret inſtantia; at enim non ſubſiſtit, quia non datur proprietas individui qua talis. Illa inclinatio quorundam ad determinatas actiones puta ad pſallendum aut pingendum oritur ex tali complexione humorum quæ facillimè in alio individuo occurrere poteſt.

3. Inſtari tamen adhuc poteſt, principium ipſum numericum poteſt eſſe origo alicuius actionis aut certi alicuius modi agendi; at verò licet humorum complexio quæcumque poſſit in duobus inveniri, non tamen principium numericum, puta Petreitas ergo, Reſpondeo negando maiorem; Principium ergo numericum non eſt principium agendi ſed individuandi; ſive non eſt principium actionis aut modi eius nec inclinationis ad vllam, ſed contractionis omnium horum ad eſſe hæc, ſi autem contingat oppoſitum, aut ſi quo caſu conſtaret ſane inſtantia multum faceret contra reſolutionem.

4. Dico etiam ſecundò: Diviſio illa eſt analogi in analogata, ſolumque proprium quarto modo eſt propriè tale: quo non obſtante ad hoc prædicabile pertinent duo modi eius, ſcilicet ſecundus

dus & quartus. Hæc eſt conformis D. hic q.31. in ſolut. primi & tertii: Probatur facile advertendo Proprium ex vi nominis aliud ſignificare & aliud ex vſu Philoſophorum: Hoc vltimo modo ſignificat in ſcholis quartum prædicabile de quo in præſenti: ex vi autem nominis ſignificat quod cuipiam peculiare eſt & appropriatum. Vnde formaliter dicit relationem convenientiæ alicui cum negatione conveniantiæ alteri, atque hinc ſtatim apparet probata concluſio, cæteri enim omnes modi præter poſtremum deficiunt in aliquo horum: nam aut non conveniunt ſubiecto: aut conveniunt alteri ab ipſo, primus non convenit toti ſubiecto quia non toti ſpeciei, ſed alicui eius individuo; ſecundus non ſoli, tertius non convenit etiam totaliter ſubiecto, quia non toto ſive omni tempore. Dices in quolibet iodividuo contineri totam ſpeciem, atque adeo quod convenit vni, conveniri toti ſpeciei. Præterea illud adductum contra tertium modum non facit quo minus proprietas eiuſmodi ſit verè propria ſubiectio, ſaltem eo tempore quo ei convenit, ſed hæc nihil faciunt. non primum, nam ſpecies eſt ſubiectum hic non quatenus totum actuale eſt conſtans tali eſſentia, ſed quatenus totum potentiale dicens tanquam partes inferiora, quod inde conſtat quia illo priori modo eſt indiviſibilis, hic autem accipitur vt diviſibilis, ſive vt habens plura in quorum aliquo forma propria eſſe poſſit, etſi non ſit in alio, vt probatur ex To *omni*. Ad ſecundum dico etſi forma aliqua inſit ſubiecto aliquo tempore, non ſufficere vt abſolutè dicatur propria ſed ad ſummum illo, imo ne illo quidem quia proprium debet habere aliquid vltra accidens in communi, ineſſe autem aliquo tempore convenit etiam accidenti communi. Patet etiam concluſio ex definitionibus propriis infra aut ſequenti ex Ariſt. & Porphyr. adducendis. Imo ſecundus modus quantú ad ea quæ ponit in Littera Porphyrius poteſt accidenti communi & quinto prædicabili competere, quis enim dubitet quin aliquod accidens competere poſſit omnibus individuis vnius ſpeciei? certè nuditas conveniebat aliquando omni homini, & obedientia ad hominem omni bruto, nihilominus

5. Probo ſecundam partem concluſionis, ſcilicet ſecundum modum proprii pertinere ad hoc prædicabile: Pertinent enim huc ea quæ emanant à principiis intrinſecis ſubiecti, & inſeparabiliter ipſi conveniunt. Talia ſunt non ſolum quarto ſed ſecundo modo propria, ergo. Maior huius inde ſupponenda eſt & inde conſtat, quia hoc prædicabile, habet oppoſitum modum ſequenti, ſequens autem ſeparabiliter & extrinſecè convenit ſubiecto, ergo Minor facile oſtenditur inſtantiis, nam eſſe ſenſitivum. mobile progreſſivè (quæ ſupponantur pro nunc eſſe paſſiones animalis) inſeparabiliter conveniunt homini, ab intrinſeco etiam, & ſunt ſecundi modi ſcilicet omni non ſoli, nam omnis homo eſt ſenſitivus, non ſolus tamen ſed cum aliis, ergo verbo, paſſiones generis comparatæ ad ſpeciem ſunt ab intrinſeco ſubiecti, & neceſſariò ei annexæ qui eſt character quarti prædicabilis, ergo ipſius ſunt, ſed contra

6. Obiicies; ſi ita eſt ſequitur male hic dictum eſſe quod proprium ſit analogum proprio quarto modo & tribus aliis, iam enim eſt vnivocum ſecundo & quarto. Reſpondeo proprium prædicabile eſſe vnivocum ſecundo & quarto modis, ſive Logicum proprium & in Scholaſtica acceptione tale eſſe. Proprium autem Phyſicum ſive ex vi nominis & vulgi acceptione eſſe æquivocum illis, quia convenit ſoli quarto modo ſed contra hoc quoque Obiicies ſecundo: ergo ſaltem hoc habetur quod aliquid analogicè & impropriè proprium poteſt ſubire intentionem quarti prædicabilis; ſi autem ita ſit, iam omnia propria quamvis impropriè talia ad hoc prædicabile pertinebunt, cur enim vnum & non alia? Reſpondeo concedendo primam conſequentiam & negando ſecundam. Diſparitas vtriuſque eſt quia ſcilicet ad hoc prædicabile pertinent ea quæ ab intrinſeco ſubiecti emanant, & inſeparabiliter ei competunt, hoc aut convenit aliquando ei quod impropriè proprium reale aut Phyſicum, & ex vi nominis eſt; & proinde aliquod tale poteſt huc pertinere; non autem conveniunt omnibus ac proinde &c. Itaque ſicut definitio differentiæ à Porphyrio tradita ſolum convenit ſubalternæ, & tamen tam ſubalterna quam infima ad tertium prædicabile ſpectant, ita definitio eius de Proprio tradita non convenit ſubalterno ſeu generico proprio qui eſt ſecundus modus ſupra & tamen ipſum ſubalternum huc ſpectare debet, & ad quartum prædicabile non minus quam infimum ſpectare.

ACTIO SECUNDA

Examinatur Definitio Porprii, & expediuntur dubia aliquot de ipſo, tam Phyſicè, quàm Logicè accepta

BREVIARIVM.

Nu. 1. *Impugnatur, ſed & defenditur Porphyrii definitio.*
2. *Exactius definitur proprium*
3. *Obiectio: figura quam inſeparabilis à corpore*
4. *Obiectio altera: Colores quomodo elementis proprii.*
5. *Hæc* Petrus eſt albus *non eſt omnino quinti prædicabilis.*
6. *Actum eſſe poſſe proprium.*
7. *Obiectio, Actus primus quomodo debet præcedere ſecundum?*
8. *Aliæ ſolutiones huius, vbi alii modi prioritatis.*

1. DOctor Subtilis q. 31. vniverſal. defendit Proprii definitionem à *Porphyrio a* traditam, eamque dicit eſſe ſynonimam definitioni *Ariſtotelis b* de eodem Proprio, adeoque nos vtramque approbare poſſumus. Definitio autem Porphyrii de proprio eſt quarta acceptio proprii apud ipſum quod *omni ſoli, & ſemper accidit* Ariſtotelis *Quod non indicat quid eſſe rei,* a cap. 3. Iſag. 1. Topic. 4.

venire aliis quam elementis, non tamen convenire illis modo proprietatis ſcilicet ita vt exigantur à natura ſubiecti, quomodo conveniunt elementis (non verò mixtis,) & propterea ſunt propria elementorum ſed nihil dicit, fallitur enim in eo quod exiſtimat hoc quod eſt *exigi connaturaliter* ſe habere ex parte proprii, non enim ita eſt, ſed ſe habet ex parte ſubiecti v. g. proprietas hominis riſus aut riſibilitas abſolutè & non tantum riſus connaturaliter factus aut exactus, alioquin non eſſet abſurdum quod alia animalia riderent, qui enim id diceret poſſet prætendere quod alia animalia non riderent connaturaliter, atque ita poſſet omnia omnibus attribuere, etiam eſſentias vt patet. Reſpondent *Conymb.* a primas qualitates eſse proprias elementorum licet inveniantur in mixtis, ideo enim ibi ſunt quia ipſa ſimplicia elementa ibi ſunt, componũtur enim mixta ex elementis. Sit ita; ſaltem elementa non componuntur ex elementis, & tamen eorum qualitates ipſis invicem conveniunt, aqua calet, terra humet &c. Reſpondeo ergo imprimis, has qualitates non eſse Metaphyſicè propria elementorum; id eſt inſeparabilia aut identificata: quia tamen exiſtimo etiam Phyſica propria huc pertinere (iuxta quod dixi ſupra illud To *ſemper* dividi poſſe in duo) dico qualitates illas non eſſe proprias elementorum in quocumque gradu, ſed in determinato puta in ſummo aut ſimili: at verò ſic ſumpta nulli alteri convenire poſſunt, nihil enim habet ſummum calorem v. g. niſi ignis. Dices etſi non poſſint alteri convenire poſſunt tamen elementis non convenire, poteſt enim aqua nõ eſſe ſumme frigida aut humida quod ſufficit. Reſponderi poteſt proprium elementi non eſſe vnam ſimplicem qualitatem, ſed combinationem duarum quarum vtraque ſeparari non poteſt ab elemento, licet vna poſſit, ſed. Contra facit, quod quando deeſt vna ex duobus non poteſt adeſſe combinatio, hic autem fateris deeſſe vnam, ergo non adeſt ſemper combinatio, adeoque non eſt propria. Itaque ad hæc vltimatè dici debet quod propria hic poſita, & deſcripta ſint ea quæ conſequuntur naturaliter ad ſubiecta ſibi ipſis promiſſa, licet aliàs valeant impediri. Colliges hoc ex exemplis Porphyrii, ſine dubio enim impediri poterit homo ne ſit bipes, & multo facilius ne caneſcat. Definiendum eſt Proprium ſecundò intentionale ſeu vniverſale, quod *prædicatur de pluribus in quale accidentale neceſſario connaturaliter* ſive cum exigentia ex parte ſubiecti. Intelligo autem abſolutam neceſſitatem, & intelligo proprium eſſe vniverſale non reſpectu ſpeciei, ſed reſpectu ſubiicibilium eius. Probatio definitionis eſt differentia eius ab aliis prædicabilibus nam per To *quale* differt à duobus primis prædicabilibus; per ſequentem a tertio; per duas poſteriores à quinto. Intelligo autem abſolutam neceſsitatem ſeu inſeparabilitatem quia Proprium hoc eſt demonſtrabile de ſubiecto, quod autem eſt demonſtrabile eſt abſolute inſeparabile ergo. Probatio vltimæ partis ſupra poſita eſt in ſimili de differentia quam oſtendi eſſe vniverſale, non reſpectu ſpeciei ſed reſpectu individuorum Vides ergo fragilem conſequentiam cuiuſdam moderni qui colligit per illa *omni. ſoli*, *& ſemper* definitum eſſe à Porphyrio proprium in ratione prædicabilis, non in ratione Proprii quia (inquit) Ly *omni* non convenit proprio vt proprium, ſic enim ſumptum proprium accidit vni ſoli: Ita ille, quaſi verò non poſſit alius pro ſe vti eadem definitione, & inde colligere definitum hic eſſe proprium vt tale non verò vt vniverſale, eò quod particula illa *ſoli* non poteſt accommodari ipſi vt vniverſale eſt, ſic enim debet competere pluribus, non autem vni ſoli. Illud ergo *omni* accipiendum eſt de omnibus individuis illius ſpeciei, ſicut etiam To *ſoli* de vna ſola ſpecie: vnde ſenſus totius eſt quod proprium debeat competere omnibus inferioribus illius tantum ſpeciei. Itaque meritò D. N. q. vniverſal. iudicavit hanc definitionem vtiq; proprio convenire, ſcilicet tam reali quam intentionali ſive proprio Metaphyſice & Logicè ſumpto.

Objicies paralogiſmum hunc. Proprium eſt proprium, ergo non univerſale, conſequentiam probabis quia univerſale debet eſſe commune, proprium autem contraponitur communi. Sed ego priuſquam eum ſolvam, retorquebo in authores, nam etiam Differentia tertium prædicabile eſt propria, quum ſit eſſentiale diſtinctivum rei à quovis alio, unde poſſumus ſic arguere. Differentia eſt differentia ergo non univerſale. Itaque argumentum hoc probat quod nos non negamus, ſcilicet proprium non eſſe univerſale reſpectu eius cuius eſt proprium, eſt enim proprium ſpeciei, univerſale reſpectu individuorum Objicio ulterius hanc & ſimiles, *homo eſt riſibilis* nam iſta nullius prædicabilis eſt niſi huius, erit ergo huius, atque ita Proprium habet eſſe prædicabile reſpectu ſpeciei ſed Reſpondeo propoſitionem illam quidem eſſe prædicati neceſſarii ſed nullius prædicabilis; quod ſi nitentur Adverſarii dicant mihi cuius prædicabilis prædicatio ſit iſta homo eſt animal rationale, aut hæc, animal eſt vivens ſenſitivum? Objicit b adhuc aliquis; albedo convenit homini *omni* non *ſoli* quia nullus eſt homo qui ſecundum aliquid ſui non ſit albus quin etiam Aethiops ſit albus ſecundum dentes, & ſimul conſtet alia ab homine eſſe alba atque ita convenit ei ſecundo modo Porphyrii, & tamen certum eſt eſſe prædicatum quinti prædicabilis reſpectu eius, ergo falſum eſt ſecundum modum proprii pertinere ad hoc prædicabile Reſpondeo omnia hæc non probare conſequentiam quod ſcilicet ſecundus modus proprii non pertineat ad hoc prædicabile: oppoſitum enim manifeſtum in hac & ſimilibus *homo eſt ſẽſitivus* ſive Loco *motivus ſui*, & univerſaliter in prædicatione paſſionis genericæ de ſpecie aut individuo. Confirmo doctrinam, quia communiter docetur Porphyrius fuiſſe diminutius in hoc & præcedenti capite, quia ibi non definivit niſi ſubalternam differentiam, hic autem non enumeravit niſi infima propria adeoque tenendam eſt quod ad quartum pertinent propria ſubalterna. hæc autem ſunt propria ſecundo modo vt vides, ergo. Itaque licet aliquod forte ſecundi modi huc non pertineat tamen non proinde ſecundus modus abſolutè huc non pertinebit. Deinde neque hoc ipſum do argumento, quin puto ipſum deſtruere ſe, nam ſi albedo ſit quinti prædicabilis reſpectu hominis, tam poteſt cuilibet abeſſe. Demus ergo ipſum deeſſe vni, iam non convenit *omni*, in quo vides exploſum fundamentum Poncii.

5. Denique dicam meum ſenſum de hac: homo eſt albus; exiſtimo illam aut certè alias ſimiles non tam certò eſſe quinti prædicabilis Cauſa quia iam ſupra vidimus colores, ſive eſſe coloratũ eſſe propriũ corporum mixtorum, oriuntur enim colores ex diverſo temperamento primarũ qualitatũ, atq; ita ſicut mixtum in genere exigit colorem vt ſic, ita tale talem. ſunt quidem colores aliqui quinti prædicabilis, ſed illi qui à pictoribus & tinctoribus illinuntur, non quæ ab intrinſeco ſubiecti procedunt.

a Quæſt. in Porphyr.

b Ponc. diſp. 8. Logic. qu. 6

cedunt. Redeo iam ad priora & probo ſecundùm modum proprii pertinere ad hoc prædicabile; ſive non requiri illud Ly *ſoli*: ſi enim ſupponamus ſingulis diebus aut horis nova ſpecies animalis produci, aut etiam reddi poſſibiles, certè non variatur proprietas ſenſitivi ſeu loco motivi ad hominem, eodem enim modo conveniet ipſi quo ante, & tamen minus conveniet *ſoli* ipſi. Confirmo efficaciter rem, explicando confirmationem proximè præcedentem ſic: differentia ſubalterna ſpectat ad tertium prædicabile non minus quàm infima, neque vllus vnquam diviſit ipſas, aut ſolam vnam tertio prædicabili appropriavit, quin potius taxant Porphyrium quod ſignificaverit ſe oppoſitum ſentire, ex quo infero, ergo *omni ſemper* etiam *non ſoli* pertinet ad idem prædicabile ad quod *omni ſemper* & *ſoli* patet, quia differentia infima eſt *omni ſemper & ſoli*; ſubalterna, omni ſemper non ſoli: ſi ergo differentia poteſt eſſe vera talis, nec tamen competere *ſoli* quanto magis proprium? adferri etiam poteſt huc genus quod manifeſtè eſt non ſoli & tamen eſt eſſentiale nam multo magis aliquod poteſt eſſe proprium & non ſoli, cum proprium denique ſit aliquid accidentale. Fallitur ergo qui exiſtimat Ly *omni* impertinens eſſe ad proprium, Ly *ſoli* requiri aut *omni* non pertinere niſi ad proprium vt prædicabile, cum viderimus oppoſitum evenire: nam hæc, homo eſt ſenſibilis, non eſt prædicatio alicuius vniverſalis, & tamen ad veritatem huius requiritur *omni*, non requiritur *ſoli*: Imo exiſtimo illud Ly *ſoli* omninò potuiſſe omitti in huius definitione. Moveor qui omittendo illud definitio complectetur propria tam infima quàm ſubalterna, adhibendo reſtringetur ad infima ſola: ſicut ergo in definitione differentiæ, illud *ſpecie differentibus* omnium judicio omitti potuit, imo debuit ſecundùm pleroſque vt definitio competeret omni differentiæ, ita hic videtur idipſum dicendum de *ſoli* quod ſi adhibeatur definitio reſtringetur ad propria infimæ ſpeciei ſolius, ſi omittatur extendetur ad ſubalterna.

6. Quæſitum eſt num Proprium ſemper dicat aptitudinem, an verò poſſit etiam actus eſſe proprius? Ad quod reſpondit *a* & meritò aliquis noſtrorum negativè, hoc eſt non ſolum aptitudines ſed etiam actus poſſe eſſe proprietates, quod etiam probatur inſtantiis illius, quia triangulo proprium eſt actu habere tres angulos æquales duobus rectis, inhærentia actualis eſt propria relationi. Denique Deo proprium eſt miſereri & parcere, nam quidquid ſit de his actibus in ſpecie quum non ſemper habuerit Deus materiam miſericordiæ, certum eſt aliquos actus voluntatis eſſe ei proprios atque etiam intellectus: Et deſcendo ab his Theologicis ad naturalia, videtur exemplum eſſe in proiectis quæ neceſſario habent actu ferri ſeu moveri, quia impetus illi impreſſus non eſt actus primus ſed ſecundus. Certè autem inſtantia eſt in paſſionibus diſiunctivis nam quodlibet ens neceſſariò eſt vnum aut multa, numerus neceſſariò eſt par aut impar, columna recta aut obliqua: & in hanc claſſem exemplorum poſſunt referri differentiæ omnes eſſentiales quarum ſingulæ ſunt accidentia reſpectu generis, ſed diſiunctum eſt ei proprium v.g. ens neceſſariò eſt abſolutum vel reſpectivum: animal rationale vel irrationale &c.

a Maſtr. diſp. 4. vniv. qu. 4. art. 1.

7. Obiicio tamen contra; ſi actus ſecundus ſit a quando proprium alicui ſequitur [quod eſt impoſſibile] actum primum non eſſe priorem ſecundo, ergo repugnat hæc noſtra reſolutio. Oſtendo ſequelam in exemplo illo relationis, ſi enim inhærentia actualis ſit propria ei ſine dubio debet aptitudinalis ſeu potentia inhærentiæ competere ei, ab actu enim ad potentiam notum eſt valere conſequentiam. Tum ſic, aut hæc eſt propria, aut accidentalis, aut eſſentialis. Eſſentialis non eſt ſecundùm nos, nam illa eſt eſſentialiter *ad* non autem *in*: ſi autem eſt accidentalis jam actus primus eſt poſterior ſecundo: ſi proprium ſaltem non eſt prior ſed ſimul. Explico hoc, eſſentia rei competit ei in primo inſtanti quod vocetur *A* paſſio in ſecundo quod vocetur *B* tum quæro an inhærentia aptitudinalis conveniat relationi in inſtanti B. ſi ſic, iam ſunt ſimul quod fuit intentum argumenti, nam inſtantia A, & C. non poſſunt prætendi, quia A. eſt inſtar eſſentiæ C. inſtar accidentium communium. Reſpondeo, argumentum; etſi valde apparens non poſſe habere vim, & cuivis ſolvendum eſſe, nam non ſolùm quædam proprietates conſiſtunt in actu ſed etiam quædam eſſentiæ, quia actualis exiſtentia eſt de eſſentia Dei, tum autem redit ille diſcurſus de prioritate actus primi ſeu potentiæ ad exiſtendum, debet enim aut eſſe ſimul, quod eſt abſurdum ab argumento intentum; aut prius quod eſt adhuc magis impoſſibile, nego ergo ſequelam; aut, ſi voles, diſtinguo, actus primus Phyſicus aut Metaphyſicus, qui eſt principium elicitivum aut emanativum ſecundi, cuiuſmodi actus eſt eſſentia animæ v.g. reſpectu potentiarum intellectus & voluntatis, aut ipſæ potentiæ reſpectu actuum ſuorum non poteſt ſimul eſſe cum ſecundo concedo; actus primus Logicus, id eſt non repugnantia ad actum non poteſt eſſe ſimul cum ſecundo, nego & talis eſt actus primus qui contingit in his quarum paſſio aut eſſentia conſiſtit in actu. Do huius inſtantiam in creatis, vt abſtraham à Theologiâ illâ de Deo cui actualis exiſtentia eſt eſſentialis Actio, v.g. calefactio poteſt calefacere, non tamen prius quam calefacit, quia actuale exercitium calefaciendi eſt ipſa eſſentia eius quâ nihil poteſt ei prius competere.

8. Addere poſſum vnam ſolutionem, negando minorem vniverſaliter, ſive oppoſitum eſſe impoſſibile: fateor in ſe prior eſt actus primus ſecundo, ſed in aliquo poteſt eſſe non prior, ſic animal prius eſt rationali, tamen Petrus non prius eſt animal quam rationale. Tertiò dici poteſt vtrumque eſſe altero prius, ſed diverſo modo ſicut privatio formæ prioris prior eſt inductione ſecundæ, & hæc eſt illâ prior. cum ſit cauſa eius. Poſſem quartò reſpondere ſed pergo vt ſit nobis

ACTIO TERTIA.

Vtrum Propria paſſio ſit inſeparabilis realiter ſubiecto, nec ne?

BREVIARIVM

Num. 1. *Proprium identificari realiter ſubiecto demonſtratur.*

2. *Reſponſio Thomiſtarum ad dictam probationem; reiicitur.*

3. *Alia evaſio, aliquoties refutata.*

4. *Allata inſtantia contra rationem, ſolvitur.*

5. *Probatio alia concluſionis.*

6. *Tertia probatio; omnes à poſteriori.*

7. *Probatio Scoti à priori proferetur & defenditur.*

8. *Obiectio prima. An ſubiectum ſit cauſa paſſionis?*

9. *Obiectio ſecunda. Expenditur axioma celebre Scoti.*

10. *Aliæ duæ obiectiones allatæ & ſolutæ: Vbi de differentia divinorum & creatorum attributorum.*

11 *Quæſitum. An paſſio inferior excludat ſuperiorem.*

1. RAtione ly *ſemper* poſiti à Porphyrio in definitione Proprii hæc quæritur quam neceſſario inſit proprium ſubiecto, num ita ut ſolum naturali virtute ſit inſeparabile à ſubiecto; An inſeparabile ſit etiam abſoluta & ſupernaturali potentia Dei; In qua controverſia primam illam partem tenent communiter Thomiſtæ cum ſuo *a* Doct. contra quem. Dico ad quæſtionem negativè; hoc eſt proprium non poſſe ullius potentia à ſubjecto ſuo ſeparari Ita D. Noſter *b* ſæpe, hic & alibi paſſim quem præter ſubtiles ſuos ſequuntur etiam externi ſententiam late ſuſtinet Ioan. Can. 1. 1 Phyſ. Probatur primo, argumento à poſteriori; ſi per ullam potentiam ſeparari poſſet paſſio à ſubjecto contingere poſſet concluſionem demonſtratam eſſe falſam; Hoc autem abſolutè impoſſibile eſt, ergo ſimiliter impoſſibile eſt paſſionem à ſubiecto ſeparari Minor huius eſt Philoſophi 2. *Poſter. tex* 15 & vbicumque definit aut tractat ſcientiam & demonſtrationem, quam dicit eſſe de neceſſariis & impoſſibilibus aliter ſe habere; Maior autem probatur, quia concluſio demonſtrationis potiſſimæ eſt affirmatio coniunctionis proprii cum ſubiecto vt notum eſt, ergo. Idem argumentum militat in demonſtratione *quia* ſive à poſteriori vt infra deducam: & forte eſt efficax, & vel ſolum ſufficit concluſioni; Vnde Adverſarii variè ipſum eludere conati ſunt

a 1. Part. q. 77 art. 1. *b* [illegible] Metaph. [illegible] dist.

2. Omnes tamen evaſiones ad vnam hanc reducuntur. Dicere enim poſſent non poſſe vnquã ſubiectum ſic ſeparari à paſſione quin exigat ipſam licet poſſit fieri ne habeat eam, vel ſic; poſſe riſibile v. g. & rationale ſic ſeparari, ne animal rationale ſit formaliter riſibile, non poſſe tamen vnquam ſic ſeparari ne ſit radicaliter tale, quod ſufficit. Sed hoc nec eſt verum, nec ſi eſſet, ſufficit; quod patebit examinando vtrumque, nam (quoad primum) quæro quando prædicatur & demonſtratur paſſio de ſubiecto, ſic dicendo: homo (v. g.) eſt riſibilis, aut prædicatur exigentia riſibilitatis de homine aut ipſa riſibilitas: ſi exigentiã dicant, contra ſe reſpondent ſic enim paſſio erit inſeparabilis à ſubiecto, nam cum exigentia ſit inſeparabilis & ſit paſſio ſequitur quod paſsio ſit inſeparabilis ſi riſibilitas ipſa, iterum contra ſe reſpondent, nam ſic non ſola exigentia erit paſsio, ſed etiam id quod exigitur Confirmo intentum contra ipſos qui planè intendunt priorem ſenſum quod paſsio ſit exigentia ipſa, quia hoc poſito poſſemus demonſtrando inferre hanc concluſionem, ergo homo ridet: ſequela probatur, nam ſi reducatur ad ſenſum exigentiæ, eſt veriſsima & neceſſaria, certum eſt enim quod homo connaturaliter exigat actualem riſum, cum propter illum habeat aptitudinem, ſicut vniverſaliter omnis potentia eſt propter actum; hanc autem concluſionem nemo dicit eſſe demonſtrabilem, nec facit in ſcholis illum ſenſum, ſed facit ſenſum inexiſtentiæ. Tum autem manifeſtè dant manus Adverſarii, nam ſi illa concluſio eſt perpetuò & infallibiliter vera ifallabiliter erit coniunct a homini riſibilitas, quod eſt intentum.

3 Secundæ reſponſionis idem ferè eſt ſenſus, vix enim eſt aliud exigere hoc, quam eſſe virtualiter tale, atque adeo eodem argumento impugnata eſt, & vel maximè vapulat, ſecundâ illâ ratione de riſu actuali, nam etiam homo eſt virtualiter ridens, nempe habet principium vt rideat (& quid eſt aliud eſſe virtualiter tale quàm habere huius virtutem? & tamen non poteſt demonſtrari hæc, *homo ridet*, ergo. Obiter etiam occurrit mihi alia refutatio harum evaſionum, nam ſi ſenſus huius, homo eſt riſibilis, ſit iſte, homo eſt virtualiter riſibilis, ſeu habet potentiam ridendi, iam homo habet potentiam potendi ridere, quod eſt ridiculum, nec enim datur potentia ad potentiam ſed ad actum, omnis enim potentia eſt ad aliquid actu agendum ac patiendum vt conſtat. Atque ita facile eſt tam extraneas ſolutiones reiicere, habeo tamen ipſe quod contra rationem illam,

4 Obiiciam. Etſi concedatur paſsio demonſtrati de ſubiecto, idque quoad exiſtentiam, & non tantum quoad exigentiam adhuc non habetur abſoluta connexio vtriuſque in omnem eventum vt nos volumus, ſed tantum ordinaria, nam in Aſtronomia multa demonſtrantur, quæ abſolutè ſeparari poſſunt; demonſtratur enim Eclypſis Solis aut Lunæ, & tamen hæc Eclypſis non eſt abſolutæ certitudinis, ſed tantum naturalis, quia ſupernaturaliter impediri poteſt, ergo. Reſpondeo facile, ſi ſupernaturaliter impediri poteſt non fuiſſe demonſtratum, nam quid eſt opus ſexcenties repetere infallibilitatem ſcientiæ, & demonſtrationis per quam gignitur, vt debeat eſſe de neceſſariis, per ſe ſecundum quod ipſum &c. quæ ſolo proſe-

proſequitur Philoſophus citatus, ac denique de impoſſibilibus aliter ſe habere, quam impoſſibilitatem repetit ſeu vult bis hic intercedere, ſemel ex parte rei, iterum ex parte potentiæ ſive ipſius demonſtrantis vt ipſe certiſſime ſibi perſuadeat [ſi concluſionem demonſtravit] non poſſe oppoſitum evenire? ex quo. Redeo ad rationem meam & confirmo eam ſic: ſi enim poteſt vllus ſeparare ſubiectum à ſua paſſione ſequitur nos nihil certò ſcire, ſed omnem noſtram cognitionem eſſe opinativam & dubium, ſeu potius nos debere de quacunque quantumvis demonſtrata dubitare, quod eſt implicantia quia deſtruit ipſam demonſtrationem vt vidimus. Sequela tamen probatur, ſi enim poteſt Deus ſeparare paſſionem à ſubiecto, vnde mihi conſtat, quod ita non faciat hic & nunc, quando ego demonſtro; atque ita poſſum, imo debeo dubitare an concluſio à me demonſtrata ſit vera? Confirmo adhuc rationem, nam ſi paſſio poteſt aliquando non ineſſe ſequitur quod non ſolum concluſio demonſtrationis ſit falſa ſed primum eius principium, nam ex præmiſſis illius demonſtrationis iſta eſt maior: omne animal rationale eſt riſibile iſta eſt falſa ergo.

5. Probo aliter concluſionem inſtantia, quæ ſit de potentiis animæ v. g. intellectu & voluntate, quas, omnes ſupponunt eſſe animæ rationalis paſſiones, ſicut aliàs potentias animæ vegetativæ & ſenſitivæ reſpectivè. Arguo ergo ſic, intellectus non poteſt ſeparari ab anima rationali, intellectus eſt eius paſſio, ergo aliqua paſſio eſt abſolutè inſeparabilis à ſubiecto; ſi autem aliqua certè omnis, vtique enim eadem eſt conditio omnium. Probo ergo maiorem, ſi intellectus ſepararetur ab anima rationali tum anima illa poſſet eſſe nec eſſe rationalis, hoc autem implicat in terminis vt vides, eſt enim idem eſſe & non eſſe ſimul, ſcilicet animam rationalem non eſſe rationalem, ergo Maiorem probo ſic, anima eſt rationalis per intellectum, eſt enim rationalis per id quod poteſt ratiocinari aut diſcurrere, [hoc nempe eſt eſſe rationale,] intellectus autem eſt id per quod poteſt diſcurrere ergo eſt rationalis ratione intellectus, atque adeo ſeparato ſeu ablato intellectu, ſi maneret ipſa irrationalis. Dices animam eſſe rationalem per differentiam ſuam eſſentialem, atque adeo eſſe rationalem ante illas potentias. Reſpondeo, verum eſt, ſed videret reſpondens an haberet ipſam differentiam ſine intellectu, certe principium ſufficiens ratiocinandi non haberet, aliàs de facto intellectus non concurreret ad diſcurrendum. Vrgeri poteſt probatio in hunc modum: ſi ſeparari poſſet paſſio à ſubiecto v. g. riſibilitas ab homine, ſequeretur quod non converteretur cum ipſo, non ſolum quia daretur homo v. g. non riſibilis, ſed quia daretur riſibile non homo, hoc ſuppono falſum eſſe, ſed probo ſequi, quia riſibilitas ſeparata ab homine poſſet in alio ſubiecto poni, quidni enim? aut quomodo id repugnant noſtro modo bene id repugnat & facilè aſſignatur ratio, quia identificatur realiter ſubiecto; modo Adv. non. Dices riſus actualis etiam ſecundum nos diſtinguitur realiter à ſubiecto, nec tamen poteſt convenire alii ab homine ſecundum Adverſarios, non ideo tamen tenentur admittere quod poſſit convenire alteri. Reſpondeo caſum eſſe diſparem hinc inde, quia ad hoc vt quidpiam reddatur riſibile ſufficit dare ei riſibilitatem, illo paſſivè ſe habente quod fieri poteſt ſi ſeparari ab homine poſſit, at verò ad ridendum opus eſt actione & conatu, qui non poteſt haberi ab eo qui non habet actum primum ſeu principium ridendi: Probo aliter de novo concluſionem, ſi proprium eſſet ſeparabile à ſubiecto ſequeretur proceſſus infinitus in paſſionibus, hic eſt abſurdus in omni ſententiâ & materiâ, ergo, probo autem ſequelam, ſeparetur riſibilitas ab homine, & tum quæro an ſubiectum homo ſit aptum natum recipere illam an non: ſecundum dici non poteſt, ſi autem dicatur primum, quæro an ſubiectum ſe ipſo ſit aptum recipere riſibilitatem illam, an verò alia aptitudine diſtincta & ſeparabili: Primum eſt intentum noſtrum iam enim aliqua paſſio eſt identificata realiter ſubiecto, ſcilicet illa aptitudo ſi autem alia aptitudine ſit aptum, quæram de illa alia ſimiliter & ita aut dabis aliquam identificatam ſubiecto quod prætendimus, aut dabis proceſſum infinitum in aptitudinibus quod eſt ridiculum. Confirmatur, eatenus ponitur aptitudo ad aliquid in ſubiecto, quatenus ſubiectum poteſt & habere ipſum & non habere, vnde non ponitur aptitudo in nulla re ad habendam ſuam eſſentiam aut aliquid illius ergo, ſi aptitudo quæ eſt proprietas v. g. riſibilitas ſit ſeparabilis, ad illam dabitur aptitudo &c. vt ſupra

6. Probo etiam ſic: ſi proprium eſſet ſeparabile per vllam potentiam à ſubiecto non relinqueretur diſcrimen inter accidentia quarti & quinti prædicabilis, conſequens eſt abſurdum, alioquin illa non eſſent quartum & quintum, ſive duo prædicabilia, ſed vnum, ſequela probatur, quia diſcrimen vltimatum inter illa prædicabilia eſt ſeparabilitas vnius, & inſeparabilitas alterius, hæc non contingeret tum vt vides, ergo. Vel ſumo clarius ſic, ſi inſeparabilitas quarti non eſſet abſoluta ſed tantum in ordine ad naturalem potentiam non differret vniverſaliter ab inſeparabilitate quinti, nã etiam aliqua quinti prædicabilis ſunt naturæ viribus inſeparabilia, vt levitas & calor ab igne, intelligendo diſtributivè de ſingulis ſeorſim, frigus & humor ab aqua intelligendo ſaltem de vtroque coniunctim, ergo. Dices non ſolam hanc eſſe differentiam eorum ſed quia vna emanat à principiis intrinſecis ſubiecti, altera non. Contra ſi intelligatur emanatio propria id eſt Metaphyſica productio alicuius indiſtincti realiter à ſuo principio habetur intentum concluſionis; ſi autem productio Phyſica alicuius diſtincti realiter in hoc non eſt diſparitas, nam etiam alia accidentia, ſic emanant, & ſic petunt ineſſe v. g. frigus ab aqua. Atque hæ ſunt rationes huius à poſteriori.

7. A priori autem probatur illa argumento Doctor. cit. Quoniam non eſt poſſibile cauſam neceſſariam ſeparari, ſeu poni ſeorſim à ſuo effectu; Eſſentia ſubiecti eſt cauſa neceſſaria proprietatis ergo non poteſt illa ſeparari ſeu poni ſeorſim à proprietate, ſed enim hæc res patitur inſtantias, & tota verificatur in iis quæ ab invicem ſeparari poſſunt, v. g. Aqua eſt cauſa frigoris & humiditatis, quæ tamen ſingula poſſunt ab ea ſeparari, vt notum eſt. Hic ergo atque etiam in ſequenti obiectione num. 8. neceſſe eſt Scotum defendere, quod fiet ad propoſitum reiiciendo inſtantiam aquæ in primis quoad ſeparabilitatem naturalem ſic. Non poteſt natura ſeparare frigus ab aqua niſi inducendo oppoſitam qualitatem ſcilicet calorem, atqui non poteſt induci oppoſitum riſibilitatis homini, ergo non poteſt

poteſt

Digitized by Google

poteſt ab illo ſeparari riſibilitas, atque ita non obſtante illa inſtantia aquæ, ratio Doct. valet apparet enim longè alia neceſſitas eſſentiæ in cauſanda paſſione & alia aquæ in cauſanda frigiditat, quod ulterius probo etiam in ordine ad potentiam ſupernaturalem ſic. Non poteſt homo eſſe & non poſſe ridere, ergo riſibilitas non eſt ſeparabilis ab homine; probo antecedens ad hominē, quia ſecūdùm ipſos adverſarios non poteſt homo eſſe &c. quin ſit virtualiter riſibilis, nec aqua quin ſit virtualiter frigida; quid autem eſt hoc niſi non poſſe eum eſſe niſi habeat virtutem ridendi, quod ſine dubio eſt idem ac eſſe riſibile. Dicet forte aliquis riſibilitatem formalem eſſe paſsionem hominis, hanc eſſe ſeparabilem, adeoque ſed quorſum illa riſibilitas formalis, ſi per virtualem poteſt haberi actus ridendi, quod autem poſsit oſtendo, hoc medio. Quidquid poteſt cauſare cauſam alicuius effectus, poteſt ipſū effectum immediatè cauſare, quando cauſa & effectus ſunt vnivoca ſeu eiuſdem rationis, & differunt ſolùm per hoc quod vnum ſit actus primus, & aliud actus ſecundus: ſic autem eſt in propoſito, ſic enim differunt riſibilitas & riſus iuxta adverſarios, ergo. Supereſt tantum confirmare illam maiorem, quod facio his inſtantiis: Quia enim habitus & actus ſic differunt propterea potentia quæ poteſt actum mediante habitu cauſare poteſt eum immediatè cauſare, & ignis qui calefacit mediante calore, certè ſi auferretur ei calor, poſſet calefacere aliter nunquam reduceret ſe ad calorem quod falſum eſt. Dices, nec malè; ſi diſcurſus valeret ſequi quod aqua poſſit frigefacere, ablato ei frigore cuius oppoſitum experimur. Reſpondeo negando ſequelam, neq; experientia eſt in oppoſitum diſcurſus facti, non enim habemus experientiam de aqua ſpoliata frigore niſi etiam accipiat calorem, hic ergo impedit frigefactionem.

Fit ſatis argumentis in oppoſitum.

8. Obiicies hinc ipſum: omnis cauſa neceſſaria diſtinguitur realiter à ſuo effectu ſubiectum ſecundum non eſt cauſa paſſionis, ergo diſtinguitur realiter à paſſione, ex quo duo ſequuntur contra nos; nempe nos dicimus illa identificari realiter quia ſunt inſeparabilia, hinc autem habetur ſeparabilia eſſe quia diſtinguuntur, diſtingui autem quia cauſantur, & cauſ[illegible]nt hinc inde. Reſpondetur diſtinguendo maiorem, cauſa Phyſica ſeu effectiva diſtinguitur realiter ab effectu concedo, Metaphyſica ſeu emanativa nego: ſi quæras quænam ſit Phyſica & effectiva. Dicetur eſſe illa quæ mediante actione vera cauſit; emanativa è contra quæ non utitur tali actione. Ita noſtri communiter, *a* quanquam non omnes tam exactè diſtinguant de actione & non actione ſed ſolum adhibent cauſam Phyſicam & Metaphyſicam, in quo mihi videntur (venia ipſorū) circumire aut petere principiū nam cum explicent cauſam Phyſicā per hoc quod eſt diſtingui realiter ab effectu; dicere in ſolutione quod cauſa Phyſica ſit diſtincta ab effectu, plane idem eſt ac dicere quod cauſa effectus realiter diſtincti, eſt realiter ab effectu diſtincta. Sed nec noſtra via caret ſua difficultate; Olim contra ipſam ſic argui: Eſſentia eſt eadem realiter paſsioni ſecundum nos, ergo ſi eſſentia emanat paſsionem realiter ſive entitatem illam quæ eſt paſsio emanat realiter ſe ipſam Præterea emanans eſt prius ratione aut origine re emanata (ut ſic ſignificantius dicam,) atqui eadem res non poteſt eſſe prior ſe ipſa & quæ non evaduntur dicendo formalitatem unam eſſe poſteriorem alia, & cauſari ab ea nam argumentum currit de re quæ eſt paſsio quam probat non poſſe ſequi ad rem quæ eſt eſſentia. Adhuc contra. Emanatio illa eſt genus quoddam actionis ſeu influxus (per illam enim ſupponitur paſsio accipere ſuum eſſe) ergo non poteſt eſſe niſi rei ſingularis; atqui propria paſsio non ineſt primo rei ſingulari, ſed univerſali ergo non ineſt per emanationem. vel ſic: omnis actio, & quaſi actio accedit naturæ poſt ſingularitatem, omnis paſsio ſeu proprietas accedit ante poſt ſingularitatem, ergo nulla actio eſt propria paſsio. Minor, ſi negatur, inde probanda eſt, quia accidens proprium prius accedit rei quam accidens commune. Proprium eſt proprium ſine dubio, ſingularitas autem reſpectu naturæ eſt commune, ergo. Vt omittam quæ de ipſa actione dici poſſunt ab aliis in quorum ſententia non eſt unquam diſtincta à termino & agente. Itaque exiſtimo emanationem illam (& idem eſt in omnibus realiter identificatis) nihil aliud eſſe, quam quod eſſentia poſtulet annecti ſibi principium talium operationum, re autem vera cauſam paſſionis eſſe illam quæ eſt cauſa eſſentiæ, idque totaliter ut nulla actio relinquatur eſſentiæ reſpectu eius, quo non obſtante retinendus eſt modus ille communis loquendi de emanatione & tantum intelligendus ut monui jam dictis.

a [illegible]

9. Objicies 2. Omne prius in quantum tale poteſt eſſe abſque poſteriori; ſubiectum eſt prius paſſione, & præterea abſolutum quid,) quod inter eſt plurimum, & prævenit inſtantiam de relatione quæ non poteſt eſſe abſque correltaione) ergo poteſt ſubiectum eſſe abſque paſſione. Major eſt principium familiare ſubtilibus ex D. 2. d. 12 q. 2 num. 3. Vbi per ipſum probat materiam poſſe eſſe abſque forma. Confirmatur: nullum prius dependet à poſteriori, ſubjectum eſt prius paſsione, ergo non dependens, ſi autem non poſſet eſſe ſine illa, utique dependeret ergo. Reſpondet aliquis maiorem eſſe veram in iis quæ realiter diſtinguuntur ſecus in illis quæ identificantur, ut contingit ſubiecto & paſsioni; ſed quam rectè, quum ratio hæc ſi quid valeat, probet non identificationem eorum, atq; ita hæc ſolutio videtur eſſe pœnè aut etiam penitus repetitio principii. Alius reſpondit ita eſſe ſemper, niſi ubi occurrit ſpecialis repugnantia occurrit autem in propoſito, adeoque. Sed ſi poſsūt occurrere huiuſmodi repugnantiæ jam illud principium eludi poteſt pro cuiuſque libitu, & quum uteretur eo D. ad probandam ſeparabilitatem materiæ & formæ vel viciſsim ſtatim redigi potuit ad ſilentium ab adverſario prætendente repugnantiam. Itaque reſpondendum eſt ad argumentum negando maiorem in illis terminis qui non ſunt Doct. ſed ait Doct. *Abſolutum diſtinctum & prius alio abſoluto poteſt abſque contradictione eſſe ſine illo.* In hac autem forma nego minorem argumenti, nam non eſt hic aliud, & aliud, ſed utrobique unum, quia ſubiectum & paſsio ſunt una res. Erat ad propoſitum Doct. principium illud quia conſtabat materiam diſtingui realiter à forma, & dubitabatur de eius ſeparabilitate: ego merito utar eo contra quoſdam, qui exiſtimant ſe Scotiſare, dum tenent totum à partibus diſtingui; quia principium illud deſeruit ad probandam ſeparabilitatem diſtinctorum non autem ipſa diſtinctionem; & ex his patet ad confirmationem nam etiam depentention exercetur inter plura quum idem non poſsit dependere à ſe: hic autem non ſunt plura ſed unum; atque ita conceden-

cedendum eſt totus prior ſyllogiſmus, & negandum ſub ſumptum, non enim ideo repugnat ſubjecto eſſe ſine paſsione, quia dependet ab ea, ſed quia eſt idem ipſi, ſicut etiam non poteſt eſſe ſine ſe ipſo & tamen non dependet à ſe. Ad ipſum autem medium in ſe puto non eſſe repugnantiam aut abſurdum quod prius dependeat à poſteriori. Sic genus eſt prior differentia, & tamen dependet quo ad eſſe à differentia, (intelligo contractivã.) Materia eſt prior forma & tamen dependet, forma denique ipſa eſt prior accidentibus & tamen dependet ab illis, itaque illa prioritas naturæ reddit ſic prius independens quoad intelligi, non quoad eſſe.

10. Objicies 3. Attributa divina quæ ſunt quaſi paſsiones eſſentiæ, identificantur realiter tantum eſſentiæ divinæ quæ eſt quaſi ſubjectum earum, ergo creatæ paſsiones non identificantur realiter ſuis ſubjectis, quia nimirum multo maior identitas & ſimplicitas concedenda eſt divinis quam creatis in omni ordine. Hoc argumentum eſt ad hominem contra Scotiſtam, nam Thomiſta quis poneret etiam formalem identitatem inter illa, facilè evaderet negando maiorem : Ego autem nego conſequentiam, & oſtendo Adverſario negandam; nam ſi valet illa, nullius rei extra Deum paſsio identificatur ei quod eſſe falſum apud ipſos, etiam conſtat in ente, nam ens identificat ſibi unitatem bonitatem &c. itaque non differunt divina à creatis in omnibus, ſed conveniunt in nonnullis ex quibus hoc eſt unum. Objicies ultimo nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale ſimul: eſſentia rei v. g. hominis eſt virtualiter riſibilis ergo non eſt formaliter talis. Huic putavit aliquis *a* ſe reſpondiſſe exemplo ignis, qui eſt virtualiter calidus quatenus poteſt producere calorem, & formaliter per calorem receptum; Sed enim non ſufficit ei exemplum ad negandam majorem illam in omni ſenſu; quod ut pateat, formetur ſic illa : Nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale per eandem formam : quo dicto ſufflatur inſtantia ignis, nam non eſt eadem realiter forma qua ignis eſt virtualiter, & qua eſt formaliter calidus: eſt enim ſua ſubſtantia virtualiter calidus, formaliter autem accidentè ſuperaddito. In hac autem forma, probo argumenti maiorem quia nulla una forma poteſt dare plures effectus formales ſpecie diſtinctos. At vero eſſe virtualiter, & eſſe formaliter tales ſunt ectus ſpecie diſtincti, ergo. Sed etiam ſic formato argumento nego vel diſtinguo maiorem ſic : nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale per eandem realiter formam nego, per eandem tam realiter quam ſpecificè ſive ré & ratione concedo, & ita hic contingit ſubjectum & paſſio ſunt unum quid realiter diverſum ſive plura formaliter & ratione; atque ita poſſunt reddere virtualiter & formaliter tales; & niſi hoc ita foret genus & differentia, Eſſentia & ſingularitas non darent diverſas denominationes; nam etiam hæc ſunt una res.

a Ponc. ſup. d. 8. q. 2.

11. Quæritur utrum paſſio inferior includat ſuperiorem? Reſponde quod ſupra dictum eſt in ſimili de differentiis, nam etiam Propria ſunt differentiæ, etſi non propriiſſimæ. Vlterior ratio eſt quia ſi includeret inferior paſſio ſuperiorem, tum inferior non eſſet propria, ſed ſecunum aliquid commune: v. g. riſibilitas vel *alia paſsio* hominis ſi includeret paſsionem animalis non eſſet ipſa tota propria homini. Sed hæc ratio non eſt plena, neque aliæ ſupra videntur hic locum habere, unde de hoc denique ſum dubius. Sed quid ad illud, an includat genus aut differentiam ſubjecti? an riſibilitas v.g. includat animal aut rationale videtur enim quod ſic quia exercitium paſsionis includit exercitium generis v.g. riſus actualis includit ſenſationem. Deinde quis dubitet quin riſus ſit actus vitalis? atque ita includit exercitium vitæ ex quo ſequitur quod riſibilitas includat rationem viventis quod eſt genus. Denique admiratio (quæ ponitur paſsio hominis) eſt aliqua ratiocinatio, atque adeo includit differentiam quæ eſt rationale, & ſi non ipſe actus ſecundus admirationis, ſaltem admirativitas quæ eſt actus primus & paſsio, nec refert quod non includat ratiocinationem hoc eſt diſcurſum, nam ſi hoc requireretur, nec ſimplex apprehenſio eſſet exercitium rationalis in homine, ergo. Puto tamen probabilius reſponderi negativè. Primum & ſecundum argumentum ſupra ſoluta ſunt in ſimili Apolog. præced act. 5, num. 6. & ſimiliter ſolui tertium poſſet; ſed non eget ea ſolutione, nam admiratio non videtur eſſe actus ſed mera paſsio, ſicut verecundia aut dolor. Cur autem reſponderim ad quæſitũ negativè, cauſa eſt, quia ſi riſibile v.g. includeret animal aut rationale, tum homo eſſet bis animal, aut bis rationale, ſemel per genus aut differentiam, iterum per paſsionem. Deinde ſi riſibile includeret rationale, tum animal cauſaret rationale actu, quum tamẽ non includat ipſum niſi in potentia. Nec valet quod non cauſet ſe ſolo rationale, ſed cum alio, nam neque cum alio poteſt cauſare niſi includat ipſum in virtute ſua actu ſaltem partialiter, & alia huiuſmodi addi poſſunt quæ omitto.

Agunt de Proprio.

Porphyr. *hinc cap.* 5. S. Auguſtin. in Cathegr. cap. 9. & lib. 4. de Trinit. cap. 3, & 4. Albertus Magnus *tract. 6. de Propr. cap. 1. & tr. 7 cap. 1.* Och 1. *p. Log. cap* 24. & *in expoſit cap. de Proprio* Albertus parvus *q. un. de propr.* D. Th. *opuſc.* 48 cap 7. Lovanienſ & Canter in *hoc cap.* Arago *lib. 3. Met.* Gallego hic *contror. 18* Ioan. de Magiſt. *q. 9. Log* Ioan. Anglic. & Brahavol. ſuper q. 30. & unic. Scot. cap. 1. *diſt. 3. q. 3.* Caet. 1. *p. q. 52. ar. 3.* Socin. 8. *Met. q. 1 ad* 4 Ferrarien. 4. *contr. Gent. c.* 65. Soto *q. 2. de Propr.* Bannes 1. *p. q. 73. ar.* G. Tartar. de prop. *dub. 1, 2* & Ioan. Canon. 1 *Phyſic. q. 4. ar. 2.* Trumbeta 4. *Met. q.* 4. Lychez *q. 3 prolog.* Faber. 4. *Met diſp.* 6. Flandria 5 *Met.* Maſsius *cap. de Propr.* Fonſeca 5. *Met. c.* 29 *q. 19* Gregor *2. d* 16. *q. 3.* Gabriel 161. *q. 1.* Marſil. 1. *q 7. ar. 3.* Durand. 2. *d. 3. q* 2. Conymb. in *Coment. huius* cap. & q. *de Prop. artic. trib.* Complutenſ. hic *diſp. 8.* Averſa *q. 10* Rodriq. & Mauritius in *expoſ. q. 30. Vn. Doct.* Poncius. Merinet. *propria diſp.* Maſt. & Bell. *diſp. 5. q. 4.* Amicus tract. 8. *Logic.* Hurt. Ariaga Oviedo & *Recent. ſupra citati.*

APOLOGIA VLTIMA.

DE ACCIDENTE QVINTO PRÆDICABILI.

Act. I. Examinat definitionem illam Accidentis. Quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem.

Actio II. An & quomodo Accidens ſit univerſale diſtinctũ à Proprio? & alia ſparſim de utroque prædicabili reſolvuntur.

Scot. 7. Met. q. 4. num. 1.

QVod non ſit intentio Philoſophi negare omnem entitatem formaliter ab accidentibus præter entitatem ſubſtantiæ actu, videtur Philoſophi 4. Phyſ. tex. com. 58 poſito quod in aliquo ſpacio ſit tantum ſonus quærit utrum illud ſpacium ſit vacuum? & reſpondet quod ſi in ſpacio poteſt recipi corpus vacuum eſt, ſi non, non eſt vacuum. Poſito ergo quod accidens non poteſt eſſe ſine ſubiecto, ſequitur contradictoria ſimul vera videlicet quod ibi ſit corpus & quod non

Idemque 2 prædicab. n. 2.

Ad quæſtionem dicendum quod Proprium & Accidens *ſunt diſtincta univerſalia, quia accidentium quædam ſunt ab intrinſeco; & hoc vel ratione materiæ, ut quantitas, vel qualitatum activarum ſicut qualitates ſenſibiles quædam ab extrinſeco, & hoc dupliciter, vel manent amoto illo extrinſeco, ut nigredo ab æſtu, vel non manent, ut calor vel figura aquæ quæ ſibi relicta redibit ad propriam naturam. Nullum iſtarum eſt proprium quia nullum convertitur, eſt enim defectus in aliqua trium particularum requiſitarum ad convertibilitatem, vel in omnibus.*

ACTIO PRIMA.

Examinat definitionem illam Accidentis *quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem.*

BREVIARVM.

Nu. 1. *Defenditur definitio Accidentis. 1. difficultas cõtra eam*

2. Secunda difficultas etiam ſoluta, num aliquod ſit inſeparabile?

3. Solutio huius, & diſcrimen quarti ac quinti prædicabilis.

4. Tertia obiectio conſequentia à coniuncto ad diviſum, qualis?

5. Accidens, num ſit prædicabile de ſpecie an tantum de numero differentibus?

1. EXamen autem ad duo extendetur, ſive ad vnum dupliciter ſumptum, ſcilicet ut reſolvam an illa deſcribat accidens reale, ſive primò intentionaliter ſumptum? & deinde an accidens prædicabile ſive ſecundo intentionaliter ſumptum. Dico autem illam bene convenire accidenti realiter ſeu primò intentionaliter ſumpto; hoc eſt materiæ ſeu ſubſtrato quinti prædicabilis. Ita D. qu. 35. præd cab. & cum eo ſui omnes atque etiam a externi ſe uſque ad noſtrum ſæculum in quo Recent. aliqui corrigere eam, & carpere authorum ſolent. Probanda eſt ſolutionibus obiectionum, quas claritatis cauſa, diſponam ſeorſim ab invicem in duas claſſes & primò eas quæ faciunt contra particulam *adeſſe*; adverſus quam. Obiiciuntur mors, conflagratio, calor ſummus, & ſimilia quæ non adſunt niſi cum ſubiecti corruptione, nam mors corrumpit ſive deſtruit animal, conflagratio lignum, calor ſummus aquam, & tamen ſunt accidentia de quibus hic. Hæ enim prædicationes, homo moritur, lignum ardet, aqua caleſit, & ſimiles ſunt quinti prædicabilis ergo. Iſtæ inſtantiæ magnam moleſtiam attulerunt omni ævo Logicis, vt apparet ex ipſorum inventionibus ad evadendas eas. Puto tamen facile reſponderi ſi notetur verus ſenſus propoſitionum, atque etiam verum ſubiectum: Nego ergo minorem, ſive iſta eſſe accidentia illorum ſubiectorum, non enim mors eſt in homine vt ſubiecto, ſed in materia, eſt enim ſeparatio animæ à corpore atque adeo corpus eſt ſubiectum eius ſicut eſt ipſius animæ. Idem eſt de ligno reſpectu ignis, non enim lignum ardet, ſive habet formam ignis [niſi vulgi æſtimatione] ſed materia. Denique nunquam ineſt ſummus calor aquæ, ſed aliquis infra ſummum: quod autem præter Phyſicam veritatem horum, ita etiam Logicè dicendum ſit, oſtendo; nam ſi homo v. g. eſſet ſubiectum mortis tum homo morte non moreretur, & ſic de aliis illis, quod eſt nimis falſum patet autem ſequi, quia ſi ſubiectetur mors in homine debet ad minus pro aliquo inſtanti eſſe in eo, atque ita adhuc exiſtere non obſtante ipſius morte, quod ſufficit conſequentiæ probandæ, ſed præterea ſequitur quod etiam tota æternitate poſſint ſimul eſſe, nam qua ratione poteſt homo vno inſtanti ſtare cum ſua morte cerre poteſt duobus & ducentis &c. Dices; transferamus rem extra hos terminos, & dicatur ſic: Deſitio hominis non poteſt intelligi adeſſe ei ſine eius corruptione: Deſitio eſt accidens ei, ergo aliquod accidens non poteſt intelligi adeſſe ſine ſubiecti corruptione. Reſpondeo adhuc negando Minorem, quia quando deſitio eſt, homo non eſt, deſinit enim homo per primum ſui non eſſe, ſic explicandum: Iam non eſt homo, immediatè ante fuit. Itaque non eſt inſtans aliquod, (vt imaginatur arguens) medium inter eſſe & non eſſe hominis quod ſit menſura deſitionis eius. Adhuc tamen ex hac ipſa ſolutione inſtaurari poteſt argumentum, quia licet homo deſinat intrinſecè & inſtantaneè, ſunt tamen aliqua quæ non ita, ſed deſinunt ſucceſſivè & in his datur tempus medium inter eſſe & non eſſe quod eſt tempus deſitionis, talia ſunt motus, tempus, & ſimilia ſucceſſiva, ergo in his ſaltem contingit dari accidens quod non adeſt niſi cum ipſorum corruptione. Reſpondeo videri hic eſſe diſparitatem ſed revera omnia eſſe ſimilia quia videlicet pars ſucceſſivi quæ deſinit in tempore non habet eſſe illo tempore quo deſinit, adeoque verè non adeſt ei deſitio, quia vt adeſſet deberet vtrumque eſſe, id eſt pars & deſitio ſimul, quod non contingit. Obiicitur contra illud *abeſſe* accidens inſeparabile, quale ipſe Porphyrius admiſit, qui proinde videtur ſibi contradixiſſe, nam eſſe inſeparabile & poſſe abeſſe, idem eſt ac eſſe & non eſſe inſeparabile; poſſe & non poſſe abeſſe: ſunt autem multa huiuſmodi, talis enim eſt nigredo in corvo, candor in nive, lux in corporibus cœleſtibus, figura in corpore finito, vmbra item in corpore illuminato & ſimilia; quæ alii notarunt. Mihi autem plus videntur hic facere iſtæ & ſimiles inſtantiæ: differentia in genere v. g. rationale in animali, individualitas in ſpecie v. g. Petreitas in natura humana, & ſi quæ talia ſint. Clarum eſt enim iſta non poſſe ſeparari à ſubiectis, multa & mira videas ad hæc ab authoribus excogitata, quæ quũ ſint explicationes Porphyrii certum eſt nunquã veniſſe in mentem Porphyrio: Et quod plus eſt,

1 D. Th. de pot. creat. q. 3. ar. 3. ... Cor. Sent. ...

non veniunt ad rem, ergo dupliciter reſpondebo, primò ad mentem Scoti & Porphyrii: nempe vidit ipſe Porphyrius difficultatem & ſolvit eam dicendo quod inſeparabile illud puta nigredo corvi, poſſit ſaltem cogitatione ſeparari, quamvis revera in tranſlatione Boetii, non videantur ea verba à Porphyrio in hunc finem poſita. Quæ enim connexio horum: *Dormire quidem ſeparabile accidens eſt, nigrum vero eſſe, inſeparabiliter corvo & Æthiopi accidit, poteſt enim intelligi & corvus albus, & Æthiops abiiciens colorem præter ſubiecti corruptionem.* Mihi ſatis eſt Scotum ſic reſpondiſſe, vnde ita primò Reſpondeo ſed contra hanc viam facit vulgaris replica quod ſic nō diſtinguetur propriū ab accidente, Nam etiam ſine proprio poteſt ſubiectum intelligi. Reſpondetur, aliter poſſe ſubiectum intelligi ſine proprio, & aliter ſine accidenti: nam ſine accidenti ita poteſt intelligi ſubjectum vt etiam intelligatur eſſe ſub oppoſito; ſine proprio non ita, v.g. poteſt corvus intelligi cum albedine, non tamen homo cum hinnibilitate. Ita plures ex quibus eſt D. N. [a] propter quod ſolutio admitti poteſt; ſed non cogimur admittere eam, quia in priori loco apud Scotum non eſt ſolutio; in ſecundo non eſt de mente eius. Et verò quorſum ad abſentiam vnius oppoſiti, præſentia alterius? quod facit ad hoc vt albedo poſſit abeſſe quid nigredo poſſit ineſſe? [hic autem ſumus in examine *abeſſe* præcisè, nonne ſunt duæ mutationes iſtæ: nonne nigredo poteſt abeſſe alicui, cui albedo non poteſt adeſſe; Aliter ergo reſponderi poteſt negando ſequelam, cuius ratio notanda eſt iſta, quia ſine proprio non poteſt intelligi ſubiectum niſi tantùm pro primo inſtanti, quo nondum emanavit ſine accidente autem communi poteſt ſemper, at verò abeſſe pro primo inſtanti non ſufficit ad propoſitum, quia abeſſe hic eſt ſeparatio alicuius coniuncti, ſed in illo inſtanti non fuit coniuncta paſſio ergo. Confirmo ſolutionem: accidens quinti prædicabilis definitur per adeſſe & abeſſe coniunctim, nunquam autem contingit hoc reſpectu proprii, quia in primo inſtanti non eſt aptum adeſſe, in ſequentibus non eſt aptum abeſſe, ergo. Maior huius inde patet quia aliàs albedo poſſet dici accidens Angeli & Dei, nam clarum eſt quod poſſit abeſſe his; Ex quibus videas quàm bellè quidam Recentior [b] dixerit Ly & accipiendū eſſe diſiunctim: vt ſit idē quod *vel* quia neq; poteſt ſic accipi, neq; debet hic vt patet aliàs quodlibet eſſet cuiuslibet accidens quia poteſt adeſſe *vel* abeſſe ei v.g. albedo Deo. Dices ipſū abeſſe ſufficit vt formentur propoſitiones de prædicato dicendo Deus nō eſt albus. Reſpondeo nihil minus facere ad rē Adverſarii, quā hoc quia illa prædicatio non eſt quinti prædicabilis cum ſit neceſſaria: hæc primò. Secundò reſpondeo omne accidens quinti prædicabilis eſſe realiter ſeparabile, nam prima illa quorum aliqua recenſuit Porphyrius ſunt in facto eſſe ſeparabilia per potentiam ſaltem ſupernaturalem Dei, ſcilicet albedo, nigredo, lux, quātitas, & quælibet figura in particulari: Alia illa quæ plus faceſſunt negotii, ſcilicet differentia ſpecifica à genere, & numerica à ſpecie, dico eſſe ſeparabilia in ſenſu diviſo, etſi nō in ſenſu compoſito; eſt dicere jam non poteſt ſeparari ab animali quod eſt in homine rationalitas tamen potuit non fuiſſe ei coniuncta, potuit enim illud animal quantum eſt de ſe fieri irrationale & idē eſt de homine cui coniuncta eſt Petreitas, potuit enim quantum erat de ſe coniungi ei alia differentia numerica vt fieret Paulus aut Andræas.

a q. 32. & 85. univerſ.

b Hurt diſput. & ſect. 6. Log.

4. Obiicies partes definitionis per ſe conveniunt definito, ergo adeſſe per ſe convenit accidenti; ſi autem *adeſſe* per ſe ei cōvenit nunquam, poterit *abeſſe* ei convenire. Confirmatur, omne accidens neceſſariò ineſt, quia inhærentia eſt de eſſentia accidentis, ergo. Hoc argumentum ex Doct. tacito nomine deſcripſit Rec. quidam hic Reſpondet ergo D. negando antecedens, ſive negando potius hanc eius probationem, quæ adhiberetur ei negatæ: accidens per ſe adeſt & abeſt: ergo accidens per ſe adeſt eſt enim à ſecundùm quid ad ſimpliciter, ſimilis iſti: contingens neceſſariò eſt contingens, ergo contingens neceſſariò eſt. Sed contra hanc ſolutionem inſtat ipſe ſubtiliter ſic: à genere poſito ſub differentiâ tenet conſequentia ad genus ſimpliciter: ſequitur enim; eſt animal rationale, ergo eſt animal: At verò totum hoc *adeſt & abeſt* eſt hic poſitum loco differentiæ ergo conſequentia tenet etiam ad partem. Reſpondet ergo denique ipſe Subtilis *per ſe* convenire accidenti ſi *per ſe* ſit determinatio inhærentiæ, non verò ſi ſit determinatio inhærentis; quod eſt dicere ineſſe per ſe convenire accidenti, at verò accidens non per ſe convenire ſubiecto. Simile eſt de vniverſali vt ſic, cui per ſe convenit prædicari de multis, & tamen quintum prædicabile per accidens prædicatur de multis, quia nimirum prædicari per accidens, per ſe ei convenit. Brevius tamen diceretur ad antecedens primi argumenti partes definitionis coniunctim convenire definito, non verò ſeparatim vniverſaliter. Partes principales definitionis bene verum eſt quod verificentur etiam ſeparatim de definito, ſcilicet genus & differentia, at verò partes partiū non item. Hic autē Ly *adeſt* eſt pars partis ſcilicet differentiæ quia totum hoc *adeſt & abeſt* eſt differentia accidentis.

5. Fateor tamen accidens ſecuriùs & faciliùs definitum iri ſic. *Eſt prædicabile de pluribus in quale contingenter.* Quæres tamen de hac ipſa an accipienda ſit de pluribus numero differentibus, an de pluribus ſpecie, an de vtroque modo diverſis, ne laboremus in æquivoco? reſpondeo poſſe formari prædicationes quinti prædicabilis de ſubiecto communi dicendo, homo eſt albus, equus eſt albus &c. ſed quia hæ non ſunt immediatæ, cum ſint veræ ratione harum, Petrus eſt albus, Bucephalus eſt albus &c. ſi requiratur ad vniverſale prædicatio immediata intelligendā eſſe definitionem de differentibus numero; ſed vt monui, hoc eſt improbabile, & patet tale eſſe ex prædicatione generis de individuis, nam hæc omnia de individuis mediatè tantùm prædicantur. Dices primò differentiam & proprium non prædicari de pluribus ante individua, quia licet immediatiùs prædicetur de ſpecie, iſta tamen eſt vna tantum, ſeu vnum ſubiectum. Reſpondeo verum eſſe id de differentia & proprio infimis, ſaltem de ſubalternis. Dices ſecundò acriùs hæc, homo eſt albus non verificatur niſi ſuppoſita veritate huius, Petrus eſt albus, at verò ſuppoſita veritate huius illa eſt neceſſaria; atqui nulla neceſſaria eſt quinti prædicabilis, ergo nec illa. Reſpondeo ſi valeret argumentum probaret quod hæc ipſa, Petrus eſt albus, ſaltem hæc, Petrus eſt coloratus, ſit neceſſaria, atq; ita non quinti prædicabilis; patet: quia hæc, homo eſt coloratus eſt neceſſaria ſuppoſita veritate illius, Petrus eſt albus. In forma ergo diſtinguo ſubſumptum, eſt neceſſaria neceſſitate conſequentiæ, cōcedo, neceſſitate conſequentis nego conſequentiā [illegible].

ACTIO

ACTIO SECVNDA.

An; & quomodo accidens ſit Vniverſale? An diſtinctum à Proprio & alia ſparſim de utroque prædicabili reſolvuntur.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Prima difficultas circa accidens num ſit univerſale.*
2. *Secunda: An univerſale debeat latius patere ſuo ſubjicibili.*
3. *An accidens ſit diſtinctum prædicabile à Proprio.*
4. *Singulare poſſe eſſe quartum univerſale.*
5. *Accidens requirit ſui & ſubiecti exiſtentiam.*
6. *Dari tamen caſum in quo eam non requirat:*
7. *Nihil quinti prædicab. ineſt à natura.*
8. *Aliquid quinti prædicabilis contineri poteſt ſub quarto prædicabili*
9. *Inferiora Accidentis quæ?*
10. *An idem poſſit eſſe in quarto, & quinto prædicab.*

1 Quoad primã partem Concluſio affirmativa poſita eſt ſupra Apol. 1. act. 5. ſupereſt hic ſolvere obiectiones quas ponam primò contra abſolutam rationem Vniverſalis in Accidente, deinde tractabo diſtinctionem eius à proprio. Objicies ergo primo Vniverſale exigit identitatẽ ſui cum inferioribus, accidens non exigit, imo neque admittit eã, ergo accidens non eſt univerſale. Maior patet ex prædicationibus, quæ in omni uniuerſali exercentur per verbum *eſt*; at vero To *eſt* importat identitatem prædicari ſui cum ſubiecto aliquam; non formalem aut eſſentialem, illa enim redderet prædicationem identicam, ergo realem, quæ fuit maior probanda. Minorẽ autem probant iſtæ: paries eſt albus, homo ridet & in quibus patet prædicatum diſtingui realiter à ſubiecto, ergo. Reſpondeo primo argumentum ſolvendum eſſe arguentibus, nam nec proprium identificatur realiter ſubiecto ſecundum ipſos ut viſum eſt. Reſpondeo ſecundo, patet quod Ly *eſt* non importat identitatem realem extremorum quorum eſt copula, alias quandocumque haberetur eiuſmodi identitas propoſitio eſſet vera, quod tamen falſum eſt, ut conſtat ex iſtis. Petreitas eſt humanitas. Paternitas divina eſt ſpiratio activa in quorum utraque prædicatum identificatur realiter ſubiecto & tamen Logici primam negant, Theologi ſecundam. Deinde ſi Angelus aſſumeret hypoſtaticè hominem; in iſta; Angelus eſt homo; non haberetur identitas prædicati cum ſubiecto, aut aliqua parte eius, nam & natura, & hypoſtatis angeli diſtinguitur ab humanitate cum hypoſtatis diſtinguatur ab ipſa etiam Angeli natura. Denique non eſt opus exemplis, nam hæc: paries eſt albus licet pro nunc dubium ſit an ſit prædicatio alicuius univerſalis, tamen certum eſt quod ſit vera, & tamen non identificatur albedo parieti. Itaque Ly *eſt* importat tantum quod prædicatum faciat unum cum ſubiecto, (quale facere poſſunt realiter diſtincta ut patet in materia & forma) non autem quod faciat idem; & hæc mihi videtur genuina huius explicatio: dicere enim quod habeatur hic identitas realis, eo quod non prædicetur albedo ſed ſubiectũ, ut ſenſus ſit, paries eſt res habens albedinem, redit in idẽ abſurdũ, nam adhuc albedo involuitur in illo prædicato ut vides, & tamẽ nõ identificatur

2 Obiicio 2. Vniverſale debet latius patere quam ſubiicibile eius, oppoſitum contingit in accidenti, ergo oſtendo minorem, nam cum dico lignum eſt albũ, ſaxum eſt album, quæ ſunt prædicationes accidentis, Ly *album* quod eſt prædicatum non latius patet quã ſubiectum v. g. lignum, ſicut enim datur album quod non eſt lignum, puta ſaxũ, ita datur lignum quod non eſt album ſcilicet ebenus, ergo. Reſpondeo hoc argumentum facere etiam contra priora prædicabilia quæ tamen omnes admittunt. Hoc oſtendo, nam cum dividitur ens v. g. in abſolutum & reſpectivum atque iterum in ſubſtantiam & accidens, iſta eſt eſſentialis: Relatio eſt accidens, eſtque prædicatio generis ſicut etiam iſta: Quantitas eſt accidens, & tamen dantur relationes quæ non ſunt accidentia, ſcilicet divinæ. Iterum ens ſpirituale commune eſt ſubſtantiæ & accidenti, & tamen exceditur à quolibet eorum non minus quam excedit ea, ſicut enim datur ens ſpirituale quod non eſt ſubſtantia puta accidens, ita datur ſubſtantia quæ non eſt ens ſpirituale puta lignum.

3. Dixi ſuo loco ſupra a hæc duo vltima prædicabilia bene poſſe redigi in vnum, atque ita vniverſalia probabiliter numeranda eſſe quatuor; contra quam reſolutionem hic moveo ſequentia dubia pro maiori rei claritate; Itaque probavimus ibi iſta duo non diſtingui quia ambo prædicantur in quale accidentale, & per modũ partis aut quaſi partis; quod verò deinde prædicetur vnum contingenter, & alterum neceſſariò eſt ex parte materiæ quæ ad Logicam non ſpectat adeoque nec variare debet res Logicas, vt ſunt prædicabilia. Contra autem facit quod ſi argumentũ quidquam valet, probat etiam nec differentiam à proprio diſtingui, quia vtrumque prædicatur in quale, & per modum partis aut quaſi partis; quod autem vna forma ſit eſſentialis, alia non, dici poteſt eſſe ex parte materiæ quæ ad Logicam non ſpectat, adeoque Reſpondeo diſparem eſſe caſum, quia hic non ſolum materia eſt diverſa, ſed modus ineſſendi qui ad Logicam ſpectat, nam differentia ineſt & prædicatur in quale quid proprium autem in quale tantum ſeu in quale non quid, Obiici ſecundò poteſt; Eſſentiale commune & eſſentiale proprium faciunt diverſa prædicabilia ergo accidens commune faciet diverſum prædicabile ab Accidente proprio; cur enim magis illa quam hæc? antecedens autem conſtat verum eſſe in genere & differentia, ergo. Sed hoc non multum facit, nam genus & differentia non ideo faciunt duo prædicabilia quia ſunt proprium & commune ſed aliunde, quia nimirum vnum prædicatur in quid, & alterum aliter. Inſtari tamen poteſt ſic; proprium & commune eſſentiale habent (vndecumque veniant) annexos duos modos prædicandi, & ineſſendi diverſos, ergo etiam proprium & commune accidentale. Reſpondeo negando conſequentiam quia omnia accidentia ſunt vniuſmodi, non autem omnia eſſentialia; non enim dantur accidentia quorum vnum ſit in quid & alterum in quale, dantur autem eſſentialia talia adeoque dixi ſingulare poſſe eſſe vniverſale quinti prædicabilis, idque ſupra ſuo loco probavi; hic

a Apolog. 1. Vnivers. Act. 5. n. 7

4. Addo aſſertioni, ſingulare poſſe eſſe etiam Proprium, quantum ad præſens; probo inſtantiã ſpirationis activæ in divinis quæ eſt propria aut quaſi propria, nec enim eſt accidens commune Deo, quum emanet inſeparabiliter, hæ ergo prædicationes, pater eſt ſpirans, filius eſt ſpirans, non ſunt quinti prædicabilis, nec priorum trium, quia prædicatum non eſt cõſtitutivum ſubiectorum, adeoque. Dices contra probationem concluſionis, albedinem non prædicari ſed album. Reſpondeo hoc maledici, primò quia prædicari album non negat prædicari albedinem, ſed affirmat potius, quia album eſt albedo in concreto. Deinde quocumque ſe vertat Adverſarius in illo prædicato nihil eſt pertinens ad quintum prædicabile niſi albedo. Obiicitur acriùs contra concluſionem ipſamet concluſio, quæ videtur implicare in terminis, quia ſingulare pugnat cum vniverſali, ad hæc videor ſupra reſpondiſſe, vnde pergo hic, &

5 Dico tertiò quintum prædicabile requirere ſui & ſubiectorum exiſtentiam, hanc ſtatuo contra abſolutè negantes eam, nam & ipſe infra oſtendam eam aliquando eſſe falſam Probo interim eam, accidens debet eſſe prædicabile de ſubiecto contingenter, non eſt ſic prædicabile niſi ſecundùm eſſe exiſtentiæ, ergo. Minorem probo, (Maior enim conſtat ex definitione accidentis) quia quod contingenter prædicatur, ita dicitur vt poſſit negari, quod ſic ſuadetur; aut enim affirmatur actualis inhærentia de ſubiecto, aut aptitudinalis; ſi ſecundum, habetur intentum argumenti. Tũ enim prædicatur id quod non poteſt negari, ſi primũ habetur etiam intentum concluſionis, tum enim requiritur actualis exiſtentia ergo. Tentavit aliquis evadere hoc argumentum, dicendo non poſſe quidem

a Maſtr. diſp. 5. V. niv. art 1. b 2. diſt. 3. q. 1.

haberi exercitium prædicationis quinti prædicabilis, niſi exiſtentibus extremis, adhuc tamen habere vniverſalitatem quia hæc non exigit actum qui eſt exercitium illud, ſed aptitudinem. At immerito reſpondit ſic Scotiſta, *a* quin meminiſſe debuit ſecundum *Scotum b* vniverſale eſſe proximè prædicabile de multis prædicatione dicente hoc eſt hoc; res autem quæ poteſt tantum eſſe in pluribus & non eſt, non eſt proximè ſic prædicabilis, nam deeſt ei non ſolùm prædicatio quæ eſt actus ſed aliquid primævum, quod proinde debet eſſe prædicabilitas, aut aliquid eius. Præterea etiã quandocumque aliquid habet potentiam, non repugnat dari actum: vniverſale habet ſecundum ſe potentiam ad prædicari ante exiſtentiam, ergo poterit verè reduci in actum. Demus ergo eam redigi in actum, demus fieri prædicationem quinti prædicabilis ante exiſtentiam extremorum dicendo paries eſt albus, aut Petrus ſcribit, & tunc ſic arguo ego: Poſſibili poſito nullum ſequitur abſurdum, ſequitur ex eo quod de Petro aut pariete non exiſtentibus prædicetur (vere intellige) albedo, aut ſcriptio: ergo hoc non fuit poſſibile quod tu aſſeruiſti: at vero ad vniverſale requiritur ſaltem potentia illa ad prædicari, ergo ante exiſtentiam non habetur vniverſalitas huius vniverſalis. Vrgetur ratio concluſionis: ſubiecta non exiſtentia reſpiciuntur ab accidente poſſibiliter, hæc autem reſpicientia eſt neceſſaria, neceſſarium eſt enim quod poſſibile ſit parietem eſſe album, ergo reſpondet ipſe. in prædicationibus aptitudinalibus quinti prædicabilis non poſſibilitatem aut exiſtentiam poſſibilem prædicari ſed formam ipſam quæ illis ineſſe poteſt contingenter, vnde (inquit) licet illa neceſſario apta ſit ad eſſendum in illis, non tamen ad eſſendum in illis neceſſariò ſed contingenter ſed hic homo non potuit rectius contra ſe dicere, nam etiam totum hoc quod accidens poſſit eſſe in ſubiecto contingenter eſt neceſſarium: v. g. neceſſariò verum eſt quod albedo ſic poſſit ineſſe ſuperficiei vt poſſit etiam abeſſe inde & aboleri.

6. Exiſtimo tamen ipſe dicendum quod accidens quinti prædicabilis non neceſſario exigat ſui & ſubiectorum exiſtentiam, (propter quæ ſupra in concluſione non deſinivi oppoſitum vniverſaliter, ſed tantum indefinitè) ecce inſtantias. Hæ enim prædicationes ſunt quinti prædicabilis, Adam vixit, Anti Chriſtus erit, hæ non exigunt ſubiectorum exiſtentiam, quid ſequitur, niſi quod aliquæ prædicationes quinti prædicabilis verificantur ſine exiſtentiis? nec aliquæ aut paucæ ſolum, ſed omnes de præterito & futuro, atque ita hiſtoriæ omnes & omnes prophetiæ ſunt propoſitiones veræ quinti prædicabilis abſq; exiſtentia. Quod ergo dixit reſolutio præcedens locum habet in propoſitionibus de præſẽti v. g. illis paries eſt albus, Petrus currit, hæc autem in futuris &c. quam diſtinctionem videntur mihi non notaſſe qui torquent inſolerè aſſeruntaut negant requiri ad hoc prædicabile exiſtentias. Obiicies tritum illud: vniverſale definiri per eſſe aptum ineſſe ex quo ſequitur non requiri quod actum ſit illi, requirit autem quiſquis exiſtentiam; certum eſt enim quod non adeſt exiſtentia formæ & ſubiecti, niſi etiam adſit vnio eorum, ergo. Reſpondeo vniverſale Logicum definiri per eſſe aptum prædicari, non per eſſe aptum ineſſe, ſed potius per actu ineſſe, nam actu ineſſe requiritur ad aptitudinem prædicari, vt notavit D. cit. in tertio patet hoc ex Philoſop. *Vniverſale eſt unum in multis & de multis.* Vide ſupra dicta *c*

c Apol. 1. univ. Actione 2.

7. Quæro an accidentia quinti prædicabilis à natura aliquando? exiſtimo non ineſſe abſolutè & (ut puto) ſuadebo hoc reſpondendo inſtantiis: Videtur enim oppoſitum paſſim contingere nam homo naſcitur albus, arbores creſcunt rotundæ, mel ſapit flores olent, & alia ſexcẽta habent ſimiles qualitates à natura, ergo. Reſpondeo adhuc non eſſe allatã inſtantiam quinti prædicabilis purè, hoc eſt quæ non ſit in aliquo modo quarti prædicabilis. Albedo enim in homine & aliis non eſt merum accidens ab extrinſeco veniens, ſed oritur ex natura talis mixti, & idem eſt de ſapore in melle, quæ ſunt proinde in ſecundo modo proprii, ſcilicet *omni & ſemper.* Figura autem aut oritur ab intrinſeco, ſicut colores & ſapores, & ita pertinet ad proprium, aut ab extrinſeco & tum non eſt à natura

8. Quæro an accidentia quinti prædicabilis contineri poſſunt ſub aliquo quarti prædicabilis? Reſpondeo diſtinguendo; poſſunt contineri ſub aliquo diſtincto quarti prædicabilis, non poſſunt autem ſub aliquo determinato. Explico rem ſimul, & probo: linea habet proprium ſibi eſſe rectum aut curvum, numerus par aut impar, genus v. g. animal, hanc aut illam differentiam ex duabus, ut impoſſibile ſit hæc ſubiecta ſeparari abhoc disjuncto, & tamen poteſt ſeparari Linea & rectitudo quæ continentur ſine dubio ſub diſiuncto illo rectitudo aut curvitas; Poteſt numerus inveniri ſine paritate, & ſic de aliis. Si autem proprium Lineæ eſſet determinata differentia curvitatis, non contingeret caſus ut vides. Dices oppoſitum eſſe verum, & apparere in iis quæ habent paſſiones determinatas, nam riſibilitas eſt determinata paſſio hominis v. g. Petri & tamen quæcumque riſibilitas in particulari eſt accidens ei; poſſet enim eſſe ſine illa cum alia riſibilitate. Reſpondeo totum hoc nihil efficere contra reſolutionẽ. Ecce quomodo nõ. Nam, aut comparamus riſibilitatem ad hominem ut ſic, aut comparamus eam ad Petrum; ſi ad hominem, illa eſt determinata paſſio, ſed ſub illa nulla accipi poteſt quæ ſit accidens aut ſeparabile, nam riſibile ut ſic (& ita quodlibet riſibile) debetur homini ut ſic: ſi autem comparatur ad Petrum, dico nos eſſe in caſu paſſionis diſiunctæ, proprium enim Petri eſt vel hæc vel illa riſibilitas; Quod dico ſuppoſito quod Petrus non exigat hanc numero riſibilitatem, puto autem verius quod exigat, ſed tranſeo pro nunc. unde caſus locum opportunius habet in propriis Phyſicis v. g. in calore reſpectu ignis. Exiſtimo præterea non modo ſubiecta determinare ſibi formas ſeu paſſiones ut intellexit Porphyrius, ſed paſſiones determinare ſibi ſubiecta, atque ita dari propria etiam individuorum. Probatio erit inſtantia, huius figura nũ poteſt eſſe niſi in corpore finito, ecce formam appropriare ſibi ſubiectum, punctum non poteſt eſſe ullius niſi continui. Et alia ſexcenta. Sæpius autem occurrunt eiuſmodi inſtantiæ in ſingularibus, nam licet ego v. g. poſſim ſcribere alia ſcriptione ab ea qua ſcribo, tamen hæc ſcriptio non poteſt eſſe alterius agentis quam mei, ſive, nullus alius poteſt hac ſcriptione ſcribere alias daretur infinitas formarum aggregatarum ſimul, & dari neceſſario deberet adhoc ut ego redderet ſcribens, quod, quia ſuppono demonſtrabile & ſuo loco in Metaphyſica probandum eſt. Hic demonſtrat huiusloci intentum jam enim accidens ſcilicet ſcriptio, determinat ſibi ſubjectum, ut per nullam potentiam ſine eo eſſe poſſit, & quid magis proprium.

9. Quæro etiam inferiora Accidentis, non enim facile aſſignantur in illis de quibus prædicatur Accidens, in quibus tamen ſine dubio inveniri debent. Totum hic vides Accidẽs v. g. albedo prædicatur & de ligno & de Lapide, prædicationibus quinti prædicabilis. & tamen adhuc non apparent inferiora eius, non enim lignum & Lapis, quia, non ut corpora ſunt, neque ut qualia ſunt, non ſunt corpora, ſic enim ſunt ſub ipſo corpore, aut ſub alio in genere ſubſtantiæ, neque qualia puta ut alba, quia prædicatio albedinis de illis ut alba ſunt non eſt quinti prædicabilis. hæc enim non eſt accidentalis, hoc album eſt album. Reſpondeo inferiora eius eſſe in caſu poſito lignum & Lapidem ut ſubjecta ſunt, non ut concreta ſunt. Et ſi voles audire reſponſionem in terminis jam poſitis & impugnatis, Reſponderi poteſt lignum & Lapidẽ eſſe inferiora albedinis ut corpora ſunt, nec ratio in oppoſitũ hoc refellit. Dico enim quod illa ut corpora, ſunt ſub corpore aut alio genere ſubſtãtiali per ſe & eſſentialiter, per accidens autẽ ſub qualitate, nec id novum eſt, nam lignũ & lapis non ſolũ ſunt ſub genere corporis ſed ſub differentia corporeitatis & perſeitatis, ecce idem ſub diverſis prædicabilib.

10. Quæro denique an idem eſſe poſſet in quarto & quinto prædicabilibus; Ratio dubitandi eſt, calor ſummus v. g qui eſt proprietas ignis, & tamen inveniri poteſt extra illum, & accidentaliter competere alteri, vt ſtupæ: lux quæ eſt propria cæleſtibus cõpetit elementis, & mixtis. Sed merito reſpondit ad hoc D. N. *d* negativè, quia nimirũ ſi proprium alteri convenire poſſet, iam non eſſet huius proprium quia non ineſſet ei convertibiliter. Inſtantiæ allatæ non continent vera aut propriè propria ut ſupra vidimus adeoq. ſed Objicio, aliquid idem poteſt eſſe differentia eſſentialis unius rei, & adhuc competere alteri per modum accidentis, ergo multo magis poteſt eſſe proprium unius & accidens alterius. Antecedens oſtendo, in *eſſe diſgregativum viſus* quæ eſt differentia eſſentialis albedinis & tamen convenit aliis v. g. ſuperficiei muri & chartæ per modum accidentis quinti prædicabilis. Sed nihilominus ſtandum eſt reſolutioni negativæ Doct. Vnde ad objectum Reſpondeo nec differentiam eſſentialem, competere alteri immediatè (de quo quæritur) ſed mediante compoſito, de quo non quæritur, nam ſic etiam propriũ poteſt alteri competere, & de facto cõpetunt ſubjectis omnia propria formarũ quæ illis inhærent, unde ſi nos ſciremus proprietatem albedinis poſſemus eã de charta affirmare, in quo deficiunt Apologiæ prædicabilium.

d q. 2. præc.

De Accidenti denique ſcribunt.

Ariſt. & Aug. *ubi ſupra Apol. praced.* D. Th. etiã *ibid* citatus, & præterea de *Spiritual. Creat. art ul.* –. Alb Mag. *tr. ad* – *ca* 2, & Damaſc. in *Dialect c.* 13. Avicen. & alii. Arabes *apud Alber. cit.* Ægid. *Poſt text* 8 Rup. Ab. *l.* 7. *de oper. Spir. ſan. c.* 1. Aver. *in cap de Accid.* Ock. 1 *p Log. c* 25 & in *Log Text cap de Accid.* Boet *ibid.* Ferrar. 2. *contra Gent c.* 81 Philip 1 *Poſt* 34. Sarnan Anp. & Maur. cum *Scoto q.* 35. *Vniv.* Rob. Bellarm. *l* 3. *de amiſſ. Grat. c* 1. Levin. Suoid *cap. de accid.* Io à Lap Iſetn. Lovanienſ & Colon. *ibid* Tratat. *ib. q.* . Alb. *par. q. unic.* Io à Magiſt. *q.* 10 *prædicab* Ant And. *in hoc cap.* Lalem *hic diſp. partit* 5. Moriſsã *hic q* 5 *Fonſec lib* 5. *Met c.* 28. *q* 19. & Amic. *tr.* 9. *Log* Averſa *q* 14 Rodr. *in comento Doct. cit.* Ponc. Maſt. Arriag. Oviedo & Recentes cit Apolog. præcedent.

FINIS PRIMÆ PARTIS LOGICÆ.

APOLOGIA PRIMA DE SIGNO.

ACTIO. I.

Quid ſit Signum & Significare.

ACTIO. II.

Inquo conſiſtat ratio formalis Signi tam naturalis quam placiti?

ACTIO. III.

Quid voces immediate Significent, res an Conceptus?

ACTIO. IV.

De Significato Scripturæ & Nutuum.

Sco. 4. d. 1. q. 2, n. 7.

6. TErtio quod in ratione nominis prædictâ includitur aliquid quod dici tens rationis, ſcilicet hoc quod eſt ſignum ex inſtitutione, nam iſta relatio non conſequitur fundamentum ex naturâ rei, quia etſi in re ſit aptitudo ad ſignandum effectum ſignatum, tamen actualis ſignatio non convenit ſibi per actum imponentis.

Idem in primum Periherm. q. 2. n. 2.

VErbum ſignificat aliquid, conſtituit enim intellectum qui dicitur, ex quo ſequitur quod ſignificare eſt alicuius intellectum conſtituere illud ergo ſignificatur cuius intellectus per vocem conſtituitur, ſed prolata voce non conſtituitur intellectus ſpeciei ſed rei; ut probatur in quocumque àudiente vocem ſignificativam. Item in primo elench. dicit Ariſt. quod pro rebus utimur nominibus, quia non poſſumus ferre res ad diſputandum, ſed ſpecies intelligibiles poſſumus ferre nobiſcum, ergo illarum non ſunt voces notæ ſed rerum.

ACTIO PRIMA.

Quid ſit Signum & ſignificare?

Breviarium

Num. 1. *Rejecti aliquorum modi dicendi*
2. *Diviſiones aliquot ſigni*
3. *Signa formalia, non ſigna.*
4. *Signum proprie quid.?*
5. *Objectiones duæ ſolutæ ad quem actum intellectus pertinet ſignum?*
6. *Alia objectio an idem ſui ſignum?*
7. *An neceſſaria inſtitutio ad ſignum?*
8. *Cauſa an ſignum?*
9. *An intentio ſignificandi neceſſaria?*
10. *Definitio abſoluta ſigni.*

1. IDEM Vtrumque, eſt, ſcilicet ſignum eſſe, & ſignificare; Unde non ſatis exactè recens quidam(a) quærenti. quid eſſet ſignum reſpondit *quod aliquid ſignificat*: Perinde enuntuit hoc reſpondere, ac dicere, quod ſignum eſſet quod eſſet ſignum, nam qui neſcit quid ſit ſignum utique neſcit quid ſit ſignificare.

a Vort. diſp. 1. Log. q. 2.

Alij volunt quod ſignum eſſe ſeu ſignificare ſit facere devenire in rei alicujus cognitionem: ſed etiam ipſi lapſi ſunt, patet enim multa ducere nos in cognitionem rerum quæ non ſunt ſigna: Inprimis enim ipſum objectum ducit nos in cognitionẽ rei, nec tamen eſt ſignum ſui cum ſit ſignatum, & ſignum cum ſit relativum, neceſſario eſt ad aliud Deinde(; ut omittã potentiam v.g. magiſter, ſeu quiſquis nos docet naturas rerũ, facit nos venire in cognitionem earum, nec tamen eſt ſignum earum. Plures alij tentarunt naturam ſigni explicare, quos facile ex dicendis reijcias, ita obvia quæque & facilia intellectu, ſunt difficillima explicatu, nam nec illa Auguſtini probatur omnibus, *quod præter ſpeciem ſui quam ingerit ſenſibus facit aliud in cognitionem venire.* Hanc inquã reijciunt plerique ut mancam, quia non convenit omnib' & quidẽ fatendum eſt quod non conveniat omnibus, at non proinde fatebor eam eſſe diminutam, quia nimirum Sanctus non voluit omnia definire, ſed materialia tantum, ut patet ex illo *ſenſibus* nam ſpiritualia non ingerunt ſpeciem ſui ſenſibus; non item ſigna formalia, v.g. ſpecies impreſſas aut expreſſas, quia hæ non ingerunt ſpeciem ſui ſed ſe ipſas quæ ſunt ſpeci-

b Vid. pend. Lib. 1. ſum. p. 1. c. 8. Arriag. ... ſec. 1.

a. de Doct. Chriſtiana

es aliorum: Abſolutã definitionẽ infra aſſignabo.

2. Interim ponam communes diviſiones ſigni. Dicitur aliud formale aliud inſtrumentale. Formale eſt quod ſe ipsô, informando facit cognoſcentem aliquid, atque ita ſignificat rem; & hujuſmodi eſt ipſa cognitio ſeu ſpecies expreſſa, & ab aliquibus einſmodi dicitur etiam ſpecies impreſſa. Inſtrumentale ẽ contra quod extra ſe habendo deducit in alterius cognitionem agendo ſeu movendo: Talia ſunt cætera fere omnia ſigna ut ſtatuæ, voces, ſcripta.

Ex his autem rectè notatum eſt ab authoribus, aliqua eſſe ſigna ob ſimilitudinem cũ ſignatis, alia non item. Similitudo autem alia eſt formalis, ut illa quæ intercedit inter imaginem, & imaginatum aliquando in lineamentis externis duntaxat, ut in picturis & ſtatuis; aliquando etiam in ipſa natura ut eſt in verbo æternò reſpectu ſui patris alia eſt ſimilitudo virtualis, qualem habent ſpecies cum objecto, hanc autem rationem ſigni habent ſpecies non quatenus ſunt ſigna formalia, ſed quatenus talia ſunt ut videns illas in illis videret prototypum cujus ſunt. Alia ſine illa ſimilitudine ſignificant propter connexionem quam habent cum ſignatis, & iſta dividuntur in naturalia, ut fumũ reſpectu ignis, gemitum reſpectu doloris, & in alia quæ dicuntur ad placitum ut ſunt voces & ſcripta.

Denique dicuntur alia ſigna manifeſtativa tantum ut præcedentia omnia, alia manifeſtativa & ſuppoſitiva, qualis eſt prorex reſpectu regis. de his ſic cenſeo, & primo.

3. Dico ſigna quæ dicuntur formalia ſcilicet ſpecies tam impreſſas quam expreſſas non eſſe propriè ſigna.

Ratio pro impreſſis eſt quia gerunt vices objecti, objectum autem non eſt ſignum ergo nec ſpecies impreſſa. Confirmatur, habitus, quia ſe tenent ex parte potentiæ non dicuntur ſigna ergo nec ſpecies quæ eſt ex parte objecti.

Dices contra principalem rationem vox v.g. homo ſupponit pro objecto, & tamen eſt ſignum eius ergo ſimiliter poterit eſſe ſpecies impreſſa. Reſpõdeo, manifeſte aliter ſupponit vox pro objecto ſuo, aliter ſpecies impreſſa, ſicut aliter ſupponit imago regis pro rege, aliter prorex. Diſtinguo ergo majorem, vox ſupponit pro re tanquam ſignum concedo, tanquam ſubſtitutum nego, hoc ſecundo modo ſupponit ſpecies, adeoque non eſt ſignum.

Ratio pro expreſſis eſt quod ſignum eſt mediũ ad cognitionem, expreſſa ſpecies non eſt medium ſed finis potius, & ipſa cognitio, ergo.

Redeo ad priorem partem probãdam ſic quia ſi ſpecies impreſſa eſſet proprie ſignum, tum contingeret ipſum objectum eſſe ſui ſignum, quod nemo dicet, ſed probatur ſequi, inſtantia ſpeculi in in quo viſio fit per ſpeciem, nam & ſpecies eſt quæ movet oculum, & ipſa eſt quæ terminat viſionem ſecundum multorum ſententiam, atque adeo eſt ſignum & ſignatum, ſive ſignum ſui & fortaſſe idem abſurdum deduci poteſt contra adverſarios extra caſum ſpeculi in cognitione memorativâ, in qua ſpecies terminat actum memoriæ (quia objectum non eſt, ſed præterijt) & ipſa ſine dubio concurrit ad cognitionem, ergo ex his quid ſequitur niſi diviſionem illam communem ſigni in formale eſſe ineptam, quia deficit dimidio ſui. Vnde

4 Dicere poſſumus ſignum eſſe quod cognitum movet ad alterius cognitionem. Hujus concluſionis ratio ex dictis habetur, quia nimirum ſignum ut ſic non eſt niſi inſtrumentale [non enim formale ut vidimus] hæc autem eſt deſcriptio ſigni inſtrumentalis, ergo ſigni ut ſic. Hinc habes ſi admittere voles ſignum formale deſiniri ipſum poſſe, *quod non cognitum ducit in alterius cognitionem*: Sic enim ducit ſpecies impreſſa, ducit expreſſa, quas non eſt opus cognoſcere ut faciant ſe cognoſcentẽ, alias iretur in infinitum, & ne tum quidem poſſet quis incipere cognitionem, nam illa quâ cognoſceret aliud, deberet prius ipſa cognoſci per aliam ſpeciem, & ipſa ſpecies per aliam cognitionẽ &c. ẽ contra fit in ſignis inſtrumentalibus v.g. ſtatuâ, imagine ſcripto &c. quæ ipſa prius debent ſub ſenſum cadere, antequam poſſint aliud notificare & debent cognoſci non ſpecificative ſolum ſed reduplicativè, id eſt quatenus ſigna ſunt; hinc enim neſciens linguam Hybernicam aut Hæbreã non ducitur in cognitionem rerum per vocabula illius idiomatis audita, quia licet ſenſu feratur in voces, tamẽ non fertur intellectu in eas ſub ratione ſigni, ſic enim deberet ſcire ſignificationẽ earũ

5. Obijcio tamen contra meam definitionem: Præmiſſæ cognitæ movent ad cognitionem concluſionis & tamẽ nemo dixit eas eſſe ſigna concluſionis, ergo male definiuimus ſignum quod cognitum movet ad alterius cognitionem; quæ conſequentia bis premit nos, quia definivimus eo modo & ſignum ut ſic, & præterea ſignum inſtrumẽtale, cujuſmodi ſine dubio ſunt præmiſſæ ſi ullum ſint: ſolvam hanc poſt ſequentem quâ.

Obijcio 2. effectus deducit nos in cognitionem cauſæ, v.g. Eclipſis Lunæ in cognitionem terræ interpoſitæ ſoli & Lunæ; paſſio item in cognitionem ſubjecti, v.g. riſibile in cognitionem hominis; & tamen non dicuntur iſta ſigna hujuſmodi cognitorum, ergo necdum conſtat noſtra definitio. Reſpondeo iam ad hanc, & ſimul ad antecedentẽ diſtinguendo aſſumpta earum ſic, movent ad cognitionem diſcurſivam concedo, ad aliam puta appræhenſivam, nego: ſic autem debet movere ſignum Dices, ergo ſaltem male poſitum eſt in concluſione quod ſufficiat movere ad cognitionem, nam etiam diſcurſus eſt aliqua cognitio. Reſpondeo negando ſequelam, ſic locutus ſum cum communi authorum qui quamvis diſcrepent in alijs punctis, ſed nullus hanc particulam correxit. Cur autem idem ſit cognitio ut ſic, & appræhenſiva, ſeu cur accipienda ſit pro illâ magis quam pro alijs ſpeciebus cognitionis? cauſa eſt quia cognitio ut ſic non neceſſario debet eſſe judicativa, aut diſcurſiva, non poteſt autem minus eſſe quam appræhenſiva, ſicut anima ut ſic eſt vegetativa, non autem ſenſitiva, aut rationalis. Quamvis ergo riſ. deducat nos in cognitionẽ hominis, & creatura in cognitionem Dei, tamen non ſunt ſigna, quia ad hoc egent diſcurſu quo non egent ſigna, nam angeli uti poſſunt ſignis, & tamen ſecundum multos nõ poſſũt uti diſcurſu & certiſſimè bruta non diſcurrunt, & tamen aliqua eorum ſigna præbent & intelligunt, nam præter experientias, multorũ quæ ad ſtrepitum campanæ concurrunt *d* in piſcinâ Cæſaris murena fuit, quæ nomini ſuo vocata reſpondebat, clarum eſt autẽ quod nomina ſint ſigna ad placitũ. Multo etiam magis intelligunt ſigna naturalia ut gemitus &c. Itaque ſignũ pertinet ad primã operationẽ intellectus, & perinde in definitione clarius poneretur ly appræhenſio quam cognitio.

d Plin. 10. c. 7.

Dices dari ſigna reſpectu iudiciorum & diſcurſuum poſſumus enim recordari enunciationum & ſyllogiſmorum propoſito aliquo ſigno ergo nõ

ſolum

ſolum dabtur ſigna reſpectu primæ operationis intellectus, ſed etiam reſpectu ſecundæ. Reſpondeo, negò conſequentiam, quia nimirū judicia illa & diſcurſus tum pertinent ad primam operationē intellectus, quia ſimpliciter tantum apprætenduntur ſed contra illam particulam *alterius* quod ſit falſa

6. Objicit quidam hanc vocem *vox* itē *nomen* aut etiam ipſum hoc ly *ſignum* quæ omnia & ſingula ſe ipſa ſignificant, nam vox cum ſignificet omnem vocem debet ſe ipſam ſignificare, quæ eſt una ex omnibus: idem eſt de Ly *nomen* reſpectu nominum & de Ly *ſignum* reſpectu. ſignorū Reſpōdeo non ſufficere has inſtantias contra concluſionē: Cauſa eſt quia Ly vox [& idē eſt de alijs illis) non ſignificat omnem vocem id eſt quam libet in particulari imò nec ullam, ſed ſignificat vocem ut ſic, quæ non eſt vox ulla in particulari, licet contineat ſubſe quamlibet in particulari; & patet ita eſſe, alias enim nunquam poſſet inferri aliquid circa vocem in particulari ex voce ut ſic, quia tum idem inferretur ex ſeipſo. &c.

Juſtius objiceretur quod ipſe ſupratetigi de ſpeculo, in quo idem videtur eſſe ſignum & ſignatum, ſcilicet ipſa ſpecies, tum enim eſt ſignum inſtrumentale, ipſa enim in ſe objicitur potentiæ, & excitat ad videndum objectum, quod eſt ipſamet. Reſpondeo non eſſe ipſammet quæ videtur, ſed objectum primarium reale, puta ipſe homo, qui à tergo eſt, atque ita ſemel fallitur iſte diſcurſus. Deinde ſi movet & terminat viſionem, dico eam non eſſe ſignum ſed objectum, tum enim ſe habet inſtar imaginis aut ſtatuæ, In re autem, ſpecies illa tum eſt ſignum ſive videatur ipſa, ſive non, ſi non videtur, eſt ſignum formale reſpectu viſionis ſenſitivæ, quā videtur objectum reale puta homo retro poſitus; ſi vero videatur, eſt ſignum reſpectu cognitionis intellectivæ, ſicut ſtatua vidatur, & eſt ſignum reſpectu viſionis intellectivæ.

Dices, quidquid ſit de hoc, ſaltem in cognitione intellectiva fatendum eſt aliquando idem eſſe ſignum & ſignatum, quum v. g. recordamur præteriti, tum enim ſpecies eſt ſignum formale, & tamen eſt ipſa quæ ſignificatur, nam res illa cujus recordamur nō habet aliud eſſe niſi id quod habet in ſpeciem, ergo. Reſpondeo tamen negando ſequelam, & dico ſpeciem eſſe ſignum non autem ſignificatum, ſed hoc eſſe rem ipſam ſecundum eſſe objectivum extra, quod quidem non habet eſſe realiter, & tamen ſufficit ad terminandum actum circa ipſum: Exemplum; Concupiſco ſanitatem, & ad eam applico media puta medicamenta: Illa ſanitas movet me ſecundum eſſe reale ſine dubio (quò enim mihi eſſe cognitum ſanitatis quod habeo quoties volo?] & tamen eſſe illud reale nondum eſt niſi in apprehenſione; ita hic.

[illegible] 7. Quorumdam doctrina eſt non ſufficere omnia hactenus dicta ad rationem ſigni niſi præterea ſit inſtitutum ad ſignificandum, ſive à natura ſive ab arbitrio hominum, ita ut quantumvis aliquid ſignificet ſine hoc, ſed non ſit ſignum. At inprimis, ſi ita eſt cur authores non addunt hanc inſtitutionem ad definitionē ſigni? Unde Toletus, qui hanc requirit & tamen omittit in definitione ſigni approbans datam ab Auguſtino, videtur mihi ſimilis antiquis logicis, qui omnes requirunt ad univerſale ut ſit unum in multis cum multiplicatione, & tamen nemo meminit hujus multiplicationis in ſuā definitione; Habeo deinde inſtantias contra hanc inſtitutionem ſeu neceſſitatem ejus. Quum video veſtes domeſtici mei recens mortui, actutum recordor ipſius, & tamen veſtes illæ non ſunt inſtitutæ ad hoc, habemus ergo ſignum ſine inſtitutione cum video mappas inferri tabulæ, intelligo horam comedendi imminere & quis inſtituit mappas in horologium, aut ſignum horarum? ſane Chriſtianus quiſque audiens montem calvariæ cogitat Chriſtum Crucifixum, & tamen Authores oppoſiti inducti videntur ad ipſum ſuſtinendum ex ſimilitudine imaginis cui non ſufficit quod repræſentet objectum niſi etjam adhoc ſit facta: ſed quis neſcit latius patere ſignum quam imaginem.

8. An cauſa poſſit eſſe ſignum effectus negant aliqui quia inquiunt, cognitio rei per ſignum eſt cognitio à poſteriori. Ita Hurt., non intelligens hanc eſſe petitionem principij, & ego oppoſitum facile oſtendo, nam nubes gravidæ, & obſcuræ ſunt ſigna pluviæ, & ſimul cauſa ejus ſi non efficiens, certe materialis. Idem dico de cometis qui ſignificant ſimul & cauſant effectus extraordinarios v.g. peſtilentiam, inediā &c. Denique quid dicet meus adverſarius ad ſacramenta quæ certiſſime ſunt ſigna, & certiſſimè cauſa gratiæ etiam phyſica ſecundum ipſum, & ſuos ergo. Ad hæc; quod ſignum non debeat eſſe poſterius ſignato aut effectus ejus, patet contra ipſum in vocibus, quæ enim poſterioritas eſt in illis, aut quæ efficientia in rebus ſignificatis reſpectu earum?

9. Aliud ejuſdem dogma non probo ſcilicet in ſigno requiri reſpectum ad utentem ſigno unde voces à pſittaco prolatæ non ſunt ſigna ſecundū ipſum, quia pſittacus non intendit uti illis tanquam ſignificativis. At non aſſentior huic, ſed oppoſito potius, nam homo audiens voces articulatas à pſittaco prolatas intelligit ſignificata earum non minus quam ſi ab homine proferrentur, quod ita verum eſt ut niſi pſittacum videat putet eas vere ab homine prolatas. Quid eſt autem ſignificare niſi ex perceptione rei alicujus per ſenſum duci in cognitionē alterius per intellectum? Præterea cum horologij pondera præveniunt horam, & caſu ſuo ſtrepitum intempeſtum cient ſtrepitus ille ſignum eſt, audientes enim excitantur ad vigiliam, & tamen nemo eum inſtituit in ſignum, huic enim determinata fuit hora longe poſt ut ſuppono, ergo.

10. Itaque ſignum eſt quod ducit in alterius cognitionem excitando ſpeciem illius in intellectu percipientis ſignum propter connexionem quam habet res illa quæ dicitur ſignum cum ea quæ dicitur ſignificatum, ſic ſonus campanæ, & clangor tubæ vocant ad chorum, & caſtra; Sic imago deducit in memoriā prototypi &c. propter connexionem & ſimilitudinem quam inter iſta novit intellectus intercedere. Vides ergo definitionem Auguſtini ſuſtineri poſſe ut abſolute univerſalem, quia nimirum ea quæ ſub illa non comprehenduntur nec ſub ſigno comprehenduntur. ſi tamen velit quis admittere formalia pro vere ſignis, & audire definitionem unam omnium ſit, iſta: ſignum eſt quod repræſentat aliud potentiæ.

Poſſunt tamen tria huic objici quæ non ſunt definita hic, & tamen ejus competit definitio

nitio: primum eſt objectum, ſecundum loquens aut docens, tertium eſt ipſa potentia: nam & potentia repræſentat ſibi ſignificatum eliciendo intellectionem eius; & qui docet repræſentat; ſimiliter ipſum objectum repræſentat ſe. ſed excluduntur omnia, primum & ultimum per ly *alterius* quod referendum eſt ad utrumque, ut ſignatum ſit aliud ab utroque; ſecundum autem, quia non repræſentat in genere cauſæ ſed in genere conditionis, ſit iam

ACTIO. II.

In quo ſtet formalis ratio ſigni tam naturalis quam placiti?

Breviarium

Num. 1. *Reſolutio.*
2. *Objectio: ſuſpiria an ſigna naturalia doloris.*
3. *Quid ſit formale in ſigno ad placitum?*
4. *Objectio. ratio ſignificandi num ſit quid præteritum an præſens?*
5. *Alia objectio. ens rationis an & quomodo cauſet ens reale?*
6. *Difficultas mota de modo quo lingua aliqua addiſcitur.*

1. DIco primo; Ratio formalis ſignificandi ſigno naturali formali realiter eſt ipſa entitas ſigni, formaliter autem eſt habitudo aliqua tranſcendentalis, aut ſecundum dici, ut voles. At verò in ſigno naturali inſtrumentali ratio illa fundamentaliter eſt connexio eius cum ſignificato formaliter relatiò prædicamentalis. ſignificavit hanc a D. in primo themate citatus. Probo ipſam concluſionem: inſtantiæ enim primæ partis, ſive ſigna naturalia formalia, ſunt ſpecies impreſſæ & expreſſæ, hæc autem ſuis entitatibus ſignificant, ſive ſe ipſis, nam ſpecies expreſſa ſeipſa concurrit ad cognitionem, & ablatis quibuſcumque alijs, dummodo relinquantur ipſæ, hoc habebunt. ergo.

a diſ.1.q.1.

Dices ſi ita eſt, ergo fruſtrà addimus relationem. Reſpondeo negando hoc; primo quidem relationes iſtæ tranſcendentales, aut ſecundum dici non diſtinguuntur ab entitatibus relativorum, adeoque ablatis omnibus præter entitates eorum manebunt relationes. ſecundo, quia ablatis relationibus erunt tantum fundamentaliter ſigna non vero formaliter, quod commune eſt omnibus relativis; atque ita eſſe (nec temere à noſtris ſed neceſſario dici) infra oſtendam Apolog. 7. prædicam Action: 1 & 2.

Quod autem neceſſariò adhibenda ſit relatio, quæ fuit altera pars concluſionis, puto evidens reddi hac ratione quia omne ſignum tam naturale quam placitum, formale &c. eſt alicujus termini atque ita eſſentialiter ad aliud; hoc autem eſt eſſe relativum, & dicere relationem ſi dentur in rerum natura relationes ergo.

Inſtantiæ ſecundæ partis ſint pro nunc gemitus, & fumus: Dico hæc ſignificare propter connexionem quam habent cum ſignificatis quia enim ſcimus ignem omnem emittere fumum & dolentem gemitus, quoties videmus fumum colligimus ignem, & ſuſpirio judicamus ſubeſſe dolorem. Hæc ergo connexio eſt ratio fundandi relationem quam dixi eſſe prædicamentalem, quia eſt intrinſecus adveniens, & habet fundamentum in natura rei, ſicut ſimilitudo.

2. Objicio contra totum hoc, ſuſpiria & gemitus non habent naturalem connexionem cum dolore, ergo falſum eſt rationem formalem ſignificandi in illis eſſe connexionem, & ex illà deinde ſurgere relationem. Antecedens patet experientiâ multorum, qui edunt ſuſpiria etiam non dolentes, ſed fingentes dolorem; ſicut etiam ſcimus poſſe & ſolere homines ridere quando non lætantur, & tamen riſus eſt ſignum lætitiæ, ſicut gemitus triſtitiæ, ergo: Huic reſpondendum videtur negando antecedens, & dicendò eiuſmodi actus non eſſe gemitus aut ſuſpiria vera, ſed apparere tantum, quia non eliciuntur ex interno dolore ſed ſi ita eſt tum opportet dicere quod ſuſpirium ſignificans dolorem ſit ſuſpirium elicitum ex dolore; quo dicto duo abſurda ſequuntur, vnum quod nunquam poſſumus deduci in cognitionem doloris ex ſuſpirio, quia numquam certi ſumus an ſuſpirium elicitum ſit ex vero dolore: Alterum quod in conceptu ſigni involvatur ſignatum non tanquam alterum correlativum ſive terminus, ſed tanquam fundamentum illius ſignificationis eſt totum hoc ſuſpirium elicitum ex dolore. Tum autem ſuperfluit relatio ad aliud ſicut & ipſum aliud quia dolor quem ſcire volumus jam ſcitus eſt, quoniam ſe tenet ex parte ſigni putati, quod eſt ſuſpirium. Reſpondeo ergo negando antecedens cum ſua probatione, non enim negari poteſt quin gemitus habeat connexionem cum triſtitia. Ad abſurda autem illa dico ea non ſequi, quia ſuſpirium non eſt ſic explicandum, ſed habet propriam differentiam diverſam à dolore, quæ quia latet nos, decipimur putantes eſſe ſuſpiria quæ non ſũt. Probat ergo argumentum falli nos dum putamus aliqua eſſe ſuſpiria quæ non ſunt; non vero quod fallamur putantes ſuſpiria eſſe ſigna doloris; aut ut maximè probat quod illa ſint ſigna falſa aliquandò, non vero quod non ſint ſigna.

3. Dico iterum, ratio formalis ſignificandi in ſigno ad placitum eſt inſtitutio paſſiva relicta ab activa quæ in authore inſtitutionis fuit, puta in principe reipublicæ, aut ſimili ſi autem amplius quæri placet de hac inſtitutione, in entitate ſua eſt ens rationis morale. Totum ſupra habes in primo themate. Exemplum vox *anima* v. g. jam ſignificat ſpiritum aut quaſi ſpiritum ſive principium movendi ſe abintrinſeco, hoc autem non habet ab entitate ſua ut patet (potuit enim fuiſſe entitas illa ſoni ſine hac ſignificatione, immò cum oppoſita ut ſignificaret mortem) ergo iam hoc accepit ab aliquo libere ſuperaddito ei, ſive decreto circa ipſum, quæ fuit inſtitutio aut reipub, aut authoris linguæ. Tum ſic, non potuit formaliter hoc accipere ab inſtitutione activa quia hæc non eſt in ipſa voce formaliter, ſed in authore extrinſeco; accipit ergo

ab

Digitized by Google

ab inſtitutióne paſſiva. At vero hæc inſtitutio paſſiva non poteſt eſſe quid reale quum potentiæ vitales non poſſent extra ſe reale aliquid producere, propter quod dicuntur immanenter agentes, erit ergo aliquid rationis, &c. ſed contra.

4. Objicies: formale ſigni iam eſt hodie ens illud rationis iam nõ eſt hodie, ergo licet demus tempore inſtitutionis rationem formalẽ ſigni fuiſſe eiuſmodi ens rationis, iam tamẽ eſſe non poteſt. Minor probatur primo, quia jam non eſt inſtitutio activa, ſine hac autem non poteſt ſtare inſtitutio paſſiva cum ſint correlativa iſtæ: ſecundò, quia ſignificatio illa eſt quaſi effectus inſtitutionis, at vero nullus effectus illius inſtitutionis olim factæ poteſt hodie incipere (licet poſſit permanere) adeoque vox quæ hodie incipit & accipit eſſe non poteſt accipere ſignificationem ab inſtitutione. Hoc argumentum procedit contra quamcumque ſententiam de ratione formali ſigni, etſi Recens aliquis putaverit ipſum ſolos nos premere, non intelligens etiam ipſius ſocijs eſſe ſolvendum, dum ponunt rationem formalem ſigni eſſe ipſam voluntatem inſtitutionis, nam illa non eſt hodie; vel, ſi eſt, ſufficienter vt denominet formaliter ſignum, poſſumus nos dicere quod etiam ſit ſufficienter vt reddat efficienter ſignum, aut vt ſit correlativum eius. Reſpondeo ergo in forma concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem eius dico inſtitutionem activam eſſe ſufficienter vt reſpondeat enti rationis. Licet enim non ſit Phyſicè eſt moraliter quod ſufficit ad cauſandum ſiue efficienter ſive formaliter ens rationis. Sed adhuc contra iſta

5. Objicies ſecundo: Ens rationis non poteſt eſſe alicui virtus producendi ens reale; talis eſt ratio formalis ſigni, eſt enim ratio cauſandi cognitionem ſignati, nam ratio ſigni in voce homo, eſt cauſa cur audita illa cauſet in me intellectionem naturæ humanæ; ſi enim non fuiſſet ſignum non cauſaret, quantumvis haberet omne Phyſicum quod hodie habet, ergo reſpondeo hoc etiam eſſe omnibus ſolvendum, certum enim eſt quod non ſit hodie vlla forma realis in ſignis olim inſtitutis. Reſpondeo ergo ſecundò diſtingvendo maiorem; ens rationis non poteſt eſſe cauſa Phyſica entis realis concedo, non poteſt eſſe cauſa moralis nego, & ita eſt ſignum, v.g. vox. Quod enim non ſit cauſa Phyſica patet tum ex ratione factâ; tum inde quia præter ipſam habetur adæquata cauſa intellectionis ſignati, ſcilicet intellectus & ſpecies impreſſa eis: ſignum ergo non facit niſi excitare ſpeciem quæ eſt quædam approximatio vel applicatio cauſæ.

Objicies tertio: Si ratio formalis ſigni conſiſteret in inſtitutione illâ & formâ rationis ſeu moralis, quicumq; ſciret hoc, puta vocem eſſe ſignum, deberet ſcire illam inſtitutionem & illud ens rationis; hoc autem eſſe falſum conſtat in ſimplicibus qui intelligunt ſigna, & tamen nihil minus cogitant quam eiuſmodi entia rationis. Sequela tamen videtur valida, quia non poteſt ſciri compoſitum aliquod, niſi ſciatur formale eius, ſicut non poteſt cognoſci relativum niſi cognoſcatur relatio, nec intelligi bonum niſi intelligatur aliquid quod ſit bonitas, ergo. Reſpondeo pro omnibus (eſt enim etiam obiectio iſta communis;) negando conſequentiam. Ad probationem dico non poſſe ſciri compoſitum niſi ſciatur formale eius aliquo modo, ſive determinatè, ſive indeterminate, non eſſe autem opus ut ſemper ſciatur determinate, ſic video vivens, & tamen non video vitam hoc eſt animam, nec ſcio (ex hoc præciſe) vtrum corpus ſit vivens ſe ipſo, an per formam diſtinctam. Video Regem & intelligo eum talem eſſe, non intelligo tamen quâ formâ ſit rex, vtrum electione an ſucceſſione, an iure belli, &c. Ita hic, ſciens vocem aliquid ſignificare, novit eam habere aliquid quo ſignificet, licet neſciat diſtinctè quid illud ſit, quod ſi requireretur certe non modo ſimplices ſed nec docti intelligerent vnquam ſignum vllum; nonne enim iam diſputamus & diſſerimus circa rationem conſtitutivam ſigni? & hæ quidem obiectiones ſunt omnibus fere communes; aliæ autem non, ſed recentiores premunt, qui ponunt rationem formalem ſigni eſſe voluntatis inſtituentis extrinſecè denominantem: contra quam ſententiam facit quod obiectum illius voluntatis ſit ratio formalis ſigni, in voce v.g. ex quo ſequitur quod ipſa voluntas non poſſit eſſe ratio illa formalis, quum non poſſit eſſe obiectum ſui: Nam quod ipſi ad hoc dicunt, neſcio an plenè ſatiſfaciat, ſcilicet obiectum illius actus eſſe ſignificationem vocis in actu ſecundo; inſtituens enim non ſolum vult ut vox ſignificet, ſed vt ſit ſignificativa, & vero quomodo poſſet ſignificare niſi eſſet ſignificativa.

6. Pro complemento hujus quæſtionis de ſignificatione hic adijciam ſcrupulum quem concepi in hac materia ex vſu puerorum quando incipiunt ſignis vti. Scimus enim eum qui vult ignotum per ſigna alteri manifeſtare v. g. vult quiſpiam docere alterum linguam Græcam; hic vt doceat alterum illius linguæ vocabula, debet vti vocabulis alterius Lingvæ v. g. Latinæ, quam addiſcens novit, & debet ipſe noſſe, atque ita uterque debet callere vnam aliquam linguam communem vt ſic procedant à noto ad ignotum; nam ſi non nouit addiſcens Latinam, fruſtrà ille vteretur eâ ad tradendum ei Lingvam Græcam ſicut & ipſe fruſtrà vteretur Græcâ ad ſe ipſam aut ad Latinam: ex quo habetur hoc tanquam ſtabile, quod pro hoc ſtatu qui vult alium vim ſignorum docere debet habere aliqua ſigna ſibi & addiſcenti nota. Hinc vero oritur ſcrupulus ille quem dixi de vſu puerorum quando addiſcunt primam Linguam v. g. maternam non videtur enim quomodo poſſunt eam addiſcere ab ullo cùm nullam priorem ſciant, qua vtantur & ipſi, & illi qui eos docent; & tamen vidimus eos non ſolum addiſcere, ſed perfectiſſimè adquirere Linguas quaslibet, vt adulti nunquam tam perſpicuè & propriè adquirant ſenſum & vſum vocabulorum: quæ res quia admirationem gignit, viſa eſt mihi ad Philoſophiam pertinere; ac proinde ſaltem proponere eam volui ab alijs ſolvendam. Ego ſane vnum ex duobus dicerem: Primo addiſci Linguas à pueris per ſigna ſed non talia qualia ſunt voces Linguæ, puta ad placitum ſignificantia, id enim videtur refelli per diſcurſum factũ in obiectione; & præterea ac magis per hoc, quod ſic deberet dari infiniti ordines ſignorum, & omnes illi à pueris ſciri, vt vnam Linguam addiſcerent, nam quæ ratio-

ratio-

ratione ad hæc ſigna v.g. ad vnam linguam vterentur aliâ etiam, ad aliam illam, aliâ vteretur, &c. in æternum. Itaq; debet hic dari ſtatus, & aliquid ex ſe tale cuiuſmodi in præſentiâ debent eſſe ſigna naturalia, vt nutus, item ipſum opus externum loquentis quod videt puer coniunctum cum loquutione, & ex illo colligit ſæpe mentem loquentis, alterum quod hic dici poteſt fortaſſe verius ſed non tam dignum Philoſopho, quod ſcilicet Deus hic adiuuet naturam & ſuppleat impotentiam eius ſicut in alijs multis; & revera ſi non poſſumus in ipsâ naturâ invenire cauſam ſufficientem hujus neceſſario id dicendum eſt; ſed hæc hactenus: nunc ſit

---

ACTIO III.

Quid voces immediate ſignificent, res an conceptus?

Breuiarium.

Num. 1. *Vox in propoſito quid?*
2. *Ad loquutionem an neceſſaria intellectio?*
3. *Vocibus non ſignificari conceptus probatur pluries.*
4. *Reſponſio ad dictas probationes.*
5. *Obiectiones duæ ſolutæ.*
6. *Alia obiectio; quomodo mentimur?*
7. *Vocibus ſignificari res extra.*
8. *Importari res ſimul & conceptus per ipſas.*
9. *Non tamen ſignificari res propriè.*
10. *Non quodlibet notificans aliud eſt ſignum.*

1. INprimis ſtatuendum eſt quid ſit vox ad propoſitum, nam proprijſſima acceptio eius, hic eſt impropria & impertinens. *Multa* (a) (enim) *animalium vocem non habent, vt & quæ ſunt ſine ſanguine, & ſanguinem habentium piſces*, quia ſcilicet aut non habent pulmonem, aut non habent linguam, aut non guttur, aut omnino non reſpirant, quæ omnia requiruntur ad vocem propriè dictam, & tamen in piſcibus, & exanguibus quæſtio hæc locum habet, & cæteris quibuſque: [b] *ſingulis enim animalium voces propriæ* (ſunt) *ad inſtitutum & venereum coitum.* (c) Apollonius Thianus Epheſi paſſerum ſermonem interpretatus eſt, quod etiam nuper in Sicilia fecit, quidam devotus Religioſus noſtri Ordinis. [d] Et *S. Clemens Alexandrinus* refert de Elephantibus quod quum vnus in cœnum ceciderit, è quo neque ſolus neque vnius ope liberari queat, idque alteri videnti indicet, is confeſtim monitus alijs caſum nunciat, atque ita re intellecta plures Elephanti prolapſo ſuppetias ferunt. Itaque vox in propoſito eſt quicumque ſtrepitus animantium, quo paſſiones ſuas invicem ſignificant, ſive id fiat per organa, illa quæ ſupra numeravi, & requiruntur ad vocem in rigore, ſive alias. Præterea autem ad vocem requiritur, & à fortiori ad loquutionem, ut animal formans eam habeat concomitantem actum internum exprimentem obiectum vocis. [e] *Oportet enim animatum eſſe verberans aerem & cum imaginatione aliqua.* Hic ergo quæritur an ſoni & ſigna hæc ſignificent actum internum animalis ſonantis, an rem ipſam externam? Et in homine quæſtio eſt an ſignificetur actus intellectus, qui in ipſo concomitatur vocem?

(a) *Ariſt. de* 2. *de an. t.* 87

(b) *hiſt. ani. mal. c.* 9.

(c) *Gorop. l.* 1. *Hermath.*

(d) *l.* 1. *Strom.*

(e) 2. *de Anim. tex.* 90.

2. Sed exſtimo hanc Ariſtotelis Phyſicam non eſſe nimis veram, aut ſaltem non univerſalem. Et quidem communiter conceditur non requiri actum intellectus, ſed ſufficere actum imaginativæ, quem quidem omnes communiter requirunt, at non ego: Quin puto eadem ratione poſſe fieri ſine imaginatione vocem propter quam ſit ſine actu intellectus: Ecce quomodo: Concedunt Authores poſſe vocem formari ſine actu intellectus, eò quod experiamur nos loqui ſine cogitatione de eo quod dicimus, ut quum loquimur aut oramus diſtracti; atqui hinc ſequitur poſſe voces edi ſine ipſa etiam imaginatione rerum, nam quando diſtrahimur non modo non cogitamus, ſed nec imaginamur obiecta vocum, quia ſcilicet imaginatio tum occupatur ab intellectu, debemus enim imaginari quæ cogitamus, atque ideo diſtrahimur ab obiectis vocum non ſolum intellectu ſed etiam imaginatione; ſed quidquid ſit de his, loquimur in caſu quo omnia regulariter fiant ſine diſtractione aut intellectivæ aut imaginativæ. Quo modo accipiendo rem, de ipſa controverſia tres ſunt ſententiæ, duæ extremæ, & una media: [e] prima aſſerit ſignificari conceptus ſolos, eſt Boëtij (f) & aliorum (g) expoſitorum huius loci: alia res; in quâ ſententiâ agmen agit D. N, ut infra: Tertia (h) media eſt Recentiorum.

(f) *Ammon. Alexand. Porphyr.*

(g) *Cork. de cap.* 1.

(h) *Alb. de Sax. q. vlt. Baſſol.* 1. *d.* 1 *Tartaret.* 1 *Rhod. Brit.* 9. 1. 6. *Amicit.* 1. 11. *q.* 4.

3. Dico primo primam ſententiam eſſe falſam. Hanc ex profeſſo tradit D. ſub c. d. 27. q. 3. & alibi probat fusè ac valenter quæſt. 2. in primum Perih. Primò quia ſi voces ſignificarent conceptus ſolos, tum omnes propoſitiones vocales affirmativæ eſſent falſæ; hoc autem potius eſt falſum, ergo voces non ſignificant conceptus. Sequela maioris oſtenditur in hac, homo eſt animal, qua nihil verius, ſed tum eſſet bis falſa, falſum enim eſt conceptum hominis eſſe conceptum animalis, nam & realiter diſtinguuntur vtriuſque ſpecies, & prætereà formaliter ſive ex naturâ rei vt ſuppono.

Dices aſſumi hic falſum & eſt, quod ſpecies hominis & ſpecies animalis realiter diſtinguantur, non enim ita eſt, quia propoſitio mentalis non componitur ex duabus aut pluribus partibus ſed eſt vna ſimplex qualitas atque ita ſubiectum & prædicatum eius ſunt realiter idem. Reſpondeo licet hoc ſit veroſimilius, tamen non eſſe omnino extra controverſiam: ſed ſit ita, adhuc argumentum habet locum, nam quantumuis componeretur propoſitio mentalis ex partibus realiter diſtinctis, adhuc propoſitio vocalis eſſet vera; non eſſet autem ſi ſignificarentur conceptus aut ſpecies extremorum.

Alia

Alia argumenta in idem accumulat Doctor citatus, ſequitur enim ſecundo, quòd omne nomẽ ſignificat; conſequens eſt falſum, ſed ſequela tenet ſi vera eſt ſententia Boetij, quia omne nomen ſignificat ſpeciem ſive impreſſam ſive expreſſam; patet autem omnem talem eſſe accidens. Tertium quod abſurde hinc ſequitur eſt hanc *Lapis non eſt in anima, ſed ſpecies lapidis*, quæ eſt Ariſt. 3. de Ani. tex. 38. Includere contradictionem, quia (inquit D.) removet eſſe in animâ à ſpecie Lapidis in prima parte propoſitionis, nam illud ly *lapis* idem eſt ac ſpecies lapidis ſecundum Adverſ. At vero in ſecundâ parte propoſitionis concedit eidem ſpeciei eſſe in anima, vt vides clariſſimè in exceptivâ illâ, *ſed ſpecies lapidis*. Quartum abſurdum infert, quod ſic omnis propoſitio in quâ prædicatur *eſſe* ſit ſecundi adjacentis, eſſet vera ſemper & vbique quod tamen patet eſſe falſiſſimum, cum hæc non vera, Antichriſtus eſt, & multo minus hæc; dies craſtinus, aut res futura eſt, ſive exiſtit; patet tamen hæc paradoxa ſequi ex oppoſitâ opinione, quia conceptus Antichriſti & diei craſtinæ ac aliorum futurorum ſine dubio eſt apud loquentem de ipſis, ergo. Alia ſatis accurata habet D. ibid. quale eſt illud de ſyllogiſmo, qui iſtâ opinione nihil vnquam concluderet. Item illud de vſu vocum pro rebus quia non poſſumus res ad ſcholas ferre, quod ſupra poſui in Themate.

4. Et quidem hæc videntur vincere intentum toties niſi quid occurrat quo ſolvantur. At enim dici poteſt ea non ſequi ex oppoſitâ ſententiâ, propterea quod illa non vtcumque ponit ſignificare conceptus per vocem; dupliciter enim loqui poſſumus de conceptu, vel vt tale ens, puta qualitas eſt, vel vt ſignum eſt. Poteſt autem Advers. velle quod voces ſignificent conceptus quatenus ſigna ſunt non quatenus entia aut qualitates ſunt: quo poſito nihil illorum abſurdorum ſequitur. Sed inprimis hoc non eſt defendere quod voces ſignificent ſolas ſpecies, quæ tamen fuit aſſertio impugnata: patet ſequela, quia ſi ſignificent conceptus vt ſigna, iam ſignificant eorum ſignata, atque ita non ſolos conceptus. Deinde ſi non ſequantur forte illa abſurda, ſequitur hoc, quod omnes voces ſignificent relationes aut relativa, nulla autem abſolutum: patet, quia voces vt ſigna, ſunt manifeſte relativa. Deinde, adhuc ſequuntur ſupra poſita à Doctore v. g. illud de falſitate propoſitionis affirmativæ quæ aſſerit identitatem prædicati cum ſubjecto, nam non verificatur vlla talis niſi ratione rerum; conceptus autem vt ſigna non identificatur rebus, ſed potius diſtinguuntur ab illis, ſicut omne relativum à ſuo correlativo, ergo. Denique nihil falſius quam ſignum ſigni importare ſignatum eius, & ratione eius poſſe quaslibet propoſitiones verificari de eo. Nam hæc vox; imago Cæſaris; eſt ſignum ſigni, ſcilicet ſignum imaginis, non propterea tamen, vere dicam hanc vocem eſſe animal aut rationale aut riſibile, licet ipſe Cæſar ſit omnia hæc, ergo ſimiliter. Probavit aliquis concluſionem ſic, quia alias ſequeretur quod Græcus audiens propoſitionem Græcam prolatam ab ignorante linguam Græcam, non intelligeret eam; probatur ſequela, quia non intelligit conceptum formalem quem proferens habet. Vellem argumentum valere, ſed non hic ſed infra locum habet de ſignificatione Scripturæ, cui eam D. applicat. Nihilominus ad hæc ipſa dici poteſt quod probent voces non eſſe ſigna ſuppoſitiva conceptuum, ſed non probare quin ſint ſigna demonſtrativa conceptuum. Quam ſolutionem non impugno, quia accedit ad veritatem, nam & nos infra concedemus eis aliquam rationem ſigni reſpectu conceptuum; ſed non ſufficit illa reſpondenti hic, nam non ſaluat quod ſignificent ſolos conceptus quod fuit aſſertum Boetij.

Probo aliter intentum ſic: quando ſtatuarius ſtatuam ſculpſit, licet non poſſit eam ſculpere niſi habendo imaginationem, & ideam eius in ſuâ mente, ſicut nec homo loqui ſine conceptu, tamen ſtatua ſculpta non eſt ſignum ideæ artificis, ergo nec vox conceptus: & hinc formo novam rationem, quia non neceſſariò vox habet annexum conceptum loquentis de re, ergo vox non neceſſariò ſignificat eum. Antecedens infrà demonſtrabo.

5. Obijcit Adverſarius voces ſignificant ſine dubio id ad quod aſſumptæ & inſtitutæ ſunt; atqui aſſumptæ ſunt ad ſignificandos conceptus, ergo illos omnino ſignificant. Minor eſt plurimorum. (*a*) etiam ex Philoſophis. (*b*) Et ratione patet ex adverſâ conditione Angelorum, qui quia ſignificare poſſunt invicem ſuos conceptus & intellectualiter loqui, non indigent vocibus, atque adeo nec vtuntur. Reſpondeo diſtingvendo maiorem voces ſignificant id ad quod ſupplendum inſtitutæ ſunt nego, ad quod intimandum aut declarandum inſtitutæ ſunt, concedo: & tum ſimiliter diſtingvo minorem. Itaque voces aſſumptæ ſunt in ſupplementum conceptuum, at vero in ſigna rerum; quam doctrinam amplius infra proſequar.

a) *Aug. l. de rat. c. 12. oſſ. hom. 1. n. Ioan. Damaſ. l. 3. fid. c. 17.*
(b) *Platin. de virt. c. 3. Philom. l. Quod. &c.*

Obijcies ſecundo, veritas & falſitas ſunt in propoſitione vocali vt in ſigno, ergo illud erit ſignatum eius in quo ſunt primario; ſic autem ſunt in enunciatione mentali, adeoque voces primo ſignificant enunciationem mentalem. ℞. concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia veritas non eſt in ſignato, ſed cauſa veritatis, veritas enim nõ poteſt eſſe niſi in actu qui ſit iudicativus quod non poteſt competere obiecto. Addo antecedens etiam verum eſſe de propoſitione mentali, nam etiam in actu intellectus, veritas eſt vt in ſigno, adeoque reliquum argumentum procedit etiam contra ipſam non minus quam contra vocalem, de quâ ſolâ argumentum factum eſt.

6. Obijcies, ſi voces non ſignificarent conceptus ſequeretur non poſſe dari mendacium; hoc falſum, ergo, & concluſio noſtra Sequela probatur, quia mendacium conſiſtit in eo, quod quis ſignificet vocibus ſe habere actum internum quẽ non habet, ad hoc autem patet eſſe neceſſarium vt voces ſignificent actus internos, quod eſt intentum Adverſarij, ergo. Reſpondeo primo hoc negotium de mendacio eſſe in oppoſitum, & pro ſecũdâ ſententiâ, vt ſtatim infra deducam. Deinde in formâ nego conſequentiam, & oſtendo conſequens eſſe falſum vt ibi iacet, ſive, poſſe dari mendacium. Licet voces non ſignificarent cõceptus; quia ſcilicet, qui vult conceptus animæ per voces ſignificari, intelligit ſine dubio de conceptibus intellectus, hinc enim alijs verbis dicunt per voces ſignificari ſpecies. quod autem dari poſſit

cedendum eſt totus prior ſyllogiſmus, & negandum ſub ſumptum, non enim ideo repugnat ſubjecto eſſe ſine paſsione, quia dependet ab ea, ſed quia eſt idem ipſi, ſicut etiam non poteſt eſſe ſine ſe ipſo & tamen non dependet à ſe. Ad ipſum autem medium in ſe puto non eſſe repugnantiam aut abſurdum quod prius dependeat à poſteriori. Sic genus eſt prior differentia, & tamen dependet quo ad eſſe à differentia, (intelligo contractivã.) Materia eſt prior forma & tamen dependet, forma denique ipſa eſt prior accidentibus & tamen dependet ab illis, itaque illa prioritas naturæ reddit ſic prius independens quoad intelligi, non quoad eſſe.

10. Objicies 3. Attributa divina quæ ſunt quaſi paſsiones eſſentiæ, identificantur realiter tantum eſſentiæ divinæ quæ eſt quaſi ſubjectum earum, ergo creatæ paſsiones non identificantur realiter ſuis ſubjectis, quia nimirum multo maior identitas & ſimplicitas concedenda eſt divinis quam creatis in omni ordine. Hoc argumentum eſt ad hominem contra Scotiſtam, nam Thomiſta quis poneret etiam formalem identitatem inter illa, facilè evaderet negando maiorem: Ego autem nego conſequentiam, & oſtendo Adverſario negandam; nam ſi valet illa, nullius rei extra Deum paſsio identificatur ei quod eſſe falſum apud ipſos, etiam conſtat in ente, nam ens identificat ſibi unitatem bonitatem &c. itaque non differunt divina à creatis in omnibus, ſed conveniunt in nonnullis ex quibus hoc eſt unum. Objicies ultimo nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale ſimul: eſſentia rei v. g. hominis eſt virtualiter riſibilis ergo non eſt formaliter talis. Huic putavit aliquis *b* ſe reſpondiſſe exemplo ignis, qui eſt virtualiter calidus quatenus poteſt producere calorem, & formaliter per calorem receptum; Sed enim non ſufficit ei exemplum ad negandam majorem illam in omni ſenſu; quod ut pateat, formetur ſic illa: Nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale per eandem formam: quo dicto ſufflatur inſtantia ignis, nam non eſt eadem realiter forma qua ignis eſt virtualiter, & qua eſt formaliter calidus: eſt enim ſua ſubſtantia virtualiter calidus, formaliter autem accidentè ſuperaddito. In hac autem forma, probo argumenti maiorem quia nulla una forma poteſt dare plures effectus formales ſpecie diſtinctos. At vero eſſe virtualiter, & eſſe formaliter tales ſunt ectus ſpecie diſtincti, ergo. Sed etiam ſic formato argumento nego vel diſtinguo maiorem ſic: nihil poteſt eſſe virtualiter & formaliter tale per eandem realiter formam nego, per eandem tam realiter quam ſpecificè ſive ré & ratione concedo, & ita hic contingit ſubjectum & paſſio ſunt unum quid realiter diverſum ſive plura formaliter & ratione; atque ita poſſunt reddere virtualiter & formaliter tales; & niſi hoc ita foret genus & differenti, a Eſſentia & ſingularitas non darent diverſas denominationes; nam etiam hæc ſunt una res.

b Ponc. ſup. d. 10 q. 2

11. Quæritur utrum paſſio inferior includat ſuperiorem? Reſponde quod ſupra dictum eſt in ſimili de differentiis, nam etiam Propria ſunt differentiæ, etſi non propriiſſimæ. Vlterior ratio eſt quia ſi includeret inferior paſſio ſuperiorem, tum inferior non eſſet propria, ſed ſecunum aliquid commune: v. g. riſibilitas vel alia paſsio hominis ſi includeret paſsionem animalis non eſſet ipſa tota propria homini. Sed hæc ratio non eſt plena, neque aliæ ſupra videntur hic locum habere, unde de hoc demque ſum dubius. Sed quid ad illud, an includat genus aut differentiam ſubjecti? an riſibilitas v.g. includat animal aut rationale videtur enim quod ſic quia exercitium paſsionis includit exercitium generis v.g. riſus actualis includit ſenſationem. Deinde quis dubitet quin riſus ſit actus vitalis? atque ita includit exercitium vitæ ex quo ſequitur quod riſibilitas includat rationem viventis quod eſt genus. Denique admiratio (quæ ponitur paſsio hominis) eſt aliqua ratiocinatio, atq; adeo includit differentiam quæ eſt rationale, & ſi non ipſe actus ſecundus admirationis, ſaltem admirativitas quæ eſt actus primus & paſsio, nec refert quod non includat ratiocinationem hoc eſt diſcurſum, nam ſi hoc requireretur, nec ſimplex apprehenſio eſſet exercitium rationalis in homine, ergo. Puto tamen probabilius reſponderi negativè. Primum & ſecundum argumentum ſupra ſoluta ſunt in ſimili Apolog. præced act. 5, num. 6. & ſimiliter ſolui tertium poſſet; ſed non eget ea ſolutione, nam admiratio non videtur eſſe actus ſed mera paſsio, ſicut verecundia aut dolor. Cur autem reſponderim ad quæſitũ negativè, cauſa eſt, quia ſi riſibile v.g. includeret animal aut rationale, tum homo eſſet bis animal, aut bis rationale, ſemel per genus aut differentiam, iterum per paſsionem. Deinde ſi riſibile includeret rationale, tum animal cauſaret rationale actu, quum tamẽ non includat ipſum niſi in potentia. Nec valet quod non cauſet ſe ſolo rationale, ſed cum alio, nam neque cum alio poteſt cauſare niſi includat ipſum in virtute ſua actu ſaltem partialiter, & alia huiuſmodi addi poſſunt quæ omitto.

Agunt de Proprio.

Porphyr. *hinc cap.* 5. S. Auguſtin. in Cathegr. cap. 9. & lib. 4. de Trinit. cap. 3, & 4. Albertus Magnus *tract. 6. de Propr. cap. 1. & tr. 7 cap. 1.* Och 1. *p. Log. cap* 24. & *in expoſit cap. de Proprio* Albertus parvus *q. un. de propr.* D. Th. *opuſc.* 48 cap 7. Lovanienſ & Canter in *hoc cap.* Arago *lib. 3. Met.* Gallego hic *controv. 18* Ioan. de Magiſt. *q. 9. Log* Ioan. Anglic. & Brabavol. ſuper q. 30. & unic. Scot. cap. 1. *diſt. 3. q. 3.* Caet. 1. *p. q. 12. ar. 3.* Socin. *8. Met. q. 1 ad* 4 Ferrarien. *4. contr. Gent. c.* 65. Soto *q. 2. de Propr.* Bannes 1. *p. q. 73. ar.* G. Tartar. de prop. *dub.* 1, 2 & Ioan. Canon. 1 *Phyſic. q. 4. ar. 2.* Trumbeta 4. *Met. q.* 4. Lychez *q. 3 prolog.* Faber. *4. Met diſp.* 6. Flandria 5 *Met.* Maſsius *cap. de Propr.* Fonſeca 5. *Met. c.* 29 *q.* 19 Gregor *2. d* 16. *q.* 3. Gabriel 161. *q.* 1. Marſil. 1. *q 7. ar. 3.* Durand. 2. *d. 3. q* 2. Conymb. in *Coment. huius* cap. & q. *de Prop. artic. trib.* Complutenſ. hic *diſp. 8.* Averſa *q. 10* Rodriq. & Mauritius in *expoſ. q. 30. Vn. Doct.* Poncius. Merinet. *propria diſp.* Maſt. & Bell. *diſp. 5. q. 4.* Amicus tract. 8. *Logic.* Hurt. Arriaga Oviedo & *Recent. ſupracitati.*

APOLO.

Digitized by Google

APOLOGIA VLTIMA.
DE ACCIDENTE QVINTO PRÆDICABILI.

Act. I. Examinat definitionem illam Accidentis. Quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem.
Actio II. An & quomodo Accidens ſit univerſale diſtinctũ à Proprio ? & alia ſparſim de utroque prædicabili reſolvuntur.

Scot. 7. Met. q. 4. num. 1.

QVod non ſit intentio Philoſophi negare omnem entitatem formaliter ab accidentibus præter entitatem ſubſtantiæ actu, videtur Philoſophi 4. Phyſ. tex. com. 58 poſito quod in aliquo ſpacio ſit tantum ſonus quærit utrum illud ſpacium ſit vacuum? & reſpondet quod ſi in ſpacio poteſt recipi corpus vacuum eſt, ſi non non eſt vacuum. Poſito ergo quod accidens non poteſt eſſe ſine ſubiecto, ſequitur contradictoria ſimul vera videlicet quod ibi ſit corpus & quod non

Idemque 2 prædicab. n. 2.

Ad quæſtionem dicendum quod Proprium & Accidens *ſunt diſtincta univerſalia, quia accidentium quædam ſunt ab intrinſeco; & hoc vel ratione materiæ, ut quantitas, vel qualitatum activarum ſicut qualitates ſenſibiles quædam ab extrinſeco, & hoc dupliciter; vel manent amoto illo extrinſeco, ut nigredo ab æſtu, vel non manent, ut calor vel figura aquæ quæ ſibi relicta redibit ad propriam naturam. Nullum iſtarum eſt proprium quia nullum convertitur, eſt enim defectus in aliqua trium particularum requiſitarum ad convertibilitatem, vel in omnibus.*

ACTIO PRIMA.

Examinat definitionem illam Accidentis *quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem.*

BREVIARVM.

Nu. 1. *Defenditur definitio Accidentis. 1. difficultas cõtra eam*
2. Secunda difficultas etiam ſoluta, num aliquod ſit inſeparabile?
3. Solutio huius, & diſcrimen quarti ac quinti prædicabilis.
4 Tertia obiectio conſequentia à coniuncto ad diviſum, qualis?
5. Accidens, num ſit prædicabile de ſpecie an tantum de numero differentibus?

1. EXamen autem ad duo extendetur, ſive ad vnum dupliciter ſumptum, ſcilicet ireſolvam an illa deſcribat accidens reale, ſive primò intentionaliter ſumptum? & deinde an accidens prædicabile ſive ſecundo intentionaliter ſumptum. Dico autem illam bene convenire accidenti realiter ſeu primò intentionaliter ſumpto; hoc eſt materiæ ſeu ſubſtrato quinti prædicabilis. Ita D. qu. 35. præd cab. & cum eo ſui omnes atque etiam a externi ſe uper vſque ad noſtrum ſæculum in quo Recent. aliqui corrigere eam, & carpere authorum ſolent Probanda eſt ſolutionibus obiectionum, quas claritatis cauſa, diponam ſeorſim ab invicem in duas claſſes & primò eas quæ faciunt contra particulam *adeſſe*; adverſus quam. Obiiciuntur mors, conflagratio, calor ſummus, & ſimilia quæ non adſunt niſi cum ſubiecti corruptione, nam mors corrumpit ſive deſtruit animal, conflagratio lignum, calor ſummus aquam, & tamen ſunt accidentia de quibus hic. Hæ enim prædicationes, homo moritur, lignum ardet, aqua caleſit, & ſimiles ſunt quinti prædicabilis ergo. Iſtæ inſtantiæ magnam moleſtiam attulerunt omni ævo Logicis, vt apparet ex ipſorum inventionibus ad evadendas eas. Puto tamen facile reſponderi ſi notetur verus ſenſus propoſitionum, atque etiam verum ſubiectum: Nego ergo minorem, ſive iſta eſſe accidentia illorum ſubiectorum, non enim mors eſt in homine vt ſubiecto, ſed in materia, eſt enim ſeparatio animæ à corpore atque adeo corpus eſt ſubiectum eius ſicut eſt ipſius animæ. Idem eſt de ligno reſpectu ignis, non enim lignum ardet, ſive habet formam ignis [niſi vulgi æſtimatione] ſed materia. Denique nunquam ineſt ſummus calor aquæ, ſed aliquis infra ſummum: quod autem præter Phyſicam veritatem horum, ita etiam Logicè dicendum ſit, oſtendo; nam ſi homo v. g. eſſet ſubiectum mortis tum homo morte non moreretur, & ſic de aliis illis, quod eſt nimis falſum patet autem ſequi, quia ſi ſubiectetur mors in homine debet ad minus pro aliquo inſtanti eſſe in eo, atque ita adhuc exiſtere non obſtante ipſius morte, quod ſufficit conſequentiæ probandæ, ſed præterea ſequitur quod etiam tota æternitate poſſint ſimul eſſe, nam qua ratione poteſt homo vno inſtanti ſtare cum ſua morte certe poteſt duobus & ducentis &c. Dices; transferamus rem extra hos terminos, & dicatur ſic: Deſitio hominis non poteſt intelligi adeſſe ei ſine eius corruptione: Deſitio eſt accidens ei, ergo aliquod accidens non poteſt intelligi adeſſe ſine ſubiecti corruptione. Reſpondeo adhuc negando Minorem, quia quando deſitio eſt, homo non eſt, deſinit enim homo per primum ſui non eſſe, ſic explicandum: Iam non eſt homo, immediatè ante fuit. Itaque non eſt inſtans aliquod, (vt imaginatur arguens) medium inter eſſe & non eſſe hominis quod ſit menſura deſitionis eius. Adhuc tamen ex hac ipſa ſolutione inſtaurari poteſt argumentum, quia licet homo deſinat intrinſecè & inſtantaneè, ſunt tamen aliqua quæ non ita, ſed deſinunt ſucceſſivè & in his datur tempus medium inter eſſe & non eſſe quod eſt tempus deſitionis talia ſunt motus, tempus, & ſi alia ſucceſſiva, ergo in his ſaltem contingit dari accidens quod non adeſt niſi cum ipſorum corruptione. Reſpondeo videri hic eſſe diſparitatem ſed in vera omnia eſſe ſimilia quia videlicet pars ſucceſſivi quæ deſinit in tempore non habet eſſe illo tempore quo deſinit, adeoque verè non adeſt ei deſitio, quia vt adeſſet deberet vtrumque eſſe, id eſt pars & deſitio ſimul, quod non contingit. Obiicitur contra illud *abeſſe* accidens inſeparabile, quale ipſe Porphyrius admiſit, qui proinde videtur ſibi contradixiſſe, nam eſſe inſeparabile & poſſe abeſſe, idem eſt ac eſſe & non eſſe inſeparabile; poſſe & non poſſe abeſſe: ſunt autem multa huiuſmodi, talis enim eſt nigredo in corvo, candor in nive, lux in corporibus cœleſtibus, figura in corpore finito, vmbra item in corpore illuminato & ſimilia; quæ alii notarunt. Mihi autem plus videntur hic facere iſtæ & ſimiles inſtantiæ: differentia in genere v. g. rationale in animali, individualitas in ſpecie v. g. Petreitas in natura humana, & ſi quæ talia ſint. Clarum eſt enim iſta non poſſe ſeparari à ſubiectis, multa & mira videas ad hæc ab authoribus excogitata, quæ quũ ſint explicationes Porphyrii certum eſt nunquã veniſſe in mentem Porphyrio: Et quod plus eſt, non

a D Th. de pot. creat. ... lib. 3. q. 3. Caie. Soto hic.

non veniunt ad rem, ergo dupliciter reſpondebo, primò ad mentem Scoti & Porphyrii: nempe vidit ipſe Porphyrius difficultatem & ſolvit eam dicendo quod inſeparabile illud puta nigredo corvi, poſſit ſaltem cogitatione ſeparari, quamvis revera in translatione Boetii, non videantur ea verba à Porphyrio in hunc finem poſita. Quæ enim connexio horum: *Dormire quidem ſeparabile accidens eſt, nigrum vero eſſe, inſeparabiliter corvo & Æthiopi accidit, poteſt enim intelligi & corvus albus, & Æthiops abiiciens colorem præter ſubiecti corruptionem.* Mihi ſatis eſt Scotum ſic reſpondiſſe, vnde ita primò Reſpondeo ſed contra hanc viam facit vulgaris replica quod ſic nō diſtinguetur propriū ab accidente, Nam etiam ſine proprio poteſt ſubiectum intelligi. Reſpondetur, aliter poſſe ſubiectum intelligi ſine proprio, & aliter ſine accidenti: nam ſine accidenti ita poteſt intelligi ſubjectum vt etiam intelligatur eſſe ſub oppoſito; ſine proprio non ita, v.g. poteſt corvus intelligi cum albedine, non tamen homo cum hinnibilitate. Ita plures ex quibus eſt D. N. *a* propter quod ſolutio admitti poteſt; ſed non cogimur admittere eam, quia in priori loco apud Scotum non eſt ſolutio; in ſecundo non eſt de mente eius. Et verò quorſum ad abſentiam vnius oppoſiti, præſentia alterius? quod facit ad hoc vt albedo poſſit abeſſe quid nigredo poſſit ineſſe? [hic autem ſumus in examine *abeſſe* præcisè, nonne ſunt duæ mutationes iſtæ: nonne nigredo poteſt abeſſe alicui, cui albedo non poteſt adeſſe; Aliter ergo reſponderi poteſt negango ſequelam, cuius ratio notanda eſt iſta, quia ſine proprio non poteſt intelligi ſubiectum niſi tantùm pro primo inſtanti, quo nondum emanavit ſine accidente autem communi poteſt ſemper, at verò abeſſe pro primo inſtanti non ſufficit ad propoſitum, quia abeſſe hic eſt ſeparatio alicuius coniuncti, ſed in illo inſtanti non fuit coniuncta paſſio ergo. Confirmo ſolutionem: accidens quinti prædicabilis definitur per adeſſe & abeſſe coniunctim, nunquam autem contingit hoc reſpectu proprii, quia in primo inſtanti non eſt aptum adeſſe, in ſequentibus non eſt aptum abeſſe, ergo. Maior huius inde patet quia aliàs albedo poſſet dici accidens Angeli & Dei, nam clarum eſt quod poſſit abeſſe his; Ex quibus videas quàm bellè quidam Recentior *b* dixerit Ly *&* accipiendū eſſe diſiunctim: vt ſit idē quod *vel* quia neq; poteſt ſic accipi, neq; debet hic vt patet aliàs quodlibet eſſet cuiuslibet accidens quia poteſt adeſſe *vel* abeſſe ei v.g. albedo Deo. Dices ipſū abeſſe ſufficit vt formentur propoſitiones de prædicato dicendo Deus nō eſt albus. Reſpondeo nihil minus facere ad rē Adverſarii, quā hoc quia illa prædicatio non eſt quinti prædicabilis cum ſit neceſſaria: hæc primò. Secundò reſpondeo omne accidens quinti prædicabilis eſſe realiter ſeparabile, nam prima illa quorum aliqua recenſuit Porphyrius ſunt in facto eſſe ſeparabilia per potentiam ſaltem ſupernaturalem Dei, ſcilicet albedo, nigredo, lux, quātitas, & qualibet figura in particulari: Alia illa quæ plus faceſſunt negotii, ſcilicet differentia ſpecifica à genere, & numerica à ſpecie, dico eſſe ſeparabilia in ſenſu diviſo, etſi nō in ſenſu compoſito; eſt dicere jam non poteſt ſeparari ab animali quod eſt in homine rationalitas tamen potuit non fuiſſe ei coniuncta, potuit enim illud animal quantum eſt de ſe fieri irrationale & idē eſt de homine cui coniuncta eſt Petreitas, potuit enim quantum erat de ſe coniungi ei alia differentia numerica vt fieret Paulus aut Andræas.

a q. 32. & 35. univerſ.

b Hurt. diſput. & ſect. 6. Log.

4. Obiicies partes definitionis *per ſe* conveniunt definito, ergo adeſſe per ſe convenit accidenti; ſi autem *adeſſe* per ſe ei cōvenit nunquam, poterit *abeſſe* ei convenire. Confirmatur, omne accidens neceſſariò ineſt, quia inhærentia eſt de eſſentia accidentis, ergo. Hoc argumentum ex Doct. tacito nomine deſcripſit Rec. quidam hic Reſpondet ergo D. negando antecedens, ſive negando potius hanc eius probationem, quæ adhiberetur ei negatæ: accidens per ſe adeſt & abeſt: ergo accidens per ſe adeſt eſt enim à ſecundùm quid ad ſimpliciter, ſimilis iſti: contingens neceſſariò eſt contingens, ergo contingens neceſſariò eſt. Sed contra hanc ſolutionem inſtat ipſe ſubtiliter ſic: à genere poſito ſub differentiâ tenet conſequentia ad genus ſimpliciter: ſequitur enim; eſt animal rationale, ergo eſt animal: At verò totum hoc *adeſt & abeſt* eſt hic poſitum loco differentiæ ergo conſequentia tenet etiam ad partem. Reſpondet ergo denique ipſe Subtilis *per ſe* convenire accidenti ſi *per ſe* ſit determinatio inhærentiæ, non verò ſi ſit determinatio inhærentis; quod eſt dicere ineſſe per ſe convenire accidenti, at verò accidens non per ſe convenire ſubiecto. Simile eſt de vniverſali vt ſic, cui per ſe convenit prædicari de multis, & tamen quintum prædicabile per accidens prædicatur de multis, quia nimirum prædicari per accidens, per ſe ei convenit. Brevius tamen diceretur ad antecedens primi argumenti partes definitionis coniunctim convenire definito, non verò ſeparatim vniverſaliter. Partes principales definitionis bene verum eſt quod verificentur etiam ſeparatim de definito, ſcilicet genus & differentia, at verò partes partiū non item. Hic autē Ly *adeſt* eſt pars partis ſcilicet differentiæ quia totum hoc *adeſt & abeſt* eſt differentia accidentis.

5. Fateor tamen accidens ſecuriùs & faciliùs definitum iri ſic. *Eſt prædicabile de pluribus in quale contingenter.* Quæres tamen de hac ipſa an accipienda ſit de pluribus numero differentibus, an de pluribus ſpecie, an de vtroque modo diverſis, ne laboremus in æquivoco? reſpondeo poſſe formari prædicationes quinti prædicabilis de ſubiecto communi dicendo, homo eſt albus, equus eſt albus &c. ſed quia hæ non ſunt immediatæ, cum ſint veræ ratione harum, Petrus eſt albus, Bucephalus eſt albus &c. ſi requiratur ad vniverſale prædicatio immediata intelligendā eſſe definitionem de differentibus numero, ſed vt monui, hoc eſt improbabile, & patet tale eſſe ex prædicatione generis de individuis, nam hæc omnia de individuis mediatè tantùm prædicantur. Dices primò differentiam & proprium non prædicari de pluribus ante individua, quia licet immediatiùs prædicetur de ſpecie, illa tamen eſt vna tantum, ſeu vnum ſubiectum. Reſpondeo verum eſſe id de differentia & proprio infimis, ſaltem de ſubalternis. Dices ſecundò acriùs hæc, homo eſt albus non verificatur niſi ſuppoſita veritate huius, Petrus eſt albus, at verò ſuppoſita veritate huius illa eſt neceſſaria; atqui nulla neceſſaria eſt quinti prædicabilis, ergo nec illa. Reſpondeo ſi valeret argumentum probaret quod hæc ipſa, Petrus eſt albus, ſaltem hæc, Petrus eſt coloratus, ſit neceſſaria, atq; ita non quinti prædicabilis; patet: quia hæc, homo eſt coloratus eſt neceſſaria ſuppoſita veritate illius, Petrus eſt albus. In forma ergo diſtinguo ſubſumptum, eſt neceſſaria neceſſitate conſequentiæ, cōcedo, neceſſitate conſequentis nego conſequentiā ſic iſtā.

ACTIO

ACTIO SECVNDA.

An; & quomodo accidens ſit Vniverſale? An diſtinctum à Proprio & alia ſparſim de utroque prædicabili reſolvuntur.

BREVIARIVM.

Num. 1. *Prima difficultas circa accidens num ſit univerſale.*
2. *Secunda: An univerſale debeat latius patere ſuo ſubjicibili.*
3. *An accidens ſit diſtinctum prædicabile à Proprio.*
4. *Singulare poſſe eſſe quartum univerſale.*
5. *Accidens requirit ſui & ſubiecti exiſtentiam.*
6. *Dari tamen caſum in quo eam non requirat:*
7. *Nihil quinti prædicab. ineſt à natura.*
8. *Aliquid quinti prædicabilis contineri poteſt ſub quarto prædicabili*
9. *Inferiora Accidentis quæ?*
10. *An idem poſſit eſſe in quarto, & quinto prædicab.*

1 QVoad primā partem Concluſio affirmativa poſita eſt ſupra Apol. 1. act. 5. ſupereſt hic ſolvere obiectiones quas ponam primò contra abſolutam rationem Vniverſalis in Accidente, deinde tractabo diſtinctionem eius à proprio. Objicies ergo primo Vniverſale exigit identitatē ſui cum inferioribus, accidens non exigit, imo neque admittit eā, ergo accidens non eſt univerſale. Maior patet ex prædicationibus, quæ in omni uniuerſali exercentur per verbum *eſt*; at vero To *eſt* importat identitatem prædicati ſui cum ſubiecto aliquam; non formalem aut eſſentialem, illa enim redderet prædicationem identicam, ergo realem, quæ fuit maior probanda. Minorē autem probant iſtæ: paries eſt albus, homo ridet & in quibus patet prædicatum diſtingui realiter à ſubiecto, ergo. Reſpondeo primo argumentum ſolvendum eſſe arguentibus, nam nec proprium identificatur realiter ſubiecto ſecundum ipſos ut viſum eſt. Reſpondeo ſecundo, patet quod Ly *eſt* non importat identitatem realem extremorum quorum eſt copula, alias quandocumque haberetur eiuſmodi identitas propoſitio eſſet vera, quod tamen falſum eſt, ut conſtat ex iſtis. Petreitas eſt humanitas. Paternitas divina eſt ſpiratio activa in quorum utraque prædicatum identificatur realiter ſubiecto & tamen Logici primam negant, Theologi ſecundam. Deinde ſi Angelus aſſumeret hypoſtaticè hominem; in iſta; Angelus eſt homo; non haberetur identitas prædicati cum ſubiecto, aut aliqua parte eius, nam & natura, & hypoſtatis angeli diſtinguitur ab humanitate cum hypoſtatis diſtinguatur ab ipſa etiam Angeli natura. Denique non eſt opus exemplis, nam hæc: paries eſt albus licet pro nunc dubium ſit an ſit prædicatio alicuius univerſalis, tamen certum eſt quod ſit vera, & tamen non identificatur albedo parieti. Itaque Ly *eſt* importat tantum quod prædicatum faciat unum cum ſubiecto, (quale facere poſſunt realiter diſtincta ut patet in materia & forma) non autem quod faciat idem; & hæc mihi videtur genuina huius explicatio: dicere enim quod habeatur hic identitas realis, eo quod non prædicetur albedo ſed ſubiectū, ut ſenſus ſit, paries eſt res habens albedinem, redit in idē abſurdū, nam adhuc albedo involuitur in illo prædicato ut vides, & tamē nō identificatur

2 Obiicio 2. Vniverſale debet latius patere quam ſubiicibile eius, oppoſitum contingit in accidenti, ergo oſtendo minorem, nam cum dico lignum eſt albū, ſaxum eſt album, quæ ſunt prædicationes accidentis, Ly *album* quod eſt prædicatum non latius patet quā ſubiectum v. g. lignum, ſicut enim datur album quod non eſt lignum, puta ſaxū, ita datur lignum quod non eſt album ſcilicet ebenus, ergo. Reſpondeo hoc argumentum facere etiam contra priora prædicabilia quæ tamen omnes admittunt. Hoc oſtendo, nam cum dividitur ens v. g. in abſolutum & reſpectivum atque iterum in ſubſtantiam & accidens, iſta eſt eſſentialis: Relatio eſt accidens, eſtque prædicatio generis ſicut etiam iſta: Quantitas eſt accidens, & tamen dantur relationes quæ non ſunt accidentia, ſcilicet divinæ. Iterum ens ſpirituale commune eſt ſubſtantiæ & accidenti, & tamen exceditur à quolibet eorum non minus quam excedit ea, ſicut enim datur ens ſpirituale quod non eſt ſubſtantia puta accidens, ita datur ſubſtantia quæ non eſt ens ſpirituale puta lignum.

3. Dixi ſuo loco ſupra a hæc duo vltima prædicabilia bene poſſe redigi in vnum, atque ita vniverſalia probabiliter numeranda eſſe quatuor; contra quam reſolutionem hic moveo ſequentia dubia pro maiori rei claritate; Itaque probavimus ibi iſta duo non diſtingui quia ambo prædicantur in quale accidentale, & per modū partis aut quaſi partis; quod verò deinde prædicetur vnum contingenter, & alterum neceſſariò eſt ex parte materiæ quæ ad Logicam non ſpectat adeoque nec variare debet res Logicas, vt ſunt prædicabilia. Contra autem facit quod ſi argumentū quidquam valet, probat etiam nec differentiam à proprio diſtingui, quia vtrumque prædicatur in quale, & per modum partis aut quaſi partis; quod autem vna forma ſit eſſentialis, alia non, dici poteſt eſſe ex parte materiæ quæ ad Logicam non ſpectat, adeoque Reſpondeo diſparem eſſe caſum, quia hic non ſolum materia eſt diverſa, ſed modus ineſſendi qui ad Logicam ſpectat, nam differentia ineſt & prædicatur in quale quid proprium autem in quale tantum ſeu in quale non quid, Obiici ſecundò poteſt; Eſſentiale commune & eſſentiale proprium faciunt diverſa prædicabilia ergo accidens commune faciet diverſum prædicabile ab Accidente proprio; cur enim magis illa quam hæc? antecedens autem conſtat verum eſſe in genere & differentia, ergo. Sed hoc non multum facit, nam genus & differentia non ideo faciunt duo prædicabilia quia ſunt proprium & commune ſed aliunde, quia nimirum vnum prædicatur in quid, & alterum aliter. Inſtari tamen poteſt ſic; proprium & commune eſſentiale habent (vndecumque veniant) annexos duos modos prædicandi, & ineſſendi diverſos, ergo etiam proprium & commune accidentale. Reſpondeo negando conſequentiam quia omnia accidentia ſunt vniuſmodi, non autem omnia eſſentialia; non enim dantur accidentia quorum vnum ſit in quid & alterum in quale, dantur autem eſſentialia talia adeoque dixi ſingulare poſſe eſſe vniverſale quinti prædicabilis, idque ſupra ſuo loco probavi; hic

a Apologi. 1. Vniverſ. Act. 5. n. 7

4. Addo aſſertioni, ſingulare poſſe eſſe etiam Proprium, quantum ad præſens; probo inſtantiā ſpirationis activæ in divinis quæ eſt propria aut quaſi propria, nec enim eſt accidens commune Deo, quum emanet inſeparabiliter, hæ ergo prædicationes, pater eſt ſpirans, filius eſt ſpirans, non ſunt quinti prædicabilis, nec priorum trium, quia prædicatum non eſt cōſtitutivum ſubiectorum, adeoque. Dices contra probationem concluſionis, albedinem non prædicari ſed album. Reſpondeo hoc maledici, primò quia prædicari album non negat prædicari albedinem, ſed affirmat potius, quia album eſt albedo in concreto. Deinde quocumque ſe vertat Adverſarius in illo prædicato nihil eſt pertinens ad quintum prædicabile niſi albedo. Obiicitur acriùs contra concluſionem ipſamet concluſio, quæ videtur implicare in terminis, quia ſingulare pugnat cum vniverſali, ad hæc videor ſupra reſpondiſſe, vnde pergo hic, &

5 Dico tertiò quintum prædicabile requirere ſui & ſubiectorum exiſtentiam, hanc ſtatuo contra abſolutè negantes eam, nam & ipſe infra oſtendam eam aliquando eſſe falſam Probo interim eam, accidens debet eſſe prædicabile de ſubiecto contingenter, non eſt ſic prædicabile niſi ſecundùm eſſe exiſtentiæ, ergo. Minorem probo, (Maior enim conſtat ex definitione accidentis) quia quod contingenter prædicatur, ita dicitur vt poſsit negari, quod ſic ſuadetur; aut enim affirmatur actualis inhærentia de ſubiecto, aut aptitudinalis; ſi ſecundum, habetur intentum argumenti. ſi enim prædicatur id quod non poteſt negari, ſi primū habetur etiam intentum concluſionis, tum enim requiritur actualis exiſtentia ergo. Tentavit aliquis evadere hoc argumentum, dicendo non poſſe quidem

a Maſtr. diſp. 5 V-niv. art 1.
b 2. diſt. 3. q. 1.

haberi exercitium prædicationis quinti prædicabilis, niſi exiſtentibus extremis, adhuc tamen haberi vniverſalitatem quia hæc non exigit actum qui eſt exercitium illud, ſed aptitudinem. At immerito reſpondit ſic Scotiſta, *a* quin meminiſſe debuit ſecundum *Scotum b* vniverſale eſſe proximè prædicabile de multis prædicatione dicente hoc eſt hoc; res autem quæ poteſt tantum eſſe in pluribus & non eſt, non eſt proximè ſic prædicabilis, nam deeſt ei non ſolùm prædicatio quæ eſt actus ſed aliquid primævum, quod proinde debet eſſe prædicabilitas, aut aliquid eius. Præterea etiã quandocumque aliquid habet potentiam, non repugnat dari actum: vniverſale habet ſecundum ſe potentiam ad prædicari ante exiſtentiam, ergo poterit verè reduci in actum. Demus ergo eam redigi in actum, demus fieri prædicationem quinti prædicabilis ante exiſtentiam extremorum dicendo paries eſt albus, aut Petrus ſcribit; & tum ſic arguo ego: Poſſibili poſito nullum ſequitur abſurdum, ſequitur ex eo quod de Petro aut pariete non exiſtentibus prædicetur (verè intellige) albedo, aut ſcriptio; ergo hoc non fuit poſſibile quod tu aſſeruiſti: at vero ad vniverſale requiritur ſaltem potentia illa ad prædicari, ergo ante exiſtentiam non habetur vniverſalitas huius vniverſalis. Vrgetur ratio concluſionis: ſubiecta non exiſtentia reſpiciuntur ab accidente poſſibiliter, hæc autem reſpicientia eſt neceſſaria, neceſſarium eſt enim quod poſſibile ſit parietem eſſe album, ergo reſpondet ipſe. in prædicationibus aptitudinalibus quinti prædicabilis non poſſibilitatem aut exiſtentiam poſſibilem prædicari ſed formam ipſam quæ illis ineſſe poteſt contingenter, vnde [inquit] licet illa neceſſario apta ſit ad eſſendum in illis, non tamen ad eſſendum in illis neceſſariò ſed contingenter ſed hic homo non potuit rectius contra ſe dicere, nam etiam totum hoc quod accidens poſſit eſſe in ſubiecto contingenter eſt neceſſarium; v. g. neceſſariò verum eſt quod albedo ſic poſſit ineſſe ſuperficiei vt poſſit etiam abeſſe inde & aboleri.

6. Exiſtimo tamen ipſe dicendum quod accidens quinti prædicabilis non neceſſario exigat ſui & ſubiectorum exiſtentiam, [propter quæ ſupra in concluſione non definivi oppoſitum vniverſaliter, ſed tantum indefinitè) ecce inſtantias. Hæ enim prædicationes ſunt quinti prædicabilis, Adam vixit, Anti-Chriſtus erit, hæ non exigunt ſubiectorum exiſtentiam; quid ſequitur, niſi quod aliquæ prædicationes quinti prædicabilis verificantur ſine exiſtentiis? nec aliquæ aut paucæ ſolum, ſed omnes de præterito & futuro, atque ita hiſtoriæ omnes & omnes prophetiæ ſunt propoſitiones veræ quinti prædicabilis abſq; exiſtentiis. Quod ergo dixit reſolutio præcedens locum habet in propoſitionibus de præſẽti v. g. illis paries eſt albus, Petrus currit, hæc autem in ſ[illegible] &c. quam diſtinctionem videntur mihi non notaſſe quotquot abſolutè aſſerunt aut negant requiri ad hoc prædicabile exiſtentias. Obiicies tritum illud: vniverſale definiri per eſſe aptum ex quo ſequitur non requiri quod actum ſit ulli, requirit autem quiſquis exiſtentiam; certum eſt enim quod non adſit exiſtentia formæ & ſubiecti, niſi etiam adſit vnio eorum, ergo. Reſpondeo vniverſale Logicum definiri per eſſe aptum prædicari, non per eſſe aptum ineſſe, ſed potius per actu ineſſe, nam actu ineſſe requiritur ad aptitudine prædicari, vt notavit D. cit. in tertio patet hoc ex Philoſop. *Vniverſale eſt unum in multis & de multis.* Vide ſupr. dicta *c*

c Apol. 1. univ. Aſtion. 2.

7. Quæro an accidentia quinti prædicabilis à natura aliquando? exiſtimo non ineſſe abſolutè & (ut puto) ſuadebo hoc reſpondendo inſtantiis: Videtur enim oppoſitum paſſim contingere nam homo naſcitur albus, arbores creſcunt rotundæ, mel ſapit flores olent, & alia ſexcẽta habent ſimiles qualitates à natura, ergo. Reſpondeo adhuc non eſſe allatã inſtantiam quinti prædicabilis purè, hoc eſt quæ non ſit in aliquo modo quarti prædicabilis. Albedo enim in homine & aliis non eſt merum accidens ab extrinſeco veniens, ſed oritur ex natura talis mixti, & idem eſt de ſapore in melle, quæ ſunt proinde in ſecundo modo proprii, ſcilicet *omni & ſemper.* Figura autem aut oritur ab intrinſeco, ſicut colores & ſapores, & ita pertinet ad proprium, aut ab extrinſeco & tum non eſt à natura

8. Quæro an accidentia quinti prædicabilis contineri poſſunt ſub aliquo quarti prædicabilis? Reſpondeo diſtinguendo: poſſunt contineri ſub aliquo diſtincto quarti prædicabilis, non poſſunt autem ſub aliquo determinato Explico rem ſimul, & probo: linea habet proprium ſibi eſſe rectum aut curvum, numerus par aut impar, genus v. g. animal, hanc aut illam differentiam ex duabus, ut impoſſibile ſit hæc ſubiecta ſeparari abhoc disjuncto, & tamen poteſt ſeparari Linea & rectitudo quæ continentur ſine dubio ſub disjuncto illo rectitudo aut curvitas; Poteſt numerus inveniri ſine paritate, & ſic de aliis. Si autem proprium Lineæ eſſet determinata differentia curvitatis, non contingeret caſus ut vides. Dices oppoſitum eſſe verum, & apparere in iis quæ habent paſſiones determinatas, nam riſibilitas eſt determinata paſſio hominis v. g. Petri & tamen quæcumque riſibilitas in particulari eſt accidens ei; poſſet enim eſſe ſine illa cum alia riſibilitate. Reſpondeo totum hoc nihil efficere contra reſolutionẽ. Ecce quomodo nõ. Nam, aut comparamus riſibilitatem ad hominem ut ſic, aut comparamus eam ad Petrum; ſi ad hominem, illa eſt determinata paſſio, ſed ſub illa nulla accipi poteſt quæ ſit accidens aut ſeparabile, nam riſibile ut ſic (& ita quodlibet riſibile) debetur homini ut ſic: ſi autem comparatur ad Petrum, dico nos eſſe in caſu paſſionis disiunctæ, proprium enim Petri eſt vel hæc vel illa riſibilitas; Quod dico ſuppoſito quod Petrus non exigat hanc numero riſibilitatem, puto autem verius quod exigat, ſed tranſeo pro nunc, unde caſus locum opportunius habet in propriis Phyſicis v. g. in calore reſpectu ignis. Exiſtimo præterea non modo ſubiecta determinare ſibi formas ſeu paſſiones ut intellexit Porphyrius, ſed paſſiones determinare ſibi ſubiecta, atque ita dari propria etiam individuorum. Probatio erit inſtantia, huius, figura nõ poteſt eſſe niſi in corpore finito, ecce formam appropriare ſibi ſubiectum, punctum non poteſt eſſe ullius niſi continui. Et alia ſexcenta. Sæpius autem occurrunt eiuſmodi inſtantiæ in ſingularibus, nam licet ego v. g. poſſim ſcribere alia ſcriptione ab ea qua ſcribo, tamen hæc ſcriptio non poteſt eſſe alterius agentis quam mei, ſive, nullus alius poteſt hac ſcriptione ſcribere alias daretur infinitas formarum aggregatarum ſimul, & dari neceſſario deberet adhoc ut ego redderet ſcribens, quod, quia ſuppono demonſtrabile & ſuo loco in Metaphyſica probandum eſt. Hic demonſtrat huiusloci intentum jam enim accidens ſcilicet ſcriptio, determinat ſibi ſubjectum, ut per nullam potentiam ſine eo eſſe poſſit, & quid magis proprium.

9. Quæro etiam inferiora Accidentis, non enim facile aſſignantur in illis de quibus prædicatur Accidens, in quibus tamen ſine dubio inveniri debent. Totum hic vides Accidẽs v. g. albedo prædicatur & de ligno & de Lapide, prædicationibus quinti prædicabilis, & tamen adhuc non apparent inferiora eius, non enim lignum & Lapis, quia, non ut corpora ſunt, neque ut qualia ſunt, non ſunt corpora, ſic enim ſunt ſub ipſo corpore, aut ſub alio in genere ſubſtantiæ, neque qualia puta ut alba, quia prædicatio albedinis de illis ut alba ſunt non eſt quinti prædicabilis, hæc enim non eſt accidentalis, hoc album eſt album. Reſpondeo inferiora eius eſſe in caſu poſito lignum & Lapidem ut ſubjecta ſunt, non ut concreta ſunt. Et ſi voles audire reſponſionem in terminis jam poſitus & impugnatis, Reſponderi poteſt lignum & Lapidẽ eſſe inferiora albedinis ut corpora ſunt, nec ratio in oppoſitũ hoc refellit. Dico enim quod illa ut corpora, ſunt ſub corpore aut alio genere ſubſtãtiali per ſe & eſſentialiter, per accidens autẽ ſub qualitate, nec id novum eſt, nam lignũ & lapis non ſolũ ſunt ſub genere corporis ſed ſub differentia corporeitatis & perſeitatis, ecce idem ſub diverſis prædicabilib.

10. Quæro denique an idem eſſe poſſet in quarto & quinto prædicabilibus; Ratio dubitandi eſt, calor ſummus v. g qui eſt proprietas ignis, & tamen inveniri poteſt extra illum, & accidentaliter competere alteri, vt ſtupæ: lux quæ eſt propria cæleſtibus cõvenit elementis, & mixtis Sed merito reſpondit ad hoc D N. *d* negativè, quia nimirũ ſi proprium alteri convenire poſſet, iam non eſſet huius proprium quia non ineſſet ei convertibiliter. Inſtantiæ allatæ non continent vera aut propriè propria ut ſupra vidimus adeoq. ſed Objicio, aliquid idem poteſt eſſe differentia eſſentialis unius rei, & adhuc competere alteri per modum accidentis, ergo multo magis poteſt eſſe proprium unius & accidens alterius. Antecedens oſtendo, in *eſſe diſgregativum viſus* quæ eſt differentia eſſentialis albedinis & tamen convenit aliis v. g. ſuperficiei muri & chartæ per modum accidentis quinti prædicabilis. Sed nihilominus ſtandum eſt reſolutioni negativæ Doct. Vnde ad objectum Reſpondeo nec differentiam eſſentialem, competere alteri immediatè (de quo quæritur) ſed mediante compoſito, de quo non quæritur, nam ſic etiam propriũ poteſt alteri competere, & de facto cõpetunt ſubjectis omnia propria formarũ quæ illis inhærent, unde ſi nos ſciremus proprietatem albedinis poſſemus eã de charta affirmare, in quo definant Apologiæ prædicabilium.

d qu. 31 prædic.

De Accidenti denique ſcribunt.

Ariſt. & Aug. *ubi ſupra Apol. præced.* D. Th. etiã *ibid* citatus, & præterea de *Spiritual. Creat. art ul.* 7. Alb Mag. *tr. 4 c. 7 ca* 1 & Damaſc. in *Dialect. c. 13.* Avicen. & alii. Arabes *apud Alber. cit.* Ægid. *Poſt text* 8 Rup. Ab. *l. 7. de oper. Spir. ſan. c. 1.* Aver. *in cap de Accid.* Ock. 1 *p. Log. c.* 25 & in *Log Text cap de Accid.* Boet. *ibid* Ferrar. 2. *contra Gent c. 8.* Philip 1 *Poſt* 34. Sat. nan Ang. & Maur. cum *Scoto q.* 35. *Vniv.* Rob. Bellarm. *l.* 3. *de amiſſ. Grat. c.* 3. Levinc. Sonid *cap. de accid.* Io à Lap Iſern. Lovanienſ & Colon. *ibid* Tratarer *ib. q.* . Alb. *par. q. unic.* Io à Magiſt. *q.* 10 *prædicab* Ant And. *in hoc cap.* Lalem *hic diſp. partit* 5. Moriſsã *hic q* 5 *Fonſec lib* 5. *Met c.* 28. *q* 19. *& Amic. tr.* 9. *Log* Averſa *q* 14 Rodr. *in comento Doct. cit.* Ponc. Maſt. Arrag. Oviedo & Recentes cit Apolog. præcedent.

FINIS PRIMÆ PARTIS LOGICÆ.

APOLOGIA PRIMA DE SIGNO.

ACTIO. I.

Quid ſit Signum & Significare.

ACTIO. II.

In quo conſiſtat ratio formalis Signi tam naturalis quam placiti?

ACTIO. III.

Quid voces immediate Significent, res an Conceptus?

ACTIO. IV.

De Significato Scripturæ & Nutuum.

Sco. 4. d. 1. q. 2, n. 7.

6. TErtio quod in ratione nominis prædictâ includitur aliquid quod dici tens rationis, ſcilicet hoc quod eſt ſignum ex inſtitutione, nam iſta relatio non conſequitur fundamentum ex naturâ rei, quia etſi in re ſit aptitudo ad ſignandum effectum ſignatum, tamen actualis ſignatio non convenit ſibi per actum imponentis.

Idem in primum Periherm. q. 2. n. 2.

VErbum ſignificat aliquid, conſtituit enim intellectum qui dicitur, ex quo ſequitur quod ſignificare eſt alicuius intellectum conſtituere illud ergo ſignificatur cuius intellectus per vocem conſtituitur, ſed prolata voce non conſtituitur intellectus ſpeciei ſed rei; ut probatur in quocumque audiente vocem ſignificativam. Item in primo elench. dicit Ariſt. quod pro rebus utimur nominibus, quia non poſſumus ferre res ad diſputandum, ſed ſpecies intelligibiles poſſumus ferre nobiſcum, erga illarum non ſunt voces notæ ſed rerum.

ACTIO PRIMA.

Quid ſit Signum & ſignificare?

Breviarium

Num. 1. *Rejecti aliquorum modi dicendi*
2. *Diviſiones aliquot ſigni*
3. *Signa formalia, non ſigna.*
4. *Signum proprie quid.?*
5. *Objectiones duæ ſolutæ ad quem actum intellectus pertinet ſignum?*
6. *Alia objectio an idem ſui ſignum?*
7. *An neceſſaria inſtitutio ad ſignum?*
8. *Cauſa an ſignum?*
9. *An intentio ſignificandi neceſſaria?*
10. *Definitio abſoluta ſigni.*

1. IDEM Utrumque, eſt, ſcilicet ſignum eſſe, & ſignificare; Unde non ſatis exactè recens quidam (*a*) quærenti, quid eſſet ſignum reſpondit *quod aliquid ſignificat*: Perinde omnino fuit hoc reſpondere, ac dicere, quod ſignum eſſet quod eſſet ſignum, nam qui neſcit quid ſit ſignum utique neſcit quid ſit ſignificare.

a Nuri diſp. 8. Log. ſect. 1.

Alij volunt quod ſignum eſſe ſeu ſignificare ſit facere devenire in rei alicujus cognitionem: ſed etiam ipſi lapſi ſunt, patet enim multa ducere nos in cognitionem rerum quæ non ſunt ſigna: Inprimis enim ipſum objectum ducit nos in cognitione rei, nec tamen eſt ſignum ſui cum ſit ſignatum, & ſignum cum ſit relativum, neceſſario eſt ad aliud Deinde (; ut omittā potentiam v.g. magiſter, ſeu quiſquis nos docet naturas rerū, facit nos venire in cognitionem earum, nec tamen eſt ſignum earum. Plures alij tentarunt naturam ſigni explicare, quos facile ex dicendis reijcias, ita obvia quæque & facilia intellectu, ſunt difficillima explicatu, nam nec illa Auguſtini probatur omnibus, *quod præter ſpeciem ſui quam ingerit ſenſibus facit aliud in cognitionem venire.* Hanc inquā reijciunt plerique ut mancam, quia non convenit omnib⁹ & quidē fatendum eſt quod non conveniat omnibus, at non proinde fatebor eam eſſe diminutam, quia nimirum Sanctus non voluit omnia definire, ſed materialia tantum, ut patet ex illo *ſenſibus* nam ſpiritualia non ingerunt ſpeciem ſui ſenſibus; non item ſigna formalia, v.g. ſpecies impreſſas aut expreſſas, quia hæ noni ingerunt ſpeciem ſui ſed ſe ipſas quæ ſunt ſpeci-

b Vila pend Lib. 1. ſum p. 1. n. 8. Ariaga d. 11. ſec. 1.

1. de Doct. Chriſtiana

es aliorum: Abſolutã definitionẽ infra aſſignabo.

2. Interim ponam communes diviſiones ſigni. Dicitur aliud formale aliud inſtrumentale. Formale eſt quod ſe ipsô, informando facit cognoſcentem aliquid, atque ita ſignificat rem; & hujuſmodi eſt ipſa cognitio ſeu ſpecies expreſſa, & ab aliquibus eiuſmodi dicitur etiam ſpecies impreſſa. Inſtrumentale è contra quod extra ſe habendo deducit in alterius cognitionem agendo ſeu movendo: Talia ſunt cætera fere omnia ſigna ut ſtatuæ, voces, ſcripta.

Ex his autem rectè notatum eſt ab authoribus, aliqua eſſe ſigna ob ſimilitudinem cũ ſignatis, alia non item. Similitudo autem alia eſt formalis, ut illa quæ intercedit inter imaginem, & imaginatum aliquando in lineamentis externis duntaxat, ut in picturis & ſtatuis; aliquando etiam in ipſa natura ut eſt in verbo æternô reſpectu ſui patris alia eſt ſimilitudo virtualis, qualem habent ſpecies cum objecto, hanc autem rationem ſigni habent ſpecies non quatenus ſunt ſigna formalia, ſed quatenus talia ſunt ut videns illas in illis videret prototypum cujus ſunt. Alia ſine illa ſimilitudine ſignificant propter connexionem quam habent cum ſignatis, & iſta dividuntur in naturalia, ut fumũ reſpectu ignis. gemitum reſpectu doloris, & in alia quæ dicuntur ad placitum ut ſunt voces & ſcripta.

Denique dicuntur alia ſigna manifeſtativa tantum ut præcedentia omnia, alia manifeſtativa & ſuppoſitiva, qualis eſt prorex reſpectu regis. de his ſic cenſeo, & primo.

3. Dico ſigna quæ dicuntur formalia ſcilicet ſpecies tam impreſſas quam expreſſas non eſſe propriè ſigna.

Ratio pro impreſſis eſt quia gerunt vices objecti, objectum autem non eſt ſignum ergo nec ſpecies impreſſa. Confirmatur, habitus, quia ſe tenent ex parte potentiæ non dicuntur ſigna ergo nec ſpecies quæ eſt ex parte objecti.

Dices contra principalem rationem vox v.g. homo ſupponit pro objecto, & tamen eſt ſignum eius ergo ſimiliter poterit eſſe ſpecies impreſſa. Reſpõdeo, manifeſte aliter ſupponit vox pro objecto ſuo, aliter ſpecies impreſſa, ſicut aliter ſupponit imago regis pro rege, aliter prorex. Diſtinguo ergo majorem, vox ſupponit pro re tanquam ſignum concedo, tanquam ſubſtitutum nego, hoc ſecundo modo ſupponit ſpecies, adeoque non eſt ſignum.

Ratio pro expreſſis eſt quod ſignum eſt mediũ ad cognitionem, expreſſa ſpecies non eſt medium ſed finis potius, & ipſa cognitio, ergo.

Redeo ad priorem partem probãdam ſic quia ſi ſpecies impreſſa eſſet proprie ſignum, tum contingeret ipſum objectum eſſe ſui ſignum, quod nemo dicet, ſed probatur ſequi, inſtantia ſpeculi in in quo viſio fit per ſpeciem, nam & ſpecies eſt quæ movet oculum, & ipſa eſt quæ terminat viſionem ſecundum multorum ſententiam, atque adeo eſt ſignum & ſignatum, ſive ſignum ſui & fortaſſe idem abſurdum deduci poteſt contra adverſarios extra caſum ſpeculi in cognitione memorativâ, in qua ſpecies terminat actum memoriæ (quia objectum non eſt, ſed præterijt)& ipſa ſine dubio concurrit ad cognitionem, ergo ex his quid ſequitur niſi diviſionem illam communem ſigni in formale eſſe ineptam, quia deficit dimidio ſui. Vnde

4 Dicere poſſumus ſignum eſſe quod cognitum movet ad alterius cognitionem. Hujus concluſionis ratio ex dictis habetur, quia nimirum ſignum ut ſic non eſt niſi inſtrumentale [non enim formale ut vidimus] hæc autem eſt deſcriptio ſigni inſtrumentalis, ergo ſigni ut ſic. Hinc habes ſi admittere voles ſignum formale deffiniri ipſum poſſe, *quod non cognitum ducit in alterius cognitionem*: Sic enim ducit ſpecies impreſſa, ducit expreſſa, quas non eſt opus cognoſcere ut faciant ſe cognoſcentẽ, alias iretur in infinitum, & ne tum quidem poſſet quis incipere cognitionem, nam illa quâ cognoſceret aliud, deberet prius ipſa cognoſci per aliam ſpeciem, & ipſa ſpecies per aliam cognitionẽ &c. è cõtra fit in ſignis inſtrumentalibus v.g. ſtatuâ, imagine ſcripto &c. quæ ipſa prius debent ſub ſenſum cadere, antequam poſſint aliud notificare & debent cognoſci non ſpecificative ſolum ſed reduplicativè, id eſt quatenus ſigna ſunt; hinc enim neſciens linguam Hybernicam aut Hæbreã non ducitur in cognitionem rerum per vocabula illius idiomatis audita, quia licet ſenſu feratur in voces, tamẽ non fertur intellectu in eas ſub ratione ſigni, ſic enim deberet ſcire ſignificationẽ earũ

5. Objicio tamen contra meam definitionem: Præmiſſæ cognitæ movent ad cognitionem concluſionis & tamẽ nemo dixit eas eſſe ſigna concluſionis, ergo male definiuimus ſignum quod cognitum movet ad alterius cognitionem; quæ conſequentia bis premit nos, quia definivimus eo modo & ſignum ut ſic, & præterea ſignum inſtrumẽtale, cujuſmodi ſine dubio ſunt præmiſſæ ſi ullum ſint: ſolvam hanc poſt ſequentem quã.

Objicio 2. effectus deducit nos in cognitionem cauſæ, v.g. Eclipſis Lunæ in cognitionem terræ interpoſitæ ſoli & Lunæ; paſſio item in cognitionem ſubjecti, v.g. riſibile in cognitionem hominis; & tamen non dicuntur iſta ſigna hujuſmodi cognitorum, ergo needum conſtat noſtra definitio. Reſpondeo iam ad hanc, & ſimul ad antecedentẽ diſtinguendo aſſumpta earum ſic, movent ad cognitionem diſcurſivam concedo, ad aliam putà appræhenſivam, nego: ſic autem debet movere ſignum Dices, ergo ſaltem male poſitum eſt in concluſione quod ſufficiat movere ad cognitionem, nam etiam diſcurſus eſt aliqua cognitio. Reſpondeo negando ſequelam, ſic locutus ſum cum communi authorum qui quamvis diſcrepent in alijs punctis, ſed nullus hanc particulam correxit. Cur autem idem ſit cognitio ut ſic, & appræhenſiva, ſeu cur accipienda ſit pro illâ magis quam pro alijs ſpeciebus cognitionis? cauſa eſt quia cognitio ut ſic non neceſſario debet eſſe judicativa, aut diſcurſiva, non poteſt autem minus eſſe quam appræhenſiva, ſicut anima ut ſic eſt vegetativa, non autem ſenſitiva, aut rationalis. Quamvis ergo riſibile deducat nos in cognitionẽ hominis, & creatura in cognitionem Dei, tamen non ſunt ſigna, quia ad hoc egent diſcurſu quo non egent ſigna, nam angeli uti poſſunt ſignis, & tamen ſecundum multos nõ poſſũt uti diſcurſu & certiſſimè bruta non diſcurrunt, & tamen aliqua eorum ſigna præbent & intelligunt, nam præter experientias, multorũque ad ſtrepitum campanæ concurrunt *a* in piſcinâ Cæſaris murena fuit, quæ nomini ſuo vocata reſpondebat, clarum eſt autẽ quod nomina ſint ſigna ad placitũ. Multo etiam magis intelligunt ſigna naturalia ut gemitus &c. Itaque ſignũ pertinet ad primã operationẽ intellectus, & perinde in definitione clarius poneretur ly appræhenſio quam cognitio.

a [illegible]

Dices dari ſigna reſpectu iudiciorum & diſcurſuum poſſumus enim recordari enunciationum & ſyllogiſmorum propoſito aliquo ſigno ergo nõ

ſolum

ſolum dantur ſigna reſpectu primæ operationis intellectus, ſed etiam reſpectu ſecundæ. Reſpondeo, nego conſequentiam, quia nimirū judicia illa & diſcurſus tum pertinent ad primam operationē intellectus, quia ſimpliciter tantum apprehenduntur ſed contra illam particulam *alterius* quod ſit falſa

6. Objicit quidam hanc vocem *vox* itē *nomen* aut etiam ipſum hoc ly *ſignum* quæ omnia & ſingula ſe ipſa ſignificant, nam vox cum ſignificet omnem vocem debet ſe ipſam ſignificare, quæ eſt una ex omnibus: idem eſt de Ly *nomen* reſpectu nominum & de Ly *ſignum* reſpectu. ſignorū Reſpōdeo non ſufficere has inſtantias contra concluſionē: Cauſa eſt quia Ly vox [& idē eſt de alijs illis) non ſignificat omnem vocem id eſt quam libet in particulari imò nec ullam, ſed ſignificat vocem ut ſic, quæ non eſt vox ulla in particulari, licet contineat ſub ſe quamlibet in particulari; & patet ita eſſe, alias enim nunquam poſſet inferri aliquid circa vocem in particulari ex voce ut ſic, quia tum idem inferretur ex ſeipſo. &c.

Juſtius objiceretur quod ipſe ſupra tetigi de ſpeculo, in quo idem videtur eſſe ſignum & ſignatum, ſcilicet ipſa ſpecies, tum enim eſt ſignum inſtrumentale, ipſa enim in ſe objicitur potentiæ, & excitat ad videndum objectum, quod eſt ipſamet. Reſpondeo non eſſe ipſammet quæ videtur, ſed objectum primarium reale, puta ipſe homo, qui à tergo eſt, atque ita ſemel fallitur iſte diſcurſus. Deinde ſi movet & terminat viſionem, dico eam non eſſe ſignum ſed objectum, tum enim ſe habet inſtar imaginis aut ſtatuæ, In re autem, ſpecies illa tum eſt ſignum ſive videatur ipſa, ſive non, ſi non videtur, eſt ſignum formale reſpectu viſionis ſenſitivæ, quâ videtur objectum reale puta homo retro poſitus; ſi vero videatur, eſt ſignum reſpectu cognitionis intellectivæ, ſicut ſtatua vidatur, & eſt ſignum reſpectu viſionis intellectivæ.

Dices, quidquid ſit de hoc, ſaltem in cognitione intellectiva fatendum eſt aliquando idem eſſe ſignum & ſignatum, quum v. g. recordamur præteriti, tum enim ſpecies eſt ſignum formale, & tamen eſt ipſa quæ ſignificatur, nam res illa cujus recordamur nō habet aliud eſſe niſi id quod habet in ſpeciem, ergo. Reſpondeo tamen negando ſequelam, & dico ſpeciem eſſe ſignum non autem ſignificatum, ſed hoc eſſe rem ipſam ſecundum eſſe objectivum extra, quod quidem non habet eſſe realiter, & tamen ſufficit ad terminandum actum circa ipſum: Exemplum; Concupiſco ſanitatem, & ad eam applico media puta medicamenta: Illa ſanitas movet me ſecundum eſſe reale ſine dubio (quō enim mihi eſſe cognitum ſanitatis quod habeo quoties volo?] & tamen eſſe illud reale nondum eſt niſi in apprehenſione; ita hic.

7. Quorumdam doctrina eſt non ſufficere omnia hactenus dicta ad rationem ſigni niſi præterea ſit inſtitutum ad ſignificandum, ſive à natura ſive ab arbitrio hominum, ita ut quantumvis aliquid ſignificet ſine hoc, ſed non ſit ſignum. At inprimis, ſi ita eſt cur authores non addunt hanc inſtitutionem ad definitionē ſigni? Unde Toletus, qui hanc requirit & tamen omittit in definitione ſigni approbans datam ab Auguſtino, videtur mihi ſimilis antiquis logicis, qui omnes requirunt ad univerſale ut ſit unum in multis cum multiplicatione, & tamen nemō meminit hujus muliplicationis in ſuā definitione; Habeo deinde inſtantias contra hanc inſtitutionem ſeu neceſſitatem ejus. Quum video veſtes domeſtici mei recens mortui, actutùm recordor ipſius, & tamen veſtes illæ non ſunt inſtitutæ ad hoc, habemus ergo ſignum ſine inſtitutione cum video mappas inferri tabulæ, intelligo horam comedendi imminere & quis inſtituit mappas in horologium, aut ſignum horarum? ſane Chriſtianus quiſque audiens montem calvariæ cogitat Chriſtum Crucifixum, & tamen Authores oppoſiti inducti videntur ad ipſum ſuſtinendum ex ſimilitudine imaginis cui non ſufficit quod repræſentet objectum niſi etjam adhoc ſit facta: ſed quis neſcit latius patere ſignum quam imaginem.

8. An cauſa poſſit eſſe ſignum effectus negant aliqui quia inquiunt, cognitio rei per ſignum eſt cognitio à poſteriori. Ita Hurt, non intelligens hanc eſſe petitionem principij, & ego oppoſitum facile oſtendo, nam nubes gravidæ, & obſcuræ ſunt ſigna pluviæ, & ſimul cauſa ejus ſi non efficiens, certe materialis. Idem dico de cometis qui ſignificant ſimul & cauſant effectus extraordinarios v.g. peſtilentiam, inediā &c. Denique quid dicet meus adverſarius ad ſacramenta quæ certiſſime ſunt ſigna, & certiſſimè cauſa gratiæ etiam phyſica ſecundum ipſum, & ſuos ergo. Ad hæc, quod ſignum non debeat eſſe poſterius ſignato aut effectus ejus, patet contra ipſum in vocibus, quæ enim poſterioritas eſt in illis, aut quæ efficientia in rebus ſignificatis reſpectu earum?

9. Aliud ejuſdem dogma non probo ſcilicet in ſigno requiri reſpectum ad utentem ſigno unde voces à pſittaco prolatæ non ſunt ſigna ſecundū ipſum, quia pſittacus non intendit uti illis tanquam ſignificativis. At non aſſentior huic, ſed oppoſito potius, nam homo audiens voces articulatas à pſittaco prolatas intelligit ſignificata earum non minus quam ſi ab homine proferrentur, quod ita verum eſt ut niſi pſittacum videat putet eas vere ab homine prolatas. Quid eſt autem ſignificare niſi ex perceptione rei alicujus per ſenſum duci in cognitionē alterius per intellectum? Præterea cum horologij pondera præveniunt horam, & caſu ſuo ſtrepitum intempeſtum cient ſtrepitus ille ſignum eſt, audientes enim excitantur ad vigiliam, & tamen nemo eum inſtituit in ſignum, huic enim determinata fuit hora longe poſt ut ſuppono, ergo.

10. Itaque ſignum eſt quod ducit in alterius cognitionem excitando ſpeciem illius in intellectu percipientis ſignum propter connexionem quam habet res illa quæ dicitur ſignum cum ea quæ dicitur ſignificatum, ſic ſonus campanæ, & clangor tubæ vocant ad chorum, & caſtra; Sic imago deducit in memoriā prototypi &c. propter connexionem & ſimilitudinem quam inter iſta novit intellectus intercedere. Vides ergo definitionem Auguſtini ſuſtineri poſſe ut abſolute univerſalem, quia nimirum ea quæ ſub illa non comprehenduntur nec ſub ſigno compræhenduntur. ſi tamen velit quis admittere formalia pro vere ſignis, & audite definitionem unam omnium ſit, iſta ſignum eſt quod repræſentat aliud potentiæ.

Poſſunt tamen tria huic objici quæ non ſunt definita hic, & tamen ejus competit definitio

nitio : primum eſt objectum, ſecundum loquens aut docens, tertium eſt ipſa potentia: nam & potentia repræſentat ſibi ſignificatum eliciendo intellectionem eius; & qui docet repræſentat; ſimiliter ipſum objectum repræſentat ſe, ſed excluduntur omnia, primum & ultimum per ly *alterius* quod referendum eſt ad utrumque, ut ſigna um ſit aliud ab utroque; ſecundum autem, quia non repræſentat in genere cauſæ ſed in genere conditionis, ſit iam

ACTIO. II.

In quo ſtet formalis ratio ſigni tam naturalis quam placiti?

Breviarium

Num. 1. *Reſolutio.*
2. *Objectio : ſuſpiria an ſigna naturalia doloris.*
3. *Quid ſit formale in ſigno ad placitum?*
4. *Objectio. ratio ſignificandi num ſit quid præteritum an præſens?*
5. *Alia objectio. ens rationis an & quomodo cauſet ens reale?*
6. *Difficultas mota de modo quo lingua aliqua addiſcitur.*

1. DIco primo; Ratio formalis ſignificandi ſigno naturali formali realiter eſt ipſa entitas ſigni, formaliter autem eſt habitudo aliqua tranſcendentalis, aut ſecundum dici, ut voles. At vero in ſigno naturali inſtrumentali ratio illa fundamentaliter eſt connexio eius cum ſignificato formaliter relatio prædicamentalis. ſignificavit hanc *a* D. in primo themate citatus. Probo ipſam concluſionem: inſtantiæ enim primæ partis, ſive ſigna naturalia formalia, ſunt ſpecies impreſſæ & expreſſæ, hæ autem ſuis entitatibus ſignificant, ſive ſe ipſis, nam ſpecies expreſſa ſeipſa concurrit ad cognitionem, & ablatis quibuſcumque alijs, dummodo relinquantur ipſæ, hoc habebunt. ergo.

a dist. 1. q. 1.

Dices ſi ita eſt, ergo fruſtrà addimus relationem. Reſpondeo negando hoc; primo quidem relationes iſtæ tranſcendentales, aut ſecundum dici non diſtinguuntur ab entitatibus relativorum, adeoque ablatis omnibus præter entitates eorum manebunt relationes. ſecundo, quia ablatis relationibus erunt tantum fundamentaliter ſigna non vero formaliter, quod commune eſt omnibus relativis; atque ita eſſe (nec temere à noſtris ſed neceſſario dici) infra oſtendam Apolog. 7. prædicam Action: 1 & 2.

Quod autem neceſſariò adhibenda ſit relatio, quæ fuit altera pars concluſionis, puto evidens reddi hac ratione quia omne ſignum tam naturale quam placitum, formale &c. eſt alicujus termini atque ita eſſentialiter ad aliud; hoc autem eſt eſſe relativum, & dicere relationem ſi dentur in rerum natura relationes ergo.

Inſtantiæ ſecundæ partis ſint pro nunc gemitus, & fumus: Dico hæc ſignificare propter connexionem quam habent cum ſignificatis quia enim ſcimus ignem omnem emittere fumum & dolentem gemitus, quoties videmus fumum colligimus ignem, & ſuſpirio judicamus ſubeſſe dolorem. Hæc ergo connexio eſt ratio fundandi relationem quam dixi eſſe prædicamentalem, quia eſt intrinſecus adveniens, & habet fundamentum in natura rei, ſicut ſimilitudo.

2. Objicio contra totum hoc, ſuſpiria & gemitus non habent naturalem connexionem cum dolore, ergo falſum eſt rationem formalem ſignificandi in illis eſſe connexionem, & ex illà deinde ſurgere relationem. Antecedens patet experientiâ multorum, qui edunt ſuſpiria etiam non dolentes, ſed fingentes dolorem; ſicut etiam ſcimus poſſe & ſolere homines ridere quando non lætantur, & tamen riſus eſt ſignum lætitiæ, ſicut gemitus triſtitiæ, ergo : Huic reſpondendum videtur negando antecedens, & dicendò eiuſmodi actus non eſſe gemitus aut ſuſpiria vera, ſed apparere tantum, quia non eliciuntur ex interno dolore ſed ſi ita eſt tum opportet dicere quod ſuſpirium ſignificans dolorem ſit ſuſpirium elicitum ex dolore; quo dicto duo abſurda ſequuntur, vnum quod nunquam poſſumus deduci in cognitionem doloris ex ſuſpirio, quia numquam certi ſumus an ſuſpirium elicitum ſit ex vero dolore : Alterum quod in conceptu ſigni involvatur ſignatum non tanquam alterum correlativum ſive terminus, ſed tanquam fundamentum illius ſignificationis eſt totum hoc ſuſpirium elicitum ex dolore. Tum autem ſuperfluit relatio ad aliud ſicut & ipſum aliud quia dolor quem ſcire volumus jam ſcitus eſt, quoniam ſe tenet ex parte ſigni putati, quod eſt ſuſpirium. Reſpondeo ergo negando antecedens cum ſua probatione, non enim negari poteſt quin gemitus habeat connexionem cum triſtitia. Ad abſurda autem illa dico ea non ſequi, quia ſuſpirium non eſt ſic explicandum, ſed habet propriam differentiam diverſam à dolore, quæ quia latet nos, decipimur putantes eſſe ſuſpiria quæ non ſūt. Probat ergo argumentum falli nos dum putamus aliqua eſſe ſuſpiria quæ non ſunt; non vero quod fallamur putantes ſuſpiria eſſe ſigna doloris; aut ut maximè probat quod illa ſint ſigna falſa aliquando, non vero quod non ſint ſigna.

3. Dico iterum, ratio formalis ſignificandi in ſigno ad placitum eſt inſtitutio paſſiva relicta ab activa quæ in authore inſtitutionis fuit, puta in principe reipublicæ, aut ſimili ſi autem amplius quæri placet de hac inſtitutione, in entitate ſua eſt ens rationis morale. Totum ſupra habes in primo themate. Exemplum vox *anima* v. g, jam ſignificat ſpiritum aut quaſi ſpiritum ſive principium movendi ſe ab intrinſeco, hoc autem non habet ab entitate ſua ut patet (potuit enim fuiſſe entitas illa ſoni ſine hac ſignificatione, immò cum oppoſita ut ſignificaret mortem) ergo iam hoc accepit ab aliquo libere ſuperaddito ei, ſive decreto circa ipſum, quæ fuit inſtitutio aut reipub, aut authoris linguæ. Tum ſic, non potuit formaliter hoc accipere ab inſtitutione activa quia hæc non eſt in ipſa voce formaliter, ſed in authore extrinſeco; accipit ergo

ab

ab inſtitutione paſſiva. At vero hæc inſtitutio paſſiva non poteſt eſſe quid reale quum potentiæ vitales non poſſent extra ſe reale aliquid producere, propter quod dicuntur immanenter agentes, erit ergo aliquid rationis, &c. ſed contra.

4. Objicies: formale ſigni iam eſt hodie ens illud rationis iam nõ eſt hodie, ergo licet demus tempore inſtitutionis rationem formalẽ ſigni fuiſſe eiuſmodi ens rationis, iam tamẽ eſſe non poteſt. Minor probatur primo, quia jam non eſt inſtitutio activa, ſine hac autem non poteſt ſtare inſtitutio paſſiva cum ſint correlativa iſtæ: ſecundò, quia ſignificatio illa eſt quaſi effectus inſtitutionis, at vero nullus effectus illius inſtitutionis olim factæ poteſt hodie incipere (licet poſſit permanere) adeoque vox quæ hodie incipit & accipit eſſe non poteſt accipere ſignificationem ab inſtitutione. Hoc argumentum procedit contra quamcumque ſententiam de ratione formali ſigni, etſi Recens aliquis putaverit ipſum ſolòs nos premere, non intelligens etiam ipſius ſocijs eſſe ſolvendum, dum ponunt rationem formalem ſigni eſſe ipſam voluntatem inſtitutionis, nam illa non eſt hodie; vel, ſi eſt, ſufficienter vt denominet formaliter ſignum, poſſumus nos dicere quod etiam ſit ſufficienter vt reddat efficienter ſignum, aut vt ſit correlativum eius. Reſpondeo ergo in forma concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem eius dico inſtitutionem activam eſſe ſufficienter vt reſpondeat enti rationis. Licet enim non ſit Phyſicè eſt moraliter quod ſufficit ad cauſandum ſiue efficienter ſive formaliter ens rationis. Sed adhuc contra iſta

5. Objicies ſecundo: Ens rationis non poteſt eſſe alicui virtus producendi ens reale; talis eſt ratio formalis ſigni, eſt enim ratio cauſandi cognitionem ſignati, nam ratio ſigni in voce homo, eſt cauſa cur audita illa cauſet in me intellectionem naturæ humanæ; ſi enim non fuiſſet ſignum non cauſaret, quantumvis haberet omne Phyſicum quod hodie habet, ergo reſpondeo hoc etiam eſſe omnibus ſolvendum, certum enim eſt quod non ſit hodie vlla forma realis in ſignis olim inſtitutis. Reſpondeo ergo ſecundò diſtingvendo maiorem; ens rationis non poteſt eſſe cauſa Phyſica entis realis concedo, non poteſt eſſe cauſa moralis nego, & ita eſt ſignum, v.g. vox. Quod enim non ſit cauſa Phiſica patet tum ex ratione factâ; tum inde quia præter ipſam habetur adæquata cauſa intellectionis ſignati, ſcilicet intellectus & ſpecies impreſſa eis: ſignum ergo non facit niſi excitare ſpeciem quæ eſt quædam approximatio vel applicatio cauſæ.

Objicies tertio: Si ratio formalis ſigni conſiſteret in inſtitutione illâ & formâ rationis ſeu moralis, quicumq; ſciret hoc, puta vocem eſſe ſignum, deberet ſcire illam inſtitutionem & illudens rationis; hoc autem eſſe falſum conſtat in ſimplicibus qui intelligunt ſigna, & tamen nihil minus cogitant quam eiuſmodi entia rationis. Sequela tamen videtur valida, quia non poteſt ſciri compoſitum aliquod, niſi ſciatur formale eius, ſicut non poteſt cognoſci relativum niſi cognoſcatur relatio, nec intelligi bonum niſi intelligatur aliquid quod ſit bonitas, ergo. Reſpondeo pro omnibus (eſt enim etiam obiectio iſta communis;) negando conſequentiam. Ad probationem dico non poſſe ſciri compoſitum niſi ſciatur formale eius aliquo modo, ſive determinatè, ſive indeterminate, non eſſe autem opus ut ſemper ſciatur determinate, ſic video vivens, & tamen non video vitam hoc eſt animam, nec ſcio (ex hoc præciſe) vtrum corpus ſit vivens ſe ipſo, an per formam diſtinctam. Video Regem & intelligo eum talem eſſe, non intelligo tamen quâ formâ ſit rex, vtrum electione an ſucceſſione, an iure belli, &c. Ita hic, ſciens vocem aliquid ſignificare, novit eam habere aliquid quo ſignificet, licet neſciat diſtinctè quid illud ſit, quòd ſi requireretur certe non modo ſimplices ſed nec docti intelligerent vnquam ſignum vllum; nonne enim iam diſputamus & diſſerimus circa rationem conſtitutivam ſigni? & hæ quidem obiectiones ſunt omnibus fere communes; aliæ autem non, ſed recentiores premunt, qui ponunt rationem formalem ſigni eſſe voluntatis inſtituentis extrinſecè denominantem: contra quam ſententiam facit quod obiectum illius voluntatis ſit ratio formalis ſigni, in voce v.g. ex quo ſequitur quod ipſa voluntas non poſſit eſſe ratio illa formalis, quum non poſſit eſſe obiectum ſui: Nam quod ipſi ad hoc dicunt, neſcio an plenè ſatisfaciat, ſcilicet obiectum illius actus eſſe ſignificationem vocis in actu ſecundo; inſtituens enim non ſolum vult ut vox ſignificet, ſed vt ſit ſignificativa, & vero quomodo poſſet ſignificare niſi eſſet ſignificativa.

6. Pro complemento hujus quæſtionis de ſignificatione hic adijciam ſcrupulum quem concepi in hac materia ex vſu puerorum quando incipiunt ſignis vti. Scimus enim eum qui vult ignotum per ſigna alteri manifeſtare v. g. vult quiſpiam docere alterum lingvam Græcam; hic vt doceat alterum illius linguæ vocabula, debet vti vocabulis alterius Lingvæ v. g. Latinæ, quam addiſcens novit, & debet ipſe noſſe, atque ita uterque debet callere vnam aliquam linguam communem vt ſic procedant à noto ad ignotum; nam ſi non novit addiſcens Latinam, fruſtra ille vtetur eâ ad tradendum ei Lingvam Græcam ſicut & ipſe fruſtrà vteretur Græcâ ad ſe ipſam aut ad Latinam: ex quo habetur hoc tanquam ſtabile, quod pro hoc ſtatu qui vult alium vim ſignorum docere debet habere aliqua ſigna ſibi & addiſcenti nota. Hinc vero oritur ſcrupulus ille quem dixi de vſu puerorum quando addiſcunt primam Linguam v. g. maternam non videtur enim quomodo poſſunt eam addiſcere ab ullo cum nullam priorem ſciant, qua vtantur & ipſi, & illi qui eos docent; & tamen vidimus eos non ſolum addiſcere, ſed perfectiſſimè adquirere Linguas quaslibet, vt adulti nunquam tam perſpicuè & propriè adquirant ſenſum & vſum vocabulorum: quæ res quia admirationem gignit, viſa eſt mihi ad Philoſophiam pertinere, ac proinde ſaltem proponere eam volui ab alijs ſolvendam. Ego ſane vnum ex duobus dicerem: Primo addiſci Linguas à pueris per ſigna ſed non talia qualia ſunt voces Linguæ, puta ad placitum ſignificantia, id enim videtur refelli per diſcurſum factũ in obiectione, & præterea ac magis per hoc, quod ſic deberẽt dari infiniti ordines ſignorum, & omnes illi à pueris ſciri, vt vnam Linguam addiſcerent, nam qua

ratio-

ratione ad hæc ſigna v. g. ad vnam linguam vterentur aliâ etiam, ad aliam illam, aliâ vterētur, &c. in æternum. Itaq; debet hic dari ſtatus, & aliquid ex ſe tale cuiuſmodi in præſentiâ debent eſſe ſigna naturalia, vt nutus, item ipſum opus externum loquentis quod videt puer coniunctum cum loquutione, & ex illo colligit ſæpe mentem loquentis, alterum quod hic dici poteſt fortaſſe verius ſed non tam dignum Philoſopho, quod ſcilicet Deus hic adiuuet naturam & ſuppleat impotentiam eius ſicut in alijs multis; & revera ſi non poſſumus in ipſâ naturâ invenire cauſam ſufficientem hujus neceſſario id dicendum eſt; ſed hæc hactenus: nunc ſit

---

ACTIO III.

Quid voces immediate ſignificent, res an conceptus?

Breuiarium.

Num. 1. *Vox in propoſito quid?*
2. *Ad loquutionem an neceſſaria intellectio?*
3. *Vocibus non ſignificari conceptus probatur pluries.*
4. *Reſponſio ad dictas probationes.*
5. *Obiectiones duæ ſolutæ.*
6. *Alia obiectio; quomodo mentimur?*
7. *Vocibus ſignificari res extra.*
8. *Importari res ſimul & conceptus per ipſas.*
9. *Non tamen ſignificari res propriè.*
10. *Non quodlibet notificans aliud eſt ſignum.*

1. INprimis ſtatuendum eſt quid ſit vox ad propoſitum, nam propriȷſſima acceptio eius, hic eſt impropria & impertinens. *Multa* (a) (enim) *animalium vocem non habent, vt & quæ ſunt ſine ſanguine, & ſanguinem habentium piſces*, quia ſcilicet aut non habent pulmonem, aut non habent linguam, aut non guttur, aut omnino non reſpirant, quæ omnia requiruntur ad vocem propriè dictam, & tamen in piſcibus, & exanguibus quæſtio hæc locum habet, & cæteris quibuſque: [b] *ſingulis enim animalium voces propriæ* (ſunt) *ad initum & venereum coitum.* (c) Apollonius Thianus Epheſi paſſerum ſermonem interpretatus eſt, quod etiam nuper in Sicilia fecit, quidam devotus Religioſus noſtri Ordinis. [d] Et *S. Clemens Alexandrinus* refert de Elephantibus quod quum vnus in cœnum ceciderit, è quo neque ſolus neque vnius ope liberari queat, idque alteri videnti indicet, is confeſtim monitus alijs caſum nunciat, atque ita re intellecta plures Elephanti prolapſo ſuppetias ferunt. Itaque vox in propoſito eſt quicumque ſtrepitus animantium, quo paſſiones ſuas invicem ſignificant, ſive id fiat per organa, illa quæ ſupra numeravi, & requiruntur ad vocem in rigore, ſive alias. Præterea autem ad vocem requiritur, & à fortiori ad loquutionem, ut animal formans eam habeat concomitantem actum internum exprimentem obiectum vocis. [e] *Oportet enim animatum eſſe verberans aerem & cum imaginatione aliqua.* Hic ergo quæritur an ſoni & ſigna hæc ſignificent actum internum animalis ſonantis, an rem ipſam externam? Et in homine quæſtio eſt an ſignificetur actus intellectus, qui in ipſo concomitatur vocem?

(a) *Ariſt. l. 2. de an. t. 87*
(b) *hiſt. ani. mal. c. 9.*
(c) *Georg. l. 1. Hermath.*
(d) *l. 1. ſtromat.*
(e) *2. de Anim. tex. 90.*

2. Sed exiſtimo hanc Ariſtotelis Phyſicam non eſſe nimis veram, aut ſaltem non univerſalem. Et quidem communiter conceditur non requiri actum intellectus, ſed ſufficere actum imaginativæ, quem quidem omnes communiter requirunt, at non ego: Quin puto eadem ratione poſſe fieri ſine imaginatione vocem propter quam fit ſine actu intellectus: Ecce quomodo: Concedunt Authores poſſe vocem formari ſine actu intellectus, eò quod experiamur nos loqui ſine cogitatione de eo quod dicimus, ut quum loquimur aut oramus diſtracti; atqui hinc ſequitur poſſe voces edi ſine ipſa etiam imaginatione rerum, nam quando diſtrahimur non modo non cogitamus, ſed nec imaginamur obiecta vocum, quia ſcilicet imaginatio tum occupatur ab intellectu, debemus enim imaginari quæ cogitamus, atque ideo diſtrahimur ab obiectis vocum non ſolum intellectu ſed etiam imaginatione; ſed quidquid ſit de his, loquimur in caſu quo omnia regulariter fiant ſine diſtractione aut intellectivæ aut imaginativæ. Quo modo accipiendo rem, de ipſa controverſia tres ſunt ſententiæ, duæ extremæ, & una media: [e] prima aſſerit ſignificari conceptus ſolos, eſt Boëtij (f) & aliorum (g) expoſitorum huius loci: alia res; in quâ ſententiâ agmen agit D. N, ut infra: Tertia (h) media eſt Recentiorum.

(f) *Ammon. Alexand. Porphir.*
(g) *Cerk. hic cap. 1.*
(h) *Alb. de ſax. q. vlt. Baſſol. 1. d. 23 Tartaret. ib. Rhod. Brux. q. 3. 6. Amicit. 1. 11. q. 4.*

3. Dico primo primam ſententiam eſſe falſam. Hanc ex profeſſo tradit D. ſub c. d. 27. q. 3. & alibi probat fusè ac valenter quæſt. 2. in primum Perih. Primò quia ſi voces ſignificarent conceptus ſolos, tum omnes propoſitiones vocales affirmativæ eſſent falſæ; hoc autem potius eſt falſum, ergo voces non ſignificant conceptus. Sequela maioris oſtenditur in hac, homo eſt animal, qua nihil verius, ſed tum eſſet bis falſa, falſum enim eſt conceptum hominis eſſe conceptum animalis, nam & realiter diſtinguuntur vtriuſque ſpecies, & præterea formaliter ſive ex naturâ rei vt ſuppono.

Dices aſſumi hic falſum & eſt, quod ſpecies hominis & ſpecies animalis realiter diſtinguantur, non enim ita eſt, quia propoſitio mentalis non componitur ex duabus aut pluribus partibus ſed eſt vna ſimplex qualitas atque ita ſubiectum & prædicatum eius ſunt realiter idem. Reſpondeo licet hoc ſit veroſimilius, tamen non eſſe omnino extra controverſiam: ſed ſit ita, adhuc argumentum habet locum, nam quantumuis componeretur propoſitio mentalis ex partibus realiter diſtinctis, adhuc propoſitio vocalis eſſet vera; non eſſet autem ſi ſignificarentur conceptus aut ſpecies extremorum.

Alia

Digitized by Google

Alia argumenta in idem accumulat Doctor citatus, ſequitur enim ſecundo, quod omne nomē ſignificat; conſequens eſt falſum, ſed ſequela tenet ſi vera eſt ſententia Boetij, quia omne nomen ſignificat ſpeciem ſive impreſſam ſive expreſſam; patet autem omnem talem eſſe accidens. Tertium quod abſurde hinc ſequitur eſt hanc *Lapis non eſt in anima, ſed ſpecies lapidis*, quæ eſt Ariſt. 3. de Ani. tex. 38. Includere contradictionem, quia (inquit D.) removet eſſe in animâ à ſpecie Lapidis in prima parte propoſitionis, nam illud ly *lapis* idem eſt ac ſpecies lapidis ſecundum Adverſ. At vero in ſecundâ parte propoſitionis concedit eidem ſpeciei eſſe in anima, vt vides clariſſimè in exceptivâ illâ, *ſed ſpecies lapidis*. Quartum abſurdum infert, quod ſic omnis propoſitio in quâ prædicatur *eſſe* ſit ſecundi adjacentis, eſſet vera ſemper & vbique quod tamen patet eſſe falſiſſimum, cum hæc non vera, Antichriſtus eſt, & multo minus hæc; dies craſtinus, aut res futura eſt, ſive exiſtit; patet tamen hæc paradoxa ſequi ex oppoſitâ opinione, quia conceptus Antichriſti & diei craſtinæ ac aliorum futurorum ſine dubio eſt apud loquentem de ipſis, ergo. Alia ſatis accurata habet D. ibid. quale eſt illud de ſyllogiſmo, qui iſtâ opinione nihil vnquam concluderet. Item illud de vſu vocum pro rebus quia non poſſumus res ad ſcholas ferre, quod ſupra poſui in Themate.

4. Et quidem hæc videntur vincere intentum toties niſi quid occurrat quo ſolvantur. At enim dici poteſt ea non ſequi ex oppoſitâ ſententiâ, propterea quod illa non vtcumque ponit ſignificare conceptus per vocem; dupliciter enim loqui poſſumus de conceptu, vel vt tale ens, puta qualitas eſt; vel vt ſignum eſt. Poteſt autem Advers. velle quod voces ſignificent conceptus quatenus ſigna ſunt non quatenus entia aut qualitates ſunt: quo poſito nihil illorum abſurdorum ſequitur. Sed inprimis hoc non eſt defendere quod voces ſignificent ſolas ſpecies, quæ tamen fuit aſſertio impugnata: patet ſequela, quia ſi ſignificent conceptus vt ſigna, iam ſignificant eorum ſignata; atque ita non ſolos conceptus. Deinde ſi non ſequantur forte illa abſurda, ſequitur hoc, quod omnes voces ſignificent relationes aut relativa, nulla autem abſolutum: patet, quia voces vt ſigna; ſunt manifeſte relativa. Deinde, adhuc ſequuntur ſupra poſita à Doctore v. g. illud de falſitate propoſitionis affirmativæ quæ aſſerit identitatem prædicati cum ſubjecto, nam non verificatur vlla talis niſi rationē rerum; conceptus autem vt ſigna non identificatur rebus, ſed potius diſtinguuntur ab illis, ſicut omne relativum à ſuo correlativo, ergo. Denique nihil falſius quam ſignum ſigni importare ſignatum eius, & ratione eius poſſe quaslibet propoſitiones verificari de eo. Nam hæc vox; imago Cæſaris; eſt ſignum ſigni, ſcilicet ſignum imaginis, non propterea tamen, vere dicam hanc vocem eſſe animal aut rationale aut riſibile, licet ipſe Cæſar ſit omnia hæc, ergo ſimiliter. Probavit aliquis concluſionem ſic, quia alias ſequeretur quod Græcus audiens propoſitionem Græcam prolatam ab ignorante lingvam Græcam, non intelligeret eam; probatur ſequela, quia non intelligit conceptum formalem quem proferens habet. Vellem argumentum valere, ſed non hic ſed infra locum habet de ſignificatione Scripturæ, cui eam D. applicat. Nihilominus ad hæc ipſa dici poteſt quod probent voces non eſſe ſigna ſuppoſitiva conceptuum, ſed non probare quin ſint ſigna demonſtrativa conceptuum. Quam ſolutionem non impugno, quia accedit ad veritatem, nam & nos infra concedemus eis aliquam rationem ſigni reſpectu conceptuum; ſed non ſufficit illa reſpondenti hic, nam non ſaluat quod ſignificent ſolos conceptus quod fuit aſſertum Boëtij.

Probo aliter intentum ſic: quando ſtatuarius ſtatuam ſculpſit, licet non poſſit eam ſculpere niſi habendo imaginationem, & ideam eius in ſuâ mente, ſicut nec homo loqui ſine conceptu, tamen ſtatua ſculpta non eſt ſignum ideæ artificis, ergo nec vox conceptus: & hinc formo novam rationem, quia non neceſſariò vox habet annexum conceptum loquentis de re, ergo vox non neceſſariò ſignificat eum. Antecedens infrà demonſtrabo.

5. Obijcit Adverſarius voces ſignificant ſine dubio id ad quod aſſumptæ & inſtitutæ ſunt; atqui aſſumptæ ſunt ad ſignificandos conceptus, ergo illos omnino ſignificant. Minor eſt plurimorum. (a) etiam ex Philoſophis. (b) Et ratione patet ex adversâ conditione Angelorum, qui quia ſignificare poſſunt invicem ſuos conceptus & intellectualiter loqui, non indigent vocibus, atque adeo nec vtuntur. Reſpondeo diſtingvendo maiorem voces ſignificant id ad quod ſupplendum inſtitutæ ſunt nego, ad quod intimandum aut declarandum inſtitutæ ſunt, concedo: & tum ſimiliter diſtingvo minorem. Itaque voces aſſumptæ ſunt in ſupplementum conceptuum, at vero in ſigna rerum; quam doctrinam amplius infra proſequar. nunc

(a) Aug. l. de rat. c.11. aſſ. l. hom. 1. n Ioan. Damaſ. l.1. fid. c.17. (b) Plotin. de virt. c.5. Philom. l. Quod. [illegible]

Obijcies ſecundo, veritas & falſitas ſunt in propoſitione vocali vt in ſigno, ergo illud erit ſignatum eius in quo ſunt primario; ſic autem ſunt in enunciatione mentali, adeoque voces primo ſignificant enunciationem mentalem. ℞. concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia veritas non eſt in ſignato, ſed cauſa veritatis, veritas enim nō poteſt eſſe niſi in actu qui ſit iudicativus quod non poteſt competere obiecto. Addo antecedens etiam verum eſſe de propoſitione mentali, nam etiam in actu intellectus, veritas eſt vt in ſigno; adeoque reliquum argumentum procedit etiam contrà ipſam non minus quam contrà vocalem; de quâ ſolâ argumentum factum eſt.

6. Obijcies, ſi voces non ſignificarent conceptus ſequeretur non poſſe dari mendacium; hoc falſum, ergo, & concluſio noſtra Sequela probatur, quia mendacium conſiſtit in eo, quod quis ſignificet vocibus ſe habere actum internum quē non habet, ad hoc autem patet eſſe neceſſarium vt voces ſignificent actus internos; quod eſt intentum Adverſarij, ergo. Reſpondeo primo hoc negotium de mendacio eſſe in oppoſitum, & pro ſecūdâ ſententiâ, vt ſtatim infra deducam. Deinde in formâ nego conſequentiam, & oſtendo conſequens eſſe falſum vtibi iacet, ſive, poſſe dari mendacium. Licet voces non ſignificarent cōceptus; quia ſcilicet, qui vult conceptus animæ per voces ſignificari, intelligit ſine dubio de conceptibus intellectus, hinc enim alijs verbis dicunt per voces ſignificari ſpecies. quod autem dari poſſit

Digitized by Google

poſſit mendacium; etſi voces non ſignificarent conceptus illos intellectuales, patet hac inſtantia, nam quando dico inimico: Remitto tibi iniuriam; & revera interne non habeo in voluntate actum remiſſionis, mentior, eò quod verba ſint difformia actui voluntatis, at vero actus voluntatis reſpondent vocibus tanquam res non tanquam conceptus, adeoque.

7. Dico ergo tertiò ſecundam ſententiam eſſe veram, quod ſcilicet voces ſignificent res ipſas. In hac DD. (a) magno numero ſequuntur Scotum. Licet revera non debeat ipſe pro eâ citari ex Logicâ vbi fere problematicus eſt, ſed ex ſcripto opin, at quicquid hoc ſit.

(a) Olkam hic cap. 1. Gabr. d. 11. Vaſq. 1 p. d. 57 Ruui. hic q. 1 Fonſec. 2. Metc. 2. Suar Tr. 1. de Deo l. 2 c. 31. Ponc diſp. 19 Logic. q. 2.

Probo concluſionem inprimis argumento vltimo quo impugnata eſt, ex medio mendacij, ſic Propoſitio ſignificat, ſive habet pro obiecto illud, per cuius correſpondentiam, ſive per conformitatem ad quod dicitur ipſa vera aut falſa: Atqui per conformitatem ad obiectum extrà, & non per conformitatem ad conceptus aut ſpecies propoſitio dicitur, vera vel falſa, ergo propoſitio & voces eius habent pro ſignificato & obiecto res ipſas, non autem conceptus internos mentis. Maior eſt certiſſima ex vulgato illo Ariſt. hic. *Eò quod res* (id eſt ſignificatum) *eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa*, quod ipſum axioma probat etiam minorem, ſed ego aliter eam practicè probo ſic: Quando dico, Pontifex reſidet in Palatio Quirinali, & ita revera eſt, ego autem exiſtimo non ita eſſe, dico tamen eum ibi eſſe, ad alium decipiendum; Tunc inquam mea propoſitio eſt vera, adeoque habet conformitatem ad ſuum ſignificatum; habet autem conformitatem ad res extra, non vero ad conceptum internum, nam ad hunc habet potius difformitatem, ergo ſignificatum eius eſt res extra, non vero conceptus internus. Alia quæ huc pertinent dabo infra num. 8. &c. interim.

Probo ſecundo. Idipſum iterum applicando ipſi alterum argumentum contra eam adductum ſupra num. 5. & arguo ſic: Voces ſubſtitutæ ſunt conceptibus, ſive, aſſumptæ in locum ac ſupplementum earum, ergo iam faciunt quod facerent alias ipſi conceptus ſi poſſemus immediatè vti eis, & quod faciunt in facto illi reſpectu eorum qui illis vtuntur puta Angelorum. Atqui conceptus ſignificarent talibus & de facto ſignificant res, ergo.

Confirmo rem alia forma ſupra etiam adductâ in contrarium: Voces ſignificant ex inſtitutione, adeoque id ad quod inſtitutæ & aſſumptæ ſunt, ſed inſtitutæ ſunt & aſſumuntur ſæpiſſimè ad ſolas res ſignificandas independenter à conceptibus, quorum ſignificatio in multis caſibus nec intenditur, nec ad rem facit: v.g. quum Magiſter docet diſcipulum ſcientiam, merum intentum illius atque etiam addiſcentis eſt rem ipſam addiſcere puta, quomodo formandus ſit ſyllogiſmus, nihil curans quid Magiſter interim ſentiat, ſed quid res ſit, & quomodo ſtruenda aut deſtruenda ſit, ex quo vides falli eos qui putant, ideo vocibus declarari res, quia aliter non poſſent declarari conceptus.

Dices hoc argumentum verti poſſe vt probet ſolos conceptus ſignificari, nam etiam contingit aliquando homines non intendere verbis niſi mentem ſuam ſignificare, nihil curantes de reipsâ extrâ, vt quum homines ſubſcribunt alicui ſententiæ, illis verbis: Ita ſentio: Reſpondeo tranſeat totum, nihil contrà me, nam etiam tum voces ſignificant res, quia ſcilicet in eo caſu conceptus ipſi ſunt res, nam Ly *ſentio* ſignificat ſenſum aut ſententiam ſubſcribentis, qui ſimul eſt conceptus & res. Et licet ſimiles caſus excogitari poſſint, ſed oſtendo non eſſe æqualitatem inter res & conceptus quoad hoc quod eſt importari per voces, nunquam enim explicari poſſunt conceptus niſi res ſignificentur, forte tamen res aliqua explicari poteſt, quin explicetur conceptus loquentis, vt quum quis docet aliquem communiorem ſententiam contrariam ſuæ v.g. Confeſſarius dicit vincto in carceribus licitum eſſe ei fugere, quod omnino eſt probabile, ipſe tamen Confeſſarius oppoſitum iudicat, adeoque quum diceret primum illud non dixit ſuum ſenſum.

Dices non valere illationem, quia Confeſſarius etiam tum habuit communem ſententiam in mente ſuâ, licet non iudicativè, ſaltem apprehenſivè; ſed contra eſt, quod propoſitio vocalis dicit conceptum iudicativum loquentis, ſicut ſimplices termini, ſimplicem apprehenſionem eius, alioquin quomodo ſciemus iudicium loquentis per voces.

Denique fruſtra laboremus ad ſuadendum, quod res per voces ſignificentur quum omnis audiens ducatur in cognitionem rerum: reſolvendum magis eſt an ſignificent ſolas res, an res & conceptus, vt ita ſciatur num ſecundam ſententiam, an verò tertiam teneamus.

8. Dico ergo non eſſe negandum quin ex vocibus ſciatur conceptus loquentis, adhuc tertiam ſententiam in illis terminis, eſſe falſam, ſive, non ſignificari per voces res ſimul & conceptus. Hæc complectitur ipſam rei veritatem & vltimatam mentem D. N. qui in illa q. 2. Perih. plurimum inclinat in conceptus, & tamen in ſententijs prim. cit. abſolutè reſolvit controverſiam dicendo, quod ſignificentur res.

Probo ergo concluſionem poſitam: Vox ſubſtituitur conceptui vt vidimus, ergo facit idem quod feciſſet conceptus, ſi quis per eum loqui poſſet; atqui conceptus in eo qui per ipſum loquitur rem ſimul & ſeipſum oſtendit, nam Angelus Michaël v. g. videns in intellectu Gabriëlis hanc enunciationem Latria eſt ſoli Deo debita, intelligit & connexionem terminorum inter ſe, id eſt appropriationem Latriæ ſoli Deo, & præterea videri Gabriëli rem ſic ſe habere, ſive quod Latria ſoli Deo debeatur, ergo: & in re idem eſt de enunciatione vocali, omnis enim audiens eam colligit aut potius apprehendit vtrumque illud, ſcilicet & rem affirmatam ſic ſe habere, & præterea affirmantem id iudicare quod loquitur. Cõfirmatur ſimplici declaratione hujus, nam vt ego ſignificem videri mihi aliquid puta Papam eſſe Romæ, non eſt opus vt dicam: Puto ego Papam eſſe Romæ, ſed ſufficiet quod affirmẽ abſolutè Papam eſſe Romæ, nam eo ipſo quod ego proferam illá propoſitionem cenſeor id ſentire. Confirmo iterum, nam niſi eiuſmodi affirmationes indicarent loquentis conceptum, nemo vnquam per tales mentiretur, mentitur autem adeoque Conſequentia patet ex ſupradictis breviter, quia mentiri eſt ſignificare conceptum mentis aliter quam eſt. *Dices* ex oppoſito potius ſive ex noſtrâ concluſione ſequi quod nemo poſſit mentiri, quia ſcilicet nunquam quis mentitur, quamdiu ſignificat quod ipſe habet in mente; non propoſitio vocalis ſemper ſignificat id quod loquens

Digitized by Google

loquens habet in mente, ergo. Reſpondeo non ita eſſe ſecundum nos, ſed quod dicimus eſt, propoſitionem vocalem ſignificare id quod per ipſam aſſeritur haberi aſſertivè in mente loquentis, quod quia aliquando ita eſt, alias non, propterea homines aliquando mentiuntur. Denique hanc concluſionem probant argumenta pro duabus præcedentibus poſita, ſive etiam poſita produabus illis extremis ſententiis.

9. Itaq; difficultas eſt in alterâ parte hujus, in eo ſcilicet ut oſtendatur nõ ſignificari cõceptus, ſed ſolas res per voces, ſive hanc intimationẽ conceptuum non eſſe ſignificationem proprie, quod his rationibus videor mihi perſuadere: primò quia in ſanâ philoſophia diſtinguenda eſt veritas à veracitate, nã veritas opponitur falſitati, veracitas autem mendacio ſeu potius mendacitati; vides enim hæc contra poſita apud Apoſtolum ibi: *eſt Deus verax omnis autem homo mendax*: præterea etiam quia veracitas ad voluntatem pertinet, & eſt quid liberum & laudabile; veritas autem eſt quid naturale, unde hæc ſola in ſignis hujuſmodi reperitur, ex quo ſic arguo: Voces ſunt ſigna illius reſpectu cujus dicuntur veræ vel falſæ; At vero reſpectu rerum, non autem reſpectu conceptuum dicuntur veræ vel falſæ, ergo reſpectu horum duntaxat, ſunt ſigna. Minor ſupra probata eſt, quia quando dico, Papa eſt Romæ, ſi ibi ſit, propoſitio eſt vera, & tamen poteſt eſſe interim mendacium & difformis conceptui, ſi ſcilicet ego exiſtimem Papam non eſſe in urbe.

Rom. 10. verſ. 4.

Altera perſuaſio hujus ſit iſta, quia non omne ſubſtitutum alteri eſt illius alterius ſignum; v. g. eſt hic Regis Catholici prorex; contingit eum ægrotare, ſubſtituitur alius, certè hic ſubſtitutus non repræſentat proregem ſed regem ipſum principalem; ita voces ſubſtituuntur conceptibus, at nõ ipſos ſignificant propriè, ſed res. Tertia eſt huic propinqua; quia voces ſubſtituuntur cõceptibus, adeoque debent præſtare aut cenſeri præſtare quod conceptus ipſi præſtabant; atqui conceptus non erant ſigna ſui ipſorum, ergo nec voces.

10. Ultima hæc eſto, quia non ſufficit notificare aliquid quomodocumque ut ſic notificans ſit ſignum ejus, adeoq; licet voces indicent conceptus loquentis, non proinde debent dici eorũ ſigna in rigore. Antecedens patet in relativis v. g. in Ly *ſervus*; quæ vox ducit audientẽ in cognitionem ſeu memoriam Domini, ſine quo impoſſibile eſt concipere ſervum, & tamen vox ſervus non eſt inſtituta in ſignum Domini, ſed potius alicujus ei oppoſiti, ergo. Hæc dicta ſint ut intelligatur proprietas loquendi quæ eſt in concluſione poſitâ & ſententia D. quod ſcilicet voces non ſint proprie ſigna conceptuum cæterum enim ſi illud indicium conceptus, quod habent ſecum voces, voluerit quis vocare ſignificationem, non eſt cum eo contendendum, dummodo fateatur ſe impropriè loqui & vocibus abuti.

ACTIO IV.

De ſignificato ſcripturæ & nutuum.

Breviarium.

Num. 1. Scripturam importare voces & non ſolas res probatur.
2. Objectiones totidem in oppoſitum: ſoluta.
3. Nutus ſignificant ſicut voces.
4. Scriptura eadem ſignificatione ſignificat voces & res. [illegible]
5. Objectio notanda; Diſſoluta & correcta.
6. Notæ muſicæ & numeri Arithmetici contrario modo ſignificant.

1. Dico ſcripturã non importare ſolas res, ſed cũ illis etiam voces. Hãc deprehẽdi apud D. quæſt. 1. Secũdi operis Perihermenias jam primũ ab hoc collegio editi: eſtq; aliorum, (a)

(a) Ariſtot. 1. Perih. Aug. Fr. 10. Bon. Albert. ibid.

Probo; utique enim aliter ſignificant ſcripturæ literis exaratæ, & aliter notæ quæ literis non conſtant, qualibus olim Ægyptii uſi ſunt, & nunc aliquot populi novi orbis utuntur. Sit exemplum ex characteribus aſtronomicis v. g. iſti ♄. ♃. ♂. aliter ſignificant hos tres planetas atque iſta verba ſcripta. *Saturnus Iupiter* & *Mars*, nam priora illa poſſunt deducere hominem in cognitionem ſignificati ſui ſine eo quod poſſit videns eas planetas latine nominare, ſuntque ſigna indifferentia ad linguam latinam & quamcumque v. g. Hebræam aut Græcam; voces ſcriptæ non item, adeoque neceſſario fatendum eſt aliter hæc ſignificare atque illa: ſed illa ſigna characteriſtica res ipſas certo & ſufficienter ſignificant, ergo hæc præterea aliquid; non aliud quam voces, ergo. Confirmatur quia prioribus ſignis poteſt mutus diſcere rerum naturas, poſterioribus non, adeoque priora ac poſteriora aliter & aliter ſignificant.

Probo Secundo quia qui videt ſcripturam quæ rem aliquam ſignificat etiam ipſi notam licet etiam poſſit eam legere, tamen ſi non intelligat non deducetur in cognitionem rei, hoc autem, aliunde non poteſt provenire, niſi quia talis non intelligit vocem quæ ex illis literis redditur; v. g. Latinus qui novit characteres linguæ Græcæ is non amplius, incurrens in hanc vocem ἑρμηνεία legit hermenia at non intelligit quod legit, quia nimirum intelligentia ejus debuit prius terminari ad vocem quam ad rem, ille autem non intelligit vocem ergo.

Denique placet illa ratio, quia inſtitutis vocibus inſtituuntur ſcripturæ, & viciſſim deſtitutis illis, ſive depoſitis à ſignificando, eo ipſo ſcripturæ deponuntur, ergo ſignificatio ſcripturæ habet neceſſariam connexionem cum ſignificatione vocum, hæc non poteſt alia eſſe quam connexio ſigni cum ſignato, atque adeo neceſſario dicendum eſt quod voces ſint ſignatum ſcripturæ.

2. Objicies. Quando quis ſcribit Epiſtolam aut hiſtoriam, non intendit legenti ſignificare voces,

voces, ſed res geſtas, ergo Scripturæ non ſignificant voces ſed res. Reſpondeo quando loquor eidem, & refero hiſtoriam vtique intendo notam facere ei rem geſtam, & tamen etiam notas facio voces, ita ſimiliter. Item ſimile eſt illud; Angelus qui alteri loquitur intellectualiter quando refert hiſtoriam ei intendit notificare rem geſtam, & tamen notificat etiam conceptus. Itaque aliud eſt quod ſolum quis intendit, aliud quod facit: ſcribens intendit notificare abſenti res at non poteſt niſi vtendo ſignis quæ notificent voces, ſicuti etiam non poteſt præſenti ſignificare conceptus per vocem niſi ſignificando rem, & vice verſa, quanquam non ſemper. Nego ergo conſequentiam.

Objicies 2. Experientiam, quando enim legimus non attendimus ad voces, ſed ferimur immediate in res, hoc autem non faceremus, aut certè id faciendo nihil intelligeremus ſi voces ſignificarentur prius per ſcripturam quam res, tum enim non ſolum deberemus attendere ad voces ſed prius ad illas quam ad res. ergo. Reſpondeo negando maiorem, nam & experientia ei repugnat; videmus enim eum qui expeditus eſt in legendo tardum eſſe in intelligendo ſcripturam, ſi nõ bene calleat voces illius linguæ; v. g. ijdem ſunt characteres linguæ Italicæ & Gallicæ ac Latinæ, vnde legens prõpte Gallicè novit, etiam prõptè Latine legere: ſi tamen hic ſit nouitius in rudimentis linguæ Latinæ tardè intelliget res ex Scripturâ, nõ aliunde niſi quia litteræ illæ nõ reſpiciunt immediatè res, ſed mediante voce quam ipſe non bene callet. Itaq; ferimur primò in voces, ſed quando ſumus expediti in aliquo idiomate, tam raptim præterim⁹ voces ut videamur prætermittere illas.

Objicio 3 Scriptura ſignificat oculis, ergo non ſignificat voces. Probo ſequelam, quia oculi non ſunt perſpectiui vocũm. Nego tamen ſequelã vel etiam nego antecedẽs, quia ex duobus quæ facit ſignum, unum tãtum exercet in oculo, ſcil. imprimere ſpeciem viſibilem, at vero deducere in cognitionem alterius exercet reſpectu intellectus; hic enim eſt qui ſignatum cognoſcit non oculus.

Vltimo objici poteſt conglobata argumẽtatio Doct. hic, vbi multis probat non ſignificari conceptus per vocẽ quæ nos ſupra attulimus, omnia enim illa ſi quid valent, probant quòd ſcripta nõ ſignificent vocem: ſi enim dicatur oppoſitum, ſequitur quod omnis propoſitio affirmativa in ſcriptis ſit falſa; quod nomina ſcripta ſignificẽt accidens, &c. quia nimitum falſum eſt in illis ſignificatum prædicati eſſe ſignificatum ſubiecti, ſcribatur enim iſta: *homo eſt animal*, erit falſa quia vox homo quæ eſt ſignificatum ſubiecti, non eſt vox animal quæ eſt ſignificatum prædicati. Deinde voces omnes ſunt ſoni, adeoque qualitates & accidentia, ergo ſi ſignificentur per Scripturam, ſignificabuntur ſola accidentia, &c. Reſpondeo tamen negando omnium ſequelam, vel diſtinguendo ſic, ergo Scriptura non ſignificat voces, vt entia, aut qualitates ſunt concedo, vt ſigna ſunt nego, & ſic intellecto negotio nullum eorum abſurdorum ſequitur, quia, vt egregiè Doct. q. 1. ſecundi operis Perihermenias, cum hæc non ſupponant in propoſitione pro ſe ſed pro rebus, non eſt abſoluta affirmatio vel negatio antequam deveniatur ad res.

3. Dico deinde de nutibus per omnia idipſum quod dixi de voce, quod ſcil. ſignificent res ipſas immediatè ſed vt conceptas, Itaque longe abſũt à Scripturâ, & neququam ſignificant voces, ſed ſunt ſigna æque immediata ac ipſæ voces v.g. cum annuo quærenti aliquid ex me, an velim illud fieri vel an res ita ſit? dico nutum & inclinationem illam capitis duo dicere, & rem ita ſe habere, & præterea videri mihi ſic eſſe, &c. vt ſupra. Redeo ergo ad Scripturam &

Dico eam ſignificare res eâdem ſignificatione quâ ſignificat vocem. Oppoſitum dicunt Conymbr. ſed immeritò quia Scripturæ ſignificant res per hoc quod ſignificent voces præcisè, non enim habent aliam inſtitutionem immediatam reſpectu rerum, alioquin quando vox abrogaretur, ne ſignificaret objectum, maneret ſignificatio Scripturæ vocis quod eſt falſum. Vnde ſic arguo; Scriptura non habet niſi vnam ſignificationem, ergo nõ ſignificat res & voces aut vlla plura pluribus ſignificationibus, quia eas non habet.

Declaratur ex illo Philoſophi cap. 3. præd, in quo omnia hæc videntur fundata; quando alterũ de altero prædicatur vt de ſubiecto, quæcunque de prædicato dicuntur, omnia etiam de ſubiecto dicuntur; ex quo ſanè intellecto, ſequitur quod cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, ſignum ſigni eſt ſignum ſignati: vnde ſic arguo: cauſa cauſæ non habet influxum vllum in cauſatum præter eum quẽ habet in cauſam eius: v.g. Avus non egit ad generationem Nepotis niſi agendo ad generationem filij ſui qui eſt Pater nepotis; & vas ambiens aliud vas in quo eſt liquor non continet liquorem aliâ continentiâ præter eam quâ continet vas in quo eſt, & tamen verè dicitur continere liquorem, ergo ſimiliter vere dicitur ſignum ſigni eſſe ſignũ ſignati propterea quod ipſum ſignum ſignificet præcisè; ſi autẽ id ſufficit, certe non ſunt multiplicandæ aliæ ſignificationes ſine neceſſitate. ergo.

4. Objicies; Scriptura aliquando ſignificat vocem & non rem, vt patet in Scripturâ, &c. Blitteri, quæ ſolam vocẽ ſignificat, & nullam rẽ; ergo alia ſignificatione ſignificat Scriptura vocẽ, & aliâ rem. Nego conſequentiam, quia ibi non ſignificatur res neq; una neque aliâ ſignificatione. Vnde argumentum potius eſt in oppoſitum

Objicies 2. Significatio vocis in Scripturâ eſt diviſibilis; ſignificatio res eſt indiuiſibilis, ergo alia eſt hujus ſignificatio, alia illi⁹: Antecedẽs oſtẽdendum eſt, & pro primâ parte, inde conſtat, quia ſinguli characteres ſeu litteræ, ſaltẽ ſingulæ vocales reſpondent ſuis ſyllabis v.g. in dictione ſcripta *Dominus* impoſitio ſeu inſtitutio hujus nõ eſt indiuiſibilis, alioquin ablata vna ſyllaba periret tota ſignificatio quod falsũ eſt, nam ablatâ vltimâ reliquũ reddit vocẽ *domi* quæ eſt pars vocis *Dominus*. Pro ſecunda etiã parte ex eadem ipsâ voce inſtãtia habetur; nam quãuis relinquatur aliquid vocis non relinquitur aliquid ſignificationis obiecti, nõ enim *domi* ſignificat partem *Domini* ſed ſignificatũ vocis *Dominus* periuit totaliter ablatâ parte vocis ergo. Reſpondeo omnia hæc pro antecedente adducta eſſe vera ſicut & ipſum antecedens; at conſequentia non tenet, ſed inferenda fuit iſta, ergo alia ſignificatione, ſignificat vox rem ab eâ quâ ſignificat Scriptura vocem, nam Scriptura non videtur ſignificare rem niſi quatenus ſignificat vocem: ſed demus, quod ſignificet, adhuc non concludit argumentum quia eadem aut alia ſecunda ſignificatio poteſt eſſe diuiſibilis reſpectu vocis, indiuiſibilis reſpectu rei

ſicut

Digitized by Google

ſicut eſt immediata reſpectu vocis, mediata reſpectu rei.

5. Quæres an notæ muſicæ & numeri Arithmethici iubeant hanc regulam, ſiue non ſignificent proximè ſonos, & deinde res? Reſpondeo negativè quoad vtrumque: cauſa eſt, quia notæ muſicæ & numeri illi non ſunt propriè Scriptura: non quidem notæ numerorum, quia hi ſunt ſigna rerum, & nullo modo exigunt voces magis quam hierogliphicæ notæ, aut illæ Aſtronomicæ Planetarum. Vnde in omni Linguâ legi poſſunt.

6. De notis autem muſicis ratio reſolutionis negativæ eſt, quia in illis ipſe ſonus eſt res, adeoque non poteſt diſtingui in illis modis ſignificandi ſonos à modo ſignificandi rem. Item iſta; quia vox exigit colliſionem aëris ad palatum aut arteriam vt vidimus; notæ muſicæ non vt conſtare poteſt experientiâ cuique, quum omnes ſex poſſint continua reſpiratione intonari. Deinde vox in gutture agitur, notæ illæ in ore. Denique notæ illæ ſine pluribus litteris efferri poſſunt quoad ſubſtantiam, Scriptura ſine litteris non poteſt fieri, nec pronunciari oratio cuius illa eſt ſignum. Audiatur Ariſt. (Sect. 11. problem. 60.) *Oratio non voce ſed vocis affectionibus ſignificando abſoluitur, & vocis affectiones Litteræ ſunt.* Non nego vulgus, maximè pueros imponere nomina illis notis, quæ nomina efferuntur pluribus Litteris aut etiam ſyllabis, qualia ſunt, *vt, re, mi, fa,* &c. ſed hoc non exigunt notæ vt muſicæ ſunt. Deinde eo poſito dicendum eſt quod notæ muſicæ ſignificent ſonos tanquam rem non tanquam vocem, & adhuc quod ipſæ non ſint propriè Scriptura quia non fiunt litteris. Totum quod hic & præcedenti actione diximus de vocum & Scripturæ ſignificatione dixit Ariſtot. hic lib. & cap. 1. illis, *ſunt ergo ea quæ ſunt in voce, earum quæ ſunt in animo paſſionum notæ, & ea quæ ſcribuntur eorum quæ ſunt in voce.*

Scribunt de Signo.

PLato in *Cratilo*, vbi Ficinus cum *ipſo* Ariſtot. 1. *Periher.* cap. 1. & lib. *de ſenſ. & ſenſib.* & 4. *Met. cap.* 7. Alcinous *cap.* 5. Auer. *in Proem. Perib.* Boet. *lib.* 1. *de diuiſion.* Auguſt. *Tom.* 1. *de principio dialect.* & in *Cathag.* cap. 1. &c *Tom.* 13. *lib.* 1 *de doctr. Chriſt.* Magiſt. ſentent. 4. *diſt.* 1. Alens. 4. *p. q.* 1. D. Thom. *opus.* 48. & 73. *cap.* 1. & *ſuper lib.* 1. *Perihermen.* Albert. Mag. *tract.* 2. *cap.* 1. D. Bonauent. 4. *quæſt.* 2. Plotinus de *virtute.* Peter. 1. *Periher. quæſt.* 2. Vallius 16. *quæſt.* 1. Ookam *d.* 2. Gab. 1. *d.* 22. *quæſt. vnica.* Fonſec. 2. *Met. cap.* 1. *quæſt.* 2. *Sect.* 4 Vaſq. 1. *p. diſp.* 57. Torres de Trinitat. *quæſt.* 27. *art.* 1. Bruxell. *hic qu.* 1. *art.* 1. Smiglet. *diſp.* 12. *quæſt.* 1. Albert. parvus *q. vn Proem.* Ant. And. *hic cap.* 1. Caiet. 1. *p. quæſt.* 28. Ægid. 1. *diſt.* 27. Joan. à Magiſt *hic quæſt. & dub.* 7. Abul. *in* 13. *Gen.* Riuis *hic quæſt.* 1. Murcia *diſp.* 2. *q.* 1. Langius in Polyanthæa. Goropius *in Hermath.* Laurent. Beyerling. in *Theatro.* Rhodigin. *l.* 15. *antiq. lect. cap.* 1. Conymbr. *in cap.* 1. *Periher.* Complut. *lib.* 1. *Sum. cap.* 1. Hurtad. *diſp.* 8. *Log. Sect.* 3. Gonzalez. *pr. par. Log. voc. q. & Sect.* 1. Amicus *tract.* 21. *q.* 1. & *Poncius*

APOLOGIA II.

De Nomine & Verbo.

ACTIO I.

Examinat definitionem nominis ab Ariſtotele datam.

ACTIO. II.

Vtrum Nomen poſſit ſignificare rem diſtinctius quam res ipſa res ab imponente nomen intelligatur?

ACTIO III.

Quid ſit Verbum?

ACTIO. IV.

An verbum in enunciatione maneat infinitum?

ACTIO V.

An verbum ſit aliquid prædicati in propoſitione?

ACTIO VI.

* Hic reponatur Actio ſeu quæſtio de *Termino*: ex Apolog. 1. in Lib. Analit. infrà.

Scotus 1. d. 22. q. 1. n. 2

ISta propoſitio communis multis opinantibus quod ſcilicet ſicut aliquid intelligitur, ita & nominatur falſa eſt ſi intelligatur præcisè; quia diſtinctius poteſt aliquid ſignificari quam intelligi, quod videtur perſuaderi ex hoc, quia cum ſubſtantia non ſit intelligibilis à viatore niſi in conceptu communi entis, ſi non poſſit diſtinctius ſignificari quam intelligi nullum nomen à viatore impoſitum ſignificaret aliquam rem de genere ſubſtantiæ, &c. vſque num. 3.

Digitized by Google

Idem in Lib. 2. Periher. q.

VErbum infinitum in oratione poſitum non differt à verbo purè negativo. Nam ſicut dicit Boëtius loc. cit. tunc verba ſunt infinita quum ſola ſunt, quum autem alicui nomini adiuncta ſunt; finita ſunt, ſed tamen cum negatione in tota * propoſitione intelligitur quia in oratione affirmatiuâ aliquid affirmatur de aliquo, ſed nihil de homine affirmatur quum dicitur: *homo non currit*. Ratio dicti eſt hæc, &c. ſi tamen intelligeretur negatio infinitans referri ad rem verbi, conveniens eſſet dicere quod verbum infinitum in oratione maneret infinitum ſicut verbum priuativum.

bic c.1.
* al. litt. *compoſitione,*

ACTIO PRIMA.

Examinat definitionem nominis ab Ariſtotele datam.

Breviarium

Num 1. Primum vitium definitionis.
2. Secundum vitium.
3. Obiectio An beſtia vtantur nominibus?
4. Terti um vitium.
5. Quæ partes definitionis admittendæ.
6. Abſoluta definitio Nominis.

1. ARiſtot. 1. Periher. cap. 2 naturam nominis multis ambagibus inuoluit tanquam nollet illam intelligi; quoniam cum videretur abſoluiſſe definitionem eius initio capitis, truncauit eam, & deinde in fine ac medio capitis inſenſibiliter abſoluit ex quo videas cenſurā modreni (a) laudantis enixè *egregium artificium Ariſtotelis, qui non ſtatim integram definitionem propoſuit* ex omnibus apud ipſum illo capite hæc colligitur nominis definitio, quod ſcilicet ſit *Vox ſignificativa ad placitum ſine tempore cuius nulla pars ſeparata ſignificativa eſt finita & recta*, de hac in ſequentibus dicam meum ſenſum ſine præiudicio melioris.

(a) Fra. Tollet. in c. 2. l. pr. Perih.

Inprimis non placet principium illud *vox* cum conſtet nomina ſcribi, & ſculpi; ibique, ſcilicet in ſcriptis, &c. eſſe vera nomina, cum ibi ſint veræ propoſitiones ſive enunciationes quarum nomina ſunt partes eſſentiales, & indiſpenſabiles, non tamen voces: & clariſſimum ſit in mente dari nomina, quæ tamen non ſunt voces. Nec evades dicendo hic intelligi abſtractum à mentale vocali & ſcripto. Nam nomen *vox* non poteſt abſtrahere à nomine vocali, & quamvis abſtraheret non proinde comprehenderet ſub ſe ſcriptum, &c. ergo.

2. Dico deinde illud *ſignificativa ad placitum*, non fuiſſe addendum. Ratio quia quamuis de facto nomina omnia ſignificent ad placitum, ſiue ex inſtitutione hominum, imo etiam de poſſibili, tamen ſi per poſſibile aut impoſſibile daretur terminus ſignificans naturaliter, non proinde deſineret eſſe nomen. Cur enim? immò hinc perfectius (quia conſtantius) ſignificaret. Explico diſcurſum hunc alio Antiquorum aliquot, definitio de homine quod ſit animal rationale mortale, non toleratur, ſed correcta eſt dudum in ſcholis per ablationem illius particulæ *mortale*, & tamen illa tantum abeſt à falſa, vt ſit veriſſima etiam de poſſibili quia non eſt poſſibilis homo immortalis per naturam. Expuncta tamen eſt à definitione, & meritò, quia non indicat quid neceſſariū rei, nam quantumvis per poſſibile aut impoſſibile daretur animal eiuſmodi immortale, non deſineret proinde eſſe homo.

Redeo ad probandam aliter aſſertionem, quia etiam de facto aliqua nomina ſignificant naturaliter, quod dupliciter oſtendo, primo enim nomina ſiue termini mentales ſine dubio nomina ſunt, ſicut & propoſitiones mentales, quam maximè tales ſunt, & vocales ac ſcriptæ non niſi per attributionem ad illas: at vero nomina mentalia ſine dubio naturaliter ſignificant, vnde Ariſtot. ipſe cap. præced. dixit illa apud omnes gentes eſſe eadem, idem enim eſt nomen mentale lapidis quod Græcus & Latinus, Barbarus & Scyta habent.

3. Objicies: Niſi ad nomen requireretur vt ſignificaret ad placitum, ſed ſufficeret ſignificatio naturalis ſequitur beſtias vti nominibus, & ita loqui; quod non eſt concedendum, ergo Reſpondeo, quæro quare non ſit concedendum beſtias ſuo modo loqui, nam vt omittam quod Ariſtoteles ipſe ſupra omnibus animantibus vocem, aliquibus loquutionem concedit, ille ſtrepitus aut murmur, quo ſuas paſſiones invicem ſignificant, ut cum ſe vocant invicem ad generandum aut paſcendum cur non erit locutio immò hoc argumentum poteſt formari pro concluſione ſic; animalia nominibus utuntur, ſed non vtuntur niſi ſignis naturalibus, ergo quædam nomina ſignificant naturaliter.

4. Idem & amplius dico de Ly *finita* quod ſcilicet non neceſſariò, immò nec vere fuerit adhibitum. Ratio primi eſt, quia nomina infinita excluduntur per aliam particulam, *cujus nulla pars ſeparata ſignificat* nam vox *homo* quæ eſt pars nominis infiniti *non homo*, ſeparata ſignificat. Ratio ſecundi eſt quia nomen infinitum facit orationem veram, ergo ipſum eſt nomen verum; patet antecedens in hac propoſitione *non homo currit* ſaltem in hac *non omnis homo currit* quæ eſt exactè dialectica propoſitio, & tamen conſtat ſubjectò infinito. Deinde iſta; infælicitas, importunitas ineptia &c. ſunt nomina & tamen infinita, ergo.

Confirmo intentum examinando rationem hujus partis, eſt enim iſta in textu, Ariſt: quia nomen infinitum de exiſtentibus & non exiſtentibus aqualiter dici poteſt, ſed ſi hæc ratio ſubſiſtit, verbum principale logicum ſcilicet ſubſtantivum & perſonale *eſt* non erit verbum, quia ſcilicet de exiſtētibus & non exiſtētibus dici poteſt ut vides in his, paries eſt albus alter mundus eſt poſſibilis, imo de impoſſibilibus ut hic. Chymera eſt monſtrū vel etiā, eſt impoſſibilis, fateor Ly *eſt* nō dici,

id eſt

id eſt non prædicari proprie, ſed eſſe copulam prædicati: at verò id non multum intereſt, quia neque copula propria poteſt eſſe indifferens ad omnia illa ſi termini non poſſint; Cur enim hæc & non illi? Placuit D. Thomæ hæc particula definitionis, at non placuit ratio, vnde ipſe aliam aſſignavit, quia nomina infinita non repræſentant ſed removent potius aliquid; ita ille, quaſi verò voces removentes aliquid non poſſint conſtituere propoſitionem, aut propoſitio negativa non ſit propoſitio, & tamen in omni negativâ propoſitione aliquid removetur ſeu negatur. Alia contra has particulas excogitari poſſunt nec minus contra alias, maximè contra ultimam qua cenſentur excludi nomina adjectiva quod nolunt Recentes; ſed quoad hoc potius Recentes quam Ariſtotelem repræhendam, nituntur enim auctoritate Grammaticorum dividentium nomen in ſubſtantivum & adjectivum, intempeſtive illi, quum hic nihil minus tradantur quam elementa grammaticæ aut etiam Rethoricæ orationis alioquin omnes aliæ relictæ ſunt.

5. Puto tamen poſſe impugnari definitionem Ariſtotelis quoad hanc partem etiam ad hominem, rationem infra adducam nunc id ſtet fixum ob hactenus dicta ex partibus hujus definitionis Ly *vox* non adeo bene ſedere, & multo minus Ly *ad placitum* atque etiam Ly *finita* potuiſſe rationabiliter omitti. Bene autem & neceſſario poſita ly *ſignificativa* To *ſine tempore* Item *cujus partium nulla ſeparatim ſignificat*, quia nimirum, ut ſupra, vidimus, ſignificatio in Voce eſt indiviſibilis, atque ita licet res & *publica* v.g. ſignificent ſeorſim tamen non id quod ſignificant conjuncta, alioquin via regia eſſet reſpublica quod eſt error, cum reſpublica ſit communitas hominum.

Dices, licet id contingat in illâ voce & ſimilibus, non tamen in omnibus, nam hæc, circumſcriptio, ſaltem hæc, circumductio &c. ſignificant idem quod partes ſuæ ſeparatæ, quid enim circũductio niſi circumductio ſive ductio circũ? Reſpondeo eã de his, quod ſicut duæ voces coaleſcunt in unam ut jam non ſint plures, licet fuerint, ita duæ ſignificationes deſierunt aut potius tranſierunt in unam. Exemplum, dico hanc circum ſcriptio aut circum poſitio habere unam ſignificationem, hæc vero homo bonus, non, ſicut in mixtione elementorum non manent ipſa ſimplicia niſi virtualiter, eò quod fiat tertium vel quintum quid novum, in acervo autem manent ſingula grana quia ex illis non fit unum, ſed remanent vere plura. Ita hic, apparet enim paritas &c.

6. Verius & brevius definio nomen eſſe terminum ſignificativum qui cum verbo conſtituit logicam orationem Hanc eo magis amplector, quod in eâ non recedo ab Ariſtotele, nam & ipſe hanc habet, tantum non utitur ly *terminus*: nec etiam ly *ſignificativus* ſed fac me eo non uti, ad huc conſtabit definitio, ſive cætera relicta dabunt ſufficientem definitionem nomini, ſnam omne & ſolum nomen Logicum cum verbo conſtituit orationem eiuſmodi, ſcilicet enunciativam.

ACTIO. II.

Vtrum poſſit nomen ſignificare rem diſtinctius quam ipſa ab imponente nomen concipiatur?

Breviarium

Num. 1. *Sententia Scoti aſſirmativa probatur primo*
2. *Alia probatio hujus. Diſcrimen notitia per viſum & auditum*
3. *Tertium argumentum ex Hebraico* זהקרה
4 *Replica contra dictam rationem.*
5. *Ratio a priori horum*
6. *Objectio Voces ſubſtituere conceptibus.*
7. *Alia objectio, num notitia generetur à ſigno.*
8. *Vltima objectio. Cognitio Dei ex creaturis an ſit ex ſigno.*

1. NEGANT ex antiquis *a* pleriq; ſed & moderni nonnulli *b* quod inde ſentire convincuntur, quoniam docent poſſe beatum & à fortiori Deum imponere ſibi nomen quod ipſum perfectè ſignificet, & eſſentialiter, non poſſe autem hoc facere viatorem, cur niſi quia viator non habet ſeu conceptum Dei proprium, Deus autem, & beati habent.

a S. Bonav. 1. d. 22. ar 1. Richard. ibid ar 1. q 1. Mar ſil. q. 25. ar. 1. Alexan. 8. Met. q. 89. Albert. 1. d. 22. ar 6. Argentinen. D. Thom. 1. p q. 13. caiet. ibid.

b Fr. Suarez. d. 30. met. §15. Pet. Fon. 4. c. 1 meta. c. 1 q. 2. Zumel. 1. p. q. 13. ar. 1. Greg. de valen. Barth. Amic.

Oppoſitum tamen magno applauſu & ſequela *c* authorum, etiam ex ſchola *d* adverſa docuit noſter loco & verbis in themate deſcriptis. cum quo

Reſpondeo ad quæſtionem affirmative. Prius quam probem hanc, præmittere habeo verum ſenſum controverſiæ, non enim omnes eam intelligunt qui reſolvunt, certe ex Recentioribus aliquis reſpondet non poſſe vocem perfectius ſignificare rem loquenti, quam loquens intelligat quaſi vero verba ſignificent loquenti, ac non potius audienti: Itaque ſupponendo oppoſitum hujus, quod ſcilicet voces ſignificent audienti, Probo doctrinam Scoti in primis à poſteriori per abſurda ſequentia adverſarios ſic ſi nomina non poſſent diſtinctius ſignificare ſua ſignata quam illâ (ſignata intellige) ab imponentibus percipiuntur, nullum nomen abhominibus inſtitutum ſignificare ſubſtantiam; hoc eſt falſum, aliter nunquam de eâ loqui aut ſcribere poſſemus, ergo; ſequela probatur, quia nos non concipimus ipſam rationem propriam & conſtitutivam ſubſtãtiæ ullius, v.g. lapidis aut ligni &c. ſed proprietatem aliquam eius ob quam ei nomen imponimus. Concedit conſequentiam Amicus, ſed immeritò, ut patet in exemplo Doct. nam nomen *lapis* impoſitum eſt lapideò quod lædat pedem, nec tamen ſignificat læſionem pedis aut vim læſivam eius, alioquin etiam ferrum eſſet Lapis, ergo. Aliter tamen evadi poſſet hæc ratio dicendo quod ly lapis ſignificat ſubſtantiam, quam etiam

c Theod. Smiſing Tract. 2 de Deo d 7. q. 2. Vaſq. 1. p. diſp. 22. Pot nanon. 1 d 22. Maſt. diſp. 2. log q. 3.

d Gul. Ockã. 1. d. 22. q. 1; Gabriel ib. ar. 2 c. 3. Molin 1. p. q. 13. d. 2. Vaſquez. ib. d. 5. 7.

no

nos concipimus, at non diſtinctè, & propterea nec vox *lapis* ſignificat ſubſtantiam diſtincte ſed confuſe vel indeterminatè, voluit enim imponens ut ſignificaret eſſentiam lapidis quæcumque illa ſit, & ita facit, atque ita non ſequitur hinc nomen aliquod ſignificare rem aliter quam illa ab inſtituente nomen percipiatur, quia etiam imponens novit lapidem habere eſſentiam quæcumque illa ſit. Sed adhuc ſtat argumentum D. & ſoluit hanc replicam ut ſtatim infra oſtendam

2. Interim aliter ſuaderi poteſt concluſio inſtantiâ D. de vocibus & literis Hæbraicis, poteſt enim quis ignarus vocum Hæbraicorum velle ut characteres eius ſignificent ſuo ordine voces ejus א Aleph. primam vocem ב. Beth. ſecundam, &c. ſic de cæteris (quemadmodum elementa linguæ Græcæ ſignificāt ſuo ordine numeros a unū. β duo &c. licet ipſe nec primam nec ſecundam noverit, tamen factâ illa inſtitutione peritus linguæ incidens in primum characterem ſtatim cogitaret primam vocem Hebræam quam etiam intelligeret, & ſecundâ ſecundum, & ſic de cœteris; Familiarius exemplum eſt in duobus quorum unus novit ex lectione hiſtoriarum regionem aliquam puta Africam, alius autem reipſâ peragravit eam. Hi duo ſi concurrerent & colloquerentur de illâ provincia, certè qui legit tantum ſitum & vrbes illius, cum earum nomina profert, alter audiens, melius intelligit ea nomina, quam loquens, hic enim habet ſpecies experimentales & propriores intuitus; alter non, ſed multo magis imperfectas & abſtractivas, atque adeo contingit loquentem ſeu utentem nominibus ſignificare res perfectius, quam ipſe eas percipit. In hoc diſcurſû non apparet quid repræhendi aut negari poſſit, vnde vel ſolus ſufficit concluſioni, ſed.

3. Probo adhuc tertiò eandem argumento Biblico ſiue Theologico ex parte. Exodi 3. v. 14 conſtat nomen Dei *Qui eſt*; aut vt legitur in Hæbræa, *qui ero* eſſe nomen eſſentiale ei, hoc eſt ſignificans ipſam intimam naturam & eſſentiam Dei; hoc autem ſine dubio proferri poteſt (licet Hebræi abſtinuerint ſemper à prolatione eius ob religionem ſeu reverentiam) aliter enim non diceret Deus Moyſi *ſic dices filiis Iſrael, qui eſt*, vel ſecundum litteram, *qui erit miſit me*, ergo iam poteſt nomen diſtinctius rem importare, quam vtens eo intelligat rem.

Hoc tamen argumentum patitur replicas. In primis enim aſſumitur at non probatur illud, *qui eſt*, eſſe nomen eſſentiale, ſiue ſignificans ipſam eſſentiam Dei immediate. Deinde illud nomen qualecumque eſt, non eſt impoſitum à creaturâ, ſed à Deo ipſo ſibi, atque ita ex hoc non habetur poſſe imponi nomen diſtinctius ſignificativum rei quam ipſa intelligatur ab imponente nomen, ſine dubio enim Deus intellexit ſe tunc quam diſtinctiſſimè.

4. Primum horum expediendum eſt oſtendendo illud *qui eſt* non ſignificare aliquid infra ipſam eſſentiam Dei quod iam feci ſuo loco tract. de Deo, vbi ratione oſtendi *eſſe* ſiue exiſtere eſſe eſſentiale Deo; nunc extra locum proprium placet id authoritate probare ex eiuſdem Exod. 6. ubi Deus ad Moyſen *Ego Dominus qui apparui Abrahæ, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai* (in Hebræo eſt illud tetragrammaton *qui eſt*. (ut notavit noſter *Lyran*) *non indicavi eis*, ubi manifeſtè præfertur hoc nomen alijs, puta nomini Omnipotentis &c.; Tum ſic: ſed nomen Omnipotentis & ſimilia ſignificant attributa Dei, ergo hoc eſſentiam.

Nicol. de Lyr. in Exod. 6.

Ad ſecundum fateor hoc eſſe impoſitum Deò à ſe; ſed fateri debet Adverſarius potuiſſe etiam à creatura excogitari, & imponi ipſi, quod de facto aliqui hominum fecerunt. Triſmegiſtus in *Pymand. Ego ſum Pymander mens ejus qui ſemper eſt*, Euripides in drammate quod inſcribitur *Pirithus* ait *Te qui per te ortus es*. Deum alloquens, & in templi Delphici foribus, vncialibus litteris legebatur inſcriptum εἶ ſcilicet *Tu es* quo [ut notavit accurate Plutarchus libello de hac inſcriptione] intrantes ſalutabant Deum, ſicut ille viciſſim ipſos illis monitis γνωθι σαυτον ſed & Poropius in *Harmathenâ lib. 8. fol. mihi* 177. Vult nomen Dei Iſis idem eſſe ac *eſt eſt*, licet id ab Etymologia linguæ Cymbricæ colligat, ſed ideo facit quia cenſet eam linguam eſſe originariam ſeu primam

Triſmegiſt. *Euripid.* *Plutarch.* *Poropius*

5. Jam probo concluſionem à priori; Quia ſignificare non eſt idem ac docere aliquid, in quo videtur hâllucinatus Suarez; ſed eſt reducere ipſi in mentem rem aliquam, quod contingere poteſt etiam in re ante ſcita, & ideo poteſt dari ſignum reſpectu rei præcognitæ, non enim facit ſignum aliud quam excitare ſpecies rei in mente hominis, ex quo patet facillimè reſolutio poſita; ſine dubio enim contingere poteſt, ut ſpecies præhabitæ ab audiente, perfectiores ſint ſpeciebus, quas loquens de ijſdem objectis habet, ut cum diſcipulus repetit lectionem aut penſum ſuum magiſtro, hic ſine dubio melius intelligit quæ dicit diſcipulus, quam intelligit ſe diſcipulus qui loquitur, ergo. Et per hoc vides ſolutum quod ſupra num. 1. objectum eſt contra rationem D. nam non ſolum imponi poteſt à nobis nomen ſubſtantiæ, ut à nobis concipitur confuſè, & ſub illis verbis, quæcumque illa ſit, ſed etiam diſtinctè, quia etſi nobis non ſignificaret niſi confuſè, tamen alteri, ſive homini, ſive Angelo habenti ſpeciem ejus propriam ſignificaret diſtinctè, Iam audiamus alios.

6. Obijciunt, nomina ſunt ſigna conceptuum ex primo Periher. 1.; Unde ſic argui poteſt: Idem eſt ſignificatum nominis ac conceptus, & in eo tantum differunt quod conceptus immediate & naturaliter repræſentat, nomen vero mediate & ad placitum. hinc autem ſequitur quod non poſſit unquam nomen repræſentare objectum perfectius quam conceptus, imò nec æque perfectè, quod inde colliges quia ſubſtitutum alteri nunquam excedit, immò non æquat originale agens, ſicut nec inſtrumentum principale agens, nec artificale æquat naturale, ergo. Reſpondet Vaſq. mentem Ariſtotelis eſſe quod nomina ſint ſigna conceptuum objectivorum non autem formalium; ſed hoc difficulter perſuadebit, quum expreſſe aſſerat Ariſt. quod *ſint earum quæ in animâ paſſionum notæ*; at vero non objecta aut conceptus objectivi, ſed formales ſunt in anima

Reſpondeo ergo ad hoc juxta dicta ſupra, nomina non eſſe ſigna primo et proprie conceptuū, ſed primo & proprie rerum. ſunt quidem illa vicaria conceptuum ſeu ſubſtituta illis, ſed hinc ſequitur potius quod non ſint ſigna ipſorum, quia nec ipſi conceptus ſunt ſigna ſui ipſorum; Ad rationem contra hoc adductam in argumento patebit in ſolutione ſequentis, Hic interim concedò quod non perfectius repræſentet vox quam conceptus, ſed diſtinguendum eſt de eo cui ſit repræſen-

præſen-

Digitized by Google

præſentatio, dico enim quod vox repræſentat perfectius audienti quam conceptus loquenti, quia nimirum audiens aliunde habere poteſt cognitionem objecti. At vero ſumendo vocem & conceptum reſpectu eiuſdem, conceptus perfectius repræſentat, Unde ſi is qui loquitur voce loqueretur conceptu melius intelligeretur.

7. Objicit ſecundo ſuarez. Nomen illud quod ſignificat rem perfectius quam utens eo concipit ipſam, à quo habet illam vim perfectius ſignificandi? non ab imponente, quia hic non poteſt dare quod non habet, non aliunde, quia ſupponimus voces eſſe ſignificativas ex placito tantum, adeoque non habere vim ſignificandi niſi ab inſtituente. Confirmat, quia ſi imponens nomen nullo modo cognoviſſet rem, nullo modo potuiſſet illi nomen ſignificativum imponere, ergo nec poteſt nomen perfecte ſignificativum imponere ſi non cognovit eam perfecte: ita ille, propter quod ibidem aſſeveranter ait incredibile omnino eſſe quod nomen aliquod habeat magis expreſſivam ſignificationem quam fuerit cognitio illius à quo impoſitum eſt ſed non videtur advertiſſe aut quod nos dicimus, aut quod dicit ſignũ; nec enim nos volumus totam cognitionem à ſigno prævenire, ſed ſignificationem ſolum quæ in hujuſmodi ſignis rememorativis conſiſtit in excitatione ſpecierum. Cæterum ſicut ad omnem relationem prærequiruntur extrema, ita ad cognitionem relationis prærequiritur cognitio extremorum, atque ita non habetur à ſigno illa, ſed excitatio eius duntaxat. Unde videtur in eo hallucinatus, quod putaverit ſignum debere cognitionem generare, & quaſi docere homines ſuum ſignatum, quod non eſt verum, ex quo patet in formâ ad argumentum; Reſpondendum enim eſt quod nomen habet ab imponente ſignificare, id eſt excitare ſpeciem eius in audiẽte: at vero reddere cognoſcentem auditorem non habet à ſe ſolo, vel ab imponente, ſed ab ipſo ſimul & ſpecie objecti reſidente interim apud auditorem. ſed contra hæc ipſa

8. Objicies 3, Homo qui eſt imago Dei non perfectius repræſentat Deum ei, qui jam novit Deum, putà beato, quam viatori qui neſcit eum; & idem eſt de aliis operibus Dei quæ dicuntur veſtigia eius (quia ex illis deprehenditur Deus, & eius exiſtentia) adeoque impertinens eſt ad ſignum quid ſciat audiens de ſignato; Antecedens eſt omnino probabile, quia uterque adquirit tantum notitiam Dei à poſteriori, & abſtractivam, cum tamen contingere poſſit, ut unus eorum habeat notitiam intuitivã eius, ergo. Reſpondeo concedendo antecedens, negando vero conſequentiã, dico ergo eſſe latiſſimam diſparitatẽ, quia ex creaturis cognoſcitur Deus per diſcurſum, quod autem cognoſcitur ex ſignis non ita, ſed cognitio hæc pertinet ad primam operationem intellectus ut ſupra *a* notavi. Itaque non eſt mirum quod illa cognitio per diſcurſum ſemper ſit uniuſmodi, hæc per ſigna non, quia per illa adquirimus quodammodo ſpecies cognoſcendorum, hic non ſed utimur adquiſitis, quæ quia in uno poſſunt & ſolent eſſe magis perfectæ quam in alio, ideo &c. *a Ope. l. ... l. n. 5.*

ACTIO III.

Quid ſit Verbum.

Breviarium

Num. 1. *Correcta definitio verbi apud Ariſtotelem.*
2. *Quid ſit ſignificare cum tempore?*
3. *Quid eſſe notam eorum quæ de altero dicuntur?*
4. *Verba quæ ſenſu nominã apud Ariſtotelem?*

1. RESPONDEO ad quid eſt? verbi; quæ ſupra dixi de quid nominis reſpective; hoc eſt, quoad particulas quæ in verbi definitione iterantur. ferè enim utrobique eædẽ redeunt quamvis Ariſt. non repetiverit eas ſed ſuppoſuerit. Breviter ex ipſo hic cap. 3, per totum colligitur ab interpretibus hæc definitio verbi; quod ſcilicet ſit *vox ſignificativa ad placitum eorum quæ de altero dicuntur nota, finita & recta.* quod ultimum non videtur æquè rationabile hic atque in definitione nominis poſitum, nam rectitudo verbi apud Ariſt. eſt quod ſit indicativi modi & temporis præſentis, quod non puto neceſſarium. cur excluderentur ſupra caſus obliqui nominis ratio fuit, quia non ſufficiunt cum verbo conſtituere propoſitionem v. g. *Petri eſt* non enunciat quidquam, ſed bene: Petrus eſt: at vero verba præteriti temporis & futuri faciunt ſplendidas enunciationes, ut illæ: fuit homo miſſus à Deo, erit dies judicii &c. Itaque hæc particula, ultra alias illas in definitione nominis, potuit expungi, & debuit ex hoc capite, non vero exinde quia quædam verba non habent præſens ut odi, cæpi, quo argumento impugnat hanc partem Hurtad, ſed niſi fallor errat; odi enim & ſimilia licet ſonent præteritum, tamen ſignificant etiam præſens quod leges apud Ovidium *a* Ubi Dido *a epist. 7 ver. 17.*

Non tamen Æneam quamvis male cogitet odi.

Quo loco ly *cogitet* facit ut referamus neceſſariò odiũ ad præſens, alioquin ſtulte attuliſſet cauſam de præſenti, & illud Pſal. 76. *nunc cæpi* nonne manifeſte eſt præſentis, ſed de his hactenus.

2. Supereſt ergo explicare differentiam verbi à nomine quæ conſiſtit in duabus illis particulis *cum tempore* ſive (ut habet textus) *conſignificans tempus & eorum quæ de altero dicuntur nota.* ſenſus primæ eſt quod verbum ſignificet aliquid fieri vel eſſe in aliqua determinatâ differentia temporis ut ſcribo, non ſolum ſignificat ſcriptionem ſed & eam in hac parte temporis præſenti & labenti exerceri, quod non facit nomen ſcriptio. ſunt quidem aliqua nomina, quæ ultra rem ſignificatam connotant etiam tempus, ut prandium ſignificat comeſtionem & prætereà connotat meridiem at non ſignificat cum tempore ſive non conſignificat tempus modo verbi, quia non ſignificat actionem aut quaſi actionem quæ correſpondeat tempori, eò quod exerceatur in ipſo, & tranſeat cum eo. Vides ergo differre tria hæc ſignificare, & connotare, quæ conveniunt etiam nomini, atque illud ſignificare cum tempore, quod appropriatur verbo.

Dices, etiam participia ſignificare hoc modo cum tempore, ut patet in his, amãs, amaturus &c.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo primo, etſi ſignificarent, ſtare definitionem, quia excluduntur per particulam ſequentem *eorum quæ de altero dicuntur nota*. ſive intelligatur modo noſtro, ſive illo aliorum, quia participia neque ſe ſolis prædicari poſſunt neque extrema unire. Reſpondeo ſecundo quod non, quia non ſignificant tempus determinatū, poſſunt enim coniungi cum quolibet, ut dicendo Petrus eſt amās, fuit amans, erit. Reſpondeo denique concedendo antecedens utcumque, & negando ſequelam; quia participium non eſt omnino aliud à verbo, ſed partem eius capit unde nomen accepit,

3. Difficilior eſt alterius particulæ ſenſus dequâ proinde videas altercantes interpretes. Breviter cenſeo poſſe eam commode ſic intelligi ut ſenſus ſit, quod verbum ſit nota eorum quæ de altero dicuntur, id eſt quod fungatur vice copulæ in propoſitione, quod verum eſt ſemper, quia ſi propoſitio ſit ſecundi adiacentis, ut hic, Petrus currit; in ly *currit* eſt copula, eſt enim idem ac *eſt currens* quod faceret propoſitionem tertij adiacentis ubi expreſſe verbum *eſt* copula eſt, adeoque &c. quam explicationem falſo quidam ſociorum attribuit ſuo Toleto, quum expreſſe iſte dicat ſenſum eſſe, quod verbum ſemper ingrediatur prædicatum propoſitionis, ſive in parte ſive in toto.

4. Denique illud etiam difficile eſt cur his non obſtantibus Ariſtoteles dixerit *Verba ſecundum ſe dicta, nomina eſſe* de quo etiam ſuccincte meum ſenſum dicam relictis illis aliorum Ad hoc autem ſciendum quod verbum tria dicit rem verbi, tempus, & copulam: v. g. *curro* dicit curſum, dicit cum nunc, & à me exerceri, quæ ſignificant tempus, & præterea copulam eius ad perſonam. Iam verò verbum poteſt ſpoliari aliquot horum ſignificatis; fieri enim poteſt ne ſignificet aut tempus, aut perſonam, ſed ſolum rem verbi quod etiam importatur per nomen. Vnde reſpondeo ad quæſitum, propoſitionem Ariſtotelis veram eſſe ſed indefinitam, & procedere de verbis infinitivi modi qualia ſunt currere, amare &c. hæc enim vere inſtar nominum ſunt Logicè & proinde (ut notavit acute Boet. in utraque editione hujus] apponitur illis in Græco articulus non minus quam nomini dicimus enim τὸ περιπατεῖν τοῦ περιπατεῖν, & eſt idem quod Itali loquuntur il *andare*, dal *andare* &c. non minus quam il corſo, il andamento, Dixi autem hæc eſſe nomina Logica quia nimirum hoc modo abſolvūtur, ab eo quod eſt proprium verbo, ſcilicet à tempore & copula, & relinquuntur cum eo ſolo quod habet nomen. hæc circa textum Ariſt. Iam ad Doctorem explicandum ac defendendum ſit

---

ACTIO. IV.

Vtrum verbum *eſt* in enunciationibus maneat infinitum?

Breviarium

Num. 1. Verbum Logicum nec inpropoſitione, nec extra infinitari poteſt. Ratio.
2. *Evaſio quorundam refutata.*
3. *Inſtauratur ratio concluſionis.*
4. *Nova probatio concluſionis*
5. *Objectiones aliquot ſoluta exnumero ſequenti.*
6. *Alia objectio. Scotus expoſitus poſſe verbum aliqua tenus infinitari*

1. RESPONDEO negative; & addo ſiſtendo in rigore Logico non dari nec poſſe eſſe verbum infinitum. Alterum hoc non poteſt oſtendi niſi probato priori à quo incipiendo, præmitto ſenſum quæſiti eſſe, Vtrum hæc propoſitio *Petrus non currit* poſſit facere hunc ſenſum Petrus eſt non currens, an vero debeat facere hunc: Petrus non eſt currens. Recentiores aliqui ſupponunt quod ly, *noncurrit* & ſi milia extra propoſitionem poſſit facere ſenſumillum infinitatum ſeu affirmativum, contra quod poſui ſecundam partem reſolutionis, & in ipſa propoſitione putant eſſe verius, contra quos eſt prima, quam docuerunt antiqui aut videas apud eoſdem Recentes.

a Boët. 2. Alber. hic & lib. 2. cap. 1.

Probo reſolutionem principalem, quia hæc *Petrus non currit* eſt manifeſtè propoſitio negativa ergo verbum non eſt infinitatum, nam ſi eſſet, propoſitio foret affirmativa ut volunt ipſi Advers. Antecedens hujus puto ex terminis apertum, nam ſi illa nón eſt negativa, quæ erit quomodo redditur propoſitio negativa niſi præmittendo negationem verbo? aut denique quomodo negabitur verbum, niſi addendo & præmittendo ei negationem ut hic factum.

2. Dicunt propoſitionem eſſe negativam, ſi negatio illa afficiat rem verbi & ſimul rationem copulæ quæ in ipſo eſt at vero ſi afficiat ſolam rem verbi, non fore talem, & quia poteſt ita accipi, proterea merito dici quod verbum ſit infinitatum, & propoſitio affirmativa, hactenus illi; ſed ego oſtēdo non poſſe ita accipi. Ratio quia illa eſt natura negationis ut perdat ac deſtruat totū quod poſt ſe invenit propter quod dicitur eſſe malignantis naturæ At vero nó ſolum res verbi ſed ratio copulæ poſt eſt in illa & ſimilibus propoſitionibus, quia nimirū omnia hæc in verbo ſunt, nec aliter ponūtur in propoſitione ut vides, & ſane valde arbitrarium eſt ulli, quod ex duobus quæ afficiuntur ſimul una, & eadem negatione, velit unum negationi ſubducere, alterum reputare negatum. Cur enim illud ſic, & hoc non? Confirmo intentum; hæc propoſitio *nullus homo currit*, non poteſt facere ſenſum affirmativum, ergo nec illa *Petrus* ſive *hic homo non currit*, cur enim illa & non hæc. Cur negatio illa in ſyncategorematе *nullus* totum delet quod poſt ſi invenit, & negatio *non* id non faciet. Cur univerſalis negativa non poteſt reddere ſenſum affirmativum particularis autem poteſt.

3. Inſto, ſi ſemel demus locum hujuſmodi præciſionibus, eo devenimus, ne detur in rerum natura propoſitio ulla negativa, hoc autem eſt intolerabile, & tamen oſtendo ſequi ex hac doctrinâ Adverſariorum; ſit enim negativa iſta Petrus non currit potero dicere quod ibi non negetur de Petro curſus ſed affirmatur eius negatio, & hoc volunt Adverſarij. Addo ego in hac univer-

verſali : Nihil eſt factum ab æterno, poteſt eſſe ſenſus affirmativus, ut id quod ſignificatur per nihil fuerit ab æterno, cur enim non, ſi hæc, aliquid non fuit ab æterno, poteſt reddere ſenſum infinitum aut affirmativum, & ita habemus univerſalem ac particularem negativam non eſſe certo negativas ſed vel tales, vel æque bene affirmativas Videnda apud D. alia ratio hujus ab inconvenienti ducta, illâ q. 1. n. 2.

4. Probo ego oppoſitum contra Ariſtotelem dici, docet enim Ariſtoteles illo cap. 3. Verbum infinitum æqualiter dici de eo quod eſt, & de eo quod non eſt; atqui illud verbum cum negatione præfixâ ſic, ut reddat ſenſum affirmativum, non poteſt dici de eo quod non eſt, v.g hæc non currit, ſumptum infinite quatenus idem eſt atque, eſt non currens; ad hoc enim ut verificetur Petrus eſt non currens debet eſſe Petrus, nam ſi non eſt, neque taliter eſt; &, ut loquamur logice, debet haberi conſtantia ſubjecti; quod coguntur ipſi Adverſarij admittere ſi volent Canones Logicos obſervare, ergo. ex quibus patet utraque pars concluſionis, nam allata argumenta probant non poſſe infinitari verbum in enunciatione, at vero quidquid obſtat infinitati eius in propoſitione, obſtat etiam extra ipſam ut bene advertit Hurtado hic & patet cuilibet applicanti argumenta hic adducta, ergo. Vnde habes antecedenter ſolutum hoc quod pro ſe illi.

5. Objiciunt, Verbum extra propoſitionem infinitatur, ergo & in propoſitione manet infinitum, & non negatur; non enim eſt ratio cur ibi non hic, ſive cur ſubjecti additio mutet naturam verbi. Antecedens autem (ajunt illi] fatentur omnes. Reſpondeo nos ſumus ex omnibus, & tamen id negamus : Cæterum fortaſſis conſequentia eſt optima, ſed non prodeſt niſi probato antecedenti quod nondum vidimus factum; ſed & infra oſtendam etiam dato antecedenti conſequentiam negandam.

Objiciunt auctoritatem Ariſtotelis, qui meminit verbi infiniti, tanquam contenti ſub verbo ut ſic. Reſpondeo Ariſtotelis mentem de hoc verbo oſtendi num.... Ex quo ſequitur ꝙ non poſſit ſtare ab Adverſario ſi ſibi conſtet. Amplius etiam ad examen auctoritatis adductæ adduco ipſum, ait enim ſecundum tranſlationem quâ vtuntur Conymb. *Non valet autem, & non ægrotat, non dico verbum eſſe* An. Ariſt, dicit infinita hac eſſe verba? Secundum tranſlationem Boëtij ait, *non verbũ dico*

6. Objiciunt tamen factum Ariſt. Nam 1. Poſt. cap. 10, utitur ipſe verbo infinito, facit enim hunc ſyllogiſmum. Omne aſtrum quod non ſcintellat eſt prope n os; planetæ non ſcintillant ergo planetæ ſunt prope nos; ubi, non ſcintillar, ut ſyllogiſmus valeat, debeat infinitive ſive affirmative accipi adeoque &c. Reſpondeo nego hanc minorem, poteſt enim accipi negative & ſyllogiſmus valere ſimilis illi Chriſti D. Matth. 12. Qui non eſt mecum contra me eſt, vos Iudæi non eſtis mecũ, ergo contra, qui ſyllogiſmus in prima figura eſt, & poteſt reponi ſive in primo ſive in tertio modo eius & quoniam tota hæc machina apud Adverſarios nititur authoritati Ariſtotelis, maximè autem in hoc loco oſtendo eum non favere illis hic idque ex ipſo ibidem tex 30. ſecũdum alios 94. ait enim *Amplius in quibus medium extra ponitur etenim in his ipſius quod & non ipſius propter quod eſt demonſtratio; non enim dicitur cauſa ut propter quod non reſpirat paries quoniam non animal. ſi enim hoc non reſpirandi cauſa eſt, opportet animal eſſe cauſam reſpirandi, ut ſi negatio cauſa eſt ipſius non eſſe, affirmatio cauſa eſt ipſius eſſe.* Ubi vides ly non reſpirare ſumi ab ipſo negative; non infinite, atque adeo etiam illud non ſcintillare ſequuntur enim ſe proxime & ad idem probandum adducuntur.

Denique videtur objici poſſe nobis Scotus ut apparet in themate. Reſpondeo, occaſione hujus explicabo etiam Ariſtotelem circa verbum infinitum, & dico quod ſi intelligeretur negatio referri ad rem verbi, tum fore infinitum quod certiſſimum eſt, tum enim ſenſus propoſitionis illius foret quod Petrus v.g. eſſet non currens. Ad enim verba ſic poſita non reddunt illum ſenſum, ex quo ſequitur propoſitionem mentalem tunc fore veram, vocalem falſam.

Sed quia Ariſt. & Scotus videntur ſupponere hujuſmodi verba infinita, poſſumus ea concedere juxtà dicta ſupra, & erunt verba infiniti modi v.g. currere; moveri quæ non eſt mirum infinitari poſſe, quia ut vidimus ex Ariſt. ſunt nomina. Stat ergo non dari logicum verbum infinitum quæ fuit concluſio, quia quod logicum eſt non infinitatur ſcilicet verbum indicativum; quod infinitatur Logicum non eſt, ſcilicet verbum infinitivum, & abſolutum à tempore ac perſonis, ut, currere &c. Vnde, præter alia, patet conſequentia prima objectionis neganda, quia ſcilicet verbum extra propoſitionem, ſolam rem verbi importat adeoque poteſt infinitari. In propoſitione importat alia quæ neceſſario reddunt propoſitionem negativã, nec poſſunt ſtare cum infinitate

A C T I O. V.

An verbum ſit aliquid prædicati in propoſitione?

Breviarium

Num. 1. Expoſitus titulus; expenſa quorumdam expoſitio
2. Prima probatio concluſionis negativa, item ſecunda
3. Objectio ſoluta: expenſus Ariſtoteles 2. Perib. 2.
4. Alia accurata objectiones & ſolutiones item notables.
5. Inſtatur acriter contra ſolutionem Admiſſa aliqua infinitas verbi ſalvâ concluſione
6. Vltima objectio. Æquivocari verbũ eſt in propoſitionib⁹
7 Recenſus totius doctrinæ

1. ALijs verbis quæritur an ſit pars propoſitionis de quo ratio dubitandi eſt, quia eſt copula, & ita videtur intelligi in ſcholis communiter. Supponitur autem ſi ſit copula non eſſe partem propoſitionis ſed vinculum partium. De hoc videntur mihi recentes Logici melius reſpondiſſe quam antiqui.

Dico ergo in propoſitionibus de ſecundo adjacente verbum *eſt* eſſe prædicatum atque etiam copulam. In propoſitionibus autem de tertio adjacente eſſe meram copulam, atque ita neque aliquid prædicati, neque partem propoſitionis. Controverſia hujus ſola eſt in ultima parte, de qua proinde procedent rationes, eam expreſſe tradit D. q. 2. oper. Por. Aliqui hic diſtingunt de pro-

Digitized by Google

propoſitionibus contingentibus & neceſſarijs voluntque in propoſitionibus contingentibus etiam tertij adjacentis, verbum *eſt* habere rationem aliquam prædicati; in propoſitionibus autem neceſſarijs non, ſed eſſe meram copulam: vel alijs terminis, in contingentibus *eſt* ſignificare exiſtentiam, & eſſe verè verbum: In neceſſarijs abſolvi ab exiſtentia, nec eſſe verbum ſed meram copulam: & Syncategorema. De hac diſtinctione cenſeo quod defendi quidem poſſit, ſanius tamen loquendo ſit ſupervacanea, & ſtandũ eſſe reſolutioni poſitæ quod in omni propoſitione tertij adiacentis verbũ *eſt* ſit ſyncategorema

2. Probo jam concluſionem principalem, & accipio unam propoſitionem de *eſt* tertio adjacenti v. g. iſtam, homo eſt animal, de qua ſic arguo ſi ly *eſt* in hac eſſet prædicatum, ſequeretur nullam dari propoſitionẽ tertij adjacentis de prædicato ſimplici, conſequens eſt contra Ariſt. 2. Perih. 2. & contra rationem, ſic enim nec daretur de prędicato cõplexo, omne enim tale ſupponit ſimplex ex quo fit. ſequela autem probatur, quia ibi duo prædicantur de ſubjecto homine ſcilicet eſſe, & animal, ergo. Imo ſequitur ne quidem in propoſitionibus de ſecundo adjacenti dari prædicatum ſimplex; hæc enim *homo eſt*; reſolvitur in hanc, homo eſt exiſtens, quæ ſecundum hanc viam Adverſarij eſt de Prædicato complexo. Atque hinc dupliciter impugnatur opinio adverſa, ſi enim *eſt* ſit prædicatum & non tantum copula, quæro quid prædicat? vel quod eſt ſignificatum ſeu res verbi? certe non aliud quam exiſtentia, & tamen hic non prædicatur exiſtentia de homine, alioquin propoſitio illa eſſet falſa quæ tamen eſt æternæ veritatis, ergo.

Alterum contra hanc viam eſt quod ſi ly *eſt* in propoſitionibus tertij adjacentis ſignificat exiſtentiam; tum ſenſus hujus: Petrus eſt exiſtens, erit ridiculus iſte, Petrus eſt exiſtens exiſteas

Probo ulterius propoſitum, quia prædicatum propoſitionis eſt terminus eius; verbum non, ſed mediat (loquitur de propoſitionibus tertij adjacentis) ergo non eſt terminus. major huius patet ex Phil...Prior... ex quo conſtat terminũ propoſitionis adæquate dividi in ſubjectum & prædicatum, atque ita ſubjectum & prædicatum per ſe contineri ſub termino. Deinde in converſione propoſitionis debet ſemper ſervari idem prædicatum, at non ſemper ſervatur idem verbum, ergo verbum non facit prædicatum. Minor patet in hac Porphirij: Plures homines participatione ſpeciei ſunt unus homo, quam ſi convertas, dices Vnus homo eſt plures homines, ubi vides aperte verbum variatum à ſingulari numero ad pluralem ergo.

3. Obijcies, hæc, Homerus eſt poëta, eſt de prædicato conjũcto Ariſtoteli 2. Perih. item 2, non eſſet autem niſi ly *eſt* foret prædicatum, nam præterea non eſt ibi quidquam quod poſſit eſſe prædicatum niſi ly poëta, quod patet eſſe quid ſimplex ergo. major patet ex textu & facto Ariſt. quia argumentatur à prædicato conjuncto ad diviſum ſic Homerus eſt poëta, ergo Homerus eſt, ex quo dupliciter ſequitur intentum; primò ut iam deductũ eſt. iterum ſic, quia hæc: Homerus eſt, habet idem prædicatum quod illa, homerus eſt poëta, hæc autẽ *Homerus eſt* manifeſtè habet ly *eſt* prædicatum, ergo & illa, Homerus eſt poeta. Reſpõdeo ſi doctrina Adverſarij ſubſiſteret, non ſolum hæc ſed quçcumque de tertio adjacente eſſet de prædicato conjuncto ut ſupradeduxi & impoſſibilis foret propoſitio tertij adjacentis de prædicato ſimplici aut diviſo. Reſpondeo ſecundo illam propoſitionem eſſe de prædicato conjuncto apud Ariſt. ibi, quia nimirum ly *eſt* de mente ipſius importat exiſtentiã, & facit ſenſum Homerus eſt exiſtens poëta, hæc autem eſt de prædicato conjuncto, quia prædicat exiſtentiam & poëtam. Quod autẽ reddat eum ſenſum, in textu videbis, dicit enim exiſtentiam non competere Homero ratione ſui, ſed ratione poëſis, & ſimile eſt ac ſi quis dicat: Homerus fuit princeps poëtarum, ergo fuit princeps, aut rex; vel (quod idem eſt, Homerus fuit magnus muſicus, ergo fuit magnus; ſicut enim ly magnus non competit Homero ratione ſui ſed ratione muſicæ ſive poëſis, ita dicit philoſophus quod ly *eſt* nõ cõpetit Homero jam ratione ſui, ſed ratione poëſis, atq; ita patet ly *eſt* ibi idem eſſe ac exiſtit,

4. Obijcies 2. In hac propoſitione, paries eſt albus prædicatur exiſtentia de pariete, hæc autem non prædicatur aut importatur, niſi per ly *eſt*, ergo, ly eſt ibi eſt prædicatum, majorẽ probo quia nõ poteſt verificari illa propoſitio niſi paries exiſtat, minor probatur quia ly albus præciſe non dicit exiſtentiã, alioquin hæc, paries fuit albus, involueret implicantiã in terminis loquendo de pariete deſtructo. Reſpondeo negando utramq; præmiſſam major enim falſa eſt; quia licet exigatur forte exiſtentia parietis, tamen non prædicatur ibi explicite, minor etiam falſa eſt, exigitur enim exiſtentia parietis ab illo ly albus quod cum ſit prædicatum contingens non poteſt ineſſe niſi exiſtẽti. Dices, non eſſe album eſt contingens & tamen ad veritatem eius de pariete non exigitur exiſtentia ergo ſimiliter &c, Reſpondeo negando conſequentiam, quia illud non eſt reale prædicatum, aut poſitivum, deinde non affirmatur ſed negatur de pariete.

Obijcies 3. ſi in iſta & ſimilibus ly *eſt* non prædicatur, ſed tantum copulat, ſequitur contradictoriam hujus; paries eſt albus, eſſe iſtam; Paries eſt non albus: conſequens eſt falſum, quia ad contradictionem debent adhiberi affirmatio & negatio ibi, autem non eſt, negatio ulla, quoniam utraque propoſitio eſt affirmativa, ſed probo ſequelam quia contradicto eſt affirmatio & negatio, ſive (ut loquar ad propoſitum) eſt prædicatio, & deprædicatio ejuſdem: Atqui in his; paries eſt albus; paries eſt non albus in venitur prædicatio & deprædicatio, ſive affirmatio & negatio ejuſdem modo noſtro, quia nimirum ſecundum nos in priori propoſitione, prædicatur albedo duntaxat; ſive, prædicatum eſt ſolum ly *albus*; at vero in ſecundâ deprædicatur ſive negatur albedo, apponitur enim negatio ad ly *albus*, ergo tum ſic, ſed non eſt ita, neq; fit negatio ejuſdem aut contradictio donec negatio apponatur ad verbum *eſt*, ergo ſignum eſt quod ipſum *eſt* ſit aliquid prædicati, aut totum ipſũ ergo. Reſpondeo in hoc ipſo argumento latet Solutio eius quia utcumque ſe habeant ibi termini, non fiunt propoſitiones contradictioriæ, niſi fiat una affirmativa & altera negativa, ibi autem non eſt altera negativa, adeoque.

5. Sed contra hanc ſolutionem inſtari poteſt, quod ibi ſit vera affirmatio & negatio ejuſdem: hæc enim, paries eſt albus; eſt ſine dubio affirmativa: hæc etiam; paries eſt non albus, eſt negativa; quia eſt affirmativa negationis, nam affirmatio negationis

gationis.eſt negatio affirmationis (v.g. negatio cœcitatis & tenebrarum eſt affirmatio lucis) quid autem eſt propoſitio negativa niſi negatio affirmationis ſive habitus? ergo. Reſpondeo valet hæc replica, ſed & argumentum principale habet adhuc aliquid roboris, nã ſolutio illi data revera continet petitionẽ principji, ut apparebit conferenti eam cum objectione. Itaque exiſtimo dandum eſſe huic rationi, quod ly eſt prædicetur & affirmetur de ſubjectis in propoſitione; ſed non propter hoc approbo doctrinã Adv. aut retracto concluſionẽ; ecce ergo quomodo res ſe habet. Ly *eſt* affirmatur de ſubjecto, at non tanquã prædicatum, ſed tanquã copula; quia enim quodlibet dat ſibi ſuum effectum formalẽ, actio agit ſe, & unio unit ſe, etiã copula ſe ipſam copulat. Cum ergo ly *eſt* ſit copula, & in eo formaliter conſiſtat affirmatio, ideo illa non ſolum copulat prædicatũ ſubjecto, aut affirmat illud, ſed etiam ſeipſam; ſed aliter quam Adverſarji exiſtimant, ſcil. per modum copulæ, non per modum prædicati; ex quo patet in formâ ad argumentum.

6. Vltimo objiciunt, verbum *eſt* non mutat ſignificatum per ſubſequens quod adjicitur ipſi, ſed quum ſine adjecto eſt, tum eſt prædicatũ, & ſignificat exiſtentiam v.g. quum dico, Petrus eſt, ergo ſimiliter, quum dico: Petrus eſt doctus, non enim debet ly *eſt* variari per acceſſum ly *doctus*: Reſpondeo debere & in formâ maiorẽ eſſe falſam: nec ſolum hic ſed alibi oppoſitũ contingere, quod ſcil. ſenſus ly *eſt*, varietur per adjectum. Manifeſtè enim aliter ſignificat, quũ dico, Chriſtus eſt beat⁹, vel Chriſtus eſt à dextris Dei; & quum dico conceptus eſt de Spiritu S. aut crucifixus & ſepultus eſt

7. Ex his objectionibus ſecunda pugnat pro illa ſententiâ ſupra poſita n.... quæ aiebat verbũ *eſt* in propoſitionibus contingẽtibus de, tertio adjacẽti habere rationẽ aliquam prædicati, & ſignificare exiſtentiam. Aliquid etiã pro eâ facit tertia ſequẽs objectio: utriq; reſponſum eſt, quãvis non fuerit neceſſe; potuimus enim cõcedere eas quatenus faciunt pro illa ſententia quam diximus in concluſione eſſe probabilẽ, & hic amplius confirmo; quia hæc: paries eſt albus; poteſt facere hunc ſenſum, paries exiſtit albus; ſic autem ly *eſt* tranſit in prædicatum, ergo.

De Nomine & Verbo.

PLato in *Cratylo* Ariſtot. *hoc* 1. *Perib.* & 1. *Rhetor.* 2. & *alibi.* Averr. *in Proem. Periher.* Amon in *expoſit. Perib.* Boet. *in vtraq; editione l. Periher.* S. Aug. *tom.* 1. *l. de Grãmat. & l. de pr. Logic.* v. 1, Joan. Damaſ. *in Dialect.* c. 1. Baſil. D. Tho. *opuſc.* q. 48. & *lect.* 1 *in* 1. *Perib.* Alb. Mag. *hic tract.* 2. c. 4. Rich. 1. *diſt.* 22. *q* l. 6. 2. Ægid. 1. *Prior.* 1. *ult.* Tartar. *q.* 1. & 2. *de nom.* &c. Ockã *l.* 1. *Perib.* Sotus *l.* 2. *Sũmul. c.* 1. Colo. Lovani. & Verſorius *hic.* Ruvius *q.* 5. Maſius *q.* 3. Levius Sonides, itẽ Raph. Aver. *tract.* 2. *Inſtit.* Conimb. *in c.* 4. *de orat. q.* 2. Petrus Hiſp. *l.* 1. *Sum.* 1. Joan. de Magiſt. *hic, q.* 3. *dub* 2. Meng. in Paul. Vene. Smiglet: *diſp.* 12. Michaël Pſellus hic. Ludovi. Lemoſius, itẽ Fonſeca *l.* 1. *Sum. c* 12. Ant. Nebus. *l.* 3. Cajet. 3. *p. q.* 2. *ar.* 7. Põcius *in Sum. c.* 4. & 5. Morill *diſp.* 10. *Log. qq.* & 4. Rod. Artag. *diſp.* 2. *Sum. ſect.* 1. Maſtr. Ballet. *tract.* 2. *Inſtit c.* 1. Gõzales 1. *p. Log. diſp.* 1. *q.* 2. Petrus Hurtad. *diſp.* 3. *ſect.* 1. & 2. Complut. *l.* 2. *c.* 1. Franciſ. Oviedo *contr.* 3. *punct.* 1. Philip. de Trinit. *tract.* 2. *par.* & *c.* 1. *art.* & 2. Amicus 2. *q.* 2. & 3.

APOLOGIA III.

De Oratione & Enunciatione.

ACTIO I.

Quid ſit oratio, quid Enunciatio ſeu propoſitio?

ACTIO. II.

Ad quodnam inſtans referenda ſit enunciatio & ſenſus eius? ſive utrum copula verbalis copulet pro inſtanti ſuæ prolationis, an pro ultimo inſtanti prolati prædicati?

ACTIO III.

An propoſitio poſſit de verâ in falſam mutari & è contra?

ACTIO. IV.

Vtrum aliqua propoſitio ſit à principio indifferens ad veritatem & falſitatẽ nec ne?

ACTIO V.

Vtrum propoſitio de futuro contingenti iam habeat determinatã veritatẽ aut falſitatem.

Scotus in 4. d. 8. q. 2. n. 19.

HAs omnes concluſiones poſſum concedere præter quintam, & alias in quantum ſequuntur ex ea; nam verbum quando profertur, ſicut tunc ſignificat, ſic tunc conſignificat, & quando conſignificat præſens, & nõ additur aliqua determinatio per quam tempus conſignificatum referatur ad aliud præſens, non videtur ex vi ſermonis quod copulet pro aliquo inſtanti niſi pro aliquo inſtanti prolationis ipſius verbi præſentis, &c.

Idem q. vlt. 1. operis Periher. n. 2

AD primum quæſitum dico quod propoſitio ſingularis de futuro contingenti, nec ſimul eſt vera nec determinate vera, nec determinate falſa. Ad quod ſciẽdum quod verum ſignificat eſſe quod eſt; & falſum ſignificat eſſe quod nõ eſt eodem modo. Ex quo ſequitur quod ſicut res ſe habet ad eſſe ſic ad veritatem. Quod autem eſt actualiter & in præſenti; in ſeipſo habet quod ſit verum, ſic habet eſſe per ſe: quod autem eſt futurum non eſt in ſe ipſo. Sed in cauſa quod contingit tripliciter. Vno modo eſt aliquid in cauſa quod neceſſario eveniet ex illa. Alio modo ut habet inclinationẽ ad cauſam ut producatur à cauſa, poteſt tamen impediri. Tertio modo quod non magis ſe habet ad eſſe, quam ad non eſſe. Iſtis tribus modis ſe habet res in futuro ad eſſe.

ACTIO I.

Quid ſit Oratio? quid Enunciatio ſeu propoſitio?

Breuiarium.

Num. 1. *Emendatur definitio Ariſtotelis.*
2. *Aſsignatur nova.*
3. *Quaſitum de vocibus quibuſdam complexis, an ſint cenſendæ eſſe orationes.*
4. *Expenditur definitio enunciationis apud Ariſtotelem.*
5. *Expenditur, & reiicitur alia aliorum.*
6. *Aſsignatur denique propria.*
7. *Intricatum ſophiſma contra definitionem communiter receptam ex Ariſtotele.*
8. *Soluitur tota.*

(a) *Amic. tract.* 21. *Log. q.* 1. 1. DEfiniunt aliqui [a] orationem ex Ariſtot. 1. Per. 3. quod ſit *vox ſignificativa cuius partes ſeparatæ ſunt ſignificativa vt dictio, non vt affirmatio ſeu negatio.* Sed malâ fide, non enim habet Ariſt. quod partes orationis debeāt eſſe ſeparatim ſignificativæ, ſed *partiū aliqua.* Itaq; non requiritur quod omnes partes aut etiam plures ſint ſignificativæ ſeorſim. Sed quid? an etiā ſic poſita definitio eſt probanda.

Reſpondeo meliorem poſſe dari, quæ infrà adferetur. Interim in hac diſplicet (vt ſupra) ſignificatio *ad placitum* quam Ariſt. ibi requirit, deinde propiùs accedendo, non puto iſta adhuc ſufficere Logicæ orationi. Cauſa quia ſecundum hanc definitionem iſta; *homo doctus*; eſt oratio, vt patet applicanti, & tamen non videtur admittenda pro tali à Logico; quod ſic ſuadeo. Oratio Logica eſt compoſitum Logicum, adeoque debet conſtare ex componentibus ſive ex partibus Logicis, illa ſic non conſtat, quia caret verbo, quæ eſt altera ex duabus illis quæ ſolæ ſunt partes orationis Logicæ. Dices ibi eſſe plures partes ſicut plures voces, ſed contrà eſt quod nullum compoſitum fieri poteſt ex duabus partibus eiuſdem rationis, hæc enim ſunt tantum vna repetita v.g. ex duabus materijs non fiet corpus, neque ex duabus formis. Deinde illud doctus non eſt nomen Logicum; ſupra enim excluſa ſunt adiectiva etiam ab Ariſtotele, ita quamuis ſufficerent eiuſmodi partes, hic non habentur. Redeundo etiam ad definitionem vt eſt pure Ariſtotelis, nonne cōvenit nomini infinito, & verbo ſimiliter, nonne enim hæc, *non homo* eſt vox cuius partium aliqua ſeparatim ſignificat.

2. Erit ergo oratio certiùs & clariùs, *ſignum complexum ex nomine & verbo invicem accommodatis*, &c. Patet perfectio hujus quodam experimento, ſive enumeratione, convenit enim omnibus præter illam quam ſupra excluſi & oſtendi non eſſe orationem. *Accommodatio* quam hic requiro conſiſtit in concordantiâ nominis cum verbo. Quæ autem ſit iſta? Grammaticum concernit qui eſt Pædadogus Logicæ, & proinde debet ei præparare orationem. Quod autem ſit, ſive eſſe debeat eiuſmodi accōmodatio Logicus ſic oſtendit, quoniam non ſufficit quæcumque complexio nominum & verborum; nam iſta *Petrus amare*, non eſt oratio, eo quod non ſit accommodatum nomē verbo, quod fieret dicendo, Petrus amat, vel Petrum amare, & in aliâ illâ explicatione orationis, iſta: *Dominus res* non eſt oratio, neque hæc; homo bono; aut, homo vehemēter, ſed accommodanda ſunt ſic, dominus rei, homo bonus, amo vehementer, &c.

Hæc etiam præſtat priori definitioni adhuc dupliciter, quia transfert orationem extrà voces & ſonos deinde extra vnitatem vocis. Ariſt. enim dixit orationem eſſe vnam vocem.

3. Iam ſiſtendo in priori explicatione quâ tenetur terminus cōplexus eſſe oratio, quæro an hæc *Nemo, nihil, vbique* ſint ſingula ſingulæ orationes?
(b) *Petr. Fonſec.* 1. *Inſtit.* 4. 13. Videntur Fonſecæ [b] eſſe, mihi non ita. Fundamentum Recentioris eſt, quia ſingula illa ſunt inſtar plurium; *Nihil*, idem quod nulla res *vbique* idē quod in omni loco, & proinde in mente reſpondent eis duo conceptus ſed non ſufficit opinanti illi ratio, nam ad orationem debet haberi vox complexa nec ſufficit ſignificatum complexum; idem enim in re eſt definitum v.g. homo, & animal rationale; quæ eſt definitio, & tamen definitum eſt terminus incomplexus, definitio complexus To ſignifer eſt vox incomplexa, non autem oratio, & tamen habet ſignificatum complexum ex ſignis & ferente ea, ex quo patet illud de correſpondentiâ plurium conceptuum eſſe impertinens, nam ly ſignifer non poteſt exprimi niſi duobus conceptibus, & tamen non eſt oratio vocalis ſed terminus ſimplex, & ipſa enunciatio, v.g. hæc, homo eſt animal: in mente eſt vnum ſimplex & indiuiſibile, & tamen eſt vox complexa, ergo.

Quæro etiam an iſta: Marcus, Tullius, Cicero; ſit oratio? vel hæc: Innocentius decimus? loquor autem de oratione ſecundum acceptionem antiquorum ex Ariſtotele deſumptam? crederem quod non; quia ſunt inſtar unius nominis proprij, & imponūtur ac intelliguntur vt ſignificatiua differentiæ indiuidualis iſtius hominis: tales ergo ſunt qualis eſſet vna vox ſingulis illis impoſita, v.g. Petrus. Confirmo, nam Tullius non ſignificat partem illius hominis, & aliam Marcus, adeoque habent indiuiſibilem ſignificationem, vox autem complexa & oratio Ariſt. habet, ergo.

Dices: hæc, Summus Pontifex, eſt oratio, ergo & illæ, maximè illa vltima, Innocentius decimus: Reſpondeo, ratio hujus iam allata eſt, quia Incentius decimus eſt nomen proprium, Summus Pontifex eſt appellativum & commune, ſimile huic, homo bonus.

Denique contra illam definitionem Peripateticorum habeo hoc monoſyllabum *ſto*, eſt vera oratio, & tamen non habet partem ſignativam. Nec valet dicere habere virtualiter partes, quia non tantum eſt virtualiter ſed etiam formaliter oratio. At enim hoc facit etiam contra me, quia nec iſta oratio conſtat nomine & verbo; nam ſi recurram ad virtualiter, conſtare poterit etiam Ariſt. eò confugere. Reſpondeo non poſſe ſimiliter, nam *ſto* eſt expreſſè primæ perſonæ, non eſt expreſſè polyſyllabum.

4. Iam de Enunciatione Ariſtot. & poſt ipſum Petrus Hiſp. ac Summuliſtæ ſequuti, definierūt quod eſſet *Oratio verum vel falſum ſignificans indicando*;

Digitized by Google

cando: quâvis vltimum hoc non habeat Ariſt. Hanc tamen reijciūt Scotiſtæ noſtri cōmuniter eo quod non ſit data per eſſentialia talis enim nō eſt veritas aut falſitas vt conſtat ex Doct. tum hic q. 3. tum in 4. cit. ſed ſunt accidentia, quum poſſint adeſſe & abeſſe propoſitioni, & vna propoſitio de vera in falſam mutari: nam hæc; Petrus ſedet, ſedēte eo eſt vera, ſtante falſa. Approbo doctrinā hanc, non item rationem, hoc eſt, cenſeo veritatem, &c. eſſe accidentia. id tamen non probari argumento ibi adducto quod infra actioe ſequenti oſtendā. Interim habemus vnum vitiū huius definitionis. Alterum eſt quod detur per diſiunctū. Tertiū ſit illud *indicando*, nam qui dixit orationē aliquam ſignificare verum vel falſum dixit eam indicare. Atque hinc habes probationē veram primæ exceptionis factæ contra ipsā, ſiue, quod veritas & falſitas non ſint eſſentialia enunciationi, quia nimirū aliquid prius veritate competit enunciationi, nihil prius eſſentialibus, adeoq; veritas nō eſt eſſentialis. Maior hujus cōſtat inde quod iudicare ſiue affirmare prius competit enunciationi & quidē cauſaliter, ratio enim cur in illā ſit veritas vel falſitas eſt quia affirmat, quod ex eo patet quia aliæ orationes imperativæ, optativæ, &c. veritate carent, non aliunde niſi quia carent affirmatione.

5. Propter hæc cœpit placere iſta enunciationis definitio, quod ſcil. ſit Oratio affirmativa vel negativa alicujus de alio; quia nimirū corrigit defectum præcedētis, & datur per ea quæ primò & intimè videtur definito cōuenire. Sed nec hæc ſufficit. Peccat autē, quia datur per diſiunctum quod nunquā licet. Item quia datur per differentias dividentes; quū deberet dari per cōſtituentes, vnde potius eſt diuiſio quā definitio; & deniq; talis eſt ac ſi dicā, animal eſſe vivens rationale vel irrationale. Hæc cōtra diſiunctionē; aliud habeo cōtra alias particulas eius, illas: *alicuius de aliquo*, quæ videntur omnino reprobari à propoſitione hypotheticâ v.g. hâc; Petrus currit, & Paulus loquitur: nam ibi non affirmatur vnum de alio ſcil. loquelā Pauli de curſu Petri, vt patet. Dices, adhuc affirmari vnum de alio immò plura de pluribus; affirmatur enim curſus & loquela ℞. verū eſt affirmari hæc, ſed non ab illâ propoſitione vt hypothetica eſt, ſed à partibus eius quæ categoricæ ſunt, & diſtinguendæ omninò ab hypotheticâ.

Vides quā non facilè ſit rem notiſſimam definire; exiſtimo ergo abſtrahendū eſſe vnum conceptum, in quo omnes ſecundæ operationes intellectus, affirmatio & negatio, ſiue cōpoſitio & diuiſio cōueniant, vnde dicerem propoſitionē eſſe Orationē, enunciativā, niſi reprehendi poſſē, eò quod non poſſet definitio applicari ipſi enunciationi quæ ſynonyma eſt, & conſequenter eâdem oratione explicanda, clarum eſt enim definitionem quamcunq; enſis debere competere gladio.

6. Dicatur ergo, ſiue Enunciatio ſiue Propoſitio eſſe *oratio iudicativa*. Vnū contra hanc habeo, quod relabatur (licet tardius) in inconuenientia ſuprà contra alias definitiones allata: quærenti enim q. ſit iudiciū, & oratio iudicativa, nō poteſt explicari niſi per diſiunctū illud affirmatio vel negatio. reſpōdeo ſi ita ſit, non eſſe reprehendendā explicationē; & reuera non eſt minima huius rei difficultas, oritur enim ex eo quod non detur aliquid rei & nihilo cōmune, affirmationi & negationi. Reſpondeo ſecundo negando conſequentiam, ſiue defectū huj⁹ definitionis ex hoc capite; licet enim non poſſit iudicium explicari per aliud, non ſequitur enunciationem non bene explicari per iudicium, alioquin nunquam bene quidquam explicaretur per aliquid per ſe notum, ſiue ergo iudicium non poſſit, ſiue non debeat aliter explicari, eò quod non egeat explicatione, ſtat ſarta & tecta tradita definitio enunciationis.

7. Mouebo hic dubiū in communi definitione enunciationis, quæ eſt illa Ariſt. 3. Per. 4. quod ſit oratio verū vel falſum dicens. Contra hanc vrgeo inſtantiā huius propoſitionis. *Mentior*, aut, *ego iam falſum dico*, hæc enim non poteſt veritatē continere, ſed nec falſitatem: non quidem veritatem, quia falſa eſt; nec veritatē quia vera eſt, quorum vtrūq; ei competere per partes ſic oſtendo; inprimis veritatem; aut enim id quod loquens tum aſſerit ſic ſe habet ut ille aſſerit, aut non; quodcunq; ex duobus his dicatur, propoſitio eſt vera, nam ſi ita ſit, clarum eſt propoſitionē eſſe veram, veritas enim propoſitionis eſt conformitas ad obiectū; ſi etiam ita non ſit propoſitio eſt vera, tum enim verū erit eum mentiri, ſiue falsū dicere, quod ipſe illa enūciatione enunciauit. Hæc pro veritate, quæ etiam verti poſſunt pro falſitate propoſitionis ſic. Nam res non ita ſe habeat vt ipſe affirmat eā ſe habere, manifeſte propoſitio eſt falſa, ſi ita ſe habeat erit falſa, quia tum nō mentitur, nec falſum dicit, ipſe autem dicit, & falſum dicere & mentiri, ergo.

Video poſſe mihi reſponderi quod argumentū non pro me, ſed pro Ariſtot. pugnet, & quidē bis, ſiue dupliciter probaui ego propoſitionem illam eſſe veram & falſam, quorum quodlibet ſufficit vt cōprehendatur ſub definitione Ariſt. erit ergo illa oratio enūciatio modo Ariſt. ſemel quia vera, iterum quia falſa, nam propter ſingula illa (& non ſolum propter coniunctum] conuenit ei eſſe veram & falſam, atq; ita tantum abeſt quod reprobauerim hac inſtantia definitionem Ariſtot, vt potius probauerim eam bis.

Audio; ſed attendat quiſquis reputat ſe ita retorquere argumentum, vt adhuc ſter, & ego pro ipſo pugnem etiam bis, nam & oſtendo per hanc replicam non defendi ſed deſtrui definitionem Ariſt. Definit ille propoſitionem ſiue enunciationem per eſſe verum vel falſum, at vero hoc non ſtat cum aſſerto replicantis, aſſerit enim hic propoſitionem allatā eſſe veram & falſam, quod cum ſit coniunctum deſtruit ſtatim diſiunctum, hoc enim non debet niſi alterum ex duobus habere. Iterum impugno replicam illam, immò & illa impugnat ſe; nam ſi eſt propoſitio illa vera, non poterit eſſe falſa, aut viciſſim; hæc enim ſunt contradictoria, & vna alterā negat; falſitas enim vt ſuppono non eſt aliquid poſitivum, ſed carentia veritatis; aut certè neceſſario habet annexam hujuſmodi carentiam veritatis, quod ſufficit ergo.

Hic idem diſcurſus applicari poteſt contra aliā definitionem enunciationis, quod ſit Oratio affirmativa, vel negativa: probat enim illam eandem propoſitionem ſimul eſſe affirmativā & negativā, ecce quomodo. Illa enim *mentior* affirmat & negat idem; affirmat ſe eſſe veram, id enim facit omnis propoſitio: negat autem ſe eſſe veram, quia dicit ſe eſſe mendacium, atque ita eſſe falſam. Reſpondeo ad totum propoſitionem illam poſſe eſſe ſiue verā ſiue falſā, ſicut aliæ ꝓpoſitiones; et ſi ponam⁹ ipſum loquentem ſiue illum qui dixit *mentior* certi aliquid dixiſſe, v.g. quod tria ſint plura duobus, tū dico quod propoſitio ſeu affirmatio eſt falſa illa ſcil. qua dixit ſe mentitū aut dixiſſe falſum, quum diceret tria eſſe plura duobus. Et ad rationē cōtra

hoc, quæ fuit prima pro veritate propoſitionis ſupraposita n. 7. dico quod ex eo, quod res ſic ſe habet, ſequitur quod propoſitio illa Arithmetica (quæ eſt quaſi ſubiectũ aut ſubſtractũ alterius ſequẽtis) de exceſſu duorũ per tria ſit vera, nõ vero illa *mentior* per quã dixit hoc eſſe falſo dictũ, quæ potius falſa eſt quum affirmaverit propoſitionem quæ vera eſt eſſe falſam. Ex quo ſolves eandẽ objectionem, quatenus procedit de affirmatione & negatione.

Objicio ulterius cõtra id quod dixi ſuprà omnẽ orationem, debere conſtare nomine & verbo, id enim videtur falſificari per hãc *utinam ſtuderes*: quæ eſt perfecta oratio, quia quietat intellectũ nec tamen conſtat nomine: & per hanc aliam, *ecce homo*, quæ eſt non ſolum perfecta ſed demonſtrativa, vnde non deeſt qui ſentiat ad conſecrationẽ ſufficere hanc: Ecce corpus meum, & tamẽ caret verbo, &c. Reſpõdeo breviter orationẽ illam carere quidem verbo Grammaticali, non carere Logico

ACTIO. II.

Ad quod inſtans referenda ſit, enunciatio & ſenſus ejus? ſive utrum copula verbalis copulet pro inſtanti ſuæ prolatiotionis, an pro ultimo inſtanti prolati prædicati.

Breviarium.

Num. 1. Senſus controverſiæ explicatus.
2. Sententia Scoti perperam relata à quodam Rec.
3. Ex fide refertur.
4. Concluditur & probatur dupliciter propoſitionem ſignificare pro inſtanti copulæ.
5. Objectiones aliquot.
6. Quomodo formæ Sacramentorum ſint veræ.
7. Inconvenientiæ aliquot retorta in ſententiam Iuniorum.
8. Reſponſio aliquorum rejecta.
9. Aliorum evaſio præcluſa,
10. Objectio ſubtilis ex ipſo Scoto.

1. SIt caſus in iſtâ: *Chriſtus ſedet ad dexterã Patris*; quæritur an proferens illam de rigore Logico ſermonis dicat Chriſtum ſedere ad dexteram Patris pro ſecũdo inſtanti (ſupponamus enim propoſitionem habere quinque inſtantia, ſicut habet quinque voces,) illo ſcilicet quo profertur ly *ſedet*, an non, ſed potius pro quinto inſtanti, illo ſcilicet quo profertur illud ly *patris*? Supponendum præterea eſt ſeſſionem, ſive rem quæ affirmatur & controvertitur eſſe talis naturæ, quæ poſſit fieri, aut certe durare in inſtanti; Licet non incipiat, vel non ponatur à principio ineſſe niſi in tempore ſive in duratione aliquâ diviſibili, & habente partes; hoc inquam ſupponendum eſt, tum quia alias non eſſet locus quæſtioni ut vides, ſtultum eſt enim quærere in quo ex pluribus fiet aliquid, ſi non fiat in ullo ex illis. Tum quia alia omnino eſt reſolutio de iis rebus quæ in tempore ſive duratione diviſibili debent poni, ut eſt motus ſignificatus hâc: *Rota volvitur*.

(a) 3. part. diſ. 201. c. 10.

2. Et vero hic (ſi quando alias) defendendus eſt Scotus ab incurſibus, ne dicam impoſturis Recentium. *Gabriel Vaſquez* (a) ita refert ſententiam Doct. in hac materia quaſi Scotus docuerit propoſitionem quamcumque de rigore ſermonis ponere ſuum ſignificatum pro aliquo inſtanti ſui, id eſt, pro aliquo ex illis multis quibus ipſa durat, nec ſufficere ſi ponat pro alio poſteriori, quod ipſe aperte pronunciat falſum eſſe, & ita tenere Rec. omnes, qui volunt nullam propoſitionem eſſe veram quamdiu durat. Subdit de mente Scoti formam conſecrationis Euchariſtiæ falſam eſſe juxta primam vocum impoſitionem, & Chriſtum non reliquiſſe verba illa in antiquâ ſuâ ſignificatione, ac denique in ejus ſententia labefactatum eſſe efficaciſſimum argumentum quo contra hæreticos inferimus præſentiam corporis CHRISTI in Sacramento ex veritate verborum. Ita ille malâ fide; quia non modo non retulit ſententiam Scoti fideliter, ſed nec ſuorum Recentiorum: etſi id non nimis mirum videri debeat in eo circa Scotum, quando nec ipſi etiam Scotiſtæ omnes eum intellexerunt ut jam apparebit.

3. Eſt ergo Scoti ſententia quod propoſitio de præſenti cujus ſignificatum poni poteſt in inſtanti, referenda ſit ad inſtans prolationis copulæ de rigore Logico ſermonis. Id oſtendo in primis quia ex 13. concluſionibus Varronis Scotus reprobat quintam in qua *Varro* oppoſitũ hujus dicit: Ipſe deinde manifeſte *verbum* (inquit) *quãdo profertur, ſicut tunc ſignificat ſic tunc conſignificat, & cætera ut ſupra in themate* quid clarius? Unde Faber 4. diſp. ... c. ... ait. *Propter rationes adductas contra quintã concluſionem ſuſtinet* (Scotus) *quod propoſitio de præſenti de rigore ſermonis non ſignificet extrema uniri pro ultimo inſtanti prolationis totius orationis ſed pro ultimo inſtanti prolationis verbi* & Gabriel quæſt. 8. in Canon adhuc preſſius cenſens, refert Scotum pro ſe; cenſet & autem Gabriel propoſitionem de præſenti (de rigore) ſignificare tempus præſens includens, prolationẽ hujus vocalis (e) cum inſtante terminante ipſum, ſcilicet illo in quo abſolvitur totum verbum *eſt*, ut mirum ſit quid acciderit noſtro Hiquæo in convento hujus loci, qui aliter Doctorem interpretatur, plane refragante textu quem exponit. [illegible] [illegible]

4. Dico ergo reſolutive. Propoſitionem de præſenti ponere ſuum ſignificatum pro inſtanti copulæ, intellige de rigore Logico ſermonis, dummodo ſignificatum ejus ſit res aut actio inſtanti menſuranda. Hanc ex D. N. tenet mordicus Gabr. citatus ut vidimus, Marſilius etiam in 4. q. 6. Joan. Major. 4. d. 8. q. un. Oppoſitum Recentiores ſequuti D. Tho. 3. p. q. 78. art. Cajet. & ibid. *Gabr. Marſi. Ioann. Mai. Div. Thom. Caiet.*

Probo Logicè, verbum ſignificat cum tempore ex 1. Perih. atque ita ſicut tranſit tempus etiam ſignificatio verbi cum ipſo tranſit, aliter enim non differret à nomine cujus ſignificatum perma-

Digitized by Google

remanet idem in multis temporibus, unde arguitur ſic ſecundo: Verbum, & quælibet alia vox ſignificat quando ipſum eſt, ſignificat tempus præſens, ergo ſignificat tempus præſens quando ipſum eſt: etſi dicatur quod ſignificat tunc tempus præſens, at non præſens pro tunc, ſed pro fine orationis; contra eſt quod ſi ita ſit, tunc ſenſus hujus: Chriſtus ſedet, eſt hic; Chriſtus ſedebit: & ita in propoſitione de præſenti poſſum uti verbo de futuro, dicendo Chriſtus ſedebit ad dexteram Patris, nam ſi illa in quinto inſtanti eſt de præſenti, certè in ſecundo eſt de futuro. Abſurditas hujus clarius patet in iſta, Hoc eſt corpus meum, cujus loco poſſemus uti hac *hoc erit corpus meum* ut patet ex diſcurſu facto, & tamen conſequens eſt falſiſſimum, ergo & antecedens quod tamen ut vidimus eſt doctrina Adu. Unde arguitur ſic ſecundo: Verbum eſſentialiter variatur variato tempore ergo non poteſt unum verbum permanere duobus temporibus, aut ſignificare aliquid coexiſtens duobus ejuſmodi moris, ergo quod in quinto inſtanti eſt præſens, in ſecundo eſt de futuro.

Probatur ſecundo principaliter, ſtando in propoſitione hac: *Hoc eſt corpus meum*, ex qua ſic arguo; In hac propoſitione ly *hoc* non poteſt ſupponere pro re futurâ in fine propoſitionis, ergo nec ly *eſt*; conſequentia probatur à pari, nam non eſt ulla ratio quare *hoc* aut aliud quidpiam exigat hunc eſſe quum dicitur, niſi quia determinatur ad præſens, ſed nihil magis ſignificat tempus præſens quam verbum præſentis temporis, & planè intolerabile eſt nomen aliquod affigi determinato tempori, ut non ſignificet niſi cum ipſo & in ipſo, verbum autem non, ſed poſſe ſuſpendere ſuum ſignificatum, & extendere alio. Antecedens autem probatur, quia ſi ſufficeret ad ly *hoc* quod haberetur ſignificatum ejus in fine propoſitionis, tum poſſet incipi conſecratio ſine ullo pane, dummodo in fine ultimæ ſyllabæ propoſitionis v.g. illius *um* coram adferretur panis, hoc autem quis admitteret, ergo.

5. Objicies, affirmatio & enunciatio conſiſtit in verbo copulante, ergo verbum debet ſupponere pro eo inſtanti in quo affirmatio eſt: ſed affirmatio non eſt ante abſolutam propoſitionem, ergo nec ſenſus verbi: minor probatur quia affirmatio eſt alicujus de aliquo, hoc eſt, prædicati de ſubjecto, quæ duo eſſentialiter involuit, adeoque ſine his ſeu utroque horum illa nec intelligi quidem poteſt: ergo cum profertur copula antequam proferatur prædicatum non eſt affirmatio, & quid magis improbabile quam eſſe prædicationem ſine prædicato? ergo. Reſpondeo primo argumentum redire contra arguentes, nam etiam affirmatio non eſt ſine verbo nec ſine ſubjecto, & tamen quando eſt prædicatur non eſt verbum, non eſt ſubjectum. Reſpondeo ſecundo aliud eſt ſenſus propoſitionis, & aliud eſt objectum ejus; ſive, aliud eſt ſenſus formalis, aliud objectivus: Nam in hac: *Pyrrhus geſſit bellum cum Romanis*: Senſus propoſitionis non eſt ante prolatum prædicatum, tamen objectum ejus præceſſit multis annis prolationem illam prædicati, & jam proferens illam non intendit ſignificare belli exiſtentiam pro illo inſtanti: Ita hic; ſenſus ſeu potius ſignificatio hujus propoſitionis *Hoc eſt corpus meum* non habetur ab audiente ante prolatum prædicatum, tamen ipſa non dicit objectum ejus eſſe pro illo inſtanti prædicati; ſed pro inſtanti verbi, concedo ergo primum enthimema, etiam ſecundum, & totum argumentum; nego tamen oppoſitum concluſionis (quod putatur, hinc ſequi,) quia nimirum probant iſta ſignificationem propoſitionis expectare prolationem prædicati. Concluſio autem aſſerit ſenſum poni pro inſtanti prolationis verbi.

Objicies 2. ſi enunciatio ſupponeret pro inſtanti quo profertur verbum, & non pro illo prædicati, ſive illo in quo completur propoſitio, formæ Sacramentorum eſſent falſæ: Atqui hoc potius eſt falſum atque hæreticum, ergo propoſitio non ponit ſuum ſignificatum pro inſtanti quo profertur verbum. probo ſequelam majoris, quia quod ſignificatur per formas Sacramentorum non ponitur niſi completâ propoſitione, ſaltem non ponitur, niſi completâ prolatione verbi; forma autem Sacramenti ſecundum nos dicit ipſum poni interim dum profertur verbum, non autem poſt, ergo forma ejus ſecundum nos eſt falſa. Sit exemplum in Pœnitentiâ & Euchariſtia, quibus gratia Sacramentalis non datur niſi poſt prolatum verbum, quia nimirum formæ continent aliquid ſequens verbum, forma pœnitentiæ ſecundum Florent. in Bullâ Eugenii eſt ita, *Ego te abſolvo, &c.* Ubi ly. &c. denotat aliquid formæ ſequi verbum: & quamvis hoc à nobis negetur, tamen non propterea evaditur argumentum, utique enim fieret Sacramentum ſic dicendo: *Ego abſolvo te*, ubi manifeſtè aliquid ſequitur verbum. In Euchariſtiâ etiam eſt clariſſima res, nam non ponitur Corpus Chriſti, niſi poſt totam formam prolatam, atque ita non ponitur quando profertur verbum, ergo erit falſa.

6. Hic dabitur occaſio aperiendi amplius, & mentem D. & immunitatem doctrinæ ejus à calumniis juniorum. Nego ergo ſequelam argumenti, & ad omnes probationes ſemel dico formas Sacramentorum non eſſe inſtitutas ſecundum ſenſum Logicorum, ſed ſecundum ſenſum vulgi, & communem modum loquendi hominum, qui utique non exigunt ad veritatem propoſitionum de præſenti, niſi ut quod loquens dicit, habeat eſſe interim dum loquitur, ſive priuſquam abſolvat propoſitionem. Id autem vel maxime obſervant in enunciationibus, quæ quoquo modo practicæ ſunt, aut ſignificant rem in fieri; Sic enim ſartor dum pannum ſecat & ſuit, dicit, hæc eſt veſtis Petri, licet nondum ſit veſtis, ſed fiat. Idem eſt de pictore, qui priuſquam abſolvat imaginem, veriſſime dicit, hæc imago quam jam molior, eſt imago Cæſaris & multo opportunius exemplum eſt quum quis transferens dominium alicujus rei in alium, ait, dono tibi hunc librum v.g. (nam illa oratio efficit aliquid atque ita eſt practica:) Certe enim nemo intelligit donationem eſſe factam, aut librum tranſiviſſe in dominium accipientis antequam abſolvatur propoſitio tota & dicatur to librum; quod ita verum eſt ut quamvis actio donandi ſignificetur verbo *dono* ſine dubio, tamen ſi loquens ſincopam pateretur, &, vel obſtrueretur ei os, vel ipſe libere taceret ſtatim poſt prolatum ly *dono* nemo intelligeret donationem eſſe factam.

ACTIO I.

Ex quo habes eluſas omnes cenſuras illius Junioris in hanc ſententiam; nam etſi Chriſtus voluit hanc propoſitionem *hoc eſt corpus* eſſe ſignificativam in fine, tamen non proinde mutavit ſenſum ejus, quoniam iſte fuit verus ſenſus ejus & omnium aliarum formarum Sacramentalium, ut ſignificarent objectum ſuum poni per ipſa in fine. Neque erepta ſunt nobis arma contra hæreticos probandi ex veritate formæ præſentiam Chriſti, hæc enim eſt vera veritas formæ hujus & omnium ſimilium quæ practicæ ſunt, quod ſane evidenter oſtendit exemplum illud propoſitionis donativæ. Nam quamvis illa non ſignificet niſi quum tota prolata eſt, tamen ex veritate ejus optime colligitur, rem donatam tranſiviſſe in poteſtatem accipientis; neque loquens aut alius eâ ſic utens diceretur, mutaſſe antiquam ſignificationem ejus, & inſtituiſſe novam adeoque &c. Sicut ergo Chriſtus ſi voluiſſet propoſitionem illam *ego tibi dono hoc* eſſe formam alicujus Sacramenti ſui, non mutaret ſenſum priorem ejus, nec novum inſtitueret, licet illa non ſignificaret gratiam Sacramentalem dati niſi in fine ita &c.

7. Libet jam videre an hæc aut ſimilia abſurda ſequantur potius aſſertionem Adverſariorum ut pateat concluſio noſtra undique tuta. Volunt aliqui horum, & ex his eſt vaſq. (a) propoſitionem non ſignificare ſive non ponere objectum, niſi poſtquam ipſa tota prolata eſt. Ex quo puto equidem unum è duobus ſequi, ſcilicet aut mutatum eſſe ſenſum propoſitionis, aut ipſam eſſe falſam, probatur hæc, quia aut illa ſignificat aliquid ſimul ſecum eſſe & eſt falſa, quia ſecundum ipſum non ponitur ſignificatum niſi poſt ipſam aut non ſignificat poni niſi poſt, & eſt de futuro, atque ita mutatus eſt ſenſus ejus (loquor de iſta: Hoc eſt corpus meum; in quâ ille carpit Scotum,) nam propoſitio de præſenti ut talis ſit, debet ſignificare aliquid ſibi coëxiſtens. Explico & confirmo rem exemplo, non poteſt aliquid contineri loco, quod totaliter eſt extra ipſam, licet non ſit niſi uno indiviſibili extra eum, ergo ſimiliter non poteſt aliquid contineri tempore, quod eſt poſt ipſum licet ſit in indiviſibili. Deinde ſi quærerem quare hæc *Antichriſtus erit* ſit de futuro, cauſa non eſt alia, niſi quia eſt de re ſequenti, tempus illud in quo loquor, ſi ergo inſtans, in quo ponitur ſignificatum propoſitionis ſequitur totum illud tempus, quare non erit de futuro? ſane enim niſi ſit neque etiam alia illa erit, nec quicquam, etſi ſequatur ipſam centum annis. Ad hæc, quicquid dicitur de re exiſtente in illo inſtanti, quamdiu illud durat, eſt de præſenti, ergo quicquid dicitur de re quæ habet eſſe in illo priuſquam illud inſtans adveniat, eſt de futuro ex quibus omnibus ſequitur contra hunc & ſimiles quod ſupra intuli, ſcilicet ſenſum, hujus *hoc eſt corpus meum* eſſe iſtum, hoc erit corpus meum, & poſſe nos loco *eſt* ponere verbum *erit* de futuro, & adhuc propoſitionem fore veram. dices non fore veram, quia non conſecraret, adeoque Corpus Chriſti non poneretur per eam ſive tunc ſive poſt. Fateor ita eſt quod non poneretur, adhuc tamen argumentum habet ſuum intentum; demus enim non Ordinatum ſacris dicere *hoc erit corpus meum*, quando Sacerdos dicit, *hoc eſt corpus meum*, ſequitur ex dictis hactenus, & probatum eſt fore veriſſimam illam a non ordinato, ſive ſæculari prolatam. Ex hoc autem præter alia ſequitur quod illa à Sacerdote prolata non ſit vera, quod ſic oſtendo non poteſt idem inſtans eſſe præſens & futurum ſimul reſpectu ejuſdem temporis aut inſtantis, ergo nec inſtans in quo ponitur Corpus Chriſti; atqui illud eſt futurum reſpectu temporis, in quo Sacerdos profert verba, ergo non præſens. Minor probatur, quia eſt eſt futurum reſpectu temporis in quo ſecularis loquitur, hoc autem eſt, ide illud ut ſupponimus, ergo, major hujus inde probatur, quia niſi eſſet, tunc propoſitio quæ de illo procedit non eſſet tunc de futuro & vera, eſt autem de futuro & vera, ergo propter quæ valde conſequenter locutus eſt in hac materiâ noſter Ockam, qui cum teneret propoſitionem verificari pro inſtanti aliquo ſequenti ipſam, abſolute dixit eam in re eſſe de futuro & æquivalere huic, hoc erit corpus meum.

a) *Gab. Vaſq. to. 3 in 3. part. diſp. 202. cap. 1.*

Vides anguſtias hujus viæ, ad quas vitandas alius (*b*) ex eadem ſcholâ, (non enim omnes idem illud ſentiunt ut affirmavit Vaſq.) dixit ad verificandam propoſitionem de præſenti ſufficere, ut objectum ejus habeat eſſe aliquo inſtanti ex omnibus quibus durat ipſa propoſitio, aut prolatio ejus. Sed iſte eandem aut ſimilem, certè non minorem difficultatem incurrit, ſequitur enim ex ipſo quoad eadem propoſitio de præſenti poſſit eſſe vera & falſa, ſequelam oſtendo; ſit enim ſupra poſita illa; Chriſtus ſedet ad dexteram Patris; & ſupponamus Chriſtum ſedere ibi in primo inſtanti hujus, puta quum pronunciatur prima vox *Chriſtus*; non ſedere autem in ſecundo aut tertio quum proferuntur ſequentia duo vocabula; erit vera, quia res ſic eſt in aliquo inſtanti ejus, erit non vera, quia res non ſic ſe habet in aliquo inſtanti. Cur enim unum inſtans ſufficiat ad veritatem, non autem ſufficiat ad falſitatem ejus. Vrgeo argumentum quia ſi in ſecundo aut tertio inſtanti poneretur ſeſſio, poneretur veritas propoſitionis, ergo ſi in eodem deponatur ſeſſio, deponetur veritas propoſitionis, quia privatio & habitus ſine dubio nata ſunt facere circa idem.

b) *Fr. [illegible] arec 3. p. to. 3. diſp. S. 4.*

8. Poteſt dicere Adverſarius, quod non ſequatur propoſitionem eſſe ſimul veram & falſam, quia non poteſt ſimul poni & non poni ſeſſio, adeoque nec ſimul veritas, & falſitas; ſed ſicut ſeſſio & non ſeſſio ſunt in diverſis inſtantibus, ita veritas & falſitas.

Sed contra hoc effugium ſic arguo, & probo, quod etiam pro eodem inſtanti adeſſet veritas & falſitas; ſupponamus enim veritatem ineſſe pro primo inſtanti, dico hanc ineſſe ſimul cum falſitate, quia veritas quæ ſemel afficit propoſitionem, ſemper ſequitur ipſam, atque adeo pro ſecundo inſtanti, & ita Adverſarij intelligunt, quia ſemel vera ſemper eſt talis, atqui in ſecundo inſtanti ineſt ei falſitas, ergo ſimul veritas & falſitas.

Deinde ſupponamus contradictorias propoſitiones proferri ſimul à duobus; ut ſi Sacerdote conſecrante, per iſta: hoc eſt corpus meum, alius ſimul diceret, hoc non eſt corpus meum, aut corpus Chriſti; certè Eccleſia judicaret hunc ſecundum eſſe hæreticum, & ad palinodiam, aut ad ſupplicium cogeret, ex

quo

Copul

quo unum è duobus ſequitur, quod quandoquidem, neque Eccleſia errare poſſit, neque eſſe hæ-[re]ſis poſſit ſine falſitate, ſequitur inquam quod [h]æ duæ propoſitiones aut appellent ſupra unum & idem inſtans, aut certè contradicere, ſibi poſſint propoſitiones, quæ non ſupponunt pro eodem inſtanti.

a) Salmant. 9. Aliquorum reſponſio fuit eiuſmodi propoſitiones a) non eſſe contradictorias, eò quod ad affirmativam quidem ſufficiat aliquod inſtans, ad negativam autem non item, ſed requirantur omnia inſtantia ut ſcilicet prædicatum non ineſſet, pro ullo inſtanti, quod quoniam falſum eſſet, ideo negativa falſa eſt, atque adeo contradictoriæ non eſſent ſimul veræ. b) diſp. 11. de Eucha. ſect. 6. Contra hos bene arguit nuper *Io. à Lugo* b) Cardi: in materiâ illius propoſitionis, hoc eſt corpus meum, quod ſcilicet ex hac reſponſione ſequatur, ſi quis Sacerdote dicente, hoc eſt corpus meum, diceret hoc non eſt ſubſtantia panis, quod inquam falſum diceret (quod tamen ipſum potius falſum eſt, quia quandocumque verum eſt adeſſe corpus Chriſti verum eſt abeſſe panem] ſequela probatur, quia ad veritatem ejus requiritur, ut pro toto tempore, quo durat propoſitio abſit ſubſtantia panis, & tamen non abeſt: Quod ego recte illatum dicerem niſi reſpõdere poſſent Adverſarij propoſitionem illam negativam fore in rigoribus Logicis falſam, non tamen Theologice, aut in ſenſu Eccleſiæ, nam neque ipſa affirmativa habet eiuſmodi veritatem, nec habere debet ut ſupra, ergo. Puto tamen Salmanticenſes, ſupra non reſpondiſſe Logice; aut ſi ſic falſum dixiſſe. Cauſa, quia ad veritatem propoſitionis negativæ non requiritur totum tempus negari; quod ſic ſuadeo: Ad veritatem negativæ, ſiue ad contradicendum affirmativæ non eſt neceſſe, ut negatio afficiat omnes partes propoſitionis, ſed unam, ergo nec opus eſt, ut afficiat totum tempus ꝓpoſitionis, ſed aliquod; probatur cõſequẽtia, quia contradictoria non ſolum negat tempus affirmatum per alteram contradictoriam, ſed multo magis ipſam rem. Antecedens probatur, nam ut faciam contradictoriam huic: paries eſt albus; non eſt opus ut dicam paries non eſt non albus, & multo minus ut dicam non paries non eſt non albus, addendo negationes ſubjecto & prædicato, ſed ſufficit ut addam ſoli verbo.

Ex quo ni fallor accedit nova & appropriata probatio concluſioni. Quia ad contradicendum propoſitioni affirmativæ ſufficit addere negationem verbo, ergo ſignum eſt ꝙ affirmativa potuit ſignificatum ſuum pro inſtanti verbi, & non alio, ſed contra hoc.

Objicit ſubtiliter ipſe Scotus, ſi enim propoſitio facit ſenſum pro inſtanti verbi, ſequitur hanc eſſe impoſſibilem. Deus ſemper eſt, & hanc falſam, curro quando curro, licet ſedeam. Prima conſequentia probatur, quia impoſſibile eſt ut tota illa propoſitio: Deus ſemper exiſtit verificetur pro inſtanti uno copulæ, hoc enim eſſet deducere omnia inſtantia, & totum tempus, imo & totam æternitatem ad unum inſtans; ſiue ut Deus, aut alia res aliqua habeat mille annorum exiſtentiam in uno inſtanti. Secunda autem inde probatur quia tota illa propoſitio poteſt verificari ſine curſu poſito tempore quo proferatur copula. Reſpondeo tamen neutram ſequi. Primum enim eſt extra caſum Actionis ſeu controverſiæ, agimus enim de propoſitione, quæ verificanda ſit pro aliquo inſtanti propoſitionis, & quærimus quodnam illud ſit: at vero illa. Deus ſemper eſt: non eſt verificanda pro ullo inſtanti illius propoſitionis ob rationem poſitam in argumento. Idem eſt de ſecundo caſu, nam neque curſus ille debet poni pro ullo inſtanti illius propoſitionis. Itaque doctrina tradita intelligenda eſt modo jam dicto, & ita debere eſſe patet, quia alioquin nulla propoſitio de futuro eſſet vera quà talis, quum enim poneret ſignificatum ſuum pro inſtanti prolatæ copulæ eſſet vera de præſenti, adeoque falſa de futuro. Et tamen hoc non obſtante ſenſus cuiuſcunque referendus eſt ad inſtans præſens, quo profertur ipſa propoſitio, quod advertendum eſt, & ſic oſtendo, quia licet ſit de præterito aut futuro, ipſum præteritum & futurum menſurandum eſt per præſens: nam dicens Antichriſtus erit, Salomon fuit, &c. dicit quod Antichriſtus habebit eſſe in aliquâ duratione conſequente durationem, aut tempus in quo loquitur, & quod ſimiliter Salomon habuit exiſtentiam tempore aliquo quod præceſſit illud in quo ipſe profert illam enunciationem.

ACTIO. III.

Vtrum propoſitio poſſit de falſa in veram mutari, aut è contra?

Breuiarium.

Num. 1. Reſolutio negativa probata.

2. & 3. Novæ probationes eiuſdem.

4. Objectio, an propoſitio poſſit continuari?

5. Alia objectio. Verbum an affixum tempori?

6. Tertia. An propoſitiones verificentur pro omnibus inſtantibus temporis ſignificati?

7. Enunciationes ſcriptas non eſſe alligatas tempori?

1. DVas difficultates includit titulus; vnam, an propoſitio poſſit deponere veritatem quam habet, alteram, an potuerit hanc ipſam non habuiſſe à principio. Et in utraque ſunt pugnantes opiniones Authorum; quoad primum.

Dico primo non poſſe propoſitionem de verâ in falſam mutari, ut, quæ aliquando fuit vera reddatur falſa. Hæc ſequitur ex dictis & inde probatur, quia propoſitio de præterito eſt immobilis & quomodo ſemel iacet, ſic ſemper manet, nec oppoſitum ſubeſt ullius potentiæ, adeoque concluſio ex hac parte eſt certiſſima. Quoad futurum ſufficit probare præſens, quia ſequitur ipſum, nam quo modo aliquid in re eſt ſeu exiſtit, ſic antecedenter fuit futurum.

Probo ergo de præſenti & præterito ſic. Enunciatio omnis non ſolum affirmat prædicatum

de ſubjecto; ſed affirmat tempus, quia enunciatio exercetur per verbũ quod eſſentialiter ſignificat tempus, tum ſic; aut prædicatum ineſt ſubjecto illo tempore aut non; ſi ſic, propoſitio eſt vera, & ita tunc non poteſt eſſe falſa; neque poſteà, quia poſtea ſemper eſt de præterito, quod diximus eſſe immobile, ergo. Et planè idem eſt de futuro, quia propoſitio de futuro ſignificat idem ꝙ præſens, immò etiã illa de præterito, quia nimirũ omnes ſignificãt unionẽ prædicati cum ſubjecto pro eodem inſtanti & differentia in eo tantum eſt quod inſtans illud nondum acceſſit ad eum qui affirmat conjunctionem rerum de futuro, acceſſit autem reſpectu ejus qui loquitur de præſenti. Et denique reſpectu ejus qui profert propoſitionem de præterito quod totum explicari poteſt exemplo, plurium qui in recta linea diſpoſiti vident idem objectum diverſimode applicatum. v. g. ſint tres hac parte flùminis, & in alterà ripâ ſit turris quæ directè & ex diametro reſpondet illi qui eſt medius trium, alijs autem non, ſed ab illis videtur per angulos obliquos: ultimus horum verè dicit turrim eſſe citrà ipſum, primus vere dicit eam eſſe ultra ipſum, medius autem dicet & verè dicit turrim eſſe contrà ipſum, omnes diverſis terminis utuntur, & tamen ſignificant eundem ſitum turris, quod ita verum eſt, ut ſi moveatur inde turris omnes illæ affirmationes ſimul reddentur falſæ, nec poteſt una falſificari, & altera vera relinqui; ita ſimiliter hic ut vides, propter quod ſufficit probare concluſionem de unâ propoſitione, ſiue de illâ quæ affirmat pro unâ differentiâ temporis ut probetur de omnibus.

2. Proſequor tamen argumentum ſic: Idem verbum non poteſt ſignificare plures differentias temporis v. g. plura inſtantia ſuccedentia ſibi inuicem: ergo eadem propoſitio non poteſt de verâ in falſam mutari. Antecedens eſt principium & fundamentum in hac materia; hæc enim eſt differentia inter nomen & verbum, quæ ſunt ipſa elementa orationis Logicæ, quod nomen ſimiliter ſignificet in omni tempore v. g. ſcriptio idem toto anno ſignificat cum tamen annus habeat tempus præſens, præteritum, & futurum. At vero ſcribo non item, ſed ſignificat pro determinatâ differentiâ temporis ex quo probo facile conſequentiam, nam enunciatio *ego ſcribo*, ſiue, *ego amo*, (ut accipiamus, actionem inſtantaneam) non poteſt falſificari in inſtanti quo profertur, nec in alio, ergo in nullo. Non in illo quo profertur quia tunc habet veritatem, vnde fieret ut haberet veritatem & falſitatem ſimul, quod repugnat, cum ſit verificatio contradictionis, & præterea non ſufficit Adverſario, quia etiamſi haberet ſimul falſitatem, tamen non mutaretur de vera in falſam, quandoquidem non deſineret eſſe vera Sed nec falſificari poſſit in alio inſtanti, quia pro illo inſtanti nihil affirmat, & ita non poteſt falſificari in eo, ſicut nec poteſt mentiri is qui nihil dicit, ergo.

3. Ex dictis etiam num. 1. poſſumus ſic de novo arguere pro concluſione: propoſitio de præſenti & futuro, ſignificant idem prorſus quod illa de præterito, ſed illa de præterito eſt immobilis & infalſificabilis abſolutè, ergo & illæ de præſenti & futuro.

Probo ergo tertio Theologicè concluſionem: ſi enim propoſitio poteſt de vera in falſam mutari, ſequitur multas propoſitiones quæ in ſcripturâ habentur & conſequenter de fide ſunt, jam eſſe falſas, quod nemo dicet, ſed probo ſequi ex oppoſitâ doctrinâ Adu: Hæc enim *Virgo concipiet, & pariet filium*, mutata eſt de vera in falſam, quia nimirum objectum eius mutatum eſt, objectum ejus fuit virgo paritura, jam deinceps nulla virgo eſt paritura, ergo jam objectum ejus, atque adeo ipſa, mutata èſt in falſam. Et cur quæſo Petro currente hæc eſt vera *Petrus currit*, non currente autem falſa, & hæc: virgo concipit, non erit vera, quamdiu virgo eſt conceptura, quando autem non amplius eſt conceptura, falſa? & tamen illud decurſu Petri eſt doctrina, fundamentum, & ſolemnis inſtantia aduerſariorum, [a] ut jam videbimus in objectionibus ex quarum ſolutione amplius confirmabitur & declarabitur concluſio.

a) D. Th. 1. p. q. 19. art. 15. Durand. 1 d. 41. q. 1 Caiet. 1. 2. q. 19.

4. Objiciunt enim iſtam: Petrus currit; quæ vera eſt Petro currente, falſa quum non currit; ergo una mutatur de verâ in falſam, ſupponamus enim quod protrahatur prolatio propoſitionis illius tam diu, ut interim poſſit Petrus currere & quieſcere, nam ſi id fecerit Petrus, propoſitio illa noſtra falſificabitur, imo etſi non fecerit, quia poteſt facere, & ita poteſt propoſitio de vera in falſam mutari; quæ etiam fuit doctrina *Ariſtot.* in Logic. (*cap. de ſubſtantia.*) & primo Perih. [b] ac denique nono Metaph. Vbi eum D. N. in hunc ſenſum apertè interpretatur. Reſpondeo: ad auctoritates has videndi noſter Theod. Smiſing (c) Averſa hic d) Hurtadus. e) Sanè autẽ ex primo loco ipſius non multum præſumere debent Adverſarji, non enim abſolutè definit rem ut ipſi, ſed dubitat, *niſi forte quiſppiam inſtaret dicens orationem, opinionemque contrariorum eſſe ſuſceptivas*, quo modo alibi exponi poteſt, quum optimus interpres ſui ſit ipſe. Cæterum ad omnia ſufficit ſcire Ariſtotelem de veritate propoſitionum non valde verè ſenſiſſe ut apparebit actione 5. Sequenti, adeoque non debere nos eſſe adeo ſollicitos ut ab ipſo ſtemus.

b) cap. [illegible]

c) Tr. 3 de Deo diſp. 1 q. 2. q. 24 d) Sect. 7. e) diſp. 9. de An. ſ. 4

Ad rationem autem nego ſuppoſitum ejus, ſcilicet eandem orationem eſſe Petro currente, & quieto, quia nimirum aliud eſt tempus quo currit, & aliud quo quieſcit; orationes autem variantur cum tempore vt vidimus, & hic amplius indè oſtendo, quia variatum eſt verbum, quod probo: verbum curro differt eſſentialiter à verbo ſcribo, & facit propoſitionem eſſentialiter diverſam, ergo & verbum currit à verbo cucurrit; probo conſequentiam, quia verbum in ſuo ſignificato ſicut rem geſtam, ita tempus rei gerendæ importat, ex quo infero quod non poſſit unum ad duo tempora, uel etiam duo inſtantia extendi, quia duo etiam inſtantia ſufficiunt ad verificanda currit, cucurrit.

Nec rectè dicitur quod reſpondet quidam [e] propoſitionem illam nominatam ſeu prolatã in ſecundo inſtanti affirmare curſum pro primo, nã licet poſſit aliqua ꝓpoſitio hoc facere tunc tamẽ nõ poteſt hoc facere tunc & ſimul eſſe de præſenti, jam enim illud *tunc*, præteriuit, ſed contra hoc.

e) Frãc. Oviedo cõtr. 7. de An. P. & S. 2.

Objiciunt ſecundò, ſaltem quando quis continuaret per horam hoc iudicium, Petrus currit, non determinando aliquod tempus, ſed confusè intelligendo in toto illo tempore; ſi in principio horæ Petrus curreret, & in fine non,

tum

tum propoſitio in principio eſſet vera, & in fine falſa, ergo. Poſſibile eſt autem Petrum ſic facere, ergo & propoſitionem falſificari. Reſpondeo mirum eſt hoc argumentum vrgeri poſt ſolutum præcedens, jam enim dixi, non poſſe haberi hoc iudicium de præſenti: Petrus currit; niſi determinando tempus præſens, & quæſo quomodo haberetur? Itaque implicat apertam contradictionem horum hominum inventum: ſed demus ipſum valere, adhuc dico propoſitionem non mutari, quia vel affirmauit curſum Petri pro tota hora, vel pro aliquando intra horam; ſi primum, tum in caſu poſito propoſitio eſt falſa ſemper; ſi ſecundum, ſemper vera. Sed inſtant aliqui ex noſtris contra ſolutionem in primo ſenſu; ex hoc enim ſequeretur propoſitionem conformem objecto eſſe falſam, quod eſt falſiſſimum; ſed patet ſequi hinc, quia illa propoſitio in principio horæ eſt conformis objecto, ſupponimus enim Petrum currere tunc. Reſpondeo non eſſe conformem, ne tunc quidem, cauſa, quia ut eſſet, deberet Petrus totâ horâ currere.

Dices tamen, id non requiri; nam licet affirmet curſum totius horæ, ille curſus non poteſt totus tunc eſſe, ſed pars tantum eius; ergo jam ad conformitatem in principio non ſequiritur, niſi curſus in principio. Reſpondeo requiri, quia illa affirmat objectum non ſolum pro principio & præſenti, ſed pro fine & futuro. Itaque quod Adu: volunt eſt ut hæc. Petrus currit, idem ſit & ſignificet quod iſta Petri curſus; volunt enim verbum abſolvi à tempore, quod nomini proprium eſt, in verbo portentum. Formabo tamen ipſe. argumentum pro hoc perſuadendo, infra numer. interim ad idem ſic.

5. Objicio 3. Tota ratio hujus repugnantiæ refunditur à nobis in verbum; atqui verbum non eſt ita affixum uni tempori, quo minus poſſit ad plura extendi quod oſtendo in his: Totum eſt majus ſui parte; homo eſt animal rationale; hæ enim & ſimiles non ſunt alligata tempori in quo proferuntur & ipſum verbum *eſt* licet ſit de præſenti, tamen non ſignificat præciſè inſtans in quo profertur, alias tranſirent in præteritum eiuſmodi propoſitiones, ita ut poſſet dici quod fuerunt veræ, & iterum quod erunt veræ, quæ ſunt ſaltem impropriæ loquutiones, ſi non falſæ; & horum omnium ratio eſt, quia eiuſmodi propoſitiones ſunt æternæ veritatis, at vero in æternitate non dantur differentiæ temporis, ergo. Dici poſſet, in æternitate non dari differentias temporis, plures ſcilicet, dari tamen unam, quæ eſt præſens & ſufficit ad propoſitum. Reſpondeo, & concedo dari præſens in æternitate, at non præſens quod ſit ad propoſitum, ſcilicet præſens quod contradiſtinguitur à præterito & futuro. Dices ergo jam in aliquibus propoſitionibus verbum de præſenti abſolvitur à præſenti, quod ſi concedatur redit argumentum ſupra factum num. 4. & illa *Petrus currit*, poteſt continuari per horam ſine eo quod determinetur ad partem vltimæ horæ, &c. vt ſupra. Reſpondeo concedo argumentum hoc ſed nego redire præcedens, ſiue nego conſequentiam. Dico ergo poſſe verbum abſolvi à tempore, at non in propoſitionibus ſignificantibus tempus ſed ſolum in ſignificantibus illo modo æternitatem, quales ſunt iſtæ quas vocamus æternæ veritatis. Talis autem non eſt iſta: *Petrus currit*; & multo minus iſta: *Petrus currit per horam*, ut vides, ergo, ſed contra.

6. Objicio adhuc quarto, hæc ipſa: *Petrus currit*, quam diu durat, & Petrus currit eſt vera toto illo tempore, hinc autem, ſequitur quod aliquando ſit falſa, cum in inſtantibus ex quibus componitur illud tempus, ſicut non poteſt curſus eſſe, (cum ſit motus atque ita ens ſucceſſivum) ita nec veritas propoſitionis ſeu vera affirmatio curſus. Reſpondeo eſſe tunc motum & curſum, & ita veritatem propoſitionis quod ulterius oſtendere alterius loci eſt; ſufficit hic ſcire quod tam poteſt curſus eſſe tunc quam ipſum tempus in quo ſit, quod ſuppponimus eſſe continuum.

Quæres tamen cur propoſitio aut verbum de præſenti non poſſit ſignificare plura tempora ſi continuetur, ut ſicut plura inſtantia ſunt ſucceſſivè præſentia, ita propoſitio & verbum ſignificat illa ſucceſſive & ſenſus hujus *ego ſcribo* continuati per tria inſtantia in primo inſtanti ſit quod ſcribo in primo inſtanti, in ſecundo autem quod ſcribam in eodem ſecundo inſtanti, & in tertio ſimiliter quod ſcribam currente tertio inſtanti, ſed ut id dicamus, debet dici, quod propoſitio poſſit tranſire de vera in falſam, poſſum enim ſcribere in ſecundo inſtanti, & in tertio non.

7. Reſpondeo, propter hoc exiſtimo propoſitionem ſcriptam, & ſimilia alia ſigna quæ durant, ſecundum ſe præciſè ſumpta poſſe ſic extendi. Inſtantia eſt quando lex fertur, ut cum Pontifex Bullam cœnæ dictat, & dicit, excommunico tales & tales, tunc verbum eſt de præſenti, tamen non ſignificat, niſi pro alio præſenti in quo publicatur Bulla, at verò in propoſitionibus mentalibus non ita, quia ſunt primum in hac materiâ in quas ſit reſolutio cœterarum, & præterea ſunt ex ſe naturaliter ſignativæ, unde ſi poſſent extendi ad alia inſtantia indifferenter haberi deberet infinitá multiplicatio formarum vel formalitatum ut determinaretur ad unum præſens. Atque hinc dixi propoſitiones ſcriptas ſecundum ſe poſſe ſic extendi, non enim poſſunt ſic extendi quatenus ſubordinantur propoſitione mentali.

(·.·)

Digitized by Google

ACTIO IV.

Vtrum aliqua propoſitio ſit à principio indifferens ad veritatem.

Breviarium

Num.1. Reſolutio affirmativa probatur.

2. Alia probatio eiuſdem ubi de unione reali & intentionali.

3. Tertia ratio adductus Ariſt. ex 4. Met.

4. Objectio. Vtrum actus menſuretur objecto in ſcipſo an in ſpecie ſui?

5. Alia objectio. Veritas num identificetur actui?

1\. Certum eſt quod non omnes: nam propoſitiones quas vocāt æternæ veritatis neceſſario ſunt à principio veræ, nec potuerunt eſſe falſæ, & oppoſitæ neceſſariè ſunt falſæ, nec potuerunt fuiſſe veræ. Quæritur ergo de contingentibus qualis eſt iſta. Petrus currit, & ſimiles de quo expreſſa eſt doctrina noſtri Subtilis. 4. citato, vbi patenter innuit partem affirmativam. Poſtea tamen recentes aliqui negativam ſuſtinere cœperunt, contra quos.

Dico reſolutivè plurimas eſſe enunciationes quæ à principio fuerunt indifferentes ad veritatem & falſitatem. Probo, & accipio illam: Petrus currit: prolatam pro inſtanti *A*: in eo inſtanti potuit non fuiſſe hoc obiectum, ſcilicet Petrus currens, ergo potuit non fuiſſe veritas propoſitionis. Potuit etiam fuiſſe, ergo potuit propoſitio eſſe vera. Antecedens eſt evidens, quia libere, & ſaltem contingenter Petrus currit. conſequentiam probo, nam eo quod res eſt vel non eſt oratio dicitur vera vel falſa.

a) Harta. diſp. 9. de Anim. ſect. 3.

Negat aliquis (*a*) conſequentiam, & in ſummâ vult quod alius eſſet actus quo diceretur. Petrus currere, quando vere curreret, & alius quo diceretur currere quando verè non curreret, quia ſcilicet actus ille quo dicit Petrum currere habet eſſentialem dependentiam à curſu Petri quum habeat ipſam ab objecto; ſed contra hinc ſequitur ſtatim non poſſe dari actum falſum de Petri curſu; probo ſequelam, quia non actus negans curſum, ille primo fiet verus; non etiam affirmativus, quia ille non poteſt eſſe niſi ſit curſus Atq; ita ſequitur nullam dari falſitatem, errorem, aut mendacium in mundo quod optandum potius, quam credibile eſt; & quoniam manifeſtum eſt nos poſſe habere actus de rebus quæ non ſunt, ſequitur ſecundo nos poſſe dare rebus exiſtentiam per noſtros actus; nam ſi poſſumus dare eſſe actibus qui non poſſunt eſſe ſine obiectis, ſequitur nos dare eſſe objectis, hæc autem falſa & frivola ſunt. ergo.

2\. Probo ſecundo intentum, illa propoſitio eſt contingenter vera, ergo potuit ab initio fuiſſe falſa: probo conſequentiam; nam ut ſit contingenter vera debet poſſe eſſe non vera, atq; ita vel debet poſſe habere falſitatem poſt habitam veritatem, vel debet poſſe à principio habuiſſe falſitatem. Atqui non poteſt habitâ veritate ſuſcipere falſitatem ut probatum eſt ex actione præcedenti: reſtat ergo ut à principio quum vere dicta eſt potuerit falſo dici.

Reſpondet neſcio quis apud Maſt. propoſitionem illam & ſimiles eſſe contingentes, non quia ipſa in ſe poſſit eſſe vera vel falſa, ſed quia ſignificatum prædicati contingenter convenit ſubjecto. At enim hoc eſt aſſerere, & negare idem; ſi enim prædicatum realiter ſumptum contingenter conveniret ſubjecto, etiam intentionaliter ſumptum debet contingenter convenire ei, maxime ſecundum ipſum qui vult propoſitionem eſſe imaginē veram & repræſentantē rem ſicuti eſt; tunc enim non poteſt eſſe contingentia objecto niſi ſit etiā in enunciatione. Confirmo; ſi prædicatum abeſſet ſubjecto, & enunciaretur de eo, propoſitio non eſſet vera, ergo ut verè contingenter affirmetur de eo, debet contingenter ineſſe ei: & vrgeo argumentum ſic: Copula ſive unio inter ſubjectum & prædicatum eſt diſſolubilis in propoſitione objectivâ, ergo etiam in propoſitione formali, aliàs hæc copula non perfectè repræſentaret illam. Si autem eſt ſolubilis, tum oppoſitum poterit ineſſe ei; ſaltem hoc poterit abeſſe, tum autem eo ipſo propoſitio eſt contingens, ergo.

3\. Probo adhuc intentū arguendo contra ſolutionē datā: hæc: Petrus currit: eſt neceſſario vera poterit de ipsâ haberi ſcientia, non poteſt autem ut ſuppono, ergo. Sequela patet, omnis enim propoſitio neceſſaria eſt ſcibilis vel eſt principiū ſcientiæ. Quod autē non ſit neceſſitas aut contingētia ſolum ex parte objecti, patet inde, quia propoſitiones formales ſunt ſcientiæ ut diſtinguantur ab objectis, [non enim iſta ſunt, ſcientiæ, ſed ſcita) ergo ſunt certæ, neceſſariæ quæ ſunt conditiones ſcientiæ; & ulterius patet res à paritate; nā in moralibus, & in actibus voluntatis non ſolum objecta ſunt mala v.g. furtum, homicidium, & ſimilia, ſed actus circa hæc eliciti v.g. volitio furādi, occidendi, & cur quæſo actus voluntatis erunt formaliter mali & boni, actus autem intellectus non erunt veri certi, &c.

Deinde contra hanc novitatē eſt inſignis paſſus Ariſt. 4. Met. c. ult. vbi damnat imperitiæ manifeſtæ eos, *qui nihil prohibere inquiūt quominus ita ſint omnia, ut diametrum eſſe commenſurabilē* intellige lateri aut coſtæ quadrati, hoc eſt, omnia falſa æqualiter eſſe falſa, planè enim idē dicit quiſquam hanc ſententiā approbat ſecundū, ipſum enim impoſſibile eſt hāc: Petrus currit eſſe falſam, aut hāc Petrus non currit in noſtro caſu eſſe veram, atq; ita iſtæ. Petrus currit: Diameter eſt æqualis coſtæ, ſūt æqualiter falſæ: ſiue, illa non minus falſa eſt quam hæc cujus tamen falſitatē demonſtrat *Euclides* [*b*] penult. l. 1: & quiſq; ſibi ad oculū demōſtrare poteſt extrahendo diametrū ex quadrato, & applicādo ipſam parallelā coſtæ; apparebit enim exceſſus qui ſecūdum eundem Euclidē eſt indeterminabilis, ſeu non reducibilis ad certam proportionem eo quod nō ſit ſicut numeri ad numerum: ſed adhuc contrà.

b) l. 10. propoſ. 10

4\. Obji-

4. Objicies hæc: Petrus currit eſt imago naturalis objecti ita ut eſſentiale ſit ipſi repræſentare rem ſicuti eſt, ergo non poteſt ſe aliter habere quam habet. Reſpondeo hoc ſi quid valet probare quod non poſſit dari actus falſus de curſu Petri, ſive, quod hæc: Petrus currit quando eſt falſa repræſentat rem ſecuti eſt. Reſpondeo ſecundo deciſive in hoc decipi arguentem quod non diſtinxerit inter repræſentare rem ſicut eſt in ſe, & ſicut eſt in ſpecie, actus non pendet ab objecto in ſe, ſed ab ipſo in ſpecie relucente, adeoque objectum per accidens & impertinens eſt ad actum, & quomodocumque ſe habeat, actus erit idem quia non menſurat ipſam proxime ſed ſpeciem. Hæc dicta ſint de actu abſtractive repræſentante rem, nam actus intuitive repræſentans proxime conformatur ipſi objecto quia proxime cauſatur ab ipſo. Tertio dico aliud eſſe imaginem naturalem aliud imaginem veram, nam etiam ſigna naturalia aliquando ſunt falſa, ſic gemitus eſt ſignum naturale triſtitiæ, & tamen poteſt audiri gemitus, & videri fletus in eo qui non triſtatur

Probatur iterum hoc in eo qui apprehendit angelum per modum juvenis alati, nam actus ille eſt imago naturalis objecti ſui & tamen eſt falſa reſpectu angeli; & proprium exemplum eſt in vidente objectum apparens, ut colores in collo columbæ, Denique totum argumentum magis proprie currit de ſimplici apprehenſione quam de judicio.

5. Objicies, veritas eſt quid intrinſecum actui & identificatum ei, ergo impoſſibile eſt eam ſeparari ab eo etiam à principio. Antecedens oſtendi poteſt diſcurrendo per omnes actus, nam cognitio intuitiva, cognitio principiorum & ſcientifica ſe ipſis ſunt veri, non enim poſſunt eſſe falſi & idem eſt de cognitione contingenti nam cognitio fidei divinæ eſt contingēs & tamen eſt infallibilis ſicut alia, ergo. Iam abſolute dicendum eſt veritatem eſſe inſeparabilem ab omni cognitione. Reſpondeo iterum hoc argumento probari, quod non poſſit dari actus falſus. Reſpondeo etiam abſolute concedendo pro nūc totum quoad actus exemplificatos, illi enim non poſſunt ab initio habuiſſe falſitatem. At vero aliæ cognitiones naturales contingentium, quare non poſſunt v.g. illa quâ credo Petrum ad huc vivere & currere, opinio fides humana concluſio ſyllogiſtica male illata, cur non poſſunt falli. Cæterum de veritate & falſitate quomodo ſe habeant ad actū erit proprius locus per Dei gratiam tom 2. phyſico. Ubi videbimus quam verum ſit veritatem identificari actui. Certe autem difficulter poterit falſitas identificari ei, atque adeo hinc non habetur quin actus qui eſt falſus de facto potuerit non fuiſſe talis.

ACTIO V.

Vtrum propoſitio de futuro contingentì, jam habeat determinatam veritatem aut falſitatem?

Breviarium

Num 1. Status controverſiæ & mens Ariſtotelis.

2. *Suppoſitio diſjuncta ut differat à diſjunctiva mens Scoti:*
3. *Veritas rigoroſa non habetur in propoſitionibus de futuro*
4. *Objectio ſoluta. Exceptio à præcedenti regula.*
5. *Contra Ariſtotelem, non eſſe diſcrimen inter ullas enuntiationes de futuro.*
6. *Item, veritatem diſjuncti eſſe impertinentem*
7. { *Defenditur Ariſtoteles quoad indeterminationem veritatis ſimplicium*

8. {
9. 10. {
& 11.

12. *Probatio oſtenſiva hujus, quod ſcilicet non ſit determinata veritas in ullo futuro.*
13. *Alia probatio Theologica ejuſdem.*
14. *& 16. Probatio phyſica.*
15. *Quarta probatio: & currit de determinatione falſitatis.*
17. *An ſufficiat veritas de præſenti ad verificandam ſemper ante futuritionem.*
18. *An bene reſpondeatur his argumentis per diſtinctiones ſenſus compoſiti, ac diviſi. &c.*
19. *Immunitas hujus ſententiæ, à calumniis*
20. *Nova difficultas contra eam ſoluta.*
21. *Proceſſus M. Petri de Rivo Apoſtolica authori. &c. factus.*
22. *Breve Xyſti. IV. de veritate futurorum &c.*
23. *Perſtringit I. G. Camerarius*

1. P*ræmittuntur aliqua ſcitu neceſſaria ad reſolutionem controverſiæ.* Non eſt hic quæſtio de diſjuncto quâcumque ex parte ponatur ipſa diſjunctio. Sic enim certum eſt propoſitionem eſſe determinatæ affectionis non vero ſuſpenſam inter verum & falſum. Accipiamus enim exemplum hoc philoſophi. Bellum navale erit cras, dico hanc *Bellum navale erit vel non cras*, eſſe determinate veram hodie: ſed quæſtio proprie eſt de hac ſimplici, bellum navale erit cras an hodie ſit determinatæ veritatis aut determinatę falſitatis id eſt, utrum una ex his affectionibus magis competat ei quam alia, aut etiam ita ut alia non competat, ſed abſit ei (licet nos neſciamus quænam ſit illa, puta utrum ſit veritas an falſitas) an vero ſuſpenſa ſit inter utrumque ita ut neutra magis ei inſit quam alteri in ullo inſtanti antequam actu ponatur inexiſtentia.

Non poſſum tamen hic non notare quorumdam *a* notabilia: ſcilicet aliquis definit futurum *exiſtentiam rei inſtanti ſequenti connotando, carentiam ſui in inſtanti præſenti* & alius *b* grammaticus docet nos quod *qui dicit amabo nihil aliud ſignificat quam futurum eſſe tempus in quo amare inchoabo*; quod utrumque falſum eſt quoniam mea vita cras eſt futurum contingens, nec tamen (ſi vixero cras) vita mea craſtina connotabit carentiam ſui hodie, aut etiam inſtanti præcedenti, neque cras inchoabo eam, ſufficit ergo ad futurum quod habeat eſſe tempore ſequenti, illud in quo quis loquitur

a Pe: Hurt ad: diſp. 9. de An. Sect 6.

b Nebriſ: cap. 5. de Conjugat:

Digitized by Google

nòs concipimus, at nòn diſtinctè, & propterea nec vox *lapis* ſignificat ſubſtantiam diſtinctè ſed confuſe vel indeterminatè, voluit enim imponens ut ſignificaret eſſentiam lapidis quæcumque illa ſit, & ita facit, atque ita non ſequitur hinc nomen aliquod ſignificare rem aliter quam illa ab inſtituente nomen percipiatur, quia etiam imponens novit lapidem habere eſſentiam quæcumque illa ſit. Sed adhuc ſtat argumentum D. & ſoluit hanc replicam ut ſtatim infra oſtendam

2. Interim aliter ſuaderi poteſt concluſio inſtantiâ D. de vocibus & literis Hæbraicis, poteſt enim quis ignarus vocum Hæbraicorum velle ut characteres eius ſignificent ſuo ordine voces ejus א Aleph. primam vocem ב. Beth. ſecundam, &c. ſic de cæteris (quemadmodum elementa linguæ Græcæ ſignificât ſuo ordine numeros a unû. duo &c. licet ipſe nec primam nec ſecundam noverit, tamen factâ illa inſtitutione peritus linguæ incidens in primum characterem ſtatim cogitaret primam vocem Hebræam quam etiam intelligeret, & ſecundâ ſecundum, & ſic de cœteris; Familiarius exemplum eſt in duobus quorum unus novit ex lectione hiſtoriarum regionem aliquam puta Africam, alius autem reipſâ peragravit eam. Hi duo ſi concurrerent & colloquerentur de illâ provincia, certè quilegit tantum ſitum & vrbes illius, cum earum nomina proferr, alter audiens, melius intelligit ea nomina, quam loquens, hic enim habet ſpecies experimentales & propriores intuitus; alter non, ſed multo magis imperfectas & abſtractivas, atque adeo contingit loquentem ſeu utentem nominibus ſignificare res perfectius, quam ipſe eas percipit. In hoc diſcurſu non apparet quid reprahendi aut negari poſſit, vnde vel ſolus ſufficit concluſioni, ſed.

3. Probo adhuc tertio eandem argumento Biblico ſiue Theologico ex parte. Exodi 3. v. 14 conſtat nomen Dei *Qui eſt*; aut vt legitur in Hæbræa, *qui ero* eſſe nomen eſſentiale ei, hoc eſt ſignificans ipſam intimam naturam & eſſentiam Dei; hoc autem ſine dubio proferri poteſt (licet Hebræi abſtinuerint ſemper à prolatione eius ob religionem ſeu reverentiam) aliter enim non diceret Deus Moyſi *ſic dices filiis Iſrael, qui eſt*, vel ſecundum litteram, *qui ero miſit me*, ergo iam poteſt nomen diſtinctius rem importare, quam vtens eo intelligat rem.

Hoc tamen argumentum patitur replicas. In primis enim aſſumitur at non probatur illud, *qui eſt*, eſſe nomen eſſentiale, ſiue ſignificans ipſam eſſentiam Dei immediate. Deinde illud nomen qualecumque eſt, non eſt impoſitum à creaturâ, ſed à Deo ipſo ſibi, atque ita ex hoc non habetur poſſe imponi nomen diſtinctius ſignificativum rei quam ipſa intelligatur ab imponente nomen, ſine dubio enim Deus intellexit ſe tunc quam diſtinctiſſimè.

4. Primum horum expediendum eſt oſtendendo illud *qui eſt* non ſignificare aliquid infra ipſam eſſentiam Dei quod iam feci ſuo loco tract. de Deo, vbi ratione oſtendi *eſſe* ſiue exiſtere eſſe eſſentiale Deo; nunc extra locum proprium placet id authoritate probare ex eiuſdem Exod. 6. ubi Deus ad Moyſen *Ego Dominus qui apparui Abrabraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai* (in Hebræo eſt illud tetragrammaton *qui eſt*, (ut notavit noſter *Lyran*) *non indicavi eis*, ubi manifeſtè præfertur hoc nomen alijs, puta nomini Omnipotentis &c.; Tum ſic: ſed nomen Omnipotentis & ſimilia ſignificant attributa Dei, ergo hoc eſſentiam.

Nicol. de lyr. in Exod. 6.

Ad ſecundum fateor hoc eſſe impoſitum Deo à ſe; ſed fateri debet Adverſarius potuiſſe etiam à creatura excogitari, & imponi ipſi, quod de facto aliqui hominum fecerunt. Triſmegiſtus in *Pymand. Ego ſum Pymandras mens ejus qui ſemper eſt*, Euripides in drammate quod inſcribitur *Pirithus* ait *Te qui per te ortus es*. Deum alloquens, & in templi Delphici foribus, vncialibus litteris legebatur inſcriptum εἶ ſcilicet *Tu es* quo[ut notavit accuratè Plutarchus libello de hac inſcriptione] intrantes ſalutabant Deum, ſicut ille viciſſim ipſos illis monitis γνῶθι σαυτόν ſed & Poropius in *Harmathenâ lib.* 8. *fol. mihi* 177. Vult nomen Dei Iſis idem eſſe ac *eſt eſt*, licet id ab Etymologia linguæ Cymbricæ colligat, ſed ideo facit quia cenſet eam linguam eſſe originariam ſeu primam

Triſmegiſt.
Euripid.
Plutarch.
Poropius

5. Jam probo concluſionem à priori; Quia ſignificare non eſt idem ac docere aliquid, in quo videtur hâllucinatus Suarez; ſed eſt reducere ipſi in mentem rem aliquam, quod contingere poteſt etiam in re ante ſcita, & ideo poteſt dari ſignum reſpectu rei præcognitæ, non enim facit ſignum aliud quam excitare ſpecies rei in mente hominis, ex quo patet facillimè reſolutio poſita; ſine dubio enim contingere poteſt, ut ſpecies præhabitæ ab audiente, perfectiores ſint ſpeciebus, quas loquens de ijſdem objectis habet, ut cum diſcipulus repetit lectionem aut penſum ſuum magiſtro, hic ſine dubio melius intelligit quæ dicit diſcipulus, quam intelligit ſe diſcipulus qui loquitur, ergo. Et per hoc vides ſolutum quod ſupra num. 1. objectum eſt contra rationem D. nam non ſolum imponi poteſt à nobis nomen ſubſtantiæ, ut à nobis concipitur confuſè, & ſub illis verbis, quæcumque illa ſit, ſed etiam diſtinctè, quia etſi nobis non ſignificaret niſi confuſè, tamen alteri, ſive homini, ſive Angelo habenti ſpeciem ejus propriam ſignificaret diſtinctè, Iam audiamus alios.

6. Objiciunt, nomina ſunt ſigna conceptuum ex primo Perihér. 1.; Unde ſic argui poteſt: Idem eſt ſignificatum nominis ac conceptus, & in eo tantum differunt quod conceptus immediate & naturaliter repræſentat, nomen vero mediate & ad placitum. hinc autem ſequitur quod non poſſit unquam nomen repræſentare objectum perfectius quam conceptus, imò nec æque perfectè, quod inde colliges quia ſubſtitutum alteri nunquam excedit, immò non æquat originale agens, ſicut nec inſtrumentum principale agens, nec artificale æquat naturale, ergo. Reſpondet Vaſq. mentem Ariſtotelis eſſe quod nomina ſint ſigna conceptuum objectivorum non autem formalium; ſed hoc difficulter perſuadebit, quum expreſſe aſſerat Ariſt. quod *ſint earum quæ in animâ paſſionum notæ*; at vero non objecta aut conceptus objectivi, ſed formales ſunt in anima

Reſpondeo ergo ad hoc juxta dicta ſupra, nomina non eſſe ſigna primo et proprie conceptuũ, ſed primo & proprie rerum, ſunt quidem illa vicaria conceptuum ſeu ſubſtituta illis, ſed hinc ſequitur potius quod non ſint ſigna ipſorum, quia nec ipſi conceptus ſunt ſigna ſui ipſorum; Ad rationem contra hoc adductam in argumento patebit in ſolutione ſequentis, Hic interim concedò quod non perfectius repræſentet vox quam conceptus, ſed diſtinguendum eſt de eo cui ſit repræſen-

Digitized by Google

præſentatio, dico enim quod vox repræſentat perfectius audienti quam conceptus loquenti, quia nimirum audiens aliunde habere poteſt cognitionem objecti. At vero ſumendo vocem & conceptum reſpectu eiuſdem, conceptus perfectius repræſentat, Vnde ſi is qui loquitur voce loqueretur conceptu melius intelligeretur.

7. Objicit ſecundo ſuarez. Nomen illud quod ſignificat rem perfectius quam utens eo concipit ipſam, à quo habet illam vim perfectius ſignificandi? non ab imponente, quia hic non poteſt dare quod non habet, non aliunde, quia ſupponimus voces eſſe ſignificativas ex placito tantum, adeoque non habere vim ſignificandi niſi ab inſtituente. Confirmat, quia ſi imponens nomen nullo modo cognoviſſet rem, nullo modo potuiſſet illi nomen ſignificativum imponere, ergo nec poteſt nomen perfecte ſignificativum imponere ſi non cognovit eam perfecte: ita ille, propter quod ibidem aſſeveranter ait incredibile omnino eſſe quod nomen aliquod habeat magis expreſſivam ſignificationem quam fuerit cognitio illius à quo impoſitum eſt ſed non videtur advertiſſe aut quod nos dicimus, aut quod dicit ſignũ, nec enim nos volumus totam cognitionem à ſigno prævenire, ſed ſignificationem ſolum quæ in hujuſmodi ſignis rememorativis conſiſtit in excitatione ſpecierum. Cæterum ſicut ad omnem relationem prærequiruntur extrema, ita ad cognitionem relationis prærequiritur cognitio extremorum, atque ita non habetur à ſigno illa, ſed excitatio eius duntaxat. Unde videtur in eo hallucinatus, quod putaverit ſignum debere cognitionem generare, & quaſi docere homines ſuum ſignatum, quod non eſt verum, ex quo patet in formâ ad argumentum; Reſpondendum enim eſt quod nomen habet ab imponente ſignificare, id eſt excitare ſpeciem eius in audiẽte: at vero reddere cognoſcentem auditorem non habet à ſe ſolo, vel ab imponente, ſed ab ipſo ſimul & ſpecie objecti reſidente interim apud auditorem. ſed contra hæc ipſa

8. Objicies 3, Homo qui eſt imago Dei non perfectius repræſentat Deum ei, qui jam novit Deum, putà beato, quam viatori qui neſcit eum; & idem eſt de aliis operibus Dei quæ dicuntur veſtigia eius (quia ex illis deprehenditur Deus, & eius exiſtentia) adeoque impertinens eſt ad ſignum quid ſciat audiens de ſignato; Antecedens eſt omnino probabile, quia uterque adquirit tantum notitiam Dei à poſteriori, & abſtractivam, cum tamen contingere poſſit, ut unus eorum habeat notitiam intuitivã eius, ergo. Reſpondeo concedendo antecedens, negando vero conſequentiã, dico ergo eſſe latiſſimam diſparitatẽ, quia ex creaturis cognoſcitur Deus per diſcurſum, quod autem cognoſcitur ex ſignis non ita, ſed cognitio hæc pertinet ad primam operationem intellectus ut ſupra *d* notavi. Itaque non eſt mirum quod illa cognitio per diſcurſum ſemper ſit uniuſmodi, hæc per ſigna non, quia per illa adquirimus quodammodo ſpecies cognoſcendorum, hic non ſed utimur adquiſitis, quæ quia in uno poſſunt & ſolent eſſe magis perfectæ quam in alio, ideo &c.

d Cap. I. Act. I. n. 5.

ACTIO III.

Quid ſit Verbum.

Breviarium

Num. 1. *Correcta definitio verbi apud Ariſtotelem.*
2. *Quid ſit ſignificare cum tempore?*
3. *Quid eſſe notam eorum quæ de altero dicuntur?*
4. *Verba quo ſenſu nominã apud Ariſtotelem?*

1. RESPONDEO ad quid eſt verbi; quæ ſupra dixi de quid nominis reſpective; hoc eſt, quoad particulas quæ in verbi definitione iterantur. fere enim utrobique eædẽ redeunt quamvis Ariſt. non reperiverit eas ſed ſuppoſuerit. Breviter ex ipſo hic cap. 3, per totum colligitur ab interpretibus hæc definitio verbi; quod ſcilicet ſit *vox ſignificativa ad placitum eorum quæ de altero dicuntur nota, finita & recta.* quod ultimum non videtur æquè rationabile hic atque in definitionẽ nominis poſitum, nam rectitudo verbi apud Ariſt. eſt quod ſit indicativi modi & temporis præſentis, quod non puto neceſſarium. cur excluderentur ſupra caſus obliqui nominis ratio fuit, quia non ſufficiunt cum verbo conſtituere propoſitionem v. g. *Petri eſt* non enunciat quidquam, ſed bene: Petrus eſt; at vero verba præteriti temporis & futuri faciunt ſplendidas enunciationes, ut illæ: fuit homo miſſus à Deo, erit dies judicii &c. Itaque hæc particula, ultra alias illas in definitione nominis, potuit expungi, & debuit ex hoc capite, non vero exinde quia quædam verba non habent præſens ut odi, cæpi, quo argumento impugnat hanc partem Hurtad, ſed niſallor errat, odi enim & ſimilia licet ſonent præteritum, tamen ſignificant etiam præſens quod leges apud Ovidium *a* Vbi Dido

Non tamen Æneam quamvis male cogitet odi.

Quo loco ly *cogitet* facit ut referamus neceſſariò odiũ ad præſens, alioquin ſtulte attuliſſet cauſam de præſenti, & illud Pſal. 76. *nunc cæpi* nonne manifeſte eſt præſentis, ſed de his hactenus.

a epiſt. 7. ver. 17.

2. Supereſt ergo explicare differentiam verbi à nomine quæ conſiſtit in duabus illis particulis *cum tempore* ſive (ut habet textus) *conſignificans tempus & eorum quæ de altero dicuntur nota.* ſenſus primæ eſt quod verbum ſignificet aliquid fieri vel eſſe in aliqua determinata differentia temporis ut ſcribo, non ſolum ſignificat ſcriptionem ſed & eam in hac parte temporis præſenti & labenti exerceri, quod non facit nomen ſcriptio. ſunt quidem aliqua nomina, quæ ultra rem ſignificatam connotant etiam tempus, ut prandium ſignificat comeſtionem & præterea connotat meridiem at non ſignificat cum tempore ſive non conſignificat tempus modo verbi, quia non ſignificat actionem aut quaſi actionem quæ correſpondeat tempori, eò quod exerceatur in ipſo, & tranſeat cum eo. Vides ergo differre tria hæc ſignificare, & connotare, quæ conveniunt etiam nomini, atque illud ſignificare cum tempore, quod appropriatur verbo.

Dices, etiam participia ſignificare hoc modo cum tempore, ut patet in his, amãs, amaturus &c.

Digitized by Google

Reſpondeo primo, etſi ſignificarent, ſtare definitionem, quia excluduntur per particulam ſequentem *eorum quæ de altero dicuntur nota*. ſive intelligatur modo noſtro, ſive illo aliorum, quia participia neque ſe ſolis prædicari poſſunt neque extrema unire. Reſpondeo ſecundo quod non, quia non ſignificant tempus determinatũ, poſſunt enim coniungi cum quolibet, ut dicendo Petrus eſt amãs, fuit amans, erit. Reſpondeo denique concedendo antecedens utcumque, & negando ſequelam; quia participium non eſt omnino aliud à verbo, ſed partem eius capit unde nomen accepit,

3. Difficilior eſt alterius particulæ ſenſus de quâ proinde videas altercantes interpretes. Breviter cenſeo poſſe eam commode ſic intelligi ut ſenſus ſit, quod verbum ſit nota eorum quæ de altero dicuntur, id eſt quod fungatur vice copulæ in propoſitione, quod verum eſt ſemper, quia ſi propoſitio ſit ſecundi adiacentis, ut hic, Petrus currit; in ly *currit* eſt copula, eſt enim idem ac *eſt currens* quod faceret propoſitionem tertij adiacentis ubi expreſſe verbum *eſt* copula eſt, adeoque &c. quam explicationem falſo quidam ſociorum attribuit ſuo Toleto, quum expreſſe iſte dicat ſenſum eſſe, quod verbum ſemper ingrediatur prædicatum propoſitionis, ſive in parte ſive in toto.

4. Denique illud etiam difficile eſt cur his nõn obſtantibus Ariſtoteles dixerit *Verba ſecundum ſe dicta, nomina eſſe* de quo etiam ſuccincte meum ſenſum dicam relictis illis aliorum Ad hoc autem ſciendum quod verbum tria dicit rem verbi, tempus, & copulam: v.g. *curro* dicit curſum, dicit cum nunc, & à me exerceri, quæ ſignificant tempus, & præterea copulam eius ad perſonam. Iam verò verbum poteſt ſpoliari aliquot horum ſignificatis; fieri enim poteſt ne ſignificet aut tempus, aut perſonam, ſed ſolum rem verbi quod etiam importatur per nomen. Vnde reſpondeo ad quæſitum, propoſitionem Ariſtotelis veram eſſe ſed indefinitam, & procedere de verbis infinitivi modi qualia ſunt currere, amare &c. hæc enim vere inſtar nominum ſunt Logicè & proinde (ut notavit acute Boet. in utraque editione huius] apponitur illis in Græco articulus non minus quam nomini dicimus enim [illegible] & eſt idem quod Itali loquuntur il *andare*, dal *andare* &c. non minus quam il corſo, il andamento, Dixi autem hæc eſſe nomina Logica quia nimirum hoc modo abſolvũtur, ab eo quod eſt proprium verbo, ſcilicet à tempore & copula, & relinquuntur cum eo ſolo quod habet nomen, hæc circa textum Ariſt. Iam ad Doctorem explicandum ac defendendum ſit

ACTIO. IV.

Vtrum verbum *eſt* in enunciationibus maneat infinitum?

Breviarium

Num. 1. *Verbum Logicum nec in propoſitione, nec extra infinitari poteſt. Ratio.*
2. *Evaſio quorundam refutata.*
3. *Inſtauratur ratio concluſionis.*
4. *Nova probatio concluſionis*
5. *Objectiones aliquot ſolutæ ex numero ſequenti.*
6. *Alia objectio. Scotus expoſitus poſſe verbum aliqua tenus infinitari*

1. RESPONDEO negative; & addo ſiſtendo in rigore Logico non dari nec poſſe eſſe verbum infinitum. Alterum hoc non poteſt oſtendi niſi probato priori à quo incipiendo, præmitto ſenſum quæſiti eſſe, Vtrum hæc propoſitio *Petrus non currit* poſſit facere hunc ſenſum Petrus eſt non currens, an vero debeat facere hunc: Petrus non eſt currens. Recentiores aliqui ſupponunt quod ly, *non currit* & ſimilia extra propoſitionem poſſit facere ſenſum illum infinitatum ſeu affirmativum, contra quod poſui ſecundam partem reſolutionis, & in ipſa propoſitione putant eſſe verius, contra quos eſt
a Boët. 2. Alber. hic & lib. 2. cap. 1. prima, quam docuerunt antiqui a ut videas apud eoſdem Recentes.

Probo reſolutionem principalem, quia hæc *Petrus non currit* eſt manifeſtè propoſitio negativa ergo verbum non eſt infinitatum, nam ſi eſſet, propoſitio foret affirmativa ut volunt ipſi Advers. Antecedens hujus puto ex terminis apertum, nam ſi illa non eſt negativa, quæ erit quomodo redditur propoſitio negativa niſi præmittendo negationem verbo? aut denique quomodo negabitur verbum, niſi addendo & præmittendo ei negationem ut hic factum.

2. Dicunt propoſitionem eſſe negativam, ſi negatio illa afficiat rem verbi & ſimul rationem copulæ quæ in ipſo eſt at vero ſi afficiat ſolam rem verbi, non fore talem, & quia poteſt ita accipi, proterea merito dici quod verbum ſit infinitatum, & propoſitio affirmativa, hactenus illi: ſed ego oſtẽdo non poſſe ita accipi. Ratio quia illa eſt natura negationis ut perdat ac deſtruat totũ quod poſt ſe invenit propter quod dicitur eſſe malignantis naturæ At vero nõ ſolum res verbi ſed ratio copulæ poſt eſt in illa & ſimilibus propoſitionibus, quia nimirũ omnia hæc in verbo ſunt, nec aliter ponũtur in propoſitione ut vides, & ſane valde arbitrarium eſt ulli, quod ex duobus quæ afficiuntur ſimul una, & eadem negatione, velit unum negationi ſubducere, alterum reputare negatum. Cur enim illud ſic, & hoc non? Confirmo intentum: hæc propoſitio *nullus homo currit*, non poteſt facere ſenſum affirmativum, ergo nec illa *Petrus* ſive *hic homo non currit*, cur enim illa & non hæc. Cur negatio illa in ſyncategoremate *nullus* totum delet quod poſt ſi invenit, & negatio *non* id non faciet. Cur univerſalis negativa non poteſt reddere ſenſum affirmativum particularis autem poteſt.

3. Inſto, ſi ſemel demus locum hujuſmodi præciſionibus, eo devenimus, ne detur in rerum natura propoſitio ulla negativa, hoc autem eſt intolerabile, & tamen oſtendo ſequi ex hac doctrinâ Adverſariorum; ſit enim negativa iſta Petrus non currit potero dicere quod ibi non negetur de Petro curſus ſed affirmatur eius negatio, & hoc volunt Adverſarij. Addo ego in hac uni-

ver-

Digitized by Google

verſali : Nihil eſt factum ab æterno, poteſt eſſe ſenſus affirmativus, ut id quod ſignificatur per nihil fuerit abæterno, cur enim non, ſi hæc, aliquid non fuit ab æterno, poteſt reddere ſenſum infinitum aut affirmativum, & ita habemus univerſalem ac particularem negativam non eſſe certo negativas ſed vel tales, vel æque bene affirmativas Videnda apud D. alia ratio hujus ab inconvenienti ducta, illâ q. 1. n. 2.

4. Probo ego oppoſitum contra Ariſtotelem dici, docet enim Ariſtoteles illo cap. 3. Verbum infinitum æqualiter dici de eo quod eſt, & de eo quod non eſt; atqui illud verbum cum negatione præfixâ ſic, ut reddat ſenſum affirmativum, non poteſt dici de eo quod non eſt, v.g hæc non currit, ſumptum infinite quatenus idem eſt atque, eſt non currens; ad hoc enim ut verificetur Petrus eſt non currens debet eſſe Petrus, nam ſi non eſt, neque taliter eſt; &, ut loquamur logice, debet haberi conſtantia ſubjecti, quod coguntur ipſi Adverſarij admittere ſi volent Canones Logicos obſervare, ergo. ex quibus patet utraque pars concluſionis, nam allata argumenta probant non poſſe infinitari verbum in enunciatione, at vero quidquid obſtat infinitati eius in propoſitione, obſtat etiam extra ipſam ut bene advertit Hurtado hic & patet cuilibet applicanti argumenta hic adducta, ergo. Vnde habes antecedenter ſolutum hoc quod pro ſe illi.

5. Objiciunt, Verbum extra propoſitionem infinitatur, ergo & in propoſitione manet infinitum, & non negatur; non enim eſt ratio cur ibi non hic, ſive cur ſubjecti additio mutet naturam verbi. Antecedens autem (ajunt illi) fatentur omnes. Reſpondeo nos ſumus ex omnibus, & tamen id negamus: Cæterum fortaſſis conſequentia eſt optima, ſed non prodeſt niſi probato antecedenti quod nondum vidimus factum; ſed & infra oſtendam etiam dato antecedenti conſequentiam negandam.

Objiciunt auctoritatem Ariſtotelis, qui meminit verbi infiniti, tanquam contenti ſub verbo ut ſic. Reſpondeo Ariſtotelis mentem de hoc verbo oſtendi num.... Ex quo ſequitur ꝙ non poſſit ſtare ab Adverſario ſi ſibi conſtet. Amplius etiam ad examen auctoritatis adductæ adduco ipſum, ait enim ſecundum translationem quâ vtuntur Conymb. *Non valet autem, & non ægrotat, non dico verbum eſſe* An. Ariſt, dicit infinita hac eſſe verba? Secundum tranſlationem Boëtij ait, *non verbũ dico*

6. Objiciunt tamen factum Ariſt. Nam 1. Poſt. cap. 10, utitur ipſe verbo Infinito, facit enim hunc ſyllogiſmum. Omne aſtrum quod non ſcintellat eſt prope nos; planetæ non ſcintillant ergo planetæ ſunt prope nos; ubi, non ſcintillat, ut ſyllogiſmus valeat, debeat infinitive ſive affirmative accipi adeoque &c. Reſpondeo nego hanc minorem, poteſt enim accipi negative & ſyllogiſmus valere ſimilis illi Chriſti D. Matth. 12. Qui non eſt mecum contra me eſt, vos Iudæi non eſtis mecũ, ergo contra, qui ſyllogiſmus in prima figura eſt, & poteſt reponi ſive in primo ſive in tertio modo eius & quoniam tota hæc machina apud Adverſarios nititur authoritati Ariſtotelis, maximè autem in hoc loco oſtendo eum non favere illis hic idque ex ipſo ibidem tex 30. ſecũdum alios 94. ait enim *Amplius in quibus medium extra ponitur etenim in his ipſius quod & non ipſius propter quod eſt demonſtratio; non enim dicitur cauſa ut propter quod non reſpirat paries quoniam non animal. ſi enim hoc non reſpirandi cauſa eſt, oportet animal eſſe cauſam reſpirandi, ut ſi negatio cauſa eſt ipſius non eſſe, affirmatio cauſa eſt ipſius eſſe.* Ubi vides ly non reſpirare ſumi ab ipſo negative; non infinite, atque adeo etiam illud non ſcintillare ſequuntur enim ſe proxime & ad idem probandum adducuntur.

Denique videtur obijci poſſe nobis Scotus ut apparet in themate. Reſpondeo, occaſione hujus explicabo etiam Ariſtotelem circa verbum infinitum, & dico quod ſi intelligeretur negatio referri ad rem verbi, tum fore infinitum quod certiſſimum eſt, tum enim ſenſus propoſitionis illius foret quod Petrus v.g. eſſet non currens. Ad enim verba ſic poſita non reddunt illum ſenſum; ex quo ſequitur propoſitionem mentalem tunc fore veram, vocalem falſam.

Sed quia Ariſt. & Scotus videntur ſupponere hujuſmodi verba infinita, poſſumus ea concedere juxtà dicta ſupra, & erunt verba infiniti modi v.g. currere; moveri quæ non eſt mirum infinitari poſſe, quia ut vidimus ex Ariſt. ſunt nomina. Stat ergo non dari logicum verbum infinitum quę fuit concluſio, quia quod logicum eſt non infinitatur ſcilicet verbum indicativum; quod infinitatur Logicum non eſt, ſcilicet verbum infinitivum, & abſolutum à tempore ac perſonis, ut, currere &c. Vnde, præter alia, patet conſequentia prima objectionis neganda, quia ſcilicet verbum extra propoſitionem, ſolam rem verbi importat adeoque poteſt infinitari. In propoſitione importat alia quæ neceſſario reddunt propoſitionem negativã, nec poſſunt ſtare cum infinitate

ACTIO. V.

An verbum ſit aliquid prædicati in propoſitione?

Breviarium

Num. 1. *Expoſitus titulus; expenſa quorumdam expoſitio*
2. *Prima probatio concluſionis negativa, item ſecunda*
3. *Objectio ſoluta: expenſus Ariſtoteles* 2. *Perih.* 2.
4. *Alia accurata objectiones & ſolutiones item notables.*
5. *Inſtatur acriter contra ſolutionem Admiſſa aliqua infinitas verbi ſalvâ concluſione*
6. *Vltima objectio. Æquivocari verbũ eſt in propoſitionibꝰ*
7 *Recenſus totius doctrina*

1. A Lijs verbis quæritur an ſit pars propoſitionis de quo ratio dubitandi eſt, quia eſt copula, & ita videtur intelligi in ſcholis communiter. Supponitur autem ſi ſit copula non eſſe partem propoſitionis ſed vinculum partium. De hoc videntur mihi recentes Logici melius reſpondiſſe quam antiqui.

Dico ergo in propoſitionibus de ſecundo adjacente verbum *eſt* eſſe prædicatum atque etiam copulam. In propoſitionibus autem de tertio adjacente eſſe meram copulam, atque ita neque aliquid prædicati, neque partem propoſitionis. Controverſia hujus ſola eſt in ultima parte, de qua proinde procedent rationes, eam expreſſe tradit D. q. 2. oper. Por. Aliqui hic diſtingunt de pro-

propoſitionibus contingentibus & neceſſarijs voluntque in propoſitionibus contingentibus etiam tertij adjacentis, verbum *eſt* habere rationem aliquam prædicati; in propoſitionibus autem neceſſarijs non, ſed eſſe meram copulam: vel alijs terminis, in contingentibus *eſt* ſignificare exiſtentiam, & eſſe verè verbum: In neceſſarijs abſolvi ab exiſtentia, nec eſſe verbum ſed meram copulam: & Syncategorema. De hac diſtinctione cenſeo quod defendi quidem poſſit, ſanius tamen loquendo ſit ſupervacanea, & ſtandū eſſe reſolutioni poſitæ quod in omni propoſitione tertij adiacentis verbū *eſt* ſit ſyncategorema

2. Probo jam concluſionem principalem, & accipio unam propoſitionem de *eſt* tertio adjacenti v. g. iſtam, homo eſt animal, de qua ſic arguo ſi ly *eſt* in hac eſſet prædicatum, ſequeretur nullam dari propoſitionē tertii adjacentis de prædicato ſimplici, conſequens eſt contra Ariſt. 2. Perih. 2. & contra rationem, ſic enim nec daretur de prędicato cōplexo, omne enim tale ſupponit ſimplex ex quo fit. ſequela autem probatur, quia ibi duo prædicantur de ſubjecto homine ſcilicet eſſe, & animal, ergo. Imo ſequitur ne quidem in propoſitionibus de ſecundo adjacenti dari prædicatum ſimplex; hæc enim *homo eſt*; reſolvitur in hanc, homo eſt exiſtens, quæ ſecundum hanc viam Adverſarij eſt de Prædicato complexo. Atque hinc dupliciter impugnatur opinio adverſa, ſi enim *eſt* ſit prædicatum & non tantum copula, quæro quid prædicat? vel quod eſt ſignificatum ſeu res verbi? certe non aliud quam exiſtentia, & tamen hic non prædicatur exiſtentia de homine, alioquin propoſitio illa eſſet falſa quæ tamen eſt æternæ veritatis, ergo:

Alterum contrà hanc viam eſt quod ſi ly *eſt* in propoſitionibus tertij adjacentis ſignificat exiſtentiam; tum ſenſus hujus: Petrus eſt exiſtens, erit ridiculus iſte, Petrus eſt exiſtens exiſtens

Probo ulterius propoſitum, quia prædicatum propoſitionis eſt terminus eius; verbum non, ſed mediat (loquitur de propoſitionibus tertij adjacentis) ergo non eſt terminus, major huius patet ex Phil... Prior... ex quo conſtat terminū propoſitionis adæquate dividi in ſubjectum & prædicatum, atque ita ſubjectum & prædicatum per ſe contineri ſub termino. Deinde in converſione propoſitionis debet ſemper ſervari idem prædicatum, at non ſemper ſervatur idem verbum, ergo verbum non facit prædicatum. Minor patet in hac Porphirij: Plures homines participatione ſpeciei ſunt unus homo, quam ſi convertas, dices Vnus homo eſt plures homines, ubi vides aperte verbum variatum à ſingulari numero ad pluralem ergo.

3. Objicies, hæc, Homerus eſt poëta, eſt de prædicato conjūcto Ariſtoteli 2. Perih. item 2, non eſſet autem niſi ly *eſt* foret prædicatum, nam præterea non eſt ibi quidquam quod poſſit eſſe prædicatum niſi ly poëta, quod patet eſſe quid ſimplex ergo. major patet ex textu & facto Ariſt. quia argumentatur à prædicato conjuncto ad diviſum ſic Homerus eſt poëta, ergo Homerus eſt, ex quo dupliciter ſequitur intentum; primò ut iam deductū eſt. iterum ſic, quia hæc: Homerus eſt, habet idem prædicatum quod illa, homerus eſt poëta, hæc autē *Homerus eſt* manifeſtè habet ly *eſt* prædicatum, ergo & illa, Homerus eſt poeta. Reſpōdeo ſi doctrina Adverſarij ſubſiſteret, non ſolum hæc ſed quęcumque de tertio adjacente eſſet de prædicato conjuncto ut ſupradeduxi & impoſſibilis foret propoſitio tertij adjacentis de prædicato ſimplici aut diviſo. Reſpondeo ſecundo illam propoſitionem eſſe de prædicato conjuncto apud Ariſt. ibi, quia nimirum ly *eſt* de mente ipſius importat exiſtentiā, & facit ſenſum Homerus eſt exiſtens poëta, hæc autem eſt de prædicato conjuncto, quia prædicat exiſtentiam & poëtam. Quod autē reddat eum ſenſum, in textu videbis, dicit enim exiſtentiam non competere Homero ratione ſui, ſed ratione poëſis, & ſimile eſt ac ſi quis dicat: Homerus fuit princeps poëtarum, ergo fuit princeps, aut rex; vel (quod idem eſt, Homerus fuit magnus muſicus, ergo fuit magnus; ſicut enim ly magnus non competit Homero ratione ſui ſed ratione muſicæ ſive poëſis, ita dicit philoſophus quod ly *eſt* nō cōpetit Homero jam ratione ſui, ſed ratione poëſis, atq; ita patet ly *eſt* ibi idem eſſe ac exiſtit,

4. Objicies 2. In hac propoſitione, paries eſt albus prædicatur exiſtentia de pariete, hæc autem non prædicatur aut importatur, niſi per ly *eſt*, ergo, ly eſt ibi eſt prædicatum, majorē probo quia nō poteſt verificari illa propoſitio niſi paries exiſtat, minor probatur quia ly albus præciſe non dicit exiſtentiā, alioquin hæc, paries fuit albus, involueret implicantiā in terminis loquendo de pariete deſtructo. Reſpondeo negando utramq; præmiſſam major enim falſa eſt; quia licet exigatur forte exiſtentia parietis, tamen non prædicatur ibi explicite, minor etiam falſa eſt, exigitur enim exiſtentia parietis ab illo ly albus quod cum ſit prædicatum contingens non poteſt ineſſe niſi exiſtēti. Dices, non eſſe album eſt contingens & tamen ad veritatem eius de pariete non exigitur exiſtentia ergo ſimiliter &c, Reſpondeo negando conſequentiam, quia illud non eſt reale prædicatum, aut poſitivum, deinde non affirmatur ſed negatur de pariete.

Objicies 3. ſi in iſta & ſimilibus ly *eſt* non prædicatur, ſed tantum copulat, ſequitur contradictoriam hujus; paries eſt albus, eſſe iſtam; Paries eſt non albus: conſequens eſt falſum, quia ad contradictionem debent adhiberi affirmatio & negatio ibi, autem non eſt, negatio ulla, quoniam utraque propoſitio eſt affirmativa, ſed probo ſequelam quia contradicto eſt affirmatio & negatio, ſive (ut loquar ad propoſitum) eſt prædicatio, & deprædicatio ejuſdem: Atqui in his; paries eſt albus; paries eſt non albus in venitur prædicatio & deprædicatio, ſive affirmatio & negatio ejuſdem modo noſtro, quia nimirum ſecundum nos in priori propoſitione, prædicatur albedo duntaxat; ſive, prædicatum eſt ſolum ly *albus*; at vero in ſecundâ deprædicatur ſive negatur albedo, apponitur enim negatio ad ly *albus*, ergo tum ſic, ſed non eſt ita, neq; fit negatio ejuſdem aut contradictio donec negatio apponatur ad verbum *eſt*, ergo ſignum eſt quod ipſum *eſt* ſit aliquid prædicati, aut totum ipſū ergo. Reſpondeo in hoc ipſo argumento latet Solutio eius quia utcumque ſe habeant ibi termini, non fiunt propoſitiones contradictoriæ, niſi fiat una affirmativa, & altera negativa, ibi autem non eſt altera negativa, adeoque.

5. Sed contra hanc ſolutionem inſtari poteſt, quod ibi ſit vera affirmatio & negatio ejuſdem: hæc enim, paries eſt albus; eſt ſine dubio affirmativa: hæc etiam; paries eſt non albus, eſt negativa; quia eſt affirmativa negationis, nam affirmatio ne-

gationis

gationis.eſt negatio affirmationis (v. g. negatio cœcitatis & tenebrarum eſt affirmatio lucis) quid autem eſt propoſitio negativa niſi negatio affirmationis ſive habitus? ergo. Reſpondeo valet hæc replica, ſed & argumentum principale habet adhuc aliquid roboris, nã ſolutio illi data re vera continet petitionẽ principji, ut apparebit conferenti eam cum objectione. Itaque exiſtimo dandum eſſe huic rationi, quod ly eſt prædicetur & affirmetur de ſubjectis in propoſitione; ſed non propter hoc approbo doctrinã Adv. aut retracto concluſionẽ; ecce ergo quomodo res ſe habet. Ly *eſt* affirmatur de ſubjecto, at non tanquã prædicatum, ſed tanquã copula; quia enim quodlibet dat ſibi ſuum effectum formalẽ, actio agit ſe, & unio unit ſe, etiã copula ſe ipſam copulat. Cum ergo ly *eſt* ſit copula, & in eo formaliter conſiſtat affirmatio, ideo illa non ſolum copulat prædicatũ ſubjecto, aut affirmat illud, ſed etiam ſe ipſam; ſed aliter quam Adverſarji exiſtimant, ſcil. per modum copulæ, non per modum prædicati; ex quo patet in formâ ad argumentum.

6. Vltimo objiciunt, verbum *eſt* non mutat ſignificatum per ſubſequens quod adjicitur ipſi, ſed quum ſine adjecto eſt, tum eſt prædicatũ, & ſignificat exiſtentiam v.g. quum dico, Petrus eſt, ergo ſimiliter, quum dico: Petrus eſt doctus, non enim debet ly *eſt* variari per acceſſum ly *doctus*: Reſpondeo debere & in formâ maiorẽ eſſe falſam: nec ſolum hic ſed alibi oppoſitũ contingere, quod ſcil. ſenſus ly *eſt*, varietur per adjectum. Manifeſtè enim aliter ſignificat, quũ dico, Chriſtus eſt beat⁹, vel Chriſtus eſt à dextris Dei; & quum dico conceptus eſt de Spiritu S. aut crucifixus & ſepultus eſt

7. Ex his objectionibus ſecunda pugnat pro illa ſententiã ſupra poſita n..., quæ aiebat verbũ *eſt* in propoſitionibus contingẽtibus de, tertio adjacẽti habere rationẽ aliquam prædicati, & ſignificare exiſtentiam. Aliquid etiã pro eà facit tertia ſequẽs objectio: utriq; reſponſum eſt, quãvis non fuerit neceſſe; potuimus enim cõcedere eas quatenus faciunt pro illa ſententia quam diximus in concluſione eſſe probabilẽ, & hic amplius confirmo; quia hæc: paries eſt albus; poteſt facere hunc ſenſum, paries exiſtit albus; ſic autem ly *eſt* tranſit in prædicatum, ergo.

De Nomine & Verbo.

PLato. in *Cratylo* Ariſtot. *hoc* 1. *Perih.* & 1. *Rhetor.* 2. & *alibi*. Averr. *in Proem. Periher.* Amon in *expoſit. Perih.* Boet. *in vtraq; editione l. Periher.* S Aug. *tom.* 1. *l. de Grãmat. & l. de pr. Logic.* v. 1, Joan. Damaſ. *in Dialect.* c. 1. Baſil. D. Tho. *opuſc.* q. 48. & *lect.* 1. *in* 1. *Perih.* Alb. Mag. *hic tract.* 2. *c.* 4. Rich. 1. *diſt.* 22. *q.* 1. *c.* 2. Ægid. 1. *Prior.* 1. *ult.* Tartar. *q.* 1. *&* 2. *de nom.* &c. Ockã. *l.* 1. *Perih.* Sotus *l.* 2. *Sũmul.* *c.* 1. Colo. Lovani. & Verſorius *hic*. Ruvius *q.* 5. Maſius *q.* 3. Levius Sonides, itẽ Raph. Aver. *tract.* 2. *Inſtit.* Conimb. *in c.* 4. *de orat.* *q.* 2. Petrus Hiſp. *l.* 1. *Sum.* 1. Joan. de Magiſt. *hic q.* 3. *dub.* 2. Meng. in Paul. Vene. Smiglet: *diſp.* 12. Michaël Pſellus hic. Ludovi. Lemoſius, itẽ Fonſeca *l.* 1. *Sum.* *c* 12. Ant. Nebus. *l.* 3. Cajet. 3. *p.* *q.* 2. *ar.* 7. Põcius *in Sum.* *c.* 4. *&* 5. Moriſ. *diſp.* 10. *Log. qq.* *&* 4. Rod. Arrag. *diſp.* 2. *Sum. ſect.* 1. Maſtr. Ballet. *tract.* 2. *Inſtit* *c.* 1. Gõzales 1. *p* *Log. diſp.* 1. *q.* 2. Petrus Hurtad. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *&* 2. Complut. *l.* 2. *t.* 1. Franciſ. Oviedo *contr.* 3. *punct.* 1. Philip. de Trinit. *tract.* 2. *par.* *&* *c.* 1. *art.* *&* 2. Amicus 2. *q.* 2. *&* 3.

APOLOGIA III.

De Oratione & Enunciatione.

ACTIO I.

Quid ſit oratio, quid Enunciatio ſeu propoſitio?

ACTIO II.

Ad quodnam inſtans referenda ſit enunciatio & ſenſus eius? ſive utrum copula verbalis copulet pro inſtanti ſuæ prolationis, an pro ultimo inſtanti prolati prædicati?

ACTIO III.

An propoſitio poſſit de verâ in falſam mutari & è contra?

ACTIO IV.

Vtrum aliqua propoſitio ſit à principio indifferens ad veritatem & falſitatẽ nec ne?

ACTIO V.

Vtrum propoſitio de futuro contingenti iam habeat determinatã veritatẽ aut falſitatem.

Scotus in 4. d. 8. q. 2. n. 19.

HAs omnes concluſiones poſſum concedere præter quintam, & alias in quantum ſequuntur ex ea; nam verbum quando profertur, ſicut tunc ſignificat, ſic tunc conſignificat, & quando conſignificat præſens, & nõ additur aliqua determinatio per quam tempus conſignificatum referatur ad aliud præſens, non videtur ex vi ſermonis quod copulet pro aliquo inſtanti niſi pro aliquo inſtanti prolationis ipſius verbi præſentis, &c.

Idem q. vlt. 1. operis Periher. n. 2.

AD primum quæſitum dico quod propoſitio ſingularis de futuro contingenti, nec ſimul eſt vera nec determinate vera, nec determinate falſa. Ad quod ſciẽdum quod verum ſignificat eſſe quod eſt; & falſum ſignificat eſſe quod nõ eſt eodem modo. Ex quo ſequitur quod ſicut res ſe habet ad eſſe ſic ad veritatem. Quod autem eſt actualiter & in præſenti; in ſeipſo habet quod ſit verum, ſic habet eſſe per ſe: quod autem eſt futurum non eſt in ſe ipſo. Sed in cauſa quod contingit tripliciter. Vno modo eſt aliquid in cauſa quod neceſſario eveniet ex illa. Alio modo ut habet inclinationẽ ad cauſam ut producatur à cauſa, poteſt tamen impediri. Tertio modo quod non magis ſe habet ad eſſe, quam ad non eſſe. Iſtis tribus modis ſe habet res in futuro ad eſſe.

Digitized by Google

ACTIO I.

Quid ſit Oratio? quid Enunciatio ſeu propoſitio?

Breuiarium.

Num. 1. Emendatur definitio Ariſtotelis.
2. Aſsignatur nova.
3. Quæſitum de vocibus quibuſdam complexis, an ſint cenſendæ eſſe orationes.
4. Expenditur definitio enunciationis apud Ariſtotelem.
5. Expenditur, & reijcitur alia aliorum.
6. Aſsignatur denique propria.
7. Intricatum ſophiſma contra definitionem communiter receptam ex Ariſtotele.
8. Soluitur tota.

(a) *Amic. tract. 21. Log. q. 1.*

1. DEfiniunt aliqui [*a*] orationem ex Ariſtot. 1. Per. 3. quod ſit *vox ſignificativa cuius partes ſeparatæ ſunt ſignificativa vt dictio, non vt affirmatio ſeu negatio.* Sed malâ fide, non enim habet Ariſt. quod partes orationis debeât eſſe ſeparatim ſignificativæ, ſed *partiũ aliqua.* Itaq; non requiritur quod omnes partes aut etiam plures ſint ſignificativæ ſeorſim. Sed quid? an etiã ſic poſita definitio eſt probanda.

Reſpondeo meliorem poſſe dari, quæ infrà adferetur. Interim in hac diſplicet (vt ſupra) ſignificatio *ad placitum* quam Ariſt. ibi requirit, deinde propiùs accedendo, non puto iſta adhuc ſufficere Logicæ orationi. Cauſa quia ſecundum hanc definitionem iſta; *homo doctus*, eſt oratio, vt patet applicanti, & tamen non videtur admittenda pro tali à Logico; quod ſic ſuadeo. Oratio Logica eſt compoſitum Logicum, adeoque debet conſtare ex componentibus ſive ex partibus Logicis, illa ſic non conſtat, quia caret verbo, quæ eſt altera ex duabus illis quæ ſolæ ſunt partes orationis Logicæ. Dices ibi eſſe plures partes ſicut plures voces, ſed contrà eſt quod nullum compoſitum fieri poteſt ex duabus partibus eiuſdem rationis, hæc enim ſunt tantum vna repetita v.g. ex duabus materijs non fiet corpus, neque ex duabus formis. Deinde illud doctus non eſt nomen Logicum; ſupra enim excluſa ſunt adiectiva etiam ab Ariſtotele, ita quamuis ſufficerent eiuſmodi partes, hic non habentur. Redeundo etiam ad definitionem vt eſt pure Ariſtotelis, nonne cõvenit nomini infinito, & verbo ſimiliter, nonne enim hæc, *non homo* eſt vox cuius partium aliqua ſeparatim ſignificat.

2. Erit ergo oratio certiùs & clariùs, *ſignum complexum ex nomine & verbo invicem accommodatis*, &c. Patet perfectio hujus quodam experimento, ſive enumeratione, convenit enim omnibus præter illam quam ſupra excluſi & oſtendi non eſſe orationem. *Accommodatio* quam hic requiro conſiſtit in concordantiâ nominis cum verbo. Quæ autem ſit iſta? Grammaticum concernit qui eſt Pædagogus Logicæ, & proinde debet ei præparare orationem. Quod autem ſit, ſive eſſe debeat eiuſmodi accõmodatio Logicus ſic oſtendit, quoniam non ſufficit quæcumque complexio nominum & verborum; nam iſta *Petrus amare*, non eſt oratio, eo quod non ſit accommodatum nomẽ verbo, quod fieret dicendo, Petrus amat, vel Petrum amare, & in aliâ illâ explicatione orationis, iſta: *Dominus res* non eſt oratio, neque hæc; homo bono; aut, homo vehemẽter, ſed accommodanda ſunt ſic, dominus rei, homo bonus, amo vehementer, &c.

Hæc etiam præſtat priori definitioni adhuc dupliciter, quia transfert orationem extrà voces & ſonos deinde extra vnitatem vocis. Ariſt. enim dixit orationem eſſe vnam vocem.

3. Iam ſiſtendo in priori explicatione quâ tenetur terminus cõplexus eſſe oratio, quæro an hæc *Nemo, nihil, vbique* ſint ſingula ſingulæ orationes? Videntur Fonſecæ [*b*] eſſe, mihi non ita. Fundamentum Recentioris eſt, quia ſingula illa ſunt inſtar plurium; *Nihil*, idem quod nulla res *vbique* idẽ quod in omni loco, & proinde in mente reſpondent eis duo conceptus ſed non ſufficit opinanti illi ratio, nam ad orationem debet haberi vox complexa nec ſufficit ſignificatum complexum; idem enim in re eſt definitum v.g. homo, & animal rationale; quæ eſt definitio, & tamen definitum eſt terminus incomplexus, definitio complexus To ſignifer eſt vox incomplexa, non autem oratio, & tamen habet ſignificatum complexum ex ſignis & ferente ea, ex quo patet illud de correſpondentiâ plurium conceptuum eſſe impertinens, nam ly ſignifer non poteſt exprimi niſi duobus conceptibus, & tamen non eſt oratio vocalis ſed terminus ſimplex, & ipſa enunciatio, v.g. hæc, homo eſt animal: in mente eſt vnum ſimplex & indiuiſibile, & tamen eſt vox complexa, ergo.

(b) *Petr. Fonſec. 1. Inſtit. 4. 15*

Quæro etiam an iſta: Marcus, Tullius, Cicero: ſit oratio? vel hæc: Innocentius decimus? loquor autem de oratione ſecundum acceptionem antiquorum ex Ariſtotele deſumptam? crederem quod non; quia ſunt inſtar unius nominis proprij, & imponũtur ac intelliguntur vt ſignificatiua differentiæ indiuidualis iſtius hominis: tales ergo ſunt qualis eſſet vna vox ſingulis illis impoſita, v.g. Petrus. Confirmo, nam Tullius non ſignificat partem illius hominis, & aliam Marcus, adeoque habent indiuiſibilem ſignificationem, vox autem complexa & oratio Ariſt. habet, ergo.

Dices: hæc, Summus Pontifex, eſt oratio, ergo & illæ, maximè illa vltima, Innocentius decimus: Reſpondeo, ratio hujus iam allata eſt, quia Innocentius decimus eſt nomen proprium, Summus Pontifex eſt appellativum & commune, ſimile huic, homo bonus.

Denique contra illam definitionem Peripateticorum habeo hoc monoſyllabum *ſto*, eſt vera oratio, & tamen non habet partem ſignativam. Nec valet dicere habere virtualiter partes, quia non tantum eſt virtualiter ſed etiam formaliter oratio. At enim hoc facit etiam contra me, quia nec iſta oratio conſtat nomine & verbo; nam ſi recurram ad virtualiter, conſtare poterit etiam Ariſt. eò confugere. Reſpondeo non poſſe ſimiliter, nam *ſto* eſt expreſſè primæ perſonæ, non eſt expreſſè polyſyllabum.

4. Iam de Enunciatione Ariſtot. & poſt ipſum Petrus Hiſp. ac Summuliſtæ ſequuti, definiẽtũ quod eſſet *Oratio verum vel falſum ſignificans indicando*;

tando: quãvis vltimum hoc non habeat Ariſt. Hanc tamen reijciũt Scotiſtæ noſtri cõmuniter eo quod non ſit data per eſſentialia talis enim nõ eſt veritas aut falſitas vt conſtat ex Doct. tum hic q.3. tum in 4. cit ſed ſunt accidentia, quum poſſint adeſſe & abeſſe propoſitioni, & vna propoſitio de vera in falſam mutari: nam hæc; Petrus ſedet, ſedẽte eo eſt vera, ſtante falſa. Approbo doctrinã hanc, non item rationem, hoc eſt, cenſeo veritatem, &c. eſſe accidentia. idtamen non probari argumento ibi adducto quod infra actioe ſequenti oſtendã. Interim habemus vnum vitiũ huius definitionis. Alterum eſt quod detur per diſiunctũ. Tertiũ ſit illud *indicando*, nam qui dixit orationẽ aliquam ſignificare verum vel falſum dixit eam indicare. Atque hinc habes probationẽ veram primæ exceptionis factæ contra ipſã, ſiue, quod veritas & falſitas non ſint eſſentialia enunciationi, quia nimirũ aliquid prius veritate competit enunciationi, nihil prius eſſentialibus, adeoq; veritas nõ eſt eſſentialis. Maior hujus cõſtat inde quod iudicare ſiue affirmare prius competit enunciationi & quidẽ cauſaliter, ratio enim cur in illã ſit veritas vel falſitas eſt quia affirmat, quod ex eo patet quia aliæ orationes imperativæ, optativæ, &c. veritate carent, non aliunde niſi quia carent affirmatione.

5. Propter hæc cœpit placere iſta enunciationis definitio, quod ſcil. ſit Oratio affirmativa vel negativa alicujus de alio; quia nimirũ corrigit defectum præcedẽtis, & datur per ea quæ primò & intimè videtur definito cõuenire. Sed nec hæc ſufficit. Peccat autẽ, quia datur per diſiunctum quod nunquã licet. Item quia datur per differentias dividentes, quũ deberet dari per cõſtituentes, vnde potius eſt diuiſio quã definitio, & deniq; talis eſt ac ſi dicã, animal eſſe vivens rationale vel irrationale. Hæc cõtra diſiunctionẽ; aliud habeo cõtra alias particulas eius, illas: *alicuius de aliquo*, quæ videntur omnino reprobari à propoſitione hypotheticâ v.g. hac; Petrus currit, & Paulus loquitur: nam ibi non affirmatur vnum de alio ſcil. loquela Pauli de curſu Petri, vt patet. Dices, adhuc affirmari vnum de alio immò plura de pluribus; affirmatur enim curſus & loquela ℞. verũ eſt affirmari hæc, ſed non ab illâ propoſitione vt hypothetica eſt. ſed a partibus eius quæ categoricæ ſunt, & diſtinguendæ omninò ab hypotheticâ.

Vides quã non facilè ſit rem notiſſimam definire; exiſtimo ergo abſtrahendũ eſſe vnum conceptum, in quo omnes ſecundæ operationes intellectus, affirmatio & negatio, ſiue cõpoſitio & diuiſio cõueniant, vnde dicerem propoſitionẽ eſſe Orationẽ, enunciativã, niſi reprehendi poſſẽ, eò quod non poſſet definitio applicari ipſi enunciationi quæ ſynonyma eſt, & conſequenter eâdem oratione explicanda, clarum eſt enim definitionem quamcunq; enſis debere competere gladio.

6. Dicatur ergo, ſiue Enunciatio ſiue Propoſitio eſſe *oratio iudicativa*. Vnũ contra hanc habeo, quod relabatur (licet tardius) in inconuenientia ſuprà contra alias defi[ni]tiones allata: quæ enim q[uod] ſit iudiciũ, & oratio iudicativa, nõ poteſt explicari niſi per diſiunctũ illud affirmatio vel negatio. Reſpõdeo ſi ita ſit, non eſſe reprehendendã explicationẽ; & reuera non eſt nimãda huius rei difficultas, oritur enim ex eo quod non detur aliquid rei & nihilo cõmune, affirmationi & negationi. Reſpondeo ſecundo negando conſequentiam, ſiue defectũ huj⁹ definitionis ex hoc capite; licet enim non poſſit iudicium explicari per aliud, non ſequitur enũciationem non bene explicari per iudicium, alioquin nunquam bene quidquam explicaretur per aliquid per ſe notum, ſiue ergo iudicium non poſſit, ſiue non debeat aliter explicari, eò quod non egeat explicatione, ſtat ſarta & tecta tradita definitio enunciationis.

7. Mouebo hic dubiũ in communi definitione enunciationis, quæ eſt illa Ariſt. 3. Per. 4. quod ſit oratio verũ vel falſum dicens. Contra hanc vrgeo inſtantiã huius propoſitionis. *Mentior*, aut, *ego iam falſum dico*, hæc enim non poteſt veritatẽ continere, ſed nec falſitatem: non quidem veritatem, quiâ falſa eſt; nec veritatẽ quia vera eſt, quorum vtrũq; ei competere per partes ſic oſtendo; inprimis veritatem; aut enim id quod loquens tum aſſerit ſic ſe habet ut ille aſſerit, aut non; quodcunq; ex duobus his dicatur, propoſitio eſt vera, nam ſi ita ſit, clarum eſt propoſitionẽ eſſe veram, veritas enim propoſitionis eſt conformitas ad obiectũ; ſi etiam ita non ſit propoſitio eſt vera, tum enim verũ erit eum mentiri, ſiue falsũ dicere, quod ipſe illa enũciatione enunciauit. Hæc pro veritate, quæ etiam verti poſſunt pro falſitate propoſitionis ſic. Nam res non ita ſe habeat vt ipſe affirmat eã ſe habere, manifeſte propoſitio eſt falſa, ſi ita ſe habeat erit falſa, quia tum nõ mentitur, nec falſum dicit, ipſe autem dicit, & falſum dicere & mentiri, ergo.

Video poſſe mihi reſponderi quod argumentũ non pro me, ſed pro Ariſtot. pugnet, & quidẽ bis, ſiue dupliciter probaui ego propoſitionem illam eſſe veram & falſam, quorum quodlibet ſufficit vt cõprehendatur ſub definitione Ariſt. erit ergo illa oratio enũciatio modo Ariſt. ſemel quia vera, iterum quia falſa, nam propter ſingula illa (& non ſolum propter coniunctum] conuenit ei eſſe veram & falſam, atq; ita tantum abeſt quod reprobauerim hac inſtantia definitionem Ariſtot. vt potius probauerim eam bis.

Audio; ſed attendat quiſquis reputat ſe ita retorquere argumentum, vt adhuc ſtet, & ego pro ipſo pugnem etiam bis, nam & oſtendo per hanc replicam non defendi ſed deſtrui definitionem Ariſt. Definit ille propoſitionem ſiue enunciationem per eſſe verum vel falſum, at vero hoc non ſtat cum aſſerto replicantis, aſſerit enim hic propoſitionem allatã eſſe veram & falſam, quod cum ſit coniunctum deſtruit ſtatim diſiunctum, hoc enim non debet niſi alterum ex duobus habere. Iterum impugno replicam illam, immò & illa impugnat ſe; nam ſi eſt propoſitio illa vera, non poterit eſſe falſa, aut viciſſim, hæc enim ſunt contradictoria, & vna alterã negat; falſitas enim vt ſuppono non eſt aliquid poſitivum, ſed carentia veritatis; aut certè neceſſario habet annexam hujuſmodi carentiam veritatis, quod ſufficit ergo.

Hic idem diſcurſus applicari poteſt contra aliã definitionem enunciationis, quod ſit Oratio affirmativa, vel negativa: probat enim illam eandem propoſitionem ſimul eſſe affirmativã & negativã, ecce quomodo. Illa enim *mentior* affirmat & negat idem; affirmat ſe eſſe veram, id enim facit omnis propoſitio: negat autem ſe eſſe veram, quia dicit ſe eſſe mendacium, atque ita eſſe falſam. Reſpondeo ad totum propoſitionem illam poſſe eſſe ſiue verã ſiue falſã, ſicut aliæ ꝑpoſitiones: et ſi ponam⁹ ipſum loquentem ſiue illum qui dixit *mentior* certi aliquid dixiſſe, v.g. quod tria ſint plura duobus, tũ dico quod propoſitio ſeu affirmatio eſt falſa illa ſcil. qua dixit ſe mentitũ aut dixiſſe falſum, quum diceret tria eſſe plura duobus. Et ad rationẽ cõtra

remanet idem in multis temporibus, unde arguitur ſic ſecundo: Verbum, & quælibet alia vox ſignificat quando ipſum eſt, ſignificat tempus præſens, ergo ſignificat tempus præſens quando ipſum eſt: etſi dicatur quod ſignificat tunc tempus præſens, at non præſens pro tunc, ſed pro fine orationis; contra eſt quod ſi ita ſit, tunc ſenſus hujus: Chriſtus ſedet, eſt hic; Chriſtus ſedebit: & ita in propoſitione de præſenti poſſum uti verbo de futuro, dicendo Chriſtus ſedebit ad dexteram Patris, nam ſi illa in quinto inſtanti eſt de præſenti, certè in ſecundo eſt de futuro. Abſurditas hujus clarius patet in iſta, Hoc eſt corpus meum, cujus loco poſſemus uti hac *hoc erit corpus meum* ut patet ex diſcurſu facto, & tamen conſequens eſt falſiſſimum, ergo & antecedens quod tamen ut vidimus eſt doctrina Adu. Unde arguitur ſic ſecundo: Verbum eſſentialiter variatur variato tempore ergo non poteſt unum verbum permanere duobus temporibus, aut ſignificare aliquid coexiſtens duobus ejuſmodi moris, ergo quod in quinto inſtanti eſt præſens, in ſecundo eſt de futuro.

Probatur ſecundo principaliter, ſtando in propoſitione hac: *Hoc eſt corpus meum*, ex qua ſic arguo; In hac propoſitione ly *hoc* non poteſt ſupponere pro re futurâ in fine propoſitionis, ergo nec ly *eſt*; conſequentia probatur à pari, nam non eſt ulla ratio quare *hoc* aut aliud quidpiam exigat hunc eſſe quum dicitur, niſi quia determinatur ad præſens, ſed nihil magis ſignificat tempus præſens quam verbum præſentis temporis, & planè intolerabile eſt nomen aliquod aſſigi determinato tempori, ut non ſignificet niſi cum ipſo & in ipſo, verbum autem non, ſed poſſe ſuſpendere ſuum ſignificatum, & extendere alio. Antecedens autem probatur, quia ſi ſufficeret ad ly *hoc* quod haberetur ſignificatum ejus in fine propoſitionis, tum poſſet incipi conſecratio ſine ullo pane, dummodo in fine ultimæ ſyllabæ propoſitionis v.g. illius *um* coram adferretur panis, hoc autem quis admitteret, ergo.

5. Objicies, affirmatio & enunciatio conſiſtit in verbo copulante, ergo verbum debet ſupponere pro eo inſtanti in quo affirmatio eſt: ſed affirmatio non eſt ante abſolutam propoſitionem, ergo nec ſenſus verbi: minor probatur quia affirmatio eſt alicujus de aliquo, hoc eſt, prædicati de ſubjecto, quæ duo eſſentialiter involuit, adeoque ſine his ſeu utroque horum illa nec intelligi quidem poteſt: ergo cum profertur copula antequam proferatur prædicatum non eſt affirmatio; & quid magis improbabile quam eſſe prædicationem ſine prædicato? ergo. Reſpondeo primo argumentum redire contra arguentes, nam etiam affirmatio non eſt ſine verbo nec ſine ſubjecto, & tamen quando eſt prædicatur non eſt verbum, non eſt ſubjectum. Reſpondeo ſecundo aliud eſt ſenſus propoſitionis, & aliud eſt objectum ejus; ſive, aliud eſt ſenſus formalis, aliud objectivus: Nam in hac: *Pyrrhus geſſit bellum cum Romanis*: Senſus propoſitionis non eſt ante prolatum prædicatum, tamen objectum ejus præceſſit multis annis prolationem illam prædicati, & jam proferens illam non intendit ſignificare belli exiſtentiam pro illo inſtanti: Ita hic; ſenſus ſeu potius ſignificatio hujus propoſitionis *Hoc eſt corpus meum* non habetur ab audiente ante prolatum prædicatum, tamen ipſa non dicit objectum ejus eſſe pro illo inſtanti prædicati; ſed pro inſtanti verbi, concedo ergo primum enthimema, etiam ſecundum, & totum argumentum; nego tamen oppoſitum concluſionis (quod putatur, hinc ſequi,) quia nimirum probant iſta ſignificationem propoſitionis expectare prolationem prædicati. Concluſio autem aſſerit ſenſum poni pro inſtanti prolationis verbi.

Objicies 2. ſi enunciatio ſupponeret pro inſtanti quo profertur verbum, & non pro illo prædicati, ſive illo in quo completur propoſitio, formæ Sacramentorum eſſent falſæ: Atqui hoc potius eſt falſum atque hæreticum, ergo propoſitio non ponit ſuum ſignificatum pro inſtanti quo profertur verbum. probo ſequelam majoris, quia quod ſignificatur per formas Sacramentorum non ponitur niſi completâ propoſitione, ſaltem non ponitur, niſi completâ prolatione verbi; forma autem Sacramenti ſecundum nos dicit ipſum poni interim dum profertur verbum, non autem poſt, ergo forma ejus ſecundum nos eſt falſa. Sit exemplum in Pœnitentiâ & Euchariſtia, quibus gratia Sacramentalis non datur niſi poſt prolatum verbum, quia nimirum formæ continent aliquid ſequens verbum, forma pœnitentiæ ſecundum Florent. in Bullâ Eugenii eſt ita, *Ego te abſolvo, &c.* Ubi ly, &c. denotat aliquid formæ ſequi verbum: & quamvis hoc à nobis negetur, tamen non propterea evaditur argumentum, utique enim fieret Sacramentum ſic dicendo: *Ego abſolvo te*, ubi manifeſtè aliquid ſequitur verbum. In Euchariſtiâ etiam eſt clariſſima res, nam non ponitur Corpus Chriſti, niſi poſt totam formam prolatam, atque ita non ponitur quando profertur verbum, ergo erit falſa.

6. Hic dabitur occaſio aperiendi amplius, & mentem D. & immunitatem doctrinæ ejus à calumniis juniorum. Nego ergo ſequelam argumenti, & ad omnes probationes ſemel dico formas Sacramentorum non eſſe inſtitutas ſecundum ſenſum Logicorum, ſed ſecundum ſenſum vulgi, & communem modum loquendi hominum, qui utique non exigunt ad veritatem propoſitionum de præſenti, niſi ut quod loquens dicit, habeat eſſe interim dum loquitur, ſive priuſquam abſolvat propoſitionem. Id autem vel maxime obſervant in enunciationibus, quæ quoquo modo practicæ ſunt, aut ſignificant rem in fieri; Sic enim ſartor dum pannum ſecat & ſuit, dicit, hæc eſt veſtis Petri, licet nondum ſit veſtis, ſed fiat. Idem eſt de pictore, qui priuſquam abſolvat imaginem, veriſſime dicit, hæc imago quam jam molior, eſt imago Cæſaris & multo opportunius exemplum eſt quum quis transferens dominium alicujus rei in alium, ait, dono tibi hunc librum v.g. (nam illa oratio efficit aliquid atque ita eſt practica:) Certe enim nemo intelligit donationem eſſe factam, aut librum tranſiviſſe in dominium accipientis antequam abſolvatur propoſitio tota & dicatur to librum; quod ita verum eſt ut quamvis actio donandi ſignificetur verbo *dono* ſine dubio, tamen ſi loquens ſincopam pateretur, &, vel obſtrueretur ei os, vel ipſe libere taceret ſtatim poſt prolatum ly *dono* nemo intelligeret donationem eſſe factam.

ACTIO I.

quo unum è duobus ſequitur, quod quandoquidem, neque Eccleſia errare poſſit, neque eſſe hæ[...]is poſſit ſine fallitate, ſequitur inquam quod [...]e duæ propoſitiones aut appellent ſupra unum & idem inſtans, aut certè contradicere, ſibi poſſint propoſitiones, quæ non ſupponunt pro eodem inſtanti.

a) Salmāticenſ.

9. Aliquorum reſponſio fuit eiuſmodi propoſitiones a) non eſſe contradictorias, eò quod ad affirmativam quidem ſufficiat aliquod inſtans, ad negativam autem non item, ſed requirantur omnia inſtantia ut ſcilicet prædicatum non ineſſet, pro ullo inſtanti, quod quoniam falſum eſſet, ideo negativa falſa eſt, atque adeo contradictoriæ non eſſent ſimul veræ. Contra hos bene arguit nuper *Io. à Lugo* b) Cardi: in materiā illius propoſitionis, hoc eſt corpus meum, quod ſcilicet ex hac reſponſione ſequatur, ſi quis Sacerdote dicente, hoc eſt corpus meum, diceret hoc non eſt ſubſtantia panis, quod inquam falſum diceret (quod tamen ipſum potius falſum eſt, quia quandocumque verum eſt adeſſe corpus Chriſti verum eſt abeſſe panem] ſequela probatur, quia ad veritatem ejus requiritur, ut pro toto tempore, quo durat propoſitio abſit ſubſtantia panis, & tamen non abeſt: Quod ego recte illatum dicerem niſi reſpōdere poſſent Adverſarii propoſitionem illam negativam fore in rigoribus Logicis falſam, non tamen Theologice, aut in ſenſu Eccleſiæ, nam neque ipſa affirmativa habet eiuſmodi veritatem, nec habere debet ut ſupra, ergo. Puto tamen Salmanticenſes, ſupra non reſpondiſſe Logice; aut ſi ſic falſum dixiſſe. Cauſa, quia ad veritatem propoſitionis negativæ non requiritur totum tempus negari; quod ſic ſuadeo: Ad veritatem negativæ, ſiue ad contradicendum affirmativæ non eſt neceſſe, ut negatio afficiat omnes partes propoſitionis, ſed unam, ergo nec opus eſt, ut afficiat totum tempus ꝓpoſitionis, ſed aliquod; probatur cōſequētia, quia contradictoria non ſolum negat tempus affirmatum per alteram contradictoriam, ſed multo magis ipſam rem. Antecedens probatur, nam ut faciam contradictoriam huic: paries eſt albus; non eſt opus ut dicam paries non eſt non albus, & multo minus ut dicam non paries non eſt non albus, addendo negationes ſubjecto & prædicato, ſed ſufficit ut addam ſoli verbō.

b) diſp. 11. de Eucha. ſect. 6.

Ex quo ni fallor accedit nova & appropriata probatio concluſioni. Quia ad contradicendum propoſitioni affirmativæ ſufficit addere negationem verbo, ergo ſignum eſt ꝙ affirmativa potuit ſignificatum ſuum pro inſtanti verbi, & non alio, ſed contra hoc.

Objicit ſubtiliter ipſe Scotus, ſi enim propoſitio facit ſenſum pro inſtanti verbi, ſequitur hanc eſſe impoſſibilem. Deus ſemper eſt, & hanc falſam, curro quando curro, licet ſedeam. Prima conſequentia probatur, quia impoſſibile eſt ut tota illa propoſitio: Deus ſemper exiſtit verificetur pro inſtanti uno copulæ, hoc enim eſſet deducere omnia inſtantia, & totum tempus, imo & totam æternitatem ad unum inſtans; ſiue ut Deus, aut alia res aliqua habeat mille annorum exiſtentiam in uno inſtanti. Secunda autem inde probatur quia tota illa propoſitio poteſt verificari ſine curſu poſito tempore quo profertur copula. Reſpondeo tamen neutram ſequi. Primum enim eſt extrà caſum Actionis ſeu controverſiæ, agimus enim de propoſitione, quæ verificanda ſit pro aliquo inſtanti propoſitionis, & quærimus quodnam illud ſit: at vero illa. Deus ſemper eſt: non eſt verificanda pro ullo inſtanti illius propoſitionis ob rationem poſitam in argumento. Idem eſt de ſecundo caſu, nam neque curſus ille debet poni pro ullo inſtanti illius propoſitionis. Itaque doctrina tradita intelligenda eſt modo jam dicto, & ita debere eſſe patet, quia alioquin nulla propoſitio de futuro eſſet vera quà talis, quum enim poneret ſignificatum ſuum pro inſtanti prolatæ copulæ eſſet vera de præſenti, adeoque falſa de futuro. Et tamen hoc non obſtante ſenſus cuiuſcunque referendus eſt ad inſtans præſens, quo profertur ipſa propoſitio, quod advertendum eſt, & ſic oſtendo, quia licet ſit de præterito aut futuro, ipſum præteritum & futurum menſurandum eſt per præſens: nam dicens Antichriſtus erit, Salomon fuit, &c. dicit quod Antichriſtus habebit eſſe in aliquà duratione conſequente durationem, aut tempus in quo loquitur, & quod ſimiliter Salomon habuit exiſtentiam tempore aliquo quod præceſſit illud in quo ipſe profert illam enunciationem.

ACTIO. III.

Vtrum propoſitio poſſit de falſa in veram mutari, aut è contra?

Breuiarium.

Num. 1. Reſolutio negativa probata.

2. & 3. Novæ probationes eiuſdem.

4. Objectio, an propoſitio poſſit continuari?

5. Alia objectio. Verbum an affixum tempori?

6. Tertia. An propoſitiones verificentur pro omnibus inſtantibus temporis ſignificati?

7. Enunciationes ſcriptas non eſſe alligatas tempori?

1. DVas difficultates includit titulus; vnam, an propoſitio poſſit deponere veritatem quam habet? alteram, an potuerit hanc ipſam non habuiſſe à principio. Et in utraque ſunt pugnantes opiniones Authorum; quoad primum.

Dico primo non poſſe propoſitionem de verā in falſam mutari, ut, quæ aliquando fuit vera reddatur falſa. Hæc ſequitur ex dictis & inde probatur, quia propoſitio de præterito eſt immobilis & quomodo ſemel iacet, ſic ſemper manet, nec oppoſitum ſubeſt ullius potentiæ, adeoque concluſio ex hac parte eſt certiſſima. Quoad futurum ſufficit probare præſens, quia ſequitur ipſum, nam quo modo aliquid in re eſt ſeu exiſtit; ſic antecedenter fuit futurum.

Probo ergo de præſenti & præterito ſic. Enunciatio omnis non ſolum affirmat prædicatum

de ſubjecto;ſed affirmat tempus, quia enunciatio exercetur per verbũ quod eſſentialiter ſignificat tempus, tum ſic; aut prædicatum ineſt ſubjecto illo tempore aut non;ſi ſic, propoſitio eſt vera, & ita tunc non poteſt eſſe falſa; neque poſteà, quia poſtea ſemper eſt de præterito, quod diximus eſſe immobile,ergo. Et planè idem eſt de futuro,quia propoſitio de futuro ſignificat idem ꝙ præſens,immò etiã illa de præterito, quia nimirũ omnes ſignificãt unionẽ prædicati cum ſubjecto pro eodem inſtanti& differentia in eo tantum eſt quod inſtans illud nondum acceſſit ad eum qui affirmat conjunctionem rerum de futuro, acceſſit autem reſpectu ejus qui loquitur de præſenti. Et denique reſpectu ejus qui profert propoſitionem de præterito quod totum explicari poteſt exemplo, plurium qui in recta linea diſpoſiti vident idem objectum diverſimode applicatum. v. g. ſint tres hac parte flũminis, & in alterà ripâ ſit turris quæ directè & ex diametro reſpondet illi qui eſt medius trium, alijs autem non, ſed ab illis videtur per angulos obliquos: ultimus horum verè dicit turrim eſſe citrà ipſum, primus vere dicit eam eſſe ultra ipſum, medius autem dicet & verè dicit turrim eſſe contrà ipſum, omnes diverſis terminis utuntur, & tamen ſignificant eundem ſitum turris, quod ita verum eſt, ut ſi moveatur inde turris omnes illæ affirmationes ſimul reddentur falſæ, nec poteſt una falſificari, & altera vera relinqui; ita ſimiliter hic ut vides, propter quod ſufficit probare concluſionem de unâ propoſitione,ſiue de illâ quæ affirmat pro unâ differentiâ temporis ut probetur de omnibus.

2. Proſequor tamen argumentum ſic: Idem verbum non poteſt ſignificare plures differentias temporis v. g. plura inſtantia ſuccedentia ſibi inuicem ergo eadem propoſitio non poteſt de verâ in falſam mutari. Antecedens eſt principium & fundamentum in hac materia; hæc enim eſt differentia inter nomen & verbum, quæ ſunt ipſa elementa orationis Logicæ; quod nomen ſimiliter ſignificet in omni tempore v. g. ſcriptio idem toto anno ſignificat cum tamen annus habeat tempus præſens, præteritum, & futurum. At vero ſcribo non item, ſed ſignificat pro determinatâ differentiâ temporis ex quo probo facile conſequentiam, nam enunciatio *ego ſcribo*, ſiue, *ego amo*, (ut accipiamus, actionem inſtantaneam) non poteſt falſificari in inſtanti quo profertur, nec in alio, ergo in nullo. Non in illo quo profertur quia tunc habet veritatem, vnde fieret ut haberet veritatem & falſitatem ſimul, quod repugnat, cum ſit verificatio contradictionis, & præterea non ſufficit Adverſario, quia etiamſi haberet ſimul falſitatem, tamen non mutaretur de vera in falſam,quandoquidem non deſineret eſſe vera Sed nec falſificari poſſit in alio inſtanti, quia pro illo inſtanti nihil affirmat, & ita non poteſt falſificari in eo, ſicut nec poteſt mentiri is qui nihil dicit,ergo.

3. Ex dictis etiam num. 1. poſſumus ſic de novo arguere pro concluſione: propoſitio de præſenti & futuro.ſignificant idem prorſus quod illa de præterito. ſed illa de præterito eſt immobilis & infalſificabilis abſolutè, ergo & illæ de præſenti & futuro.

Probo ergo tertio Theologicè concluſionem: ſi enim propoſitio poteſt de vera in falſam mutari, ſequitur multas propoſiiones quæ in ſcripturâ habentur & conſequenter de fide ſunt, iam eſſe falſas, quod nemo dicet,ſed probo ſequi ex oppoſitâ doctrinâ Adu: Hæc enim *Virgo concipiet, & pariet filium*,mutata eſt de vera in falſam, quia nimirum objectum eius mutatum eſt, objectum ejus fuit virgo paritura, jam deinceps nulla virgo eſt paritura, ergo jam objectum ejus, atque adeo ipſa, mutata eſt in falſam. Et cur quæſo Petro currente hæc eſt vera *Petrus currit*,non currente autem falſa, & hæc: virgo concipit, non erit vera, quamdiu virgo eſt conceptura, quando autem non amplius eſt conceptura, falſa? & tamen illud decurſu Petri eſt doctrina, fundamentum, & ſolemnis inſtantia aduerſariorum, [a]ut jam videbimus in objectionibus ex quarum ſolutione amplius confirmabitur & declarabitur concluſio. a) D. Th. 1. p. q. 19. art. 15. Durand. 1. d. 42. q. 3 Cart. 1. 2. q. 19.

4. Objiciunt enim iſtam: Petrus currit;quæ vera eſt Petro currente, falſa quum non currit, ergo una mutatur de verâ in falſam, ſupponamus enim quod protrahatur prolatio propoſitionis illius tam diu, ut interim poſſit Petrus currere & quieſcere,nam ſi id fecerit Petrus, propoſitio illa noſtra falſificabitur, imo etſi non fecerit, quia poteſt facere, & ita poteſt propoſitio de vera in falſam mutari; quæ etiam fuit doctrina *Ariſtot.* in Logic. (*cap. de ſubſtantia.*) & primo Perih.(*b*] ac denique nono Metaph. Vbi eum D. N. in hunc ſenſum apertè interpretatur. Reſpondeo: ad auctoritates has videndi noſter Theod. Smiſing (*c*) Averſa hic d)Hurtadus. e) Sanè ãutẽ ex primo loco ipſius non multum præſumere debent Adverſarji, non enim abſolutè definit rem ut ipſi, ſed dubitat, *niſi forte quiſpiam imitaret dicens orationem, opinionemque contrariorum eſſe ſuſceptivas*, quo modo alibi exponi poteſt, quum optimus interpres ſui ſit ipſe. Cæterum ad omnia ſufficit ſcire Ariſtotelem de veritate propoſitionum non valde verè ſenſiſſe ut apparebit actione 5. Sequenti, adeòque non debere nos eſſe adeo ſollicitos ut ab ipſo ſtemus. b) cap. 1. c) Tr. 3 de Deo diſp. 5 q. 2. q. 24 d) Sect. 7. e) diſp. 9. de An. ſ. 4

Ad rationem autem nego ſuppoſitum ejus, ſcilicet eandem orationem eſſe Petro currente, & quieto, quia nimirum aliud eſt tempus quo currit, & aliud quo quieſcit; orationes autem variantur cum tempore vt vidimus, & hic amplius inde oſtendo, quia variatum eſt verbum, quod probo: verbum curro differt eſſentialiter à verbo ſcribo, & facit propoſitionem eſſentialiter diverſam, ergo & verbum currit à verbo cucurrit; probo conſequentiam, quia verbum in ſuo ſignificato ſicut rem geſtam, ita tempus rei gerendæ importat, ex quo infero quod non poſſit unum ad duo tempora, uel etiam duo inſtantia extendi, quia duo etiam inſtantia ſufficiunt ad verificanda currit, cucurrit.

Nec rectè dicitur quod reſpondet quidam (*e*] propoſitionem illam nominatam ſeu prolatã in ſecundo inſtanti affirmare curſum pro primo,nã licet poſſit aliqua ꝓpoſitio hoc facere tunc tamẽ nõ poteſt hoc facere tunc & ſimul eſſe de præſenti, jam enim illud *tunc*, prœteriuit,ſed contra hoc. e) Frãc. Oviedo contr. 7. de An. p. & ſ. 2.

Objiciunt ſecundò, ſaltem quando quis continuaret per horam hoc iudicium, Petrus currit, non determinando aliquod tempus, ſed confusè intelligendo in toto illo tempore; ſi in principio horæ Petrus curreret, & in fine non,

tum

tum propoſitio in principio eſſet vera, & in fine falſa, ergo. Poſſibile eſt autem Petrum ſic facere, ergo & propoſitionem falſificari. Reſpondeo mirum eſt hoc argumentum vrgeri poſt ſolutum præcedens, jam enim dixi, non poſſe haberi hoc iudicium de præſenti: Petrus currit; niſi determinando tempus præſens,& quæſo quomodo haberetur? Itaque implicat apertam contradictionem horum hominum inventum: ſed demus ipſum valere, adhuc dico propoſitionem non mutari, quia vel affirmavit curſum Petri pro tota hora, vel pro aliquando intra horam; ſi primum, tum in caſu poſito propoſitio eſt falſa ſemper; ſi ſecundum, ſemper vera. Sed inſtant aliqui ex noſtris contra ſolutionem in primo ſenſu; ex hoc enim ſequeretur propoſitionem conformem objecto eſſe falſam, quod eſt falſiſſimum; ſed patet ſequi hinc, quia illa propoſitio in principio horæ eſt conformis objecto, ſupponimus enim Petrum currere tunc. Reſpondeo non eſſe conformem, ne tunc quidem, cauſa, quia ut eſſet, deberet Petrus totâ horâ currere.

Dices tamen, id non requiri; nam licet affirmet curſum totius horæ, ille curſus non poteſt totus tunc eſſe, ſed pars tantum eius; ergo jam ad conformitatem in principio non requiritur, niſi curſus in principio. Reſpondeo requiri, quia illa affirmat objectum non ſolum pro principio & præſenti, ſed pro fine & futuro. Itaque quod Adu: volunt eſt ut hæc. Petrus currit, idem ſit & ſignificet quod iſta Petri curſus; volunt enim verbum abſolvi à tempore, quod nomini proprium eſt, in verbo portentum. Formabo tamen ipſe. argumentum pro hoc perſuadendo, infra numer. interim ad idem ſic.

5. Objicio 3. Tota ratio hujus repugnantiæ refunditur à nobis in verbum; atqui verbum non eſt ita affixum uni tempori, quo minus poſſit ad plura extendi quod oſtendo in his: Totum eſt majus ſui parte; homo eſt animal rationale; hæ enim & ſimiles non ſunt alligata tempori in quo proferuntur & ipſum verbum *eſt* licet ſit de præſenti, tamen non ſignificat præcisè inſtans in quo profertur, alias tranſirent in præteritum eiuſmodi propoſitiones, ita ut poſſet dici quod fuerunt veræ, & iterum quod erunt veræ, quæ ſunt ſaltem impropriæ loquutiones, ſi non falſæ; & horum omnium ratio eſt, quia eiuſmodi propoſitiones ſunt æternæ veritatis, at vero in æternitate non dantur differentiæ temporis, ergo. Dici poſſet 3 in æternitate non dari differentias temporis, plures ſcilicet, dari tamen unam, quæ eſt præſens & ſufficit ad propoſitum. Reſpondeo, & concedo dari præſens in æternitate, at non præſens quod ſit ad propoſitum, ſcilicet præſens quod contradiſtinguitur à præterito & futuro. Dices ergo jam in aliquibus propoſitionibus verbum de præſenti abſolvitur à præſenti, quod ſi concedatur redit argumentum ſupra factum num. 4. & illa *Petrus currit*, poteſt continuari per horam ſine eo quod determinetur ad partem vltimæ horæ,&c. vt ſupra. Reſpondeo concedo argumentum hoc ſed nego redire præcedens, ſiue nego conſequentiam. Dico ergo poſſe verbum abſolvi à tempore, at non in propoſitionibus ſignificantibus tempus ſed ſolum in ſignificantibus illo modo æternitatem, quales ſunt iſtæ quas vocamus æternæ veritatis. Talis autem non eſt iſta: *Petrus currit*; & multo minus iſta: *Petrus currit per horam*, ut vides, ergo, ſed contra.

6. Objicio adhuc quarto, hæc ipſa: *Petrus currit*, quam diu durat, & Petrus currit eſt vera toto illo tempore, hinc autem, ſequitur quod aliquando ſit falſa, cum in inſtantibus ex quibus componitur illud tempus, ſicut non poteſt curſus eſſe, (cum ſit motus atque ita ens ſucceſſivum [ita nec veritas propoſitionis ſeu vera affirmatio curſus. Reſpondeo eſſe tunc motum & curſum, & ita veritatem propoſitionis quod ulterius oſtendere alterius loci eſt; ſufficit hic ſcire quod tam poteſt curſus eſſe tunc quam ipſum tempus in quo ſit, quod ſuppponimus eſſe continuum.

Quæres tamen cur propoſitio aut verbum de præſenti non poſſit ſignificare plura tempora ſi continuetur, ut ſicut plura inſtantia ſunt ſucceſſivè præſentia, ita propoſitio & verbum ſignificat illa ſucceſſive & ſenſus hujus *ego ſcribo* continuati per tria inſtantia in primo inſtanti ſit quod ſcribo in primo inſtanti, in ſecundo autem quod ſcribam in eodem ſecundo inſtanti, & in tertio ſimiliter quod ſcribam currente tertio inſtanti, ſed ut id dicamus, debet dici, quod propoſitio poſſit tranſire de vera in falſam, poſſum enim ſcribere in ſecundo inſtanti, & in tertio non.

7. Reſpondeo, propter hoc exiſtimo propoſitionem ſcriptam, & ſimilia alia ſigna quæ durant, ſecundum ſe præcisè ſumpta poſſe ſic extendi. Inſtantia eſt quando lex fertur, ut cum Pontifex Bullam cœnæ dictat, & dicit, excommunico tales & tales, tunc verbum eſt de præſenti, tamen non ſignificat, niſi pro alio præſenti in quo publicatur Bulla, at verò in propoſitionibus mentalibus non ita, quia ſunt primum in hac materiâ in quas fit reſolutio cœterarum, & præterea ſunt ex ſe naturaliter ſignativæ, unde ſi poſſent extendi ad alia inſtantia indifferenter haberi deberet infinità multiplicatio formatum vel formalitatum ut determinaretur ad unum præſens. Atque hinc dixi propoſitiones ſcriptas ſecundum ſe poſſe ſic extendi, non enim poſſunt ſic extendi quatenus ſubordinantur propoſitione mentali.

(..)

Digitized by Google

ACTIO IV.

Vtrum aliqua propoſitio ſit à principio indifferens ad veritatem.

Breviarium

Num.1. Reſolutio affirmativa probatur.

2. Alia probatio eiuſdem ubi de unione reali & intentionali.

3. Tertia ratio adductus Ariſt. ex 4. Met.

4. Objectio. Vtrum actus menſuretur objecto in ſeipſo an in ſpecie ſui?

5. Alia objectio. Veritas num identificetur actui?

1. CErtum eſt quod non omnes: nam propoſitiones quas vocāt æternæ veritatis neceſſario ſunt à principio veræ, nec potuerunt eſſe falſæ, & oppoſitæ neceſſariè ſunt falſæ, nec potuerunt fuiſſe veræ. Quæritur ergo de contingentibus qualis eſt iſta. Petrus currit, & ſimiles de quo expreſſa eſt doctrina noſtri Subtilis. 4. citato, vbi patenter innuit partem affirmativam. Poſtea tamen recentes aliqui negativam ſuſtinere cœperunt, contra quos.

Dico reſolutivè plurimas eſſe enunciationes quæ à principio fuerunt indifferentes ad veritatem & falſitatem. Probo, & accipio illam: Petrus currit: prolatam pro inſtanti *A*: in eo inſtanti potuit non fuiſſe hoc obiectum, ſcilicet Petrus currens, ergo potuit non fuiſſe veritas propoſitionis. Potuit etiam fuiſſe, ergo potuit propoſitio eſſe vera. Antecedens eſt euidens, quia libere, & ſaltem contingenter Petrus currit. conſequentiam probo, nam eo quod res eſt vel non eſt oratio dicitur vera vel falſa.

a) *Hurta. diſp. 9. de Anim. ſect. 3.* Negat aliquis (*a*) conſequentiam, & in ſummâ vult quod alius eſſet actus quo diceretur. Petrus currere, quando vere curreret, & alius quo diceretur currere quando verè non curreret, quia ſcilicet actus ille quo dicit Petrum currere habet eſſentialem dependentiam à curſu Petri quum habeat ipſam ab objecto; ſed contra hinc ſequitur ſtatim non poſſe dari actum falſum de Petri curſu; probo ſequelam, quia non actus negans curſum, ille primo fiet verus; non etiam affirmativus, quia ille non poteſt eſſe niſi ſit curſus Atq; ita ſequitur nullam dari falſitatem, errorem, aut mendacium in mundo quod optandum potius, quam credibile eſt; & quoniam manifeſtum eſt nos poſſe habere actus de rebus quæ non ſunt, ſequitur ſecundo nos poſſe dare rebus exiſtentiam per noſtros actus; nam ſi poſſumus dare eſſe actibus qui non poſſunt eſſe ſine obiectis, ſequitur nos dare eſſe objectis, hæc autem falſa & frivola ſunt. ergo.

2. Probo ſecundo intentum, illa propoſitio eſt contingenter vera, ergo potuit ab initio fuiſſe falſa: probo conſequentiam; nam ut ſit contingenter vera debet poſſe eſſe non vera, atq; ita vel debet poſſe habere falſitatem poſt habitam veritatem, vel debet poſſe à principio habuiſſe falſitatem. Atqui non poteſt habitâ veritate ſuſcipere falſitatem ut probatum eſt ex actione præcedenti: reſtat ergo ut à principio quum vere dicta eſt potuerit falſo dici.

Reſpondet neſcio quis apud Maſt. propoſitionem illam & ſimiles eſſe contingentes, non quia ipſa in ſe poſſit eſſe vera vel falſa, ſed quia ſignificatum prædicati contingenter convenit ſubjecto. At enim hoc eſt aſſerere, & negare idem; ſi enim prædicatum realiter ſumptum contingenter conveniret ſubjecto, etiam intentionaliter ſumptum debet contingenter convenire ei, maxime ſecundum ipſum qui vult propoſitionem eſſe imaginē veram & repræſentantē rem ſicuti eſt; tunc enim non poteſt eſſe contingentia objecto niſi ſit etiā in enunciatione. Confirmo; ſi prædicatum abeſſet ſubjecto, & enunciaretur de eo, propoſitio non eſſet vera, ergo ut verè contingenter affirmetur de eo, debet contingenter ineſſe ei: & vrgeo argumentum ſic: Copula ſive unio inter ſubjectum & prædicatum eſt diſſolubilis in propoſitione objectivâ, ergo etiam in propoſitione formali, aliàs hæc copula non perfectè repræſentaret illam. Si autem eſt ſolubilis, tum oppoſitum poterit ineſſe ei; ſaltem hoc poterit abeſſe, tum autem eo ipſo propoſitio eſt contingens, ergo.

3. Probo adhuc intentū arguendo contra ſolutionē datā: hæc: Petrus currit: eſt neceſſario vera poterit de ipsâ haberi ſcientia, non poteſt autem ut ſuppono, ergo. Sequela patet, omnis enim propoſitio neceſſaria eſt ſcibilis vel eſt principiū ſcientiæ. Quod autē non ſit neceſſitas aut contingētia ſolum ex parte objecti, patet inde, quia propoſitiones formales ſunt ſcientiæ ut diſtinguantur ab objectis, [non enim iſta ſunt, ſcientiæ, ſed ſcita) ergo ſunt certæ, neceſſariæ quæ ſunt conditiones ſcientiæ; & ulterius patet res à paritate; nā in moralibus, & in actibus voluntatis non ſolum objecta ſunt mala v.g. furtum, homicidium, & ſimilia, ſed actus circa hæc eliciti v.g. volitio furādi, occidendi, & cur quæſo actus voluntatis erunt formaliter mali & boni, actus autem intellectus non erunt veri certi, &c.

Deinde contra hanc novitatē eſt inſignis paſſus Ariſt. 4. Met. c. ult. vbi damnat imperitiæ manifeſtæ eos, *qui nihil prohibere inquiūt quominus ita ſint omnia, ut diametrum eſſe commenſurabilē* intellige lateri aut coſtæ quadrati, hoc eſt, omnia falſa æqualiter eſſe falſa, planè enim idē dicit quiſquam hanc ſententiā approbat ſecundū, ipſum enim impoſſibile eſt hāc: Petrus currit eſſe falſam, aut hāc Petrus non currit in noſtro caſu eſſe veram, atq; ita iſtæ. Petrus currit: Diameter eſt æqualis coſtæ, ſūt æqualiter falſæ: ſiue, illa non minus falſa eſt quam hæc cujus tamen falſitatē demonſtrat *Euclides* [*b*) penult. l. 1: & quiſq; ſibi ad oculū demōſtrare poteſt extrahendo diametrū ex quadrato, & applicādo ipſam parallelā coſtæ; apparebit enim exceſſus qui ſecūdum eundem Euclidē eſt indeterminabilis, ſeu non reducibilis ad certam proportionem eo quod nō ſit ſicut numeri ad numerum: ſed adhuc contrà. b) *l. 10. propoſ. 10*

4. Obji-

4. Objjcies hæc: Petrus currit eſt imago naturalis objecti ita ut eſſentiale ſit ipſi repræſentare rem ſicuti eſt, ergo non poteſt ſe aliter habere quam habet. Reſpondeo hoc ſi quid valet probare quod non poſſit dari actus falſus de curſu Petri, ſive, quod hæc : Petrus currit quando eſt falſa repræſentat rem ſecuti eſt. Reſpondeo ſecundo deciſive in hoc decipi arguentem quod non diſtinxerit inter repræſentare rem ſicut eſt in ſe, & ſicut eſt in ſpecie, actus non pendet ab objecto in ſe, ſed ab ipſo in ſpecie relucente, adeoque objectum per accidens & impertinens eſt ad actum, & quomodocumque ſe habeat, actus erit idem quia non menſurat ipſam proxime ſed ſpeciem. Hæc dicta ſint de actu abſtractive repræſentante rem, nam actus intuitive repræſentans proxime conformatur ipſi objecto quia proxime cauſatur ab ipſo. Tertio dico aliud eſſe imaginem naturalem aliud imaginem veram, nam etiam ſigna naturalia aliquando ſunt falſa, ſic gemitus eſt ſignum naturale triſtitiæ, & tamen poteſt audiri gemitus, & videri fletus in eo qui non triſtatur

Probatur iterum hoc in eo qui apprehendit angelum per modum juvenis alati, nam actus ille eſt imago naturalis objecti ſui & tamen eſt falſa reſpectu angeli; & proprium exemplum eſt in vidente objectum apparens, ut colores in collo columbæ, Denique totum argumentum magis proprie currit de ſimplici apprehenſione quam de judicio.

5. Objjcies, veritas eſt quid intrinſecum actui & identificatum ei, ergo impoſſibile eſt eam ſeparari ab eo etiam à principio. Antecedens oſtendi poteſt diſcurrendo per omnes actus, nam cognitio intuitiva, cognitio principiorum & ſcientifica ſe ipſis ſunt veri, non enim poſſunt eſſe falſi & idem eſt de cognitione contingenti nam cognitio fidei divinæ eſt contingẽs & tamen eſt infallibilis ſicut alia, ergo, Iam abſolute dicendum eſt veritatem eſſe inſeparabilem ab omni cognitione. Reſpondeo iterum hoc argumento probari, quod non poſſit dari actus falſus. Reſpondeo etiam abſolute concedendo pro nũc totum quoad actus exemplificatos, illi enim non poſſunt ab initio habuiſſe falſitatem. At vero aliæ cognitiones naturales contingentium, quare non poſſunt v.g. illa quâ credo Petrum ad huc vivere & currẽre, opinio fides humana concluſio ſyllogiſtica male illata, cur non poſſunt falli. Cæterum de veritate & falſitate quomodo ſe habeant ad actũ erit proprius locus per Dei gratiam tom 2, phyſico. Ubi videbimus quam verum ſit veritatem identificari actui. Certe autem difficulter poterit falſitas identificari ei, atque adeo hinc non habetur quin actus qui eſt falſus de facto potuerit non fuiſſe talis.

ACTIO V.

Vtrum propoſitio de futuro contingenti, jam habeat determinatam veritatem aut falſitatem?

Breviarium

Num 1. *Status controverſiæ & mens Ariſtotelis.*
2. *Suppoſitio disjuncta ut differat à disjunctiva mens Scoti:*
3. *Veritas rigoroſa non habetur in propoſitionibus de futuro*
4. *Objectio ſoluta. Exceptio à præcedenti regula.*
5. *Contra Ariſtotelem, non eſſe diſcrimen inter ullas enunciationes de futuro.*
6. *Item, veritatem disjuncti eſſe impertinentem*
7. *Defenditur Ariſtoteles quoad indeterminationem veritatis ſimplicium*
8.
9. 10.
& 11.
12. *Probatio oſtenſiua hujus, quod ſcilicet non ſit determinata veritas in ullo futuro.*
13. *Alia probatio Theologica eiuſdem.*
14. & 16. *Probatio phyſica.*
15. *Quarta probatio: & currit de determinatione falſitatis.*
17. *An ſufficiat veritas de præſenti ad verificandam ſemper ante futuritionem.*
18. *An bene reſpondeatur his argumentis per diſtinctiones ſenſus compoſiti, ac diviſi. &c.*
19. *Immunitas hujus ſententiæ, à calumniis*
20. *Nova difficultas contra eam ſoluta.*
21. *Proceſſus M. Petri de Rivo Apoſtolica authori. &c. factus.*
22. *Breve Xyſti. IV. de veritate futurorum &c.*
23. *Perſtringit I. G. Camerarius*

1. P*Ræmittuntur aliqua ſcitu neceſſaria ad reſolutionem controverſiæ.* Non eſt hic quæſtio de disjuncto quâcumque ex parte ponatur ipſa disjunctio. Sic enim certum eſt propoſitionem eſſe determinatæ affectionis non vero ſuſpenſam inter verum & falſum. Accipiamus enim exemplum hoc philoſophi. Bellum navale erit cras, dico hanc *Bellum navale erit vel non cras*, eſſe determinate veram hodie : ſed quæſtio proprie eſt de hac ſimplici, bellum navale erit cras an hodie ſit determinatæ veritatis aut determinatę falſitatis id eſt, utrum una ex his affectionibus magis competat ei quam alia, aut etiam ita ut alia non competat, ſed abſit ei[licet nos neſciamus quænam ſit illa, puta utrum ſit veritas an falſitas) an vero ſuſpenſa ſit inter utrumque ita ut neutra magis ei inſit quam alteri in ullo inſtanti antequam actu ponatur inexiſtentia.

Non poſſum tamen hic non notare quorumdam *a* notabilia : ſcilicet aliquis definit futurum *exiſtentiam rei inſtanti ſequenti connotando, carentiam ſui in inſtanti præſenti* & alius *b* grammaticus docet nos quod *qui dicit amabo nihil aliud ſignificat quam futurum eſſe tempus in quo amare inchoabo*; quod utrumque falſum eſt quoniam mea vita cras eſt futurum contingens, nec tamen (ſi vixero cras) vita mea craſtina connotabit carentiam ſui hodie, aut etiam inſtanti præcedenti, neque cras inchoabo eam, ſufficit ergo ad futurum quod habeat eſſe tempore ſequenti, illud in quo quis loquitur

a *Pe: Hurt ad: diſp. 9. de An. Sect 6.*

b *Nebriſ: cap. 5. de Conjugat:*

Digitized by Google

det rectâ lineâ loquenti, quod eſt futurum, eſt à latere, & oblique ei reſpondet, qui autem dicit dari de præſenti veritatem ſuæ aſſertionis, dicit objectum coram ſe eſſe, nam ſi non, nec veritas propoſitionis eſt, ergo.

Dici contra poteſt, hæc ſi valent, probare quod nec propoſitiones de præterito ſint veræ; hoc autem eſt valde durum; ſequela tamen patet applicando eaſdem rationes, nam objectum hujus *Petrus cucurrit* iam non eſt, adeoque nec veritas propoſitionis, ut jam deduximus. Reſpondeo ita eſſe ſimiliter, hoc eſt, in rigore non eſſe illas veras de præſenti, & proinde, ſi vera fateri volumus, ſolius Dei ſcientia eſt proprié ſemper vera, quia nimirum ſoli ipſi omnia ſunt præſentia, nec ipſe habet ullam notitiam niſi intuitivam non enim aliter novit facta quam facienda,

Cenſeo tamen id quod nos concipimus aut ſaltem quod poſſumus concipere, interimdum eiuſmodi enunciationes formamus poſſe habere objectum ſibi correſpondens, ſed videmur laborare inopiâ vocum aut etiam improprietate conceptuum ſive propter dependentiam noſtrâ à phantaſmatibus, ſive aliunde, ut bene notavit Aureolus citatus ſed nihilominus.

4. Objicies. Hæc; *Petrus curret* non eſt verâ jam, erit ergo falſa, tum autem ſequitur quod hæc *Petrus non curret* eſt vera, hæc autem eſt de futuro, ergo jam aliqua propoſitio de futuro eſt vera prior ſequela patet quia illa eſt contradictoria alterius, at vero ex contradictorijs quando una eſt falſa altera ſtatim eſt vera ergo. Reſpondeo: de primâ conſequentia infra dicam numer 8. Tranſeat pro nunc, & Reſpondeo ad ſequentem quod ſit vera ſeu bona potius, & conſequens verum. Ad ulteriorem conſequentiam, ergo aliqua propoſitio de futuro affirmativa eſt vera nego; negativa concedo, & talis eſt iſta, Hæc dicta ſint in expoſitionem D. ſubtilis, qui in hunc ſenſum declaravit ſe, q. cit n. 4. addens. *Dico igitur quod hæc Tu eris albus in A. abſolute enunciata eſt determinate falſa &c. ut ſuprà in Themate.* quem locum libentiſſime vidiſſet Briſenus qui nobiſcum ſentit propter alia loca Doct. magis obſcura. Unde denique quamvis non habeamus ut dixi voces, quæ rem perfectè exprimant, ac proinde quadam neceſſitate copulemus in ſimul tempora diſtincta, ſcilicet præſens & futurum, tamen aliquo modo magis propria eſt hæc: *Iſta Petrus currit in inſtanti A.* ſcilicet decem annis abhinc *erit vera*, quam iſta; *Petrus curret*. Iam ad reſolutionem difficultatis eo modo quo à nobis concipitur, & paſſim explicatur ſub iſta forma Petrus curret, & ſimilibus

5. Dico 2. Jmmerito Ariſtoteles diſtinxit de propoſitione univerſali, ac particulari in hac materia, quaſi illa debeat eſſe determinaté vera aut falſa, hæc non.

Probo inprimis ad hominem rationibus eius quæ æque hoc probant contra ipſum; ac illud de ſingularibus contra alios. Ecce quomodo: nam ſi ex eo quod hac *Petrus curret* ſit determinate vera, ſequitur quod ſit neceſſario vera quis non videt ex eo quod hæc *omnis homo curret* ſit vera ſequi quod neceſſariò ſit vera, aut ſi falſa quod ſit neceſſariò falſa, quod in re & ſecundum ipſum met eſt falſum; ſupponimus enim eam eſſe contingentem. Iterum ſic: accipio particularem, *aliquis homo curret* quæ eſt altera pars contradictionis quam ipſe ponit habere in ſingulis partibus determinatam veritatem aut determinatam falſitatem iſtius ſcilicet *omnis homo curret aliquis homo non curret*: hæc particularis eſt determinaté aliquid horum ſcilicet vel vera vel falſa, ſupponamus autem eſſe determinate veram infero, ergo hæc *hic homo*, vel *Petrus curret* eſt determinaté vera, probo conſequentiam, quia particularis non verificatur niſi per ſingularia, non enim poteſt dari curſus niſi in aliquo ſingulari & quidem determinato.

Dici poſſet non requiri ſingulare determinatum ad veritatem particularis, nam hæc particularis vera eſt: aliquis oculus neceſſarius eſt ad videndum, nec tamen invenitur aliquod ſingulare determinatum cui hæc neceſſitas competat, nam neque dexter oculus determinate neceſſarius eſt, cum ſufficiat ſiniſter, nec ſiniſter ob eandem cauſam ei applicabilem, ut vides ergo. Audio & arguo ſic in oppoſitum ex regulis ſummuliſtarum: Tritum enim apud ipſos eſt aliam eſſe ſuppoſitionem diſjunctivam, aliam diſjunctam; & in diſjuncta quidem non eſſe neceſſarium aliquid determinatum ſingulare cui prædicatum illud aſſertum de particulari, conveniat, quod patet in exẽplo illo oculi, at vero in diſjunctivâ è contra, id eſſe omnino neceſſarium ſumo ergo propoſitionem ſupponentem diſjunctive quæcumque illa ſit, ibi ſaltem debebis concedere ſingulare de quo affirmatio determinate ſit vera, in re autem talis eſt ſuppoſitio in illa, *aliquis homo currit* ſi in ulla ſit. Urgeo argumentum ſic: hæc, *aliquis homo currit*, non poteſt verificari niſi de curſu determinato, tale enim debet eſſe quidquid eſt extra ſuas cauſas; ut eſt ille curſus ſine dubio, ergo neque etiam niſi ſubjecto determinato, nã forma determinata non poteſt carere ſubjecto determinato, atque ita hæc; aliquis homo currit non poteſt verificari, niſi per aliam de ſubjecto & prædicato determinatis, adeoque ſingularibus. Ergo nec hæc; aliquis homo curret nam ut ſupra vidimus n. 3. idem .... utrobique dicitur; idipſum jam eſt futurum quod poſtea erit, ut patet in convertente hujus quæ paulo notior eſt ſcilicet iſtâ quod jam eſt, ante jam fuit futurum.

6. Dico 2. fruſtra dixit Ariſtoteles diſjunctum de futuro contingenti ſive propoſitioné de prædicato copulato eſſe determinate veram. Etenim cũ videret ille ſententiam ſuã qua eiuſmodi futuris negavit abſolutam veritatem incurrere difficultatem contradictoriarum quarum iſta lex eſt, ut unã ſit ſemper vera altera falſa (quam nunquam poſſint ambo eſſe aut ſimul veræ aut ſimul falſæ] excogitavit hanc viam ut diceret diſjunctum, ſive enunciationem de prædicato copulato v. g. totum hoc *Petrus curret vel non curret* eſſe determinate verum; ſingulas autem partes ſive propoſitiones ſimplices copulatas v.g. iſtam *Petrus curret* indeterminate veram id eſt vel veram vel falſam, idemque de ſecunda.

Probo concluſionem; quia illa doctrina non fuit ad rem, quod ſic oſtendo; nam non eſt in propoſita materia, agitur enim de propoſitionibus circa futurum contingens. At vero iſta Petrus curret vel non curret; non dictat de futuro vel præſenti contingenti ergo, Minorem probo, quia Petrum eſſe curſurum vel non eſſe curſurum eſt neceſſarium, ergo non contingens. conſequentia tenet, nam ſunt immediate oppoſita Antecedens autem probo non poteſt Petrus neque currere neque non currere aut currere non currere ſimul, ergo neceſſarium eſt ut pro quocumque inſtanti

ſignabili

ſignabili currat aut non currat: ergo denique objectum hujus propoſitionis eſt neceſſariũ, adeoque non contingens

Dices, tam currere, quam non currere eſt contingens, ergo potius propoſitio ex toto objecto ſuo eſt contingens. Diſtinguo antecedens & dico *currere* & *non currere* diſjunctive ſumpta eſſe contingens, *currere* autem & *non currere* copulate aut diſjunctim ſumpta eſſe neceſſarium, quia hæc Petrus currit & non currit, eſt neceſſario falſa; hæc autem Petrus currit vel non currit neceſſario vera.

Quamvis autem hoc ita ſit, non tamen ſufficienter impugnatum eſt hoc punctum à ſequentibus quibusque. nuperus quidam inſultavit Ariſtoteli hac ratione. Quãdo quis dicit vere hic eſt Petrus vel Paulus, ille actus eſt de individuo vago; at vero individuum quod hic eſt, aut eſt determinate Petrus aut determinate Paulus, illa autem confuſio ſignificata per ly, *vel*, eſt ex parte intellectus & ſignificat tantum indifferentiam aut confuſionem actus non valẽtis diſcernere Petrum à Paulo, ergo jam in re idem eſt diſjunctum & diſjunctivum; neque quærendæ ſunt pro illis diverſæ regulæ. Augeamus difficultatem pro ipſo ego non poſſum habere lapidem vel lignum in meo pugno niſi ut revera & determinate ſit ibi lapis vel lignum, ergo jam verum vel falſum diſjunctim, & indeterminate (velit nolit quicumque) incidit in verum aut falſum determinate. Reſpondeo breviter & facile ita eſſe in exemplo dato, nego tamen ita eſſe univerſaliter; ſi autem non ita ſit univerſaliter ſed poteſt aliter ſe habere, poterit Ariſt. prætendere ſuum caſum ſubſiſtere, quia ex ijs eſt, qui non regulantur illa regula Quod autem ita non ſit univerſaliter, infra ſtatim oſtendam in refutatione Gregorij,

7. Hic enim multo accuratius impugnavit doctrinã Ariſtotelis pro altera parte ſupra explicata, id eſt pro eo quod dixit dixit de ſimplicibus partibus diſjuncti, puta de hac: Petrus curret, quod ſcilicet non ſit vera aut falſa fixe, ſed quodammodo ſuſpenſa inter utrumque; arguit autem, nec male, ſic,

Impoſſibile eſt aliquam propoſitionem eſſe quæ non ſit aut vera aut falſa, ergo quælibet habet de facto unam ex duobus, ſive falſitatem ſive veritatem. Antecedens probat ſic, ſi enim poſſit eſſe aliqua neque vera neque falſa ſit iſta *Petrus curret*, vel iſta *Antichriſtus erit*, & tunc arguit Sic: Hæc non eſt vera neque falſa, ergo neque Antichriſtus erit neque Antichriſtus non erit, quia ſi non ita ſit, ſtatim ſequitur oppoſitum eius, ſcilicet Antichriſtus erit vel Antichriſtus non erit; ſi autem nec Antichriſtus erit nec Antichriſtus non erit, ergo jam neç erit, nec non erit Antichriſtus atque ita (inquit) habebitur medium in contradictione: Ita ille ſed ſuſtinenda eſt omnino doctrina illa Ariſtotelis quoad alteram partem de ſimplicibus propoſitionibus diſjuncti, vnde de hujus diſcurſu concedo primum enthymema, & probationem eius totam uſque ad ultimam conſequentiã nego ergo iſtam; neq; Antichriſtus erit, neque Antichriſtus non erit, ergo nec erit nec non erit Antichriſtus, quia eſt à ſenſu diſjunctivo ad diſjunctum & patet neganda, nam aut duæ illæ ſynonymæ ſunt aut non, ſed aliud & aliud dicunt ſi ſynonymæ ſunt, non poſſunt facere conſequentiam, quia non ſunt aliud & aliud, ſicut nec valet conſequentia ab enſe ad gladium, ſi autem ſint aliud & aliud non eſt manifeſta bonitas conſequentiæ, quia non quodlibet ex quolibet ſequitur

Sed inſtat Gregor ſequitur: ſortes non ſcribit neque ſortes diſputat, ergo ſortes nec ſcribit nec diſputat: ergo ſimiliter ſequitur illa ſuprà, neque Antichriſtus erit neque Antichriſtus non erit, ergo Antichriſtus nec erit nec non erit. Reſpondeo negando conſequentiam, aſſignanda eſt hujus ratio fateor, & dabo eam, erit autem alia inſtantia in qua non valet eiuſmodi conſequentia, (nam nec arguens aliam rationem adduxit quam inſtantiam ſuam.) Mea eſt iſta: Verum eſt oculum dextrum non requiri ad videndum (quia ſcilicet ſine eo per ſiniſtrum poſſumus videre) nec ſiniſtrum ſimpliciter requiri, (quia ſimiliter per dexterum poſſumus videre) nec tamen valet inferre, nec dexter nec ſiniſter requiritur ad videndum, nam conſequens hujus eſt falſum, ergo ſimiliter

Itaque illud diſjunctum negato diſjunctivo nõ ubique aut in omni materia intrat, ſed (quantum hucuſque depræhendi) tum tantum quando diſjunctivum conſtat affirmatione & negatione eiuſdem, ibi enim videtur à natura proviſum ne quando ſubjectum aliquod ſit de quo non verificetur aliquo modo altera pars contradictionis. Patet ergo cur valeat *ſortes non ſcribit & non diſputat, ergo non ſcribit nec diſputat.* non autem valeat hæc, *nec Antichriſtus erit nec Antichriſtus non erit nec erit nec non erit*: quia nimirum priores illæ conſtant prædicatis diſparatis & poſitivis, non autem contradictorijs, ſcilicet ſcribere & diſputare, poſteriores autem conſtant contradictorijs quæ pro utraque parte abeſſent ſubjecto niſi poſt negatum diſjunctivum ſupereſſet illud diſjunctum. In priori autem caſu non eſt hoc periculum, quia inter ſcribere & diſputare eſt facillimum inventu medium, poteſt enim interim arare & navigare & alia ſexcenta, ergo his niſi fallor aperio viam ad rei veritatem, Peripateticam doctrinam, atque adeo ſcotiſticam, ex profeſſo defendendam vnde.

Reſolvo controverſiam negative; & oſtendo argumenta Recentiorum non probare determinatam veritatem futurorum.

8. Dico ergo reſolutive propoſitiones ſingulares de contingenti futuro ſecundum ſe ſpectatas, hoc eſt, ſecluſa ſcientia Dei, & alijs externis ex objecto ſuo non eſſe determinate veras aut determinate falſas. Hęc eſt clariſſima Ariſtotelis primi Peri h. ultimo, ob quam hactenus multa paſſus eſt, maxime à modernis, & ſic eum omnes intellexerunt. Scoti eſt clariſſima toties illa q. ult ſecundi operis, nec ſolum ſed etiam in primo d. 39. q. un, ut egregie advertit Briſenus noſter tom, 2. contr. 11. Vbi pleno ore pronunciat Scotum late diſſidere ab ijs qui enunciationibus de futuro contigenti determinatam veritatem adſcribunt. eam ex propoſito, ſed infeliciter ſuſtinuit Catherin opuſc. proprio; nervoſius noſter Cardinalis Aureolus & ex parte Corduba q. 55. Cum autem ſit concluſio negativa ſufficit ei improbationem ſolutio argumentorum in oppoſitum, & quidem id jam ex parte feci, unum enim ex magis moleſtis eſt illud Gregorij jam ſolutũ ſed ad huc.

Obijcio

Objicio ego ſecundò; hæc, *Antichriſtus erit*, aut eſt vera, aut eſt falſa, ſi vera habetur intentum, ſi falſa, ſequitur hanc eſſe veram, *Antichriſtus non erit* quia eſt contradictoria ejus. Tum autem falſificatur concluſio, quia hæc ipſa eſt de futuro cōtingenti. Confirmatur efficaciter, quia inter eſſe & non eſſe non eſt mediū, ergo inter propoſitiones denunciantes eſſe & nō eſſe qualis eſt negativa & affirmativa non datur medium, ergo una illarum debet eſſe vera, altera falſa, ergo quælibet ſignata eſt vera vel falſa. Confirmatur adhuc efficaciùs quia illa non poteſt eſſe ſimul vera & falſa, quoniam enunciatum non poteſt ſimul eſſe & non eſſe. Item non poteſt eſſe nec vera nec falſa quia res non poteſt nec eſſe nec non eſſe, ergo neceſſariò debet eſſe vel vera vel falſa. Hoc eſt potiſſimum argumentum oppoſiti quod Rec: ex Aut. hic ex Henr. deſcripſit. Vis autem ejus & cæterorum ferè omnium, quæ contra concluſionem moveri ſolent, conſiſtit in quibusdam principiis primis quæ videntur non poſſe ſalvari, niſi negetur concluſio; ſunt autem iſta. *Inter contradictoria non dari medium*. Item, *de quolibet verum eſt eſſe aut non eſſe*, ſive, *cujuscunque contradictionis alteram partem neceſſariò affirmari de quolibet ſubjecto*. Denique, *contradictorias propoſitiones, non poſſe ſimul veras, neque etiam ſimul falſas*, quæ omnia aut per ſe nota ſunt, aut per ſe noſcibilia, ſive facillimè reducibilia ad evidentiam, ut probatur apud Philoſophos partim hic *lib.* 1. partim in Met. *lib.* 4. Et quia prænotavi fundamentum Adverſariorum, ponam meum quod eſt, aliud eſſe veritatem determinatam, aliud indeterminatam, & quodcunque ex his ſufficere ad ſalvandam contradictionem, quia etiam quod indeterminatè ineſt prædicatur verè de re, imò multæ prædicationes aliter ſalvari non poſſunt, quia non faciunt alium ſenſum, ut patet in illo. Aliquis oculus neceſſari' eſt ad videndum; ſub quâ faciend' eſt deſcenſus disjunctus ut vocant, & ſuprà explicavi, ſcilicet vel dexter vel ſiniſter indeterminatè, neuter autem determinatè. Opponamus jam utriusque partis argumenta ſive ipſorum objectiones huic fundamento.. reſpondeo ergo illam *Antichriſtus erit*, eſſe verā vel falſam ſed indeterminatè; probationes autem ſubjunctæ procedunt, ac ſi ego reſponſurus eſſem quod propoſitio illa foret vera vel falſa determinatè. Unde ad primam confirmationem, concedo totam; nihil enim nocet, concluſio enim illata eſt noſtra; iſta ſcilicet, ergo una illarum debet eſſe vera, altera falſa. Sed pro ſequentibus argumentis iterum Reſpondeo inter contradictoria non dari medium, attamen inter iſta dari medium, quia nimirum iſta non contradicunt ſibi, ecce quomodo non: Hæc *Antichriſtus determinatè peccabit*, non negatur aut contradicitur perfectè per hanc Antichriſtus determinatè non peccabit; ſed per hanc: Antichriſtus non determinatè peccabit, de quo plura infrà. Atque hinc patet nos poſſe concedere ſecundam confirmationem; dicit enim nobiscum, ſcilicet eam eſſe veram vel falſam: ſed contra ſolutionem.

9. Objicit nec malè Vaſq. ſi propoſitio affirmativa de futuro contingenti, v. g. hæc *Petrus peccabit* non ſignificaret verum nec falſum determinatè, ſed verum vel falſum confusè, fieret ut propoſitio negativa de futuro contingenti non contradiceret ei puta hæc. *Petrus non peccabit*, conſequens eſt manifeſtè falſum; probatur tamen conſequentia, quia una non negat quod aſſerit altera, ſed potiùs utraque idem dicunt, ſcilicet rem eſſe ſuſpenſam inter eſſe & non eſſe; & differunt tantùm penes incipere contradictionem ab uno extremo potiùs, quàm ab altero. Patet hoc; clarum eſt enim idem eſſe *peccare & non peccare* atque *non peccare & peccare*. Hinc autem ſequitur non poſſe dari contradictionem de futuro contingenti, niſi in propoſitionibus complexis ſic dicendo: Petrus peccabit, aut non peccabit: Petrus neque peccabit, neque non peccabit; quod tantum abeſt à vero ut iſtæ propoſitiones omnino non ſint de contingenti, nam prima eſt neceſſariò vera, altera neceſſariò falſa, ut ſuprà ipſe notavi, ergo Reſpondeo arguentem hic deceptum in ſignificatione vocum, aliud eſt enim propoſitionem non ſignificare determinatè, & aliud eam non eſſe veram determinatè quæ duo adverſarius confundit, ſed immeritò, nam diverſiſſima ſunt. Dico ergo hanc: Petrus curret; affirmare abſolutè & determinatè curſū, ſed non eſſe determinatè verā, imò ideo non eſt determinatè vera, quia abſolutè & determinatè affirmat curſum, qui adhuc indeterminat' eſt ad eſſe.

Sed tum videtur remanere difficultas argumenti, nam ſi hæ ſint contradictoriæ, & quælibet ſignificat determinatè; jam eſſe aut non eſſe rei eſt determinatum, non verò indeterminatum, ut nos volumus. Reſpondet Aureol. Legem contradictoriarum eſſe, non quòd ſit una vera, & altera falſa, ſed quod ſi una ſit vera, altera debeat eſſe falſa, ita ille. At enim hoc eſt contra communem Logicam atque etiam Methaphyſicam, quia ſic inter contradictoria daretur medium. Reſpondeo ergo ipſas non eſſe perfectè contradictorias, quod clarius patebit exhibendo alias propoſitiones, quæ explicant jam dictas. Iſtæ enim, Petrus eſt determinatus ad eſſe; Petrus eſt determinatus ad non eſſe, non ſunt contradictoriæ, quia Petrus intelligi poteſt in ſtatu medio ſcilicet, ut neque ſit determinatus ad hoc, neque ad illud; apparet autem illas eſſe ſynonimas iſtis, adeoque. Itaque *τὸ non eſſe* hic ſonat neſcias quid poſitivum, & accipitur magis infinitanter, quàm negativè, quia nimirum eſt terminus poſitivæ determinationis ſeu actionis cauſæ efficientis, ſi autem acciperetur pro mero nihilo ſufficeret nihil determinationis, id eſt non determinatio, nec eſſet opus poſitiva determinatione, ut res in eo ſtatu collocaretur; atq; hinc ſolvitur ſequens, quod omnibus ferè plus apparentiæ habet.

10. Objicies adhuc; ſi res ſic ſe habet, quòd jam ſit indeterminata ad eſſe præ non eſſe, nec magis ad unam partem, quàm ad aliam inclinat, ſequitur potius contra nos, quod propoſitio de futuro ſit determinatæ veritatis aut falſitatis, quia nimirum hæc *Petrus erit*, cum affirmet Petrum abſolutè futurum eſt falſa, nam Petrus non eſt abſolutè futurus, ex hoc autem ulterius duo abſurda ſequuntur, & quidem incompoſſibilia; unum eſt oppoſitam propoſitionem *Petrus non erit*, eſſe veram, quia quando una contradictoriarum eſt falſa, altera neceſſariò eſt vera atque ita dabitur de futuro determinata veritas & determinata falſitas. Alterum eſt illam oppoſitam eſſe falſam, atque ita duas contradictorias eſſe ſimul falſas, quod impoſſibile eſt, ut vidimus, ſequela tamen hæc probatur eâdem rati-

ratione quâ præcedens, nam ſi objectum eſt adhuc indeterminatum ad eſſe & non eſſe, etiam falſa eſt abſoluta aut determinata affirmatio non eſſe de ipſo, quis hoc non videat? ergo reſpondeo ergo ad hoc ſicut ad præcedens has & ſimiles videri tantùm contradictorias, non verò eſſe, cujus cauſa jam tacta eſt, quia eſſe & non eſſe hic concipiuntur tanquam duo ſtatus rei eam concipienda eſſent, tanquam ſtatus & negatio ejuſdem, atque ideo neque ſequitur ex falſitate unius propoſitionis veritas alterius, cum poſſint habere medium, neque abſurdum eſt eas eſſe ſimul falſas, ſicut & alias affirmationes terminorum poſitivorum de eodem. Itaque huic *petrus determinatè erit*, ſive (quod in idem redit) *eſt determinatus ad eſſe* non contradicitur per hanc. *petrus determinatè non erit* aut *eſt determinatus ad non eſſe.* Sed per has potiùs, *petrus non determinatè erit* aut (rectiùs) *non eſt determinatus ad eſſe*, quod notandum eſt, quia inadvertentia hujus credo plures traxit in oppoſitam partem putantes ſe non poſſe aliter evadere contradictiones.

11. Objicies ultimò, hæc erit vera aliquando (ſupponamus poſt bis mille annos) *Antichriſtus eſt*, ergo hæc hodie eſt vera, *Antichriſtus erit poſt bis mille annos.* Patet conſequentia primò ex nobis, quia idem utrobique dicitur, ſicut patuit
(f) num. 3. hujus. ſuprà (f) ex figura plurium videntium idem objectum ex diverſis locis. Secundo quia ex eo quod hæc verificetur aliquando: *Antichriſtus eſt* ſequitur in quolibet inſtanti ſequenti, hanc eſſe veram *Antichriſtus fuit*, ergo conceſsâ illâ ſemper verâ, ſequitur in quolibet inſtanti præcedenti hanc eſſe veram ſimiliter ſcilicet determinatè *Antichriſtus erit*, patet enim patenter quod æqualiter ſe habeant duo illa tempora, ſcilicet præteritum & futurum ad præſens, circumſtans enim ipſum hinc inde ſimiliter. Tertio logicè quaſi à priori probatur eadem conſequentia ſic; Ex oppoſito hujus ſequitur oppoſitum illius, certum enim eſt ſi *Antichriſtus non erit*, quod non dabitur inſtans in quo habeat aut ſit ejus eſſe; atque ita ex oppoſito conſequentis colligitur oppoſitum antecedentis qui eſt character bonæ conſequentiæ, & formalis. Confirmo nihilominus adhuc, quia hæc: Antichriſtus peccabit: eſt determinatè falſa in inſtanti præſenti quo peccat, atque etiam in inſtanti ſequenti illud quo peccat, ergo in inſtanti aliquo præcedenti eſt vera; nam videtur impoſſibile quod falſitas determinata poſſit ineſſe illi, cui non poſſit veritas ineſſe.

Reſpondeo tamen negando conſequentiam, quamvis revera multam probabilitatem ſeu apparentiam potiùs habeat: oſtendo ergo cauſam, cur una non debeat eſſe determinatè vera, & ſi altera ſit, quia nimirum non ſunt cætera paria utrobique, nam præter conjunctionem prædicati cum ſubjecto, qui profert propoſitionem de præſenti, hoc ulteriùs habet quod in inſtanti quo ipſe loquitur ſit determinatio ſubjecti adhoc prædicatũ *eſſe aut peccare* præ oppoſito ejus. At vero in inſtanti quo loquitur is qui profert eam de futuro non eſt illa determinatio; Atque ita verũ undiq; eſt quod nos dicimus ſcilicet propoſitionem illam eſſe veram aliquo modo non tamen determinato. Hinc ad probationes conſequentes dico; ad primam, quod quidem utrobique idem dicitur, at non eodem fundamento, & propterea utrumque eſt verum at non eodem modo, ſed in uno caſu determinatè, in alio indeterminatè. Ad ſecundum de præterito ipſa ſolutio principalis dat diſparitatem hujus, quia etiam in præterito eſt illa determinatio, & quidem major, quàm in præſenti. Ad tertium reſpondeo non ſequi perfectè oppoſitum antecedentis ex oppoſito conſequentis, nam quamvis hæc Petrus erit, non ſit determinatè vera, adhuc illæ de præſenti & præterito etiam poterunt eſſe determinatè veræ.

Plus urget confirmatio, & urgetur ampliùs, ſic: Conditio illius propoſitionis, Antichriſtus erit: mutata eſt in inſtanti, quo Antichriſtus incipit eſſe de præſenti; atqui in illo inſtanti eſt falſa ergo in prioribus fuit vera. Sed reſpondeo ad omnia non ſequi, quod in prioribus inſtantibus fuerit vera determinatè, eo, quòd jam ſit falſa, mutatio enim contigit per hoc quòd illa propoſitio quæ ante fuit indeterminata falſa jam ſit determinatè falſiſſima, ubi vides nos non negare veritatem propoſitioni de futuro, ſed determinationem ejus. Aliud argumentum principale adverſariorum poſitum eſt ſuprà ex Greg. num. 7. & ibidem ſolutum. Atque hæc ni fallor perſuadent abundè non ſubeſſe rationem aſſerendæ veritati determinatæ hujuſmodi futurorum ex commenſuratione eorum ad objectum præcisè, adeoque immerito in hoc puncto rejici à recentibus Ariſtotelem. Non nego ea habere determinationem, ſive à ſcientia, ſive à decreto Dei, ſed hoc neque eſt hujus loci, quum ſit Theologicum, neque ab Ariſtotele exigi debuit quum dependeat à fide.

Adferuntur rationes, quibus convincitur non dari determinatam veritatem in illis de futuro contingenti.

12. Ulterius tamen hæc veritas ſeu indeterminatio propoſitionum ſuaderi poteſt oſtenſivè ut loquuntur. Ad quod præſtandum ſuppono ſemper quæſtionem eſſe merè logicam ac naturalem, & quærere de ſtatu propoſitionis ſecundùm ſe & ex objecto. Oſtendo, inquam, non ſufficere ad præſentem veritatem hujus *Antichriſtus erit*, vel, *peccabit*: quod aliqua de præſenti aliquando ſit vera, puta iſta. *Antichriſtus eſt*, vel *Antichriſtus peccat*. & ſic arguo; nulla veritas de contingentibus poteſt dari prior illa, quæ eſt de præſenti. Atqui veritas de futuro, ſi detur, ſine dubio eſt prior veritate de præſenti, cũ res quæcunque quæ futura eſt, prius ſit futura, quã præſens, ergo non datur veritas ulla in propoſitione de futuro ullo contingenti. Vis eſt in majori, quam ſic probo, & proſequor quodammodo rationem Ariſtotelis, ſumo: autem futurum liberum, quod eſt peccatum, v. g. ſi daretur veritas de peccato Antichriſti prior ipſo peccato ſeu veritate de exiſtentia ejus tum peccatum non eſſet peccatum, hoc autem implicat in terminis, ergo & illud. Probo ſequelam majoris quia actus ille non eſſet liber; hinc autem ſtatim ſequitur quod non eſt peccaminoſus, ergo. Quod non eſſet tum liber oſtendo, quia antequam poneret eum Antichriſtus eſſet determinatus ad eum ponendum, hoc autem manifeſtè deſtruit libertatem. Probo aſſumptum, actus eſt determinatus ad eſſendum, ergo cauſa ejus eſt determinata ad

eum

eum ponendum. Si enim actus non ſit à ſe, ſed à cauſa non poteſt eſſe determinatus ad eſſendum niſi cauſa ſit determinata ad eum ponendum; nam quum eſt, ab alio eſt.

Hic intruduntur magno impetu diſtinctiones de ſenſu compoſito & ſenſu diviſo; neceſſitate conſequentis ſeu antecedenti, & neceſſitate conſequentiæ ſive conſequentis, quá diſtinctionem formare potes de determinatione ad propoſitū, ut alia ſit antecedens, alia ſubſequens, ſed oſtendam omnia nihil facere niſi contra Adverſarios; tunc enim eſt determinatio ſubſequens, tunc ſenſus eſt compoſitus ſive clariùs, tunc determinatio aliqua non tollit libertatem determinati quando per ipſum agentem poſita eſt; atqui hîc non poteſt dici, quod determinatio ponatur ab ipſo determinato, ergo. Minorem probo, non poteſt homo, puta Antichriſtus, ſe determinare niſi in actu ſecundo, & per actum ſecundum ſive aliquam actionem ergo determinatio quæ præcedit actionem hominis non eſt ab ipſo; probatur antecedens, quia non poteſt exercere libertatem niſi ſic, nam actus primus ipſius potentiæ non eſt liber in eſſendo, ſed in agendo duntaxat, ergo. Sed hæc determinatio quoad futurum præcedit actum ſecundum, quia futuritio præcedit exiſtentiam adeoque determinatio ad futurum præcedit determinationem ad exiſtentiam.

Confirmo propoſitum cum Aureolo: Quidquid intelligitur cauſare aut influere in aliquid, debet intelligi influere in aliquid ſequens, aut concomitans ſe, aut in aliquo inſtanti ſequenti aut concomitanti ſe, ſed futurum non eſt concomitans, & multò minùs ſequitur præſens, ergo non poteſt influere in ipſum, atq; ita veritas futuri non poteſt oriri ab illa de præſenti: & eſt, ac ſi dicamus omnem cauſam eſſe priorem ſuo effectu, præſens non eſt prior futuro ergo non eſt cauſa ejus.

13. Probatur ſecundò, & ſuppono ſemper nos loqui de futuris ſibi relictis ſive ſumptis antecedenter aut independenter à decreto & ſcientia Dei de ipſis. Accipiamus enim unum hujuſmodi, & ſit caſus de electione & reprobatione, in quâ ſunt plura inſtantia, ſine dubio. In primis enim ante totam ipſam ſunt tria inſtantia, in quibus perſonæ SS. Trinitatis ordinem aliquem inter ſe ſervant; deinde eſt inſtans prædeſtinationis poſitivæ electorum, ſive poſt, ſive ante merita, tum fortaſſe eſt quintum inſtans reprobationis negativæ damnandorum, ac deniq; eſt ultimum, in quo poſitivè reprobantur. Vnde ſic arguo, & aſſumo hanc: Petrus conſequetur gloriam. Hæc pro ſecundo aut tertio inſtanti, neque eſt vera determinatè, neq; determinatè falſa, hæc tum eſt de futuro, ergo aliqua de futuro intelligitur, quæ non habeat determinatam falſitatem, ſi autem una certè omnes, atque ita omnino ruit concluſio adverſariorum Major probatur, non enim eſt falſa tum, quia habebit propoſitionem de præſenti veram, ut ſupponimus jam enim ille S. Petrus conſequitur ſeu habet gloriam; non eſt determinatè vera, quia non poteſt, gloria illa adquiri, niſi Deo volente quandoquidem conſiſtat in viſione quæ ſine conſenſu objecti non contingit, quia eſt objectum (ſicut etiam ſpeculum) voluntarium, & in ſummâ *ſi vult* (o) *videtur* Dices tum haberi conſenſum objecti, non quidem præſentem ſed futurum, tum enim verum eſt, quod Deus eliget Petrum; ſed præter ſuprà dicta contra hoc fundamentum, ſic etiam argui poteſt; non poteſt verificari hæc: Petrus conſequetur gloriam niſi poſitâ veritate hujus, *Petrus conſequitur gloriam*, adeoq; niſi ponantur ſufficientes cauſæ hujus non poteſt haberi certa veritas illius de futuro: atqui non ponitur pro tunc ſufficiens cauſa veritatis illius; Petrus conſequitur gloriam quod probatur nam quamdiu Deus eſt electurus Petrum nunquam eſt verum Petrus conſequitur gloriam, ſed debet actu eligere imò etiam actu conferre ei gloriam, ut verè dicatur Petrus habere gloriam. Atqui in illo inſtanti Deus tantum eſt daturus Petro gloriam, ergo nondum habetur cauſa ſufficiens verificandæ propoſitionis de præſenti: Petrus habet gloriam. Atqui quamdiu illa non habet fundamentum ſuæ veritatis, multò minùs poteſt ipſam habere alia, quæ ab hujus veritate dependet ergo.

(o) S. Ambroſ.

Confirmari poteſt hæc via, quia, ut dixi, ipſæ perſonæ divinæ ſervant ordinem inter ſe in procedendo, & prima præcedit pro aliquo ſigno ſecundam, alioquin non eſſet ibi ſecunda, ſaltèm non eſſet ſecunda illa, quæ jam eſt, & poſſemus dicere quòd prima ſit Spiritus ſanctus incipiendo numerationem inde, ſicut poſſumus numerare tres arbores ſecundò, incipiendo ubi deſivimus primò; unde ſic argui poteſt ad propoſitum: In eo inſtanti, in quo prima eſt, certum eſt, quod in tertio hæc ſit vera: Spiritus ſanctus eſt: & tamen non propterea in ipſo primo hæc eſt vera: Spiritus Sanctus erit, aut ulla de Spiritu Sancto tanquam de futuro, ergo jam non ſufficit veritas propoſitionis de præſenti ad verificandam ullam de futuro.

14. Redeo ad prius medium principale extrahendo ipſum à materia theologica prædeſtinationis ad phyſicam, & ſit caſus de mundo, antequam Deus decreviſſet creare illum: Tum enim hæc non fuit vera: Mundus erit: quod ſic oſtendo, & intelligo (ut ſemper) loqui abſtrahendo à decreto & ſcientia Dei. Non poteſt ens per participationem tranſire de non eſſe ad eſſe, niſi per virtutem entis imparticipati, ergo non poteſt hic mundus de non futuro eſſe futurus antequam intelligatur mens Dei in eo negotio. Patet breviter vis diſcurſus, nam ſi ſic tranſiret, à ſe tranſiret ad eſſe, quod autem quidquam habet à ſe neceſſariò habet & independenter, ut non poſſit amittere illud, quod patet diſcurrendo per omnia, ergo.

Dices hîc non tranſire rem de non eſſe ad eſſe ſine concurſu Dei, quia quum eſſe futurum & veritas ejus oriatur à veritate propoſitionis de præſenti, & ſine dubio Deus concurrat ad veritatem præſentis, ſeu ad exiſtentiam rei concurrit ad veritatem propoſitionis de futuro, atque ita nihil ſine Deo habetur, neque res ulla tranſit ſine ipſo de non eſſe futurum ad eſſe tale. Reſpondeo, omnino tranſit, etiam ſtante hâc ſolutione, quod facilè oſtendo: Nam primum; quod facit Deus in hoc negotio ſecundum ſolutionem datâ eſt concurrere ad exiſtentiam rei ergo nihil præcedens exiſtentiam eſt ab ipſo; ſed eſſe futurum præcedit exiſtentiam, & veritas propoſitionis de futuro omnino præcedit exiſtentiam realem objecti ſine dubio, ergo hæc non ſunt à Deo, ſcilicet nec eſſe futurum, nec veritas propoſitionis.

15. Aliter intentū probo, & ſtatuo caſum, quòd

Deus circa aliqua ſit adhuc indeterminatus; v. g. ponamus, quòd non ſtatuerit, quid faciet de ſecundo mundo, an ſcilicet producet eum necne. Tum quæro ex adverſariis, an hæc, *ſecundus Mundus erit* habeat alterum ex his determinatè, ſcilicet veritatem aut falſitatem? dicent utiq; quòd ſic; ſit ergo falſitas: Contra ego probo non eſſe illam determinatè falſam, & arguo ſicut Philoſophus ſic: veritas propoſitionis ſequitur eſſe rei, & falſitas non eſſe. Atqui res illa non habet determinatum non eſſe ergo nec propoſitio determinatam falſitatem. Minorem probo ſi enim illi rei annexum eſt, non ſic quæro unde ei provenit à ſe an ab alio? aliqua enim cauſa hujus debet aſſignari, nulla autem poteſt, quod oſtendo per omnes; non ab alio, ſupponimus enim externam cauſam nihil egiſſe circa illum effectum, hic enim prima cauſa eſſet Deus, qui tamen ut ſupponimus non modo nihil egit, ſed nec voluit agere circa ſecundum mundum: Non eſt autem ille mundus determinatus à ſe ad non eſſe, cum ex ſe ſit indifferens ad eſſe & non eſſe, alioquin non poſſet accipere utrumque.

Proſequor paulò aliter argumentum ad hominem: propoſitio de futuro ſecundùm ipſos habet veritatem ab illa de præſenti, ideo enim hæc eſt; vera, *Antichriſtus erit*, quia hæc aliquando verificabitur: *Antichriſtus eſt.* Tum ſic argumentor. Atqui nulla propoſitio de præſenti unquam verificabitur, quæ ſufficiat ad veritatem hujus, ergo hæc non habet veritatem, quia nec cauſam ejus. Minor in qua eſt jus probatur, quia quamvis jam verè dicam: Antichriſtus jam non eſt, & in ſequenti inſtanti ſimiliter verè dicam: jam non eſt; tamen non ſufficiunt iſtæ ad verificandam hanc *Antichriſtus nunquam erit*, ſed requiruntur tot propoſitiones de præſenti veræ, quot inſtantiâ unquam decurrent, in quibus Antichriſtus poteſt accipere eſſe. Atqui, hæc inſtantia nunquam haberi poſſunt, ſed nec unus ille, qui eſt ultimus eorum, & tamen hoc ultimum requireretur ad verificandam illam negativam, ergo. Præterea etiamſi haberi poſſunt omnia illa inſtantia totius æternitatis ſimul, tamen abſurdum eſt ea requiri ad verificandam unam illam propoſitionem, abſurdum eſt enim infinitas numero res quaſcumque requiri ad poſitionem ullius finiti, & potius negandum eſt illud finitum, quam ponendum aliquid tale, quod ſine infinitis haberi non poteſt, atq; ita melius faciunt qui negant determinatam veritatem propoſitionis de futuro, quam illi qui aſſerunt eam quam non poſſunt defendere ſine infinitis aliis veritatibus.

16. Addo non ſufficere veritatem propoſitionis de præſenti ad verificandam illam de futuro, quod ſic oſtendere libet, quia in eo videntur hallucinari aliqui. Duo ergo longè aliter ſe habere utrobique rem, & aliquas circumſtantias concurrere ad veritatem propoſitionis de præſenti, quæ non habentur in illa de futuro; utrobique quidem idem aſſeritur ſcilicet conjunctio rei cum tali tempore, ſed intereſt, quod dum loquitur is, qui profert propoſitionem de præſenti, ipſum tempus, pro quo aſſerit conjunctionem prædicati cum ſubjecto eſt, ſive decurrit, atque adeò non eſt mirum veritatem illius eſſe: at verò dum loquitur is qui profert propoſitionem de futuro, tempus copulæ non eſt, adeoque nec veritas propoſitionis, quæ ſine dubio ad tempus copulæ refertur. In quo notare poteſt tacitam implicantiam Adverſariorum, qui revera copulant incompoſſibilia; ſequitur enim ex eorum dictis velle eos, ut in hoc tempore præſenti ſit tempus futurum, quandoquidem volunt propoſitionem illam de præſenti eſſe verã, cujus veritas dependet à reali exiſtentia futuri, nam ſi veritas propoſitionis ſit jam, ſequitur quòd res ſic ſe habeat jam, ſicut dicitur per ipſam, ſed jam dicitur ſeu affirmatur conjunctio Antichriſti cum exiſtentia in inſtanti craſtino, (ponamus) A. ergo jam eſt ipſa in inſtanti craſtino A.

17. Dices hæc non bene aſſumi, nam ſi illa propoſitio hoc diceret, quod nos exponimus, non eſſet propoſitio de futuro, ſed de præſenti. Reſpondeo ſi hoc ſequatur contra eos, viderint ipſi. Dico tamen ſecundò non ſtatim propterea propoſitionem illam æquivalere propoſitioni de præſenti, quia inſtans illud futurum exiſteret in hoc inſtanti præſente non tanquam duratio ſed tanquam res durans; at verò propoſitio propriè de præſenti ponit inſtans, in quo quis loquitur tanquam durationem, aut menſuram rei, quam affirmat, non verò tanquam rem menſuratam.

18. Denique contra diſtinctionem illam de neceſſitate conſequenti, aut ſenſus compoſiti, quam dicunt non tollere libertatem ad oppoſitum, quia ipſa talis neceſſitas, ſeu determinatio liberè poſita eſt, argui ſic poſſet: ſi enim determinationem poni liberè faciat, ut effectus adhuc ſit ſimpliciter in poteſtate agentis ſic determinati, ſequeretur quòd poſſet quis præteritum & poſitum jam non ponere, ſive efficere ne fuerit: ſequela patet, quia impedimentum faciens ne hoc poſſit liberè ab ipſo poſitum eſt, ſcilicet ipſa realis poſitio rei extra cauſas. Vterer hoc argumento, niſi valeret contra Scotum etiam qui ponit neceſſitatem hujuſmodi in futuris poſt decretum voluntatis divinæ.

Vtor ergo iſto; & oſtendo, quòd determinatio illa agentis proveniens à determinata veritate futurationis tollit omnino libertatem, idque ſecundum ipſos Adverſarios in hac ipſa diſtinctione; diſtinguunt enim, de neceſſitate conſequente, & antecedente, per quam dicunt tolli libertatem, per conſequentem non. Atqui hic eſt neceſſitas omnino antecedens, nam veritas propoſitionis de futuro, utique antecedit poſitionem effectus de præſenti ergo. Dici poteſt quod quidem antecedat poſitionem realem effectus de præſenti, non autem poſitionem intentionalem, hæc enim eſt illa futura, nam Antichriſtus olim exiſtens eſt ipſe qui jam eſt futurus.

Bene ſtat, ſed pro me totum, nam ſi illa determinatio tollit libertatem aut contingentiam reſpectu illius, quòd eſt ipſa poſterius, ſequitur evidenter, quòd tollat libertatem reſpectu realis poſitionis effectus, atque ita Antichriſtus non liberè ponit peccatum in eſſe reali, certum eſt autem quod actus mali in tali eſſe ſunt peccata, & non tantum in eſſe intentionali, v. g. homicidium realiter perpetratum, eſt peccatum & non tantum homicidium poſſibile aut cogitatum.

In fine non ſunt contemnenda argumenta, quæ concluſione noſtrâ excogitavit Aureol. & ex ipſo deſcripſit magis, quam ſolvit Greg. hic. Videri poſſunt apud utrumque.

Vindi-

Vindicatut hæc veritas à cenſuris quorumdam, & adhuc ampliùs expenditur ac illuſtratur apoſtolico Brev. Sixti IV. adſcripto.

19. Aliqui, noſtro ævo præſertim, poſitam doctrinam de indifferentia propoſitionum contingentium deſeruerunt propter fidem Catholicam ſcilicet (ut credunt) tanquam illa ſtare non poſſit cum iis, quæ fides docet de præſcientia Dei, vaticiniis prophetarum, ac ſimilibus. Sed & ipſorum aliqui tradunt eam Romæ damnatã, quod cum olim *Stephanus* (g) *Puriſer*, ſine Pontifice, ſine tempore, ſine teſte pronunciaſſet, nuper *Bernardus* (h) *Moriſſanus* noſtras, addidit id factum à Sixto IV. contra Petrum Arin; & cenſuram manuſcriptam ſervari in Academia Lovanienſi. Sed inprimis fruſtra illi objiciunt nobis ſcripturas (i) quibus dicitur Deus certò ſcire contingentia, antequam evenerint, & prædixiſſe alia quæ adhuc ſunt exequenda: nec enim id negamus, ſed nec tangimus, cum non ſit hujus loci in quo rem philoſophicè expendimus inquirentes ſolum utrum ex natura contradictoriarum propoſitionum exigatur ut una ſit determinatè vera altera falſa? & reſpondemus negativè, aſſerentes ſufficere quod quælibet ſit indeterminatè alterutrum, ac proinde immeritò ſequentes authores reprehendiſſe Ariſtotelem in hoc puncto. At verò quid de facto & abſolutè, aut poſt divinam determinationem ſit, non decidimus ſed ſupponimus oppoſitum, ſcilicet alteram eſſe determinatè veram, & oppoſitam ſimiliter falſam, contra quod tamen ultra hactenus poſitas infra movebo novam difficultatem.

(g) 1. *diſt.* 38. *art.* 2.
(h) *diſp.* 10. *Logic. quæſt ultim.*
(i) *Daniel.* 3. *Apocalypſ.* 21. *Matth.* 25.

Interim, quàm ſit ſana hæc doctrina, & nihil minus quam hæretica patet ex gravitate & numero authorum, qui eam docuerũt (k) imò Ludovicus Mol. ſcribit oppoſitam ſcientiam & *cum Ariſtotelis doctrina, cumq; communi Doctorum ſententia, & cum ipſa natura contingentium pugnare* & ex ſeptendecim quos in margine legis, decem poſt tempora Sixti IV. ſcripſerunt, & ipſi Lovanienſes, apud quos diploma extare dicitur poſtea nobiſcum tenuerunt. De Pontificia definitione infra dicam, pro nunc dico illam etiam ſi exſtet, nequaquam hanc noſtram concluſionem perſtringere quum aſſiſtentia Spiritus Sancti nequaquã præhibita aut permiſſa ſit Eccleſiæ ad Logicorum controverſias dirimendas. Contra illos ergo facient qui aut præſcientiam Dei, aut poſt ipſam, certitudinem eventuum negant.

(k) Petr. Aureol. 1. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 3. Ambr. Catherin. *lib. de prædeſt. initiò* Ægid. Roman. 1. *d.* 38 *q.* 3. Ioan. Capreol. 1. *d.* 38. *q.* 1. *concl.* 5. Fr. Ferrar. Ioan. Baſſol. 1. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 3. Ant. Corduba *lib.* 1. *q.* 55. *dub.* 1. Iacob. Bargius 1. *d.* 39. *q.* 1. Franc. Tolet. *hic* Dom. del pic dal porto *lib.* 1. *de veritat. pro* c. 6. Maſius *hic cap.* 6. Balforius *hic quæſt.* 2. de Raconis *lib. Perih.* Briſcenus *Tom.* 2. *contr.* 12. *d.* 2. *a.* 4. Th. Smiſ. *Tr.* 3. *d.* 2. *q.* 4. Palat. *in* 1. *d.* 38. *diſp.* 2. Lud. Molina 1. *p. d.* 17. *& ult.*

20. Habeo tamen ipſe, quod contra me ultra ſuprà poſita objiciam, & eſt iſtud; nam conſiderando etiam hujuſmodi propoſitiones ſecundùm ſe, oppoſitæ ſunt, & quidem contradictoriè, atque adeò exigunt oppoſitas affectiones, ex quo ſequitur, quòd una non poſſit taliter eſſe affecta veritate aut falſitate, ſicut altera; hinc autem ſtatim ſequitur falſitas noſtræ concluſionis, ſi enim non poſſint duæ illæ ſimiliter ſe habere ad veritatem & falſitatem, clarum eſt, quod non poſſit utraque eſſe indeterminatè vera, nam ſi ſit, jam eodem modo ſe habent ad veritatem ut planè planum eſt, ergo. Reſpondeo ad hunc nodum primò quod ſupra dixit Aureolus: oppoſitionem contradictoriarum circa veritatem eſſe quod ſi una ſit vera altera debeat eſſe falſa, ſic autem ſemper ſe habent illæ, atque ita habent ſe oppoſito modo ad veritatem & falſitatem. Sed quoniam ſupra ipſe deprehendi hanc ſolutionem non eſſe ſolidam. Reſpondeo ſecundò oppoſitionem contradictoriarum eſſe circa veritatem & falſitatem determinatam, non verò circa ipſas indeterminatè ſumptas, adeòque poſſunt ſimiliter ſe habere circa veritatem indeterminatam, dummodo diverſo modo ſe habeant circa determinatam. Rationem totius aſſigno, nam oppoſitio contradictoriarum in veritate & falſitate oritur ex illo principio. Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, quia ſcilicet ſi eſſent illæ ſimul veræ, aliquid ſimul eſſet & non eſſet, atque ita ſic repugnabit contradictorias ſimul eſſe veras quomodo repugnat aliquod idem ſimul eſſe & non eſſe. Atqui non repugnat idem ſimul eſſe & non eſſe indeterminatè dummodo non habeat utrumque illud determinatum, quin potius cuilibet enti in univerſum competit iſta cõtradictio ſcilicet eſſe vel non eſſe indeterminatè; nam, bellum navale vel eſt vel non eſt futurum cras; Antichriſtus naſcetur aut non naſcetur. Petrus aut peccabit aut non peccabit, *&c.*

Vt autem appareat, quid in hac materia ſalvâ fide aſſerere ac tueri poſſimus, dabo hîc extractum brevis Apoſtolici Xyſti PP. IV. quod diu quæſitum, denique Lovanio accepi; & ne quis deinceps à libertate opinandi deterreatur timore hæreſis, aut cenſuræ ullius incurrendæ, in gratiam ſcholarum hîc duxi deſcribendum. Quia verò ſententia Pontificis ſupponit proceſſum juridicum factum hic in urbe contra M. Petrum ut ſine eo non facilè capi poſſit, præmittam ipſum proceſſum eadem fide & loco acceptum.

In nomine Domini, Amen.

21. Noverint univerſi & ſinguli præſentes litteras ſeu præſens publicum inſtrumentum inſpecturi, viſuri, & legi audituri. quod ortâ lite & causâ ex commiſſione apoſtolica coram nobis Dominico, Dei & apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopo Brixienſi ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Sixti divinâ providentiâ Papæ IV. in alma urbe, ejuſque diſtrictu in Spiritualibus Vicario generali, judice & cõmiſſario, inter providũ Virum Antonium de Eugubio dicti D. N. Papæ, Cameræq; apoſtolicæ & ſacræ Romanæ Eccleſiæ, ac fidei Catholicæ procuratorem fiſcalem ex unâ, & venerabilem virum M. Petrum de Rivo in artibus Magiſtrum & in S. Theologia Licentiatum de & ſuper quibuſdam propoſitionibus reſpicientibus præſcientiam & prænotionem Dei ac veritatem propoſitionum fidei de futuro, ſpecialiter. Quod non eſt verum dicere modo, quòd mortui reſurgent, quod generale judicium erit, quod Deus non eſt præſcius futurorum, quod Deus non vult res priusquam producantur, ac aliis materiis & rebus latiùs in commiſſionibus nobis factis, & actis coram nobis habitis, factis, productis, & agitatis, contentis, declaratis & ſpecificatis parte ex alia. Nos verò in cauſa & cauſis hujuſmodi,

in & ad Romanam curiam legitimè devolutis & introductis in partes prædictas ritè procedentes & pluries, cum quàm principalibus DD. & magiſtris, in S. T. profeſſis de meritis hujus cauſæ & dogmatibus contentis in quibusdam tractatibus dicti D. Petri de futuris contingentibus apud acta cauſæ productis conſulentes & ulterius ad obſervationes omnium terminorum ſubſtantialium in cauſis ſimilibus ſervari ſolitorum procedentes; tandem die & horâ infraſcriptis, conſtitutus coram nobis in præſentia teſtium infraſcriptorum ſupradictus M. Petrus de Rivo, qui pluries & pluries expeditionem hujus cauſæ petiit, & etiam quæſivit. Nos tunc auctoritate apoſtolicâ nobis commiſsâ & etiam mandato D. N deſuper nobis facto eundem M Petrum ſic coram nobis, ut præmittitur, conſtitutum, an ſubmitteret ſe & dicta ſua in hac cauſa correctioni determinationi & judicio D. N Papæ & ſedis apoſtolicæ interrogavimus; qui Petrus de Rivo quoniam ſedi apoſtolicæ in hujusmodi cauſa ſpecialiter ſe ſubmiſit, quod adhuc ſe ſubmittebat, dixit, atque reſpondit & illico tunc eidem M. Petro, quanquam nonnullas propoſitiones & particulas in dictis ſuis tractatibus apud acta cauſæ productis contentas & deſignatas & quas nos eidem M Petro de Rivo præſenti & audienti de verbo ad verbum prælegimus, revocaret, caſſaret, & annullaret, auctoritate apoſtolicâ nobis in hac parte commiſſa, ac etiam conſilio nonnullorum Magiſtrorum in Theologia prius nobis deſuper communicato, mandavimus & injunximus. Qui tunc M. Petrus volens illas propoſitiones & particulas hujusmodi ſibi prælectas ſcire, & quæ, & quales eſſent melius videre & inquirere, illas ex dictis tractatibus extrahi & deſcribi voluit atque poſtulavit; quibus quidem propoſitionibus & particulis per nos extractis & deſcriptis quandam papyri ſcedulam, in qua dictæ propoſitiones deſcriptæ & deſignatæ erant, dicto M. Petro dedimus atque porreximus injungentes eidem, quod faceret, ut in ipſa ſcedula contineretur. Qui tum M Petrus de Rivo dictam ſcedulam ad manus ſuas recipiens ut obedientiæ filius revocavit, caſſavit & annullavit hujusmodi propoſitiones & particulas, & dixit, & confeſſus fuit, prout & quemadmodum in hujusmodi ſcedula, quam ipſe de verbo ad verbum perlegit, & manu ſuâ propriâ ſubſcripſit, pleniùs habetur & continetur; cujus quidem ſcedulæ tenor ſequitur, & eſt talis:

Ego Petrus de Rivo Presbyter Leodienſis Diœceſis, Magiſter in artibus & Licentiatus in Theologia, quoniam edidi nonnullos tractatus in materia futurorum contingentium, in quibus poſui aliquas propoſitiones, quas tum putabam eſſe veras, poſtea nihilominus, habitâ ſuper illis longâ diſcuſſione atque examine, repertæ ſunt ſecundùm ſenſum, quem faciunt malè ſonantes, ſcandaloſæ, & piarum aurium offenſivæ, quod ego etiam meliùs conſiderans, ita eſſe agnoſco, atque profiteor, omnes & ſingulas hujusmodi propoſitiones revoco, caſſo, & annullo, atque pro non dictis & dogmatizatis habeo, propoſitiones autem prædictæ ſunt quæ ſequuntur, Eliſabeth. *Luc.* 1. cum loquitur B. M. virgini, dicens Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino: innuere videtur illas propoſitiones, ſcilicet: paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum, & hic erit magnus, necdum habere veritatem. Item *Luc. ultimo*: Chriſtus poſt reſurrectionem dicens; neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & pſ. de me, videtur innuiſſe, quòd tales propoſitiones vacuæ erant veritate. Item *ad Heb.* 10. Ubi Apoſtolus inquit. Umbram habens lex futurorum bonorum & non ipſam imaginem rerum innuere videtur quòd propoſitiones veteris legis quæ erant de futuro, necdum habebant determinatam veritatem: item, quod non ſufficit ad veritatem propoſitionis de futuro, quod res erit, ſed requiritur quod inimpedibiliter erit: item: neceſſe eſt alterum duorum, aut quod in articulis fidei non eſt præſens & actualis veritas, aut quod ſignificatum eorum per potentiam divinam non poterit impediri. Iſtas autem & quaſcumque ſimiliter & in eamdem ſententiam concurrentes revoco ut præmiſſum eſt, caſſo atque annullo, & contradictorias earum confiteor & teneo, & tenere ſemper intendo; in cujus rei teſtimonium, præſentem revocationem, caſſationem & annullationem confeſſionis, & profeſſionis meæ ſcedulam manu propriâ ſubſcripſi in præſentia reverendiſſimi Patris & Domini Dominici Epiſcopi Brixienſis, M. Ferdinandi de Corduba Subdiaconi apoſtolici M Franc. de Tolet, Datarii D. N. Magiſtrorum in Theol. M. Joachimi de Lerna M. Baptiſtæ Brondon advocatorum conſiſtorialium Bartholomæi de Stabia, Antonii Canimiæ Decret. doctorum, & plurimorum aliorum teſtium. Quæ quidem ſcedula de manu dicti M. Petri de Rivo ſic reperiebatur ſubſcripta; Ita eſt Petrus de Rivo In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras ſive præſens publicum inſtrumentum hujusmodi revocationem caſſationem & annullationem in ſe continentes, ſeu continens exinde fieri, & per Notarium publicum noſtrumque & hujusmodi cauſæ coram nobis, ſcribam infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum Romæ in domo noſtræ ſolitæ reſidentiæ nobis inibi hora 3. circa in quodam banco per nos electo ſedentibus ſub anno à nativitate Domini 1473 indict. 5 die vero Jovis 18. menſis Martii pontificatus præfati D. N. Papæ ann. 2. præſentibus ibidem ſupradictis Dominis & Magiſtris ad hæc vocatis ſpecialiter & rogatis.

22. Sixtus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis, *&c.* Gaugerici Cameraceni. & Genegienſ. Camerac. diœceſis Eccleſiarum præpoſitis ac officiali Camerac. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sanè dudum fœlicis recordationis Paulus Papa II. prædeceſſor noſter ex certis ſibi tunc expoſitis cauſis bonæ memoriæ Guilielmo Epiſcopo Tornac. in humanis agenti per ſuas litteras dedit in mandatis, ut de quorundam univerſitatis ſtudii oppidi Lovanii, Leod. diœceſis falſis ſeu erroneis propoſitionibus inquireret auctoritate apoſtolicâ diligenter veritatem, & quos culpabiles eſſe reperiret, ſi juxta canonicas ſanctiones & ſanctorum Patrum inſtituta ſe emendare, ac depoſitis erroribus ad Eccleſiæ veritatem redire nollent, eâdem authoritate hæreticos declaret; &, prout exceſſus uniuscujusque exigeret, debitâ pœnâ puniret, pro-

ut in dictis literis, quarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus insereretur, pro expreſſo haberi volumus, pleniùs continetur. Et deinde, cùm quidam Petrus de Rivo, clericus, Magiſter in Artibus & in Theologia licentiatus ac in dicta univerſitate Regens de multis erroneis propoſitionibus & falſis tractatibus circa naturam articulorum fidei de futuris contingentibus infamatus ad nos & ſedem apoſtolicam fide dignorum relatione delatus fuiſſet. Nos ad dilecti filii Antonii de Eugubio fiſci noſtri & negotiorum fidei procuratoris generalis inſtantiam venerabili fratri noſtro, Dominico, Epiſcopo Brix. noſtro in alma urbe in ſpiritualibus Vicario commiſimus ut dictum Petrum ad perſonaliter coram eo in Romana Curia infra certum peremptorium tunc expreſſum terminum comparendum, dictasque falſas propoſitiones ac falſa dogmata publicè abnegandum ac revocandum citaret atque compelleret, ipséque epiſcopus inſtante præfato Antonio litteras citatorias ſub certis modo & forma contra præfatum Petrum decrevit. Quibus contra eundem Petrum debitæ exequutioni mandatis ipſe Petrus coram præfato epiſcopo perſonaliter comparens quosdam tractatus, in quibus præfata falſa dogmata & propoſitiones erroneæ contineri dicebantur, ſe compoſuiſſe judicialiter confeſſus eſt, & ipſe Epiſcopus ad ulteriora procedens adſumptis pluribus in Theologia Magiſtris poſt longam diſcuſſionem nonnullas propoſitiones ſcripturæ ſacræ manifeſtè repugnantes excerpſit, quas de prædictorum magiſtrorum conſilio & aſſenſu malè ſonantes, ſcandaloſas eſſe piarúmque aurium offenſivas noſtrâ authoritate declaravit, & præfatum Petrum ad eas, tanquam falſas, ſcandaloſas, & malè ſonantes ac fidei orthodoxæ contrarias revocandum & abnegandum finaliter condemnavit, quas idem Petrus reſipiſcens poſtea coram eodem Epiſcopo in judicio, ne in ſua opinione pertinax videretur, publicè revocavit & abnegavit, prout in quadam papyri ſcedula manu ipſius Petri in eodem judicio poſtſcripta pleniùs continetur. Poſtmodum verò ad humilem ipſius Petri ſupplicationem & inſtantiam eundem Petrum cum noſtra benedictione tunc redeuntem tanquam inſontem ab omni pertinacia propter revocationem hujusmodi Rectori & Scholaribus ejusdem univerſitatis per apoſtolicas noſtras in forma brevis litteras commendavimus. Cùm autem ſicut nuper non ſine diſplicentia ad noſtrum pervenit auditum, dogmata illa erronea & ſcandaloſa in prædicto ſtudio nonnullísque locis aliis plurimorum corda coinquinaverint, maximè cùm præfatus Petrus ſuam in materia fidei de futuro contingenti ſententiam illæſam permanſiſſe, & propoſitionum ſuarum revocationem & abnegationem intentioni tractatuum ſuorum per ſe ſuper hoc editorum, ex qua illa excerptæ fuêre ac doctrinæ ſuæ hujusmodi in nullo prædicare ſeu adverſari, in Magiſtrorum & ſcholarium dicti ſtudii conventu admodum notabili, & quidam ex dicti ſtudii Magiſtris dogmatum hujusmodi, ut præſumitur fautores in ſolemni dilectorum filiorum prælatorum, procerum & Comitatuum ducatus Brabantiæ etiam conventu indicto oppido celebrato, dictum Petrum ſuâ non obſtante revocatione & abnegatione, quarum non erant ignari, ſiniſtrâ interpretatione verborum, quorum illum tanquam inſontem Rectori, Magiſtris & ſcholaribus prædictis præfatum breve noſtrum, ut præfertur, commendavimus ab inſana doctrina & errore. Quolibet immunem repertum cum noſtra benedictione rediiſſe, temerariâ præſumptione ducti adſtruere non erubeſcant, nec vereantur præſumentes temeritate ſuâ illius dogmata fuiſſe catholica, & per nos tacitè approbata, cùm contrarium ex prædicta conſtet ſententia & ejusdem Petri publicè factâ revocatione & abnegatione præfatis. Nos itaque, qui propoſitiones prædictas veluti ſcandaloſas, & à Catholica fide devias, tunc damnavimus, prout in præſentiarum, etiam damnamus animadvertentes nos ad gregis dominici cuſtodiam poſitos eſſe, & ob id pervigili curâ & indefeſſâ ſollicitudine elaborandum, ne Lupus rapax ſuâ verſutiâ diſſolvat ovile, ac volentes nefariis & reprobis auribus & malignorum conatibus, ſicut ex officii debito tenemur, congruentibus obviare remediis, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex debito paſtoralis officii diſcretioni veſtræ tenore præſentium diſtrictiùs injungentes committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrûm, ad dictum oppidum perſonaliter accedatis, & ſi vocatis dicto Petro & aliis qui fuerint evocandi per diligentem informationem ita eſſe repereritis, eos, quos in præmiſſis culpabiles inveneritis, vel ſuſpectos, dictas erroneas & ſcandaloſas propoſitiones & falſa eorum dogmata de novo publicè in dicta univerſitate & aliàs, ubi vobis videbitur expedire, revocare, abnegare, retractare & obviare faciatis, & ad id per cenſuram eccleſiaſticam & alia opportuna juris remedia omnis prætermiſſo moræ diſpendio compellatis, ac alia faciatis, quæ in præmiſſis neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna videritis; ipsique Petro Lecturam & ulteriorem gradum in Theologia & officium proviſionis uſque ad decennium interdicatis, invocato etiam ad hoc, ſi opus ſit brachio ſæculari, &, ſi (quod abſit) tanta ipſius Petri & aliorum fuerit temeritas & reproba pertinacia, quod infra terminum, de quo vobis rationabiliter videbitur parere diſtulerint vel recuſaverint, præfatum Petrum tanquam de fide malè relapſum, alios vero ſive falſis dogmatibus reſperſos tanquam in fide ſuſpectos pœnis debitis puniatis, & à fidelium conſortio evitandos denuncietis, ſuper iſta materia eidem Petri ac aliis omnibus & ſingulis ſuis complicibus ſub excommunicationis pœna (à qua præterquam in articulo mortis conſtituti non poſſint niſi per Romanum Pontificem abſolvi, ſilentium perpetuum imponendo & nihilominus breve præſcriptum quod apud univerſitatem hujusmodi ſtudii exiſtit, omnésque & ſingulos tractatus ſeu libellos per ipſum Petrum ſuper hujusmodi falſis dogmatibus compoſitos vobis infrà terminum competentem ſuper hoc per vos præfigendum aſſignari, & à perſonis, penes quas forſan reperientur, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ exhiberi faciatis, contradictores cenſurâ ſimili appellatione poſtpoſita compeſcendo Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac privilegiis indultis, & litteris apoſtolicis ipſi univerſitati ac illis perſonis in genere & in ſpecie ſub quibusvis verborum formis conceſſis, etiam quod inter-

dici

dici, ſuſpendi & excommunicari ac privari, deponi & amoveri, inhabilitari, incarcerari, ſeu aliâ pœnâ mulctari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, quibus omnibus illorum tenores & effectus præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, quoad præmiſſa ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1474. 3. Nonas Ianuarii, Pontificatûs noſtri anno 4.

1. p. diſp. ſe. lect. q. u. 23. Eat nunc *Camerarius Scoticus*, & credat Moriſſanum noſtratem apertè calumniari, ſive finxiſſe ſibi Breve pontificium, aut hoc in Academia Lovanienſi non ſervari, quum ultimi hujus oppoſitum ipſe Pontifex in ſuis litteris affirmet. Sanè modeſtiùs tacuiſſet ille, maturiùs egit Moriſſanus: Nec proinde tamen timendum eſt negativæ partis aſſertoribus, quia, ut jam monui, Pontifex non logicam, ſed theologicam litem diremit, adeòque cenſura ipſius & miniſtrorum ejus non perſtringit hoc aut illud in præſenti opinantes, quia ex decem propoſitionibus in Petro reprobatis, quarum quinque judex recitavit, totidem ipſe Petrus, novem ſunt de rebus revelatis, decima autem, quæ eſt ultima, aliam controverſiam incipit, & prætereа ſanum ſenſum admittere poteſt.

Scribunt de his

Ariſt. 1. *Perib. c.* 8. M. Cic. *Lib. de Divinat.* Amon *in præfat. hujus* 1. *Perib. q.* 1. Philippen. *ibid.* Boët. hic *edit.* 2. S. Aug. *tom.* 1. *lib. Catheg. & lib.* 5. *de Civit cap* 6. Orig. *in c.* 8 *epiſtol ad Roman.* Juſtin. *q.* 58. Cyrill *lib.* 9 *in Ioann* S Iſidor. *lib.* 1. *Etymol. c.* 16. D. Hier. *epiſt* 139. *ad Cypr.* S. Damaſc. *in Dialect cap.* 63. D. Th *opuſc.* 48. *& in Lect. ad hunc lib. Perih.* Alb. mag. *tract. de Enunciat. cap.* 1. *&c.* S. Bon. 1. *d* 38. *art.* 2. *q.* 1. Alenſ. 1. *p. q* 15. *m* 7. Baſſol. 1. *d.* 38 *q* 1 *art.* 3. Bargius *d.* 39. *ad argumenta principal.* Magiſter Lombardus 1. *d.* 38. & cum ipſo alii ſententiarii, ut: Richard. Ægid. Capreolus, D. Th. etiam *ibid. &* 1 *p. q* 14. ubi Cajetanus Ockam *in prol. q.* 1. *& in* 1. *d.* 38. *q. un.* Abul. 1. *par. defenſ. c.* 28. Sotus *in epiſt. ad Rom.* omnium latiſſimè Gregor. 1. *d.* 32. Aureol. 1. *d.* 34. *q.* Barg. *ib.* Catherin. *lib. de prædeſtin.* Ægid. 1. *cit.* Hurt. *diſp.* 5 *de An.* Amicus *tract.* 21. *Logica q.* 3. *dub.* 4. Franciſcus Suarez 3. *p. t.* 3. *diſp.* 59. *&* 60. *& in tom.* 1. *Met. diſp.* 9. Molina 1 *p. q.* 1. *art.* 3. Vaſqu. *ſupra cit & in* 1. *p. diſp.* 223 Murcia *in lib. Perib. diſp.* 2. Gonzales. 1. *p. Log. diſp. & q.* 2. Conymb. *in cap* 4. *de orat.* Stephan. Burliſer. *ſuper S. Bonaventuram* 1 *d* 38. Fonſeca 6. *Met. c. & q.* 2. Corduba *in* 1. *quæſtion. q.* 55. Simgler. *diſp.* 12. *q.* 11. Villalpandus, Rivius & Toler. *hic* Vallius *ibid.*

De propoſitionibus futuri conditionati, videndi Mantoya *de ſcient. diſp.* 68. *ſect.* 5. *in appendice.* Albericus *in dictionario Litt. S.* Ledeſma *de matrim. dub.* 25. Mercado. *lib.* 4. *Sam. c.* 2. *Lect.* 1. Vincent. Juſtinian. *lib.* 4. *inſtit. dialect. c.* 16. Bannes *in ſummul. lib.* 3. *tract. & cap.* 2. Theophil. *in Theolog. natur.* D. 8. *q.* 1. *art.* 2. Caſſil. *in ſua introduct. lib. & tract* 2. Cardin. Orig. *de Deo uno tr.* 1. *c.* 11. Sfortia *in philoſ. inſtrumental. lib.* 1. *c.* 5. Granad. Tanner. Moncæ, Albertin, Curiels Hackerus, Herice.

APO-

APOLOGIA IV.

De Affectionibus Enunciationis.

ACTIO I.

Emendat communem doctrinam ſummuliſtarum de oppoſitione Enunciationum.

ACTIO II.

Quid ſit converſio & quomodo propoſitiones cathegoricæ convertendæ? ubi iterum corriguntur ſummuliſtæ.

ACTIO III.

Examinatur doctrina Peripatetica de converſione Modalium.

ACTIO IV.

Vtrum ex propoſitione negativa de prædicato finito ſequatur affirmativa de prædicato infinito?

ACTIO V.

Vtrum valeat conſequentia ab Enunciatione affirmativa de prædicato infinito ad negativam de prædicato infinito?

ACTIO VI.

Vtrum enunciatio de ſubjecto conjuncto ſit per ſe & neceſſaria?

ACTIO VII.

Quid ſit propoſitio *per ſe nota*?

Scotus 10. Met. q. 1~. & in expoſ. tex.

DIcendum, quòd contrarietas eſt maxima diſtantia. Primũ corollarium eſt, quòd contrarietas eſt perfecta differentia, quod probatur ſic, nam illud quod eſt maximum in unoquoque genere eſt idem quod perfectum ſed contrarietas eſt maxima differentia, ergo iſta perfecta. Major patet ex hoc, quia maximum dicitur quod non exceditur Perfectum dicitur, extra quod non poteſt aliud ſumi, nam omnia dicuntur perfecta ex hoc quod per veniunt ad finem, extra autem finem rei nihil eſt, ex quo patet quod eadem videatur definitio maximi & perfecti.

Idem 1. d. 2. q. 2. n. 2.

ASſigno rationem propoſitionis per ſe notæ, & dico ſic, quòd, cùm dicitur propoſitio per ſe nota ly *per ſe* non excludit quamlibet cauſam, quia non excludit terminos propoſitionis ſed excluditur quæcunque cauſa & ratio quæ eſt extra per ſe conceptum terminorum. Dicitur igitur propoſitio per ſe nota, quæ ex terminis propriis, qui ſunt aliquid ejus ut ſunt ejus habet veritatem evidentem, & non propter aliquid aliud quod ſit extra terminos proprios habet evidentiam ſed ex ſe tantum, ut omne totum eſt majus ſuâ parte.

ACTIO I.

Emendatur communis doctrina ſummuliſtarum de oppoſitionibus enunciationum.

Breviarium.

N. 1. Definitur & dividitur oppoſitio.
2. Notantur defectus definitionis.
3. Alius defectus ex eodem capite ſive ex quantitate propoſitionum.
4. Objectio: Differentia oppoſitionis contrad. & contrar. quæ?
5. Objectio altera, ſubalterna an opponantur?
6. Maxima oppoſitionum contraria.
7. Objectio ſoluta falſitas an ſufficiat oppoſitioni.

1. Est autem, quòd oppoſitio (ut hic) ſit duarum propoſitionum iiſdem terminis conſtantium repugnantia ſecundùm quantitatem, vel ſecundum qualitatem, vel ſecundum utramque ſimul. Quantitas propoſitionis eſt univerſalitas vel particularitas ejus: qualitas hic ſecundum aliquos eſt veritas & falſitas; ſecundum aliquos affirmatio & negatio. Denique quatuor ſpecies oppoſitionis numerantur, contradictoria, contraria, ſubalterna & ſubcontraria. Prima eſt inter univerſalem affirmativam & particularem negativam; ſecunda inter duas univerſales, affirmativam & negativam; tertia inter univerſalem & particularem ſive affirmativas ſive negativas; quarta inter duas particulas affirmativam & negativam. Ex quibus quatuor volunt contradictoriam eſſe maximam. Ita illi, de qua doctrina ſalva reverentia antiquitatis per ſequentes concluſiones cenſebo.

2. Dico ergo primò definitionem illam oppoſitionis ſæpe deficere.

Deficit primò, quia ponit ſufficere ad oppoſitionem propoſitionum diverſitatem quantitatis; in quo ſolo notari poſſunt duo lapſus ſummuliſtarum: primus eſt in ipſo ſuppoſito, quod ponit repugnantiā in ratione quantitatis, quantitas enim non habet ex genere ſuo contrarium, clarius ipſum genus quantitatis eſt expers contrarietatis, ut notum eſt. *ex cap. prædicam.* Deinde etſi haberet intra ſe oppoſitionem, tamen illa quæ hic intervenit non poteſt eſſe oppoſitio quod oſtendo, quia particularis quæ opponitur univerſali eſt pars ipſius univerſalis, v. g. hæc, aliquis homo currit, eſt pars hujus, omnis homo currit clarum eſt autem partem non opponi toti quia eſt compaſſibilis cum ipſo, imo non poteſt ſtare ſine ea, atque ita nihil minus verum eſt quam inter hæc eſſe repugnantiam Si ergo oppoſitio eſt repugnantia, jam non datur inter hæc oppoſitio. Confirmo quia oppoſita non ſequuntur ad ſe invicem, particularis ſequitur ad univerſalem. Valet enim, omnis homo eſt albus, ergo aliquis homo eſt albus, adeoque. Redeo ad primum defectum; in quantitate enim non datur oppoſita niſi magnum & parvum, ſed magnum & parvum non propriè opponuntur, cùm intra eandem ſpeciem atomā inveniri poſſint: linea enim eſt aliqua magna & aliqua parva, imò una & eadem eſt aliquando magna, aliquando parva, ut omittam, quod magnum & parvum relativè dicuntur, propter quod idem corpus etiam nec mutatum aut imminutum realiter (ut fit in caſu præcedentis probationis) eſt magnum & parvū. Si enim linea mediocris comparetur ad maximam erit parva, ſi ad minimam erit magna, propter quod ait Ariſt. *quòd pauci homines eſſent in foro, & multi in domo*, licet plures eſſent in domo quam in foro, quia nimirum multitudo mediocris reſpectu fori eſt quaſi nulla, & in aliqua privata domo eſſet notabilis & magna.

3. Deficit ſecundò ex eodem capite quantitatis ſcilicet, quia ponit ipſum ſemper concurrere in propoſitione ſive ad convenientiam ſive ad oppoſitionem, quum tamen aliquæ propoſitiones nullo modo ſint quantæ, atque ita nec opponuntur, nec conveniunt in quantitate a, ſſumptum patet in hac, hic homo currit, ſive Petrus currit, & ſimilibus de ſubjecto ſingulari, hujuſmodi enim non ſunt quantæ, cùm ſingulare ſit indiviſibile in hoc genere, atque ita ſicut unitas in numeris & punctum in continuis non ſunt quantitates, ita nec ſingulare in propoſitione.

Confirmatur intentum directè, hæ enim propoſitiones ſunt maximè oppoſitæ, *Petrus currit Petrus non currit*, quia in ipſas aut ſimiles alias de ſubjecto ſingulari reſolvitur denique omnis oppoſitio contrariarum, ſubcontrariarum, & tamen non opponuntur in quantitate, ergo quantitas non juvat ad oppoſitionem. Si enim juvaret, illæ quæ opponuntur in qualitate, ſicut hæ, & præterea in quantitate magis opponerentur, quod non contingit. Et vero alia hujus ratio à priori reddi poteſt, quia omnis oppoſitio reſolvitur in affirmationem & negationem ejuſdem quod eſt firmiſſimum principium apud Philoſophum 4. *Met.* & patet attendendi. Atque ita clarior eſt ibi oppoſitio, ubi clarior & major eſt identitas ſubjecti ſeu prædicati negati: atqui ſingulare eſt magis unum quam univerſale aut particulare, quia ſub quolibet horum poteſt fieri deſcenſus ad plura, ergo: urgetur, hinc enim dicunt plerique ſubcontrarias non eſſe propriè oppoſitas quia non ſunt de eodem ſubjecto, ſunt tamen de ſubjecto particulari, ut patet in his, aliquis homo currit, aliquis homo non currit; ergo jam particulare eſt inſtar duorum. At vero ſingulare, puta Petrus, non poteſt facere niſi unum, nec eſt ambiguū aut æquivocum ad plura, ergo, & ex his vides

Dicendum ſecundò non eſſe numerandas tot ſpecies oppoſitionis, ſed ad ſummum tres, ſcilicet contrariam, contradictoriam, ſubcontrariam, Ratio, quia nimirum ſubalterna cùm differant ſolâ quantitate, non opponuntur propriè Sed contra omnia

4. Ob-

4. Objicies, ſi quantitas propoſitionum non faceret ad oppoſitionem earum, malè numerarentur contraria, & contradictoria oppoſitio tanquam duæ ſpecies oppoſitionis; hoc eſt contra omnes. Etiam nos, in hac ipſa concluſione, ergo ſequelam probo, quia contraria non differt à contradictoria niſi ratione quantitatis propoſitionum, imò unius tantum propoſitionis, nam iſtæ,

Omnis homo eſt albus,
Nullus homo eſt albus,

quæ ſunt contrariæ, differunt ab iſtis duabus,

Omnis homo eſt albus,
Aliquis homo non eſt albus,

quæ ſunt contradictoriæ in eo ſolùm, quòd ſecunda propoſitio in prioribus ſit univerſalis, ſecunda in poſterioribus ſit particularis; de cætero enim conveniunt, nam utraque eſt negativa, utraque eſt de eodem ſubjecto & prædicato, & tamen faciunt diverſam ſpecie oppoſitionem; ergo jam ſola quantitas ſufficit ad aliquam ſpeciem oppoſitionis.

Reſpondeo negando ſequelam majoris. Ad probationem nego aſſumptum ſive contradictorias non differre à contrariis, niſi ratione quantitatis propoſitionum, differunt enim aliunde in qualitate, & quidem perpetuò, quia nimirum contradictoriæ, nunquam poſſunt eſſe ſimul falſæ contrariæ poſſunt; atque ita aliter & aliter ſe habent ad falſitatem, quæ eſt aliqua qualitas propoſitionis. Mitto quòd ex ſupra poſitis hic reſpondere poſſem iterum negando aſſumptum, quia iſtæ,

Hic homo eſt albus,
Hic homo non eſt albus,

ſunt contradictoriæ, etiam illarum contrariarum, cùm ſint de eodem ſubjecto ac prædicato, & tamen non opponuntur in quantitate illis prioribus (nedum in ſola illa) cùm iſtæ omnino non ſint quantæ, ut jam oſtenſum eſt.

Inſtabis; hoc, quòd non poſſint contradictoriæ eſſe unquam ſimul falſæ, oritur ex eorum differentia in quantitate, ergo denique ultimata differentia earum conſiſtit in quantitate, antecedens patet, quia ſi mutes quantitatem iſtarum, mutando particularem in univerſale, ſient ſimul falſæ. Reſpondeo aliud eſt diſcrimen aliquorum oriri ex aliquo capite, aliud conſiſtere in ipſo; oritur harum diſcrimen à quantitate diverſa, non tamen in eo conſiſtit. Nam ſi poneremus differentiam aliquarum in radice à qua procedit, non darentur nec hæ nec aliæ ſpecies oppoſitionis. Cauſa eſt quia omnes oppoſitiones reſolvuntur in unam quæ eſt inter affirmationem alicujus ſingularis, & negationem ejuſdem quod ſupra dixi. & libet hic oſtendere ſaltem de una quæ eſt contraria: Ideo enim hæ non poſſunt veræ eſſe, omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus, quia ex illis ſequerentur hæ ſimul veræ, hic homo eſt doctus, hic homo non eſt doctus: Ecce quomodo; Nam poſitâ veritate univerſalis affirmativæ, omnis homo eſt doctus ſequitur veritas particularis affirmativæ, aliquis homo eſt doctus, hoc autem non verificatur niſi ratione alicujus ſingularis puta Petri, atque ita tunc hæc propoſitio, Petrus eſt doctus, verificatur quia ille eſt aliquid omnis hominis, atqui omnis homo eſt doctus ex prima propoſitione, adeóque hæc etiam: Petrus non eſt doctus, verificaretur ratione particularis negativæ atque ita contingeret Petrum ſimul eſſe & non eſſe doctum. Hæc ergo contradictio eſt cauſa oppoſitionis horum, & tamen oppoſitio earum non dicitur contradictoria, ſed contraria, adeoque; ſed contrà.

5 Objicies ſecundò: Si ſufficit oppoſitio in falſitate, & veritate malè diximus ſubalternas non eſſe oppoſitas, ſequela oſtenditur, quia datur inter illas differentia in veritate & falſitate, poteſt enim particularis eſſe vera univerſali exiſtente falsâ, ut patet in his: omnis homo eſt ſanctus; aliquis homo eſt ſanctus. Reſpondeo negando ſequelam, quæ planè nil proficit, aliud eſt enim poſſe utramque qualitatem convenire his enunciationibus quod fieri poſſe bene probatum eſt: Aliud illas opponi in aliqua ipſarum, ad hoc enim requiritur, ut non poſſint convenire in illa qualitate quod falſum eſt, quia tam veritas quàm falſitas poteſt utrique earum convenire ſimul & etiam ſeorſim. Jam ad ultimam partem doctrinæ de principali ſeu maxima harum oppoſitione

6. Dico 3. maximam omnium poſſe dici contrariam; ſaltèm non minorem ullâ. Hanc ſignificavit Doct. N. *loco illo ex Metaphyſica in themate citato*, ubi quidem ex profeſſo agit de oppoſitione rerum, ſatis tamen ſignificavit, quid de hac, puta oppoſitione propoſitionum ſentiret; ſine dubio enim eaſdem leges ſubeunt, eò magis quòd propoſitiones opponuntur tanquam ſigna rerum. Nec Scotus de propoſitionibus alibi nominatim quoad hoc egit, ut aliunde quam ex loco citato ſcire poſſemus quid de propoſitionibus ſenſerit.

Aſſumo has, *omnis homo eſt albus*, *nullus homo eſt albus*, quas dico magis opponi, quàm has: *omnis homo eſt albus*, *aliquis homo non eſt albus*; & probo, quia illa magis opponuntur, quæ minùs ſeu difficiliùs conciliari poſſunt; atqui iſtæ; omnis homo, & nullus homo eſt albus, difficiliùs conciliari poſſunt, ergo: probo hanc minorem (major enim eſt clara) quia difficiliùs eſt plures eſſe albos, & non eſſe albos, quàm unum: Ut verificarentur contrariæ opus eſſet plures eſſe albos & non albos, ut verificarentur contradictoriæ, opus eſſet unum tantùm ſic ſe habere, ergo. Confirmatur reducendo hanc rem ad primum principium; omne totum eſt majus ſui parte, nam hæc particularis; aliquis homo non eſt albus, eſt pars totius hujus: Nullus homo eſt albus; ergo majus & plus dicit, quàm illa. Sed totum illud eſt oppoſitum univerſalis affirmativæ, omnis homo eſt albus, ergo plus opponitur, quàm particularis.

Confirmatur iterum reducendo rem ad materiam neceſſariam, aut etiam impoſſibilem, manifeſtè enim difficiliùs eſt conciliare has: Omnis homo eſt riſibilis, nullus homo eſt riſibilis, quàm has: Omnis homo eſt riſibilis, aliquis homo non eſt riſibilis, quia ad conciliandas has opus eſt tantùm unico miraculo, ad conciliandas illas opus eſt pluribus, ergo. Dicent fortè in materia neceſſaria aut remota non eſſe majorem oppoſitionem contradictoriarum quàm contrariarum, ſecùs eſt in materia contingenti, ſed contra, ergo malè ſtatuunt Adverſarii concluſionem, quod abſolutè major eſt illa oppoſitio contraria ex toto genere, nam ſi eſſet ex toto genere major, ubique ſuperaret alteram, quod non facit, ergo. Deinde, ſecundò ſequitur, ſaltem benè à nobis poſitam concluſionem eſſe pro contraria oppoſitione, quâ enim ratione ſufficit contradictoriis materia contingens ad primatum, ſufficiet contrariis materia naturalis aut remota, itaque quantùm ad hanc ſolutionem, non poſſunt evadere, quin ſint ſaltem pares.

7. Objiciunt tamē: Contradictoriæ nunquā poſſunt eſſe ſimul aut veræ aut falſæ; contrariæ aliquādo poſſunt eſſe ſimul falſæ, ut patet in materia contingenti, ergo illæ magis opponuntur. Sequela hæc probatur ut noſtra ſuprà, quia minùs conveniunt; iſta enim conveniunt aliquando in falſitate, illæ nunquam. Minor autem patet in his, *omnis homo eſt albus*; *nullus homo eſt albus*, quarum utraque & ſingulæ falſæ ſunt, ergo. Reſpondeo imprimis negare poſſum conſequentiam, non enim ſequitur convenientia aliquarum enuntiationum ex earum falſitatè, (quod notandum eſt) quia nimirum poteſt falſum falſo opponi, ut patet in his: Homo eſt lapis, homo eſt ſpiritus, quarum utraque eſt falſa, ſed una deſtruit aliam. Sicut ergo in moralibus ex eo quòd duo habitus ſunt vitioſi non ſequitur quin opponantur (nam inedia & gula ſunt habitus oppoſiti, & tamen vitioſi,) ita hîc in ſpeculativis duas propoſitiones eſſe falſas, non facit quin ſint oppoſitæ; & eſt quodammodo ſimile in duabus chymæris, quæ ſimul impoſſibilia ſunt, non tamen proinde conveniunt: ſed quia falſitas eſt aliqua qualitas propoſitionis ſicut veritas, & ob ipſam vel maximè ponitur oppoſitio ſubcontrariarum: Reſpondeo ſecundò negando ſecundò conſequentiam: Cauſa eſt quia nimirum falſitas, in qua eſt ille exceſſus contradictoriarum ſuper contrarias non ſimiliter ſe habet ad propoſitionem ſicut negatio in qua exceduntur à contrariis; nam affirmatio & negatio eſt quaſi qualitas eſſentialis propoſitionis; veritas & falſitas, qualitas tantum accidentalis. Quia ergo cōtrariæ plus habent de negatione, v. g. hæc: Nul⁹ homo, plus negat hanc, omnis homo, quam neget particularis, hæc; aliquis homo; meritò dicentur magis invicem opponi, etſi deinde conveniant in aliquo accidente, qualis eſt veritas aut falſitas.

ACTIO II.

Quid ſit Converſio? & quomodo propoſitiones cathegoricæ convertendæ? ubi iterum corriguntur Summuliſtæ.

Breviarium.

N. 1. *In quo differat Scotus ab aliis in hac materia.*

2. *Præfertur doctrina Scoti, & probatur.*

3. *Vniverſalem affirmativam converti poſſe in univerſalem negativam.*

4. *Objectio. Aſſignatur caſus & regula hujusmodi converſionis.*

1. IN hac materia Doctor ſubtilis ab aliis in eo diſſentit, quòd illi exigant eandem qualitatem in convertente ac converſa, Doctor non; illi univerſalem affirmativam ſimpliciter tantum poſſe converti exiſtiment in particularem negativam. Demum quod communiter teneatur propoſitiones modales converti ſimiliter illis de ineſſe, quod tamen Doctor aut negat, aut modificat. Non eſt autem omittendum diſcrimen in acceptione modalium apud utroſque, quia Doctor vult ad faciendam propriè modalem, modum debere poni ex parte copulæ, non verò à parte prædicati: Alii è contra; unde jam ſunt duo genera modalium; Unum, quod vocat Doct. ſenſus diviſi, & eſt, quando interponitur modus inter ſubjectum & prædicatum: Aliud quum ponitur ex altera parte, ſubjecti ſcilicet aut prædicati; & utriusque exempla ſunt, primi hoc: *Petrus poſsibiliter currit*, ſecundi *Petrum currere eſt poſſibile*, quam vocat idem Doct. modalem ſenſus compoſiti, & meritò dicit eſſe potiùs de ineſſe, quam modalem, unde omnino omittenda hoc loco foret, niſi loquendum eſſet cum multis & proponenda communis ſententia ſaltem ut improbaretur. De his ordine.

2. Dico primò melius ſentire Scotum, qui tenet converſionem propoſitionum non exigere conſtantiam ejuſdem qualitatis in convertente & converſa, hoc eſt, non requirere, ut ſi converſa ſit affirmativa convertens etiam debeat talis eſſe idemque eſſe de negatione. Ita habet ille *q. 12. pr.* Prior. Et cum ipſo aliqui pauci, (a) (a) Barthol. Amic. tr. 23. Leg. (contra antiquos aliquot) & ſine dubio poteſt hic eſſe quæſtio merè nominalis. Si enim velint Adverſarii imponere nomen hoc converſionis tali objecto, utique ſignificabit ipſum, ſed oſtendam ni fallor non potuiſſe propriè ſic imponi, aut ad talem ſolam mutationem reſtringi ſic autem arguo: Converſio eſt genus conſequentiæ; at verò tenet conſequentia inter propoſitiones quarum prædicata invertuntur, ſive mutetur ſive non mutetur qualitas, ergo fruſtra requiritur ad converſionem eadem qualitas in convertente & converſa. Major eſt omnium

mnium & patet tam ex doctrina quàm ex facto Ariſt. nam & ipſam materiam converſionis tradidit in primo priorum Analiticorum, unde incipit tertiam partem Logicæ. quæ eſt de conſequentiis ac diſcurſu & ibidem volens oſtendere modos ſyllogiſmorum quos tradidit ſubſiſtere reducit imperfectos ad perfectos per converſionem; Quæ probatio non poteſt ſubſiſtere, niſi cõverſio habeat rationẽ conſequentiæ, quod ſic deduco: Inde enim convincitur cõcluſio aliqua ſequi ex converſis ſi ſequitur è convertentibus, quia convertens eſt conſequens converſæ, & in bona forma conſequentiæ, quod ſequitur ex conſequenti, ſequitur ex antecedenti, ergo jam denique converſio eſt genus quoddam conſequentiæ quod fuit probandum pro illa majori.

Probo jam minorem, quòd ſcilicet teneat conſequentia inter propoſitiones, quarum invertuntur extrema, etiam mutatâ qualitate, ſequitur enim: *Omnis homo eſt nullus aſinus, ergo nullus aſinus eſt homo*. Et tamen mutatur in convertente qualitas, nam convertens eſt negativa cùm converſa fuerit affirmativa ut vides, ergo. Quod autem ſequatur illatum probo, quia ad affirmativam de prædicato infinito ſequitur negativa de prædicato finito, ut docet Phil. 2. *Perib.* atqui ita ad iſtam: *Omnis homo eſt nullus aſinus*. Sequitur hæc: *Omnis homo non eſt aſinus* hæc autem æquipollet iſti, *nullus homo eſt aſinus*, ergo hæc quæ eſt apertè negativa ſequitur ex alia univerſaliter affirmativa. Totum bene vadit, niſi negari poſſet iſta, omnis homo eſt nullus aſinus eſſe affirmativa, videtur enim omnino eſſe negativa, ſcitum enim eſt ly *nullus, nunquam*, & ſimilia reddere propoſitiones negativas. Reſpondeo id verum eſſe quando afficiunt copulam, quod hîc non contingit, ſed videtur quod non ſufficiat ita reſpondere, reddunt enim propoſitionem negativam etiam quum afficiant ſubjectum, ergo etiam reddent ſi addantur prædicato. Reſpondeo, diſparitas in promptu eſt, reddunt enim propoſitionem negativam quando adduntur ſubjecto, propterea quod ſic præcedunt copulam; addita verò prædicato non præcedunt illam, ſed ſequuntur adeòque addita prædicato non faciunt propoſitionem negativam.

Inſtabis; ſaltèm reddent ipſum prædicatum negatum. Reſpondeo, non reddunt ſed infinitatum, quia etiamſi poneretur ipſa negatio expreſsè ibi non negaret ſed infinitaret ipſum dicendo homo eſt non aſinus, aut non aſinus eſt homo. Ex hac ſequitur alia concluſio quâ.

3. Dico ſecundò: Univerſalis affirmativa converti poteſt in univerſalem negativam. Hæc utique eſt contra totam familiam Summiſtarum, nec enim hujuſmodi converſio habet apud ipſos nomen. Simplex non eſt, quia non eſt *in totum*, ut loquitur Philoſophus, ſeu, ut ipſi exponunt, quia non ſervat totum tenorem converſæ, quum aliquid mutet: nec per contrapoſitionem eſt, quia non habet extrema infinitata; ſed nec per accidens ſecundùm ipſos eſt, quia hæc, etſi aliquid mutet in convertente, non tamen qualitatem.

Probatur tamen evidentiſſimè concluſio Doctoris argumento, facto pro præcedenti: Hæc enim *omnis homo eſt nullus aſinus*, eſt univerſalis affirmativa; hæc convertitur in univerſalem negativam ut vidimus, ergo: Adhuc etiam convertitur in iſtam, *aliquis qui eſt nullus aſinus, eſt homo* quæ eſt particularis affirmativa: ita Scotus non negat, ſed auget communem doctrinam antiquorum, ſanè autem ipſi palàm negant hanc doctrinam Scoti. Pro quibus

4. Objicies: Si univerſalis affirmativa converti poſſet in univerſalem negativam, aut id fieret ratione materiæ aut ratione formæ, ſi ratione materiæ, tum non contradicit Scotus Summiſtis, nam etiam ipſi admittunt aliquas affirmativas ejuſmodi converti; ſic enim iſta: *Omnis homo eſt animal rationale* verti poteſt & bene: *Omne animal rationale eſt homo*, quod & illi fatentur, ſed ratione materiæ, quia termini ipſi reciprocantur, ſi autem ratione formæ, tum apertè fallitur Scotus, quia ſic in omni materia ſubſiſteret illa converſio, & valeret conſequentia, quod falſum eſſe patet in hac, *Omnis homo eſt animal* nec enim valet *omne animal eſt homo*, ergo. Reſpondeo tamen id fieri ratione formæ & ad improbationem hujus dico eam non ſufficere Adverſariis, quia longè alia eſt conditio illius propoſitionis negativæ ab ipſis adductæ & illius negativæ Scoti. In ſumma, converſio univerſalis affirmativæ in univerſalem negativam tum valet, quando ipſa affirmata eſt de prædicato negato aut infinitato; quia tum non itur à non diſtributo ad diſtributum, nam ſicut ſubjectum convertentis diſtribuitur, ita etiam prædicatum converſæ. At verò quando prædicatum univerſalis affirmativæ relinquitur indefinitum aut confuſum, non poteſt verti in univerſalem negativam alias diſtribueretur terminus aliquis in convertente qui non fuit diſtributus in converſa, ſcilicet prædicatum affirmativæ, quod convertitur in converſum ſubjectum converſæ, & præmiſsâ negatione diſtribuitur, quum non fuerit ante diſtributum. Unde non eſt mirum convertentem eſſe falſam, converſâ ſtante veriſſima. Hoc autem periculum non contingit in caſu Scoti, ut vides, quia ibi diſtribuitur etiam prædicatum affirmativæ, adeoque.

Digitized by Google

ACTIO III.

Examinatur doctrina Peripatetica de converſione Modalium.

Breviarium.

1. Quæ propoſitio propriè modalis.
2. Admittendas eſſe modales communis ſcholæ ultra illas Scoti.
3. An ſint numerandi quatuor modi propoſitionum, an pauciores?
   Regulæ Ariſtotelis ad converſionem Modalium.
4. Regulæ à Scoto poſita pro eadem converſione.
5. Modalis affirmativa de neceſſe non convertitur, ſicut ſua de ineſſe.
6. Affirmativæ univerſales de neceſſe ſimiliter ſunt inconvertibiles.
7. Inſtantia pro Ariſtotele ſolvitur.
8. Vniverſalis & particularis negativa converſio qualis?
9. Proceſſus Ariſtoteles in oppoſitum, & ſolutio ejus.
10. Littera Scoti exponitur & deſcribitur. Schema æquipollentiarum ac oppoſitionum.

1. Circa modalia in duobus diſcrepat D. N. ab aliis; primùm quod cenſeat modales eſſe eas, in quibus interponitur modus veluti in medio; alias autem, in quibus ponitur ab altero extremorum, ut ſit aut ſubjectum aut prædicatum non eſſe proprii nominis modales. Vult ergo hanc propoſitionem modalem eſſe, *Petrus contingenter currit*, iſtam: *Petrum currere eſt contingens* non item ſed veram de ineſſe, quod totum cum ipſo

Probo, quia qualitas propoſitionis deſumenda eſt ex copula, ergo illa erit modalis, in qua copula modificatur non alia. Sufficit antecedens oſtendere quod ſic fiet: Propoſitio fit negativa, quum copula afficitur negatione, non verò quum alterum extremorum, aut etiam utrumque; & ſimiliter affirmativa ſemper manet quamdiu negatio abeſt copulæ, etſi interim afficiat alterum vel utrumque extremum, ut patet in hac: Non homo eſt non animal; quæ abſolutè affirmativa eſt, & tamen habet ab utroque extremo negationem quum hæc: homo non eſt animal: ſimiliter negativa ſit, etſi utrumque extremum ejus abſolvitur à negatione, quia ſcilicet verbo additur negatio.

Præterea propoſitiones hypotheticæ ſpecie diſtinguuntur per copulas: Hæc enim, *Petrus currit & Paulus loquitur* copulativa eſt propter copulam *&*. Iſta autem: *Petrus currit vel Paulus loquitur* non, ſed disjunctiva eſt (quia nimirum copulat partes ejus per *vel*) quamvis eaſdem cathegoricas habeat hinc inde quas habuit copulativè ut vidimus; & ſimiliter de aliis. Imò & totum genus hypotheticæ diſtinguitur à cathegorica per copulam; Nam cathegorica dicitur illa cujus extrema copulantur per *ſum* vel *eſt*, ſive formaliter, ſive æquivalenter ſumpta: Hypothetica, quæ non habet copulam verbalem ſed adverbialem vel aliàs indeclinabilem, ut ſunt iſtæ *&*, *vel*, *quia*.

Adhuc idem patet de qualitate accidentali veritatis, hæc enim metienda eſt utrobique per copulam. Cathegorica enim pendet omnino ex eo, quod res eſt, vel non eſt ut ſit vera à copula certiſſimè, ita ut etiam ſignificatum totius propoſitionis ponat pro inſtanti copulæ quod ſuprà vidimus. Hypothetica etiam id ipſum religioſiùs obſervat, nam quamvis duæ cathegoricæ ipſam conſequentes plus quàm veriſſimæ ſint, ſi tamen copula non verificetur, tota ipſa propoſitio eſt falſa, ut patet in hac, *ſi homo eſt, albus eſt*, quæ propoſitio de aliquo (putà Petro) prolata falſiſſima eſt, licèt Petrus ſimul homo ſit, & albus.

2. Apparet ergo proprietas loquendi ſupra alios in D. qui proinde has de modo ſeparato dicit eſſe abſolutè *de ineſſe*. Fatendum nihilominus eſt non potuiſſe omnem veritatem modalem expediri, per illas modales Scoti. Sed neceſſariò adhibendas fuiſſe alias iſtas, quas vocant de ſenſu compoſito, & modo ſeparato, neque enim ſunt invicem ſynonymæ, nam hæc, *Petrum currere eſt contingens* manifeſtè alium ſenſum facit ab iſta. Petrus contingenter currit, hæc enim ultima ad ſuam veritatem exigit realem & exiſtentem curſum Petri, alia non, atque adeò ut ſciretur qualitas propoſitionis illius & ſimilium abſolutè adhibendæ fuerunt aliæ illæ modales.

3. Ad alteram partem doctrinæ Scotiſticæ præmittendum eſt multos eſſe modos, quibus propoſitio vel copula ejus modificetur poſſum enim dicere, quòd Petrus v. g. currat raró, vehementer, verè, falsò, improbabiliter, quorum aliqua proſequitur in littera D. & reſolvit. Sed nos hic ſtabimus doctrinæ Ariſtotelis, qui modos omnes voluit eſſe quatuor, ſcilicet neceſſarium, impoſſibile, poſſibile, contingens, nec plures quin potius pauciores numerandi videntur quia revera ille modus poſſibilitatis ſuperfluit poſità contingentià in quo approbo judiciũ Fonſecæ, qui tres tantum claſſes modalium numeravit. Iam ut videamus in quo defendendus ſit Scotus, videndum eſt in quo diſcordet à doctrina aliorum quæ eſt illa Ariſt. hic atque adeo ponam his regulas ab Ariſtotele traditas de converſione modalium, ſunt autem tres vel etiam quatuor.

Prima propoſitiones modales de neceſſe affirmativæ eodem modo convertuntur, quo abſolutæ.

II. Propoſitiones de poſſibili & contingenti generaliter ſumpto, quatenus coincidit etiam cum neceſſaria & poſſibili, eodem modo convertuntur, quo illæ de ineſſe.

III. Propoſitiones affirmativæ de contingenti ſimpliciter, id eſt propriè acceptæ tam uni-

univerſales quàm particulares eodem modo, quo illæ de ineſſe, & cæteræ hactenus poſitæ, convertuntur.

IV. Eſt altera pars hujus regulæ de contingentibus, quòd ſcilicet propoſitiones negativæ univerſaliter de hujusmodi contingenti non convertuntur ſimpliciter, particulares tamen negativæ convertuntur ſimpliciter.

V. Habet etiam implicitè aliam regulam ibidem quòd ſcilicet propoſitiones negativæ univerſales de contingenti propriè ſumpto convertantur per accidens. Ita ille primo *prior. cap.* quem cæteri ſequuti ſunt, tam Antiqui quàm recentes.

4. Doctor tamen ſubtilis non ubique aut univerſaliter approbat has regulas ut patet apud ipſum 1. *Prior. q.* 26. Vbi ſuam mentem de his aperit quam ad majorem claritatem ponam per totidem regulas quibus breviùs apparebit ubi conveniat & ubi diſcrepat ab Ariſt.

Prima eſt iſta: Propoſitiones modales ſenſus diviſi intellige (has enim ſolas vult eſſe propriè modales) de neceſſe non convertuntur ſimiliter illis de ineſſe. Dicit autem eas habere alterius generis converſionem impropriam tamen.

II. Propoſitiones de *neceſſario* ſimpliciter pro ſemper convertũtur ſimiliter illis de ineſſe

III. Excipienda tamen eſt ex his particularis negativa, quæ non convertitur.

IV. Illa de poſſibili convertitur, per omnia ſicut illa de ineſſe.

V. Illæ de poſſibili *contingenti* non convertuntur ſimiliter illi de ineſſe, ubi vides Doctorem ubique ferè præterquam in ſecunda concluſione differre ab Ariſt. & verò in hac etiam differre debuit, ni erraret quod quomodo fecerit intrà aperiam. Ipſius mentem explicare & defendere conabor ſequentibus.

5. Dico ergo primò Propoſitionem modalem affirmativá univerſalé de modo *neceſſe* non converti, nequidem per accidens, atq; adeò non ſicut illæ de ineſſe. Hanc vides in prima regula Doct. quem in hoc ſequuntur doctiſſimi Recentiores (allegantes pro ſe ex antiquis Eudemum & Theophraſtum) ex quibus eſt Moriſanus noſtras *in lib. Prior. cap.* 2. *dub.* 1. eſt autem contra primam regulam Ariſt.

Probatur efficaciter, quia non ſemper in his conſequens eſt verum, quando antecedens eſt verum; ſive, non ſemper convertens vera eſt, quando converſa eſt vera; quod patet breviter hoc exemplo; non enim ſequitur: *Neceſſe eſt omnem ridentem eſſe hominem*, ergo *neceſſe eſt aliquem hominem ridere.* Antecedens enim eſt veriſſimum, quia riſus non poteſt alteri quàm homini competere, & tamen cuilibet homini contingenter competit, nullus enim neceſſariò ridet ecce univerſalem modalem, quæ non poſſit in particularem converti, cùm tamen univerſalis de ineſſe ad minus ſic, hoc eſt per accidens convertatur; quod patet ſiſtendo, in hac ipſa forma, ſequitur enim, *omnis homo ridet* ergo *aliquod ridens eſt homo* quamvis enim antecedens ſit falſum, tamen eo dato ſequitur conſequens, ut vides ibi, ergo.

Multa & mira ad hoc excogitata ſunt à Peripateticis, qui difficiliùs ferè Ariſtotelem deſerunt quàm veritatem, ſed omnia fruſtra, ut patebit videnti eas apud Conymb & Amic. hic. Unicum eſt quòd umbram aliquam habeat, quod tamen non pro prima hac regula Ariſt. facit, ſed pro ſecunda Doct. unde

6. Dico iterum propoſitiones affirmativas univerſales de contingenti (intellige propriè ſumpto) non item converti, ſicut illæ de ineſſe, ſed abſolutè dicendas inconvertibiles. Imò etiam ipſas particulares. Eſt 5. regula Doct. contra 3. Ariſt.

Hanc probare non erit difficilè, ſufficiet enim invertere exemplum ſuprà adductum ſic: Iſta enim eſt veriſſima. *Contingens eſt omnem hominem ridere*, & tamen iſta falſa eſt, *contingit aliquando ridens eſſe hominem*, quod ſic oſtendo, quia ejus contradictoria eſt vera, iſta ſcilicet *neceſſe eſt omne ridens eſſe hominem*. Immo & in aliis terminis accidentium merè communium reprobari poteſt. Iſta enim eſt vera; *Contingens eſt omnem hominem eſſe pulchrum vel album*; iſta tamen falſa: *Contingens eſt aliquod pulchrum vel album eſſe hominem*: ad quod probandum non eſt opus recurrere ad deſcenſus vel aſcenſus, facilè enim intentum conficitur ſic: Aut enim illud pulchrum eſt homo, aut non eſt homo. Si eſt homo tum non eſt contingens ipſum eſſe hominem ſed neceſſarium; ſi non eſt homo, ſed angelus aut equus, tum etiam non eſt contingens ipſum eſſe hominem, ſed omnino impoſſibile.

Altera pars hujus de particulari in iiſdem terminis patet, nec enim valet *aliquem hominem ridere eſt contingens* ergo *aliquod ridens eſſe hominem eſt contingens* cujus conſequentis falſitas ſuprà demonſtrata eſt, ergo.

7. Videor tamen mihi poſſe pro Ariſt. pugnare ſic, aſſerendo ſcilicet hanc, *aliquod ridens eſſe hominem eſt contingens* valere, ſeu veram eſſe, quia ad veritatem hujus requiritur aliqua complexio objectiva contingens, ſcilicet unio riſus cum homine; nam ſi homo non rideat certè ridens non erit homo, & oppoſitum videtur reducere ineptias diſtinguentium has: *Vidi regem* & *regem vidi*; At verò illa quæ ad verificandum ſe requirit aliquid contingens eſt contingenter vera, ut patet, nam neceſſaria nullo poſito tali & quocumque poſita eſt vera, ergo. At verò nemo hoc moveri debet, ſed reſpondere negando requiri ullam complexionem contingentem ad veritatem hujus, non enim hæc aſſerit connexionem riſus cum homine aut alio ullo, ſed ſupponit; ſupponit inquam connexionem ejus cum aliquo, & de illo aliquo affirmat humanitatem, in quo patet diſcrimen ejus à converſa, quæ affirmat riſum de homine

8. Dico ampliùs univerſalem negativam non converti per accidens: Particularem negativam non converti ſimpliciter. Secunda pars eſt tertia regula Doct. expreſsè facit contra quartam regulam Ariſt. & in ea magis communiter deſeritur. Prima pars non contradicit ei expreſsè, nec enim ipſe oppoſitum expreſsè ponit, quamvis Conymbricenſes hîc eam deſcribant ex ipſo tanquam regulam. Intelligenda eſt autem concluſio de contingentibus.

Probatur prima pars, oſtendendo in his conſequens falſum antecedente vero, ſic. *Contingens eſt, nullum locum eſſe vacuum ergo contingens eſt nullum vacuum eſſe locum* non ſequitur, quia ante-

antecedens eſt verum ; adeóque ex eo non ſequitur niſi verum : conſequens autem eſt falſum. quia neceſſarium eſt, ut vacuum aliquod, imò omne vacuum terminatum ſit locus. Secunda pars patet in his, *contingens eſt Deum non eſſe creantem*, quod veriſſimum eſt, quia poteſt creare, & ceſſare à creando, hæc autem in quam convertenda foret, falſa, *contingens eſt creantem eſſe Deum*, nam non eſt id contingens ſed neceſſarium quum nullus alius à Deo poſſit creare.

Objici poſſunt contra hæc experientiæ aliquot converſionum, in quibus conſequens univerſalis affirmativæ de ineſſe non poteſt eſſe falſum antecedente vero, quod oſtendit valenter in multis Ariſtot. *dicto cap. 3. & cap. 13.* primi Prior. Sed reſpondeo hæc non ſufficere, quia quum nos oſtenderimus converſiones aliquas in omnibus his caſibus non ſubſiſtere, judicandum eſt illas ab Ariſt. adductas valere ratione materiæ tantùm nam ſi forma valeret in omni materia curreret quod non facit ergo.

9. Vt autem appareat hujus partis veritas, opponã hic unum ex proceſſibus Ariſt. quo ſuas regulas probat etiam quum proſequutione, quam poſteriores ei addiderunt, & ſi illa, quam habet *cap. 3* ut probet univerſalem affirmativam de *neceſſe* converti poſſe per accidens : & ne confundatur lector elementis alphabeticis Ariſtotelis, ſuperponam ſingulis objectum; ſint autem pro nunc duo iſta *Homo* & *Grammaticus* quæ reſpondeant *A* & *B*. Ariſtotelis, quo poſito ſic
grammaticum hominem
arguitur, *neceſſe eſt omnem* B eſſe A.
hominem grammaticum
ergo neceſſe eſt aliquem A eſſe B
quam conſequentiam ſic videretur probaturus (non enim adfert totam probationem in littera) ſi conſequens hoc non eſt verum, tum contradictoria ejus, ſcilicet non neceſſe eſt a-
hominem grammaticum
liquem A eſſe B vera eſſet; non poteſt autem hæc vera eſſe, quia ex illa colligitur hæc, non neceſſe eſt aliquem
grammaticum hominem
B eſſe A. quæ repugnat primo antecedenti quod fuit convertendum, atq; ita ſtante veritate converſæ neceſſariò vera erit illa convertens, quod fuit probandum. Ita ille, ſed nihil profuit nego enim conſequentiam, & concedo contradictoriam ejus eſſe veram, cujus oppoſitum non probat ratio ibi ſubjuncta, non enim rectè colligitur illa conſequentia ibi ſubjuncta. Et verò hoc non fuit aſſumendum, ſed probandum Adverſario, de eo enim diſputamus.

Inſtat ergo ille, & probat eam ſic. Ex hac,
hominem grammaticum
non neceſſe eſt aliquem A. eſſe B.
hominem
ſequitur : *Contingens eſt nullum* A. eſſe
grammaticum;
B. ſi autem contingens eſt nullum
hominem grammaticum
A. eſſe B ponamus nullum eſſe. Tunc autem habetur intentum, quia quum ex
homo grammaticus
hac *nullus* A. eſt B. colligatur hæc
grammaticus homo
nullus B. eſt A. ut patuit ex ſupradictis Act. num. , oportet ut contingens ſit nullũ
grammaticum hominem
B. eſſe A. aliter enim non poſſet
grammaticus homo
ſequi: huic autem nullus B eſt A.
grammaticum
æquipollet illa, *Non eſt neceſſe aliquem* B.
hominem
eſſe A. atqui ita ex illa prima, *non* neceſſe
hominem grammaticum
eſt aliquem A. eſſe B ſequitur
grammaticum
hæc, *non neceſſe eſt* aliquem B. eſſe
hominem
A. quod eſt intentum, ſcilicet converſio per accidens univerſalis negativæ. Sed reſpondeo hîc ſolemniter peti principium. Probatur enim modalem converti hoc modo, quia ſimplex de ineſſe ſic convertitur, hoc autem eſt, quod quæritur, & à me negatur, nec temere; clarum eſt enim propoſitionem modalem aliud ſignificare ac ſuam de ineſſe, verè enim dico hominem, hominem aliquando moveri, falsò tamen dicam hominem neceſſariò moveri; & ipſe Ariſt. qui ante... docuit univerſalem negativam de ineſſe converti ſimpliciter, hic negat univerſalem modalem de contingenti ſimpliciter verti lapſus eſt ergo interpres Ariſtotelis quum crederet vale-
homo
re hanc conſequentiam *nullus* A. *eſt*
grammaticus grammaticus homo
B. ergo *nullus* B. *eſt* A. li-
homo grammaticus
cet valeat, *omnis* A. *eſt* B. ergo *ali-*
grammaticus homo
quis B. *eſt* A. ſed denique Ariſt. dignus eſt excuſatione ob obſcuritatem materiæ; alii ob Ariſtotelem; quia ſequenti magnum ducem venialis error eſt.

10. Objici tamen adhuc nobis poteſt ipſe Scotus q. 25. *in* 1. *Prior.* ubi videtur totum oppoſitum dicere, & eſt, *quod propoſitiones* (modales) *in ſenſu compoſito convertuntur omnino ſimiliter, ſicut illæ de ineſſe, ita quod particularis vel indefinita affirmativa, in particularem vel indefinitam affirmativam, univerſalis negativa in univerſalem negativam, univerſalis affirmativa in particularem affirmativam.* Reſpondeo Doct. nobis non eſt contrarius, quia nec ſibi; utriusque cauſa eſt, quod habet ibidem ipſe quia ſcilicet propoſitiones ejuſmodi habet ipſe pro propoſitionibus de ineſſe; non ergo mirum eſt, quòd judicet illas ſic converti, ſcilicet univerſalem negativam & particularem affirmativam ſimpliciter, non enim accipit Scotus has ut communiter alii, qui modum cenſent de dicto affirmari, ipſe autem putat modum de propoſitione affirmari, ut ſenſus ſit : Petrum currere eſt contingens, id eſt propoſitio; non autem res contingens eſt. Deinde alii ponunt modos ipſos trahere in ſe ſincathegorema ſuum, & dare quantitatem propoſitioni; v. g. *neceſſe* eſſe univerſalem, ac etiam *impoſſibile*; *contingens autem & poſſibile* ſingularem. Scotus autem ipſis modis affigit ſincathegoremata ad habendam quantitatem propoſitionis, ita quum differat in principiis, non eſt mirum ſi differat in concluſione.

Itaque de modalibus breviter ſic cenſe, univerſalem & particularem affirmativas de *neceſſe* nullo modo converti, nec ſimpliciter, nec in parte, idémque eſſe de affirmativis, de *contingenti*; At verò utraque affirmativam, de *impoſſibili* in his ſimpliciter converti; è contra in negativis, quia illæ de *neceſſe* ſimpliciter convertuntur, illæ verò de *impoſſibili & contingenti* nullo modo.

Scho-

SCHEMA ÆQVIPOLLENTIARVM, OPPOSITIONVM ET CONVERSIONVM.



ACTIO IV.

Vtrum ex propoſitione negativa de prædicato finito ſequatur affirmativa de prædicato infinito?

Breviarium.

N. 1. *Concluſio affirmativa probatur.*
2. *Alia probatio potior priori:*
3. *Exceptio contra hanc probationem ſolvitur.*
4. *Aliæ duæ rationes in idipſum illuſtratur prima figura ſyllogiſmorum.*
5. *Objectio; ubi obſcuritas Ariſtotelis.*
6. *Alia auctior; num inferatur aliquid ex negatione?*
7. *Tertia. Prædicatum aliquando non infinitari totaliter.*
8. *Quarta. & ingenioſa: ubi iterum tractatur forma primæ figuræ ſyllogiſmorum.*
9. *Regulæ aliquot recentium rejectæ.*
10. *Oppoſitum reſolutionis poſita non carere probabilitate.*

1. SCotus q. propria de hoc quæ eſt 2. in 2. *Perih.* & quam reſolvit q. 5. ſequenti perplexus eſt; ſolvit enim argumẽta in utramq; partem ſed aliunde conſtat de ejus mente.

Dico ergo ad quæſitum aſſertivè; ſive valere conſequentiam. Ita Conymb. ex Ariſtotele, ſed apud ipſum Ariſtotelem totum contrarium lego, & ita intellexerunt Ariſtotelem antiqui interpretes Boët. Porph. & hos ſequuti SS. Albert. & Thom. Doct. ut dixi eſt problematicus pro nunc.

Probo præſentem; & ſit exemplum in hac, *Petrus non eſt ſcribens*: dico ex hac rectè inferri iſtam *Petrus eſt non ſcribens* quia de quolibet imaginabili vera debet eſſe aliqua ex contradictoriis, ſed ſcribens & non ſcribens manifeſtè ſunt contradictoria ergo de Petro & quocumque alterum debet verificari. Atqui quando verum eſt quòd Petrus non ſit ſcribens non poteſt verificari de eo hoc extremum ſcribens, ergo debet verificari illud non ſcribens, quod fuit probandum.

Reſponderi poteſt ſcribens & non ſcribens nõ eſſe contradictoria quomodocumq; ſumpta

nec modo à nobis intento, quando ſcilicet, *non ſcribens*, ſumitur infinitanter; cujus ratio etiam non mala adducitur, & eſt iſta, quia ſcilicet contradictoria ſunt affirmatio & negatio ejuſdem, hîc autem non adferuntur affirmatio & negatio, ſed affirmatio, & affirmatio, quia ſcilicet non ſcribere affirmatur de Petro. Hoc eſt principium, unde cœpit credibilitas contrariæ opinionis. Contra ipſum erunt duæ ſequentes probationes maximè tertia, ſecunda enim faciet circa aliud ejuſdem opinionis fundamentum.

2. Probatur ergo aliter res; Si nõ ſequeretur propoſitio de prædicato infinito ex alia de prædicato negato, eſſet, quia in illa de prædicato infinito involvitur exiſtentia ſubjecti, quæ non habetur, quotieſcumque verificatur propoſitio de prædicato negato nam illa: Petrus non ſcribit; vera eſt etiam Petro non exiſtente. Atqui hoc neminem movere debet, quia falſum eſt; illa enim exiſtentia requireretur ratione ly *eſt* quod etiam Adverſarii intendunt; at verò verbum *eſt* non requirit ſubjecti ſui exiſtentiam, quod patet in his Chymera eſt impoſſibilis; vel; Chymera, eſt Chymera, quæ veriſſima ſunt, tamen ſubjecta eorum non ſolent exiſtere, ſed nec poſſunt.

3. Fateor tamen hoc evadi poſſe, dicendo, quòd ubique ly *eſt* exigat ſubſiſtentiam ſubjecti, ſed aliam & aliam, juxta naturas prædicatorum, quæ, quando ſunt neceſſaria, non petuht in ſubjecto niſi eſſe eſſentiæ (ut vocant) quando autem ſunt contingentia exigunt exiſtentiam ipſam, talis eſt in exemplo concluſionis *Petrus non eſt ſcribens*, non autem eſt tale in iſto allato ad defenſionem ejus; Chymera eſt impoſſibilis. Reſpondeo ſit ita, etiam ſic concluſio noſtra eſt vera, nam ſaltèm in neceſſariis valet; ſed revera non ſufficit ſic reſpondere, utique enim quæſtio hic eſt an illa conſequentia ſit formalis, quòd autem valeat in una materia, non facit eam eſſe formalem, talis autem eſſet iſta ſi valeret in omni materia, quod non ſatis adverterunt Conymb. quando ex eo quòd Ariſtoteles admiſit conſequentiam hujuſmodi inter ſingularia, intulerunt mentem ejus eſſe quòd univerſaliter valeret, quum ipſe ſtatim eam neget ibidem in univerſalibus. Reſpondeo ergo hanc ſolutionem refelli poſſe ex ſe ipſa & facere pro nobis. Nam ſi ſubjecta quoad ſubſiſtentiam aut eſſe quod habent limitantur à prædicatis, ſequitur quòd etiam de non exiſtenti verificari poſſet *non ſcribere* quia eſt prædicatum merè negativum, &, de non eſſe, atque hinc

4. Probatur tertiò intentum ſive formalitas & valor illius conſequentiæ ſic; Nunquam poteſt antecedens in his eſſe verum, niſi etiam conſequens ſit verum: ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis, quæ ſunt characteres conſequentiæ formalis, & ſic probantur, quia dicere, Petrus eſt non ſcribens, eſt ipſum quod Petrus non eſt ſcribens. Idem enim eſt negare affirmationem & prædicare negationem nam affirmatio negationis, eſt negatio habitûs, unde etiam idem eſt affirmatio tenebrarum, & negatio luminis, quia ipſæ tenebræ non aliud ſunt quàm negatio lucis, ergo qui dicit Petrus non ſcribit & Petrus eſt non ſcribens, idem utrobique dicit.

Atque hinc patet ad replicam ſuprà factam ad primam probationem, in qua negatum eſt hæc eſſe contradictoria, eò quòd eſſent duæ affirmationes, nam non ſufficit affirmatio ad faciendum poſitivum extremum, niſi ulteriùs ipſum objectum, quod affirmatur ſit poſitivum. Et confirmatur, quia negatio negationis eſt quid poſitivum, unde eſt illa regula Summuliſtarum, non dari ſcilicet negationem negationis, non quia non detur aut quia non poſſit cogitari, aut dici, ſed quia illa negatio non eſt negatio ſed affirmatio, quum ſit ablatio nihili ſeu negationis, quæ non poteſt tolli niſi per aliquid & per habitum.

Probo 4. redeundo ad fundamentum Adverſariorum, quod eſt in hujuſmodi prædicatis infinitis affirmari aliquo modo exiſtentiam ſubjecti. Hoc enim eſſe debet eò quòd ly *eſt* videatur affirmari, atqui id falſum eſt, ut ſuprà vidimus; non enim eſt prædicatum in toto vel in parte, ſed mera copula in propoſitionibus tertii adjacentis, quæ ſunt hic controverſæ, ergo. Minoris hujus probationes petendæ ſunt ex Apol. *2. hujus op. act.* 5. *n. 2 &c* quib⁹ hic addo alias duas quia tota res huic innititur. Si verbum *eſt* eſſet in propoſitione prædicatum aut pars ejus, ſequeretur quòd omnis ſyllogiſmus in prima figura eſſet vitioſus, & conſtaret quatuor terminis; nihil hoc abſurdius, ſed probatur ſequi, quia medium in majori ſumitur abſolutè, ita ut ly *eſt* non ſit pars ejus. In minori autem ſumitur cum *eſt* ita ut *eſt* ſit pars ejus. Quod oſtendere libet exemplo potiſſimæ demonſtrationis in Barbara, quæ tamen ſecundùm hanc viam Adverſariorum erit vitioſa v. g.

Omne animal rationale eſt riſibile
Omnis homo eſt animal rationale, ergo
Omnis homo eſt riſibilis.

Medium hic non reperitur in utraq; præmiſſa, & ita non conjungitur utriq; extremitati, unde non eſt mirũ quòd conſequens nõ inferatur. Aſſumptum hujus diſcurſus patet quia animal rationale eſt hic medium, at verò nõ eſt idem animal rationale quod in utraq; præmiſſa ponitur; nam in majori eſt per ſe & ſolum, in minori ſumitur cum *eſt* quod τὸ *eſt* cum ipſo integrat prædicatũ. Aliter formari poteſt argumentum ſic. In prima figura medium debet ſubjici & prædicari; hoc non ſervatur in præſenti ſecundùm Adverſarios, nam non eſt idem quod fuit ſubjectũ in majori, & eſt prædicatum in minori, nam in majori ſubjectum fuit *animal rationale* in minori prædicatũ eſt hoc, *eſt animal rationale*, unde meritò illatum eſt quòd ſyllogiſmus conſtet quatuor terminis ergo.

5. Objicies primò Ariſt. 2. *Per.* 1. ubi ex quatuor propoſitionibus de prædicato eodem affirmato negato & infinitato dicit *duas ad affirmationem & negationem dici ſecundùm conſequentiã, ut privationes*, duas verò minimè hoc eſt à negativis ad affirmatas valere conſequentiam, è contra minimè: & paulò pòſt approbat doctrinam ſuam, quam de his tradidit in Analyticis. At verò ibi totum oppoſitum concluſionis docet, ſed & oppoſitum rationum noſtrarum *neque enim* (inquit) *idem ſignificant* (non eſſe album & eſſe nõ album) *neq; eſt negatio ejus quod eſt eſſe album hoc quod eſt eſſe non album ſed non eſſe album.*

Reſpon-

Reſpondeo ad primum, in eo & ſimilibus Ariſtotelem peſſimè meritum eſſe de litteraria republica, qui tam obſcurâ dictione ſententiam ſuam occultavit planè, quaſi nollet intelligi. Unde nego hoc eum dicere illis verbis, necdum enim convenit inter expoſitores quid velit; Sanè autem videtur quam maximè ad verum accedere expoſitio Toleti hic, qui vult illis verbis non oportere intelligi conſequentias, quòd valeant aut non valeant ab uno ad alterum ductæ, ſed ſenſum eſſe, quòd ex illis quatuor duæ opponantur privativè, aliæ non.

Ad ſecundum autem; Non poteſt facilè defendi, nam poſt allegata verba, ubi negat conſequentiam ſubdit probationem hanc. *Hac eſt autem hujus ratio, namq; ſimiliter ſe habere poteſt ambulare & poteſt non ambulare ei quod eſt; eſt album ad hoc quod eſt, eſt non album*, clarum eſt enim non ita eſſe, nam de trunco verè dixeris quòd non poſſit ambulare, falsò tamen quod poſſit non ambulare, ſive quòd habeat potentiam non ambulandi, ſed ad rem.

6 Objicies ſecundò in hac, *Petrus non eſt currens*, plus negatur quàm in iſta. *Petrus eſt non currens*, ergo non licet inferre hanc ex illa, eſt enim inferre plùs ex eo quod eſt minus. Antecedens oſtendo quia in hac *Petrus non eſt currens* negatur & *eſſe* & *curſus*: in alia illa ſolus *curſus* negatur; *eſſe* autem non negatur ſed affirmatur. Confirmatur quia in re eſt inferre aliquid ex negatione ſui, quo nihil abſurdiùs: patet hoc, nam, ut ſit illatio debet eſſe unius ex alio, atque adeò hæc *Petrus non currit* eſt principium hujus *Petrus eſt non currens* quatenus differt aliquo modo ab hac; atqui differt penes negationem ly *eſt*, atqui ita affirmatio illa ly *eſt* in propoſitione infinita inferturex negatione ipſi⁹ *eſt* in propoſitione negativa quod fieri non poteſt, ergo nec concluſio eſſe vera. Et confirmat Doctor quia negativa poteſt habere duas cauſas, affirmativa tantum unam, adeòque ex negativa ad affirmativam eſt fallacia conſequentis, ſicut ex disjunctiva ad alteram ejus partem, ut ſi dicerem: Tu es doctus vel indoctus, ergo tu es indoctus. Reſpondeo omnia hæc provenire ex imaginatione Adverſarii putantis *eſt* eſſe partem prædicati, cùm revera non ſit in his tertii adjacentis, ſed mera copula. Ad primum ergo nego antecedens. Ad Confirmationem iterum nego antecedens: Deinceps autem ſupponitur quod jam negatum eſt, ſcilicet affirmari ly *eſt*, quod vidimus eſſe falſum. Ad ſecundum reſpondeo hunc caſum non eſſe ſimilem disjunctivæ, aut illationi ex ipſa ſed potius illationi unius partis ex copulativa propoſitione, ut ſi dicerem: Habes hic Petrum & Paulum, ergo habes hic Paulum; negativa enim propoſitio nunquam eſt vera niſi habeat duas cauſas ſuæ veritatis ſimul, ſcilicet defectum formæ & defectum ſubjecti, non eſt ergo mirum inferri ex ea affirmativam quæ habet unam cauſam ſuæ veritatis, quia ſine dubio ſemper adeſt illa quoties adeſt illa & alia ſimul.

7. Objicies ſecundò; Non valet hæc, *non poteſt ambulare*, ergo *poteſt non ambulare* & tamen eſt à negativa ſimplici ad affirmativam infinitam, ergo. Dici poteſt valere in propoſitionibus de copula ſubſtantiali *eſt*, non in aliis de copula accidentali, qualis eſt illa in argumento allata: ſed hoc dicere eſt negare concluſionem, ſic enim non tenet univerſaliter conſequentia illa, atque adeò nec eſt formalis. Reſpondeo ergo in his & quibuſcumque valere conſequentiam; nec oppoſitum probatur eo exemplo, quia nimirum in ſecunda propoſitione non infinitatur totum prædicatum primæ; nam in prædicato primæ includebatur non ſolùm ambulatio, ſed potentia ad ipſam: In ſecunda autem negatio non afficit niſi ambulationem, & ipſa potentia affirmatur, adeòque.

Sed hinc ſurgit difficultas contra hactenus dicta; nam ſi ibi τo, *poteſt* affirmatur, & non tantùm affirmat, jam verbum in propoſitione eſt non tantùm copula, ſed etiam prædicatum, aut pars aliqua ipſius, quod negavimus. Reſpondeo hîc locum habere ſolutionem ſuprà proximè datam de copula ſubſtantiali & accidentali. Id enim verum eſt de ly *eſt* quum ſit propoſitio per ipſam, non de aliis verbis, neque de verbo *eſt* in propoſitionibus ſecundi adjacentis, quia nimirum tum *eſt* & alia illa verba important rem ipſam quam affirmant, & non ſolùm affirmationem aut copulam ejus.

8. Objicies adhuc tertiò; Si conſequētia hujuſmodi valeret, tum teneret ſyllogiſmus in prima figura cum minori negativa, hoc eſt falſum & contra canones Logicorum, ut patet apud Ariſt. 1. *Prior.* 5. ſequelam oſtendo in hac, *omne non animal eſt non homo, lapis non eſt animal, ergo eſt non homo*. Dico hanc ſequelam valere, quia valeret ſyllogiſmus poſitâ hâc minori *lapis eſt non animal* ex quo ſequitur quòd valeat etiam cum illa *Lapis non eſt animal* ſi concluſio noſtra ſit vera, quia nimirum hæc, *Lapis eſt non animal*, infertur legitimè ex illa. *Lapis non eſt animal.* At verò quod ſequitur ex conſequenti ſequitur ex antecedenti, ut patet etiam ex iiſdem regulis Summuliſtarum ergo. Reſpondeo tamen hic non adferri planè caſum concluſionis; infertur enim *lapis eſt non homo* ex hac *lapis non eſt animal* quod non eſt inferre propoſitionem infinitam ex negativa ut hic volumus, quia utraque propoſitio non conſtat iiſdem extremis ut deberet. Deinde in caſu concluſionis una propoſitio infertur ex una & ſola alia, hic non, ſed ex duabus, quia ſit ſyllogiſmus; Unde illa regula Summuliſtarum hic non habet locum ut faciat pro Adverſariis, quia antecedens in eorum exemplo non eſt illa negativa quam nobis objiciunt ſed ſunt duæ præmiſſæ ſimul.

9. Aſſignant tamen Recentiorum aliqui nonnullas regulas, ut hujuſmodi conſequentia valeat: Prima eſt, ut ex particulari non inferatur univerſalis; ſecunda, ut prædicatum negativæ ſit ſimplex: tertia, ne enunciatio habeat particulam reduplicativam; quarta, ut ſupponatur conſtantia ſubjecti. Defectu primæ non valet hæc, *aliquod animal non eſt homo*, ergo *omne animal eſt non homo*. Defectu ſecundæ iſta. *Petrus non eſt pater æternus*, ergo *eſt non pater æternus*. Denique ob tertiam peccat iſta. *Petrus ut homo non eſt pulcher* ergo *ut homo eſt non pulcher*. non placent tamen iſtæ; Prima ſuperfluit, quis enim cogitet ex particulari inferre univerſalem, etiam in formis argumentorum, quæ ſine dubio validæ ſunt? Aliæ duæ etiam falſæ ſunt: Iſtæ enim veræ ſunt *Petrus eſt non Pater æternus*, item *Petrus quatenus homo eſt non pulcher*, imaginantur autem Adverſarii in priori illa non negari Patrem de Petro ſed affirmari æternitatē, at quo jure? ſcitū eſt

Conymb. *in cap. 1. lib. 2. Perih. quæſt. 1.* Amic. *tract. 21. d. 2. quæſt. 5.*

eſt enim negationem eſſe malignantis naturæ, & deſtruere totum, quod poſt ſe invenit. Denique quidni dicam Petrum ut hominem habere carentiam pulchritudinis; nam, ut habeat pulchritudinem clarum eſt debere ei addi aliquid ultra humanitatem. Adverſarius autem videtur timere ne ſi homini ſecundùm ſe competat illa negatio, nunquam poſtea poſſet fieri pulcher, de quo non eſt periculum. Ultima in ſupradictis rejecta eſt.

Admitto tamen ſaltèm illam cautelam, ut, quando prædicatum negativæ eſt conjunctum, negatio infinitans afficiat totum ipſum prædicatum, & non tantùm partem ejus, cujus exemplum poſitum eſt ſuprà *object.* 3. Hæc hactenus pro valore conſequentiæ, pro defendẽdo Scoto.

10. Dico nihilominus ſuſtineri poſſe, quòd non teneat ubique, ſeu non ſit formalis ſic Scotum ſequar, qui in utramq; partẽ æquè propẽdet.

Probabo hanc reſpondendo ad rationes à me ſuprà poſitas, nam rationes pro hac parte in objectionibus poſitæ non malæ ſunt; Ad primam & ſecundam ex meis ibidem dictum eſt, nec evadit replica contra ſecundum facta, nam quamvis prædicatum ibi ſit negativum, & negatio dicat non eſſe rei, tamen, quando ipſa negatio importatur per modum formæ, & affirmatur, debet ſupponere aliquod ſubjectum de quo dicatur. Ex quo patet ad rationem tertiam ſequentem. Quæ ulterius videtur falſificari in hac & ſimilibus. *Roſa in hyeme non eſt alba* unde non licet inferre, *Roſa in hyeme eſt non alba*. Quia audientium omnium judicio per hanc ſecundam dicitur, quòd in hyeme roſa habeat eſſe, non tamen eſſe album. Ad quartam dici poteſt non ideo negari ejuſmodi conſequentias quaſi ly *eſt* ſit prædicatum, aut affirmetur de ſubjecto, ſed quia ad veritatem ejus ſupponitur aliquod eſſe ſubjecti (ut ſuprà dixi ad ſecundam rationem) licet hoc eſſe non affirmetur per verbum *eſt*.

ACTIO V.

Vtrum valeat conſequentia ab enuntiatione affirmativa de prædicato infinito ad negativam de prædicato finito?

Breviarium.

N. 1. *Reſolutio, problematica probatio partis affirmativæ.*
2. *Probatio negativa.*
3. *Probatio altera ejuſdem.*
4. *Vltima & optima. Soluta quadam inſtantia in oppoſitum.*

1. RESoluta videtur actione præcedenti, eſt enim ejuſdem objecti.

Dico ergo ad titulum problematicè, ſive utrumque defendi poſſe.

Partem affirmativam quæ eſt expreſſa Ariſt. 2. *Perih.* 1. probant primum & tertium argumentum pro reſolutione primaria Actionis præcedentis, ut patet applicanti: & confirmatur ulteriùs hic; valet enim ſemper inferre minus ex plus; ſed minus dicit propoſitio negativa de prædicato finito, quàm affirmativa de infinito, v. g. minùs eſt non eſſe album, quàm eſſe non album, quia ſcilicet in priori illa negatur & copula & prædicatum, in altera autem ſolum prædicatum: ibi nil relinquitur aut copulæ aut prædicati, hic relinquitur copula etſi tollatur prædicatum, atq; ita à primo ad ultimum plùs negatur in propoſitione de prædicato finito; ſi autem plùs negatur minùs ponitur, adeóq; licet inferre illam ex alia quæ plus ponit; talis eſt illa de prædicato infinito ergo. Sed ni fallor hæc ipſa ratio poteſt contra hanc partem objici, non enim valet dicere *hic deeſt A.* ergo *deeſt A. & B.* tale autem eſt in propoſito, quia in propoſitione negativa, negantur duo, quorum alterum tantùm negatur in affirmativa, atq; adeò non licet inferre negativam ex affirmativa, ſicut nunquam in ulla materia licet inferre duo ex uno ſed bene vice verſâ, ſic: *Deſunt duo hic* ergo *deeſt unum* non è contra, ſit ergo hæc probatio prima ſecundæ partis.

2. Quam etiam probo efficaciùs ſupponendo communem doctrinam Subtilium, quòd ſcilicet idẽ corpus poſſit eſſe in diverſis locis (quãquam non ſit opus peculiari illâ opinione noſtrarũ de præſentia circumſcriptiva corporis in pluribus) Sit ergo ſive ſic, ſive definitivè in multis locis, v.g. hic Romæ, & in Hybernia Petrus, tum de eo verificabitur illa infinita, non autem verificabitur negativa, adeòque nõ ſequitur hæc ex illa, ſi enim ſequeretur nunquã poſſet eſſe illa vera ſine hac, nam in bona forma nunquam eſt antecedens verum conſequente falſo. Probo ergo aſſumptũ, nam *Petro exiſtente Romæ*, verum eſt dicere, *Petrus eſt non in Hybernia* falsũ autem, *Petrus non eſt in Hybernia.* Major oſtendenda eſt, quod ſic facio. Illa: *Petrus eſt non in Hybernia* eſt propoſitio affirmativa cujus prædicatũ eſt illud *non* ſive negatio eſſendi in Hybernia; at verò negatio ubi Hybernici verè ineſt Petro Romæ, non enim ibi, ſcilicet Romæ, eſt ubi Hybernicum, ergo verè prædicatur de illo non eſſe in Hybernia. Minor non eget probatione, ſupponimus enim eum eſſe in Hybernia, ex quo ſequitur quòd propoſitio affirmans eum ibi eſſe ſit vera, negans autem falſa ergo. Itaque exiſtimo hanc partem multo veriorem eſſe; & adhuc eam probo.

3. Nam non ſequitur *Petrus eſt non ſimilis*, ergo *Petrus non eſt ſimilis* quia oppoſitum conſequentis poteſt ſtare cum antecedenti, hæc ſcilicet Petrus eſt ſimilis, cum hac Petrus eſt non ſimilis quod ſic oſtendo: Petrus eſt ſimilis; poteſt ſtare cum hac, Petrus eſt diſſimilis, ſed ex hac, Petrus eſt diſſimilis ſequitur ſtatim, Petrus non eſt ſimilis, utique enim cui aliquid eſt diſſimile, illi eſt non ſimile, ergo à primo ad ultimum ſimul ſtant: Petrus eſt ſimilis: Et: Petrus eſt non ſimilis, cujus cauſa eſt natura relationis quæ poteſt referre ſubjectum ad unum extremum

mum non referendo illud ad alterum, unde Petrus poteſt eſſe uni ſimilis, & alteri non ſimilis.

Dices non ſufficere hoc ad probandum intentum, ſed accipiendam fuiſſe ſimilitudinem & negationem ejus reſpectu ejuſdem, ſic dicendo: Petrus eſt non ſimilis Paulo, ergo non eſt ſimilis Paulo: ex his autem prima non poteſt eſſe vera, ni etiam ſecunda ſit, adeòque una ſequitur ex altera. Reſpondeo, verum eſt, ſic illas ſe invicem inferre, at verò non neceſſariò illæ propoſitiones reddunt illum ſenſum, nam relativa abſolutè verificantur de aliquo, etſi in re non competant ei, niſi per ordinem ad diverſa. Verum enim eſt, quòd Petrus ſit pater & filius, quod omnes ſine diſtinctione concedunt, & tamen nemo tam abſurdus eſt ut dicat Petrum eſſe patrem & filium ejuſdem.

Probant alii hanc partem hâc inſtantiâ; docetur Romæ non Arithmetica, ergo non docetur Arithmetica. Falſa eſt ſeu malè illata, poteſt enim doceri ibi & Arithmetica & Theologia, quæ eſt non Arithmetica, ergo. Probationem non approbo, quia non adfert caſum, non enim infinitatur in prima illa prædicatum ſed ſubjectum quod eſt Arithmetica, prædicatum autem eſt in ly *docetur*. Sed tum videtur non poſſe in his terminis adferri inſtantia caſus præſentis; nam ſi addatur negatio verbo *docetur*, propoſitio non erit infinita, ſed negativa, adeòque videtur ſic relinquenda ut ſit infinita. Reſpondeo eſſe reddendam eſſe ſic. *Arithmetica eſt non docta* (ſeu) *non tradita diſcentibus Romæ*, etſi fatear hâc formâ non exprimi omnino objectum primæ, ſed eſt defectus idiomatis & grammaticæ potiùs, quàm Logicæ.

4. Meliùs puto probari hanc partem inſtantiis propoſitionum de futuro aut etiam de præterito, ſic. Non enim valet; Petrus erit non rex; ergo non erit rex; ſed hæc ipſa probatio eſt ſuſpecta, & de facto rejicitur ab Amico, quia omnino valeret conſequentia, ſi ly *erit* utrobiq; referretur ad eandem differentiam temporis, v. g. ad inſtans craſtinum B. valet enim; Petrus erit non rex in B. ergo non erit rex in B. quia non poteſt eſſe non rex tunc niſi per hoc quod non ſit rex, audio & exiſtimo totum verè dici, ſed non ſufficienter ad rejiciendam illam probationem, nam etiamſi non fiat illa relatio ly *erit* ad idem inſtans temporis, adhuc propoſitiones illæ ſunt ſignificativæ, & habent ſenſum ſuum atque ita in aliqua materia illæ conſequentiæ non tenent, eò magis quod propoſitio negativæ etiamſi non determinet ad inſtans illud B, tamen complectitur illud inſtans, quia negatio ante ſubjectum deſtruit totum quod afficit, atque ita deſtruit inſtans B. ad quod ponamus reſtrictam eſſe propoſitionem affirmativam infinitam ſive mentaliter, ſive vocaliter.

Objicies D. q. 5. *Elench* qui abſolutè ait valere conſequentiam. Reſpondeo D. approbat ſingularem quandam conſequentiam ejuſmodi, non autem formam ipſam inferendi; Approbat enim conſequentiam hanc: *Hoc eſt non duplum*, ergo *hoc non eſt duplum*, ſed & nos approbamus eam, quod etiam fecit Ariſtoteles & propter ipſum D.

ACTIO VI.

Vtrum Enunciatio de ſubjecto conjuncto ſit per ſe & neceſſaria?

Breviarium.

N. 1. *Caſus quæſitus. Refutata cenſura Carthuſiani.*
2. *Reſolutio negativa quæſtionis, quod non ſit per ſe.*
3. *Reſolvitur etiam, quod non ſit neceſſaria: & probatur valide.*
4. *Rec. fatentur probationem ſibi quidem inſolubilem, & merito.*
5. *Modus evadendi argumentum, rejectus.*
6. *Alia evaſio etiam præcluſa; & adducta confirmatio concluſionis.*
7. *Objectio bis ſoluta.*
8. 9. 10. 11. *Multiplicantur objectiones & ſolutiones.*

1. Caſus eſt in hac & ſimilibus; *homo albus eſt homo*: quam D. 3 *d.* 22. & multò clariùs ejuſdem *lib. diſt.* 7. *q.* 1. negat eſſe neceſſariam: aſſerit D. (a) *Th.* utriuſque ſchola cum ipſis, id eſt ſuos ſinguli ſequuntur. Scotum *Lych. Tart. Baſſol. major.* ex aliis *Burad.* præterea *Ock.* & ex D. *Thom.* ſchola *Capreo: Soncin. &c.* ex quibus videas, quàm meritò *Dionyſ.* (a) *Carthuſ.* dixerit ſententiam Scoti hic nulla authoritate fulciri cum ex iſtis doctoribus plures Dionyſium præceſſerint. Quod autem temporibus Scoti non fuerit hæc ſententia communis, cedit in gloriam Doct. utique enim plus eſt ſententiam aliquam reddere probabilem, quàm inveniſſe.

Scot. (a) 1. ar. 1. (a) 3. *diſt* 22 *q.* 1.

2. Dico ad titulum negativè, in primis quòd ſcilicet nulla talis ſit per ſe, & probo: nullum prædicatū per ſe poteſt convenire enti non per ſe; ſubjectum conjunctum quale exemplificavimus, v. g. homo albus eſt ens non per ſe, ergo nullum prædicatum per ſe ei competere poteſt. Vis eſt in majori, quam ſic probo. *Ratio in ſe falſa de nullo poteſt dici* ex phil 5. *Met.* neque quidquam de ipſo, ergo nec quidquam per ſe de eo, quod non habet eſſe per ſe. Confirmo, quia per ſe hic idem eſt ac eſſentiale atque ens per accidens non habet eſſentiam, ergo nec quidquam eſſentiale, adeòque nec quidquam per ſe. Confirmo phyſicè: prædicatum per ſe debet habere ſubjectum per ſe & forma per ſe una debet recipi in uno, nec ulla una talis poteſt recipi in ſubjectis realiter diſtinctis; atqui ſubjectum conjunctum, v. g. homo albus eſt plura realiter, & non per ſe unum ſed per accidens, ergo nulla una forma poteſt in toto illo recipi, ergo nec intelligi poteſt ulla denominatio per ſe afficere

æquè totum aliquid per accidens,atque ita nec homo nec albus dicetur per ſe de homo albus.

Dici poteſt non eſſe neceſſe,ut quælibet forma per ſe habeat ſubjectum ſimiliter per ſe aut ſimplex, quin oppoſitum ſæpiſſime contingere, nam riſibilitas v.g.eſt una per ſe, & tamen eſt diſperſa per duo ſubjecta; neque enim tota vis ridendi eſt in ullo uno; quia neque anima ſola eſt totum principium ejus, cùm non poſſit fieri riſus niſi organicè, id eſt cooperante aliquo membro & motu corporis, & multò minùs poteſt fieri à cadavere ſeu corpore non animato. Reſpondeo primo riſibilitatem,& ſimiles virtutes ſeu paſſiones compoſitorum non eſſe diviſas in partes componentes tanquam ſubjecta, ſed immediatè eſſe in toto, quod eſt tertium quid atque ita nihil proficit argumentum contra Scotiſtam. Reſpondeo ſecundò abſtrahendo ab hac via, etſi dicamus eſſe in diverſis ſubjectis, id ideo eſſe, quia ipſa riſibilitas, eſt quodammodo plura diverſa; atque ita ut ſit per ſe unum, debet habere ſubjectum per ſe unum,ſicut ſi eſſet ſimplex deberet habere ſubjectum omnino ſimplex : at verò totum per accidens quale eſt, homo albus,non eſt per ſe unum,ergo. Et quæſo ſi riſibilitas eſt diſtracta in duo ſubjecta non ſe per unita, quomodo manet per ſe unum?

Vrgeo argumentum, ſi aliquod prædicatum per ſe aut neceſſariò poſſet competere enti per accidens, non eſſet verum,quod de ente per accidens non poſſet eſſe ſcientia, hoc autem eſt commune philoſophorum poſt Ariſtotelem. Sequela probatur,quia concluſio in qua oſtenderetur illud prædicatum,eſſet ſcientifica& quamtumcumque abeſſet à primis modis & figuris ſyllogiſmi, tamen poſſet ad ea reduci atque ita denique reddi demonſtratio.

Objicies:Illa propoſitio eſt per ſe,in qua prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti.Talis eſt hæc,ut vides, reſpondeo, hanc ſolvam cum aliis infrà *num*... interim pro ſecunda parte

3. Dico etiam ſuſtineri poſſe, quòd nulla talis ſit ſimpliciter neceſſaria.Hanc non aſſero tam abſolutè quàm priorem. Sed quia cenſetur ſaltèm mens Scoti,probo ipſam:Ut propoſitio aliqua vera ſit, debet prædicatū verè ineſſe ſubjecto,&non tantū cuicumq; parti ejus.Vnde hæc, *homo albus currit*; falſa eſt,etſi homo aliquis currat niſi ille homo qui currit ſit albus etiam dum currit, ergo hæc *homo albus eſt homo* non eſt neceſſaria niſi prædicatum neceſſariò conveniat toti ſubjecto,atqui non eſt ita; ſive prædicatum non neceſſariò convenit toti ſubjecto quia non albedini ergo.

Probo concluſionem à poſteriori; Si enim hæc ſit neceſſaria, *homo albus eſt homo* poterit formari univerſaliter,& dici omnis homo albus eſt homo,quia propoſitio indefinita in materia naturali æquivalet univerſali : Sed hoc non poteſt eſſe, quod ſic oſtendo, nam univerſalis affirmativa de neceſſe convertitur per accidens, hæc autem non poteſt ſic converti, ergo. Maior eſt *Ariſtot*. 1. *Pr. c.* 3.ubi docet univerſalem modalem de neceſſe converti ſicut univerſalem affirmativam de neceſſe, quam idem ſuprà *cap.* 2. (*b*) docuit convertendam eſſe per accidens, ſive, in parte, ut loquitur. Minor autem probatur facillimè.Hæc enim, *aliquis homo eſt homo albus*, manifeſtè falſa eſt, intellecta ut huc facit,

(b) c. 2. Topic. 1.

ſcilicet ut propoſitio neceſſaria.Sed hæc res manifeſtior fiet formando ipſas modales in propria ſpecie ſic neceſſe eſt omnem hominē album eſſe hominem. Neceſſe eſt aliquem hominem eſſe hominem album:Prima harum ſecundùm adverſarios vera & neceſſaria eſt,&tamen convertitur in ſecundā:At verò ſecunda manifeſtè falſa eſt, ergo & prima; namſi vera eſſet, non poſſet ex ea ſequi legitimè falſum, ſequitur autem,ut vides, ergo.

4. Hoc argumentum vehementer vexat Adverſarios, qui etiam plurima excogitaverunt in ſolutionem ejus,ſed fruſtra,ut fatetur collegium Conymbricenſe *in cap.* 2. 1. *Pr.* apertè profeſſum *in ſententia, quam defendunt ipſi eſſe ſatis difficilè nec ab ullo plenè ſolvi*. Et ſanè apparet id nimis verum eſſe,in ea ſolutione quam ipſi adhibent. Dicunt enim illam, *aliquis homo eſt homo albus* ſecundùm ſe ſpectatam eſſe contingentem,at verò,ut eſt convertens illius univerſalis, eſſe neceſſariam, quaſi vero conſequentia aut converſio mutet naturam aut veritatem conſequentis. Quod ſi ſemel dicatur,tum nulla propoſitio poterit probari per aliam, nam quum per alteram infertur non eſt amplius illa, quæ fuit ſed tranſit in aliam.Aliqui reſpondent non poſſe illam propoſitionem converti, quod adhuc incredibiliùs eſt,quum regulæ converſionum ſint univerſales, & in quacumque materia habeant experimentum. Stet ergo fixum, priorem illam non fuiſſe neceſſariam neque aliter evadi poſſe neceſſitatem ſecundæ ſive convertentis, quam tamen manifeſtum eſt eſſe contingentem, ergo.

Urgeamus etiam hanc formam aliter, ſcilicet intra ipſas propoſitiones ſimplices de ineſſe,ex quibus formare poſſumus ſyllogiſmum tam de medio communi quàm expoſitorium, & ex utroq; inferre abſurditatem illam ,quam jam deduximus ex illa modali, ſic arguendo in tertia figura,

Omnis homo albus eſt homo.
Omnis homo albus eſt albus, ergo
Aliquod album eſt homo,

ex qua per converſionem ſimplicem ſequitur hæc,

Aliquis homo eſt albus.

Item expoſitoriè ſic:

Hic homo albus eſt homo.
Hic homo albus eſt albus, ergo
Aliquod album eſt homo,ut ſup.

5. Vis tamen hujus argumenti evadi poteſt diſtrahendo illud ly *eſt* in plures ſenſus, ſcilicet eſſentiæ & exiſtentiæ; poſſunt enim dicere Adverſarii conſequens illud, quod inferimus, *aliquod album eſt homo*, vel *aliquis homo eſt albus*, ut ſit abſurdum debere accipi de eſſe exiſtentiæ,at verò illam, *homo albus eſt homo*,quam dicunt ipſi eſſe neceſſariam, non facere ſenſum de eſſe exiſtentiæ; ſed de eſſe eſſentiæ tantùm : Sed nihil hæc nocent, & ſemper ſequitur Adverſarios abſurdum illud,nam ſi hæc *homo albus eſt homo* accepto homine ſecundum eſſe eſſentiæ ſit neceſſaria,ſequitur ipſum in eſſe exiſtentiæ poſitum, unde

quia

quia riſibile neceſſariò ſequitur eſſentiam hominis, quando ponitur homo in exiſtentia, neceſſariò ponitur riſibile; atque ita ſemper ſequitur ex eorum ſententia, quòd neceſſariò aliquis homo ſit albus, ut patet accipiendo illud *eſt* ubiq; uniformiter, pro eſſe exiſtentiæ, tam ex parte ſubjecti quàm ex parte copulæ ſic omnis homo (exiſtens) albus, *eſt* (ſive exiſtit) homo omnis homo exiſtens alb⁹ exiſtit albus, ergo aliquid exiſtens album exiſtit homo cujus convertens eſt iſta, ergo aliquis homo exiſtens exiſtit albus. Quæ nullatenus neceſſaria eſt, & tamen præmiſſæ neceſſariæ ſunt. Præterea etiam falſa eſt, quia præmiſſæ poſſunt verificari nullo homine exiſtente.

Itàque illa propoſitio intellecta de *eſt* exiſtentiæ falſa eſt, propter hoc abſurdum à poſteriori de *eſt* eſſentiæ accepta falſa eſt propter rationem illam à priori, quam primo loco poſui, & hic proſequor in hunc modum. Prædicatum neceſſarium non poteſt fundari in contingenti; Subjectum illud illius propoſitionis ſcilicet, *homo albus*, eſt contingens; prædicatum, *homo* eſt neceſſarium, ergo non poteſt fundari in illo ſubjecto *homo albus*. Minor eget probatione quam ſic adhibeo: Homo de quocumque dicitur neceſſariò dicitur, quia eſſentialiter, omne autem eſſentiale, utique neceſſariò eſt in quo eſſentialiter eſt; moneo autem me loqui connaturaliter & ſecluſis aſſumptionibus hypoſtaticis, quia nimirum hæc *Verbum eſt homo* non eſt neceſſaria, neque homo in verbo eſt neceſſariò quia eſt in eo per hypoſtaticam unionem duntaxat, & ſine dubio propoſitio illa de ſubjecto conjuncto non indiget unionibus hypoſtaticis: Major etiam facilè probatur, quia aliàs ex contingenti poſſet ſequi neceſſarium quod negant Logici, ergo.

6. Dici poſſet, *homo albus*, eſſe quidem contingens ſecundùm eſſe exiſtentiæ, tamen ſecundùm eſſe eſſentiæ eſſe æquè neceſſarium, ac quodcumque. Ibi autem accipi ſecundum eſſe eſſentiæ, adeòque. Video ita multis videri, ſed mihi videntur falli, alioquin hæc, Petrus eſt albus, eſt æquè neceſſaria ac hæc, Petrus eſt animal. nam conjunctio albedinis habet æquè eſſe poſſibile, ſeu eſſentiæ ac conjunctio animalis cum Petro; conſequens autem eſt falſum quia hæc Petrus eſt albus, in quocumque eſſe poteſt habere contradictoriam veram; hæc: Petrus eſt animal, non, ergo.

Hinc poſſumus confirmare metaphyſicam hanc rationem logicè in hunc modum: Ad veritatem alicujus copulativæ non ſufficit veritas ullius partis, ſed requiritur veritas totius; ad falſitatem autem ſufficit cujuſcumque partis falſitas. Atqui propoſitio de ſubjecto conjuncto eſt inſtar copulativæ, nam hæc, *homo albus currit*, æquivalet huic, *aliquis homo eſt albus, & currit*, ergo ad veritatem hujus opus eſt ut albedo & curſus inſint homini. Addo: ergo hæc modalis: *Neceſſe eſt hominem album currere*, non poteſt eſſe vera niſi & albedo & curſus inſint neceſſariò homini, ergo nec hæc *homo albus eſt homo*, erit neceſſaria, niſi & humanitas & albedo neceſſariò inſint homini. Atqui idem eſt dicere. *Neceſſe eſt album hominem eſſe hominem*, ac dicere, *homo albus eſt homo, eſt propoſitio neceſſaria*; ergo ſicut falſa eſt illa modalis, *neceſſe eſt hominem album eſſe hominem* ita hæc de ineſſe. *Homo albus eſt homo, eſt propoſitio neceſſaria*, falſa eſt, conſtat autem hoc dicere Adverſarios, noſque oppoſitum, ergo denique concluſio Adverſariorum eſt falſa, noſtra autem vera.

Confirmatur: Hæc non poteſt eſſe neceſſaria, *Homo eſt animal album*, quia in prædicato involvitur aliquod contingens, ergo nec illa, *animal album* (aut *homo albus*) *eſt homo*; patet enim paritas, licèt ſit etiam diſparitas aliqua.

7 Objiciam primò contra has rationes ultimas, quæ directè impugnant neceſſitatem hujus propoſitionis, & arguam ſic aſſumendo oppoſitum prioris rationis. Ad propoſitionem neceſſariam non requiritur, quòd omnis copula in ea contenta ſit neceſſaria, ſed ſufficit principalē eſſe neceſſariam, ergo fundamentum noſtrū ruit. Antecedens oſtendo ſic. Iſta: *Hominem currere eſt contingens* eſt neceſſaria, & tamen aliqua copula ibi implicita eſt non neceſſaria, ſcilicet copula curſus cum homine ergo non obeſt neceſſitati propoſitionis quæcumque contingentia, quod eſt oppoſitum probationis noſtræ, & proinde hæc: *homo albus eſt homo* erit neceſſaria non obſtante contingentia quæ eſt in unione hominis & albedinis, quod eſt oppoſitum concluſionis. Hoc argumentum aliquid apparentiæ habet: Reſpondeo tamen ipſi (& ex hoc aliæ ſolventur) negando majorem, ſcilicet modalem eſſe abſolutè neceſſariam. Sed tantùm ex hypotheſi, ſcilicet ſuppoſito quòd ſit; ratio mea eſt, quia curſus hominis non neceſſariò eſt, adeòque nec neceſſariò contingens eſt, ſequitur enim à negatione ſuperioris ad negationem inferioris, eſſe autem ſimpliciter eſt ſuperiùs ad eſſe contingens & neceſſarium, ergo.

Dices primò hanc reſponſionem non ſolvere, ſed confirmare argumentum, quia non habere neceſſariò eſſe eſt habere contingenter eſſe, quod ipſi intendunt. Reſpondeo negando aſſumptum, nam etiam impoſſibile non habet neceſſariò eſſe, nec tamen habet eſſe contingenter.

Dices curſum in eſſe exiſtentiæ non eſſe neceſſarium, ſed bene in eſſe eſſentiæ, & de illo intelligi illam enunciationem. Sed contra hoc eſt, quod eſſe eſſentiæ curſus non eſt contingens.

Inſtabis: Omne, quod habet eſſe exiſtentiæ, habet eſſe eſſentiæ, ſi ergo curſus contingens habet eſſe exiſtentiæ, quomodo non habebit eſſentiæ? Reſpondeo curſum contingentem habere eſſe eſſentiæ, at non eſſe eſſentiæ contingens ſed neceſſarium: neque verum eſt omne quod exiſtit habere eſſe eſſentiæ per omnia ſimile eſſe exiſtentiæ, alioquin eſſe eſſentiæ eſſet generabile & corruptibile: Si quæ ergo contingentia eſt in illo eſſe eſſentiæ, eſt in eo prout ſupponit pro eſſe exiſtentiæ, non autem in ſe ipſo.

Reſpondeo ſecundò negando conſequentiam ſive paritatem; nam non ſimiliter affirmatur curſus de homine in illa modali ac albedo in illa de ineſſe; nam *Homo albus* dicit æquivalenter & virtualiter actualem unionem inter hominem & albedinem; at verò *Hominem currere* non ita inter hominem & curſum.

8. Objicies 2. Hæc ſaltèm eſt per ſe & neceſſaria, homo albus eſt homo albus, hic autem intervenit illa copula contingens, & quidem bis

uti-

utique enim contingens eſt albedinem uniri homini, quod tamen bis repetitur ibi. Reſpondeo duo hic affirmantur, quorum utrumque non ſuprà negavimus & improbavimus, ſed ſeorſim; unum eſt illam eſſe per ſe, alteram eſſe neceſſariam. Ad argumentum ergo pro prima parte concedo propoſitionem illam eſſe per ſe. Et cùm infers, ergo aliquid per ſe poteſt dici de ente per accidens. diſtinguo conſequens, aliquid per ſe unum nego, per accidens unum concedo, & tale eſt ens ipſum per accidens. Itaque hæc non eſt per ſe *homo albus eſt homo*; Iſta tamen eſt per ſe *homo albus eſt homo albus*; quorum diſcrimen eſt, quod in prima affirmatur prædicatum per ſe unum de ente per accidens. In ſecunda affirmatur de ente per accidens ens per accidens. Ad alteram partem argumenti poſſumus concedere totam ſalvâ concluſione; loquitur enim illa de propoſitionibus formalibus non de identicis qualis eſt illa. Iterum etiam dici poteſt illam identicam ſic eſſe veram ſicut dictum eſt de modali propoſitione in priori argumento. Sed contra hoc ex priori ſolutione.

Objiciunt Adverſarii 3. De quocumque neceſſariò aut per ſe prædicatur totum aliquod, de eodem etiam partes neceſſariò prædicantur, ergo ſi homo albus prædicatur per ſe aut neceſſariò de ipſo homine albo, etiam album neceſſariò prædicatur de eo; item, homo neceſſariò prædicabitur de eo, atque ita iſtæ erunt neceſſariæ, homo albus eſt homo, homo albus eſt albus. Reſpondeo tamen ex jam reſponſis diſtinguendo majorem de quocumque prædicatur totum prædicantur & partes unitæ concedo, ſingulæ nego: Atque ita neutra illarum propoſitionum erit concedenda, ſed hæc in qua utraque includitur homo albus eſt homo albus, ſed adhuc

9. Objicies contra fundamentum noſtrum de copula contingenti: Si requireretur ad propoſitionem neceſſariam, ut in illa nulla copula eſſet contingens, tum vix poſſibilis eſſet ulla propoſitio neceſſaria quantumvis demonſtrata, quod nemo dicet, patet autem ſequi. Nam hæc non eſſet neceſſaria, homo eſt riſibilis, & tamen eſt demonſtrabilis; aſſumptum illud patet ex regulis noſtris, nam in ſubjecto hujus involvitur copula contingens, homo enim involvit unionem corporis & animæ, quæ omnino contingens & diſſolubilis eſt, ut experimur, ergo. Reſpondeo primò ut ſuprà dixi, hoc argumentum non premere Scotiſtam. Quia ſecundùm ipſum ly homo non eſt illæ partes unitæ ſed tertium quid ſimplex. Nego ergo conſequentiam primò, & iterum nego eam quatenus facit contra perſeitatem propoſitionis, quia non obſtante contingentiâ unionis, totum reſultans hic ſcilicet homo eſt per ſe, non autem totum ibi reſultans, ſcilicet homo albus. At vero ut facit contra neceſſitatem propoſitionis, dico ly *Homo* licèt involvat copulam eſſe neceſſarium quid, quia eſt una eſſentia propriè dicta, tale autem omne eſt neceſſarium, at verò *homo albus*, quia non facit unam eſſentiam, ſed remanet duo diverſa non eſſe neceſſarium.

10. Objicit non minùs acriter ipſe Scotus: Iſta propoſitio eſt neceſſaria, & quidem ſummè talis, in qua prædicatum includitur in conceptu ſubjecti. In hac. *Homo albus eſt homo* prædicatum includitur in conceptu ſubjecti, ergo erit neceſſariò neceſſaria. Major probatur, quia non poteſt cogitari ulla; in qua minùs ſit periculum falſitatis quàm in tali, quia nimirum proximè accedit, ad identicam quam ſummè impoſſibile eſt falſificari. Minor autem eſt adhuc evidentior, eſt enim hypotheſis ergo. Reſpondet tamen ſubtiliter huic ipſe D. *d.* 22. citata, ſi ad verificationem propoſitionis ſufficeret prædicatum eſſe de intellectu ſubjecti, quòd tunc hæc eſſet vera, *majus Deo eſt* quia eſſe eſt de intellectu ſubjecti, itaque nego majorem illam, quia id non ſufficit ad veritatem propoſitionis, quanto minùs ad neceſſitatem (quia omnis neceſſaria ſine dubio eſt vera) confirmo ſolutionem Doct. quia in hac: homo irrationalis eſt animal: prædicatum includitur in conceptu ſubjecti, & tamen illa neque eſt per ſe, nec neceſſaria, ergo fruſtra colligunt Adverſarii ex hac incluſione neceſſitatem propoſitionis. Dicent forte ſubjectum hujus non habere ullatenus eſſe, ſecùs eſſe in propoſitione ab ipſis allata. Et ego dico ſubjectum ab ipſis allatû non habere ullum per ſe eſſe, adeòque nec ſufficere. Ad reddendam propoſitionem per ſe: Nec neceſſarium eſſe, adeòque non reddere propoſitionem neceſſariam, & denique ſi propoſitio illa eſt falſa quia ſubjectum tale eſt, quomodo erit neceſſaria aut per ſe ſi ſubjectum tale non ſit?

11. Objiciunt adhuc: Hæc ſaltèm, Homo albus eſt coloratus, eſt neceſſaria. Item hæc: Statua eſt artefactum, *&c.* homo albus eſt ens per accidens, domus eſt tegementum ex fundo, parietibus, portis, & tecto conſtructum. Quæ tamen omnes ſunt ejuſdem rationis quantum ad hoc, cum ea, quam negamus, ergo. Reſpondeo fruſtra hæc adferri poſt alias jam negatas aut ſolutas. Qui enim negat hanc: Homo albus eſt albus: utique promptius negabit illam, homo albus eſt coloratus, cùm magis recedat ab evidentia. Ad ſecundum dico hanc, ſtatua eſt artefactum *&c.* tranſiri poſſe quando adduntur cætera illa; tranſiri poſſe (inquam) eſſe neceſſariam, ſicut ſuprà dixi, de hac: Homo albus eſt homo albus; quanquam nec ſic quidem in omni rigore, per ſe. Similis eſt illa de domo, & ratio eſt, quoniam ibi prædicantur plura quæ faciunt ens per accidens de domo quæ etiam eſt ens per accidens.

ACTIO

ACTIO VII.

Quæ ſit propoſitio per ſe nota? Præmittuntur aliqua reſolvendæ difficultati.

Breviarium.

N. 1. *De qua propoſitione quæritur, objectiva an formalis?*

2. *Aliquæ propoſitiones receptæ pro per ſe notis, quæ non ſunt tales.*

3. *Per ſe nota non eſt quævis in primo modo dicendi per ſe.*

4. *Ad propoſitionem per ſe notam ſufficiunt termini confuſi.*

5. *Oſtenditur neceſſitas hujus veritatis. Qui ſint termini diſtincti?*

6. *Abſoluta definitio propoſitionis per ſe notæ.*

7. *Non dividi eam in per ſe notam ſecundùm ſe & per ſe notam nobis.*

8. *Reſponſiones Thomiſtarum refutatæ.*

9. 10. *Objectiones. An definitum & definitio ſint diverſi termini?*

11. 12. *Rationes à quodam recenti adductæ in oppoſitum refutantur.*

13. *Movetur nova difficultas contra Scotum, & ſolvitur.*

14. *Rurſus refutatur S. Thomas.*

15. *Adferuntur aliqua in favorem D. Thomæ: & refelluntur.*

16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Traduntur & diſcutiuntur regulæ ad dignoſcendas propoſitiones per ſe notas.*

1. Videretur hoc non debere verti in quæſtionem, quum per ſe notum cuilibet ſe oſtendat, adeòque nemo neſcire poſſit, quæ ſit propoſitio per ſe nota; & tamen doctiſſimi (a) adhuc diſputant, & aliqui non ſolùm in reſolutione hujus, ſed & in ſuppoſitis ad ipſum hallucinantur.

(a) D. Th. 1. p. q. 2. art. 3. & q. 10. contra gent. Cajet. hic. 3. Jul. Cæſar l. 1. q. 2. Tart. 1. d. 2. q. 2. Lych. ib. Arimin. 1. d. 2. q. un.

Nempe communiter ab authoribus notatur hunc titulum eſſe metaphoricum, quia propoſitio non dicitur per ſe nota aut ignota, eò quòd non ipſa cognoſcatur, ſed objectum ejus, ipſa verò potius ſit cognoſcens aut cognitio quam cognita: Addunt tamen invaluiſſe hunc modum loquendi in ſcholis quia ſigna pro rebus ſupponunt. Unde volunt propoſitionem hic accipi pro objecto. Ita illi ex *Arimin.* (b) quam doctrinam ſequutus *Theodorus* (c) *Sinſinge* multus eſt in defendendo Scoto ab impoſtura Suares, quaſi hic imponat Scoto, quod loquatur de propoſitione formali. Sed neque Suares hoc dicit neque ſi diceret falſo dixiſſet. Exiſtimo enim non quæri hic de propoſitione objectiva, ſed de formali; neque hic metaphoram aut tropum ullum adhiberi in ly *propoſitio*, etſi fatear eſſe quandam improprietatem in ly *nota*. Senſus enim tituli, & quod quærunt authores, hic eſt, quænam ſit illa propoſitio, cui propter ſe aſſentimur, atque ita loco ly *nota* ſignificantiùs diceretur aſſenſibilis, & ad vitandam barbariem elegantiùs uteremur terminis Boëtii quærentes, quænam ſit illa propoſitio, *quam quiſque probat auditam?* Aſſertum ipſum, quòd ſcilicet quæſtio ſit de propoſitione formali præter rationem poſitam, patet ulterius authoritate ſic enim Philoſophus rem intellexit, nam omnium judicio idem intellexit ille per principium & dignitatem, quod nos per propoſitionem ſe ipsâ notam. Audiamus ergo ipſum primo *Poſt.* 2. *Immediati vero principii ſyllogiſtici poſitionem quidem dico, quam non eſt monſtrare, neque neceſſe eſt habere docendum; quam autem neceſſe eſt habere docendum, dignitatem;* quorum ſenſus eſt quod ante omnem doctrinam à magiſtris diſcendam neceſſe eſt principia prima ſeu propoſitiones per ſe notas habere; clarum eſt autem non eſſe neceſſe ut habeat principia objectiva: v. g. omne totum quæcumque æqualia uni tertio ergo relinquitur ut ſenſus ſit quod debeat habere principia formalia, id eſt, judicia de veritate earum, atque ita per principia & propoſitiones per ſe notas hic intelligi debent formales. Confirmatur hæc expoſitio ex additione Themiſt. & Joannis Grammatici ad hunc locum, nam poſt iſta verba Ariſtotelis proximè ſequentia ſunt. *Sunt enim quædam talia* (ſubdunt illi) *quæ è domo diſcens promit ſecundùm unam quamque ſcientiam;* at non promunt diſcipuli ex domo principia aut propoſitiones objectivas ſed formales, adeòque denique hic intelligendæ ſunt formales. Unde videas: quale ſit quod Thomiſtæ vitio vertunt Scoto, quod ſcilicet loquatur de propoſitione formali. Ariſtot.

(b) 1. d. 2. q. 1. art. 1. (c) tract. 1. de Deo un. diſp. & q. 1. n. 5.

2. Alterum, quod communiter præmittitur, eſt dari propoſitiones quaſdam per ſe notas ad ſenſum, & talem eſſe iſtam, *paries eſt albus*, videnti parietem. Item cuilibet uni has & ſimiles: *ego vivo, ego loquor*, non tamen eſſe per ſe notas ad propoſitum hujus loci, ſive quia demonſtrari poſſunt, ut volunt Conymb. ſive, quia non ſunt cuilibet notæ; aut quia ſunt contingentes, ut voluit Greg. citatus hic (inquam) iterum tacitus error eſt, nam omnino illæ propoſitiones non ſunt per ſe notæ, quidquid velit Philipp. & alii pòſt. Ratio, quâ contra alios ad hoc inducor, iſta eſt, quia propoſitio per ſe nota idem eſt ac propoſitio ex terminis nota, ut centies eſt dictum, & ab omnibus approbatum: At verò illæ & ſimiles non ſunt ex terminis notæ; quod facilè oſtendo. nam termini propoſitionis ſunt extrema quæ de invicem affirmantur; at verò hæ non ſunt notæ ex illis; qui enim audit aut novit quid ſit paries, & iterum quid ſit albedo, non ſtatim aſſentitur, quod paries ſit albus,

quod tamen faceret, ſi affirmatio illa ex terminis eſſet nota, id eſt aſſenſa vel approbata, quia tum ſolis terminis conceptis prorumperetur in aſſenſum; id autem non fit, ergo. Itaque ille talis fertur in aſſenſum illius propoſitionis, non tamen ob terminos. Sed multò magis ob medium ſeu copulam, quia ſcilicet experitur unionem inter extrema illa ſcilicet parietem & albedinem, ſe ipſum & vitam ac loquutionem.

Reſolvam, quæ potiſſimùm controverſa ſunt inter D. ſubt. & alios, angelicum præſertim, qui hic (ſi quando) ex diametro opponitur ſubtili. Sunt autem in controverſia iſta potiſſimùm, an propoſitio per ſe debeat eſſe in primo modo dicendi? ſive an ſit illa, in qua prædicatum includitur in conceptu ſubjecti? Affirmat D. Thomas cum ſuis, negant noſtri. Tum, an rectè dividatur propoſitio per ſe nota in per ſe notam ſecundùm ſe, & per ſe notam nobis? & ſi quæ alia.

Reſolvitur difficultas.

3. Dico primò propoſitionem per ſe notam non eſſe illam, quæ eſt in primo modo perſeitatis, ſive cujus prædicatum includitur in conceptu ſubjecti. Eſt contra D. *Thomam* (b) & ſuos.

(b) *1. parte q.* 2. Jul. Recupit. *lib.* 1. *de exiſt. Dei, q.* 1. Lud. Molina *1. p. q.* 2.

Probatur ſic: Aliqua propoſitio eſt per ſe nota, in qua tamen prædicatum non eſt de eſſentia ſubjecti, ergo. Antecedens oſtendo inſtantiâ hujus: Omne animal rationale eſt riſibile, ex quo ſic arguo. Hæc eſt per ſe nota, hæc non eſt in primo modo, nec prædicatum ejus eſt de eſſentia ſubjecti, ergo. Maior in qua eſt difficultas probatur, quia hæc non poteſt demonſtrari ut fiat magis nota. Confirmatur quia eſt præmiſſa in demonſtratione potiſſima, quæ eſt per definitionem ſubjecti ut patet in hoc ſyllogiſmo, omne animal rationale, eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale ergo omnis homo eſt riſibilis: hæc enim eſt præcipua demonſtratio quæ excogitari poteſt, ut infrà ex Ariſt. oſtendemus, adeòque præmiſſæ ejus debent eſſe dignitates & principia per ſe notiſſima Si enim poſſent noſci per alia priora tum non hic ſyllogiſmus eſſet potiſſima demonſtratio, ſed ille, qui fieret ex aliis illis propoſitionibus, contra hypotheſin & communem doctrinam Logicorum.

Probo iterum idipſum, quia aliquæ propoſitiones negativæ ſunt per ſe notæ, & tamen in illis prædicatum non eſt de eſſentia ſubjecti, ergo; patet major in hac & ſimilibus homo non eſt beſtia: Angelus non eſt lapis; nam hanc & ſimiles quiſque probat auditas, nemo eſt enim qui audit eas, & non aſſentiatur, dummodo intelligat terminos. Deinde lapis abeſt homini per ipſam eſſentiam hominis, quæ eſt ſufficiens & immediata cauſa removendi lapidem ab homine, ergo jam propoſitio illa eſt immediata, ſed omnis immediata propoſitio apud D. Thomam eſt per ſe nota ut teſtatur Recupit. hic *reg.* 2.

Jul. Cæſar Rec. citatus.

Dicere poſſet Thomiſta illam propoſitionem non eſſe per ſe notam, quia eſt negativa, & conſequenter reducenda ad affirmativam, per quam etiam probari poteſt & conſequenter datur aliqua propoſitio notior hâc: Non daretur autem, ſi hæc ipſa eſſet per ſe nota. Sed contra hoc, oſtendo non poſſe illos abjicere eam à numero per ſe notarum ex illo capite, quòd ſcilicet detur aliqua evidentior ipſâ, nam non eſt de ratione alicujus per ſe notæ ut nulla ſit ipſâ notior, ſed ſufficit ſi ipſa ex terminis ſuis ſit nota, ſive dentur aliæ notiores, ſive non, ergo. Aſſumptum hoc oſtendo, quia hæc eſt ex terminis & per ſe nota, aliquod totum eſt majus ſui parte; & in exemplo hæc, palmus eſt major ſemipalmo, & tamen illæ non ſunt notiſſimæ, notior eſt enim hæc, omne totum eſt majus ſui parte: & quidquid de hoc ſit ſaltèm id probari poteſt omni medio quo Adverſarii probant negativam illam non eſſe notiſſimam ſed dari aliam eâ notiorem.

Probo 3. idipſum: Hæc enim eſt per ſe notiſſima, mundus fuit, vel non fuit æternus; & tamen manifeſtè hic, abeſt & deficit illa definitio D. Thomæ de propoſitione per ſe nota, quia prædicatum non ineſt ſubjecto in primo modo dicendi per ſe, imo neque in ullo; major patet, quia evidens eſt alterum ex his duobus mundo competere, quia de quocumque verum eſt alterum extremum contradictionis, & ita dictat ipſum principium, quod Philoſophus 4. *Met.* vocat omnium certiſſimum, atque ita hoc, ſcilicet, mundum non poſſe ſimul eſſe & non eſſe æternum, eſt primi principii veritas, non autem aliqua inde per diſcurſum deducta, quia principium in terminis ſuis currit de particularibus. Et quidem per hæc ſatis puto comprobatam illam definitionem D. Th. nec ſat ſcio quid ſpeciale pro ipſa adferri poſſit, atque ita in hac materia paulatim deletitur à ſuis.

Propter quæ etiam *Cajetanus* (c) *Amicus* (b) & poſt ipſum Recupitus (c) contendit D. Th. non velle, ut illa ſit per ſe nota, in qua prædicatum includitur in conceptu ſubjecti, ſed dare tantùm regulam non negando alias: & revera aliter vix potuerunt ſuum Doctorem tueri; immo ne ſic quidem, quia in re id aſſerit ſanctus, *ex hoc* (inquiens) *aliqua propoſitio eſt per ſe nota quia prædicatum includitur in ratione ſubjecti.* Ecce regulam generalem & cauſalem, cujus natura eſt, ut quamvis non adhibeat particulã excluſivam, tamen alia omnia excludat. Sic enim ſonant propoſitiones dogmaticæ & univerſaliter definitivæ, nam ſi definiam hominem quòd ſit animal rationale, etſi non addam *tantùm* aut *duntaxat*, tamen quamdiu do hanc pro nota ad diſcernendum hominem, convincor cenſere quòd nil eſt animal rationale niſi homo; & ita alii diſcipuli intellexerunt ſanctum ut fatetur ipſe Cajet. 1. 2. *Gentes cap.* 9. ubi etiam *D. Th.* contra ipſum ſe declarat dicens propoſitiones illas eſſe notiſſimas per ſe in quibus idem de ſeipſo prædicatur, vel quando prædicata in definitionibus ſubjectorum includantur. Ecce iterum intentum nihil enim excipit ab hac regula, niſi propoſitiones omnino identicas. Denique *q.* 10. *de potentia art.* 12. probat non poſſe dici quod

(c) *in comment.* (b) *art.* 9. 2. (c) *diſp.* 1.

Cajetan.

D. Thom.

Digitized by Google

quòd aliquam creaturam exiſtere ſit per ſe notum, quia eſſe in nullius creaturæ ratione includitur, quæ conſequentia nihil conſequentiæ haberet, niſi illa eſſet ratio propoſitionis per ſe notæ univerſaliter, ut prædicatum includeretur in ratione ſubjecti, ergo.

4. Dico ſecundò cum Doct. ad propoſitionem per ſe notam non eſſe neceſſe, ut accipiantur termini diſtincti rei, v.g. deffinitio, ſed ſufficiunt confuſi: ſi autem non ſufficerent hi, certè tum nulla propoſitio extremorum ſimplicium, quamvis primi modi & eſſentialis eſſet per ſe nota. Hæc eſt tota Subtilis citati & aliorum maxime. Fabri (d) *in dictum locum Doct.* Smiling. *tr. de Deo uno* (e) *jam etiam citato.*

(d) *diſput.* 14.
(e) *diſp.* 1. 9.

Probatur prima pars, quia aliàs primum & notiſſimum principium apud omnes gentes non eſſet per ſe notum, hoc autem patet, quàm ſit abſurdum, ergo. Sed probatur major hoc, omne totum eſt majus ſui parte; non eſſet notum, quia nimirum habet ab una parte terminum confuſum, ſcilicet deffinitum quod eſt, & totum; diſtinctus enim eſt deffinitio ejus, atque adeo ſi requiritur ut in propoſitione per ſe nota aſſumantur termini diſtincti, hæc non eſt ſic nota, ſed aſſumenda eſſet deffinitio totius.

Confirmatur, quia aliàs nulla propoſitio in ullo prædicamento eſſet per ſe nota, niſi una ſeu prima, quod eſt ineptum, ſed probatur ſequi, quia quælibet alia eſſet confuſa, cùm poſſet loco illius aſſumi deffinitio ejus, ſcilicet genus ſuperius & differentia illi reſpondens. Explicatur argumentum inſtantiâ de homine verbi gratia non eſſet ſic nota, iſta: *homo eſt animal*, quia loco ejus poſſet poni deffinitio animalis, puta, vivens ſenſibile; neque hæc ſufficeret, quia opporteret aſſumere deffinitionem viventis & cæterorum uſque ad ultimum quâ prædicaretur ipſum ens de ſubſtantia, imo nec hæc ipſa ſufficeret, ut ſtatim infra, ergo.

Probatur adhuc tertiò, quia apud omnes omnino per ſe nota eſt illa propoſitio, in qua tota deffinitio prædicatur de deffinito v. g. hæc, homo eſt animal rationale, non eſſet autem ſi oppoſitum concluſionis eſſet verum quia ſubjectum ſcilicet, homo, eſt terminus confuſus cùm ſit deffinitum: urgetur, ut illa propoſitio fieret per ſe nota ſecundum viam adverſariorum deberet reduci ad propoſitionem identicam, ſic dicendo Animal rationale eſt animal rationale, at vero abſurdum ſine dubio eſt non poſſe haberi propoſitionem per ſe notam niſi quæ eſſet identica & ridicula, aut ullam hujuſmodi habere dignitatem per ſe notæ & primi principii, quod eſt melius ipsâ ſcientiâ, ergo. Et, redeundo ad prius argumentum, non poſſet dari propoſitio per ſe nota omnino, ne quidem ultima illa in prædicamento, qua prædicaretur ens de genere ſupremo v. g. ſubſtantia dicendo, ens eſt ſubſtantia, cum clarum ſit ſubſtantiam eſſe terminum confuſum & diffinibilem. Poteſt etiam ad hoc adduci quod habet Doctor de Geometra, qui ad ſuas demonſtrationes utitur terminis confuſis non curando de deffinitionibus eorum, quas ſi Geometer deberet ſcire, nunquam eſſet ſciens ullam concluſionem ex ſuis, niſi ſimul eſſet methaphyſicus, quod patet eſſe falſum, imò impertinentes prorſus ſunt ad demonſtrationes mathematicas phyſicæ aut methaphyſicæ deffinitiones, nam linea v. g. ſive ſit in prædicamento ſubſtantiæ, ſive non, ſed in illo quantitatis, ſimiliter faciet angulos, & habebit ſuas paſſiones, quas mathematicus de ea demonſtrat, idemque eſt in numeris tam ſonoris in muſica, quam mutis in Arithmetica, quibus impertinens prorſus eſt, ut ſciantur eſſe qualitates potius, quam *quando* aut aliud diſparatum, ut patet, ergo.

5. Altera pars concluſionis, quæ verè ſubtilis eſt, ſic probatur, quia propoſitio per ſe nota eſt illa, quæ ex terminis habet evidentiam ut ſuppono; atqui, nulla ſimplicium terminorum quantumvis eſſentialis & immediata talis eſt ſi opus ſit recurrere ad definitionem, ergo nulla talis eſt per ſe nota minorem probo, quia ſi propoſitio ſimplex non poteſt fieri per ſe nota niſi per definitionem, jam non illa ſit per ſe nota ſed alia, quia non ſit nota in terminis ſuis; ſine dubio autem variatis terminis variatur propoſitio, ergo. Aſſumptum illud oſtendo quia definitio & definitum ſunt diverſi termini, ergo ſi propoſitio ſimplex non poteſt fieri nota, niſi per definitionem, jam non eſt nota ex ſuis terminis. Probo hoc ultimum antecedens (in eo enim eſt vis argumenti) primò ſic, quia ſi definitio & definitum non eſſent diverſi termini, tum in demonſtratione potiſſima eſſent tantùm duo termini, atque ita non eſſet ſyllogiſmus efficax, ſed petitio principii ſecundo ſic, ſequeretur enim quod in ejuſmodi demonſtratione minor vel major non differrent à concluſione quod eſt falſum, quia de minori aut majori non habetur ſcientia, de concluſione ſic. Tertio ſic ex D (& fere coincidit in idem) quia tum in demonſtratione potiſſima medium ingrederetur concluſionem quod eſt vitium intolerabile in quovis ſyllogiſmo, quanto magis in demonſtrativo; eoque nobiliſſimo, ergo totum hunc diſcurſum reduco ad praxin per exemplum, ſic ſi enim hæc: omnis homo eſt riſibilis, aut, omnis homo eſt vivens; non eſt per ſe nota ſed ſit talis per hanc; omne animal rationale eſt riſibile, ſequitur quod illa numquam ſit per ſe nota, quia non ſit nota ex terminis ſuis ſed ex alienis, ſcilicet per definitionem ſuorum terminorum, nam definitiones ſunt diverſi termini à definitis ut oſtendunt argumenta facta, quorum etiam inſtantia habetur in hoc ſyllogiſmo,

Omne animal rationale eſt riſibile,
Omnis homo eſt animal rationale, ergo
Omnis homo eſt riſibilis.

Si enim definitio & definitum ſint idem terminus, jam non ſunt in illo ſyllogiſmo tres termini, quia homo, &, animal rationale, faciunt duos, ibi & tamen ſunt unus tantum in oppoſita doctrina, quum ſint definitio & definitum. Item major coincidit

cum

Digitized by Google

cum concluſione, quia idem eſt dicere, omne animal rationale eſt riſibile, ac dicere, omnis homo eſt riſibilis; denique medium ingreditur concluſionem, quia medium eſt animal rationale, quod coincidit cum ly homo, qui eſt ſubjectum concluſionis, ergo.

6. Dico ergo 3. reſolutivè : Illa eſt cenſenda propoſitio per ſe nota, quæ ex terminis propriis, qui ſunt aliquid ejus habet evidentem veritatem: ſive, quæ ex ſola apprehenſione terminorū inducit intellectum ad aſſenſum; vel, quam quisque ſimul ac audit, credit & probat ac judicat eſſe certiſſimam. Prior definito eſt tradita in terminis à Scoto in litterâ a; aliæ ſunt ſynonymæ illi & explicationes ejus. Omnes ſimul probantur, quia ſi aliquid ultra terminos requiratur ad aſſenſum ejus, jam ex ſe non habet aſſenſum quia ipſa non ſe extendit ultra terminos ſuos, prætereà probatur, quia hæc via complectitur omnes propoſitiones per ſe notas, hinc enim affirmatio definitionis de definito v. g. hæc; homo eſt animal rationale; item paſſionis de ſubjecto, ut animal rationale eſt riſibile; Negativæ item, ut homo non eſt lapis, ſunt per ſe notæ; quia in his omnibus eſt immediata unio prædicati cum ſubjecto, ut patet diſcurrenti, ergo. Confirmatur, quia idem eſt propoſitio per ſe nota, & ex terminis notæ, ſed tales ſunt ex terminis notæ, ſicut enim non egent alio medio, ut inter ſe objectivè uniantur ita nec ut intentionaliter uniatur per aſcenſum intellectûs, ſeu ut judicentur objectivè unita; nam ſi egent, non erunt per ſe notæ ſed per aliud, inſtar concluſionum, non principiorum, ergo. Confirmatur ulterius, eò quòd non poteſt procedi in infinitum in propoſitionibus ſeu veritatibus perſuadendis (alias nullam ſciremus, quia nulla ſciri poſſet niſi poſt infinitas ſcitas, atque ita numquam) ex hoc autem ſequitur dari aliquas propoſitiones ſe ipſis notas, hoc eſt, quæ non egent ullo alio ad evidentiam; ſed ſi debent probari per aliam jam egent aliâ, aut ſi non ſufficiunt ei termini proprii ſed debet perſuaderi vel explicari per alios, clarum eſt quod egent alio. Et quis non videt hanc; *homo eſt riſibilis*, ſi non habet evidentiam niſi adhibitâ hâc *omne rationale eſt riſibile* non eſſe ex terminis ſeu per ſe notam; quia nimirum per ſe nota eſt ultimum in hoc genere, adeòque ſi poſt iſtam: homo eſt riſibilis; adhibenda eſt alia illa, animal rationale eſt riſibile, quisque videt in iſtam primam non fieri ultimam reſolutionem, adeòque non eſſe per ſe notam.

Expenditur diviſio per ſe notæ.

7. Dico 3. Mala eſt diviſio propoſitionis per ſe notæ in per ſe notam ſecundùm ſe & per ſe notam nobis ſive in notam ſapientibus & notam inſipientibus. Hæc facit directè contra D. Th. & ſuos antiquiores interpretes (*Cajet. & Ferrar.*) nam ex recentibus nonnulli eum in hoc deſerunt, ut (Ludovicus Molina 1. *p.* 1, *q.* 2. *art.* 1. Barthol. Amicus) *tr.* 26. *q.* 4. ſequenti Scotum 1. *cit.* Vbi concluſionem expreſsè tradit.

Lud. Molina. Barth. Amic.

Probo, quia in diviſione legitima alicujus ſuperioris in ſuas ſpecies, una ex dividentibus non debet includere aliam; hoc aut non obſervatur in iſta diviſione, ergo iſta non eſt legitima. Probatur minor, quia propoſitio nota ſecundùm ſe eſt etiam ſecundùm nos nota, quod ſic oſtendo; propoſitio quæ ſecundùm ſe eſt nota, eſt ex terminis nota, ut jam fusè oſtendi ſed propoſitio quæ ex terminis eſt nota, eſt ſecundùm nos nota, ergo propoſitio quæ ſecundùm ſe nota eſt etiam ſecundùm nos eſt, nota. Minor hujus facilè probatur, quia propoſitio illa ſecundùm nos eſt nota, quæ poſitâ ſola appræhenſione terminorum ſuorum gignit in nobis aſſenſum; ſed propoſitio ſecundùm ſe nota hoc facit, nam omnis talis eſt apta nata gignere aſſenſum ſui in quocumque appræhendente terminos, ergo in nobis.

Confirmo rem : Aut enim propoſitio illa, quam tu dicis eſſe notam ſecundùm ſe non ſecundùm nos, gignit in nobis aſſenſum ſtatim, ac auditur ſive intelligitur, aut non; ſi gignit, jam eſt nota ſecundùm nos, ac non tantùm ſecundùm ſe, atque ita non datur ulla ſecundùm ſe non ſecundùm nos nota. Si non ſequitur quòd non fuerit ſecundùm ſe nota, atq; ita non poſſunt Adverſarii aſſignare ullam, quæ ſit nota ſecundùm ſe, non item ſecundum nos.

Proferuntur motiva Thomiſtarum.

8. Duo hic illi præſtant, & evadere noſtra argumenta, & ſtatuere ſua, quamvis utrumque uno medio faciant repetendo illud principium, quod ſcilicet definitio non ſit diſtinctus terminus à definito, quo ſuppoſito

Reſpondet Cajet. ad rationes ſuprà in oppoſitum factas *num.* 5. quòd definitio & definitum ſint idem in re, diverſum ſecundùm noſtrum modum concipiendi : unde ad primum dicit in demonſtratione dari tres terminos ſecundùm, noſtrum modum concipiendi, quod ſufficit, etſi in re ſint pauciores; & ſimiliter ad ſecundum quod major coincidit cum concluſione, ſed differt ſecundùm noſtrum modum intelligendi, ac denique quod hoc modo tantùm medium eſt extra concluſionem; quæ ſolutiones non egent aliâ impugnatione quam ſeipſis; revera enim ruunt, & ſunt conceſſiones potiùs quàm ſolutiones argumentorum. Quid enim prætenderet arguens, quàm quòd potiſſima demonſtratio non ſit potiſſima demonſtratio, aut ſyllogiſmus ſed ſolœciſmus? quòd in ea contra regulas boni diſcurſus medium ingrediatur concluſionem? concluſio ipſa cum maiori coincidat? atq; ita aſſumatur, quod fuit probandum? hæc autē omnia concedunt illi & ſunt eorum ſolutiones. Ego autē neſcio quænam cenſeri debeant abſurda in Logica, ſi hæc non ſint neganda. Cæterum, quod noſtro modo concipiendi aliter ſe habeant, quid refert? inde colligere deberet conceptus noſtros eſſe erroneos; non verò demonſtrationē eſſe perfectam. Vrgeo intentum ſic; ſi dicam, *rationale animal eſt riſibile* locò hu' *riſibile eſt animal rationale*, utiq; habeo alium modū concipiendi, quia hic formo propoſitionem directam, ibi indirectam, & tamen ſi hæc ſit per ſe nota, illa erit; ſi cum hæc demonſtratio eſt imperfecta, cum illa erit;

ergo

ergo jam inutilis omnino ad rem præſentem eſt illa diſtinctio.

9. Objiciunt illi primò adhuc abſurdiùs eſſe, quòd nos dicimus deffinitum eſſe alium terminum à deffinitione, quia in re idem ſunt, nam ponamus deffinitum ſeorſim, puta hominem, ſi quæratur, quid ſit? reſponſio debet dari per deffinitionem dicendo quòd ſit animal rationale, ergo deffinitum non aliud eſt, quàm deffinitio, quod fuit intentum. Confirmatur: Si deffinitum in rè ſit aliud à deffinito, tum ſequitur quòd Petrus v. g. bis ſit animal rationale, ſemel ratione hominis, & iterum ratione deffinitionis, quæ eſt animal rationale. Confirmatur adhuc, quoniam qui negat quidquam de deffinitione non minùs promptè negabit illud de deffinito v. g. negans hunc hominem ægrotare, utique negabit hoc animal rationale ægrotare. Reſpondeo: Vertant ſe quo volent Thomiſtæ nunquam efficient quin deffinitum & diffinitio ſint diverſi termini logicè loquendo quod ſufficit ad propoſitum, & ſuprà videtur aliquoties demonſtratum argumento ipſius demonſtrationis; & præterea inde, quia ſine dubio hæc non eſt identica, homo eſt animal rationale, adeòque aliud in re eſt homo & aliud animal rationale, alioquin non magis eſſet formalis illa, quàm hæc; homo eſt habens humanitatem. Deinde: homo & animal ſaltèm ſunt diverſi termini, & tamen objectio illa, ſi quid valet probat quòd idem ſit, ut patet applicanti unde reſpondeo in forma negando aſſumptum, quòd iſta in re idem ſint. Ad probationem concedo antecedens, quòd homo ſit animal rationale, nego tamen ipſum nihil aliud eſſe quàm deffinitionem, aut è contra, quia eſt conſtitutum; deffinitio autem eſt conſtituens; illud eſt compoſitum, deffinientia ſunt componentia. Præterea quis neſcit poſſe formari multas deffinitiones ejuſdem, & tum manifeſtum eſt deffinitum aliud eſſe quàm ſuam deffinitionem, quia aliàs deffinitiones non eſſent diverſæ ſed eædem, ſine dubio enim idem eſt deffinitum ſemper & invariatum. Ad ſequentem proſequutionem argumenti nego ſequelam eſt enim Petrus ſemel tantùm animal rationale, non enim eſt animal rationale ut diſtinguitur ab animali rationali, ſed eſt quid compoſitum ex duobus quæ ſunt animal & rationale, quod ne videatur durum explico ſimilitudine quam Adverſarii ipſi admittunt. Album v. g. non eſt aliud quàm (lignum ſubjectum v. g.) albedo & unio; hîc nulla eſt quarta res, & tamen poſſunt eſſe tria illa ſine eo quòd ſit à parte rei album, caſu ſcilicet quo ponamus unionem non unire, ſeu non afficere albedinem. Clarior eſt res in toto ſubſtantiali, in quo unio ſupponitur ab ipſis eſſe quid abſolutum, itaque ſicut nihil eſt illic niſi tria illa, & tamen totum quod eſt album, eſt omnino diverſum quid ab illis omnibus, ita licet homo v. g. ſit animal rationale, faciet tamen diverſum terminum ab ipſo & univerſaliter omne deffinitum à ſua deffinitione. Confirmatio ſtatim infrà tangetur; Interim

Ariſtot. 10. Objicit 2. Ariſtoteles 2. *Top* 1. *loco* mihi 80. docet, quòd probare deffinitum per deffinitionem ſit petitio principii; quæ doctrina ſtatim evertit noſtram hic; nam ſi ita ſit, tum deffinitum & deffinitio erunt idem per omnia, non autem duo termini, ſi enim eſſent aliud & aliud, & faceret diverſos terminos in ſyllogiſmo clarum eſt aſſumptionem eorum non fore petitionem principii, hæc enim contingit, quum idem aſſumitur ad probandum ſe, vel quando aſſumitur pro conceſſo, quod probandum eſt. Urgetur intentum ex ratione, quoniam, ut ſuprà dixi, qui negat quidquam de deffinito non convincitur per deffinitionem, v. g. negat quis hominem dormire, an cogetur ad hoc concedendum aſſerendo quòd animal rationale dormiat? quin potiùs duo jam negabit qui primò unum tantùm negabat.

Fateor: Hic locus Philoſophi non parum favet Thomiſtis ſed & rationes adductæ, extra hanc materiam ſatis ſuadent eorum partem in hoc negotio. Sed quoniam ſumus in materia logica, quæ approbat pro demonſtratione illam (in qua probatur aliquid per deffinitionem de deffinito) tenendum mordicùs eſt quòd deffinitum & deffinitio logicè differant & ſint duo termini. Ad Ariſtotelem autem multa multi dicunt, ſed non omnes rectà illud autem certiſſimum quod Ariſtot. non intenderit reprobare locum à deffinitione quem docet ipſe 2. *Top*. 2. *loc*. 31. & 1. *Rhetor*. 2. & alibi paſſim maximè autem 2. *poſt*. *tex*. 41. & aliis ſequent. ubi docet *medium demonſtrationis eſſe rationem primi termini* id eſt deffinitionem ſive paſſionis ſive ſubjecti, quod perinde eſt pro nunc & ipſe in facto ibi conficit aliquarum rerum demonſtrationes ſemper uſus deffinitione pro medio, atque ita non poteſt ille ſtare ab iis qui confundunt deffinitionem cum deffinito, quod Thomiſtæ faciunt. Jam in forma ad locum ejus ex 8 *Top*. dico totum eſſe verum & poſſe fieri argumentum per deffinitionem in quo petatur principium, id autem non contingit in noſtro caſu quando vera rei deffinitio adhibetur, ſed tum tantùm, quando ponitur deffinitio quid nominis ut vocant; ut ſi probem aliquid de homine v g. quòd ſit riſibilis, ex eo quòd habens humanitatem ſit riſibilis, tum enim verè peterem principium. Ad confirmationem quæ etiam ſuprà poſita eſt concedo non rectè probari, quòd dormiat homo per animal rationale, ideò quia ſomnus non oritur ab eſſentia hominis quæ eſt animal rationale; Si autem eſſet proprium emanans ab eſſentia ſicut riſibile, rectè probaretur per deffinitionem.

Objicies has & ſimiles: Ignis eſt calid⁹, nix eſt alba, quib⁹ quiſq; noſtrũ ſtatim auditis aſſentitur, adeòque ſunt per ſe notæ ſecundùm nos, & tamen non ſunt per ſe notæ ſecundùm ſe, quia prædicatum non ineſt immediatè ſubjecto, nam quum ſint paſſiones phyſicæ tantùm, utique priùs ineſt ſubjecto paſſio Metaphyſicæ quàm ipſæ; & quoniam contingit unam paſſionem metaphyſicam emanare aliam, fortè erunt decem ante illam phyſicam, atque ita à primo ad ultimum valebit diviſio propoſitionis per ſe notæ in per ſe notam ſecundùm ſe & per ſe notam quoad nos. Reſpondeo negando hanc ultimam conſequentiam, ad hoc enim ut valeret deberet non dari ulla una ſecundùm ſe & ſecùndùm nos nota, quia membra dividentia nunquam debent coincidere, datur autem talis, & coincidunt membra hujus ut vidimus. Iterum nego antecedens, non enim illæ ſunt in rigore per ſe notæ (adeoque nec per ſe notæ ſecundùm nos) quoniam per ſe notæ ſunt aptæ

natæ eſſe præmiſſivæ demonſtrativæ; & coincidunt cum principiis apud Philoſophum; hujuſmodi autem debent eſſe prima, immediata notiora, priora (intellige concluſione, in qua demonſtratur paſſio de ſubjecto) quorum vix ullum convenit ejuſmodi notis ſecundùm nos. Denique omnis per ſe debet eſſe neceſſaria ſimpliciter, & non impedibilis; aſſignatæ non ſunt tales. Sed contra primam ſolutionem ſimul & concluſionem illam Scoti objici poteſt ipſe Scotus, qui in primo citato dicit hanc; *Deus eſt*, eſſe per ſe notam ſecundùm ſe ſumptam, non tamen per ſe notam nobis; ex quo loco, duo ſequuntur contra nos, primum quòd diviſio valeat; ſecundum quòd Scotus contradixerit ſibi: Reſpondeo concedendo auctoritatem Scoti, & negando contradictionem ejus aut falſitatem concluſionis. Breviter ratio & conciliatio textûs eſt iſta, quoniam illa *Deus eſt* habet terminos evidenter conjunctos, atque ita eſt ſecundùm ſe notiſſima; nobis autem non, quia non apprehendimus terminos, itaque non eſt ex parte propoſitionis diſcrimen (unde nec propoſitio diſtinguenda fuit in duas illas claſſes) ſed ex parte noſtri; & eſt ſimile ſi quis dicat hanc, totum eſt majus parte, eſſe & non eſſe per ſe notam nobis; non eſſe quia poteſt proferri aliquo idiomate quod non intelligatur à nobis; & iterum eſſe ſic nota nobis, quia poteſt formari ſic ut intelligi poſſit à nobis, quod nihil eſt dicere, unde fruſtra

11. Objicit eum nobis *Iulius Cæſar Recupit.* dicentem, quòd Deus non debeat eſſe primum cognitum nobis licèt ſit primum cognobile & Ariſtotelem (f) aliquoties dicentem aliqua eſſe notiora ſecundùm nos, quæ ſunt ignotiora naturæ; ex quo credit protinus ſequi intentum ſuum, quoniam (inquit) omnis comparatio ſupponit poſitivum. Si ergo dantur notiora ſecundùm nos, dabuntur nota ſecundùm nos, licet ſecundùm ſe non ſint talia. Reſpondeo non poſſe Ariſt. favere illi; ſenſus enim Ariſt. ut ipſe ſe declaret, *Poſt 2 tex 5* eſt effectus & individua eſſe notiora nobis quàm cauſas, quia ſunt propinquiora ſenſui ut loquitur, adeoque notiora nobis ſunt experimenta. At verò experimenta non ſunt per ſe nota nequidem ſecundùm ipſum Recentem; quoniá ſtatim infra negat (& bene) Bami ac Cajet. hanc: Nix eſt alba: eſſe ſecundùm ſe notam, quod multò magis diceret de hac: Paries eſt albus; & tamen iſta per experientiam eſt nota. Sed contra totam hanc doctrinam Scoti maximè primam concluſionem.

(f) *Poſter. 6. 1. Phyſic tex. 1. & 1. Poſter. 2. tex. 5.*

12. Objicit idem tria in quibus profert principia D. Thomæ noſtris. Primum eſt, quòd Scotus metitur propoſitionem per ſe notam, ex modo cognoſcendi, puta ex deffinitione aut deffinito; D Thomas ex objecto, qui modus loquendi eſt magis proprius, quia objectum dicitur propriè cognoſci. Secundò quia Scotus docet deffinitum aptum innoteſcere per deffinitionem non efficere propoſitionem per ſe notam, quod ſi verum eſt, tum nequidem prima principia ſunt per ſe nota puta iſtud: Totum eſt majus ſui parte, *&c.* quia iſtæ etiam aptæ ſunt innoteſcere per deffinitiones terminorum, puta per deffinitionem totius & partis. Tertiò quia Scotus docet hanc, homo eſt animal, non eſſe per ſe notam, iſtam autem: Linea eſt longitudo ſine latitudine, eſſe per ſe notam, quum tamen non videatur aſſignabilis inter has diſparitas, quia utraque eſt vel ignoranti terminos ignota, vel apprehendenti terminos nota. Ita ille: ſed ego ni fallor ex eo ipſo deducam ſimiliora verò & magis digna aſcenſu eſſe principia Scoti in hac materia quàm illa D. Thomæ. Quia (ut ille etiam fatetur) in via D. Th. ad per ſe notam ſufficit quòd habeat immediatam connexionem terminorum. In via autem Scotis opus eſt, ut eam oſtendat, quod ſanè veriſſimè & propriè dictum eſt. Conſtat enim inter omnes, propoſitiones per ſe notas eſſe evidentes ac clariſſimas, & tanquam lumina quædam naturæ; at verò lumen & claritas ſe ipſæ oſtendunt, & evidentia præbet ſe videndam, ut conſtet cuique, nec enim ad videndum ſolem aut etiam candelam aliam candelam adhibemus, ergo jam quòd ſe non oſtendit non eſt evidens in eo genere; propoſitio per ſe nota eſt evidens ſecundùm omnes, ergo debet ſe & evidentiam ſuam oſtendere, hoc non facit D. Thomas, neque ejus propoſitio ex confeſſione hujus interpretis; ex quo quid ſequitur niſi quod ſecundùm Divum Thomam propoſitio per ſe nota non eſt per ſe nota.

Jam ad ipſius motiva: Ad primum concedo objectum propriè cognoſci, ſed nego proinde in ipſo ſtatuendam eſſe propoſitionem per ſe notam: ſenſus enim hujus eſt, quem ſuprà (g) poſui; per ſe nota, id eſt propter ſe aſcenſibilis, quod omnino propoſitioni formali, non verò objecto convenit. Ad ſecundum etiam dixi ſuprà (h) Ad tertium reſpondeo eſſe hic diſparitatem inter iſtas propoſitiones non quidem quoad perſeitatem, ſed quoad evidentiam; non eſt enim novum ex talibus unam eſſe magis evidentem, nam hæc, totum eſt majus parte; ad ſummum eſt in primo modo (imò non credo eam eſſe in primo) & tamen multò evidentior eſt quàm ulla ex his. Quantitas eſt accidens; quantitas eſt ſubſtantia: & tamen aliqua ex his eſt in primo modo dicendi per ſe. Aliquæ ergo propoſitiones quæ plùs accedunt ad ſenſum & experientiam, licèt non ſint præ aliis quoad eſſe in primo aut ſecundo modo per ſe, ſunt tamen majoris claritatis, & illæ ſunt propoſitiones mathematicæ, quæ magis cadunt ſub ſenſum quàm Metaphyſicæ. Unde habet jam reſponſum Recupitus cur affirmatio alicujus de linea ſit per ſe, nota, non verò de homine v.g. iſta ſit per ſe: Linea eſt longitudo non verò hæc; homo eſt animal, cauſa enim eſt quia iſta prædicata lineæ ſunt mathematica & ſenſibilia, adeòque evidentia ad ſenſum; illa verò metaphyſica de homine non item imò Illud. de linea eſt ſuppoſitum aut præcognitum apud Mathematicos, quibus perinde eſt quòd detur talis aut quòd non: ſufficiunt enim illis etiam imaginaria ad eorum demonſtrationes licet non exiſtant, ſicut nec exiſtunt in cœlo meridianus, æquinoctialis aut alii circuli, in quibus tamen aſtrologi fundant ſuas demonſtrationes.

(g) *num. 1.*

(h) *num. 5.*

13. Habeo tamen ipſe ſcrupulum in hac doctrina; videtur enim non tam plenè ſatiſfacere quæſito, quàm illa D. Thom. Scotus enim ait illam eſſe propoſitionem per ſe notam, quæ ex terminis ſuis habet evidentiam, quod ſine dubio verum eſt, ſed reſtat adhuc decidendum quando

Digitized by Google

quando propoſitio hanc habeat? aut quid ad hoc requiratur? D. Thom. reſpondet id tunc haberi, quando prædicatum eſt intra rationem ſubjecti; quod, etſi minùs verè dictum ſit, tamen Scotus non tantùm dicit. Reſpondeo primò: Meliùs eſt nihil dicere, quàm errare. Reſpondeo 2. Scotum etiã hoc decidiſſe, nam dicere propoſitionem per ſe notam eſſe illam, quæ ex terminis ſuis habet evidentiam, erat dicere illam eſſe per ſe notam, quæ cuique ſe ipſam manifeſtat aut perſuadet, quæ à nemine negari poteſt, cui quisque ſanus ſtatim aſſentitur; ſcire (ad modum Boëtii) quam quisque probat auditam. Ille autem tenor deffinitionis Scoti, ſeu habere hoc ex terminis apud Ariſtotelem etiam legitur (i) nam principia (inquit) cognoſcimus, in quantum terminos cognoſcimus; ex his

(i) 1. Poſterior. tex. com. 11.

14. Affero etiam rationem ſatis valentem contra modum illum D. Thomæ, ſi enim propoſitiones omnes primi modi eſſent per ſe notæ, ſequeretur, quòd nemo neſcire, & multò minùs negare poſſet ullas ejuſmodi; conſequens eſt nimis falſum, nam uſque hodie digladiarentur Philoſophi de eſſentiis multarum rerum & de earum deffinitionibus, tam in parte, quàm in toto, & tamen eſſentiæ rerum, quæ importantur per deffinitiones & partes earum puta genera & differentiæ prædicantur in primo modo dicendi per ſe de rebus, ergo. Conſequentia hujus clara eſt ex proximè dictis nam propoſitionem per ſe notam nemo negare poteſt, & quisque ſtatim probat auditam, ſive, novit eſſe veram. Falſitas conſequentis in multis probatur, v. g. Ariſt. voluit partes continui eſſe in genere quantitatis, formam & figuram in genere qualitatis, quorum primum veteres, ulterum Recentes negant. Schola ſubtilium ponit unionem in genere relationis, Thomiſtæ & neutrales volunt eam eſſe ad ſe, & abſolutum quid: Tertiò, quia altera ex his duabus contradictoriis ſeu etiam diſparatis ſententiis in quavis materia eſt vera, v. g. hæc: unio eſt relatio, aut certè hæc, unio eſt quid abſolutum; & tamen, ſi ſubſiſteret doctrina Adverſariorum quæcumque ſit, utrique parti probaretur, ſic ut quisque agnoſceret eam eſſe veram quod non faciunt, ergo.

15. Hoc tamen argumentum, ni fallor non adeò premit Thomiſtas quando à nobis profertur; poſſunt enim reſpondere in principiis noſtris dicendo aliquam ex his eſſe per ſe notam, tamen non apparere nobis talem quia non appræhendimus perfectè naturam rerum, nec intelligimus ſatis terminos propoſitionum; ſicut nos dicimus ex Doct. hanc *Deus eſt* eſſe ſecundùm ſe notiſſimam, non tamen nobis, quia non appræhendimus terminos ut debemus. Sed non invenerunt Thomiſtæ paritatem; longè enim aliter ſe habet illa *Deus eſt*, ac aliæ illæ propoſitiones primi modi de creaturis, quoniam in caſu creaturarum habemus verum quid nominis, & quid rei etſi confuſum; de Deo autem non, ſed ſolùm conceptus merè extrinſecos ut ſummi boni aut ſi quem fortè eſſentialem habemus, ſed decem alios ignoramus. Jam ut ſciremus aliquid tanquam per ſe notum, ſufficeret quid rei confuſum; ſic enim quilibet quantumvis ſtupidus ſit quod ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia & tamen non quilibet diſtinctè novit quid ſit æqualia? puta quomodo ab *Euclide* (k) deffinitur: quæ ſibi mutuò congruunt, hoc dico non obſtare, quo minùs principium illud ſit per ſe notum reſpectu ejus, qui habet verum quid rei etſi confuſum æqualitatis propter experientias de applicatione corporum; ſed ſimiliter habemus experientias de unionibus rerum, de quantitate ſive magnitudine ergo. Si propoſitiones eſſẽtiales in primo modo de ipſis formatæ eſſent per ſe notæ, deberemus omnes eos agnoſcere & approbare quando proponuntur, unde ſi hoc non facimus (ut revera non poſſumus facere) ſignum eſt quòd non ſint per ſe notæ ut volunt Thomiſtæ.

(k) lib. ... Axi-om. 5.

Aſſignantur Canones aliqui de propoſitione per ſe nota.

16. Inprimis tenendum eſt non omnem immediatam eſſe per ſe notam. Patet ex dictis, quia omnes eſſentiales ſunt immediatè; ſed non omnes eſſentiales eſſe per ſe notas clarè oſtendit diſcurſus jam factus proximè *num.* 14. & antea *num.* Addo hunc; quoniam multæ contingentes ſunt immediatæ, v. g. hæc: cœlum movetur, ſuperficies eſt alba, & tamen non ſunt per ſe notæ, ergo. Immediatæ ſunt quoniam inter prædicatum & ſubjectum nihil mediat: per ſe notæ non ſunt, quia termini ſoli non ſufficiunt ad perſuadendam unionem eorum intellectui, nam quicunque audit dici iſta, ſuperficies & albedo, non ſtatim judicat eſſe ea inter ſe unita.

17. Secundò tenendum eſt problema eſſe ſive aſſertum pro utraque parte ſuſtentabile, utrum vice verſâ omnis propoſitio per ſe nota ſit immediata? Partem affirmativam non eſt opus probare, quoniam omnes eam complectuntur, & quaſi ſupponunt. Negativã utcumque mihi perſuadet, hæc & ſimiles: totus palmus eſt major dimidio ſui, quæ videtur ex terminis notiſſima; & tamen non eſt immediatà & prima, quia immediatior & prior eſt iſta, omne totum eſt majus ſui parte,

Poſſem tamen evadere hanc rationem, ſive adhuc ſtare ex parte affirmativa, eò quòd iſta, totus palmus eſt major ſui parte, cenſeri poſſit immediata propter rationem ſuprà Apol. 2. *univ. actione* 4. *num* 4. tactam, quia ſcilicet prædicatio cujuſcumque ſuperioris de ſuo inferiori in iiſdem terminis, ſive de ſeipſo contracto eſt immediata: ſic genus prædicatur immediatè de individuo generico v. g. animal de hoc animali, ita ſimiliter paſſio conveniens toti ut ſic poterit dici quòd prædicetur immediatè de toto palmo, qui eſt quaſi individuum genericum illius.

Hæc replica aliquid faceret pro altera parte affirmativa niſi propoſitio illa foret nota in alia forma ſine memoria totius; nam non ſolùm hæc, totus palmus eſt major dimidio ſui; eſt per ſe nota, ſed etiam hæc: palmus eſt major dimidio ſui. Confirmo hanc partem, nam ſi velimus exigere rigidè ad propoſitionem per ſe notam ejuſmodi immediationem nequidem hæc erit per ſe nota, omne totum eſt majus ſui parte,

imme-

Digitized by Google

immediatior enim eſſet, ſi aſſumeretur ibi loco *totum* deffinitio *totius*.

18. Tertiò tenendum eſt malè confundi propoſitionem per ſe notam cum primo principio. Cauſſa, quia primum principium debet eſſe univerſale; debent enim contineri concluſiones in eo, quæ ſunt quaſi quædam inferiora ejus, at verò non omnis per ſe nota eſt univerſalis cùm jam oſtenſum ſit aliquas particulares etiam ſingulares eſſe per ſe notas.

19. Quartò ad illud: num per ſe nota debeat eſſe indemonſtrabilis (loquendo de demonſtratione à poſteriori) reſpondendum eſt negativè; nam & eſſentiæ colligi poſſunt ex paſſionibus, v. g. ex riſibili poſſum colligere rationale, & ipſa primiſſima principia per inductionem probari poſſunt: loquendo autem de demonſtratione à priori, cenſeo propoſitionem per ſe notam talem eſſe debere ut non egeat ejuſmodi probationibus ſui, ſed ſine illis habeat evidentiam. Tamen non credo repugnare quòd demonſtrationes ipſæ formentur. Prima pars hujus jam eſt probata toties. Secundam colligo ex diſcurſu hic proximè facto canone, ſive corolario ſecundo in fine, nam aliquæ propoſitiones de ſubjecto ſingulari ſunt per ſe notæ, ut illa de palmo; iſtæ autem quis neſciat à priori probari poſſe aſſumendo univerſale eorum & ſuperius. Deinde principia etiam univerſalia quorum ſubjectum eſt terminus confuſus poſſunt utcumque à priori probari aſſumendo terminum diſtinctum, ſcilicet deffinitionem ejus, ut in illa de toto quod eſt majus ſui parte aſſumendo deffinitionem totius, *quod* ſcilicet *continet partem & aliquid præterea* ſicut demonſtramus de homine riſibili aſſumendo animal rationale; ſi enim hæc ſit legitima demonſtratio, negari illa non poteſt, cùm manifeſtè ſint ejuſdem tenoris. Sanè Clavius *in prim. Euclid.* conatus eſt illam probare ſed fruſtra, nunquam enim poterat aliquid notius adferre. Denique demus quòd poſſit adferri, non proinde deſinet hæc eſſe per ſe nota ſed ad ſummum per ſe notiſſima.

Chriſtoph. Clavius

Dices: Propoſitio hujuſmodi aut eſſet per ſe aut per aliud notiſſima; atqui non poteſt eſſe per aliud notiſſima ſed eſt implicantia in terminis quod enim ob aliud notum eſt ſemper illo alio ignotius eſt, adeòque non notiſſimum, reſpondeo nego antecedens.

Quintò tenendum eſt prædicationes ſecundarum paſſionum de primis aut etiam de earum definitionibus non ſemper eſſe per ſe notas, aut etiam immediatas, imò incertum eſſe, an unquam ſint tales? negant hoc Recentiores aliqui, ſed probo ego, nam hæc: admirativum eſt riſibile, non eſt immediata, quoniam admiratum non continet adæquatam cauſam riſibilitatis eò quòd animalitas ſit etiam cauſa ejus & quidem immediata, licèt non totalis. Probatio hujus quia animalitas eſt cauſa actualis riſus, adeòque potentialis ſive riſibilitatis, nam riſus eſt quædam ſenſatio, ſaltèm eſt actus vitalis, adeoque oritur immediatè à ſenſitivo & à gradu viventis.

20. 6tò tenendũ eſt cõverſiones propoſitionum per ſe notarum non eſſe univerſaliter per ſe notas. Oppoſitum cenſuerunt Conymbricenſes, ſed ego hoc ſuprà probavi. Hæc enim, *omnis homo albus eſt homo*, convertitur in hanc; *aliquis homo eſt homo albus* quæ tamen longè abeſt à per ſe nota quia non modò, non eſt certa ſed nec neceſſaria; ſed de hoc ſtatim; interim ſit hoc exemplum: iſta eſt per ſe nota: Quæcunque ſunt æqualia uni tertio ſunt æqualia inter ſe, & convertitur in iſtam; Quæ ſunt æqualia inter ſe, ſunt æqualia uni tertio, quod non eſt neceſsè, nam ſi non darentur niſi duo palmi iſti eſſent æquales inter ſe, non tamen æquales uni tertio, & de facto duæ medietates mundi, illæ ſcilicet quæ ponerentur extra ſe ſi cœlum per æquinoctialem divideretur, ſunt æquales inter ſe non tamen uni tertio.

Dici poteſt hujuſmodi prima principia non eſſe accipienda ſecundùm exiſtentiam, ſed ſecundùm eſſentiam hoc modo autem convertentem illam eſſe veriſſimam; nam illi palmi, & medietates illæ mundi eſſent aptæ, natæ æquari uni tertio. Hanc replicam ſuprà refutavi; nam licèt verum ſit principia non eſſe accipienda ſecundùm exiſtentiam ſed tantùm ſecundùm eſſentiam; tamen etiam verum eſt quòd quoties ponuntur in exiſtentia trahant ſecum omnia ſua, ſive omnia ſibi neceſſariò conceſſa in eſſe eſſentiæ, nam quia hæc eſt neceſſaria: omne animal rationale eſt riſibile; intelligendo illam copulam *eſt* de eſſe eſſentiæ, ideò ſi ponatur animal rationale in eſſe exiſtentiæ, ponetur etiam riſibile: ſed non debet poni æqualitas ad tertium etſi ponatur aliquorum duorum inter ſe ergo.

21. Septimò ſtando in ſupradictis hac Apologia *act. 6. n. 3. 4. &c.* quæ tamen nõ valde aſſeveranter poſui, tenendum eſſet non omnem per ſe eſſe ſimpliciter neceſſariam. Ratio eſt, quam ibi videas.

22. Octavò identicam propoſitionem proprie non eſſe per ſe notam. Ratio facilis eſt, quia non eſt ex terminis nota, quum non habeat plures terminos; ſed unum repetitum.

Dices idem ille aliquo modo eſt plures, quia eſt ſubjectum & prædicatum. Reſpondeo eo modo, quo ille unus eſt plures propoſitionem non eſſe veram nec enim ſubjectum eſt prædicatum quatenus ſubjectum diſtinguitur à prædicato.

23. Ultimò propoſitiones negativas ſive ſimplices ſive diſtinctas, quando ſunt diverſorum generum eſſe per ſe notas, quomodocumque formentur. Hanc nolunt abſolutè concedere Recentiores: dicunt enim hanc, Homo non eſt linea: non eſſe per ſe notam, quia demonſtrari poteſt per hoc quòd non ſit quantitas aut accidens. Sed oſtendi in dictis eos non probè philoſophari, quia tam ſequitur ad hominem negatio cujuslibet ſpeciei quantitatis, quàm generis, & tam apparet intellectui illorum repugnantia; imò paulò magis illa ſpecierum, quia hæ ſunt magis notæ nobis, cùm intellectio generum egeat abſtractionibus metaphyſicis quam omnes non callent. Itaque hæ: Homo non eſt lapis, lapis non eſt aſinus: aſinus aut eſt angelus aut non eſt angelus, &c ſunt egregiè per ſe notæ; in quo ſit finis ſecundæ partis logicæ & Scoti defenſi per Chriſtum Dominum noſtrum, 19. Octobris 1618.

De

De his ſcripſerunt

Ariſt. 1. *Perib. c.* 5. *& lib.* 2. *c.* 1. *&* 1. *poſt. tex.* 6. Averroës cum ipſo *ibid.* Boëtius *in editione* 2. *lib. Perib.* Alex. Aphrodiſ. *in comment. prim. Perib.* Abert. *tract. de oppoſ. c.* 1. S. Auguſt. *tom.* 1. *lib.* 3. *contra academicos c.* 13. Alenſ. 5. *Met.* 25. S. Thom. *opuſc.* 48. *tract. de interpret c.* 8. *& in* 1. *Peribe. ſect.* 5. & 1. *part. q.* 2. *art.* 1. Lyran. *in cap.* 5. *exod.* Abulenſis *ibid.* Bagolinus *in ſuis annotat. ad primum Prior.* Burana *in cap. ſecundum ejuſdem & in* 1. *d.* 3. *q.* 4. Ock. 2. *p. Log. cap.* 21. Tartaret. *in expoſitione c.* 3. *Prior. &* 1. *p q.* 2. *art* 1. Greg. Arim. 1. *d.* 2. *q.* 1. Gab. in Ock. Alias etiam ibidem *q.* 3. Lychet. 1. *d.* 2. Ferrar. 1. *contr gent. c.* 11. Herveus *ibid.* Dur. 1. *d. & q.* 3. Ægid. 1. *d.* 3. *q.* 2.

Pet. Hiſpan. *tract.* 1. *ſum.* Tavell. Sotus. Titelman. *ib.* Fonſeca etiam *lib.* 3. *cap.* 6. 8. 10. *& lib* 5. *Met. c.* 8. *q.* 7. *ſect.* 2. Niphus. *lib.* 2. *Perih & 2. Prior c.* 18. Burlæus *ibid.* Capr. 1. *d.* 2. *& q.* 2. Flandria. 1. *Poſt. q.* 10. *ar* 2. Suar. *tom* 2. *Met diſp.* 45. Gonzales 1. *p. log. vocal. d.* 2. *q.* 3. Complut. *lib.* 2. *ſummul. c.* 7. Amicus *tract* 21. *q.* 2 *diſp* 3. Conymb. *in cap.* 5. *&* 8. 1. *Perib* Riccius 1. *Pr. c* 3. Molin. 1 *p q.* 2. *ar.* 1. Briſen. *in* 1. Scot *contr.* 1. Recupitus *in* 1. *p. diſp.* Vaſq. 1. *p. diſp* Bern. Moriſſ. Ibern. *in* 1. *Prior. c.* 2. *dub.* 1. Averſa *lib tr* 3. *inſtitut. cap.* 5. Poncius, Maſtrius, Hurtad, Arnag. Oviedo, Summuliſtæ *propriis & obviis locis.*

Apologiæ in libros Analiticorum Ariſtotelis.

APOLOGIA I.

De conſequentia & diſcurſu.

ACTIO I.

Deffinit terminum.

ACTIO II.

Explicat, quid ſit conſequentia? Quid ex quo colligi poſſit? Vbi expenduntur communes regulæ Logicorum.

ACTIO III.

Vtrum diſcurſus requirat plures actus, nec ne?

ACTIO IV.

Vtrum requirat tres actus? ſive, an ſolus ſyllogiſmus ſit formalis diſcurſus, nec ne?

ACTIO V.

Vtrum diſcurſus ſit operatio intellectûs ſpecie diſtincta ab aliis duabus ſimplici appræhenſione & judicio, nec ne?

ACTIO VI.

An converſio ſit conſequentia formalis?

Scot. 1. Pr. q. 10. n. 11.

QUantum ad tertium ponuntur concluſiones. Prima eſt, quòd quando ad antecedens ſequitur conſequens, non opportet quòd ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitum contrarium antecedentis, etſi ſequatur, tamen hoc non ſufficit ad bonitatem conſequentiæ. Quantum ad quartum eſt prima concluſio quòd ad quamlibet propoſitionem implicantem contradictionem de forma ſequitur quælibet alia propoſitio in conſequentia formali.

Idem ibidem q. 11. n. 2.

TErtia concluſio, quòd de omni ſyllogiſmo eſt ſcientia tanquam de re ſignata per ſubjectum concluſionis. Probatur, quia omni ſyllogiſmo conveniunt proprietates demonſtratæ de ſyllogiſmo in iſto libro, ut puta fore ex tribus terminis, ex duabus propoſitionibus, & ſic de aliis proprietatibus oſtenſis in iſto libro.

ACTIO I.

Definit terminum.

Breviarium.

N. 1. *Expenditur Ariſtotelis definitio de termino atque alia authoris.*

2. *Vrgens objectio contra utramque ſolvitur ſuo modo.*

3. *Adſertur alia definitio: Impugnatur & defenditur.*

4. *Repræſentata doctrina aliquorum Recentiorum de diviſione ac deffinitione termini.*

5. *An vox non ſignificativa ſit terminus? negatur.*

6. *Objectio contra hæc: ſolvitur.*

1. NEc tamen id facile factu eſt, quod mireris, quum terminus ſit minimum & indiviſibile quoddam in logica ſcriptura. Ariſt. olim definivit eum, quòd ſit, *in quem reſolvitur propoſitio, ut prædicatum, & id de quo prædicatur, appoſito vel ſeparato eſſe vel non eſſe.* Quam definitionem facillimum eſſet repræhendere ſi conſtaret voluiſſe Ariſtotelem quòd tota illa oratio eſſet definitio. At enim prætendi poteſt quòd definitio claudatur in ly *propoſitio*, ſequentiæ autem ſint exemplum definitionis non pars. Sed nec ſic quidem evadit, nam adhuc eſt per poſterius, quum certum ſit dari aliquid in termino, ſive aliquid competere ipſi priùs reſolutione utique enim compoſitio propoſitionis prior eſt reſolutione ejus, & ſine dubio terminus componit, adeòque. Nec quidquam facit quod ad hoc reſpondent Recent. *(a)* ſcilicet terminum dici à terminando reſolutionem, non verò à terminando compoſitionem nam vertant ſe quò volent, nunquam efficient quin componere propoſitionem ſit priùs in termino, quàm terminare reſolutionem ejus, cùm impoſſibile ſit aliquid terminare reſolutionem aut deſtructionem ejus cujùs compoſitionem non ingreditur & quidem antecedenter, nam diſſolutio non poteſt eſſe aut intelligi niſi alicujus compoſiti.

(a) Conymb. *lib. 1. Prior. cap. 1.*

Alias definitiones ſequentium invenias relatas & refutatas apud Recentes. Definivi ipſe olim terminum, quòd ſit *extremum propoſitionis*, cui tamen objeci, quòd mala eſſet, quia tradita eſt per poſterius, ſcilicet per propoſitionē, quæ ſine dubio poſterior eſt termino quum hic ſit pars, atque ita quaſi cauſa ejus. Sed non credo illam deficere ex eo capite, quòd ſi defectus ſit, non tamen eſt definitionis defectus, ſed definiti, nam nullum extremum poteſt intelligi, (ut nec eſſe) ſine alio, vel independenter ab omni alio, quum eſſentialiter ſit alterius. Confirmo exemplo adhuc fortiori; nam materia prima eſt quid abſolutum & tamen definitur per compoſitum quod eodem jure poſterius eſt ipſa, quanto magis terminus qui eſt quid relativum ut ſonat? ſed meliùs adduxiſſem in confirmationem hujus τὸ principium (quia reſpondet velut è regione termino) quod ſine dubio definiri poteſt, & tenetur: exactè definitum ab Ariſtotele, nec tamen definitum eſt niſi per principatum, ergo. Melius

2. Objiceret mihi atq; etiam aliis, ut Ariſt. hunc diſcurſum, quo motus ſum contra omnes ferè aliorum definitiones. Exiſtimo enim quòd terminus nō ſit pars propoſitionis omnino, quo poſito ruunt omnes ferè hactenus adductæ definitiones termini nam ſic nec eſt extremū propoſitionis, neq; pars *propoſitionis* neq; *id in quod reſolvitur propoſitio* neq; ſignum conſtitutivum ejus ut patet. Aſſumptum autem ſive terminum non eſſe partem propoſitionis inde mihi perſuaſi: Quia propoſitio propriè & ſimpliciter eſt illa mentalis (vocalis enim & ſcripta eatenus tantùm ſunt propoſitiones quatenus ſigna mentalium) At verò in illis mentalibus terminus non eſt pars, quum illæ non habeant partes quia ſunt indiviſibiles.

Reſponderi mihi poteſt, quòd eſſe illas indiviſibiles non neget illis partes, adhuc enim conſtant genere & differentiâ quæ ſunt earum partes, ſicut etiam hæc ſunt partes ipſius animæ aut angeli; ſed non premor hâc replicâ, quia partes abſolutè ſumptæ ſignificant phyſicas aut integrales ſive diſtinctas realiter, & ſine dubio, qui volunt terminos eſſe partes propoſitionis, intelligunt de hujuſmodi partibus ut patet apud Ariſt. in *terminare reſolutionem* non enim poteſt quidquam diſſolvi in alias illas partes, puta in metaphyſicas aut logicas, tum quia etſi demus propoſitionem mentalem habere huiuſmodi partes, nō tamen dabimus proinde eam habere terminos aut extrema quia hæc non cadunt in rem ſpiritualem & indiviſibilem, cùm ibi unum non ſit extra aliud, adeòq; nec extremum nec medium. Denique certiſſimum eſt prædicatum & ſubjectum non eſſe genus & differentiam propoſitionis.

Urgeo diſcurſum, quia propoſitio mentalis conſiſtit propriè in eo, quod reſpondet copulæ *eſt*; nam propoſitio mentalis eſt affirmatio aut negatio quorum utrumque exercetur propriè per *eſt* atq; adeò licèt aliquis actus mentalis poſſit habere partes, non tamen affirmatio aut propoſitio, & ſicut res affirmata non eſt pars affirmationis ſed terminus ejus, ita nec ſubjectum aut prædicatum eſt pars propoſitionis.

Exiſtimo tamen retineri poſſe definitionem datam in illis terminis, ſed in alio ſenſu. Poterit ergo definiri terminus, quòd ſit extremum propoſitionis, vel etiam terminus ejus dummodo intelligatur eſſe illius tanquam relativi aut relationis, non verò illius tanquam compoſiti. Quia enim (ut dixi) propoſitio eſt affirmatio, termini ejus hinc inde erunt ea ad quod terminatur ipſa tanquam referentia quædam aut unio unius ad aliud; ſic autem terminatur ad duo illa id eſt, unum id *quod* affirmatur, aliud id *de quo* affirmatur.

3. Poterit etiam deffiniri aliter terminus juxta deffinitionem propoſitionis ſeu Enunciationis, quam ſuprà dedimus ſuo loco ut ſit.

Quod

Digitized by Google

Quod judicatur per propoſitionem: quia enim propoſitio, ut abſtrahit ab affirmativa & negativa rectè dicitur judicium, proinde & conſequenter terminus rectè dicetur quid judicatum

Contra unam definitionem ex ſuperioribus illam terminus propoſitionis facit, quòd manifeſtè ſit identica ſive ejuſdem per ſe ipſam, definio enim terminum per terminũ vel extremum quod eòdẽ redit, & eſt definitum. Sed facilè eſt ſatisfacere ſeu dare rationem cur hoc non vitioſè fiat in præſenti, quia nimirum non quæritur de ratione termini ut ſic, ſed de ratione termini logici adeòq; nõ notificatur ignotum per ignotum aut idem per ſe, quum ratio termini omnino non fuerit explicanda aut obſcura, ſed ratio termini talis. Melius

Objici poteſt contra ultimam deffinitionem, quòd conveniat copulæ, hæc autem non eſt terminus, ergo. Major probatur, quia copula judicatur; quum enim enuncio parietem eſſe album, ſic dicendo: paries eſt albus; affirmo unionem parietis & albedinis, imò illa eſt quæ propriè affirmatur, non autem paries ipſe, aut albedo, ſupponimus autem unionem non eſſe terminum, ergo. Reſpondeo tamen negando majorem, & ad probationem ejus dico unionem enunciari *ut quo* nõ verò ut *quod* Inſtabis: ſaltèm hoc ipſum addendum fuit definitioni, atq; adeò aliquid interim ei deeſt. Nego hæc, quia affirmari aut judicari abſolutè poſitum ſtat pro affirmatis *ut quod*.

Inſtabis iterum acriùs, quia affirmatio & propoſitio reſpondet directè *τὸ eſt*, huic autem *τὸ eſt* reſpondet tanquam objectum ut *quod* ipſa unio & copula extremorum, ergo unio affirmatur: ut *quod* nõ tantum ut *quo* quod negavi. Reſpondeo, totum ferè verum eſt, ſed nihil nocet, quin potius eſt in oppoſitũ, & pro concluſione contra arguentem, nam etiã ipſa propoſitio, ſeu enunciatio non enunciatur niſi ut quo: ſi ergo *eſt* aut quæcumq; ſit copula reſpondet propoſitioni, jam judicata & affirmata eſt tantum ut quo.

Confirmo jam horum occaſione doctrinam traditam, quia licèt in propoſitione quacumque importetur unio prædicati cum ſubjecto, tamen non affirmatur unio, ſive non prædicatur exiſtentia de ipſa ſed nec ipſa de aliquo alio: v.g. in exemplo dato, quum dicitur, paries eſt albus, non prædicatur propriè exiſtentia de unione, alioquin illa eſſet ſynonyma huic; unio albedinis ad parietem exiſtit, nec dicitur ipſa tanquam quid de alio, alioquin propoſitio illa eſſet ſynonyma huic: Albedo eſt affecta unione: quod eſt falſum, quum in prima propoſitione paries fuerit ſubjectum, hic autem non, ſed albedo, quæ fuit ibi prædicatum, & prædicatum hic unio quæ ibi fuit copula.

Probari etiam debet cuilibet definitio illa termini, quia convenit omni, complectitur enim tam cathegoricos terminos, quàm hypotheticos, quos aliæ omiſerunt ſed malè, cùm conſtet hypotheticas propoſitiones verè propoſitiones eſſe, adeòq, veris terminis conſtare. Eſſe hypotheticam propriè propoſitionem, probatur quia propriè eſt affirmatio, eſt judicium, eſt affecta veritate & falſitate, etiam ut diſtinguitur à Cathegorica: hæc enim; *quia homo eſt riſibilis eſt rationalis*, affirmat aliquid præterquam quod affirmatur ulla cathegorica ex illis, immo etiam ultra id quod affirmatur utrâq; præterea aliquando ſingulæ cathegoricæ ſunt veræ ipſa autem eſt falſa, adeòque habet eam affirmationem ratione ſui, ut aliud eſt ab omnibus & ſingulis cathegoricis, propter quæ

4. Reprobandi ſunt, qui (*b*) terminum definiunt ſubjecto & prædicato; ſive, qui dicunt eum adæquatè dividi in duo illa, quum latiùs pateat illis; nam hypothetica habet terminos, non tamen ſubjectum aut prædicatum disjunctivè; tum quia disjunctio relinquit intellectum ſuſpenſum, definitio autem debet relinquere quietum ac fixũ tum quia terminus eſt quid ſuperius ad ſubjectum & prædicatum non rectè autem definitur ſuperius per disjunctionem inferiorum. An enim rectè definias ens per eſſe Deum aut creaturam, ſubſtantiam per ſpiritum vel corpus, cùm in his & ſimilib⁹ pro uno ignoto adferantur mihi duo, inſigne ſubſidium ad intelligendas naturas rerum. Deniq; hîc ipſe alibi (c) rejicit veterem definitionem propoſitionis: Oratio in qua aliquid affirmatur vel negatur de alio quia disjunctiva eſt; & illud: *ſubjectum vel prædicatum* an non disjunctio eſt? contra quam facit non parum ratio, quam hactenus aliquoties attuli, & ille ibidem deſcripſit, quia in definitionibus loco generis poteſt poni definitio ejus ex doctrina Philoſophi, id autem ſi hic fiat, tum definitionem ſubjecti incipiemus hoc modo: ſubjectum eſt ſubjectum vel prædicatum, præclarum principium definitionis explicantis idem per ſe, & quidem certum per incertum; Sequela hujus patet quia genus ſubjecti eſt terminus; loco cujus ſi voluerimus ponere ejus definitionem, dicemus ut ſuprà. Addo ultimum hoc in condemnationem hujus doctrinæ, quia ſic poterimus quodlibet per quodlibet, quantumvis diſparatum, aut etiam oppoſitum definire ſi ſemel aperiatur hæc porta deſcribendi res per disjunctiones, dicam enim quòd homo ſit animal rationale vel triremis; quod nemo negare poteſt, & quum nihil minùs ſit quàm definitio, tamen obſervat regulas jam aſſignatas.

(b) Ponc. cap. 1. ſeq. parci.

(c) cap. 10. n. 1.

5. Quæritur hîc quotidie, utrum vox non ſignificativa ſit terminus? & reſpondetur plerumque affirmanter, nec immeritò propter rationes, quæ ſatis valentes adferuntur, & nominatim ipſa experientia in hac propoſitione: Blittiri eſt vox non ſignificativa; in qua tam ſubjectum quàm prædicatum eſt vox non ſignificativa, ſaltèm ſubjectum practicè & in effectu tale eſt, adeòque.

Nec quiſquam objiciat *τὸ. blittiri* ſupponere ibi materialiter, & ſignificare ſe ipſam, nam ad propoſitiones ſufficiũt ejuſmodi termini, quod

Confirmo per hanc. Curro, diſſyllaba vox eſt, ubi *curro* accipitur non ſignificanter, & non ſolùm, ut caret ſignificatione, ſed etiam ut excludit eam, aliàs enim eſſet falſiſſima, quum curſus naturalis non ſit omnino vox nec diſſyllaba nec alia. His tamen non obſtantibus, ſaltèm exercitii gratiâ

Suſtineo vocem ſignificativam nequaquam eſſe terminum. Hæc eſt ferè contra omnes, ſed ſuadetur ſic: quia repugnat propoſitioni eſſe non ſignificativam, ergo & terminum. Hic enim, cùm ſit pars illius debet ſubire naturam ejus, & apparet in terminis impoſſibile quod ſignificativum componatur ex non ſignificativis. Antecedens eſt omnium & meritò tum quia aliàs non eſſet vera vel falſa, tum quia (quod

majus eſt) non eſſe affirmativa vel negativa.

Formo etiam hanc rationem, quia omnis terminus aut eſt mentalis aut vocalis aut ſcriptus, at verò quilibet horum eſt ſignificativus. In primis enim mentalis non poteſt non eſſe ſignificativus, quum naturaliter talis ſit, hoc eſt imago naturalis, & cujus eſſentia conſiſtat in ipſa ſignificatione & repræſentatione; probo jam vocalem & ſcriptum ſimiliter eſſe ſignificativas, quia ſunt ſubſtitutæ mentalibus adeòque faciunt, quod illæ; cùm ergo illæ ſignificent, reſtat. Et confirmatur quia voces ſaltèm ſignificant conceptus, ex quo bis falſificatur oppoſita ſententia, nam conceptus ipſe eſt aliquid & cùm omnis vox ſignificet conceptum nulla eſt in propoſitione quæ nihil ſignificat & præterea quod eſt ſignum ſigni eſt ſignum ſignati, adeòq; ſignificans conceptum ſignificat etiam objectũ ejus.

5. Objici poteſt experientia illa ſuprà poſita in illa propoſitione: Blittiri eſt vox non ſignificativa; ubi blittiri eſt terminus, & tamen non ſignificativus ex communi ſenſu omnium ſignificato per hanc ipſam propoſitionem, quã recipiunt paſſim, & tamen eſt falſa, ſi vox blittiri ſit ſignificativa; & in re idem eſt de alia illa propoſitione: curro eſt vox diſſyllaba; nam licèt curro habeat ſuam ſignificationem, tamen ibi non, ut ſuprà oſtendi. Reſpondeo tamen omnia illa & ſimilia eſſe ſignificativa, aliàs non fore terminos propoſitionum; ubi interim confirmo reſolutionẽ meã ſic, quia nondum diviſa eſt propoſitio in ſignificativam & non ſignificativam, cur ergo dividetur terminus? Dices, hæc ad ſummum ſignificant ſe ipſa, at verò nihil poteſt ſignificare ſe, adeòq; abſolutè ſunt non ſignificativa. Reſpondeo non ita eſſe per omnia ſed individuum illud blittiri quod ego profero, ſignificat vocem illam quaſi in genere; ſcimus autem individuum & genus, ſive ſuperius & inferius eſſe aliud & aliud.

Quòd verò ita ſit, & voces illæ aut ſimiles non faciant propoſitiones quatenus non ſignificativæ, aut quatenus ſtant pro ſe ipſis, videor ſic evincere, quia ſi adducamus equum ad ſcholas, & ſcribamus juxta eum hanc: *eſt animal*; adhuc non fiet propoſitio quæ dicat, equus eſt animal: ergo jam nulla res pro ſe ipſo ſufficiet propoſitioni aut poteſt eſſe terminus ejus, ſi autem nulla poteſt, aut ſi equus non poteſt, cur blittiri poterit.

ACTIO II.

Explicat, quid ſit conſequentia. Quid ex quo colligi poſſit, ubi expenduntur communes regulæ Logicorum.

Breviarium.

N. 1. *Definitio aliquorum rejecta. Regula conſequentiarum*

2. *Non ſemper ex oppoſito conſequentis ſequi oppoſitum antecedentis.*

3. *Reſponſio Logicorum ad improbationem ſua regulæ rejecta.*

4. *Alia acuta improbatio hujus regulæ.*

5. *Ad impoßibile ſeu contradictionem demonſtratur quodlibet ſequi.*

6. *Ad quamlibet propoſitionem ſequitur neceſſaria propoſitio.*

7. *Communis modus aßignandi bonitatem conſequentiæ, rejicitur acutè.*

8. *Aßignantur vera indicia bonæ illationis.*

1. Simpliciſſimum, quod in tertia operatione contingit eſt conſequentia, huic enim addit aliquid argumentatio, ut & argumentationi ſyllogiſmus. De hac nõ omnia proſequar ſed ea vel maximè in quibus ſubtilis Doctor communem Logicam aut explicuit, aut emendavit.

Conſequentia vulgò definitur, oratio, in qua unum ex alio conſequi denotatur; quam uti antiquiſſimam referuntur & approbant Recentiores, ſed malè; explicant enim mihi idem per ſe ipſum, aut ignotum per æquè obſcurum. Si enim neſciam quid ſit ſequentia, certè etiam neſcio quid ſit aliquid ſequi, atq; ita per hoc quod eſt aliquid ſequi non diſcam quid ſit conſequentia Antequam ipſe hanc definiam viſum eſt mihi totum explicandum per partes; atq; ita ponam conditiones ſive regulas bonæ conſequentiæ, in primis ſecundùm communem aliorum. Has autem, quod ſciam, fuſiſſimè proſequutus eſt Petrus Fonſeca *lib. 6. inſtitut.* ubi iſtas octo enumerat:

Prima. Ex vero non ſequitur niſi verum; verum autem ipſum tum ex vero, tum ex falſo colligitur.

2da. Ex falſo tam falſum quàm verum concluditur; falſum autem ipſum non niſi ex falſo.

Tertia. Ex neceſſario nõ niſi neceſſarium colligitur; neceſſarium autem ipſum ex quolibet, hoc eſt neceſſario, falſo, etiam impoſſibili.

Quarta. Ex contingenti nunquam colligitur impoſſibile, ſed vel neceſſarium vel contingens: Contingens autem ex neceſſario nunquam, ſed duntaxat ex contingenti vel impoſſibili.

Quinta. Ex impoſſibili quodlibet ſequitur, ſcilicet tam neceſſarium quàm contingens.

Sexta. Quidquid ſtat cum conſequenti, ſtat cum antecedenti, non tamen quidquid ſtat cum antecedenti ſtat cum conſequenti.

Septima. Quidquid repugnat conſequenti, repugnat antecedenti non è contra.

Ultima. Ex quocumq; ſequitur antecedens, ſequitur conſequens; &, quidquid ſequitur ex conſequenti, ſequitur ex antecedenti.

Et tamen tantus calculator ferè omiſit illam magis principalem notam conſequentiæ, quæ quando eſt bona & legitima, tunc ex oppoſito cõſequentis infertur oppoſitum antecedentis, & qui-

quidē has regulas nō dubito habere experimentum ſuæ veritatis, & probari poſſe, atq; ita tyronibus tradendas, ſed an univerſaliter ita ſe habeant, ut ſonant, an verò patiantur exceptionem. Conabor in ſequentibus declarare, & incipiendo à magis principali, quæ eſt ultima.

Principalis regula veterum logicorum corrigitur ſecundùm Scotum.

2. Dico primò regulam, ut ſonat non eſſe univerſaliter veram; ſive non ſufficere ad bonam conſequentiam, quod ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitum antecedentis. Ita ſubtiliter reſolvit & probat *num.* 181. *Pr.q.* 10.

Probatio: Si in qualibet bona conſequentia ex oppoſito conſequentis ſequeretur oppoſitum antecedentis, ita ut hic ſit character bonæ conſequentiæ ut volunt ſummuliſtæ, tunc licebit dicere, quod quandocumque ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis conſequentia ſit bona; conſequens hoc eſt falſum, ſed ſequela ejus probatur, quia eſſentiæ & paſſiones reciprocari poſſunt & converti ſimpliciter: quia enim rationale eſt eſſentia hominis & riſibile, paſſio, ſicut valet, omnis homo eſt rationalis vel riſibilis; ita valet, omne riſibile eſt homo, omne rationale eſt homo. Falſitas conſequentis ſic oſtenditur; quia converſio ſimplex univerſalis affirmativæ, hoc eſt in univerſalem affirmativam eſt mala conſequentia: & tamen in ea ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis, ergo. Major hujus probatur, non enim valet: Omnis homo eſt animal ergo omne animal eſt homo; & tamen accipiendo oppoſitum conſequentis inde ſtatim inferri poteſt oppoſitum antecedentis, ut patet hic, conſequens enim fuit: Omne animal eſt homo oppoſitum hujus eſt nullum animal eſt homo ex quo facile colligitur oppoſitum antecedentis per regulam Philoſophi 1. *Pr.* 2. quia enim univerſalis negativa convertitur ſimpliciter ſequitur, nullum animal eſt homo, ergo nullus homo eſt animal, hæc autem, nullus homo eſt animal, eſt oppoſitum illius, omnis homo eſt animal, quæ fuit antecedens, atque ita in mala conſequentia ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis quod fuit probandum.

3. Hæc ratio demonſtrat intentum, ut vides. Audent tamen ſummuliſtæ repugnare ei, & contendere, quòd adhuc regula eorum valeat, quia non ſequitur ex oppoſito contradictorio conſequentis oppoſitum contradictorium antecedentis. Sed nemo non videt hanc excuſationem ſeram & inane eſſe: nam repugnantia univerſalis affirmativæ & univerſalis negativæ de iiſdem terminis, licèt non ſit contradictoria non proinde deſinit eſſe oppoſitio, alioquin enim cur non poſſunt illæ ſimul verificari? ſed penitus decollat hanc ſolutionem doctrina ſuprà tradita *Apol* 4 *actione* 1. quod inter oppoſitiones propoſitionum maxima ſit contraria, quo poſito clarum eſt ly oppoſitum abſolutè dictum ſtare pro contrariè oppoſito, atque ita, illam regulam eſſe abſolutè falſam.

Idem patet in hac alia inſtantia: Valet enim, omnis homo eſt albus: ergo aliquis homo eſt albus, cùm ſit ab univerſali ad particulare, & tamen oppoſitum conſequentis non infert univerſaliter oppoſitum antecedentis, non enim valet, *non aliquis homo eſt albus*; ergo non omnis homo eſt albus quia poteſt antecedens eſſe verum abſque eo quod conſequens ſit neceſſariò verum. Si enim ponamus omnes homines eſſe albos, & præterea equum, verum erit quòd, non aliquis homo ſit albus (quia equus eſt non aliquis homo) & tamen non proinde verum erit, quòd non omnis homo ſit albus, quum albedo equi non impediat hominum dealbationem.

Video, quid à ſummuliſtis hìc reſponderi poteſt, & eſt illud *non aliquis* æquipollere *nullus*, ut probatur ex ſignis æquipollentiæ ſuprà *Ap.* 4. *act.* 3. at verò ex hac, nullus homo eſt albus, ſtatim ſequitur, non omnis homo eſt albus. Sed fac ita eſſe. Scilicet oppoſitum hujus, aliquis homo eſt albus eſſe hanc, nullus homo eſt albus, hac: nullus homo eſt albus, ſtatim ſequitur, non omnis homo eſt albus. Audio & concedo totum, ſcilicet non contradici huic, aliquis homo eſt albus niſi per hanc, nullus homo eſt albus, ſed & illi non poſſunt negare quin hæc non aliquis homo eſt albus, opponatur aliquo modo illi, aliquis homo eſt albus, nec tamen ex illa ſequitur oppoſitum illius antecedentis, omnis homo eſt albus, ergo jam habeo quod intendi, ſcilicet non ſequi in bona conſequentia ex quolibet oppoſito conſequentis oppoſitum antecedentis, ſed duntaxat ex contradictorio.

Deinde ipſum, non aliquis homo eſt albus, contradictoriè opponitur huic, aliquis homo eſt albus, & tamen, ut vidimus non ſequitur ex ipſa oppoſitum illius antecedentis, ergo nec quidem ex tali oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis. Antecedens patet ex regulis æquipollentiæ, ubi iſta ponuntur tanquam ſynonyma non aliquis, *nullus*, at verò hæc *nullus homo eſt albus* contradictoriè opponitur huic, *aliquis homo eſt albus*. ergo & huic, *non aliquis homo eſt albus* Sed hæc replica nimiùm probat, certū eſt enim quod ex oppoſito contradictorio conſequentis ſequatur oppoſitū antecedentis. atq; ita nobis etiā ſolvenda eſt, quod & faciam; oſtendam enim ſolvi poſſe ut facit contra oppoſitionem contradictoriā, non tamen ut facit contra oppoſitionē abſolutè, atq; ita tenendā eſſe doctoris ſententiam, quod non ſufficit ad bonitatem conſequentiæ ſi ex quocumque oppoſito conſequentis inferatur oppoſitum antecedentis. Cenſeo ergo hanc *non aliquis homo* facere illum ſenſum, *nullus homo* atque ita non poſſe prædicari de equo, & proinde argumentum non procedere contra hunc ſenſum ut ſuprà oſtenſum eſt, quia facit ſenſum contradictorium. At verò *non aliquis* poteſt facere alium ſenſum, ab iſto negativo ſenſu, ſcilicet infinitum, quomodo dici poteſt de equo, & hoc modo certum eſt quod opponatur huic ſincathegorematí, *aliquis homo*, & in hoc ſenſu dici poteſt de equo, neque ex oppoſito ejus ſequitur oppoſitum antecedentis, atque adeo datur, etiam in hac ipſa materia caſus in quo ex oppoſito conſequentis non ſequitur oppoſitum antecedentis, quod fuit probandum.

4. Adferam huc tertiam inſtantiam. & ſit iſta: Ponatur omnes enunciationes deſiviſſe

Digitized by Google

militer veritas ejus, nam ſi conſequens ſit verum, debet conſequens illud eſſe, ſi autem conſequens ſit, jam antecedens deſinit eſſe verum, quia ſcilicet jam datur aliqua propoſitio particularis, quæ eſt ipſum conſequens, atque ita non omnis propoſitio eſt univerſalis ut dicebat antecedens.

Dici tamen poteſt contra priorem probationem ſenſum illius reſponſionis eſſe, quòd conſequens debeat eſſe verum, non ſolùm cum antecedente ſed propter ipſum, quod non contingit in caſu illo aſſignato; non enim propterea currens movetur quia muſcæ ſunt mortales. At enim plus dici poſſet contra hanc ſolutionem; ſi enim vera eſt, jam demonſtratio *quia* non eſt formalis conſequentia. Item, ſi vera eſt, jam à ſubalternante ad ſubalternatam, ſive ab univerſali ad ſuam particularem non valet conſequentia; probatur primũ illud: nam in demonſtratione *quia* conſequens non eſt verũ propter antecedens, ſed vice verſâ alioquin non eſſet demonſtratio *quia*, ſed *propter quid*. Secundum etiam, quia particularis non eſt vera ſemper propter univerſalem, ſed è contra ſæpe; in inductione enim particularia ſunt cauſa univerſalis, non è contra, ideo enim omnis homo peccat, quia hic & iſte, peccat, non è contra. Dices hic non colligi univerſalem ex particulari aliqua, ſed ex omnibus. Reſpondeo hoc ipſum ſufficit ad propoſitum; poſſum enim adhuc in bona conſequentia colligere: omnis homo peccat, ergo hic homo peccat, ut alia omittam, & tamen conſequens non eſt verum propter antecedens, ſed è contra.

Videor tamen mihi ſolvere poſſe ſecundam illam probationem (quæ tangitur à Doct. citato) negando aſſumptum, & ad probationem dico ex eo, quòd omnis propoſitio ſit univerſalis, bene ſequi, òd aliqua talis ſit ex parte objectorum, non ex parte ſignorum; quæ diſtinctio intelligetur ſi ponatur non fuiſſe formata illa conſequentia ſive particularis illa propoſitio: aliqua propoſitio eſt univerſalis; nam licèt non fuiſſet formata, tamen objectum ejus ſic ſe haberet tum ſicut dicitur per ipſam, atque ita eſſet veritas objectiva ejus, licèt non veritas ſignificativa non enim ideo res ſic ſe habent, quia enunciantur ſic eſſe, ſed è contra. Aliter diſtingui poteſt de propoſitione univerſali in actu exercito & in actu ſignato.

Dici tamen adhuc poteſt pro ratione ſuprà poſita, quòd licèt utraque diſtinctio hîc data veræ ſint & locum habeant, tamen etiam verum eſt quòd Logici hic docent nullum verum repugnare alteri vero, aut deſtruere ipſum, ſed hæc particularis quæ vera eſt deſtruit veritatem univerſalis, quum enim formatur hæc, *aliqua propoſitio eſt univerſalis*, deſinunt omnes propoſitiones eſſe univerſalis, quia hæc eſt particularis, ergo. Puto tamen reperi poſſe ſolutionem illam de veritate objectiva & formali, etſi non dubitem adhuc replicari poſſe, quod hæc veritas formalis ſive ſignificativa reddi poteſt objectiva ſi formaretur alia propoſitio, cujus hæc ſit objectum, ſed expedit hæc acumina truncare, ne tempus terant, ſemper enim renaſcuntur, & ſe invicem ferunt: pergamus ergo ad alium modum. Reſponderi enim poteſt & ſolet tunc eſſe bonam conſequentiam quando ex oppoſito conſequentis, ſequitur oppoſitum antecedentis. Sed præter ea, quæ ſuprà notavi circa hæc, peccat communi & quaſi originali peccato in hac materia de reditu in idem, namq; hoc ipſum eſt, quod ſcire volumus quid ſit aliquid ſequi ſive ex oppoſito antecedentis, ſive ex alio. Itaque relicto hoc & aliis ſimilibus modis,

Reſolutio controverſiæ.

8. Dicendum eſt primò conſequentiam alicujus ex alio, ſive ſequi hoc ex illo, dicere; quod ſi conſequens non ſit poſito antecedenti, tum deſtruetur aliquod prædicatum ipſius antecedentis.

Deinde dicendum, quòd nota bonæ conſequentiæ ſit iſta, quod ſcilicet antecedente & conſequente ſimul ſumptis impoſſibile eſt antecedens eſſe verum niſi conſequens tale ſit.

Tertiò tenendum eſt conſequentiam ipſam formaliter conſiſtere in illo ſyncathegoremate illativo *ergo* aut ſimili: Loquor de *ergo* intentionali, ſeu de eo, quod in intellectu inferentis reſpondet voci *ergo*, quod autem reſpondet ei, eſt, hoc ex illo ſequi: ex quo vides quàm meritò inter reſpondendum negatur conſequentia, quia ſcilicet per conſequentiam aliquid affirmatur, affirmatur enim implicitè hoc ex illo ſequi, per quod breviter declarata manet tertia hæc concluſio.

Prima autem ex his tribus inductione vel exemplo probanda eſt, nam hæc, *paries eſt album, ergo coloratus*, ideo valet, quia ſi negetur conſequens aut deſtruatur, deſtruetur etiam aliquid antecedentis ſcilicet coloratum quod eſt genus albi, & ſic de aliis, nam etiam in paſſionibus idipſum eſt, hæc enim, eſt homo, ergo eſt riſibilis; ideo valet quia, quum homo pro toto vel pro parte ſui ſit cauſa naturalis riſibilitatis, ſi deſineret cauſare vel emanare (ut ſic dicam) riſibilitatem, deſineret eſſe, quod eſt, ſeu eſſe talis naturæ, & ſic de aliis. Denique tam hæc, quàm ſequens, patent ex refutationibus aliorum modorum dicendi ſuprà poſitis. Sed

Objicies contra ſecundam, conſequentiam illam Omnes propoſitiones ſunt univerſales, ergo aliqua eſt univerſalis: ut ſuprà. Reſpondeo conſequentiam illam non procedere hic, ſicut ſuprà, ſed potius probare hanc concluſionem contra illam: nam ſi ſimul ſumantur antecedens & conſequens, certè non poterit unum eſſe verum abſque altero, quia nimirum ſi ſimul ſumantur, tum antecedens erit falſum, nam poſitâ hâc propoſitione, *aliqua propoſitio eſt univerſalis* in aliquo inſtante, non poteſt in illo inſtanti verum eſſe, quod omnis propoſitio tunc exiſtens ſit univerſalis, quum ponamus pro illo inſtanti exiſtere hanc quæ eſt particularis, de reliquo hujus materiæ ſit.

ACTIO

ACTIO III.

Vtrum diſcurſus requirat plures actus, nec ne?

Breviarium.

N. 1. Calumnia quorundam in Scotum detegitur.
2. Reſolutio diſtincta in duas partes, probatur 1. negativa.
3. Alia ratio ejuſdem.
4. Probatur, quod non neceſſariò ſimpliciter requiritur pluralitas actuum.
5. Objectio prima: An ſufficiant ubique terminationes plures pro totidem actibus?
6. Alia Objectio in idipſum. Cur Deus non diſcurrat?
7. Tertia: An voluntas attingat unum propter aliud eodem actu?
8. An cognitio paſſionum in verbo ſit diſcurſiva?
9. Ob ultima. Quomodo fides non diſcurrat?
10. Differentia diſcurſûs intellectualis & organici.

Scoti ſententia; Aliorum impoſtura.

1. MIrum eſt, quantâ concordiâ Thomiſtæ ferè omnes adſcribant Scoto opinionem quam non opinatur G. Vaſq. 1. *p diſp.* 4. Barthol. Amicus *tr.* 23. *in lib. Prior.* Coll. Conymb. 16. *q.* 2. & alii conſtanter omnes ſcribunt Scotum exiſtimaſſe, quod ad rationem diſcurſûs non requirantur plures actus, ſed ſufficiat unus, qui virtualiter plures ſit, eo quòd per illam cognoſcantur plura, quorum unum videatur cauſari ab alio ſeu emanare ab illo. Ita illi ſequuti Cajetan. 1. *p. q.* 58. *art.* 3. qui videtur primus hujus tabulæ author, nempe ubi pro hoc Scotus citatus nil tale habet ſcilicet *q.* 3 *prol. q.* 4. Latter. Ecce textum ibidem *n.* 27 *Vtrum autem ſcientia ſit quantum ad quartam conditionem* (diſcurſus) *in intellectu beatorum? dubium eſt, & videtur quod non per Auguſtinum* 15. *tr. c.* 16. Fortaſſe non erunt ibi volubiles noſtræ cogitationes ab aliis in alia euntes atq; redeuntes, ſed ſcientiã noſtram unico intuito videbimus, *ergo intellectus beatorum non diſcurrit. Sed oppoſitum videtur quia quidditas ſubjecti in quocumq; lumine videtur continet virtualiter veritates quas poteſt facere notas intellectui paſſivo à tali objecto. Si igitur quidditas linea viſa in lumine naturali poteſt notas facere veritates in ſe incluſas intellectui noſtro, pari ratione, & ut viſa in eſſentia divina, ſed omnis veritas cauſata in intellectu noſtro, per aliquid prius naturaliter notum cauſatur per diſcurſum, quia diſcurſus non requirit ſucceſſionem temporis, ſed ordinem natura, ſcilicet quod principium diſcurſus ſit naturaliter prius notum, & ut ſit cauſativum alterius extremi diſcurſus.* Hæc Scotus; & ubi ille actus unicus apud ipſum qui ſit ſcientia? ubi diſcurſus ſine pluralitate cognitionum? Ego autem hic maniſeſtè video oppoſitum. Dicit enim, quod ille in beatis (in quibus putatur ab Thomiſtis ponere diſcurſum ſine pluralitate actuum) linea ſic cauſat cognitionem ſuæ paſſionis ſicut cauſat in viatoribus, ſive quando videtur lumine naturali; Certum autem ſecundum ipſum eſt, quod in viatoribus cognitio paſſionum lineæ ex eſſentia ſeu definitione ejus ſit diſcurſiva, ergo. Deinde ſolvit authoritatem illam Aug. dicentis non fore ibi volubiles cogitationes ab aliis in alia euntes adeòque non ſentit ipſe quoad hoc cum Auguſtino in hujuſmodi caſu fore unicum intuitum. Deinque dicit cognitionem paſſionis habitam ex cognitione eſſentiæ eſſe veritatem cauſatam, cauſa autem ſecundum ipſum & omnes, certiſſimè eſt aliud realiter à cauſato. Itaque mala fide refertur in hac materia D. & priori carpitur, de quo ſtatim rectius Averſa (a) hoc loco citavit Doctorem pro illa ſententia, quæ tenet non eſſe de ratione diſcurſus, ut habeat plures actus ſuccedentes ſibi tempore aut duratione, ſed poſſe aſſenſus antecedentis, & conſequentis ſimul eſſe. Pro illa autem quæ omnino negat neceſſitatem actuum citaſſent Thomiſtæ *Durand.* (b) *Soncin.* (c) & ex parte *Fonſecam* (d) ad rem ipſam accedendo.

Vaſques. Amicus. Conymb. Cajetan. Scot.

(a) *q.* 21. *Logic. ſect.* 2.
(b) 2. *d.* 38. *q.* 13.
(c) 6. *Metaph. q.* 10.
(d) 6. *Metaph. c.* 1.

Reſolutio controverſiæ negativa.

2. Dico primò: In quocumque noſtro diſcurſu ſemper interveniunt plures & diſtincti actus ac aſſenſus; & ad ſervandam proprietatem ſeu rigorem diſcurſus in nobis neceſſe eſt eos intervenire; aliàs autem ſufficit unus, nec requiruntur abſolutâ neceſſitate plures actus ad diſcurrendum. Hæc eſt Duran. ſuprà non auſim pro ea Doctorem citare, & tamen quiſquam Recentior non ſolum ipſum Scotum, ſed rationem & integrum diſcurſum ejus pro hoc attulit; Vide Amicum cit.

Ad probationem hujus præmitto quæſtionem hanc, ſive totaliter, ſive certè ex magna parte eſſe de nomine, quid ſcilicet intelligendum ſit per vocabulum, diſcurſus, utrum cognitio alicujus ex alio prius cognito, quod præcognitum ducat in ſequentis cognitionem, an non, ſed aggregatio actuum, quorum unus alium cauſet? & verò ſi habeatur in caſu unius actus totum quod intervenit in aggregatione actuum fruſtra requireretur multitudo actuum; atque adeo realis quæſtio, quæ hic eſſe poteſt, eſt an unum ex alio colligi poſſit uno actu? Jam

Probo primam partem, quia diſcurſus eſt motus quidam intellectûs, atque adeò eſt proceſſus ab uno termino ad alium, ergo jam oportet haberi in omni diſcurſu aliud & aliud, atq; ita non ſufficit unus actus. Hoc argumento liben-

libenter omnes utuntur. Reſponderi tamen poteſt diſcurſum eſſe ab uno objecto in aliud, non ab una cognitione in aliam, adeòq; ſequi hinc quòd requirantur ad ipſum plura objecta, non verò plures actus. Immo etiam verti poteſt in oppoſitum hæc etymologia ducta à diſcurſu materiali, ad hunc enim requiruntur plura loca, non verò plures motus; oſtendendũ eſt igitur quòd requirantur ad diſcurſum non ſolùm plura obiecta ſed plures cognitiones, quod ſic facio: Diſcurſus intellectus non fertur ab obiecto reali ad obiectum reale extra ſed ab obiecto intentionali ſeu cognito, atque adeo debent eſſe cognitiones plurium obiectorum, atque ita plures actus.

Dici poteſt hanc ultimam conſequentiam non ſequi, quia unus actus poteſt ferri in plura obiecta, imò ſic fertur omnis enunciatio, fertur enim in prædicatum & ſubiectum. Contra hoc arguo & probo requiri plures etiam cognitiones. Diſcurſus eſt non quæcumq; operatio intellectus ſed tertia & ultima, atque ita præſupponit plures operationes non quaſcumque, ſed plures actus qui ſunt in ordine ſecundæ operationis intellectus ſive iudicii: hæc autem ſunt plures actus & abſolutè plures cognitiones, ergo iam ad diſcurſum prærequiruntur plures cognitiones. Confirmo intentum à ſimili ſic: Secunda operatio præſupponit neceſſariò plures appræhenſiones quæ ſunt primæ operationes intellectûs ergo & 3. plures ſecundas operationes, patet enim paritas. Antecedens autem probatur, quia iudicium requirit appræhenſiones ſubiecti & prædicati. Atque hinc patet ad replicam principalem (quod non ſolum requiratur pluralitas obiectorum extrà inter quæ feratur diſcurſus tanquam motus inter terminos) quia non ſufficit ad iudicium, quod dentur extra duo aut plura obiecta realiter, ſed debent eſſe intra intellectum plures appræhenſiones eorum.

2. Probo ſecundò idipſum: In diſcurſu debet eſſe aliquid ab aliquo dependens, ſed non debet eſſe aliquid à ſe dependens, ergo debet eſſe aliquid ab alio dependens, atque ita iam debet dari aliud & aliud. Oſtenſum eſt autem quòd hæc ſint cognitiones. Et ne hæc ratio dicatur eſſe eadem cum præcedenti, aliter idipſum hic oſtendo; In diſcurſu conſequens dependet ab antecedenti, ſed obiectum conſequentis non ſemper dependet ab obiecto antecedentis, ergo plura illa, quæ concurrere debent ad diſcurſum ſunt cognitiones, non verò obiecta. Maior iam iam oſtendetur, minor autem patet in diſcurſu à poſteriori in quo ex effectu colligitur cauſa, non enim cauſa dependet ab effectu. Sed effectus à cauſa. Major jam probatur primò quia diſcurſus eſt oratio in qua aliquid eſt eo (e) *quod* alia; ut definit *Ariſt.* at verò quidquid habet eſſe eò quòd aliud habet eſſe dependenter ab illo. Secundò ſic; Ita ſe habet principium ſive præmiſſa in ſpeculativis ſicut finis in practicis, quod etiam docet idem Philoſophus; ſed finis eſt cauſa mediorum, ſive potiùs actus intentionis circa finem eſt cauſa actus electionis circa media ergo actus circa præmiſſam eſt cauſa actus circa concluſionem, atque ita eſt alius, & dependens ab illo.

(e) lib. 1. cap. 1.

Probatur 3. concluſio, quia diſcurſus quicumque formalis & legitimus neceſſariò habet tres terminos, duas extremitates & medium, ergo diſcurſus quicumque formalis neceſſariò habet duos actus, probo conſequentiam, quia ad unum actum non requiruntur tres termini, ſed ſufficiunt ſine dubio pauciores, ergo quidquid ex genere ſuo requirit plures tales, ex genere ſuo debet dicere plus quàm unum actum. Confirmatur, quia vis perfecti diſcurſus innititur illi principio. Quæcumque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe: at verò exercitium hujus principii non poteſt haberi per unum actum ſed neceſſariò involvit aliquando plus quàm duos, quod oſtendi facilè poteſt: illud enim principium ideo regulat ſyllogiſmum, quia in concluſione colligitur duas extremitates eſſe ſibi invicem identificatas aut unitas, eò quòd in præmiſſis oſtenſæ ſunt eſſe identificatæ aut unitæ medio termino; at verò hoc non poteſt fieri ſine pluribus etiam præmiſſis, atque ita addita concluſione quæ ſine dubio addenda eſt, in diſcurſu dari debent non ſolum tres termini, ſed tres cognitiones: hæc pro prima parte concluſionis.

4. Pro ſecunda autem ſive pro eo, quòd non neceſſariò ſimpliciter requirantur plures cognitiones ad diſcurſum, ſic arguo: Si ponamus unum actum terminari ad plura habebitur diſcurſus, hoc autem non eſt impoſſibile, ergo nec haberi diſcurſum cum uno actu. Major oſtenditur, ſi enim poteſt terminari ad plura, terminetur ad unum poſt ad aliud, & propter ipſum; tunc reddet ſubjectum ſuum ſcientem unum propter aliud, hoc autem eſt propriè diſcurrere, ergo. Confirmo & explico rem, quia multitudo actuum & univerſaliter quæcumque multitudo eſt impertinens ad ullum in ſpecie effectum, qui ſit alicujus perfectionis, ergo ſi habeatur totum quod dicit diſcurſus præter pluralitatem actuum, fruſtra requirentur ipſi plures actus. Antecedens autem probatur inſtantiis; quia palmus v. g. tantumdem loci occupat, & ſimiliter extenditur ſive ſit integer ſive dividatur in duos ſemipalmos: Potentiæ animæ, puta intellectus & voluntas, ſecundùm nos identificatur realiter tam ſibi invicem quàm animæ, ſecundùm Thomiſtas diſtinguuntur realiter ab utriſque; & tamen in utraque ſententia ſunt veræ potentiæ & principia actuum liberorum, neceſſariorum, reſpectivè nec quidquam quoad hoc diverſificantur.

Declaratur magis ad rem: Dominus Deus eſt perfectiſſimè liber ad extrà, imo nullibi eſt liber niſi in iſtis, & tamen non habet plures actus, ſed duntaxat plures terminationes ejuſdem actûs, ergo jam intelligi poteſt, quòd terminatio poſſit præſtare totum quod actus, & multiplicationes ejus erunt inſtar multorum actuum: Et adhuc magis vicinè habetur hinc intentum; ſi enim perfectio voluntaris quæ haberetur per plures actus ſcilicet libertas ſuppleri poteſt per plures terminationes cur non etiam perfectio intellectus, ſcilicet diſcurſus?

Dices rationem hinc ipſum haberi, quia nimirum libertas eſt perfectio, perfectio autem, ut ſuprà deductum eſt, non exigit extenſionem aut multiſudinem, adeòque nec libertas. At verò diſcurſus non eſt perſectio, hinc enim in Deo non invenitur, & in aliis intelligentiis eò minus invenitur, quo ipſæ ſunt magis perfectæ.

Reſpondeo: Aut arguens vult, ut in diſcurſu oſtendamus ei poſſe inveniri pluralitatem actuum ſine pluralitate actuum; aut vult, ut oſtendatur totum quod præſtatur per pluralitatem actuum præſtari poſſe ſine illa: ſi primum, fateor imperitiam meam, non poſſum: ſed ille ſtupidus eſt qui hoc exigit, quod eſt idem eſſe & non eſſe ſimul. Secundum autem ni fallor jam feci, & hic ampliùs oſtendo ad hominem ſaltèm: Tenent Adverſarii eandem relationem referri poſſe ad plures terminos; v. g. eadem paternitas refert Petrum patrem ad primum & ſecundum filium etiam ſucceſſivè natos: Hic apertè aſſeritur terminatio alicujus unius formæ eſſe inſtar alterius multiplicatæ. Deinde, ſi demus unam abſolutam formam, v. g. albedinem uniri (quod eſt quoddam terminari) ad diverſa ſubjecta, certè reddet utrumque album non minus quàm ſi duæ fuiſſent ſingulæ in ſingulis ſubjectis, ergo. Sed

Rationes in oppoſitum adductæ.

5. Objicies non ſufficere terminationes, quia in diſcurſu debet eſſe aſſenſus unius propter aliud prius cognitum, vel magis propriè propter ipſam cognitionem, ita ut aſſenſus præſtitus uni ſit cauſa, cur quis aſſentiatur alteri, hoc autem non poteſt ſalvari per terminationes, quia hinc habetur quòd una cognitio debet dependere ab alia, at verò terminatio non eſt cognitio, ergo non ſufficit eam dependere ab alia terminatione. Ex altera parte cognitio illa non poteſt dependere à ſe, ergo non poteſt denique ſalvari diſcurſus per unam cognitionem & plures terminationes, ſed adhibendæ ſunt plures etiam cognitiones. Confirmatur, quia debet verificari, quod ideo ſim cognoſcens hoc, ſcilicet concluſionem, quia ſui cognoſcens illud ſcilicet præmiſſas, ergo jam debet aliquid in hoc complexo, cognoſcens præmiſſas, diſtingui ab eo, quod eſt in illo, cognoſcens concluſionem. Sed ſecundùm hanc viam nihil eſſet, quia cognitio eſt eadem; ſubjectum, ſcilicet intellectus, aut ipſe homo ſine dubio eſt idem, adeòque totum concretum. Reſpondeo hoc argumentum procedere contra libertatem Dei ad extrà, & ſimiliter probare quòd ille non poſſit velle aliquid liberè per ſolam novitatem aut multiplicationem terminationis, niſi etiam habeat novitatem & multiplicationem actus, ut patet applicanti; nam Deus eſt volens volitione ſine dubio ſicut homo eſt cognoſcens cognitione, ut ſuprà. Sicut ergo eo non obſtante tenetur Dei libertas ad extra ſtare propter ſolas terminationes, ita & hic. In forma ergo ad argumentum ut hic, nego minorem; ad probationem hujus diſtinguo antecedens, una cognitio debet dependere ab alia, hoc eſt unus actus intellectus ab alio actu nego; una cognitio, id eſt una perceptio objecti debet dependere ab alia, concedo: hoc autem hic fit, quia cognitio illa cum nova terminatione eſt nova perceptio etiam ejusdem objecti. Ita, in hujusmodi caſibus cognitiones & volitiones ſunt inſtar potentiarum, & Deus tantum poteſt velle illo unico actu ſuæ volitionis quantum nos tota voluntate: atque ita ſi contingeret nobis, quod poſſit una cognitio noſtra terminari ſucceſſivè ad plura, illa faceret ſufficientiſſimè diſcurſum, quia eſſet inſtar multorum actuum formaliter; & quia non videmur nos hoc poſſe facere ſed eſt res reſervata Deo, & actui ejus propter infinitatem illius, ideo dixi in prima parte concluſionis quod in noſtro diſcurſu ſemper neceſſariò interveniant plures numero actus. Ad confirmationem patet ex hac ſolutione. Sed

6. Objicies ſecundò non ſufficere hujusmodi terminationes ad diſcurſum, quia inveniuntur, ubi non invenitur diſcurſus, ergo. Antecedens probatur in Deo, cujus unicus actus intellectionis terminatur ad plura, & quidem cum ordine & quaſi ſucceſſione quâdam, utique enim priùs terminatur ad intra quàm ad creaturas extra, prius ad eſſentialia quàm ad alia, & tamen non admittitur in Deo diſcurſus ergo.

Dici poteſt non haberi in illo actu Dei ſive in terminationibus illis cauſalitatem aut quaſi cauſalitatem, quæ requiritur ad diſcurſum, hoc enim involvit imperfectionem, quum dicat dependentiam. Sed contrà eſt, quod abſtinendo ab his nominibus cauſæ & cauſati ſive dependentis, rés ipſa videtur tota ibi haberi. Certum eſt enim quòd ille actus Dei ideo terminatur ad creaturas quia terminatur ad divinam eſſentiam (hæc enim propter infinitatem ſuam habet movere ad quodcumque intelligibile) atque adeo una terminatio eſt ab alia & propter aliam; dicatur enim cur cognitio paſſionis hominis v. g. ex cognitione eſſentiæ ejus ſit diſcurſus, & non cognitio qua Deus cognoſcit creaturas ex cognitione ſuæ eſſentiæ? Reſpondeo: Propter hæc exiſtimo non ſufficere abſolutè terminationes utcumque ad diſcurſum, neque hoc eſt negare concluſionem poſitam, nam neque etiam actus ſufficiunt quomodocunque ſumpti, non enim omnes duo actus ſequentes ſe ſunt diſcurſus: Ad rem præſentem exiſtimo diſcurſum debere à nobis ipſis provenire, ut ſcilicet ipſi inferamus concluſionem ex præmiſſis, & non tantùm illa monſtretur nobis ut contingit in caſu illo Dei; contingit etiam creaturis in viſione beata, & univerſaliter in viſione cuiuscumque ſpeculi, in quo unum videtur in alio ſine labore videntis. Itaque prima principia data ſunt nobis à natura ſine ullo noſtro labore, concluſiones autem noluit illa ſic nos cognoſcere, ſed noſtrâ induſtriâ, in qua induſtria ſitus eſt diſcurſus, qui ad finem ſcientiæ dirigitur. Itaque quia Deus non induſtriâ aliquâ novit res, ſed ex naturæ ſuæ fœlicitate ſicut non novimus prima principia, ideo in eo non poteſt eſſe diſcurſus.

7. Objicies etiam contra priorem concluſionem, in qua dictum eſt ad diſcurſum requiri plures actus (quæ etiam ratio faciet contra ſecundam requirentem ad minus plures terminationes) poteſt intellectus cognoſcere unum propter aliud unico actu; hoc autem eſt diſcurrere, ergo poterit diſcurrere unico actu; maior huius probatur à ſimili voluntatis, quæ vult unum propter aliud, ſcilicet media propter finem eodem unico actu, talis enim eſt omnis actus electionis & exequutionis, omnes enim illi fiunt ob finem. Hoc argumentum adfero non quaſi novum, ſed ut oſtendam, quàm fruſtra alii laborant in eo ſolvendo, quum revera hic nulla ſit diſparitas. Similiter enim intellectus fertur in

præ-

præmiſſas & concluſionem, quomodo voluntas in media & finem: Ad quod ſciendum eſt, quòd ſicut datur actus voluntatis, quo vult media propter finem, & eſt electio; ita datur actus intellectus qui etiam fertur in præmiſſas ſeu in conſequens propter ipſas, & eſt concluſio; præterea autem requiritur alius actus, quo prius feratur in ipſas præmiſſas, in quo etiam aſſimilatur ei voluntas. Nam etiam hæc licèt feratur in media propter finem, tamen prius fertur in finem, cujus cauſa eſt, quia ut habet ſubtiliter D. (f) finis movet ut amatus; nec enim poſſet movere ad amorem aliorum propter ſe, niſi ipſe amaretur, adeòque prius ipſe amatur.

(f) 1. diſt. 1. q. 5. n. 5. & q. 4. prol. n. 11.

Dices, finis eſt correlativus medio, ergo non poteſt amari, niſi ſimul ametur medium, atque ita falſum eſt, quòd ametur priùs. Reſpondeo diſtinguendo conſequens, non poteſt amari ſub ratione finis ſine medio, concedo conſequentiam, ſub ratione boni, nego. Itaque utraque potentia quoad hoc ſunt pares, & ſicut non poteſt haberi diſcurſus intellectus qui eſt ejus proceſſus in indagatione veri ſine pluribus actibus cognitionis ita nec proceſſus voluntatis circa bonum ſine pluralitate actuum ſeu amorum.

Objicies in idem hanc: Homo eſt riſibilis, quia rationalis; qui enim hoc dicit, diſcurrit, ſed qui hoc tantùm dicit non habet plures actus ergo habet diſcurſus ſine pluralitate actuum. Major probatur, quia iſte talis cognoſcit unum propter aliud, ſcilicet riſibile propter rationale; minor autem; quia eſt una tantùm propoſitio hypothetica, & licèt includat duas cathegoricas, tamen non magis inde probes, quòd ſint duo actus, quàm quod una cathegorica ſit plures actus eò quod continet plures apprehenſiones, adeòque. Reſpondeo negando majorem: Non enim diſcurrit iſte, quia non colligit unum ex alio, nec movetur ex illo in hoc, ſed ſimul in utrumque tendit; ſicut ſi formaret unam cathegoricam in qua ſunt plura ſcilicet ſubiectum & prædicatum, nam hypothetica eſt inſtar cathegoricæ, & forma eius eſt illa copula indeclinabilis *quia*, *ſi*, *&*, ſicut copula cathegoricæ eſt verbalis illa *eſt*: Extrema huius ſunt cathegoricæ propoſitiones, ſicut extrema cathegoricæ ſunt termini ſimplices. Itaque ille non diſcurrit eò, quòd non dicat duo ſed unum; illa enim propoſitio eſt aſſertio copulæ *quia* ſicut cathegorica eſt aſſertio illius *eſt*. Deinde quia ſive dicat duo ſive unum non dicit niſi unico actu.

Corollaria quædam.

8. Quæres jam, quàm verum ſit illud, quod habet D. cit. in prologo & dedit occaſionem huic controverſiæ, ſcilicet proprietates eſſentiarum viſarum in verbo ſciri per diſcurſum v. g. proprietatem lineæ? Reſpondeo id eſſe veriſſimum ſi ſanè accipiatur, poteſt enim falſum eſſe niſi ſit rectè intellectum. Itaque quia in verbo Dei omnia apparent, etiam paſſiones, ſanè cognitio paſſionum, ibi non eſt diſcurſiva ſed judicativa tantum, & pertinet ad ſecundam operationem intellectus; imo forte etiam ad primam; & totum hoc ſuppoſito quod in ſe videatur. Si autem videatur in eſſentia ſua, hoc eſt, ſi quis videns in verbo eſſentiam lineæ quaſi in quodam priori antequam illius paſſio monſtret ſe, colligat paſſionem, tum illa cognitio erit omnino diſcurſiva, & ita cum maxima proprietate loquutus eſt Doct. ſimile huic eſt quòd ſuprà dixi propoſitionem per ſe notam debere inducere intellectum in aſſenſum copulæ ex terminis; nam ſi videatur ipſa copula & proinde judicetur adeſſe, non erit per ſe nota propoſitio.

9. Objici denique poteſt Inſtantia fidei divinæ, in qua eſt unum ob aliud, nec tamen eſt diſcurſus. Qui enim credit quidquam debet has quaſi præmiſſas habere: quidquid Deus revelavit eſt verum, & credendum: Deus hoc revelavit, deinde ſubditur tanquam concluſio articulus creditus, v. g. quòd Sacramenta ſint ſeptem. His tamen non obſtantibus fides divina perficitur uno actu, ergo jam diſcurſus poteſt fieri uno actu; hoc eſt, totùm quod præſtatur per diſcurſum poteſt haberi uno actu, nam deinde contendere num vocandus ſit diſcurſus nec ne, eſt nominale & grammaticum, ergo. Reſpondeo: Non eſt inter nos lis, utrum quodlibet unum propter aliud ſit eo ipſo diſcurſus. Ad inſtantiam fidei dico quod dixi in propria materia ad hoc; quòd, etſi illæ præmiſſæ, aut quaſi præmiſſæ concurrant in fide, tamen non faciunt fidem eſſe diſcurſivam, quia in eis non ſunt præmiſſæ, ſed potius præcognita quædam qualia Ariſt. aſſignavit 1. *Poſt.* cauſa eſt quia non ſunt illæ cauſa, ſed conditio aſſenſus; tota autem ratio formalis aſſentiendi eſt divina veracitas.

Dices, cur non poſſim ſic dicere in aliis materiis naturalibus, quòd ratio formalis aſſentiendi ſit ſimplex medium, & ita totum uno actu abſolvatur; quo poſito neque plures actus, neque plures terminationes requirentur? Reſpondeo; Poteſt ſic dici, quia nimirum poteſt ſic fieri in acquiſitione ſcientiarum naturalium, ſicut etiam in aſſenſu fidei poteſt adhiberi diſcurſus. Itaque, quando quis uno actu fertur in medium & affirmationem rerum cujus eſt medium, non contingit diſcurſus, & ita ſit in fide; fieri etiam poteſt in aſſenſu naturali, ut ſi dicam: Homo eſt riſibilis quia rationalis. Quando autem progreditur ex una cognitione in aliam, ex noto ad ignotum, & ab uno aſſenſu determinatur ad alterum qui eſt facilior & communis modus (imo aliquando neceſſarius) tunc contingit diſcurſus.

Hic vides, quàm meritò dictum eſt in concluſione ad ſervandam proprietatem vocis requirendos eſſe plures actus, quia ſine dubio vox diſcurſus: inſtituta eſt ad ſignificandum id, quod nobis contingit, vel quod geritur à nobis in adquirenda notitia rerum; nos autem, certum eſt quòd ab una cognitione per-

Digitized by Google

immediatior enim eſſet, ſi aſſumeretur ibi loco *totum* deffinitio *totius*.

18. Tertiò tenendum eſt malè confundi propoſitionem per ſe notam cum primo principio. Cauſſa, quia primum principium debet eſſe univerſale; debent enim contineri concluſiones in eo, quæ ſunt quaſi quædam inferiora ejus, at verò non omnis per ſe nota eſt univerſalis cùm jam oſtenſum ſit aliquas particulares etiam ſingulares eſſe per ſe notas.

19. Quartò ad illud: num per ſe nota debeat eſſe indemonſtrabilis (loquendo de demonſtratione à poſteriori) reſpondendum eſt negativè; nam & eſſentiæ colligi poſſunt ex paſſionibus, v. g. ex riſibili poſſum colligere rationale, & ipſa primiſſima principia per inductionem probari poſſunt: loquendo autem de demonſtratione à priori, cenſeo propoſitionem per ſe notam talem eſſe debere ut non egeat ejusmodi probationibus ſui, ſed ſine illis habeat evidentiam. Tamen non credo repugnare quòd demonſtrationes ipſæ formentur. Prima pars hujus jam eſt probata toties. Secundam colligo ex diſcurſu hîc proximè facto canone, ſive corolario ſecundo in fine, nam aliquæ propoſitiones de ſubjecto ſingulari ſunt per ſe notæ, ut illa de palmo; iſtæ autem quis neſciat à priori probari poſſe aſſumendo univerſale eorum & ſuperius. Deinde principia etiam univerſalia quorum ſubjectum eſt terminus confuſus poſſunt utcumque à priori probari aſſumendo terminum diſtinctum, ſcilicet deffinitionem ejus, ut in illa de toto quod eſt majus ſui parte aſſumendo deffinitionem totius, *quod* ſcilicet *continet partem & aliquid præterea* ſicut demonſtravimus de homine riſibili aſſumendo animal rationale; ſi enim hæc ſit legitima demonſtratio, negari illa non poteſt, cùm manifeſtè ſint ejusdem tenoris. Sanè Clavius *in prim. Euclid.* conatus eſt illam probare ſed fruſtra, nunquam enim poterat aliquid notius adferre. Denique demus quòd poſſit adferri, non proinde deſinet hæc eſſe per ſe nota ſed ad ſummum per ſe notiſſima.

Christoph. Clavius

Dices: Propoſitio hujusmodi aut eſſet per ſe aut per aliud notiſſima; atqui non poteſt eſſe per aliud notiſſima ſed eſt implicantia in terminis quod enim ob aliud notum eſt ſemper illo alio ignotius eſt, adeòque non notiſſimum, reſpondeo nego antecedens.

Quintò tenendum eſt prædicationes ſecundarum paſſionum de primis aut etiam de earum definitionibus non ſemper eſſe per ſe notas, aut etiam immediatas, imò incertum eſſe, an unquam ſint tales? negant hoc Recentiores aliqui, ſed probo ego, nam hæc: admirativum eſt riſibile, non eſt immediata, quoniam admirativum non continet adæquatam cauſam riſibilitatis eò quòd animalitas ſit etiam cauſa ejus & quidem immediata, licèt non totalis. Probatio hujus quia animalitas eſt cauſa actualis riſus, adeòque potentialis ſive riſibilitatis, nam riſus eſt quædam ſenſatio, ſaltèm eſt actus vitalis, adeoque oritur immediatè à ſenſitivo & à gradu viventis.

20. Sextò tenendũ eſt cõverſiones propoſitionum per ſe notarum non eſſe vniverſaliter per ſe notas. Oppoſitum cenſuèrunt Conymbricenſes, ſed ego hoc ſuprà probavi. Hæc enim, *omnis homo albus eſt homo*, convertitur in hanc, *aliquis homo eſt homo albus* quæ tamen longè abeſt à per ſe nota quia non modò, non eſt certa ſed nec neceſſaria; ſed de hoc ſtatim; interim ſit hoc exemplum: iſta eſt per ſe nota: Quæcunque ſunt æqualia uni tertio ſunt æqualia inter ſe, & convertitur in iſtam; Quæ ſunt æqualia inter ſe, ſunt æqualia uni tertio, quod non eſt neceſsè, nam ſi non darentur niſi duo palmi iſti eſſent æquales inter ſe, non tamen æquales uni tertio, & de facto duæ medietates mundi, illæ ſcilicet quæ ponerentur extra ſe ſi cœlum per æquinoctialem divideretur, ſunt æquales inter ſe non tamen uni tertio.

Dici poteſt hujusmodi prima principia non eſſe accipienda ſecundùm exiſtentiam, ſed ſecundùm eſſentiam hoc modo autem convertentem illam eſſe veriſſimam; nam illi palmi, & medietates illæ mundi eſſent aptæ, natæ æquari uni tertio. Hanc replicam ſuprà refutavi; nam licèt verum ſit principia non eſſe accipienda ſecundùm exiſtentiam ſed tantùm ſecundùm eſſentiam; tamen etiam verum eſt quòd quoties ponuntur in exiſtentia trahant ſecum omnia ſua, ſive omnia ſibi neceſſariò conceſſa in eſſe eſſentiæ, nam quia hæc eſt neceſſaria: omne animal rationale eſt riſibile; intelligendo illam copulam *eſt* de eſſe eſſentiæ, ideò ſi ponatur animal rationale in eſſe exiſtentiæ, ponetur etiam riſibile: ſed non debet poni æqualitas ad tertium etſi ponatur aliquorum duorum inter ſe ergo.

21. Septimò ſtando in ſupradictis hac Apologia *act. 6. n. 3. 4. &c.* quæ tamen nõ valde aſſeveranter poſui, tenendum eſſet non omnem per ſe eſſe ſimpliciter neceſſariam. Ratio eſt, quam ibi videas.

22. Octavò identicam propoſitionem proprie non eſſe per ſe notam. Ratio facilis eſt, quia non eſt ex terminis nota, quum non habeat plures terminos; ſed unum repetitum.

Dices idem ille aliquo modo eſt plures, quia eſt ſubjectum & prædicatum. Reſpondeo eo modo, quo ille unus eſt plures propoſitionem non eſſe veram nec enim ſubjectum eſt prædicatum quatenùs ſubjectum diſtinguitur à prædicato.

23. Ultimò propoſitiones negativas ſive ſimplices ſive diſtinctas, quando ſunt diverſorum generum eſſe per ſe notas, quomodocumque formentur. Hanc nolunt abſolutè concedere Recentiores: dicunt enim hanc, Homo non eſt linea: non eſſe per ſe notam, quia demonſtrari poteſt per hoc quòd non ſit quantitas aut accidens. Sed oſtendi in dictis eos non probè philoſophari, quia tam ſequitur ad hominem negatio cujuslibet ſpeciei quantitatis, quàm generis, & tam apparet intellectui illorum repugnantia; imò paulò magis illa ſpecierum, quia hæ ſunt magis notæ nobis, cùm intellectio generum egeat abſtractionibus metaphyſicis quam omnes non callent. Itaque hæ. Homo non eſt lapis, lapis non eſt aſinus: aſinus aut eſt angelus aut non eſt angelus, *&c.* ſunt egregiè per ſe notæ; in quo ſit finis ſecundæ partis logicæ & Scoti defenſi per Chriſtum Dominum noſtrum, 17. Octobris 16,8.

De his ſcripſerunt

Ariſt. 1. *Perib. c. 5. & lib. 2. c. 1. & 1. poſt. tex.* 6. Averroës cum ipſo *ibid.* Boëtius *in editione 2. lib. Perib.* Alex. Aphrodiſ. *in comment. prim. Perib.* Abert. *tract. de oppoſ. c. 1.* S. Auguſt. *tom. 1. lib. 3. contra academicos c. 13.* Alenſ. 5. *Met.* 25. S. Thom. *opuſc. 48. tract. de interpret c. 8. & in 1. Peribe. ſect. 5.* & 1. *part. q. 2. art. 1.* Lyran. *in cap. 5. exod.* Abulenſis *ibid.* Bagolinus *in ſuis annotat. ad primum Prior.* Burana *in cap ſecundum ejusdem & in 1. d. 3. q. 4.* Ock. 2. *p. Log. cap.* 21. Tartaret. *in expoſitione c. 3. Prior. & 1. p q. 2. art* 1. Greg. Arim. 1. *d.* 2. *q.* 2. Gab. in Ock. Alias etiam ibidem *q. 3.* Lychet. 1. *d. 2.* Ferrar. 1. *contr gent. c.* 11. Herveus *ibid.* Dur. 1. *d. & q. 3.* Ægid. 1. *d. 3. q. 2.*

Pet. Hiſpan. *tract.* 1. *ſum.* Tavell. Sotus. Titelman. *ib.* Fonſeca etiam *lib. 3. cap. 6. 8. 10. & lib 5. Met. c. 8. q. 7. ſect. 2.* Niphus *lib. 2. Perih & 2. Prior c. 18.* Burlæus *ibid.* Capr. 1. *d. 2. & q. 2.* Flandria 1. *Poſt. q. 10. ar 2.* Suar. *tom 2. Met diſp. 45.* Gonzales 1. *p. log. vocal. d. 2. q. 3.* Complut. *lib. 2. ſumul. c. 7.* Amicus *tract 21. q. 2 diſp 3* Conymb. *in cap. 5. & 8. 1. Perih* Riccius 1. *Pr. c 3.* Molin. 1 *p q. 2. ar. 1.* Briſen. *in 1.* Scot *contr. 1.* Recupitus *in 1. p. diſp.* Vaſq 1. *p. diſp* Bern. Mouſſ. Ibern. *in 1. Prior. c. 2 dub. 1.* Averſa *lib tr 3. inſtitut. cap. 5.* Poncius, Maſtrius, Hurtad, Arnag. Oviedo, Summuliſtæ *propriis & obviis locis.*

Apologiæ in libros Analiticorum Ariſtotelis.

APOLOGIA I.

De conſequentia & diſcurſu.

ACTIO I.

Deffinit terminum.

ACTIO II.

Explicat, quid ſit conſequentia? Quid ex quo colligi poſſit? Vbi expenduntur communes regulæ Logicorum.

ACTIO III.

Vtrum diſcurſus requirat plures actus, nec ne?

ACTIO IV.

Vtrum requirat tres actus? ſive, an ſolus ſyllogiſmus ſit formalis diſcurſus, nec ne?

ACTIO V.

Vtrum diſcurſus ſit operatio intellectûs ſpecie diſtincta ab aliis duabus ſimplici appræhenſione & judicio, nec ne?

ACTIO VI.

An converſio ſit conſequentia formalis?

Scot. 1. Pr. q. 10. n. 11.

QUantum ad tertium ponuntur concluſiones. Prima eſt, quòd quando ad antecedens ſequitur conſequens, non opportet quòd ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitum contrarium antecedentis, etſi ſequatur, tamen hoc non ſufficit ad bonitatem conſequentiæ. Quantum ad quartum eſt prima concluſio quòd ad quamlibet propoſitionem implicantem contradictionem de forma ſequitur quælibet alia propoſitio in conſequentia formali.

Idem ibidem q. 12. n. 2.

TErtia concluſio, quòd de omni ſyllogiſmo eſt ſcientia tanquam de re ſignata per ſubjectum concluſionis. Probatur, quia omni ſyllogiſmo conveniunt proprietates demonſtratæ de ſyllogiſmo in iſto libro, ut puta fore ex tribus terminis, ex duabus propoſitionibus, & ſic de aliis proprietatibus oſtenſis in iſto libro.

ACTIO I.

Definit terminum.

Breviarium.

N. 1. *Expenditur Ariſtotelis definitio de termino atque alia authoris.*
2. *Vrgens objectio contra utramque ſolvitur ſuo modo.*
3. *Adſertur alia definitio: Impugnatur & defenditur.*
4. *Repræſentata doctrina aliquorum Recentiorum de diviſione ac deffinitione termini.*
5. *An vox non ſignificativa ſit terminus? negatur.*
6. *Objectio contra hæc: ſolvitur.*

1. NEc tamen id facile factu eſt, quod mireris, quum terminus ſit minimum & indiviſibile quoddam in logica ſcriptura. Ariſt. olim definivit eum, quòd ſit, *in quem reſolvitur propoſitio, ut prædicatum, & id de quo prædicatur, appoſito vel ſeparato eſſe vel non eſſe.* Quam definitionem facillimum eſſet repræhendere ſi conſtaret voluiſſe Ariſtotelem quòd tota illa oratio eſſet definitio. At enim prætendi poteſt quòd definitio claudatur in ly *propoſitio*, ſequentiæ autem ſint exemplum definitionis non pars. Sed nec ſic quidem evadit, nam adhuc eſt per poſterius, quum certum ſit dari aliquid in termino, ſive aliquid competere ipſi priùs reſolutione utique enim compoſitio propoſitionis prior eſt reſolutione ejus, & ſine dubio terminus componit, adeòque. Nec quidquam facit quod ad hoc reſpondent Recent. *(a)* ſcilicet terminum dici à terminando reſolutionem, non verò à terminando compoſitionem nam vertant ſe quò volent, nunquam efficient quin componere propoſitionem ſit priùs in termino, quàm terminare reſolutionem ejus, cùm impoſſibile ſit aliquid terminare reſolutionem aut deſtructionem ejus cujùs compoſitionem non ingreditur & quidem antecedenter, nam diſſolutio non poteſt eſſe aut intelligi niſi alicujus compoſiti.

(a) Conymb. *lib.* 1. *Prior. cap.* 1.

Alias definitiones ſequentium invenias relatas & refutatas apud Recentes. Definivi ipſe olim terminum, quòd ſit *extremum propoſitionis*, cui tamen objeci, quòd mala eſſet, quia tradita eſt per poſterius, ſcilicet per propoſitionē, quæ ſine dubio poſterior eſt termino quum hic ſit pars, atque ita quaſi cauſa ejus. Sed non credo illam deficere ex eo capite, quòd ſi defectus ſit, non tamen eſt definitionis defectus, ſed definiti, nam nullum extremum poteſt intelligi, (ut nec eſſe) ſine alio, vel independenter ab omni alio, quum eſſentialiter ſit alterius. Confirmo exemplo adhuc fortiori; nam materia prima eſt quid abſolutum & tamen definitur per compoſitum quod eodem jure poſterius eſt ipſa, quanto magis terminus qui eſt quid relativum ut ſonat? ſed meliùs adduxiſſem in confirmationem hujus τὸ principium (quia reſpondet velut è regione termino) quod ſine dubio definiri poteſt, & tenetur: exactè definitum ab Ariſtotele, nec tàmen definitum eſt niſi per principatum, ergo. Melius

2. Objiceremmihi atq; etiam aliis, ut Ariſt. hunc diſcurſum, quo motus ſum contra omnes ferè aliorum definitiones. Exiſtimo enim quòd terminus nō ſit pars propoſitionis omnino, quo poſito ruunt omnes ferè hactenus adductæ definitiones termini nam ſic nec eſt extremū propoſitionis, neq; pars *propoſitionis* neq; *id in quod reſolvitur propoſitio* neq; ſignum conſtitutivum ejus ut patet. Aſſumptum autem ſive terminum non eſſe partem propoſitionis inde mihi perſuaſi: Quia propoſitio propriè & ſimpliciter eſt illa mentalis (vocalis enim & ſcripta eatenus tantùm ſunt propoſitiones quatenus ſigna mentalium) At verò in illis mentalibus terminus non eſt pars, quum illæ non habeant partes quia ſunt indiviſibiles.

Reſponderi mihi poteſt, quòd eſſe illas indiviſibiles non neget illis partes, adhuc enim conſtant genere & differentiâ quæ ſunt earum partes, ſicut etiam hæc ſunt partes ipſius animæ aut angeli; ſed non premor hâc replicâ, quia partes abſolutè ſumptæ ſignificant phyſicas aut integrales ſive diſtinctas realiter, & ſine dubio, qui volunt terminos eſſe partes propoſitionis, intelligunt de hujuſmodi partibus ut patet apud Ariſt. in *terminare reſolutionem* non enim poteſt quidquam diſſolvi in alias illas partes, puta in metaphyſicas aut logicas, tum quia etſi demus propoſitionem mentalem habere huiuſmodi partes, nō tamen dabimus proinde eam habere terminos aut extrema quia hæc non cadunt in rem ſpiritualem & indiviſibilem, cùm ibi unum non ſit extra aliud, adeòq; nec extremum nec medium. Denique certiſſimum eſt prædicatum & ſubjectum non eſſe genus & differentiam propoſitionis.

Urgeo diſcurſum, quia propoſitio mentalis conſiſtit propriè in eo, quod reſpondet copulæ *eſt*; nam propoſitio mentalis eſt affirmatio aut negatio quorum utrumque exercetur propriè per *eſt* atq; adeò licèt aliquis actus mentalis poſſit habere partes, non tamen affirmatio aut propoſitio, & ſicut res affirmata non eſt pars affirmationis ſed terminus ejus, ita nec ſubjectum aut prædicatum eſt pars propoſitionis.

Exiſtimo tamen retineri poſſe definitionem datam in illis terminis, ſed in alio ſenſu. Poterit ergo definiri terminus, quòd ſit extremum propoſitionis, vel etiam terminus ejus dummodo intelligatur eſſe illius tanquam relativi aut relationis, non verò illius tanquam compoſiti. Quia enim (ut dixi) propoſitio eſt affirmatio, termini ejus hinc inde erunt ea ad quod terminatur ipſa tanquam referentia quædam aut unio unius ad aliud; ſic autem terminatur ad duo illa id eſt, unum id *quod* affirmatur, aliud id *de quo* affirmatur.

3. Poterit etiam deffiniri aliter terminus juxta deffinitionem propoſitionis ſeu Enunciationis, quam ſuprà dedimus ſuo loco ut ſit.

Quod

Quod judicatur per propoſitionem: quia enim propoſitio, ut abſtrahit ab affirmativa & negativa rectè dicitur judicium, proinde & conſequenter terminus rectè dicetur quid judicatum.

Contra unam definitionem ex ſuperioribus illam terminus propoſitionis facit, quòd manifeſtè ſit identica ſive ejuſdem per ſe ipſam, definio enim terminum per terminū vel extremum quod eodē redit, & eſt definitum. Sed facilè eſt ſatisfacere ſeu dare rationem cur hoc non vitioſè fiat in præſenti, quia nimirum non quæritur de ratione termini ut ſic, ſed de ratione termini logici adeòq; nō notificatur ignotum per ignotum aut idem per ſe, quum ratio termini omnino non fuerit explicanda aut obſcura, ſed ratio termini talis. Melius

Objici poteſt contra ultimam deffinitionem, quòd conveniat copulæ, hæc autem non eſt terminus, ergo. Major probatur, quia copula judicatur; quum enim enuncio parietem eſſe album, ſic dicendo: paries eſt albus; affirmo unionem parietis & albedinis, imò illa eſt quæ propriè affirmatur, non autem paries ipſe, aut albedo, ſupponimus autem unionem non eſſe terminum, ergo. Reſpondeo tamen negando majorem, & ad probationem ejus dico unionem enunciari *ut quo* nō verò ut *quod*. Inſtabis: ſaltèm hoc ipſum addendum fuit definitioni, atq; adeò aliquid interim ei deeſt. Nego hæc, quia affirmari aut judicari abſolutè poſitum ſtat pro affirmatis *ut quod*.

Inſtabis iterum acriùs, quia affirmatio & propoſitio reſpondet directè *τὸ eſt*, huic autem *τὸ eſt* reſpondet tanquam objectum ut *quod* ipſa unio & copula extremorum, ergo unio affirmatur: ut *quod* nō tantum ut *quo* quod negavi. Reſpondeo, totum ferè verum eſt, ſed nihil nocet, quin potius eſt in oppoſitū, & pro concluſione contra arguentem, nam etiā ipſa propoſitio, ſeu enunciatio non enunciatur niſi ut quo: ſi ergo *eſt* aut quæcumq; ſit copula reſpondet propoſitioni, jam judicata & affirmata eſt tantùm ut quo.

Confirmo jam horum occaſione doctrinam traditam, quia licèt in propoſitione quacumque importetur unio prædicati cum ſubjecto, tamen non affirmatur unio, ſive non prædicatur exiſtentia de ipſa ſed nec ipſa de aliquo alio: v.g. in exemplo dato, quum dicitur, paries eſt albus, non prædicatur propriè exiſtentia de unione, alioquin illa eſſet ſynonyma huic; unio albedinis ad parietem exiſtit, nec dicitur ipſa tanquam quid de alio, alioquin propoſitio illa eſſet ſynonyma huic: Albedo eſt affecta unione: quod eſt falſum, quum in prima propoſitione paries fuerit ſubjectum, hic autem non, ſed albedo, quæ fuit ibi prædicatum, & prædicatum hic unio quæ ibi fuit copula.

Probari etiam debet cuilibet definitio illa termini, quia convenit omni, complectitur enim tam cathegoricos terminos, quàm hypotheticos, quos aliæ omiſerunt ſed malè, cùm conſtet hypotheticas propoſitiones verè propoſitiones eſſe, adeòq, veris terminis conſtare. Eſſe hypotheticam propriè propoſitionem, probatur quia propriè eſt affirmatio, eſt judicium, eſt affecta veritate & falſitate, etiam ut diſtinguitur à Cathegorica: hæc enim; *quia homo eſt riſibilis eſt rationalis*, affirmat aliquid præterquam quod affirmatur ulla cathegorica ex illis, immo etiam ultra id quod affirmatur utrâq; præterea aliquando ſingulæ cathegoricæ ſunt veræ ipſa autem eſt falſa, adeòque habet eam affirmationem ratione ſui, ut aliud eſt ab omnibus & ſingulis cathegoricis, propter quæ

4. Reprobandi ſunt, qui (*b*) terminum definiunt ſubjecto & prædicato; ſive, qui dicunt (b) Ponc. cap. 1. ſeg. parti.
eum adæquatè dividi in duo illa, quum latiùs pateat illis; nam hypothetica habet terminos, non tamen ſubjectum aut prædicatum disjunctivè; tum quia disjunctio relinquit intellectum ſuſpenſum, definitio autem debet relinquere quietum ac fixū tum quia terminus eſt quid ſuperius ad ſubjectum & prædicatum non rectè autem definitur ſuperius per disjunctionem inferiorum. An enim rectè definias ens per eſſe Deum aut creaturam, ſubſtantiam per ſpiritum vel corpus, cùm in his & ſimilibꝰ pro uno ignoto adferantur mihi duo, inſigne ſubſidium ad intelligendas naturas rerum. Deniq; hîc ipſe alibi (c) cap. 10 n. 1.
rejicit veterem definitionem propoſitionis: Oratio in qua aliquid affirmatur vel negatur de alio quia disjunctiva eſt; & illud: *ſubjectum vel prædicatum* an non disjunctio eſt? contra quam facit non parum ratio, quam hactenus aliquoties attuli, & ille ibidem deſcripſit, quia in definitionibus loco generis poteſt poni definitio ejus ex doctrina Philoſophi, id autem ſi hic fiat, tum definitionem ſubjecti incipiemus hoc modo: ſubjectum eſt ſubjectum vel prædicatum, præclarum principium definitionis explicantis idem per ſe, & quidem certum per incertum; Sequela hujus patet quia genus ſubjecti eſt terminus; loco cujus ſi voluerimus ponere ejus definitionem, dicemus ut ſuprà. Addo ultimum hoc in condemnationem hujus doctrinæ, quia ſic poterimus quodlibet per quodlibet, quantumvis diſparatum, aut etiam oppoſitum definire ſi ſemel aperiatur hæc porta deſcribendi res per disjunctiones, dicam enim quòd homo ſit animal rationale vel triremis; quod nemo negare poteſt, & quum nihil minùs ſit quàm definitio, tamen obſervat regulas jam aſſignatas.

5. Quæritur hîc quotidie, utrum vox non ſignificativa ſit terminus? & reſpondetur plerumque affirmanter, nec immeritò propter rationes, quæ ſatis valentes adferuntur, & nominatim ipſa experientia in hac propoſitione: Blittiri eſt vox non ſignificativa; in qua tam ſubjectum quàm prædicatum eſt vox non ſignificativa, ſaltèm ſubjectum practicè & in effectu tale eſt, adeòque.

Nec quiſquam objiciat *τὸ blittiri* ſupponere ibi materialiter, & ſignificare ſe ipſam, nam ad propoſitiones ſufficiūt ejuſmodi termini, quod

Confirmo per hanc. Curro, diſſyllaba vox eſt, ubi *curro* accipitur non ſignificanter, & non ſolùm, ut caret ſignificatione, ſed etiam ut excludit eam, aliàs enim eſſet falſiſſima, quum curſus naturalis non ſit omnino vox nec diſſyllaba nec alia. His tamen non obſtantibus, ſaltèm exercitii gratiâ

Suſtineo vocem ſignificativam nequaquam eſſe terminum. Hæc eſt ferè contra omnes. ſed ſuadetur ſic: quia repugnat propoſitioni eſſe non ſignificativam, ergo & terminum. Hic enim, cùm ſit pars illius debet ſubire naturam ejus, & apparet in terminis impoſſibile quod ſignificativum componatur ex non ſignificativis. Antecedens eſt omnium & meritò tum quia aliàs non eſſet vera vel falſa, tum quia (quod

Digitized by Google

quidē has regulas nō dubito habere experimentum ſuæ veritatis, & probari poſſe, atq; ita tyronibus tradendas, ſed an univerſaliter ita ſe habeant, ut ſonant, an verò patiantur exceptionem. Conabor in ſequentibus declarare, & incipiendo à magis principali, quæ eſt ultima.

Principalis regula veterum logicorum corrigitur ſecundùm Scotum.

2. Dico primò regulam, ut ſonat non eſſe univerſaliter veram; ſive non ſufficere ad bonam conſequentiam, quod ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitum antecedentis. Ita ſubtiliter reſolvit & probat *num.* 181. *Pr. q.* 10.

Probatio: Si in qualibet bona conſequentia ex oppoſito conſequentis ſequeretur oppoſitum antecedentis, ita ut hic ſit character bonæ conſequentiæ ut volunt ſummuliſtæ, tunc licebit dicere, quod quandocumque ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis conſequentia ſit bona; conſequens hoc eſt falſum, ſed ſequela ejus probatur, quia eſſentiæ & paſſiones reciprocari poſſunt & converti ſimpliciter: quia enim rationale eſt eſſentia hominis & riſibile, paſſio, ſicut valet, omnis homo eſt rationalis vel riſibilis; ita valet, omne riſibile eſt homo, omne rationale eſt homo. Falſitas conſequentis ſic oſtenditur; quia converſio ſimplex univerſalis affirmativæ, hoc eſt in univerſalem affirmativam eſt mala conſequentia : & tamen in ea ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis, ergo. Major hujus probatur, non enim valet : Omnis homo eſt animal ergo omne animal eſt homo; & tamen accipiendo oppoſitum conſequentis inde ſtatim inferri poteſt oppoſitum antecedentis, ut patet hic, conſequens enim fuit: Omne animal eſt homo oppoſitum hujus eſt nullum animal eſt homo ex quo facile colligitur oppoſitum antecedentis per regulam Philoſophi 1. *Pr.* 2. quia enim univerſalis negativa convertitur ſimpliciter ſequitur, nullum animal eſt homo, ergo nullus homo eſt animal, hæc autem, nullus homo eſt animal, eſt oppoſitum illius, omnis homo eſt animal, quæ fuit antecedens, atque ita in mala conſequentia ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis quod fuit probandum.

3. Hæc ratio demonſtrat intentum, ut vides. Audent tamen ſummuliſtæ repugnare ei, & contendere, quòd adhuc regula totum valeat, quia non ſequitur ex oppoſito contradictorio conſequentis oppoſitum contradictorium antecedentis. Sed nemo non videt hanc excuſationem ſeram & inane eſſe: nam repugnantia univerſalis affirmativæ & univerſalis negativæ de iiſdem terminis, licèt non ſit contradictoria non proinde deſinit eſſe oppoſitio, alioquin enim cur non poſſunt illæ ſimul verificari? ſed penitus decollat hanc ſolutionem doctrina ſuprà tradita *Apol* 4 *actione* 1. quod inter oppoſitiones propoſitionum maxima ſit contraria, quo poſito clarum eſt ly oppoſitum abſolutè dictum ſtare pro contrariè oppoſito, atque ita, illam regulam eſſe abſolutè falſam.

Idem patet in hac alia inſtantia: Valet enim, omnis homo eſt albus : ergo aliquis homo eſt albus, cùm ſit ab univerſali ad particulare, & tamen oppoſitum conſequentis non infert univerſaliter oppoſitum antecedentis, non enim valet, *non aliquis homo eſt albus*; ergo non omnis homo eſt albus quia poteſt antecedens eſſe verum abſque eo quod conſequens ſit neceſſariò verum. Si enim ponamus omnes homines eſſe albos, & præterea equum, verum erit quòd, non aliquis homo ſit albus (quia equus eſt non aliquis homo) & tamen non proinde verum erit, quòd non omnis homo ſit albus, quum albedo equi non impediat hominum dealbationem.

Video, quid à ſummuliſtis hìc reſponderi poteſt, & eſt illud *non aliquis* æquipollere *nullus*, ut probatur ex ſignis æquipollentiæ ſuprà *Ap.* 4. *act.* 3. at verò ex hac, nullus homo eſt albus, ſtatim ſequitur, non omnis homo eſt albus. Sed fac ita eſſe. Scilicet oppoſitum hujus, aliquis homo eſt albus eſſe hanc, nullus homo eſt albus, hac: nullus homo eſt albus, ſtatim ſequitur, non omnis homo eſt albus. Audio & concedo totum, ſcilicet non contradici huic, aliquis homo eſt albus niſi per hanc, nullus homo eſt albus, ſed & illi non poſſunt negare quin hæc non aliquis homo eſt albus, opponatur aliquo modo illi, aliquis homo eſt albus, nec tamen ex illa ſequitur oppoſitum illius antecedentis, omnis homo eſt albus, ergo jam habeo quod intendi, ſcilicet non ſequi in bona conſequentia ex quolibet oppoſito conſequentis oppoſitum antecedentis, ſed duntaxat ex contradictorio.

Deinde ipſum, non aliquis homo eſt albus, contradictoriè opponitur huic, aliquis homo eſt albus, & tamen, ut vidimus non ſequitur ex ipſa oppoſitum illius antecedentis, ergo nec quidem ex tali oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis. Antecedens patet ex regulis æquipollentiæ, ubi iſta ponuntur tanquam ſynonyma non aliquis, *nullus*, at verò hæc *nullus homo eſt albus* contradictoriè opponitur huic, *aliquis homo eſt albus* ergo & huic, *non aliquis homo eſt albus* Sed hæc replica nimiùm probat, certū eſt enim quod ex oppoſito contradictorio conſequentis ſequatur oppoſitū antecedentis. atq; ita nobis etiā ſolvenda eſt, quod & faciam; oſtendam enim ſolvi poſſe ut facit contra oppoſitionem contradictoriā, non tamen ut facit contra oppoſitionē abſolutè, atq; ita tenendā eſſe doctoris ſententiam, quod non ſufficit ad bonitatem conſequentiæ ſi ex quocumque oppoſito conſequentis inferatur oppoſitum antecedentis. Cenſeo ergo hanc *non aliquis homo* facere illum ſenſum, *nullus h mo* atque ita non poſſe prædicari de equo, & proinde argumentum non procedere contra hunc ſenſum ut ſuprà oſtenſum eſt, quia facit ſenſum contradictorium. At verò *non aliquis* poteſt facere alium ſenſum, ab iſto negativo ſenſu, ſcilicet infinitum, quomodo dici poteſt de equo, & hoc modo certum eſt quod opponatur huic ſincathegorematì, *aliquis homo*, & in hoc ſenſu dici poteſt de equo, neque ex oppoſito ejus ſequitur oppoſitum antecedentis, atque adeo datur, etiam in hac ipſa materia caſus in quo ex oppoſito conſequentis non ſequitur oppoſitum antecedentis, quod fuit proban- d m

4. Adferam huc tertiam inſtantiam. & ſit iſta: Ponatur omnes enunciationes deſiviſſe

militer veritas ejus, nam ſi conſequens ſit verum, debet conſequens illud eſſe, ſi autem conſequens ſit, jam antecedens deſinit eſſe verum, quia ſcilicet jam datur aliqua propoſitio particularis, quæ eſt ipſum conſequens, atque ita non omnis propoſitio eſt univerſalis ut dicebat antecedens.

Dici tamen poteſt contra priorem probationem ſenſum illius reſponſionis eſſe, quòd conſequens debeat eſſe verum, non ſolùm cum antecedente ſed propter ipſum, quod non contingit in caſu illo aſſignato; non enim propterea currens movetur quia muſcæ ſunt mortales. At enim plus dici poſſet contra hanc ſolutionem; ſi enim vera eſt, jam demonſtratio *quia* non eſt formalis conſequentia. Item, ſi vera eſt, jam à ſubalternante ad ſubalternatam, ſive ab univerſali ad ſuam particularem non valet conſequentia; probatur primũ illud: nam in demonſtratione *quia* conſequens non eſt verũ propter antecedens, ſed vice versâ alioquin non eſſet demonſtratio *quia*, ſed *propter quid*. Secundum etiam, quia particularis non eſt vera ſemper propter univerſalem, ſed è contra ſæpe; in inductione enim particularia ſunt cauſa univerſalis, non è contra, ideo enim omnis homo peccat, quia hic & iſte, peccat, non è contra. Dices hic non colligi univerſalem ex particulari aliqua, ſed ex omnibus. Reſpondeo hoc ipſum ſufficit ad propoſitum; poſſum enim adhuc in bona conſequentia colligere: omnis homo peccat, ergo hic homo peccat, ut alia omittam, & tamen conſequens non eſt verum propter antecedens, ſed è contra.

Videor tamen mihi ſolvere poſſe ſecundam illam probationem (quæ tangitur à Doct. citato) negando aſſumptum, & ad probationem dico ex eo, quòd omnis propoſitio ſit univerſalis, bene ſequi, òd aliqua talis ſit ex parte objectorum, non ex parte ſignorum; quæ diſtinctio intelligetur ſi ponatur non fuiſſe formata illa conſequentia ſive particularis illa propoſitio: aliqua propoſitio eſt univerſalis; nam licèt non fuiſſet formata, tamen objectum ejus ſic ſe haberet tum ſicut dicitur per ipſam, atque ita eſſet veritas objectiva ejus, licèt non veritas ſignificativa non enim ideo res ſic ſe habent, quia enunciantur ſic eſſe, ſed è contra. Aliter diſtingui poteſt de propoſitione univerſali in actu exercito & in actu ſignato.

Dici tamen adhuc poteſt pro ratione ſuprà poſita, quòd licèt utraque diſtinctio hìc data veræ ſint & locum habeant, tamen etiam verum eſt quòd Logici hìc docent nullum verum repugnare alteri vero, aut deſtruere ipſum, ſed hæc particularis quæ vera eſt deſtruit veritatem univerſalis, quum enim formatur hæc, *aliqua propoſitio eſt univerſalis*, deſinunt omnes propoſitiones eſſe univerſalis, quia hæc eſt particularis, ergo. Puto tamen reperi poſſe ſolutionem illam de veritate objectiva & formali, etſi non dubitem adhuc replicari poſſe, quod hæc veritas formalis ſive ſignificativa reddi poteſt objectiva ſi formaretur alia propoſitio, cujus hæc ſit objectum, ſed expedit hæc acumina truncare, ne tempus terant, ſemper enim renaſcuntur, & ſe invicem ferunt: pergamus ergo ad alium modum. Reſponderi enim poteſt & ſolet tunc eſſe bonam conſequentiam quando ex oppoſito conſequentis, ſequitur oppoſitum antecedentis. Sed præter ea, quæ ſuprà notavi circa hæc, peccat communi & quaſi originali peccato in hac materia de reditu in idem, namq; hoc ipſum eſt, quod ſcire volumus quid ſit aliquid ſequi ſive ex oppoſito antecedentis, ſive ex alio. Itaque relicto hoc & aliis ſimilibus modis.

Reſolutio controverſiæ.

8. Dicendum eſt primò conſequentiam alicujus ex alio, ſive ſequi hoc ex illo, dicere, quod ſi conſequens non ſit poſito antecedenti, tum deſtruetur aliquod prædicatum ipſius antecedentis.

Deinde dicendum, quòd nota bonæ conſequentiæ ſit iſta, quod ſcilicet antecedente & conſequente ſimul ſumptis impoſſibile eſt antecedens eſſe verum niſi conſequens tale ſit.

Tertiò tenendum eſt conſequentiam ipſam formaliter conſiſtere in illo ſyncathegoremate illativo *ergo* aut ſimili: Loquor de *ergo* intentionali, ſeu de eo, quod in intellectu inferentis reſpondet voci *ergo*, quod autem reſpondet ei, eſt, hoc ex illo ſequi: ex quo vides quàm meritò inter reſpondendum negatur conſequentia, quia ſcilicet per conſequentiam aliquid affirmatur, affirmatur enim implicitè hoc ex illo ſequi, per quod breviter declarata manet tertia hæc concluſio.

Prima autem ex his tribus inductione vel exemplo probanda eſt, nam hæc, *paries eſt albus, ergo coloratus*, ideo valet, quia ſi negetur conſequens aut deſtruatur, deſtruetur etiam aliquid antecedentis ſcilicet coloratum quod eſt genus albi, & ſic de aliis, nam etiam in paſſionibus idipſum eſt, hæc enim, eſt homo, ergo eſt riſibilis; ideo valet quia, quum homo pro toto vel pro parte ſui ſit cauſa naturalis riſibilitatis, ſi deſineret cauſare vel emanare (ut ſic dicam) riſibilitatem, deſineret eſſe, quod eſt, ſeu eſſe talis naturæ; & ſic de aliis. Denique tam hæc, quàm ſequens, patent ex refutationibus aliorum modorum dicendi ſuprà poſitis. Sed

Objicies contra ſecundam, conſequentiam illam Omnes propoſitiones ſunt univerſales, ergo aliqua eſt univerſalis: ut ſuprà. Reſpondeo conſequentiam illam non procedere hic, ſicut ſuprà, ſed potius probare hanc concluſionem contra illam: nam ſi ſimul ſumantur antecedens & conſequens, certè non poterit unum eſſe verum abſque altero, quia nimirum ſi ſimul ſumantur, tum antecedens erit falſum, nam poſitâ hâc propoſitione, *aliqua propoſitio eſt univerſalis* in aliquo inſtante, non poteſt in illo inſtanti verum eſſe, quod omnis propoſitio tunc exiſtens ſit univerſalis, quum ponamus pro illo inſtanti exiſtere hanc quæ eſt particularis, de reliquo hujus materiæ ſit.

Digitized by

ACTIO III.

Vtrum diſcurſus requirat plures actus, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Calumnia quorundam in Scotum detegitur.*
2. *Reſolutio diſtincta in duas partes, probatur 1. negativa.*
3. *Alia ratio ejuſdem.*
4. *Probatur, quod non neceſſariò ſimpliciter requiritur pluralitas actuum.*
5. *Objectio prima: An ſufficiant ubique terminationes plures pro totidem actibus?*
6. *Alia Objectio in idipſum. Cur Deus non diſcurrat?*
7. *Tertia: An voluntas attingat unum propter aliud eodem actu?*
8. *An cognitio paſſionum in verbo ſit diſcurſiva?*
9. *Ob ultima. Quomodo fides non diſcurrat?*
10. *Differentia diſcurſûs intellectualis & organici.*

Scoti ſententia; Aliorum impoſtura.

1. Mirum eſt, quantâ concordiâ Thomiſtæ ferè omnes adſcribant Scoto opinionem quam non opinatur G. Vaſq. 1. *p* *diſp.* 4. Barthol. Amicus *tr.* 23. *in lib. Prior.* Coll. Conymb. 16. *q.* 2. & alii conſtanter omnes ſcribunt Scotum exiſtimaſſe, quod ad rationem diſcurſûs non requirantur plures actus, ſed ſufficiat unus, qui virtualiter plures ſit, eo quòd per illam cognoſcantur plura, quorum unum videatur cauſari ab alio ſeu emanare ab illo. Ita illi ſequuti Cajetan. 1. *p.* *q.* 58. *art.* 3. qui videtur primus hujus tabulæ author, nempe ubi pro hoc Scotus citatus nil tale habet ſcilicet *q.* 3 *prol.* *q.* 4. Latter. Ecce textum ibidem *n.* 27. *Vtrum autem ſcientia ſit quantum ad quartam conditionem* (diſcurſus) *in intellectu beatorum? dubium eſt, & videtur quod non per Auguſtinum 15. tr. c.* 16. Fortaſſe non erunt ibi volubiles noſtræ cogitationes ab aliis in alia euntes atq; redeuntes, ſed ſcientiã noſtram unico intuitu videbimus, *ergo intellectus beatorum non diſcurrit. Sed oppoſitum videtur quia quidditas ſubjecti in quocumq; lumine videtur continet virtualiter veritates quas poteſt facere notas intellectui paſſivo à tali objecto. Si igitur quidditas lineæ viſa in lumine naturali poteſt notas facere veritates in ſe incluſas intellectui noſtro, pari ratione, & ut viſa in eſſentia divina, ſed omnis veritas cauſata in intellectu noſtro, per aliquid prius naturaliter notum cauſatur per diſcurſum, quia diſcurſus non requirit ſucceſſionem temporis, ſed ordinem naturæ, ſcilicet quod principium diſcurſus ſit naturaliter prius notum, & ut ſit cauſativum alterius extremi diſcurſus.* Hæc Scotus; & ubi ille actus unicus apud ipſum qui ſit ſcientia? ubi diſcurſus ſine pluralitate cognitionum? Ego autem hic manifeſtè video oppoſitum. Dicit enim, quod ille in beatis (in quibus putatur ab Thomiſtis ponere diſcurſum ſine pluralitate actuum) linea ſic cauſat cognitionem ſuæ paſſionis ſicut cauſat in viatoribus, ſive quando videtur lumine naturali; Certum autem ſecundum ipſum eſt, quod in viatoribus cognitio paſſionum lineæ ex eſſentia ſeu definitione ejus ſit diſcurſiva, ergo. Deinde ſolvit authoritatem illam Aug. dicentis non fore ibi volubiles cogitationes ab aliis in alia euntes adeòque non ſentit ipſe quoad hoc cum Auguſtino in hujuſmodi caſu fore unicum intuitum. Denique dicit cognitionem paſſionis habitam ex cognitione eſſentiæ eſſe veritatem cauſatam, cauſa autem ſecundum ipſum & omnes, certiſſimè eſt aliud realiter à cauſato. Itaque mala fide refertur in hac materia D. & priori carpitur, de quo ſtatim rectius Averſa (*a*) hoc loco citavit Doctorem pro illa ſententia, quæ tenet non eſſe de ratione diſcurſus, ut habeat plures actus ſuccedentes ſibi tempore aut duratione, ſed poſſe aſſenſus antecedentis, & conſequentis ſimul eſſe. Pro illa autem quæ omnino negat neceſſitatem actuum citaſſent Thomiſtæ *Durand.* (b) *Soncin.* (c) & ex parte *Fonſecam.* (d) ad rem ipſam accedendo.

Vaſques. Amicus. Conymb. Cajetan. Scot.

(a) *q.* 25. *Logic. ſect.* 2.
(b) 2. *d.* 38, *q.* 13.
(c) 6. *Metaph. q.* 10.
(d) 6. *Metaph. c.* 1.

Reſolutio controverſiæ negativa.

2. Dico primò: In quocumque noſtro diſcurſu ſemper interveniunt plures & diſtincti actus ac aſcenſus; & ad ſervandam proprietatem ſeu rigorem diſcurſus in nobis neceſſe eſt eos intervenire; aliàs autem ſufficit unus, nec requiruntur abſolutâ neceſſitate plures actus ad diſcurrendum. Hæc eſt Duran. ſuprà non auſim pro ea Doctorem citare, & tamen quiſquam Recentior non ſolum ipſum Scotum, ſed rationem & integrum diſcurſum ejus pro hoc attulit; Vide Amicum cit.

Ad probationem hujus præmitto quæſtionem hanc, ſive totaliter, ſive certè ex magna parte eſſe de nomine, quid ſcilicet intelligendum ſit per vocabulum, diſcurſus, utrum cognitio alicujus ex alio prius cognito, quod præcognitum ducat in ſequentis cognitionem, an non, ſed aggregatio actuum, quorum unus alium cauſet? & verò ſi habeatur in caſu unius actus totum quod intervenit in aggregatione actuum fruſtra requireretur multitudo actuum; atque adeo realis quæſtio, quæ hic eſſe poteſt, eſt ad unum ex alio colligi poſſit uno actu? Jam

Probo primam partem, quia diſcurſus eſt motus quidam intellectûs, atque adeò eſt proceſſus ab uno termino ad alium, ergo jam oportet haberi in omni diſcurſu aliud & aliud, atq; ita non ſufficit unus actus. Hoc argumento liben-

libenter omnes utuntur. Reſponderi tamen poteſt diſcurſum eſſe ab uno objecto in aliud, non ab una cognitione in aliam, adeòq; ſequi hinc quòd requirantur ad ipſum plura objecta, non verò plures actus. Immò etiam verti poteſt in oppoſitum hæc etymologia ducta à diſcurſu materiali, ad hunc enim requiruntur plura loca, non verò plures motus, oſtendendũ eſt igitur quòd requirantur ad diſcurſum non ſolùm plura obiecta ſed plures cognitiones, quod ſic facio: Diſcurſus intellectus non fertur ab obiecto reali ad obiectum reale extra ſed ab obiecto intentionali ſeu cognito, atque adeo debent eſſe cognitiones plurium obiectorum, atque ita plures actus.

Dici poteſt hanc ultimam conſequentiam non ſequi, quia unus actus poteſt ferri in plura obiecta, imò ſic fertur omnis enunciatio, fertur enim in prædicatum & ſubiectum. Contra hoc arguo & probo requiri plures etiam cognitiones. Diſcurſus eſt non quæcumq; operatio intellectus ſed tertia & ultima, atque ita præſupponit plures operationes non quaſcumque, ſed plures actus qui ſunt in ordine ſecundæ operationis intellectus ſive iudicii: hæc autem ſunt plures actus & abſolutè plures cognitiones, ergo iam ad diſcurſum prærequiruntur plures cognitiones. Confirmo intentum à ſimili ſic: Secunda operatio præſupponit neceſſariò plures appræhenſiones quæ ſunt primæ operationes intellectûs ergo & 3. plures ſecundas operationes, patet enim paritas. Antecedens autem probatur, quia iudicium requirit appræhenſiones ſubiecti & prædicati. Atque hinc patet ad replicam principalem (quod non ſolum requiratur pluralitas obiectorum extrà inter quæ feratur diſcurſus tanquam motus inter terminos) quia non ſufficit ad iudicium, quod dentur extra duo aut plura obiecta realiter, ſed debent eſſe intra intellectum plures appræhenſiones eorum.

2. Probo ſecundò idipſum: In diſcurſu debet eſſe aliquid ab aliquo dependens, ſed non debet eſſe aliquid à ſe dependens, ergo debet eſſe aliquid ab alio dependens, atque ita iam debet dari aliud & aliud. Oſtenſum eſt autem quòd hæc ſint cognitiones. Et ne hæc ratio dicatur eſſe eadem cum præcedenti, aliter idipſum hic oſtendo; In diſcurſu conſequens dependet ab antecedenti, ſed obiectum conſequentis non ſemper dependet ab obiecto antecedentis, ergo plura illa, quæ concurrere debent ad diſcurſum ſunt cognitiones, non verò obiecta. Maior iam iam oſtendetur, minor autem patet in diſcurſu à poſteriori in quo ex effectu colligitur cauſa, non enim cauſa dependet ab effectu, Sed effectus à cauſa. Major jam probatur primò quia diſcurſus eſt oratio in qua aliquid eſt *eo* (e) *quod alia*; ut definit *Ariſt.* at verò quidquid habet eſſe eò quòd aliud habet eſſe dependenter ab illo. Secundò ſic; Ita ſe habet principium ſive præmiſſa in ſpeculativis ſicut finis in practicis, quod etiam docet idem Philoſophus; ſed finis eſt cauſa mediorum, ſive potiùs actus intentionis circa finem eſt cauſa actus electionis circa media ergo actus circa præmiſſam eſt cauſa actus circa concluſionem, atque ita eſt alius, & dependens ab illo.

Probatur 3. concluſio, quia diſcurſus quicumque formalis & legitimus neceſſariò habet tres terminos, duas extremitates & medium, ergo diſcurſus quicumque formalis neceſſariò habet duos actus, probo conſequentiam, quia ad unum actum non requiruntur tres termini, ſed ſufficiunt ſine dubio pauciores, ergo quidquid ex genere ſuo requirit plures tales, ex genere ſuo debet dicere plus quàm unum actum. Confirmatur, quia vis perfecti diſcurſus innititur illi principio. Quæcumque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe: at verò exercitium hujus principii non poteſt haberi per unum actum ſed neceſſariò involvit aliquando plus quàm duos, quod oſtendi facilè poteſt: illud enim principium ideo regulat ſyllogiſmum, quia in concluſione colligitur duas extremitates eſſe ſibi invicem identificatas aut unitas, eò quòd in præmiſſis oſtenſæ ſunt eſſe identificatæ aut unitæ medio termino; at verò hoc non poteſt fieri ſine pluribus etiam præmiſſis, atque ita addità concluſione quæ ſine dubio addenda eſt, in diſcurſu dari debent non ſolum tres termini, ſed tres cognitiones: hæc pro prima parte concluſionis.

4. Pro ſecunda autem ſive pro eo, quòd non neceſſariò ſimpliciter requirantur plures cognitiones ad diſcurſum, ſic arguo: Si ponamus unum actum terminari ad plura habebitur diſcurſus, hoc autem non eſt impoſſibile, ergo nec haberi diſcurſum cum uno actu. Major oſtenditur, ſi enim poteſt terminari ad plura, terminetur ad unum poſt ad aliud, & propter ipſum; tunc reddet ſubjectum ſuum ſcientem unum propter aliud, hoc autem eſt propriè diſcurrere, ergo. Confirmo & explico rem, quia multitudo actuum & univerſaliter quæcumque multitudo eſt impertinens ad ullum in ſpecie effectum, qui ſit alicujus perfectionis, ergo ſi habeatur totum quod dicit diſcurſus præter pluralitatem actuum, fruſtra requirentur ipſi plures actus. Antecedens autem probatur inſtantiis; quia palmus v. g. tantumdem loci occupat, & ſimiliter extenditur ſive ſit integer ſive dividatur in duos ſemipalmos: Potentiæ animæ, puta intellectus & voluntas, ſecundùm nos identificatur realiter tam ſibi invicem quàm animæ, ſecundùm Thomiſtas diſtinguuntur realiter ab utriſque; & tamen in utraque ſententia ſunt veræ potentiæ & principia actuum liberorum, neceſſariorum, reſpectivè nec quidquam quoad hoc diverſificantur.

Declaratur magis ad rem: Dominus Deus eſt perfectiſſimè liber ad extrà, imo nullibi eſt liber niſi in iſtis, & tamen non habet plures actus, ſed duntaxat plures terminationes ejuſdem actûs, ergo jam intelligi poteſt, quòd terminatio poſſit præſtare totum quod actus, & multiplicationes ejus erunt inſtar multorum actuum: Et adhuc magis vicinè habetur hinc intentum; ſi enim perfectio voluntatis quæ haberetur per plures actus ſcilicet libertas ſuppleri poteſt per plures terminationes cur non etiam perfectio intellectus, ſcilicet diſcurſus?

Dices rationem hinc ipſum haberi, quia nimirum libertas eſt perfectio, perfectio autem, ut ſuprà deductum eſt, non exigit extenſionem aut multitudinem, adeòque nec libertas. At verò diſcurſus non eſt perfectio, hinc enim in Deo non invenitur, & in aliis intelligentiis eò minus invenitur, quo ipſæ ſunt magis perfectæ,

(e) Lib. 1. Prior. 1.

Reſpondeo: Aut arguens vult, ut in diſcurſu oſtendamus ei poſſe inveniri pluralitatem actuum ſine pluralitate actuum; aut vult, ut oſtendatur totum quod præſtatur per pluralitatem actuum præſtari poſſe ſine illa: ſi primum, fateor imperitiam meam, non poſſum: ſed ille ſtupidus eſt qui hoc exigit, quod eſt idem eſſe & non eſſe ſimul. Secundum autem ni fallor jam feci, & hic ampliùs oſtendo ad hominem ſaltèm: Tenent Adverſarii eandem relationem referri poſſe ad plures terminos; v. g. eadem paternitas refert Petrum patrem ad primum & ſecundum filium etiam ſucceſſivè natos: Hic apertè aſſeritur terminatio alicujus unius formæ eſſe inſtar alterius multiplicatæ. Deinde, ſi demus unam abſolutam formam, v. g. albedinem uniri (quod eſt quoddam terminari) ad diverſa ſubjecta, certè reddet utrumque album non minus quàm ſi duæ fuiſſent ſingulæ in ſingulis ſubjectis, ergo. Sed

Rationes in oppoſitum adductæ.

5. Objicies non ſufficere terminationes, quia in diſcurſu debet eſſe aſſenſus unius propter aliud prius cognitum, vel magis propriè propter ipſam cognitionem, ita ut aſſenſus præſtitus uni ſit cauſa, cur quis aſſentiatur alteri, hoc autem non poteſt ſalvari per terminationes, quia hinc habetur quòd una cognitio debet dependere ab alia, at verò terminatio non eſt cognitio, ergo non ſufficit eam dependere ab alia terminatione. Ex altera parte cognitio illa non poteſt dependere à ſe, ergo non poteſt denique ſalvari diſcurſus per unam cognitionem & plures terminationes, ſed adhibendæ ſunt plures etiam cognitiones. Confirmatur, quia debet verificari, quod ideo ſim cognoſcens hoc, ſcilicet concluſionem, quia fui cognoſcens illud ſcilicet præmiſſas, ergo jam debet aliquid in hoc complexo, cognoſcens præmiſſas, diſtingui ab eo, quod eſt in illo, cognoſcens concluſionem. Sed ſecundùm hanc viam nihil eſſet, quia cognitio eſt eadem; ſubjectum, ſcilicet intellectus, aut ipſe homo ſine dubio eſt idem, adeòque totum concretum. Reſpondeo hoc argumentum procedere contra libertatem Dei ad extrà, & ſimiliter probare quòd ille non poſſit velle aliquid liberè per ſolam novitatem aut multiplicationem terminationis, niſi etiam habeat novitatem & multiplicationem actus, ut patet applicanti; nam Deus eſt volens volitione ſine dubio ſicut homo eſt cognoſcens cognitione, ut ſuprà. Sicut ergo eo non obſtante tenetur Dei libertas ad extra ſtare propter ſolas terminationes, ita & hic. In forma ergo ad argumentum ut hic, nego minorem; ad probationem hujus diſtinguo antecedens, una cognitio debet dependere ab alia, hoc eſt unus actus intellectus ab alio actu nego; una cognitio, id eſt una perceptio objecti debet dependere ab alia, concedo: hoc autem hic fit, quia cognitio illa cum nova terminatione eſt nova perceptio etiam ejuſdem objecti. Ita, in hujuſmodi caſibus cognitiones & volitiones ſunt inſtar potentiarum, & Deus tantum poteſt velle illo unico actu ſuæ volitionis quantum nos tota voluntate: atque ita ſi contingeret nobis, quod poſſit una cognitio noſtra terminari ſucceſſivè ad plura, illa faceret ſufficientiſſimè diſcurſum, quia eſſet inſtar multorum actuum formaliter; & quia non videmur nos hoc poſſe facere ſed eſt res reſervata Deo, & actui ejus propter infinitatem illius, ideo dixi in prima parte concluſionis quod in noſtro diſcurſu ſemper neceſſariò interveniant plures numero actus. Ad confirmationem patet ex hac ſolutione. Sed

6. Objicies ſecundò non ſufficere hujuſmodi terminationes ad diſcurſum, quia inveniuntur, ubi non invenitur diſcurſus, ergo. Antecedens probatur in Deo, cujus unicus actus intellectionis terminatur ad plura, & quidem cum ordine & quaſi ſucceſſione quâdam, utique enim priùs terminatur ad intra quàm ad creaturas extra, prius ad eſſentialia quàm ad alia, & tamen non admittitur in Deo diſcurſus ergo.

Dici poteſt non haberi in illo actu Dei ſive in terminationibus illis cauſalitatem aut quaſi cauſalitatem, quæ requiritur ad diſcurſum, hoc enim involvit imperfectionem, quum dicat dependentiam. Sed contrà eſt, quod abſtinendo ab his nominibus cauſæ & cauſati ſive dependentis, res ipſa videtur tota ibi haberi. Certum eſt enim quòd ille actus Dei ideo terminatur ad creaturas quia terminatur ad divinam eſſentiam (hæc enim propter infinitatem ſuam habet movere ad quodcumque intelligibile) atque adeo una terminatio eſt ab alia & propter aliam; dicatur enim cur cognitio paſſionis hominis v. g. ex cognitione eſſentiæ ejus ſit diſcurſus, & non cognitio qua Deus cognoſcit creaturas ex cognitione ſuæ eſſentiæ? Reſpondeo: Propter hæc exiſtimo non ſufficere abſolutè terminationes utcumque ad diſcurſum, neque hoc eſt negare concluſionem poſitam, nam neq; etiam actus ſufficiunt quomodocunque ſumpti, non enim omnes duo actus ſequentes ſe ſunt diſcurſus: Ad rem præſentem exiſtimo diſcurſum debere à nobis ipſis provenire, ut ſcilicet ipſi inferamus concluſionem ex præmiſſis, & non tantùm illa monſtretur nobis ut contingit in caſu illo Dei; contingit etiam creaturis in viſione beata, & univerſaliter in viſione cujuſcumque ſpeculi, in quo unum videtur in alio ſine labore videntis. Itaque prima principia data ſunt nobis à natura ſine ullo noſtro labore, concluſiones autem noluit illa ſic nos cognoſcere, ſed noſtrâ induſtriâ, in qua induſtria ſitus eſt diſcurſus, qui ad finem ſcientiæ dirigitur. Itaque quia Deus non induſtriâ aliquâ novit res, ſed ex naturæ ſuæ fœlicitate ſicut non novimus prima principia, ideo in eo non poteſt eſſe diſcurſus.

7. Objicies etiam contra priorem concluſionem, in qua dictum eſt ad diſcurſum requiri plures actus (quæ etiam ratio faciet contra ſecundam requirentem ad minus plures terminationes) poteſt intellectus cognoſcere unum propter aliud unico actu; hoc autem eſt diſcurrere, ergo poterit diſcurrere unico actu; maior huius probatur à ſimili voluntatis, quæ vult unum propter aliud, ſcilicet media propter finem eodem unico actu, talis enim eſt omnis actus electionis & exequutionis, omnes enim illi fiunt ob finem. Hoc argumentum adfero non quaſi novum, ſed ut oſtendam, quàm fruſtra alii laborant in eo ſolvendo, quum revera hic nulla ſit diſparitas. Similiter enim intellectus fertur in

præ-

Digitized by Google

præmiſſas & concluſionem, quomodo voluntas in media & finem: Ad quod ſciendum eſt, quòd ſicut datur actus voluntatis, quo vult media propter finem, & eſt electio; ita datur actus intellectus qui etiam fertur in præmiſſas ſeu in conſequens propter ipſas, & eſt concluſio; præterea autem requiritur alius actus, quo prius feratur in ipſas præmiſſas, in quo etiam aſſimilatur ei voluntas. Nam etiam hæc licèt feratur in media propter finem, tamen prius fertur in finem, cujus cauſa
(f) 1. diſt. 2. q. 5. n. 5. & q. 4. prol. n. 21. eſt, quia ut habet ſubtiliter D. (f) finis movet ut amatus; nec enim poſſet movere ad amorem aliorum propter ſe, niſi ipſe amaretur, adeòque prius ipſe amatur.

Dices, finis eſt correlativus medio, ergo non poteſt amari, niſi ſimul ametur medium, atque ita falſum eſt, quòd ametur prius. Reſpondeo diſtinguendo conſequens, non poteſt amari ſub ratione finis ſine medio, concedo conſequentiam, ſub ratione boni, nego. Itaque utraque potentia: quoad hoc ſunt pares, & ſicut non poteſt haberi diſcurſus intellectus qui eſt ejus proceſſus in indagatione veri ſine pluribus actibus cognitionis ita nec proceſſus voluntatis circa bonum ſine pluralitate actuum ſeu amorum.

Objicies in idem hanc: Homo eſt riſibilis, quia rationalis; qui enim hoc dicit, diſcurrit, ſed qui hoc tantùm dicit non habet plures actus ergo habet diſcurſus ſine pluralitate actuum. Major probatur, quia iſte talis cognoſcit unum propter aliud, ſcilicet riſibile propter rationale; minor autem; quia eſt una tantùm propoſitio hypothetica, & licèt includat duas cathegoricas, tamen non magis inde probes, quòd ſint duo actus, quàm quod una cathegorica ſit plures actus eò quod continet plures appræhenſiones, adeòque. Reſpondeo negando majorem: Non enim diſcurrit iſte, quia non colligit unum ex alio, nec movetur ex illo in hoc, ſed ſimul in utrumque tendit; ſicut ſi formaret unam cathegoricam in qua ſunt plura ſcilicet ſubiectum & prædicatum, nam hypothetica eſt inſtar cathegoricæ, & forma eius eſt illa copula indeclinabilis *quia*, *ſi*, *&*, ſicut copula cathegoricæ eſt verbalis illa *eſt*: Extrema huius ſunt cathegoricæ propoſitiones, ſicut extrema cathegoricæ ſunt termini ſimplices. Itaque ille non diſcurrit eò, quòd non dicat duo ſed unum; illa enim propoſitio eſt aſſertio copulæ *quia* ſicut cathegorica eſt aſſertio illius *eſt*. Deinde quia ſive dicat duo ſive unum non dicit niſi unico actu.

Corollaria quædam.

8. Quæres jam, quàm verum ſit illud, quod habet D. cit. in prologo & dedit occaſionem huic controverſiæ, ſcilicet proprietates eſſentiarum viſarum in verbo ſciri per diſcurſum v. g. proprietatem lineæ? Reſpondeo id eſſe veriſſimum ſi ſanè accipiatur, poteſt enim falſum eſſe niſi ſit rectè intellectum. Itaque quia in verbo Dei omnia apparent, etiam paſſiones, ſanè cognitio paſſionum, ibi non eſt diſcurſiva ſed judicativa tantum, & pertinet ad ſecundam operationem intellectus; imo forte etiam ad primam; & totum hoc ſuppoſito quod in ſe videatur. Si autem videatur in eſſentia ſua, hoc eſt, ſi quis videns in verbo eſſentiam lineæ quaſi in quodam priori antequam illius paſſio monſtret ſe, colligat paſſionem, tum illa cognitio erit omnino diſcurſiva, & ita cum maxima proprietate loquutus eſt Doct. ſimile huic eſt quòd ſuprà dixi propoſitionem per ſe notam debere inducere intellectum in aſſenſum copulæ ex terminis; nam ſi videatur ipſa copula & proinde judicetur adeſſe, non erit per ſe nota propoſitio.

9. Objici denique poteſt Inſtantia fidei divinæ, in qua eſt unum ob aliud, nec tamen eſt diſcurſus. Qui enim credit quidquam debet has quaſi præmiſſas habere: quidquid Deus revelavit eſt verum, & credendum: Deus hoc revelavit, deinde ſubditur tanquam concluſio articulus creditus, v. g. quòd Sacramenta ſint ſeptem. His tamen non obſtantibus fides divina perficitur uno actu, ergo jam diſcurſus poteſt fieri uno actu; hoc eſt, totum quod præſtatur per diſcurſum poteſt haberi uno actu, nam deinde contendere num vocandus ſit diſcurſus nec ne, eſt nominale & grammaticum, ergo. Reſpondeo: Non eſt inter nos lis, utrum quodlibet unum propter aliud ſit eo ipſo diſcurſus. Ad inſtantiam fidei dico quod dixi in propria materia ad hoc; quòd, etſi illæ præmiſſæ, aut quaſi præmiſſæ concurrant in fide, tamen non faciunt fidem eſſe diſcurſivam, quia in eis non ſunt præmiſſæ, ſed potius præcognita quædam qualia Ariſt. aſſignavit 1. *Poſt.* cauſa eſt quia non ſunt illæ cauſa, ſed conditio aſſenſus; tota autem ratio formalis aſſentiendi eſt divina veracitas.

Dices, cur non poſſim ſic dicere in aliis materiis naturalibus, quòd ratio formalis aſſentiendi ſit ſimplex medium, & ita totum uno actu abſolvatur; quo poſito neque plures actus, neque plures terminationes requirentur? Reſpondeo; Poteſt ſic dici, quia nimirum poteſt ſic fieri in acquiſitione ſcientiarum naturalium, ſicut etiam in aſſenſu fidei poteſt adhiberi diſcurſus. Itaque, quando quis uno actu fertur in medium & affirmationem rerum cujus eſt medium, non contingit diſcurſus, & ita fit in fide: fieri etiam poteſt in aſſenſu naturali, ut ſi dicam: Homo eſt riſibilis quia rationalis. Quando autem progreditur ex una cognitione in aliam, ex noto ad ignotum, & ab uno aſſenſu determinatur ad alterum qui eſt facilior & communis modus (imo aliquando neceſſarius) tunc contingit diſcurſus.

Hic vides, quàm meritò dictum eſt in concluſione ad ſervandam proprietatem vocis requirendos eſſe plures actus, quia ſine dubio vox diſcurſus: inſtituta eſt ad ſignificandum id, quod nobis contingit, vel quod geritur à nobis in adquirenda notitia rerum; nos autem, certum eſt quòd ab una cognitione

pergimus in aliam, & non tantùm ab una terminatione, & multò minus ſiſtimus in propoſitionibus illis hypotheticis cauſalibus, de quibus ſupra. Præterea etiam, quia hæc vox huc tracta eſt à diſcurſu materiali ſeu pedeſtri animalis; in hoc autem ſemper contingit unum & aliud verè diſtincta & multiplicata, ſcilicet terminus à quo & terminus ad quem.

10. Et quia in hoc incidimus, ne quis putet omnia utrobique paria, dicam, in quo differant uterque diſcurſus. Differunt autem primò, quòd diſcurſus organicus ille fit ad locum in quo mobile non eſt, diſcurſus autem intellectualis fieri poteſt ad terminum in quo mobile eſt, poſſum enim per diſcurſum cognoſcere aliquid antea mihi notum, non poſſum autem ire ad locum in quo ſum, aut in eodem bis eſſe

Dices hoc etiam non eſſe impoſſibile, ſi quis replicetur in duobus locis. Reſpondeo omiſſis aliis, quæ adferri poſſunt adhuc utrumque illum diſcurſum ex hoc capite differre, quia mentalis diſcurſus poteſt ita naturaliter fieri, ille animalis diſcurſus non niſi ſupernaturaliter.

Differunt ſecundò, quòd diſcurſus ille organicus eſt motus ab uno loco ad alium, hic autem intellectualis eſt quodam modo ab uno motu ad alium, eſt enim ab una cognitione ad ſequentem.

Tertiò, quia diſcurſus materialis, ut legitimè fiat, non exigit determinatum terminum ad quem, intellectualis ſic, non enim licet quodlibet ex quolibet inferre, ſicut poſſum ex quovis loco in alium ire, & interim verè diſcurrere.

Denique, quia termini diſcurſûs corporalis ſunt incompatibiles. Termini diſcurſûs intellectualis non, imò neceſſariò ſe comitantur.

ACTIO IV.

An requirat tres actus, ſive an ſolus ſyllogiſmus ſit legitimus diſcurſus, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Species argumentationis vulgata.*
2. *Inductionem eſſe ſpeciem argumentationis.*
3. *Vrgetur ratio: altera præmiſſa in ſyllogiſmo quid juvet?*
4. *Nova probatio: an poſſit demonſtratio ſyllogiſtica fieri de ſingulari?*
5. *Objectio ſoluta Quid ſenſerit Ariſt. de hoc?*
6. 7. *Aliæ duæ objectiones contra enthymema ſolutæ.*
8. *Inductionem eſſe formalem argumentationem oſtenditur: Ariſtoteles adductus.*
9. 10. *Adductæ aliæ duæ rationes. Syllogiſmus pendet ab inductione.*
11. *Objectio. Vtrum antecedens & conſequens debent habere diverſos terminos.*
12. *Inſtatur contrà acutè.*
13. *Recapitulatio totius materiæ.*
14. *Mens Scoti.*

1. DIſcurſus hic latiùs eſt accipiendus quàm conſequentia, & intelligendus eſt, ut Synonymus argumentationi eſt enim argumentatio oratio in qua unum ex alio colligitur in quo differt à conſequentia, hæc enim non requirit unum & aliud, ſed poteſt idem ex ſe ſeu ex parte aliqua ſui colligere; ut patet in converſionibus & illatione propoſitionis ſubalternæ ex ſua ſubalternante. Punctus ergo difficultatis eſt ut decidatur an ſolo ſyllogiſmo poſſit unum ex alio colligi irrefragabiliter an non, ſed etiam aliis ſpeciebus argumentationis? ſunt autem aliæ ſpecies: Inductio, enthymema & exemplum nam dilemma manifeſtè nititur, aut enthymemati aut ſyllogiſmo; Sorites autem ſyllogiſmo, ita ut in propria ſpecie non convincat intellectum, & nominatim Sorites nititur illi princ pio: Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe, etiam non purè ſumpto, colligit enim unionem aliquorum inter ſe ex eorum unione cum quarto aut etiam cum quadrageſimo, imò videri poteſt colligi illa unio non ex quarto aut quadrageſimo, ſed ex ipſis totis quadraginta Reſpondebo ergo de quatuor controverſis hac tempeſtate, ex quibus

2. Dico tres admitti poſſe pro ſpeciebus legitimis diſcurſûs ſeu argumentationis, ſcilicet ſyllogiſmum, enthymema, Inductionem; univerſalem tamen ſive deſervientē ad omnia non eſſe niſi ſyllogiſmum ultima hæc de ſyllogiſmo traditur à D. (a) ubi approbat diffinitionem ſyllogiſmi, quam conſequentiam infra tangam primā autem partem de inductione 3. *d.* 24. *q* 1 & poſt ipſum ex Rec. Simgletius *diſp.* 13 *q.* 16 Gonzalez 1 *p Log d* 3 *q.* 4 ex veteribus Averroes approbat inductionem enthymema D. Th. utrumque (a) *lib.* 1. *Prior. q.* 5.

Oſtendo intentum meum ratione, volo ergo probare, quòd forma enthymematis ſufficiat ad neceſſitandum intellectum cujusque, etſi non ſufficiat ad convincendum adverſarium, ſeu ad extorquendam ei vocalem ſeu externam confeſſionem; & ſic arguo: Homo eſt rationalis, ergo eſt riſibilis; aut argumentatio hæc neceſſitat intellectum, aut non, ſi ſic, habetur intentum, hoc enim eſt enthymema: ſi non, ergo nec ſyllogiſmus: probo conſequentiam, illa enim reduceretur ad ſyllogiſmum, ſic: omne rationale eſt riſibile, homo eſt rationalis, ergo riſibilis, atqui tota ratio quæ adfertur pro riſibilitate hominis in illo ſyllogiſmo adfertur in enthymemate, ſcilicet rationalitas. Explico ré In ſyllogiſmo rationalitas eſt tantum medius terminus, hoc eſt nihil differt à rationalitate poſita in enthymemate niſi quod ibi eſt medium, hic non, at verò rationalitas non ideo habet facere riſibile quia eſt medius terminus, ſed quia eſt talis naturæ.

Confirmo: Quæcunque cauſa neceſſaria eſt ſufficiens ad inferendum effectum neceſſarium, ſed rationale & univerſaliter omne ſubjectum eſt cauſa neceſſaria ſuæ paſſionis, ergo ſufficit ad

ad inferendam eam: Nec valet diſtinguere de inferentia reali & intentionali; quaſi ſufficiat ad ponendum effectum in re, non autem ad ponendum aſſenſum ejus: Nam adferenda eſt hujus ratio, cur rationale realiter inferat neceſſariò riſibile realiter, rationale autem intentionale ſeu cognitum, aut (ut ſic dicam) aſſenſum, non inferat riſibile intentionale ſive aſſenſum ejus? Præterea, ſi non ſufficiat adferre cauſas reales effectuum alicujus complexionis, nec etiam ſyllogiſmus ſufficiet ad aſſenſum eliciendum, nam propoſitiones ſyllogiſmi omnes procedunt de unione reali rerum extra ſic: Omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis, hic ubique affirmatur conjunctio terminorum realium inter ſe, quam videns intellectus neceſſitatur ad conjungendum eos in ſuo aſſenſu.

3. Redeo ad ipſum ſyllogiſmum, ſive ad illam majorem & primam propoſitionem ex tribus, in qua differt ab enthymemate, ut oſtendam eam non requiri ad aſſenſum. Nam aſſumit aliquid extraneum & impertinens, quod clariùs fiet formando ſyllogiſmum de ſubjecto ſingulari ſic: Omnis homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis. Dico hanc majorem eſſe ex magna parte extraneam & impertinentem, dicit enim illa quòd Petrus eſt riſibilis, Andræas eſt riſibilis, atqui ad riſibilitatem Petri manifeſtè extraneum eſt quòd Andræas ſit riſibilis, & tamen major illa non differt à concluſione, niſi quatenus dicit Andræam & alios à Petro eſſe riſibiles.

Vis hujus diſcurſûs paulò magis apparet in hoc ſenſibili exemplo. Demus enim totum, v.g. aliquem palmum eſſe album: vult aliquis probare dimidium ejus eſſe album, certè immediatiùs probabit ſic dicendo ſemipalmus hujus eſt albus, ergo dimidium ejus eſt album, quàm ſi dicat: totus palmus eſt albus ergo dimidium ejus, nam dicens totum nimium aſſumit, ſcilicet alteram medietatem, quæ impertinens eſt ad albedinem hujus, quoniam hæc poſſet eſſe alba, cùm & ſine ipſa.

4. Probo adhuc aliter, ſi requireretur ſyllogiſmus ad inferendum quodlibet, nec ſufficeret enthymema, tum de ſubjecto ſingulari nihil poſſet efficaciter probari; hoc ſine dubio eſt falſum, ſed probo ſequi, quia de tali non poteſt formari major illa univerſalis, per quam, ut vidimus, differt ſyllogiſmus ab enthymemate exemplum: ponamus aliquam naturam de ſe ſingularem, qualis de facto eſt divina; ſed quia hæc habet ſpeciem quandam univerſalitatis, ſcilicet communitatem ad plura ſuppoſita, accipiamus angelum, & ſit Michaël, de quo cenſeamus pro nunc cum D. Thoma quòd ſit de ſe ſingularis; hoc non obſtante, natura ejus habet ſuam proprietatem ab ipſa emanantem, ſicut à natura Dei emanant divina attributa non obſtante ſummâ ſingularitate ejus; dico non poſſe facilè oſtendi paſſionem Michaëlis de ipſo niſi per enthymema; ſit enim A. Michael C. paſſio; hic non eſt locus B. qui ſit medius & univerſalis terminus, quia non datur, non enim dices omnis Michaël eſt B. quia eſt de ſuppoſito non ſupponente, imò etiam repugnante, quia ſupponimus A. eſſe de ſe *hanc*, adeòque repugnat illi univerſalitas importata per ſyncathegorema *omnis*.

Nec valet hic adferre diſtributionem illam, quæ fit in divinis, ubi dicitur *omnis Deus, ſed omne quod eſt Deus*, hic enim non ſolùm non datur pluralitas A. ſed nec pluralitas habentium A. ſive plura quæ habeant A.

Ad hæc & ſimilia dicunt Adverſarii ea non ſufficere intento probando, quia omnia hæc eveniunt in enthymemate, ratione materiæ, non ratione formæ, adeòque ſequitur tantum quòd ſit materialis argumentatio, non verò formalis. Sed certè hoc illis non ſufficit contra probationes noſtras; nec enim prætendi ego probare quòd univerſaliter valeat enthymema ad colligendum quodlibet ſicut ſyllogiſmus, ſed inter terminos reciprocos aut ſimiles; id autem non ſufficit ad dicendum quòd valeat ratione materiæ tantùm, aliàs in una tantùm materia valeret, valet autem in infinitis, ergo.

Confirmatur: Forma ſyllogiſmi communis in divinis non rectè colligit, & tamen ſyllogiſmus ſaltèm eſt argumentatio formalis, & valet non tantum ratione materiæ: ergo, licèt enthymema in aliqua materia non rectè colligat, dummodo in aliis multis bene inferat, admittendum eſt pro argumentatione formali.

5. Objicies Ariſtotelem, qui ex oppoſito ſtat, ut patet ex definitione ſyllogiſmi apud ipſum & aliis. Reſpondeo: Non nego, quin fateor me non habere ex me Ariſtotelem, non enim hic vim colligendi quidquam attribuit enthymemati diſtinctam ab ea quam ſyllogiſmus vendicat, ferè enim illa in unum miſcet nam 2. *Rhet. c.* 25. definit *neceſſè eſſe ut enthymema aliud enthymema ſit, aliud non ſit; quoniam* (inquit) *poſſibile eſt alium eſſe ſyllogiſmum, alium non eſſe ſed videri* & 2. *Priorum*: *cap.* 34. qui eſt de enthymemate, in quolibet exemplo ſeu inſtantia ſuæ doctrinæ ponit tres terminos expreſſos elementis A.B.C. atque ita non attribuit diverſam vim huic ab illius vi; ſed hoc ideo quia non attribuit ei diverſam formam, unde loco proximè citato abſolutè inquit enthymema eſſe ſyllogiſmum, etſi imperfectum defectu unius præmiſſæ; ſicut ſi quis in ſorite unam gradationem omitteret, faceret ſoritem imperfectam, non tamen novam ſpeciem argumentationis. Quòd autem enthymema habeat aliam formam ab illa ſyllogiſmi, & proinde numerandum ſit tanquam ſpecies diſtincta, patet quia aliàs differret (ut dixi ſuprà) à ſyllogiſmo ſicut ſorites, in quo una gradatio omittitur, & proceditur ad extremum aliquod ſine medio, & ita intelligunt Adverſarii: ſed oſtendo eos in hoc errare, nam ſorites ille non concludit niſi virtute præmiſſæ ſeu propoſitionis omiſſæ, quæ licèt in terminis omittatur, tamen virtualiter retinetur. Non eſt autem ſic in enthymemate; quia etſi nullatenus cogitetur præmiſſa omiſſa, convincetur intellectus, ut ſuprà oſtendi; & plerumque eſt omnino impertinens, nec ad rem facit ut ibidem probavi, ergo.

Dices: Si negetur conſequentia enthymematis debet probari per ſyllogiſmum ergo ſignum eſt quòd habeat vim probativam à ſyllogiſmo. Nego conſequentiam nam etiamſi negetur concluſio ſyllogiſmi ſecundæ & tertiæ figuræ, probatur per modum primæ, & tamen negari non debet, quin hæ ſint diſtinctæ figuræ à prima. Deinde ſyllogiſmi communes probantur per reductionem tam ad impoſſibile quàm oſtenſivam, & tamen ipſimet ſyllogiſmi ante ejuſmo-

Digitized by Google

di reductiones ſunt validæ & formales argumentationes, ergo ſimiliter

6 Objicies rationem ſuprà tactam, quòd formalis argumentatio & conſequentia, dicuntur illæ, quæ in omni materia concludunt dummodo eadem diſpoſitio terminorum adhibeatur, hoc nõ facit enthymema ergo Reſpondeo ad hoc jam reſponſum eſſe: quæ reſponſio confirmatur iterum quia converſio, *&c.* ſunt ſaltem conſequentiæ formales, & tamen non colligunt rectà niſi in determinatis materiis.

7. Objicies adhuc alterum fundamentum adv. ut argumentatio ſit formalis, debet eſſe aliquis terminus in antecedenti, qui non ſit in conſequenti, nullus autem in conſequenti qui non ſit in antecedenti: Hoc autem in nullo præterquam in ſyllogiſmo obſervatur, ergo. Major illa eſt fundamentum, & quaſi ſuppoſitum adverſariorum quod ex eo colligunt quia ſi nullus ſit in antecedenti, qui non ſit in conſequenti, erit conſequentia tantùm, non argumentatio. Si autem ponatur aliquis terminus in conſequenti, qui non fuerit in antecedenti & hoc legitimè fiat, liberum erit ſervatâ eâdem formâ quemcumque ponere, atque ita æquebene poteſt inferre homo eſt riſibilis, ex hoc antecedenti: homo eſt rationalis, ac homo eſt hinnibilis vel ruditivus. Minor autem patet de præſenti, ſcilicet de enthymemate, quia in illo ſemper eſt aliquis terminus in conſequenti, qui non ſit in antecedenti, ergo. Reſpondeo negando hanc regulam pro ſecunda parte; ad probationem dico non eſſe liberum quemcumque terminum ponere in conſequenti, ſed eum tantum poſſe ni debere in conſequenti ex cujus oppoſito ſequatur oppoſitum antecedentis, tale eſt ſi ex definitione inferat definitum, aut ex definito ſeu ſubjecto paſſionem. Itaque illa regula in objectione poſita, deſervit pro argumentationibus quæ conſtant tribus terminis.

Oſtenditur inductio eſſe argumentatio formalis.

8. Dico jam, & probo Inductionem eſſe legitimam & formalem argumentationem, & hîc quidem contendo Ariſtotelem apud me eſſe. & contra negantes. Audiatur ipſe in primis 1. *Top. c.* 10, ubi quæſito, quot ſint dialecticarum diſputationum id eſt argumentationum ſpecies? reſpondet duas eſſe, inductionem & ſyllogiſmum, quo loco non ſolùm annumerat, ſed & præponit ſyllogiſmo inductionem, & infra idipſum apertè *eſt autem inductio aptior ad perſuadendum. & clarior. & ſecundum ſenſum notior, & pluribus communis* & lib 1. Pri cap. 39. *Omnia credimus aut per ſyllogiſmum aut ex inductione.* Vbi pares facit ſyllogiſmum & inductionem, non feciſſet autem ſi nil rectè per inductionem colligeretur; & alia in hanc ſententiã habet. Fateor tamen non ſemper ibi de inductione pura loquitur, ſed de ſyllogiſmo inductivo, at hoc ferè in idem recidit, & apud ipſum ibidem *opponitur inductioni ſyllogiſmus* Demiq. 6. *Mor. c.* 3. explicans quod dixit 1. poſt omnem ſcientiam, ſeu certam rei cognitionem ex alia præcedenti fieri nam *altera* (inquit) *ex inductione fit, altera ex ratiocinatione: atque inductio quidem principium eſt univerſalis, ratiocinatio ex univerſalibus*

9 Probo ratione, quia in hujusmodi forma non poteſt dari antecedens verum, conſequenti falſo & ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis, hæ ſunt notæ bonæ conſequentiæ, atq; etiam argumentationis, quando in antecedenti ponitur aliquis terminus qui non ſit in conſequenti, ut hîc ſit, ergo. Hæc autem ita eſſe, ſive quod in inductione ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitũ antecedentis, eſt clarum, nã ſi hæc: omnis homo eſt riſibilis, falſo inferatur ex hac iſte homo eſt riſibilis, & ille eſt riſibilis & ſic de cæteris; certè aliqua particularis, ſeu potiùs aliqua ſingularis ex his debet eſſe falſa, non enim poteſt univerſalis falſificari niſi per detractionem particularis, at vero particularis negata contradicit univerſali affirmatæ, ergo jã ex oppoſito contradictorio conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis,

10. Probo 2. idipſum ad hominem valet ſyllogiſmus, ergo valet inductio, ſive eſt bona argumentatio. Probo hanc conſequentiam, quia niſi valet inductio, non poteſt valere, ſyllogiſmus, quod ſic oſtendo. Syllogiſmus (intelligo illos de medio communi, ut abſtraham pro nunc ab expoſitorio, quamvis etiam hic habeat ſuam univerſalitatem) ſemper habet aliquam præmiſſam univerſalem; atque univerſalis non poteſt cognoſci niſi per inductionem, ergo aut inductio rectè colligit, aut univerſalis non eſt certò ſcita; ſi autem univerſalis non eſt certò ſcita, jam ſyllogiſmus non poteſt eſſe certus, quia dependet a certitudine univerſalis. Hoc argumentum tetigit etiam leviter Philoſophus 1 *Prior. citato* dicens *Inductio igitur eſt, & ex inductione ſyllogiſmus,* & clarius illo 6. Et hic *Inductio quidem principium eſt, univerſalis ratiocinatio* (quod vertere poſſumus *ſyllogiſmus* (*ex univerſalibus.*

Fateor tamen, hæc ratio non evertit directè formam ſyllogiſmi, nam quamvis univerſalis propoſitio non eſſet certò ſcita, forma ſyllogiſmi conſtaret, licèt materia deficeret: Evertit tamen ſyllogiſmum in ſpecie, ſcilicet demonſtrativum, talis enim neceſſariò exigit præmiſſas certiſſimas, *&c.* poſſunt tamen & ſolent adverſarii tentare hujus argumenti evaſionem, dicunt autem inductionem hæc facere virtute ſyllogiſmi, ſeu præmiſſæ tacitæ ibi, nam quum dico: hic homo eſt riſibilis ille eſt riſibilis, ac deinde infero, ergo omnis homo eſt riſibilis ſubintelligitur hæc minor: ſed hic homo & iſte homo, ſunt omnes homines; alioquin nihil valeret illatio, ſi autem ſubſumatur hæc minor, jam reducta eſt ad formam ſyllogiſmi. Hanc ſolutionem noſtræ rationis ſic everto Aut enim in illa forma, ad quam reduxiſti hanc rationem per ſubſumptionem, minor eſt aliqua præmiſſa univerſalis, aut non eſt. ſi non eſt. jam ratio non eſt reducta ad formam ſyllogiſmi, adeòque non colligit vi formæ ſyllogiſticæ. Si autem eſt, quæro quomodo ſcita ſit illa univerſalis; certè non in ſe immediatè, ergo in inductione ex particularibus, adeoque valet inductio ad colligendum certò aliquid etiam antequam reducatur ad ſyllogiſmum

11. Objiciunt Cùm dicitur Hic ignis eſt calidus; ille ignis eſt calidus & ſic de cæteris ergo omnis ignis eſt calidus illud & ſic de cæteris, aut eſt idem ac omnis ignis; aut non ſed eſt continuata enumeratio ſingularium, ſi primum

jam

jam inductio ne quidem eſt argumentatio, quia non ponit ullum terminum in antecedenti, qui non ſit in conſequenti. Confirmatur, quia ſic ultima præmiſſa eſt ipſa concluſio, non poteſt autem eſſe bona argumentatio, quando ipſa concluſio aſſumitur ad ſe ipſam probandam, ergo. Si ſecundum, tum in conſequenti eſt terminus qui non præceſſit in antecedenti, ſcilicet univerſale illud: omnis ignis; cujus loco (inquiunt) ſubſtituere poſſumus aquam, & inferre: ergo omnis aqua calefacit; nam eo facto ſervatur eadem forma argumentandi, ergo. Reſpondeo: τ͂ο omnis: in concluſione eſt abſoluta univerſalitas quemlibet ignem complectens nullo dempto; in antecedente autem non eſt abſolutè univerſale quemlibet complectens nullo dempto, dempti enim ſunt eò uſque enumerati, ſcilicet hic ignis & ille ignis; unde accipiendum eſt ſecundo modo, ut ſcilicet ſit continuata enumeratio ſingularium, & nego aſſumptum Adverſariorum, ſcilicet eſſe aliquid in conſequenti, quod non præceſſit in antecedenti, quia nimirum univerſale non eſt aliud à tota collectione ſingularium. Dices: Si ita ſit, nos cauſam perdidimus, ſic enim inductio eſt conſequentia tantùm non argumentatio, probatur hoc, quia nihil ponit in antecedenti quod non ponit in conſequenti, idem enim eſt collectio particularium, quod eſt antecedens, atque univerſale quod adhibet in conſequenti. Propter hoc exiſtimo dicendum quòd ſit alius terminus, licèt non ſit alia res, quia eſt idem alio modo ſumptum, quod niſi ſufficiat, certè nec ſyllogiſmus etiam demonſtrativus eſt argumentatio formalis, quia habet pro duobus terminis idem, ſcilicet definitionem & definitum; & tum ad rationem Adv. in oppoſitum facilè reſpondeo non proinde liberum eſſe mihi loco ejus ponere quemcumque terminum, quia non faciam inductionem niſi ponam univerſale illius naturæ cujus ſingularia poſui in antecedenti: Itaque illa ratio contra enthymema adduci potuit, non poteſt contra inductionem.

Ubi libet notare inadvertentiam Adverſ. nam ex hoc patet fruſtra illos ſubſumere minorem illam; ſed hic & ille ignis eſt omnis ignis; adhuc enim non faciunt ſyllogiſmum, quia non habent tres terminos, cùm enumeratio ſingularium & univerſale ſit idem, itaque cenſendi ſunt omnino plures & diſtincti termini.

12. Inſtari tamen poteſt contra hanc doctrinam ſic: Convertens & converſa habent eoſdem terminos, ſed aliquando una eſt particularis, alia univerſalis, ut hic: Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo, ergo jam univerſale & particulare non faciunt diverſos terminos. Ad hoc exiſtimo dicendum quòd doctrina illa de converſionibus ita accipienda ſit ut convertens & converſa conſtent iiſdem terminis ſubſtantialibus, non autem iiſdem abſolutè, aut iiſdem ſimiliter modificatis.

13. Ex his habes has tres: Syllogiſmum, enthymema, inductionem, eſſe verè tres ſpecies argumentationis, ita ut habeant totidem formas diverſas inferendi, & nequaquam omnes inferant conſequentiam virtute ſyllogiſmi, quem imitantur: hoc in ſuprà dictis oſtendi, & hic ampliùs proſequar.

In primis de Enthymemate ſic; Forma enim, quæ neceſſariò exigit tertium terminum neceſſariò diſtinguitur formaliter ab ea, quæ illum non exigit, ſed nec utitur eo. Exigit ſyllogiſmus, enthymema non exigit, ſed nec utitur eo: quem diſcurſum alio magis ſenſibili declaro. Qui enim veſtigat quantitatem duorum corporum, v. g. duarum trabium, applicando eas invicem, ſanè aliter procedit ac ille qui adhiberet arundinem aliquam utrique, & ex æqualitate earum ad arundinem colligeret æquitatem earum inter ſe. Talis eſt ſyllogiſmus, nititur enim illo principio; Quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe. Enthymema autem applicat ſibi invicem duo quorum unum ex altero colligit, ergo.

De inductione jam idipſum probo ſimili argumento: Syllogiſmus ſicut non poteſt paucioribus terminis conſtare, ita non poteſt conſtare pluribus, quàm tribus; inductio autem conſtat ſexcentis, & fortè infinitis, tot ſcilicet, quot ſunt ſingularia illius naturæ, ergo.

14. Objicies Scotum approbantem definitionem ſyllogiſmi, quòd ſit (oratio in qua quibuſdam poſitis aliud neceſſariò ſequitur) hæc enim non poteſt eſſe ſyllogiſmi definitio ſi conveniat inductioni, niſi inductio ſit ſyllogiſmus. Præterea *q. 7. primi Pri.* ait: Inductio non eſt conſequentia evidens: quo quid evidentius contra primam concluſionem? Reſpondeo argumentum eſſe in oppoſitum aliquo modo; nam ex tribus concluſionibus quas Scotus ponit *q. illa 7. primi Prior.* de illa definitione ſyllogiſmi duæ ſunt contra ipſam, ſed de hoc paulò fuſiùs infrà. Ad ſecundum locum reſpondeo Doctorem exponere ſe; ait enim. Inductio non eſt conſequentia evidens quia ſingulares ex quibus conſtant non ſignificant iſtas eſſe omnes ſingulares iſtius univerſalis. Ubi ergo hoc ſignificatur, ibi inductio bene colligit ſecundùm Scotum. Significant autem aliquando, ut cùm dico Hic ignis eſt calidus, ille ignis eſt calidus, & ſic de quolibet uno, ergo omnis ignis eſt calidus. Occaſione hujus arguo pro inductione ſic: Valet dicere omnis ignis eſt calidus, ergo hic ignis eſt calidus; & ille, *&c.* hæc eſt inductio, nam ad inductionem probabiliter ſpectat non aſcenſus tantùm, ſed etiam deſcenſus. Deinde detur collectio ſeu conſequentia illa non eſſe inductio, erit ſaltèm enthymema & tamen nemo negare poteſt quin bene colligat, ergo.

ACTIO V.

Vtrum diſcurſus ſit operatio intellectûs ſpecie diſtincta ab aliis duabus?

Breviarium.

N. 1. *Eſſe hic locum dubitationi contra quoſdam Recentiores.*

2. *Probabile eſſe quòd diſcurſus non ſit tertia operatio intellectûs, ſed ſecunda.*

3. *Probatio hujus. Proportio diſcurſus intellectualis & localis.*

4. *Alia probatio: Inferens conſequentiam, affirmat.*

5. 6. 7. *Formo argumenta nihilominus pro oppoſito ſuadendo.*

8. *Explicatur res. Illatio eſt actus Logicæ utentis.*

1. Quæſtionem moveo à paucis admodum ventilatam, & facit ſenſum; An tres operationes intellectûs vulgò dictæ, ſcilicet ſimplex apprehenſio, judicium & diſcurſus, ſint verè tres, ita ut quælibet diſtinguatur ſpecie ab aliis duabus, nec ne? de quò breviter ſubtilis ſententiam tuebor; addam etiam de oppoſitæ partis probabilitate.

Ad rem: Recentiorum aliquis multo contemptu explodit eorum opinionem; qui negant tertiam operationem intellectûs, quàm dari, clariùs eſt (inquit) quàm ut probatione egeat, cùm ex ipſa impugnatione Adverſariorum eam dari colligamus; nam dum argumentantur, vel probant non dari tertiam operationem vel non probant; ſi non probant, nec eſt iis credendum: ſi probant, certè id non faciunt ſine tertia operatione, hoc eſt ſine diſcurſu, atque ita negando eam aſtruunt. Ita ferè ille, ſed non meritò, nam ſi diſcurſus non ſit operatio diſtincta à judicio, certè non ſunt tam rigidè damnandi qui negant tertiam operationem, & jus nam ipſius ratio procedit contra negantes dari diſcurſum. Nos autem aſſeremus diſcurſum, & negabimus tertiam operationem quod etiam Ephetici faciebant, imò ipſo diſcurſu utebantur contra tertiam operationem. Itaque adhuc in lite eſt an detur tertia operatio, nec ne?

2. Dico ergo ad titulum probabile ſaltèm eſſe, quòd diſcurſus non ſit operatio tertia intellectûs ab aliis duabus diſtincta; & nominatim intelligo quòd coincidat cum judicio. Ita innuit ſubtilis *q. 1. primi Priorum num. 1. fine* D. Thom. etiam ad inſinuat. *q. de veritate.*

Probant aliqui (*a*) hanc veritatem ex Ariſt. 6. *Ethic. c.* 3. ubi agens de habitibus intellectualibus dicit ſcientiam, ſapientiam, prudentiam, *&c.* eſſe in intellectu circa affirmationem & negationem, ſeu circa verum & falſum verba Philoſophi (clariora iſtis) ſunt, *ſunt autem ea, quibus aut affirmando, aut negando verum dicit numero quinque; hac vero ſunt Ars, ſcientia, prudentia, ſapientia, intellectus*, ex quo inferunt ipſi diſcurſum eſſe judicium quia ſcientia quæ eſt cognitio diſcurſiva afficitur veritate & falſitate, quæ ſunt affectiones judicii apud eundem Ariſtot, 1. *Perih.* 1.

(*a*) Compluten. *diſp. 1. proœmial. logic. q. 3.*

Sed neſcio, an ſic probent intentum: Non enim idem eſt ſcientia & diſcurſus, ſed potiùs diverſum, quia ſcientia eſt cognitio per diſcurſum acquiſita, quod idem Philoſophus ſæpe monet; & iidem authores ex illo tradunt, & patet ratione, quia ſcientia eſt concluſio demonſtrationis, concluſio autem non eſt diſcurſus, ſed ut maximè pars ejus. Deinde ipſa enunciatio abſolutè in conſequenti poſita eſt ſcita, v.g. hæc homo eſt riſibilis etſi non addatur ſyncathegorema *ergo*; imò ſi addatur totum illud non erit ſcitum niſi fortè ut quo; at verò diſcurſus non eſt ſine *ergo* aut ſimili, adeòque

3. Probatur ratione, quia diſcurſus eſt tantùm progreſſus ab una cognitione in aliam, hoc invenitur etiam inter cognitiones ejuſdem rationis, intra plura judicia, ſi unum judicium ex alio inferatur, ergo jam ſufficiunt ad diſcurſum plura judicia. Confirmatur quia ad diſcurſum materialem ſufficit locus ſimilis ei, à quo quis proceſſit, ergo ad diſcurſum intellectualem ſufficit in conſequenti cognitio ſimilis ei quæ fuit in antecedenti: clarum eſt autem quòd antecedens ſit cognitio judicativa, ergo. Confirmatur iterum quia non poteſt faciiè explicari quòd ſit tertia operatio ſi non ſit judicium; aut quid poſſit facere intellectus niſi apprehendendo, vel judicando, unde probatur ſecundò adjuvando conatum Complutenſium ſic. Si enim intellectus habeat actum qui non ſit aut apprehenſio aut judicium, debet etiam habere habitus qui non ſint circa appræhenſiones aut judicia, non habet autem, ergo. Probatur major, quia omnis actus eſt generativus habitus, tum quia ut habet Philoſophus 7. *Polit ult.* diſciplina & ars implere volunt quod deeſt naturæ atque adeò ſi habet à natura vim hujuſmodi actus, debet aliqua diſciplina & ars ſive principium adquiſitum perficere ipſum quoad hujuſmodi actum: At verò illum non habere ejuſmodi principium artificiale (quæ fuit minor argumenti) patet; quia habitus intellectûs ſunt ars, ſcientia, prudentia, ſapientia, intellectus. Dici poteſt hos tantùm eſſe habitus judicativos, ſeu ut loquitur Philoſophus ibi, eſſe habitus quibus intellectus affirmando aut negando verum dicit, non autem eſſe abſolutè omnes. Sed hæc reſponſio confirmat intentum argumenti; Philoſophus enim ibi voluit enumerare omnes omnino habitus intellectuales, ut patet ex titulo capitis qui eſt iſte: *Habituum intellectualium enumeratio*; & tamen enumeravit judicativos tantùm, ergo jam ſecundùm ipſum non dantur alii habitus intellectuales quàm judicativi.

4. Probo denique, quia omnes communiter negamus argumentorum conſequentias quum libet; hoc autem evidenter infert concluſionem noſtram, quòd ſcilicet diſcurſus ſit judicium, nam qui negat aliquid Adverſario, utique

negat,

negat id, quod alter aſſerit, ſi ergo negat conſequentiam, utique Adverſarius aſſerit aliquid ſuâ conſequentiâ, atque ita conſequentia eſt judicium ſive enunciatio, & denique ſecunda intellectûs operatio.

Hæc habui pro illa reſolutione Doct. in logicis; cui tamen non video ipſum nimis adhærere, nam 12. *Met. q.* 26. oppoſitum ponit, quantum ad hoc quòd non coincidat diſcurſus cum judicio. Unde dabo hic quæ mihi occurrerunt pro veteri traditione ſcholarum, numerantium tres operationes intellectûs ſpecie diſtinctas, ex quibus tertia & fortè principalis eſt diſcurſus.

5. Itaque, quòd diſcurſus diſtinguatur à judicio, ſuadeo ſic, & incipio ab ultimo medio partis oppoſitæ de conſequentia. Nam ubique tritum eſt conſequentiam non dici veram aut falſam, ſed bonam aut malam: Si autem conſequentia eſſet judicium aut enunciatio, utique eſſet vera vel falſa quid ni enim, ſicut aliæ enunciationes? ergo.

6. Secundò ſic: nam ſi diſcurſus quæ ponitur tertia operatio intellectûs non ſit diſtincta à judicio, non eſt, cur numerentur tres operationes intellectûs magis quàm triginta, hoc autem negant etiam Adverſarii, qui omnes paſſim utuntur hâc calculatione in intellectu, & hâc methodo in Logica, quam faciunt tripartitam in tres ſpecies diverſas, ergo. Probo jam ſequelam, nam quòd unum judicium ſequatur aliud non eſt novum aut proprium ſecundo judicio, ſed convenit quarto & quadrageſimo, quum objectum propoſitum eſt obſcurum & valde remotum à primo principio, adeòq; multis conſequentiis eget, ut reducatur ad evidentiam principii, ibi inquam unum judicium ſequitur aliud, & aliud ad hoc, & quartum ad hoc tertium, & ſic in longiſſimam ſtruem. Jam dicat Adverſarius cur ſecundùm judicium dicatur tertia operatio intellectus magis quàm tertium dicetur quarta, & ſic de cæteris? Confirmatur, nam ſi operationes intellectus numerentur intra eandem ſpeciem plures, jam ipſum judicium non erit ſecunda, quia nimirum præceſſerunt duæ operationes, ſcilicet duæ appræhenſiones ſubjecti & prædicati.

7. Tertiò efficaciùs ſic arguo: Quæcumque operatio habet diverſas affectiones & proprietates ab affectionibus alterius, utique diſtinguitur ſpecie ab illa, diſcurſus habet diverſas ab affectionibus judicii, ergo diſtinguitur ab illa. Major patet ita vera, ut etiam diverſa accidentia communia ſufficiant ad diverſificanda aliqua, quando unum eorum affici poteſt & ſolet illis, alterum non item; probo ergo minorem. Nam aliæ regulæ dantur ad regulandum judicium, aliæ ad regulandum diſcurſum, ut patet in Logica Philoſophi & aliorum. Diſcurſus habet modum & figuram, enunciatio non: Ille eſt quidam motus in genere intellectuali (propter quod Philoſophus 12. *Metaphyſic. citat.* negat primo enti diſcurſum, quia nimirum primum illud eſt immobile) judicium non item, & alia ſexcenta.

Dices hæc non competere ſimplici judicio, bene tamen judicio compoſito ſeu aggregato ex pluribus. Reſpondeo: Etſi verè ita ſit, tamen Adverſarios ipſos non contendere quòd conſequentia ſeu illatio ſignificata per illud *ergo*, aut ſimile conſtet multis judiciis. Unde argumentum inſtaurari poteſt in hunc modum: Modus, figura, &c. conveniunt diſcurſui ratione illationis ſeu conſequentiæ ſignificatæ per illud ſyncathegorema *ergo*; atqui nullum unum judicium requirit modum & figuram, ergo illatio & conſequentia illa non eſt judicium, ſed novum quid diverſæ rationis: Confirmo; judicium, in quo Adverſarii ponunt conſequentiam, eſt; quòd hoc ex illo ſequatur: ſive, quòd impoſſibile ſit antecedens eſſe verum conſequenti falſo, quod totum volunt dici illo diſyllabo *ergo*; ſed hoc judicium manifeſtè poteſt haberi ſine modo & figura; & omnino à non diſcurrente, ergo non conſiſtit in eo diſcurſus.

Dici poteſt hoc judicium in actu ſignato haberi ſine diſcurſu, non verò in actu exercito. Fateor: Ita dici poteſt, & ſic eſt in re, nam exercitium hujus judicii, & quaſi praxin quandam nos volumus eſſe conſequentiam: Adverſariis autem exponendum eſt quid dicat habens hoc judicium in actu exercito, aliud ab eo quod dicit qui ipſum habet in actu ſignato, quod non facient, nec Scotus ipſe in hoc laboravit, nos autem facilè explicabimus ut jam infrà, ergo.

8. Itaque exiſtimo probabile eſſe ſecundùm hanc viam, quòd diſcurſus ſive conſequentia ſit tertium quid diſtinctiſſimum ab apprehenſione & judicio, & ſit potiùs actio aut factio, quàm intelligentia aut cognitio. Eſt enim illatio & deductio unius ex alio, in quo apparet labor & induſtria intellectûs, cui reſpondet cognitio conſequentis tanquam fructus aut (ut ſic dicam) præda quædam ex præmiſſis collecta. Explicabo hanc rem primò à ſimili, deinde probabo ſpeciali argumento ultrà jam dicta. Simile huic eſt actus qui dicitur imperium, qui à Thomiſtis aſſignatur intellectui, & tamen non eſt nec appræhenſio, nec judicium; à nobis aſſignatur voluntati nec tamen videtur ſufficienter explicari dicendo quòd ſit amor, aut volitio alicujus; ſed cogitari debet actus unius qui aliquid præſtet & imponat neceſſitatem alteri, ita hic. Simile item eſt quod dicitur in Deo potentia, ſeu etiam actus executivus, v. g. actus quo creat; ille enim non videtur ſufficienter haberi per judicium de termino creationis, nec per amorem ejus. Et quamvis dici poſſet, quòd explicaretur ſufficienter per amorem efficacem, tamen hoc pro nobis facit, illam enim efficaciam volumus importari ibi per actum creandi, hic per actum inferendi.

Jam ſuadeo modum hunc ratione logicâ; ponitur enim ab omnibus Logica utens, ut diſtincta à docente & ad hanc docentem pertinet fabrica inſtrumentorũ ſciendi; non eſt ergo cognoſcitiva ſeu ſpeculativa hæc Logica, ſed practica ſeu factiva, & ſi illa ſit practica ac factiva, ſine dubio intellectus erit talis, ſive habebit actum qui ſit praxis, aut quaſi praxis, ſeu factio, ac productio, non verò cognitio aut aſſenſus præciſè; non enim poteſt activitas habitus latius patere quàm pateat activitas potentiæ, quum habitus ſubordinetur potentiæ in agendo: At verò omne judicium de veritate aut bonitate alterius eſt cognitio, & ſimiliter omnis aſſenſus præſtitꝰ alicui propoſitioni propter ejus veritatẽ, ergo jam intellectus habet aliquẽ actum qui nõ ſit judiciũ & multo minùs appræhenſio; erit ergo tertius actus diſtinctꝰ per quẽ aliquid quaſi fit & infertur, quod eſt intẽ-

illud enim erit formale diſcurſûs; dico formale, quia concurrunt ad ipſum plura judicia, ſed tanquam materia ex qua ejus. Dici poſſet ſequi hinc dari quatuor aut etiam quinque operationes intellectûs. Reſpondeo non ſequi, & quamquam ſequeretur adhuc ſtare reſolutionem poſitam, & quidem paulò magis, quòd de his ſit ſatis; re enim verâ controverſia ſpectat ad animaſticum. Sit ergo logica.

ACTIO VI.

Vtrum converſio ſit conſequentia formalis, nec ne? Item an Argumentatio?

Breviarium.

N. 1. *Concluditur & probatur Converſio de conſequentia.*

2. *Alia probatio. Inſtantia contraria: ſolvitur.*

3. *Converſionem æquivalere argumentationi.*

4. *Inſtatur contra hoc; & reſpondetur. An ſyncathegorema ſit pars propoſitionis?*

5. *Objectio ſoluta. Converſio, æquipollentia, &c. parvi æſtimanda.*

6. *An Converſio ſit enthymema?*

1. REſpondeo ad primum affirmativè, in quo duo dico: unum, quòd Converſio ſit conſequentia, alterum, quòd ſit formalis: idque intelligo attentis regulis, quæ ei præſcribuntur, quas ſuppono ex Philoſopho 1. *Pr.* c. 1. Scoto *ibid. q.* 12. Io. de Magnis *q.* 3. & antiquis Summuliſtis paſſim.

Primum probo; quia ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis, ut hîc: Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo. Nam ſi nullum animal ſit homo, quod eſt oppoſitum conſequentis, ſequitur, quòd aliquis homo non ſit animal, quod eſt oppoſitum antecedentis, ſequitur enim, quòd nullus homo ſit animal, eò quòd hæc, nullum animal eſt homo, diſtribuat tam ſubjectum, quàm prædicatum, atque ita excludat animal ab omni homine; ſi autem aliquis homo eſſet animal, non excluderetur animal ab omni homine, niſi aliquis homo uniretur animali, quia unio eſt mutua referentia aliquorum, atque ita à primo ad ultimum converſio habet naturam & ſigna conſequentiæ formalis, ut ſcilicet antecedens non poſſit eſſe verum, niſi conſequens ſit, &, ut ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitum antecedentis.

2. Probo etiam iterum idipſum, quia converſio eſt medium oſtenſivum virtutis ſyllogiſticæ, per hanc enim Philoſophus 1. *Pr.* probat modos imperfectos ſeu inevidentes reducendo eos ad perfectos per converſionem alicujus aut omnium præmiſſarum, quâ factâ concluſio imperfecti ſequetur in ſyllogiſmo perfecto, dicitur autem ſic probari imperfectus ſyllogiſmus, quia oſtenditur ſic evidenter, quòd ex illis præmiſſis ſequitur concluſio, eò quòd ſequatur ex earum convertentibus, quia ſcilicet convertens eſt conſequens converſæ, quidquid autem ſequitur ex conſequenti, ſequitur ex antecedenti: Subſumo jam, non eſſet Converſio medium probandi ſyllogiſmos, niſi ipſa eſſet legitima & infallibilis conſequentia, ergo, cùm ſit medium, eſt conſequentia, hæc enim probatio ſyllogiſmi nititur rationi conſequentiæ in Converſione, quia convertens eſt conſequens, & converſa antecedens, ergo, niſi ſit, non probatur conſequentia ipſius ſyllogiſmi.

Dici poteſt adhiberi alia, quæ non ſunt formales conſequentiæ ad probationem ſyllogiſmorum, adhibentur enim (ut alia omittam) expoſitio & tranſpoſitio, ergo nec hinc ſequitur converſio eſſe conſequentia formalis. Reſpondeo tranſpoſitionem non eſſe probationem, non enim ſufficit ſine Converſione. Converſio autem ſufficit ſine tranſpoſitione, ut patet in Datiſi, qui eſt quartus modus tertiæ figuræ, & probatur per ſolam converſionem minoris, ergo. Patet ergo non eſſe hîc paritatem, ſed conſequentiam negandam: & confirmo hinc ipſum intentum, quoniam Baroco & Bocardo non poſſunt oſtenſivè reduci, cujus cauſa non eſt alia, niſi quia conſtant ambo particulari negativâ, quæ non poteſt converti.

3. Dico ſecundò ad alteram partem tituli: Licèt Converſio ex genere ſuo non ſit argumentatio formalis, tamen nec ex genere ſuo eſt non-argumentatio formalis, unde falluntur, qui abſolutè negant converſionem eſſe argumentationem.

Quòd Converſio non ſit ex toto genere formalis argumentatio, patet, quia non ſemper habet terminum aliquem in antecedenti, qui non ſit in conſequenti, ut patet in converſione univerſalis negativæ, verbi gratia, nullus homo eſt lapis, nullus lapis eſt homo. hoc autem eſt de ratione argumentationis, quia inde nomen ſumit, ab argumento ſcilicet ſeu medio, ex quo aliud deducit, ut notavit Fonſeca *libro ſexto* ex Marco Tullio, nec eſt, quòd ampliùs laboremus in probando eo, quod nullus negat.

Probo ergo, quòd negant plerique omnes Converſionem eſſe argumentationem, idque ex oppoſito medio: quia ſcilicet converſio aliquando habet aliquid in antecedente, quod non ponit in conſequenti, imò hoc univerſaliter contingit in converſione per accidens ſeu in parte (ut loquitur Ariſtoteles) v.g. hîc: Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo, dico hîc poni aliquod in antecedenti, quod non eſt poſitum in conſequenti, quia ſcilicet omnis homo poſitus eſt in antecedenti, ſive homo cum ſua univerſalitate, at verò in conſequenti non eſt poſita univerſalitas ejus cum ipſo (cùm ſit prædicatum propoſitionis particularis affirmativæ, quæ non diſtribuit prædicatum) imò nec, ſi eſſet univerſalis, diſtribueret, ut patet in converſa illa: Omnis

omnis homo eſt animal: cujus prædicatum non eſt diſtributum, & propterea nō poteſt ſimpliciter converti propoſitio, ſeu in toto, ſed tantùm per accidens.

4. Adhæc omnia reſpondent Adv. negando; dicunt ergo nihil poni in antecedenti quod non ponitur in conſequenti, quia nimirum ſincathegoremata illa non pertinent ad terminos propoſitionis, nec ad integritatem earum. Sed ſi ita eſt, & ſincathegoremata ſunt impertinentia ad terminos propoſitionis, quæro ex his, quare quælibet propoſitio non poteſt in ſuis terminis verti? Cur univerſalis affirmativa nō poteſt ſimpliciter cōverti? certè alia ratio non eſt niſi quia in convertente non poteſt aſſumi ſincathegorema univerſale; at verò ſi ſyncathegorema illud nil poneret ſubjecti aut prædicati, quid ni poſſet veriſſimè aſſumi?

Arguo etiam contra hanc ſolutionem ad hominem ex dictis paulò antè: Inductio enim ſecundùm plures eſt etiam argumentatio, ſecundùm omnes eſt conſequentia; & qui negant ipſam eſſe argumentationem, dicunt fieri poſſe talem ſubſumendo unam Minorem, quæ aſſerat enumerata eſſe omnia individua illius ſpeciei; v. g. ſic; Hoc elementum eſt materiale, aliud elementum eſt materiale, terra aqua, aër & ignis ſunt materialia, ergo omnia elementa ſunt materialia. Hæc (inquiunt illi) reducitur ad ſyllogiſmum interponendo hanc Minorem: ſed hoc & illud ſcilicet, Terra, aqua, aër & ignis ſunt omnia elementa, ex quo ſic arguo: Illud τὸ *omne* aut eſt aliquid termini, hic, aut non; ſi ſic, habetur intentum ſi non; ergo inductio ne quidem cum illa, minori eſt argumentatio; probo hanc ſequelam quia aliqua præmiſſa, imò quælibet præmiſſa eſt idem cum concluſione, eò quòd ibi non ſunt tres termini, idem enim eſt dicere, hoc elementum aut illud elementum, & omne elementum.

Dices, quidquid ſit de hoc an aliqua præmiſſa coincidat cum concluſione, ſaltèm omnes præmiſſæ coincidunt, atque ita argumentum contra nos redit: ratio, quia hoc & illud & cætera ſunt omne. Reſpondeo etiam deffinitum eſt deffinitio realiter (certum eſt enim quòd homo ſit animal rationale) & tamen faciunt diſtinctos terminos, ita hic. Confirmo intentum ex Philoſopho 1. *Pr.* 1. ubi ſyllogiſmos imperfectos vocat eos qui alicujus alterius indigent ut appareant evidenter; indigent autem converſione ſuarum præmiſſarum, adeòque propoſitio convertens, ſecundùm ipſum, eſt alia à convertente.

5. Objiciam tamen contra primam concluſionem, quòd converſio non ſit conſequentia, quia nullum inſtrumentum logicale debet poni ridiculum aut nugatorium; talis autem eſt converſio; conſtat enim iiſdem terminis & eâdem copulâ ergo quid enim eſt propoſitionem eſſe identicam & nugatoriam niſi hoc ſit? Propter hoc equidem non magni facio converſiones, & omnium minimè illas univerſalis negativæ, & particularis affirmativæ, quæ ſimpliciter convertuntur, & redeunt cum iiſdem etiam ſyncathegorematibus. Minùs etiam facio conſequentias ductas ab æquipollenti una ad alteram, quia non adferunt novi aliquid niſi voces. Denique vix æſtimo diſtinctionem conſequentiæ ab argumentatione; quia nimirum, niſi velimus ludere, ſemper debet aliquid eſſe in antecedenti, quod non ſit in conſequenti; ſive debent termini eſſe aliquo modo diverſi quod in ſola argumentatione præſtatur, non item in conſequentia, quæ proinde parvi valoris videtur. Hoc placitum meum video ſatis expreſſum apud ſubtilem qui *quæſtione* 5. *in* 1. *Prior.* dicit *in deffinitione ſyllogiſmi poni* aliud ab hiſce *ad differentiam conſequentiæ quæ eſt à copulativa ad alteram ejus partem quia in tali conſequentia infertur idem per idem*, v. g. in hac: Petrus eſt albus, & Paulus loquitur, ergo Petrus eſt albus: quod ſi verum eſt, tum hæc erit identica: omnis homo eſt albus, ergo aliquis homo eſt albus; quia ſimiliter eſt à parte ad totum ut vides, ergo Quia tamen Doctor *quæſtione* ibidem & alibi ſupponit harum aliquas diſtingui, ſcilicet convertentem & converſam: Reſpondeo hic non fieri negationem nec repetitionem ejuſdem: quia licèt ſint iidem termini non ſunt eædem propoſitiones, eò quòd in propoſitione non quomodocumque affirmentur extrema, ſed unum determinatum de alio determinato, hoc eſt unum ponitur tanquam ſubjectum & materia, aliud tanquam forma; at verò quando invertuntur termini ut fit in converſione, & ſubjectum fit prædicatum, tunc non ponitur pro ſubjecto priùs, nec affirmatur quod antea affirmatum eſt, ſed aliud, adeòque non relinquitur eadem propoſitio. Confirmatur, quia generatio & corruptio ſunt diverſi motus ſpecie, & tamen ſunt inter eoſdem terminos, hoc ſolo diſcrimine quòd is qui fuit antè terminus à quo jam ſit terminus ad quem: hoc contingit in converſione, quoniam id quod fuit ſubjectum in converſa eſt prædicatum in convertente ergo jam convertens & converſa diſtinguitur ſpecie. Idem eſt de aſcenſu & deſcenſu, de itinere Athenis Thebas, & Thebis Athenas.

6. Dices, ſi hæc ità ſint, jam converſio eſt enthymema, quod nemo dixit. Reſpondeo: Parum refert, quòd nemo hoc dixerit, quidni enim dicamus primò nos quod dicendum eſt? & ſanè valde ineptum eſt quod ad hoc dicit Morilanus noſter Converſionem non eſſe enthymema, quia deeſt ei tertius terminus; quaſi verò enthymema requirat, ac non potiùs arceat à ſe tertium terminum, cùm hic ſit proprius ſyllogiſmi.

Sed contrà inſtari ſic poteſt. Enthymema poteſt reduci ad formam ſyllogiſmi per aſſumptionem tertiæ propoſitionis: Converſio non poteſt; nam ſi dicam: Nullus homo eſt aſinus, ergo nullus aſinus eſt homo, id non poteſt redigi in ſyllogiſmum niſi interponendo hanc Omnis aſinus eſt aſinus quod ridiculum eſt, ergo. Reſpondeo: Nego majorem, quæ in eo fundatur quòd enthymema habeat formam ſyllogiſmi (non verò aliam) etſi imperfectam: id autem falſum eſſe oſtenſum eſt, & certè ſi reduceretur, non eſſet enthymema quòd afficeretur forma ſyllogiſmi, ſed aliud; dum enim aſſumeret formam ſyllogiſmi, perderet ſuam. Confirmo ſolutionem; etiam Inductio poteſt redigi in ſyllogiſmum, & tamen volo ut redigant mihi iſtam: Hic ſol movetur, ergo omnis ſol movetur. Certè non evadet ſyllogiſmus, niſi per additionem unius propoſitionis tam

abſurdæ, quàm eſt illa ſuprà addita, ſcilicet iſtius: Hic ſol eſt omnis ſol, quæ propoſitio repugnat ſibi; repugnat enim ſingularitas importata per *hic* univerſalitati importatæ per *omni*.

Tractant hæc

Ariſt. 1. & 2. *Pr. per totum*. M. Cic. *in Topic. ad Trebat*. Aug. *lib. 2. de doct Chriſt. c.* 31. & 32. & *de mal princ. c.* 3. Boët. *in Topic. & Prior. Ariſt* S. Thom. *op* 48. & 67. & *lect.* 1. *in* 1. *Poſt.* & 1 *p. q.* 58. *art.* 3. & *q* 2. *de veri*. Albert. *tract.* 2. *in Porph.* & *in* 1. *Prior. c. ult.* Albert de Saxonia *tract. log. cap.* 8. Savanorola *lib.* 6. *de poteſtate faciendi ſyllogiſm.* Gregor. *in prol. q.* 3. *art.* 1. Cajet. Bann. Molin. *cum* D. Th. *p. citat.* Durandus 2. *d.* 38. *q.* 13 *n.* 13. Soncin. 6 *Met. q.* 10. Ferrar. 1. *contra gentes c.* 55 Sot. 1. *Poſt. c.* 1. Tartar. 2. *Pr fine*. Maſius 1. *Pr q* 5. Lemus ab eo ibid. relat.

Conymb. 1. *Pr. c* 1. *q.* 2. Caſil. *lib.* 3. *tract.* 3. *c.* 6. Rodriguez, Hurtado *diſp.* 10 *Logica* Arria. *lib* 7. *logic. diſputat.* 15. Poncius *in Log parva cap.* 11. &c. Fonſeca *lib.* 6. *inſtit. ſex. prim. cap.* 1. & *lib.* 2. *Met. cap.* 3. *q.* 1. *c.* 4. & *lib.* 6. *c.* 1. Averſa *tract.* 4. *inſtit.* & *q.* 24. *log.* Gaſpar Fuentes 3. *p. ſummul. copulata* Colon. *in* 1. *Prior* Tollet. *lib.* 2. *cap.* 8. Marſil. *q.* 20. Alaman. *q.* 20 *art.* 2. Smiglet. *diſp.* 13. *q.* 1. Ruvius 1. *Poſt q.* 5. Vaſq. 1. *p. diſp.* 206. *c.* 2. Amicus *tract.* 23. *diſp.* & *q.* 2. Moriſſan. *in lib. Prior. dub.* 1. & *dub* 2. *in cap.* 2. Maſtr. 1 *p. inſtit. tract.* 3. *c.* 2. 3. Oviedo, & Rec. ſuprà.

APOLOGIA SECUNDA.
De ſyllogiſmo.

ACTIO I.

Quid ſit ſyllogiſmus? Et quibus principiis innitatur?

ACTIO II.

Vtrum præmiſſæ ſolæ ſint ſyllogiſmus?

ACTIO III.

Vtrum, & quomodo aſſenſus præmiſſarum neceſſitet ad aſſenſum concluſionis?

ACTIO IV.

Quomodo aſſenſus præmiſſarum cauſet aſſenſum concluſionis?

ACTIO V.

Vtrum aſſenſu concluſionis, feramur etiam in præmiſſas?

Scotus q. 7. primi Prior. n. 3.

NUnc ponuntur concluſiones: Prima eſt, quòd omnis ſyllogiſmus in aliquo quatuor modorum primæ figuræ tenet directè & immediatè virtute alicujus dictorum principiorum (ſcilicet *dici de omni & dici de nullo*) quia ſi omne B. eſt A. & omne C. eſt B. ſequitur quòd omne C. ſit A. & tenet virtute aliquorum quæ ſignificant prædicatum dici de omni illo, de quo dicitur ſubjectum, ſimiliter poteſt exemplificari de negativis, oſtendendo ſic: Nullum B. eſt A. iſta eſt major, & ratione ſigni ſignificat prædicatum prædicari de omni illo de quo dicitur ſubjectum, ideo ſi ſubjectum ſumatur de aliquo ut omne C. eſt B. ſequitur virtute ſignificationis majoris quòd nullum C. eſt A.

Idem in prologo ſentent. quæſt. 3. 4. & 5. Lateral.

OPpoſitum videtur, quia quidditas ſubjecti in quocumque lumine videtur, continet virtualiter veritates quas poteſt facere notas intellectui paſſivo à tali objecto. Si igitur quidditas lineæ viſa in lumine naturali poteſt notas facere veritates in ſe incluſas intellectui noſtro pari ratione & ut viſa in eſſentia divina, ſed omnis veritas cauſata in intellectu noſtro per aliquid prius naturaliter notum cauſatur per diſcurſum. quia diſcurſus non requirit ſucceſſionem temporis nec ordinem ipſius, ſed ordinem naturæ, ſcilicet quòd principium diſcurſus ſit naturaliter prius notum, & ut ſic cauſativum alterius extremi diſcurſus.

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO I.

Quid ſyllogiſmus?& quibus principiis innitatur; illis, *dici de omni*, & *dici de nullo*? An verò Methaphyſico illi. *Quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

Breviarium.

N. 1. *Definitio ſyllogiſmi apud* Ariſtotelem : *deficit aliquoties*

2. *Aſſignatur exacta definitio illius.*

3. *Mens Scoti circa fundamentum ſyllogiſmi; Item Ariſtotelis.*

4. *Ratione oſtenditur ſyllogiſmum nonniti illi.* Quæcumque ſunt eadem tertio, *&c.*

5. *Principium illud ne quidem in creatis currere.*

6. *Vera fundamenta ſyllogiſmorum.*

7. *Dicta de omni & nullo ſunt fundamenta ſyllogiſmi de medio communi Probatio.*

8 *Objectio ex divinis; ſolvitur.*

9. *Syllogiſmus expoſitorius nititur illi.* Quæcunque eadem tertio.

10. *Inſtantia contraria : ſyllogiſmus in divinis qualis?*

11. *Sophiſmata contra fidem ſacroſanctæ Trinitatis; diſſoluta.*

12. *Omnem ſyllogiſmum inniti uni & cui.*

13. *Objectiones duæ; ſolutæ : diſcrimen principiorum.*

14. *Vltima, ſolvitur, quomodo facienda diſtributio in divinis?*

1. DEfinit ſyllogiſmum Ariſt. 1. Pr. 1. quòd ſit *Oratio, in qua poſitis quibusdam alterum quid à poſitis neceſſe eſt contingere, eo quod hæc ſint.* Quam definitionem tanquam oraculum omnes amplectuntur; aliqua tamen contra eam occurrunt eò magis quod magiſtro noſtro non usque adeo probatur, ut videre eſt in ſupradictis, & apud ipſum *q. 6. pr. Prior* In primis autem libentius legerem, ſyllogiſmus eſt *ratio* ſive diſcurſus, quam oratio non quod oratio non ſit genus remotum ſyllogiſmi, ſed quia revera non eſt genus aut prædicatum intrinſecum ei ſi propriè loqui velimus, ſed potiùs *orationes*; nam quamvis demus antecedens cum conſequenti facere propoſitionem hypotheticam unam ratione cauſalis *ergo*, ſed ipſum antecedens non facit, quoniam duæ præmiſſæ ejus nullo vinculo adſtringuntur, niſi dicere velimus ly *ſed* quod interponitur ſæpe majori & minori reducere præmiſſas in hypotheticam unam quod nimis voluntariè diceretur, quum talis hypothetica hactenus non ſit agnita in ſcholis.

Magis moveor altero, quod ex dictis ſequitur, ſcilicet non ſoli ſyllogiſmo competere, quod hîc dicitur, ſcilicet eſſe orationem in qua quibusdam poſitis aliud neceſſe eſt. Nam (ut omittam enthymema, cujus antecedens eſſet hypotheticum & conſequenter plura aſſumpta, ſaltem cathegorica & ſimplicia faceret) ſaltem inductio manifeſte plura ponit ſcilicet præmiſſas ſuas quæ poſſunt eſſe non ſolùm duæ, ut in ſyllogiſmo ſed ducentæ, & tamen illis poſitis aliud evenire neceſſe eſt, ut ſuprà.

Denique maximè moveor, eò quòd in definitione ponantur plura illa, ſed non explicatur determinatus eorum numerus, quum tamen ſyllogiſmus neceſſariò requirat determinatum numerum præmiſſarum & terminorum, quæ ut non poſſunt eſſe pauciora tribus, ita nec plura

2 Dicerem ergo magis propriè ſyllogiſmum eſſe *argumentationem tribus propoſitionibus & totidem terminis conſtantem, in qua ex unione extremorum cum medio in premiſſis colligatur in concluſione unio aut identitas earum inter ſe.* Hæc non eget commentario aut probationibus; ſe ipſam oſtendit; non enim video aptiorem formam definitionis, quam ut dicamus vocibus, quod intelligimus mente, intelligimus autem omnes per ſyllogiſmum quod in concluſione poſui adeoque.

Objici tamen poteſt caſus, in quo præmiſſæ fierent una propoſitio hypothetica conjunctione aliquâ copulativâ aut ſimili interpoſita, ut ſi dicam: omnis homo eſt riſibilis, & Petrus eſt homo ſequitur concluſio ſyllogiſtica . ergo Petrus eſt riſibilis: quæ tamen habet unam præmiſſam duntaxat, ergo, Reſpondeo: Habet unam præmiſſam hypotheticam, ſed dicas Cathegoricas quod ſufficit, & hypothetica eſt planè impertinens; non enim ex conjunctione illa copulativa, aut ſimili in quibus ſtat forma propoſitionis hypotheticæ ſed ex ipſis ſimplicibus cathegoricis oritur vis illativa quæ eſt in præmiſſis ad alteram partem principalem tituli quæ verè logica eſt, immo & fundamentum tam hujus quam cæterarum omnium ſcientiarum, vetus & nova doctrina logicorum, & quaſi traditio aut ſuppoſitum eſt quod vis ſyllogiſtica fundetur in illo principio; *quæcunque ſunt eadem uni tertio*, aut quomodocunque uniuntur ei *ſunt eadem* vel ſimiliter uniuntur *inter ſe*. Hinc enim in concluſione rectè inferuntur duæ extremitates identificari aut uniri inter ſe quia in præmiſſis oſtenſum fuit eas uniri uni tertio: unde medius terminus in utraque præmiſſa poni debuit, ut in ſingulis præmiſſis ſingulis extremitatibus uniretur Ockam. *cap. 6. prima parte inſtit. tr. 3.* Maſtrius & Bell. collegium Complut. *l. 3. inſtitutionum*: & præ omnibus Franciſcus Mendoza *diſp 1*?. *log. ſectione* 10. & ex parte Barth. Amicus *tr. 23 q. & dub.* 1. ſed & maxima pars Theologorum qui vehementer laborant in defendenda fide trinitatis ab eo principio, & varias variasque vias adferunt, ut videre eſt apud noſtrum Smiſinge *Theod. Smiſinge.* *tractatu primo de trinitate quæſtione* 3. & ante *tractatu ſecundo de Deo uno. quæſtione prima*, hoc autem in præſenti ideo opportuit ſignificare, quia ſcilicet timent

 Theo-

Theologi; ne fortè forma ſyllogiſmi nihil concluderet in divinis, ſi ibi negetur aut violetur illud principium: quæcumque ſunt eadem tertio, adeòque cenſent concluſionem ſyllogiſticam ei inniti. Sed pace tantorum non poſſum in hoc ipſis convenire, non ſolùm, quia ſubtilitas Doctoris eſt in oppoſitum, ſed etiam quia ratio eò inclinat, utrumque poſt concluſionem oſtendo.

Falſa fundamenta ſyllogiſmi.

3. Dico ergo reſolutivè: Vis ſyllogiſmi in genere non innititur illi principio (Quæcumque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem etiam ſibi) Hæc eſt noſtri Doctoris tum logica tum theologica doctrina; nam & in *Comment.* 1. *Pr.* eam tradit tam in titul. quàm in reſolutionibus quæſtionum: & deinde in 1. *d.* 2. *q.* 4. potius ſeptima, in re negat hoc principium aliquoties, reſpondendo ad objectionem ex eo ductam circa myſterium Trinitatis, licèt non utatur verbis palàm negativis; dicit enim quòd eſſentia divina non habet unam identitatem realem ſeu realitatem ſed duas, quarum unam ſcilicet poſſit communicare perſonis, aliam reſervare ſibi quod eſt in re negare hoc principium quum principium nitatur oppoſitum colligere.

item Molin. 1. p. q. 21. art. 3. diſp. 2. Vaſq. *ibid.* *diſp.* 123.

Scot. Objicies tamen illum *q.* 4. *n.* 10. dicentem, quòd per hoc principium, quæcumque eadem tertio tenet omnis forma ſyllogiſmi perfecti, quod eſt directè oppoſitum concluſionis. Reſpondeo: Hoc habet ſed in objectione quā poſtea ſolvit. Dices etiam in ipſa ſolutione hoc repetit, ergo id ponit de mente ſua, ac non tantum de mente Adverſarii, vel tanquam objectionem quam negat. Reſpondeo Scotum hoc dicere in ſolutione at non abſolutè ſed cum limitatione quam ibidem adhibet, quâ poſitâ ſubdit; & per hanc propoſitionem ſic intellectam tenet omnis forma ſyllogiſtica.

Probo jam intentum in primis ex Ariſtotele, qui 1. *Prior cap.* 1 aſſignans fundamenta totius fabricæ ſyllogiſticæ, hujus non meminit. Duo principia poſuit quib⁹ inniteretur vis concludendi in ſyllogiſmo, ſed eorum neutrum eſt iſtud? ſanè autem, etſi hoc argumentum ſit negativum, tamen non parum æſtimari debet, quum non ſit credibile Ariſtotelem omiſſurum principium quod maximè neceſſarium fuit, & ipſe probè ſcivit, ut patet ex ipſo non ſolùm in primo Topicorum ut notavit Amicus cit ſed etiam hic ipſum *cap.* 2. ſequenti, ubi per hoc principium probat converſionem univerſalis negativæ, ut notavit Doctor noſter illa *q.* 9. *cit.*

4. Probo ratione, quia principium illud non eſt ſolidum; quod ſi probetur, certè jam perſuaſum eſſe debebit vim ſyllogiſticam ei non inniti. Probo autem aſſumptum pluries: In primis enim fallit in divinis non enim quæcumque ibi ſunt eadem tertio proinde ſunt inter ſe; relationes enim divinæ, puta paternitas & filiatio ſunt eædem tertiæ eſſentiæ; nec proinde tamen ſunt eædem inter ſe, & idipſum eſt de perſonis ſolis v. g. de ſolo ipſo patre qui abſolutè eſt alius & diſtinctus realiter à filio etſi ipſe & filius identificentur realiter tertio, ergo.

Dices jamdudum à Theologis oſtenſum eſſe, quòd forma ſyllogiſtica etiam in divinis concludat non obſtante toto hoc miraculo, ergo non eſt ad propoſitum. Reſpondeo: Jam de hoc non agimus, an forma ſyllogiſmi valeat aut non valeat in divinis, ſed an hoc principium teneat univerſaliter, de quo negativam partem oſtendi efficaci illâ inſtantiâ & quæ major eſt omni exceptione, quam & jam repeto ſic: Paternitas & filiatio divina ſunt eædem realiter tertio, nec tamen ſunt eædem inter ſe, ergo non, quæcumq; ſunt eædem tertio proinde identificantur inter ſe: in quo diſcurſu neſcio, quid carpi poſſit.

Inſtat tamen Mendoza: Etiam dicta illa de omni & de nullo fallunt in divinis, ergo ſi negetur propter hoc ſyllogiſmus fundari in principio metaphyſico, negandum eſt, quòd fundetur etiam in illo Logico. Reſpondeo: Sufficit mihi Metaphyſicum eſſe falſum, quod autem adfertur contra Logicum infrà ſolvam ſi defendero Logicum.

5. Interim oſtendo principium methaphyſicum fallere etiam in creatis, & utor exemplis, quæ tetigit Doctor citatus. In primis autem arguo quaſi theoricè ſic: Non quæcumque comparatio aliquorum eſt ad aliquod tertium, illa poteſt poni ipſorum inter ſe, ergo nec ſi identificantur tertio, debent ideo identificari inter ſe; patet antecedens à paritate; probo autem conſequentiam exemplis, nam quæ ſunt localiter præſentia eidem tertio, non ideo ſunt localiter præſentia inter ſe: quæ ſunt præſentia eidem durationi, non ideo ſimul duratione inter ſe primum eſſe verum patet in anima rationali quæ eſt præſens localiter capiti hominis, & eadem eſt præſens localiter pedi, nec tamen caput eſt præſens localiter pedi. Secundum contingit in æternitate, cui omnia ſunt præſentia nec tamen omnia ſunt præſentia invicem, ut luce clariùs eſt; non enim ego ſum ſimul cum Salomone nec Salomon cum Abraham, aut hic cum Adamo, & tamen ego Salomon coexiſtimus eidem indiviſibili æternitati, ergo. Imo notari poteſt apud ipſos Logicos defectus hujus principii, non enim ſequitur, ſi homo ſit animal, & Leo etiam animal, quod homo ſit Leo, & tamen animal tunc eſt tertium, quid cui homo & leo ſunt ſic idem ut prædicari poſſint cui ergo de ſe prædicari non poſſunt niſi principium hoc patiatur exceptionem, & debeat tertium illud diſtribui quod eſt dici de omni ut infrà, ergo?

Itaque illud principium non tam methaphyſicum quàm mathematicum eſt deſumptum ex Euclide *lib.* 1. *Elem. propoſitione* 1. Ubi ipſum pronunciavit de quantitatibus ſic. Quæcumque ſunt æqualia uni tertio, ſunt æqualia inter ſe, quod veriſſimum eſt nec poteſt admittere exceptionem; tranſlatum autem ad methaphyſica non eſt ita ſolidum aut univerſale ut viſum eſt, ergo. Euclides

Hic tamen argui poteſt pro principio illo methaphyſico à paritate. Cur enim axioma illud verum erit de quantis & non de aliis aut de æqualitate, & non de identitate? imò videtur oppoſitum, ut dixi, dicendum, aut certè concedendum quod etiam in quantis patiatur exceptionē. Reſpondeo: Cauſa eſt quia defectus principii oritur ex inæqualitate alicujus cum tertio, quia ſcili-

ſcilicet tertium latiùs patet, quàm extrema: v.g. anima rationalis licèt occupet locum capitis, tamen latiùs patet quàm caput, & eſſentia divina quàm ulla una perſona, ſi ergo principium non falſificatur niſi per inæqualitatem jam verificatur per æqualitatem, & ita æqualitas eſt prima ratio veritatis illius, non ergo mirum, quòd in eo genere valeat, etſi in aliis non item. Iam

Vera fundamenta ſyllogiſmi, tum communis, tum expoſitorii.

6. Dico: Vis ſyllogiſmi de medio communi innititur illis dictis *de omni* & *de nullo*, ſyllogiſmi tamen expoſitorii vis fundari poteſt in principio illo methaphyſico: *Quæcunque ſunt eadem uni tertio.*

Prima pars habet pro ſe judicium Ariſtotelis, qui cùm ſit author hujus tertiæ partis Logicæ ſive diſcurſûs, fundavit expreſsè eam in illis principiis *de omni* & *de nullo* ut patuit ſuprà ex 1. *Pr* 1. Deinde rationem, quia hæc non patiuntur exceptionem, ſicut illud de identitate aliquorum in tertio: Pro cujus intelligentia dicam breviter quomodo intelligenda ſint ea dicta, nam non omnes rectè intelligunt ea (*a*) etiam qui profitentur.

(*a*) Conimbric. in expoſit. 1. Pr c. 1.

Sed nos ipſum Ariſtotelem audiamus, ait autem idem ſive ſynonyma eſſe *in toto eſſe* ac prædicari *de omni*. Prædicari autem *de omni* definit tunc contingere, *quando nihil ſit accipere ſubjecti, de quo alterum non dicitur.* Item *in nullo eſſe* & *dici de nullo* idem eſſe. Quid autem ſit ipſum dici de nullo? ait ſe explicaſſe in dici de omni, intellige à contrario; vult enim quòd tum contingat quando nihil eſt ſumere ſubjecti, de quo alterum non removetur: ex quibus eliciuntur hæc duo axiomata. Cum quidpiam univerſaliter dicitur de ſubjecto dicitur etiam de quocunque contento ſub illo ſubjecto. Item hoc: Cum quidpiam univerſaliter negatur de ſubjecto aliquo, negatur ſive removetur à quovis contento ſub illo ſubjecto, priori horum nituntur duo modi affirmativæ concluſionis primæ figuræ, ſcilicet *Barbara* & *Darii*; poſteriori alii duo negativæ concluſionis, intellige directè concludentes, quod erat dicere, totam ſtructuram ſyllogiſticam iis inniti, his etiam quatuor modis reliqui omnes omnium figurarum nituntur.

7. Probo jam oſtenſivè vim ſyllogiſticam his inniti, quoniam regulæ ſyllogiſmorum hinc deſumuntur tam univerſales & omnibus figuris communes, quàm propriæ cujusque: Ecce quomodo; prima communis eſt iſta, quòd ex puris particularibus nihil ſequitur; propter quod aliqua præmiſſa debet eſſe univerſalis: quære putamus? niſi quia medium debet *dici de omni*; nam ſi non deberet dici de omni, certè nihil prohiberet præmiſſas omnes eſſe particulares. Secunda, quod ex puris negativis nihil ſequitur; quod ideo eſt, quoniam in tali ſyllogiſmo non obſervatur altera pars dicti *de nullo* quòd ſcilicet illud univerſaliter negatum de ſubjecto removeretur ſive negaretur ab omni contento ſub ſubjecto, ut enim oſtenderetur aliquid contineri ſub ſubjecto aliquo deberet dari aliqua propoſitio hoc affirmans, ideòque nunquam poſſent omnes propoſitiones eſſe negativæ. Tertia adhuc patentiùs oſtendit intentum, iſta ſcilicet, quod medium in aliqua præmiſſa debet diſtribui, cur enim niſi quia *debet dici de omni*, hoc enim eſt diſtribui terminum aliquem ut notum eſt, & eodem recidit regula illa quòd non adhibeantur præmiſſæ indefinitæ ad ſyllogiſmos, atque ita de aliis diſcurrendo inveniretur idipſum in omnibus & ſingulis regulis, quæ propriè logicæ ſunt, quod ideo addo, quoniam ſyllogiſmus habet regulas univerſales, quæ ratione communi cauſæ aut effectus ei competunt, qualis eſt, quòd ſi aliqua præmiſſa ſit particularis concluſio debeat eſſe talis, ſi negativa quòd concluſio debeat eſſe negativa; hoc autem totum eſt quia univerſaliter effectus ſequitur debiliorem partem ſuæ cauſæ, debiliùs autem ſive minùs eſt ſingulare quàm univerſale, & negatio quàm affirmatio, ergo.

Jam deſcendendo ad particulares regulas figurarum; in prima non poteſt eſſe particularis, quia nimirum ſic non diſtribueretur medium, hoc eſt, non *diceretur de omni*. In ſecunda nil ſequitur ex duabus affirmativis; cur? niſi quia ſic non diſtribueretur medium, hoc eſt (ut dixi) non *diceretur de omni*; quia nimirum in ſecunda figura medium ſemper eſt prædicatum, at verò prædicatum propoſitionis affirmativæ quantumvis univerſalis non diſtribuitur. Omitto alias regulas harum figurarum & omnes tertiæ, quia procedunt de diſtributione alicuius extremitatis in concluſione, quæ non fuit diſtributa in præmiſſis, quod non licet, quoniam ſic effectus aliquis excederet ſuam cauſam, atque ita provenit illis ex communi ratione cauſa & effectus, adeòque.

8. Objicies etiam *dictum de omni* fallere, & falli non minùs, quàm *quæcunque ſunt eadem tertio*; in divinis enim non rectè colligit, ut patet hoc ſyllogiſmo, omnis Deus eſt Pater; filius eſt Deus, ergo filius eſt pater, præmiſſæ ſunt veriſſimæ, & ſyllogiſmus in Darii, ergo. Reſpondeo *dictum de omni* nunquam fallere, neque verum eſt quòd aſſumpſit arguens ſyllogiſmum illum non peccare in materia aut forma quin ibi peccavit de facto, in forma intellige quia non debuit affigere ſyncathegorema univerſale Deo, qui eſt quid ſingulare, erat enim ac ſi quis diceret *omnis Petrus* quo nihil ineptiùs. Licèt ergo non peccet fortè contra leges ſyllogiſmi, peccat contra leges propoſitionum aut terminorum, quod perinde eſt. Itaque ſi applicaretur dictum, ſemper rectè colligeret: Ideo autem in præſenti non colligit quia non applicatur ut deberet, ſive (quod idem eſt) quia non diſtribuitur rectè medius terminus qui eſt Deus, de quo infrà latiùs, interim

9. Probo alteram partem concluſionis, quæ procedit de ſyllogiſmo expoſitorio & principio illo, *quæ ſunt eadem tertio*. Nam expoſitorius conſtat medio ſingulari, & quaſi indiviſibili; in talibus autem nunquam poteſt deficere principium illud methaphyſicum, quæcunque ſunt eadem tertio: quoniam, ut ſuprà oſtendi, ideo aliquando deficit, quia contingit tertiū latiùs patere aliquo extremorum, aut etiam utroque; ſic enim non ſequitur pedem eſſe in loco capitis, licèt pes ſit in loco animæ quæ eſt in loco capitis, quia

Digitized by Google

quia anima in ordine ad locum eſt illimitata ſeu latiùs patens, quàm caput. At verò indiviſibile in aliquo genere non poteſt latiùs patere alio, ergo. Valet ergo iſte & omnis ſimilis ſyllogiſmus:

Hic homo eſt ſummus Pontifex,
Hic homo eſt Simon Ioannis, ergo
Simon Ioannis eſt ſummus Pontifex,

quia *hic Homo*, qui eſt medium non latiùs patet quàm Simon Joannis, atqui ita in hujusmodi caſibus ferè reducitur res ad principium mathematicum quod procedit de æqualibus ut vidimus ex Euclide.

10. Objicies: Syllogiſmi omnes in divinis procedunt de medio ſingulari, adeòque omnes ſunt expoſitorii; ſed in divinis fallit illud principium de unitate extremorum *in* tertio, quod ſuprà ipſi diximus, ergo falſum eſt etiam expoſitorium fundari in eo, quòd quæcunque ſunt eadem tertio. Hoc argumentum dat occaſionem explicandi naturam ſyllogiſmi, qui conſtat ex terminis divinis, ſcilicet de natura aut hypoſtatibus Dei, quæ quidem aliò ſpectat, putà ad altiorem tractatum theologiæ, ſed hic ratione formæ decidi debent. Itaque ſyllogiſmi in divinis neque ſequuntur formam ſyllogiſmi de medio communi, ſed nec illam expoſitorii per omnia, quoniam termini ibi neque ſunt univerſales quæ de inferiobus prædicari poſſint, neque ſunt omnino indiviſibiles ſeu incommunicabiles ſed actu communicati pluribus, unde neque cum diſtributione ſumi poſſunt, ut noſtri termini univerſales, neque ſine illa ut noſtri ſingulares, ſed medio modo cum diſtributione ſibi propria & quæ reſpondet communicationi quæ ibi exercetur, & fiet non dicendo *omnis*, aut *nullus*, ſed *omne quod eſt* aut *nihil quod eſt*.

11. Quo animadverſo facillimum erit omnes fallacias quæ contra myſterium ſacroſanctæ Trinitatis formantur, retexere. Ad cujus evidentiam ponam ipſe hic omnes ferè quotquot formari poſſunt ex illo principio contra ea, quæ fide credimus de ſacroſancta Trinitate. Unum eſt illud ſuprapoſitum proximè:

1. Omnis Deus eſt Pater,
Filius eſt Deus, ergo
Filius eſt Pater,

quod quidem habet formam ſyllogiſmi de medio communi, ſecundum hoc habet formam expoſitorii:

2. Hæc divinitas eſt Pater,
Hæc divinitas eſt filius, ergo
Pater eſt filius,

vel directè, ergo
Filius eſt Pater,

item negativè:

3. Pater non eſt filius,
Filius eſt Deus, ergo
Pater non eſt Deus.

Adhuc quartò:

4. Spiratio activa eſt paternitas,
Filiatio eſt ſpiratio activa, ergo
Filiatio eſt paternitas,

hæc enim omnia & id genus ſophiſmata refellentur ſtatim attento quod ſuprà notavi, quod ut applicem ſingulis horum; dico primum illum ſyllogiſmum de forma medii communis non colligere rectè, quia non ſervavit ſuas leges, ut ſcilicet medium diceretur de omni, ſive quod idem eſt, ut diſtribueretur, non enim diſtribui potuit Ly *Deus* per ly *omnis* cùm non ſit natura univerſalis, ſed, quia ſingulare communicabile, ſic diſtribuendum fuit, *omne quod eſt Deus* eſt Pater; quo poſito, concluſio quidem adhuc falſa erit, ſed id ideo continget, quia aliqua præmiſſarum eſt falſa, ſcilicet major, non enim omne quod eſt Deus eſt Pater, cùm Filius & Spiritus Sanctus ſint Deus nec tamen ſunt Pater.

Secundus autē ſyllogiſmus, qui formam expoſitorii habet, deficit, quia utitur termino *Deus* tanquam indiviſibili & incommunicabili, qualia ſunt noſtra ſingularia, non tamen ſingulare Deitatis ſed communicabile, adeòque ut rectè inſereretur ſyllogiſmo debebat diſtribui ut jam proximè; dicendo: *Omne quod eſt hæc divinitas eſt* Pater. Sed non major ejus eſt falſa, non ergo mirum ſi concluſio talis ſit. De hoc notavit Vaſq. (*b*) quòd cum major atque etiam minor hujus ſint vera identicè non formaliter, faciunt hunc ſenſum: Pater eſt idem quod divinitas, ex quo in concluſione inferri debuit, ergo idem quod filius eſt idem quod pater, quod veriſſimum eſt: At non poſſum hoc approbare ſed nec poteſt ipſe author hujus, eſt enim ipſum ferè quod (immeritò ille) in Scoto repræhendit, quòd ſcilicet ex identitate aliquorum cum tertio inferat identitatem eorum cum tertio, non verò identitatem eorum inter ſe, non ergo faciunt iſtæ affirmationes ſenſum quòd pater eſt aliquod tertium identificatum deitati ſed quod ipſe pater ſit idem deitati; & deitas Patri. Solvendum eſt ergo argumentum ut jam oſtendi tertium autem difficiliùs eſt quàm hoc (ſi. ut & hoc difficilius primo) quia aſſumit mediū minùs commune; ſed manifeſtè peccat contra leges ſyllogiſmi, quoniam in concluſione diſtribuit terminum quem in præmiſſis non diſtribuit; eſt autem ille terminus *Deus* qui cum in concluſione ſit prædicatum propoſitionis negativæ, diſtribuitur; in minon autem eſt prædicatum affirmativa adeòque non diſtributum.

(b) 1. p. diſp. 121.

Denique ad quartum, cujus medium adhuc magis reſtrictum & minùs commune eſt, nego majorem, & verò negandam eſſe ſuo loco per Dei gratiam oſtendemus, ut etiam minorem ſequentem: pro nunc videri de ea poteſt Doctor ſubtilis *quodlibet* 5. Ubi hoc & alia accuratè. Sanè autem debet præmiſſa aliqua aut utraque hic negari, ut oſtendatur ſyllogiſmus in materia peccare; non enim hic ut in aliis ſyllogiſmus repræhendi forma poteſt, unde neſcio ſanè ut evadant, qui has præmiſſas concedunt.

Dices: Iſte ſyllogiſmus eſt in forma ſyllogiſmi de medio communi, eſt enim in prima figura, & tamen non diſtribuit medium. Reſpondeo hunc eſſe expoſitorium. Dices expoſitoriis aſſignatam & determinatam eſſe tertiam figuram. Reſpondeo primò. Sit ita, iſtum reduco ego ad tertiam converſione minoris; tum autem quid reſpondebis? Deinde neſcio, quo ſenatusconſulto interdictæ ſint aliæ figuræ expoſitorio.

Vlti-

Vltimatum fundamentum omnium omnino.

12. Dico denique omnem omnino ſyllogiſmum ultimatè inniti illi principio: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Ex quo etiam infero omnem ſyllogiſmum eſſe virtualiter expoſitorium. Ratio, quoniam, ſi negetur concluſio ſyllogiſmi de medio communi, abſurditas, quæ conſequitur negantem, eſt, quòd cogetur fateri aliquod idem ſimul eſſe, & non eſſe tale, v. g. ſi negetur concluſio ſyllogiſmi in Darii; hujus: Omnis homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis cogetur adverſarius concedere, quòd Petrus ſit, & non ſit riſibilis: quòd ſit riſibilis, quoniam conceſſit majorem, quæ dicit omnem hominem eſſe riſibilem; quòd nō ſit, quia negavit concluſionem, quæ dicit eum eſſe riſibilē. Et idipſum videbitur de Barbara, ſi enim negatur concluſio illa univerſalis, quòd omnis homo ſit riſibilis, concedi debet particularis negativa, quòd aliquis nō ſit riſibilis, & cùm hic aliquis fuerit conceſſus in univerſali, idē concedetur & negabitur. In ipſo expoſitorio nihil hoc clarius, quia, ſi negetur concluſio ejus, conceſſis præmiſſis manifeſtè affirmabitur & negabitur idem; v. g.

Hic homo eſt Rex,
Petrus eſt hic homo, ergo
Petrus eſt Rex.

Nam Petrum eſſe regem fuit conceſſum in antecedenti, cùm concederetur ille homo eſſe rex, qui erat Petrus, jam autem in concluſione negatur, adeòque à primo ad ultimum non poteſt concluſio expoſitorii negari, niſi concedatur idē eſſe & non eſſe. Dixi autem ſyllogiſmū de medio communi eſſe virtualiter expoſitorium, quia, ut oſtendatur inniti illi principio, quòd impoſſibile ſit idem ſimul eſſe & non eſſe, debet medium ejus, quod eſt commune accipi tanquam quid indiviſibile & quaſi ſingulare, non autem tanquam aliquid habens in ſe plura, de quorum una affirmaretur, & de alia negaretur, ſic enim eluderetur vis ſyllogiſmi, imò non eſſet ſyllogiſmus, ſed ſolœciſmus conſtans quatuor terminis. Itaque fundamentum ſyllogiſtici artificii, atque etiam omnium ſcientiarum eſt illud: *Impoßibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.*

Vnde non mirandum, ſi D. S. promiſerit ex oppoſito hujus quodlibet quantumvis diſparatum inferre, v. g. ex hac: *Paries eſt albus, & non eſt albus*, hanc ergo, *Homo eſt triremis*, de quo videnda ſunt, quæ ſuprà diximus *apol. 1. hujus operis ſect. 2.* & ipſe inprimis Subtil. *1. Prior.* Sed

13. Objici poteſt contra illud principium, ſcilicet *Dictum de omni*, in quo diximus formam ſyllogiſmi proximè fundari, quòd ſimiliter fallat & fallatur in divinis, ſicut illud, quæcunque ſunt eadem tertio, quod propterea rejecimus: patet hæc ſequela, quia ſignificat prædicatum unum dici de re aliqua & de omni alia, quæ ſit idem cum illa, ſed hoc eſt falſum in divinis, ergo. Reſpondeo negando Majorem; non enim hoc eſt ſignificatum illius principii logici, ſed illius metaphyſici: Quæcunque ſunt eadem tertio, ſed cōtra

Objiciunt ſecundò principaliter: Hoc principium fundatur in illo Metaphyſico, & ab illo accipit virtutem, ergo non poteſt illud deficere ſine iſto ſimul deficiente. Antecedens oſtendunt ſic: Ideo prædicatum, quod dicitur de natura univerſali, dicitur de quolibet ſingulari, quia ſingularia habent realem identitatem cum illo conceptu communi, ergo iam dici de omni nititur identitati aliquorum in tertio. Reſpondeo negando majorem præciſè, ſeu ut ibi jacet; non enim ſufficit hoc, ut oſtendi exemplis tam divinis quàm creatis, ſed opus eſt, ut identificentur alicui æquè latè patenti ac ipſa: hoc autem, ſcilicet identitas aliquorum ad aliquid æquè latè patens, importatur per *dictum de omni.* non importatur dicendo, quòd *quæcunque* abſolutè aut quandocunque *ſunt eadem tertio*, ſint *eadem inter ſe.* Sed

Inſtabis hoc multo minus importari per *dictum de omni*, quod ex identitate aliquorum in ſuperiori infert identitatem eorum inter ſe, nam ſuperius latiùs patet, quàm ullum inferius, & tamen principium illud ſeu *dictum de omni* concedit conſequentiam trahi à ſuperiori ad ſingula inferiora, v. g. ex eo, quòd riſibile & Petrus identificetur ſeu uniatur homini, ut ſic, colligit riſibile uniri Petro, quum tamen latius pateat homo, ut ſic, quàm Petrus. Reſpondeo non trahi conſequentiam à ſuperiori quocunque aut quacumque natura, ſed à natura aut ſuperiori habente deſcenſum diſtributivum, ita ut tota ipſa ſingulis inſit, & non tantùm omnibus: Vnde ſenſus hujus, omnis homo eſt riſibilis, eſt iſte, quilibet homo eſt riſibilis, ſeu, ut loquuntur Itali, quilibet unus (ogni uno) eſt riſibilis: certum eſt autem, quòd Petrus ſit æquè latè patens, ac aliquis unus, ergo.

Declaro rem; Valet conſequentia: Totus palmus eſt albus, ergo ſemipalmus eſt albus, quia nimirum antecedens facit hunc ſenſum, omnis pars palmi eſt alba; clarum eſt autem ſemipalmum eſſe partem palmi; ita hic, ſinguli homines ſunt partes totius, quod eſt omnis homo, & natura humana tota deſcendit in ſingulos ut totum actuale, & ſi non ut potentiale.

14. Objicio denique ex noſtris principiis ſequi, quòd forma ſyllogiſmi non valeat in divinis, conſequens eſt falſum, & contra *Apoſt.* ſed ſequela probatur, *Rom. 1. v. 20.* quia principia, quibus nititur, non habent ibi locum, non enim nititur illi, *quæcunque ſunt idem tertio*, & ſi niteretur, non curret hoc in divinis ſecundùm nos. Nititur autem dictis *de omni* & *de nullo*; ſed hæc in divinis non habent materiam aut locum, quia ibi non poteſt quidquam dici de omni, quia non eſt ibi, omne non eſt univerſale & particulare, ſed omnia ſummè ſingularia, ergo. Reſpondeo formam ſyllogiſmi valere in divinis, & niti dictis de *omni* & *nullo*, non tamen utcumque acceptis, neque prout apud nos verificantur, quia nimirum non eſt ibi univerſalitas, ut apud nos contingit, ſcilicet per deſcenſum ad inferiora, ſed per communicationem ad plura ſuppoſita, Itaque diſtributio ibi fieri debet, ſed aliter, includendo ſuppoſita, non inferiora. Exemplum; non dicam omnis divinitas, ſed omne, quod eſt Deus, neque omnis ſpiratio activa, ſed omne, quod eſt ſpiratio activa, hoc autem modo regulati ſyllogiſmi in divinis certiſſimè concludent, quia nunquam dabitur antecedens verum conſequente falſo: in quo ſit finis hujus, & deinde

Digitized by Google

ACTIO II.

Vtrum præmiſſæ ſolæ ſint ſyllogiſmus? Item an concluſio ſola?

Breviarium:

N. 1. *Syllogiſmus probabiliter eſt præmiſſæ. Probatur.*
2. *Alia probatio hujus. Explicatus Ariſt.* 1. Poſt.
3. *Objectiones, ſolutæ. Diſtinctio modorum indirectorum.*
4. *Syllogiſmum non conſiſtere in concluſione.*
5. *Multiplicantur adhuc probationes hujus.*
6. *Objectio; Explicatus Ariſtoteles* 1. Prior. & 1. de An.
7. *Alia objectio. Syllogiſmus an diſcurſus?*
8. *Tertia. An definitio & demonſtratio ſint diverſa inſtrumenta ſciendi?*

1. HOc ſecundum quæſitum differt à primo, quia affirmatio primæ partis poteſt ex duplici capite falſificari, vel quia præmiſſæ non ſunt integer ſyllogiſmus, ſed duæ partes ejus, cum quibus tertia ſit concluſio, vel quia præmiſſæ nullatenus ad ſyllogiſmum pertinent, qui in ſola concluſione conſiſtit; nam & hoc docuit Alb. Nyphus, & alii apud Moriſan. noſtrum *in* 1 *Pr. dub.* 3. In priore etiam parte hinc inde diſſident auctores ut videre eſt apud eundem & fuſius *Amicum* (*a*) hic exiſtimo probabiliter.

(a) tract. 23 logic. diſp. 3. q. 2.

Dicendum, quòd ſolæ præmiſſæ in modo & figura poſitæ faciant ſyllogiſmum: Hanc non invenio diffinitam apud Subtilem in terminis; ſignificavit tamen ipſam tum alibi, tum *q.* 12. 1. *Poſt.* ubi approbat illud Ariſt. quòd demonſtratio ſit ex primis veris & immediatis, nam ſi demonſtratio diceret etiam concluſionem non eſſet ex primis & immediatis quum concluſio non ſit primò aut immediatè vera.

Probo breviter, quia ſyllogiſmus eſt inſtrumentum inferendi ſeu colligendi unum ex alio, ergo non includit concluſionem, ſed præmiſſas. Probo conſequentiam, quia concluſio non eſt inſtrumentũ inferendi aliud; Cujus ratio eſt quia ipſa concluſio eſt id, quod infertur; atqui concluſio non eſt inſtrumentum inferendi ſe ergo. Major hujus patet quia ſyllogiſmus eſt inſtrumentum tertiæ operationis intellectûs ſcilicet diſcurſus, hic autem eſt, & conſiſtit in eo, quod eſt inferre unum ex alio, ergo. Totum hoc patet, & oppoſitum eſt dicere quòd ham⁹ & piſcis ſint inſtrumentum piſcandi, quod falſum eſt, quũ piſcis ſit ipſa præda.

Proſequor argumentum in materia: Demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, ſcire autem ſit per concluſionem; ſive concluſio eſt ipſa ſcientia, ergo demonſtratio, & ita aliquis ſyllogiſmus facit ac producit concluſionem, ſed non poteſt concluſio producere concluſionem, hoc eſt ſe ipſam, ergo concluſio non eſt aliquid demonſtrationis.

Dici ſolet à defendentibus oppoſitum, quòd demonſtratio faciat ſcire formaliter, non autem efficienter, quòd tamen requireretur ut argumentum convinceret, nihil autem prohibet concluſionem reddere ſe ſcitam formaliter. Sed contrà arguo; etſi concluſio reddat ſe ſcitam formaliter at non præmiſſæ; hoc eſt, præmiſſæ non reddunt aut concluſionem aut ſe ipſas ſcitas formaliter, ergo hæc diſtinctio quod ſalvat ab una parte perdit ab alia. Antecedens oſtendo quia concluſio non eſt ſcita per præmiſſas formaliter, ſed per ſe ipſam. Præmiſſæ autem neq; hoc neq; ullo modo ſciuntur quia omnino non ſunt ſcitæ, id eſt cognitæ per ſcientiam, quia habitus principiorum eſt intellectus non ſcientiæ, ergo.

2. Probatur adhuc, quia diverſitas ſyllogiſmorum ſumitur penes præmiſſas, ergo eſſentia ſyllogiſmi ſtat in præmiſſis, patet conſequentia: Probo autem antecedens, quoniam figuræ ſyllogiſmorum variantur per diverſum ordinem præmiſſarum; prima enim eſt, in qua medium ſubjicitur in majori, & prædicatur in minori; ſecunda, in qua bis prædicatur, hoc eſt in majori & minori; 3. in qua bis ſubjicitur hoc eſt in utraque præmiſſa, nam concluſionem nunquam ingreditur.

Dices non ſolùm figuras, ſed modos variare ſyllogiſmos. Concedo, ſed in modis etiam variantur præmiſſæ, & non ſolùm concluſio. Confirmo, quia ſyllogiſmi diverſarum concluſionum fiunt in eodem modo & figura, quia in Barbara poſſum inferre particularem affirmativam ſecundùm ſummuliſtas communiter, ergo iam concluſio non variat modum aut figuram.

Interim facit pro hoc Ariſt (quem ſuprà citavi cum Doct.) dicens, quòd demonſtratio conſtet primis veris & immediatis; certum eſt enim, quòd concluſio nunquam eſt primò aut immediatè vera. Sed hunc locum Philoſophi retorquent in nos Adverſarii, ſi enim demonſtratio, eſt ex primis ſola concluſio eſt demonſtratio, quia ſola eſt *ex primis* collecta ſcilicet ſeu illata. Ita illi; ſed immeritò quod planum fiet ex textu in quo ly *ex* non ſignificat effectum, ſed materiam ſyllogiſmi ait enim paulò pòſt *principium autem eſt demonſtrationis propoſitio immediata.*

Denique patet hæc via Peripatetica eſſe, quia quamvis communiter in ſcholis numerétur, & revera ſint quinq; modi indirectè concludentes in prima figura tamen Ariſtoteles ſolos duos numeravit, quia alii conſtant iiſdem præmiſſis, quibus modi directi ab ipſo poſiti, adeòq; indicavit ſyllogiſmum in præmiſſis conſiſtere facit etiam, quod habet 1. *Pr.* 1. *&* 2. *Priorum* 1 & alibi, quæ relinquo videnda apud Moriſ. & Amicum citatos. Dabo ipſe unum maximè opportunum ex ipſo 1. Rhetor. cap. 2 *Eorum quibus probamus* (*ut & in Dialecticis*) *aliud inductio eſt, aliud ſyllogiſmus; nam enthymema quidem ſyllogiſmum Rhetoricum exemplum vero Rhetoricarum Inductionem appello omnes autem fidem faciunt demonſtrando vel exempla dicendo vel enthymemata & præterea nihil* quo loco philoſophus bene dicit probari aliquod ſyllogiſmo, atq; etiam inductione, ſine dubio autẽ quod probatur eſt concluſio, adeòq; concluſio non poteſt ſecundum ipſũ eſſe aliquid ſyllogiſmi aut ſublatâ autẽ concluſione reſtant ſolæ præmiſſæ, ergo. Deinde

utor

Digitized by Google

utor auctoritate ejus tam ibi, quàm 2. Pr. c. 30. ubi exemplũ numerat inter ſpecies argumentationis, & inde ſic arguo. Certum eſt, quòd exemplũ conſiſtat in præmiſſa, nã concluſio inferenda ſcilicet factũ auditoris, cui quis perſuadere nititur ſine dubio non eſt exemplum, tum quia nondum geſtum eſt ſed tantummodo futurum, tum quia ineptum eſt eundem proponere in exemplum ſibi; ergo. Et idem eſt de inductione quæ eſt multiplicatum exemplum, ut jam audiviſti apud Ariſtotelem. Jam dicant mihi Adverſarii cur exemplum & inductio ſint ſuæ præmiſſæ ſyllogiſmus verò non?

In hac materia duas claſſes adverſantium habemus: alios ex diametro oppoſitos, qui cenſent ſyllogiſmum eſſe ſolam concluſionem. Sunt autem *ſimpli. Aver. D. Th.* Alii cenſent nec eſſe eſſentiam totam, nec totaliter extra ipſam, ſed cum præmiſſis integrare ſyllogiſmum ſicut baſis triangulum, pro hoc citantur *Philopponus Burana*, ab his incipio, &

3. Objicio primò Syllogiſmus eſt tertia mentis operatio, hæc autem eſſentialiter includit illationẽ, ergo & ſyllogiſmus, ſed illatio eſt concluſionis ſine dubio, hæc enim infertur, ergo. Confirmo, nam ſive illatio ſit concluſio ſive ſit concluſionis eſt aliquid ultra præmiſſas, ergo jam certum eſt ſyllogiſmum non eſſe ſolas præmiſſas. Reſpondeo: Hic diſcurſus uſque ad confirmationem omnibus hujus partis aſſertoribus perſuaſit ipſam, ſed immeritò, nam ſyllogiſmus non eſt tertia operatio ſed inſtrumentum ejus, & modus tantum ſciendi. In forma ergo nego majorem.

Objicies ſecundò, ſi ſyllogiſmus conſtitui poſſet in duabus præmiſſis, ſimiliter enthymema poſſet conſtitui in una ſola, utique enim ſicut ſe habent in ſyllogiſmo & inductione plures præmiſſæ ſic in enthymemate una: Atq; nimis abſurdum eſt dicere, quòd enthymema ſit una præmiſſa, ſic enim non eſſet argumentatio non pertineret ad tertiam operationem intellectûs, *&c.* ut ſuprà, quæ patent ſequi, quia una enunciatio eſt tantum judicium, quæ eſt ſecunda operatio alioquin nulla enunciatio pertinebit ad ſecundam operationem intellectûs. Cur enim una & non aliæ? Deinde notum eſt argumentationem eſſe unius ex alio illationem ubi autem eſt unum & aliud, patet ibi eſſe plus quàm unam enunciationem, hæ enim inferuntur in argumentationibus, & non ſimplices termini tantùm, ergo Hoc pluris facio quàm præcedens; ſed reſpondeo primò non eſſe majus abſurdum quòd enthymema ſit una propoſitio, quàm quòd exemplum ſit. Clarum eſt autem exemplum unâ propoſitione abſolvi. Deinde reſpondeo hæc omnia habere non parum de nomine, quod etiam alii notant & fatentur; proinde diſtinguendum eſt de Enthymemate, quoniam dupliciter ſumi poteſt, primò pro ſpecie argumentationis, id eſt orationis in qua eſt unum & aliud ex eo illatum; ſic autem ſine dubio non poteſt conſiſtere in una ſola præmiſſa: Secundò pro eo, in quo eſt vis illativa & principium ſeu origo ſequelæ atque ipſius etiam conſequentis, ſic autem nihil nocet, ſi concedamus eam abſolvi unâ propoſitione, & ita hic dicimus de ſyllogiſmo, utique enim ſyllogiſmus intelligi poteſt tota oratio tam inferens quàm illata, & qui ſic eum acciperet habet nobiſcum quæſtionem de nomine. Aliter & propriè ſignificat artificium ſeu etiam ipſum artefactum quo unum ex alio deducitur, ſic autem non admittit intra ſe concluſionem, hæc enim non poteſt inferri ſed inferri.

Objicio 3. Aliqui ſyllogiſmi diſtinguuntur ſpecie ob ſolam concluſionis diverſitatem, ergo concluſio pertinet ad conſtitutionem ſyllogiſmi, patet ſequela, aliàs enim diverſitas concluſionum eſſet impertinens ad diverſitatem ſyllogiſmorum. Antecedens autem patet in Barbara & Baralipton qui ſunt duo modi diverſi, & tamen non differunt ab invicem niſi concluſione, præmiſſæ enim ſunt eædem utrique ergo. Reſpondeo evidens eſſe quòd variatio concluſionis non ſufficiat ad variandum ſyllogiſmum, nam ubicumque infertur concluſio univerſalis poteſt inferri particularis, nec proinde variatur ſyllogiſmus aut modus, alioquin non eſſet tantùm 19 modi ſed prætetea addendi eſſent Barbari & Celaro & Celaro, nam in his omnibus poteſt fieri ſyllogiſmus diverſæ concluſionis ab iis quos de facto habemus.

Dices, quidquid fuerit in cauſa, quòd illi modi non ſint nominati Baralipton. Eſt poſitus tanquam diverſus modus à Barbara, & tamen non differt ab eo niſi indirectâ concluſione, ergo jam aliqua varietas concluſionis variat ſyllogiſmum; nulla autem variaret quamtumvis magna ſi concluſio ipſa non eſſet aliquid ſyllogiſmi. Reſpondeo equidem non magnifacio modos indirectè concludentes, nec proinde reputo eos tam diverſos ab aliis modis quàm ſunt alii illi inter ſe. Cauſa hujus infrà tangetur, ubi oſtendemus in aliis figuris à prima probabiliter dari modos indirectè concludentes, & tamen non faciunt nobis numerum tanquam ab aliis diſtincti, cur ergo facient modi primæ? Hic etiam idipſum ſuadeo ſic: Indirecta concluſio non differt à directa niſi tranſpoſitione terminorum, hæc non ſufficit ad ſpecificam diverſitatem modi, ergo. Minorem probo ſic: Non ſufficit ad diverſitatem figuræ quòd præmiſſæ tranſponantur, ergo nec ad varietatem modi quòd concluſio, aut detur diſparitas; ſicut enim modus conſtat concluſione, ita figura præmiſſis. Antecedens autem probatur, quia in prima figura medium primò ſubjicitur, & prædicatur deinde Jam ſi quis primò prædicaret medium & deinde ſubjiceret ipſum ut fecit Galenus, non faceret novam figuram ſed ſyllogiſmus factus adhuc eſſet in præcedenti figura ſecundùm communem, ergo ſimiliter ſi quis inverteret concluſionem faciendo ex prædicato ſubiectum non variaret modum ſpecie.

Quomodo ſyllogiſmus ſe habeat ad concluſionem?

4. Dico adhuc ſyllogiſmum non conſiſtere in ſola concluſione. Jam dixi, quos auctores habeat hæc concluſio pro & contra. Probatur, quia eadẽ concluſio poteſt colligi in diverſis ſpecie ſyllogiſmi, non poſſet autem, ſi ſyllogiſmus totus eſſet ſola concluſio, ut patet, quia tum idem eſſet diſtinctum ſpecie à ſe, ergo. Maior patet, quia non ſolùm in diverſis modis, ſed in diverſis figuris poteſt colligi eadem concluſio, imò debet, quia ſyllogiſmi modorum ſecundæ & tertiæ figuræ reducuntur ad quatuor priores modos primæ quod fit per

hoc, quòd concluſiones horum modorum colliguntur in modis illis prioribus primæ. Præterea ſyllogiſmus dicit tertiam operationem intellectus, concluſio non niſi ſecundam, eſt enim una enunciatio duntaxat, ergo.

Dici poteſt primò majorem eſſe falſam ex præcedenti concluſione, quia ſyllogiſmus dicit tantùm duas præmiſſas, quæ ſunt tantùm duæ enunciationes. Secundò dici poteſt minorem eſſe falſam, quia concluſio non ſolùm dicit ſimplicem enunciationem prædicati de ſubjecto, ſed præterea illationem ſignificatam per ly *ergo*, quod ſemper annectitur concluſioni. Reſpondeo ad primum majorem illam eſſe ad hominem, eſt etiam quodammodo abſoluta & ad omnes, quia etiam ſecundùm me & omnes in aggregato continente concluſionem ſemper intercedit tertia operatio intellectus. Ad ſecundum autem reſpondeo minorem non eſſe falſam, quia nota illationis non eſt aliquid concluſionis; quod inde patet quia concluſio probatur per præmiſſas illatio non, ſed eſt adhibendus alius ſyllogiſmus, qui ſemper debet eſſe Logicus, quia verſatur circa formam argumenti; præmiſſa autem prioris argumenti non ſemper debet eſſe Logica; ex adverſo capite, quia verſatur circa materiam quæ modo eſt phyſica modo methaphyſica.

5. Probo adhuc ſecundò concluſionem, quia ſyllogiſmus conſtat tribus terminis, concluſio non, quod ita verum eſt, ut medium qui eſt principalis terminus ſyllogiſmi nunquam ingrediatur concluſionem. Quartò, quia ſyllogiſmus eſt ordinabilis in modos & figuras, ſola autem concluſio non facit modum aut figuram.

Dici poteſt contra hoc de modo, quòd etiam contra nos faciat, nam nec præmiſſæ ſolæ poſſunt facere modum, adeòque hinc tam ſequitur ſyllogiſmum non eſſe præmiſſas, quod eſt contra nos, quàm non eſſe concluſionem quod eſt contra Averroen. Aſſumptum hujus patet, quia modus conſtat tribus propoſitionibus ut patet ex vocabulis ei aſſignatis *Barbara, celarent*, in quorum ſingulis ponuntur tres vocales, ſingulis autem vocalibus totidem propoſitiones reſpondent. Reſpondeo: Nego concluſionem eſſe aliquid modi (intellige eſſentiale aut intrinſecum) ſanè definitio ſummuliſtarum eam excludit, definiunt enim illi modum quid ſit ſumptionum ad concluſionem colligendam apta ſecundùm quantitatem & qualitatem complicatio: Ecce modum ſine memoria concluſionis: Deinde etſi utrumque pertinerent ad ſyllogiſmum, tamen multò magis poſſet omitti concluſio quam præmiſſæ quoniam poſitis præmiſſis ſe ipſo apparet concluſio, at verò non ſic præmiſſæ poſitâ concluſione, alioquin quilibet ſciret quamlibet probare, quod autem in vocabulis modorum tres vocales poſitæ ſint, & in exemplis ſyllogiſmorum tres propoſitiones, factum eſt non neceſſitate ſed claritate, ne tyrones laborarent in excogitanda concluſione. Deinde etiam ut ſciretur quid ex quo colligi poſſet? etſi ipſa collectio aut præda quoque eſſent extrinſeca inſtrumento, ut ſuprà.

6. Objiciunt nobis Ariſtotelem, qui non rarò concluſionem appellavit ſyllogiſmum; non poſſet autem id niſi falſo facere ſi præmiſſæ ad ipſum pertinerent, ut patet, ergo. Sic autem loquitur Ariſtoteles 1. Prior. cap. 5. Ariſtot. *Cùm tres termini ſic ſe habent neceſſe eſt extremitatem eſſe ſyllogiſmum* id eſt concluſionem, utique enim extremitates ſunt termini concluſionis, quoniam medium nunquam ingreditur eam; & alia, quæ collegit Amicus citatus, qui tamen maximè opportunum prætermiſit ex primo de An. ſum. 3. cap primo: *Demonſtrationes verò & a principio ſunt & habent quodammodo finem ſyllogiſmorum aut concluſionem*, ubi manifeſtè pro ſynonymis ponit ſyllogiſmum & concluſionem. Reſpondeo: Evidens eſt Ariſtotelem æquivocaſſe in ly ſyllogiſmus; modo enim utitur eo nomine pro concluſione ſeu propoſitione inducta, ut patet ex loco ejus citato, & præterea *capite ſexto & ſequenti*, ubi docet in ſecunda figura ſi altera præmiſſa ſit particularis quòd concluſio debeat eſſe particularis negativa, ait *neceſſarium autem ſyllogiſmum fieri privativum* id eſt concluſionem, ut patet ex textu, modo pro præmiſſis ſive propoſitionibus inducentibus ut patet ex ipſo primo Prior. cap. vigeſimoquinto: *Planum quod omnis demonſtratio & omnis ſyllogiſmus erit totum per tres terminos. Cum autem hoc planum ſit manifeſtum quòd & ex duabus propoſitionibus & non pluribus, tres namque termini duæ ſunt propoſitiones*, qui locus eſt apertus pro prima concluſione. Denique accipit ipſum pro præmiſſis & concluſione ut patet *à capite ſecundo libri decimi Prior.* perpetuo uſque *ad caput trigeſimumquartum libri ſecundi & decimi Poſt. à capite undecimo* deinceps *ad vigeſimumquartum* quo tractu toto utitur tribus literis Alphabeti, ut plurimum illis A. B. C. in formando ſyllogiſmo, & in ipſis ponit tanquam in materia exemplum; & licèt elementa illa ſignificent proximè terminos ſyllogiſmi apud ipſum; tamen combinationes eorum ſignificant propoſitiones atque ita ſine dubio ſemper exemplificat ille ſyllogiſmum in tribus propoſitionibus.

Dices: Ergo ubi ſtandum eſt ei? Reſpondeo in primis non eſſe ſtandum oppoſito concluſionis ſive ſententiæ ponenti ſyllogiſmum eſſe ſolam concluſionem, quia ex tribus acceptionibus duæ numerant præmiſſas, una ſola excludit. Itaque ſtandum eſt utrique ex his duabus acceptionibus quarum quælibet in ſano ſenſu eſt vera. Nam ſyllogiſmus integraliter acceptus dicit non ſolùm præmiſſas ſed concluſionem, etſi eſſentialiter ſumptus dicat tantùm præmiſſas.

Objiciunt rationem, ſyllogiſmus eſt diſcurſus, ſed ſola concluſio eſt diſcurſus, ergo ſola ipſa eſt ſyllogiſmus, patet major, quia deducit unum ex alio, minor autem probatur quia præmiſſæ pertinent ad ſecundam operationem quum ſint totidem enunciationes aut judicia, ergo. Reſpondeo nec ſyllogiſmum eſſe diſcurſum nec concluſionem, ſi propriè loquamur; ſyllogiſmus quidem eſt inſtrumentum diſcurſus, concluſio eſt terminus diſcurſus, itaque una eſt quaſi cauſa, alterum quaſi effectus diſcurſus, neutrum ipſe; ſed, ut ſuprà, diſcurſus, ſive tertia operatio eſt illatio illa unius ex alio de quo fuſiùs ſuprà.

7. Ob-

7. Objicies ſecundò: Syllogiſmus facit ſcire, ſola concluſio facit ſcire, ergo ſola hæc eſt ſyllogiſmus major ponitur à Philoſopho 1. *Poſter.* 2. Vidot. licèt de determinato ſyllogiſmo, puta demonſtrativè, ex quo ſequitur quòd ſaltèm concluſio demonſtrationis ſit demonſtratio. Minor autem eſt evidens, quia ſola concluſio eſt per cauſam & per prius, præmiſſæ enim non poſſunt habere cauſam, aut prius verum, ergo. Reſpondeo ſyllogiſmum facere ſcientem, non ratione concluſionis tantùm, ut aliqui volunt, nec ratione præmiſſarum ut alii, ſed ratione utriusque, etſi aliter; facit ergo ſyllogiſmus per concluſionem ſcire, ſive reddit ſcientem, ita tamen ut præmiſſæ præceſſerint, ſine quibus concluſio non eſſet ſcita, adeòque totus ſyllogiſmus reddit ſcientem, & parum refert quòd dicas præmiſſas eſſe cauſam ſcientiæ aut conditionem, dummodo teneas quòd concluſio non reddit formaliter ſcientem niſi dependenter ab ipſis. In formâ ergo nego Minorem, vel diſtinguo: facit ſcire in genere cauſæ formalis, concedo, in omni genere, nego. At verò ſyllogiſmus totus non ſolùm facit in genere cauſæ formalis, ſed aliter.

8. At contra hæc facit, quòd ſyllogiſmus eſt alius modus ſciendi à deffinitione; in præmiſſis autem non eſt alius modus ſciendi à deffinitione, ut patet in iſto; Omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis; in hoc enim major non eſt modus ſciendi, Minor autem eſt hominis deffinitio, ergo jam ſyllogiſmus non conſiſtit in præmiſſis, ſed in ſola concluſione. Reſpondeo negando conſequentiam: in præmiſſis enim non ſola eſt deffinitio quæ eſt Minor, ſed eſt alia propoſitio major, & præterea eſt diſpoſitio ſyllogiſtica quæ facit utramque eſſe modum ſciendi.

ACTIO III.

Vtrum, & quomodo conceſſis præmiſſis neceſſitetur intellectus ad aſſenſum concluſionis.

Breviarium.

N. 1. *Neceſſitas duplex dupliciter nominata.*
2. *Neceſſitari intellectum ſpecificatione per præmiſſas, ratio.*
3. *Secunda probatio hujus.*
4. *Objectio. Explicatus Ariſt.* 2. Prior.
5. *Conceſſis præmiſſis neceſſitatur intellectus etiam quoad exercitium.*
6. *Nova probatio hujus.*
7. *Objectio ſoluta. Quomodo concedi poſſit habitus intellectus?*
8. *Alia Object. Cur non omnes concluſiones ſtatim ſciantur?*
9. *Non poſſe voluntatem impedire aſſenſum concluſionis directè.*
10. 11. *Objectiones. An & quomodo poſſit intellectus diſtrahi?*
12. *Aſſenſum concluſionis probabilis neceſſitari in exercitio.*
13. *Objectio. Quomodo fides ſit libera? Scotus notatus.*
14. *Poſſe intellectum indirectè impediri à concluſione.*

1. DUplex eſt neceſſitas, quæ in potentiam cadere poteſt; una dicitur neceſſitas ſpecificationis, altera exercitii, quæ aliis nominibus vocantur neceſſitates contradictionis & contrarietatis, neceſſitatur quoad ſpecificationem potentia quando ſuppoſito quòd ullum actum habeat, debet talem in ſpecie habere, puta aſſenſum vel amorem, cum quo tamen ſtat quòd non debeat ullum actum habere. Neceſſitatur quoad exercitium quando debet aliquem habere cujuſmodicumque ſit & huic neceſſitati opponitur libertas contradictionis ſicut præcedenti opponitur libertas contrarietatis.

Præterea, ut difficultas habeat locum, ſupponendum eſt quòd intellectus præſtiterit aſſenſum utrique præmiſſæ conjunctim; tum etiam quòd habeat judicium aut ſaltèm ſimplicem appræhenſionem de bonitate conſequentiæ, & adhuc ſecundùm aliquos appræhenſionem aliquam concluſionis.

2. Dico reſolutivè in eo caſu neceſſitari intellectum ad aſſenſum concluſionis neceſſitate ſpecificationis. Nemo dubitat aut diſputat iſtam, tradit autem (*a*) *Ariſt. D.* (b) *Thom. Doct.* (c) *Noſtr.* &c. (*d*) (a) 1. *Poſt.* 2. (b) 1. *p. q.* 28. *art.* 2. (c) 1. *Poſt. q.* 8. (*d*) Durand. 2. *d.* 25. *q.* 4. Conymb. *in cap.* 1. *pr. Poſt. q.* 4.

Probatur facilè, quia non poteſt diſſentiri concluſioni tunc, ergo neceſſitatur neceſſitate ſpecificationis ad ipſum. Probo aſſumptum: Intellectus non poteſt diſſentiri aſſertioni ſibi propoſitæ ut veræ, & omnium minimè id poteſt, quando proponitur ut evidenter talis; concluſio ſic ei præponatur poſt præmiſſas ergo. Major hujus eſt ſupponenda, quia intellectus habet ſtatum in aſſentiendo veris & diſſentiendo falſis, nam aſſentiri alicui eſt judicare ipſam eſſe veram, & diſſentiri ex adverſo eſt judicare, non ſic ſe habere aut eſſe falſam; non poteſt autem intellectus judicare quòd verum propoſitum non ſit verum; cujus ulterior ratio eſt, quia intellectus non eſt cauſa totalis ſui actus, ſed concurrit ad eum etiam objectum; at verò objectum non poteſt concurrere ad oppoſitum ſibi, imò nec ad aliquod aliud, ſeu diverſum à ſe; ergo à primo ad ultimum non poteſt intellectus diſſentiri vero evidenti; & verè non poteſt plus quàm oculus elicere viſionem albedinis præſente nigredine, aut guſtus guſtare dulcedinem præſente amaro tantùm, vel habere voluptatem applicato ſenſibili amaro. Confirmo; non poteſt intellectus de aliqua re judicare niſi præceſſerit ejus appræhenſio; at verò in tali caſu non præceſſit appræhenſio falſi, ergo non poteſt judicare verum eſſe falſum, hoc autem eſt diſſentiri vero, ut verum

rum eſt, ergo. Major patens eſt, quia ſine dubio primum in unoquoque genere ſupponit ſecundum, iſta autem eſt prima operatio intellectûs, hæc ſecunda, ergo.

Dices poſſe præcedere apprehenſionem (intellectus enim poteſt quodlibet quando vult apprehendere, quod patet experientiâ) adeòque minorem eſſe falſam. Reſpondeo minorem eſſe veriſſimam, nam non poteſt intellectus apprehendere intuitivè niſi rem ſibi objectam ſeu propoſitam, licèt poſſit abſtractivè omnia quantumvis diſparata apprehendere; hîc autem opus eſt intuitivâ apprehenſione, ubi agitur de actu intuitivo ſeu evidenti, ut patet ex titulo & notabili, atque ita à primo ad ultimum ſequitur quòd non poſſit intellectus apprehendere aliter terminos illius propoſitionis, & revera non poteſt, ſicut nec auris audire ſonos, qui non ſunt.

Minor illa principalis, quòd ſcilicet concluſio proponatur tunc intellectui ut evidenter vera, probatur: præmiſſæ proponuntur ei ut evidenter veræ, ergo concluſio; quæ conſequentia inde patet, quoniam præmiſſæ ſunt cauſæ naturales, & per formam ſyllogiſticam applicantur concluſioni, at verò cauſa naturalis applicata agit & aſſimilat ſibi paſſum, ergo jam præmiſſæ neceſſariò reddunt evidentem concluſionem, ſicut candela & lumen applicatum corpori, aut ſpacio reddit ipſum luminoſum.

3. Probatur ſecundò principaliter concluſio; non poteſt intellectus diſſentiri concluſioni niſi diſſentiatur præmiſſis, ergo poſito quòd aſſẽſerit præmiſſis non poteſt aliter ſpecificare ſuum actũ circa concluſionem quàm aſſentiendo ei. Probatur conſequentia, quia diſſenſus concluſionis deſtrueret aſſenſum præmiſſarum, ergo ne deſtruatur, & ſuppoſito quòd nõ ſit deſtructus non poteſt in intellectu dari eius diſſenſus. Itaque hic non eſt locus dubitationi.

Objiciam tamen aliqua, & primò hoc: nam ſi non poteſt negari concluſio ſyllogiſmi conceſſis præmiſſis, fruſtra ſudatum eſt à Logicis in reductionibus tam oſtenſivis quàm aliis ſyllogiſmorum, quod dicere eſt abſurdum ſine dubio, ſed probatur ſequi, quia reductio illa ſupponit negatam concluſionem conceſſis præmiſſis, & reducens conatur negantem concluſiones cogere ad negandas præmiſſas demonſtrationis, vel aliquam, ergo. Reſpondeo negari poſſe concluſiones aliquot ſyllogiſmorum, imò etiam majoris partis ſcilicet ferè quindecim; verbo, omnium ferè modorum præter quatuor primos; ſed cauſa hujus eſt, quia in illis conſequentia non eſt ita evidens, neque connexio extremorum cum medio; nam ſi hæc foret evidens, evidens etiam foret connexio extremorum inter ſe, quod eſt concluſionem eſſe evidentem. Itaque non habentur tunc omnia, quæ nos ſuprà diximus. Atque hinc ſolvitur hoc ſecundum.

4. Objicitur enim Ariſtoteles, qui 2. *Prior.* dicit quòd contingat ſcire omnem mulam eſſe ſterilem, hanc eſſe mulam, & tamen dubitare an habeat aliquid in ventre: ergo jam poteſt quis dubitare de concluſione habitâ certitudine de præmiſſis, ſi autem rationes noſtræ quidquam valent, hoc debet eſſe falſum, tam enim repugnat veritati concluſionis quòd negetur ac quod vertatur in dubium. Reſpondeo tamen cum D. N. 1. *Poſt. q.* 8. Ariſt. voluiſſe quòd non ſufficiat ad aſſenſum concluſionis veritas & aſſenſus præmiſſarum, niſi præterea notetur connexio concluſionis cum præmiſſis, quod eſt præcognoſci formæ & conſequentiæ bonitatem. Major eſt difficultas in libertate & neceſſitate exercitii, de qua

5. Dico ſecundò: poſitis & conceſſis præmiſſis, notatâ etiam bonitate conſequentiæ, *&c.* neceſſitari intellectum etiam in exercitio ad concluſionis ſyllogiſticæ aſſenſum. Contra hanc fruſtra aliqui citant D. cùm ipſam manifeſtè doceat 1. *Poſt. q.* 9. Ubi expreſſè inquit aſſenſum concluſionis ſimul tempore eſſe cum aſſenſu minoris; hoc autem dirimit omnino litem ab hac parte, nam ſi ſimul fiat, jam non poterit intellectus per voluntatem diſtrahi ab aſſenſu aut conſideratione concluſionis, quæ eſt ſola via quâ Adverſarii perſuadent ſibi quòd contingere poſſit ne conſentiat concluſioni, ſcilicet quia diſtrahitur per voluntatem, & ſanè niſi D. ſe declaraſſet ab hac parte, faciliùs eſſet alteram ſententiam ſuſtinere.

Hanc autem cum ipſo tenet caterva (e) Logicorum & Theologorum præ omnibus *Dur.* vide *Oviedo* & Conymb. hîc ſufficit præterea *Ariſtotelem* hic eſſe; eſt autem 1. *Poſt.* 1. ubi tradit eam doctrinam quam deinde omnes ſequuti ſunt, ſcilicet ſimul tempore concedi concluſionem cum præmiſſa; ut videas aliquorum (*f*) inconſtantiam, qui hoc univerſaliter recipiunt, & tamen tenent quod non neceſſitatur ab iſta univerſaliter ad exercitium.

(e) Ruvius 1. *Poſt. c.* 1. *q.* 8. Murcia *q. ult.* Onna *q.* 1. Morilla. *in pr. Analit. dub.* 6.

(*f*) Conymb. 1. *Poſt. cap.* 1. *art.* 4.

Probo intentum, nam ſi oppoſitum contingeret, fieret per hoc, quòd voluntas diſtraheret intellectum ab aſſenſu concluſionis; hoc autem non poteſt fieri; ergo. Probo minorem, nam voluntas aut diſtrahit intellectum in illo inſtanti, aut in alio: neutrum dici poteſt ad propoſitum, nam ſi in alio ſequenti diſtrahat, nimis ſerò accedet, jam enim præceſſit aſſenſus concluſionis in inſtanti præcedenti. Si in eodem aut in præſenti diſtrahere conatur, non poteſt, quia jam conceſſit eam, aliàs non concederet præmiſſas.

Poſſet quis prætendere quòd in priori inſtanti hoc fiat ita ut divertatur intellectus à concluſione, non verò à præmiſſa: Fateor; Poteſt hoc dici, ſed non poteſt perſuaderi, quia quamvis illa ſint quodammodo plura, & intellectus prius terminetur ad unum quàm ad aliud, puta ad præmiſſam quæ eſt cauſa quàm ad concluſionem; tamen quando plura ſunt connexa non poteſt diverti potentia ab uno & relinqui in alio; hæc autem ſunt ſine dubio connexa adeòque. Aſſumptum illud inductione oſtendi poteſt, nam quamvis ſpeculum ſit aliud ab objectis in eo repræſentatis, tamen non poteſt oculus videre ſpeculum niſi videat in eo repræſentata. Non poteſt videre ſenſibile particulare niſi videat ſenſibile commune; v.g. non poteſt oculus videre albedinem muri niſi videat quantitatem ejus & figuram etiam, & motum aut quietem, quamvis prius naturâ feratur in ſenſibile proprium quàm in commune quia hoc propter illud videt, & ſic de aliis, quæ omnia

6. Probantur hâc alterâ ratione concluſionis: Cauſa naturalis quandocumque habet requiſita omnia ad agendum, neceſſariò agit, nec poteſt ſuſpendere ſe aut ſuſpendi; intellectus habens præmiſſas conceſſas & bonitatem conſequentiæ cognitam, eſt cauſa naturalis aſſenſus concluſionis, ergo habens illam neceſſariò aſſentitur

Digitized by Google

ditur huic: ſed illa habet in inſtanti B. Ponamus enim tria inſtantia A. pro primo inſtanti, B. pro ſecundo & C. pro inſtanti, in quo Adverſarius imaginatur aſſenſum præbendum concluſioni, ergo neceſſariò præbet aſſenſum concluſioni in inſtanti B, ſi autem ita ſit, patet eum non poſſe impediri ab ullo ex dictis in prima ratione, ergo. Hic diſcurſus non eget ullâ confirmatione ſui, niſi fortè in minori quam quiſpiam negaret eò quòd intellectus non poſſet habere tot actus ſimul, ſcilicet aſſenſum minoris & concluſionis. Sed in primis eam docet *Ariſt. 1. Poſt. cit.* ubi docet quòd intellectus majoris aſſenſum priùs habet; minoris autem ſimul habet cum concluſione. Deinde hoc convincitur inſtantiis poſitis in prima ratione, nam hæc exceptio, ſi quid valet, probat quòd neque oculus poſſit ſpeculum & ſimul rem repræſentatam in eo videre, nec tactus ſentire duritiem & motum aut quietem, quæ omnia ſunt contra experientiam; ſi autem propter experientiam concedet hic ſenſibus, certè propter rationem debet hoc intellectui concedere; irrationabile enim eſt quòd ſenſus habeat virtutem attendendi pluribus ſimul, intellectus non habeat.

7. Objicies, ſi intellectus debeat aſſenſum concluſionis habere ſubitò poſitis præmiſſis, jam non eſt neceſſarius, imò nec erit poſſibilis habitus circa concluſionem; hoc eſt falſum, & contra authores communiter, ſcientiæ enim habitus eſt circa concluſiones ſecundùm omnes, ſequela autem probatur, quia ad actionem naturalem non eſt neceſſarius habitus, hinc enim nec in oculo nec in igne eſt ullus habitus. Confirmatur quia aut poneretur habitus ad aſſenſum priùs eliciendum aut ad eum faciliùs eliciendum non citius, quia eſt in eodem inſtanti cum ſua cauſa; nec ponendus eſt ad eum faciliùs eliciendum propter eandem rationem, quia non poteſt expeditiùs elici quàm ut raptim & inſtanti eliciatur. Reſpondeo argumentum ſolvendum eſſe omnibus etiam Adverſariis; demus enim voluntatem non divertere intellectum ſed permittere eum ſua ſibi habere, tum etiam naturaliter eliciet aſſenſum concluſionis, & tamen tum habet habitum ſecundùm Adverſarios, ergo. Reſpondeo iterum hoc & plus iterum ſolvendum eſſe ipſis, quia hoc & plus currit de primis principiis, & tamen ponuntur communiter habitus principiorum: imò argumentum in re evertit omnes habitus intellectuales, quia nimirum omnes actus intellectûs ſunt naturales; quum controverſiam hinc ad ſuum locum differendo. Reſpondeo in præſenti negando ſequelam, dico ergo adhuc poſſibilem & utilem eſſe habitum circa concluſiones, deſerviet enim ut intellectus extra demonſtrationem iis aſſentiatur, hoc eſt, quando proponuntur ſine præmiſſis, quòd enim non ſit uſus illius præſentibus præmiſſis, videtur omnino probatum illo argumento.

Dici tamen adhuc poteſt: Extra demonſtrationem aut intellectus aſſentitur concluſioni propter ſe ipſam aut propter præmiſſas, ſi primum jam non aſſentitur illi quaſi concluſioni, ſed quaſi principio quod eſt falſum, & contra ſuppoſitum, ſi ſecundùm jam debent adeſſe præmiſſæ, atque ita abeſſe habitus. Reſpondeo memoriam aliquam aut relationem ad præmiſſas adeſſe, non tamen ipſas eòdem tam expreſsè quàm fuerunt in ipſa demonſtratione, & hoc quod deeſt ſuppletur per habitum.

Atque hinc ego contra adverſantes arguo: ſi enim illi rectè dicerent, habitus concluſionis ponendus eſſet in voluntate, quo nihil abſurdius; ſed ſtatim infrà oſtendetur ſequi, ergo. Interim.

8. Objicies ſecundò. Si ſufficeret aſſenſus præmiſſarum ad aſſenſum concluſionis ſequeretur, quòd quum quis aſſentitur principio alicui, ſtatim ex ipſo deberet ſcire omnes omnino concluſiones quæ ex illo ſequuntur: hoc eſt contra experientiam, ſed patet ſequi hinc, quia nimirum aſſenſus principii ſe ipſo determinat ad omnes, cur enim ad unam, & non etiam ad alios? Reſpondeo: Non ſequeretur. Cur autem ad unum & non ad alios, rationem do, quia applicatur principium uni & nō alteri per ſubſumptum ſeu Minorem v. g. ex hoc: Omnis homo eſt riſibilis: determinatur ad judicandum in concluſione quòd Petrus ſit riſibilis, quia ſubſumpſit Minorem quòd Petrus eſt homo.

Contrà tamen dici poteſt, ſaltèm in enthymemate debet dici, quòd omnes omnino concluſiones ſequantur, & ſciantur ſtatim, & tamen id eſt falſum, ſed probatur ſequi quia in enthymemate non eſt opus ſubſumpto aut ſecundâ præmiſſâ ſed ſufficit una quod ita verum eſt ut ſi adſit ſecunda, jam non ſit enthymema; & tamen ſecundùm nos ſuprà enthymema eſt legitima argumentatio, ergo. Reſpondeo nec ibi ſequi, idque ferè propter eandem rationem, ſcilicet defectu ſubſumpti, quia nimirum enthymema conſtat ſubſumpto non tanquam alterâ præmiſſâ, ut bene argumentum, ſed tanquam toto antecedenti. Itaque non ex principio infert enthymema concluſionem ſed ex quaſi ſubſumpto, non enim dicit: omnis homo eſt riſibilis, ergo Petrus eſt riſibilis. Sed ſic: Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis; unde non omnis forma enthymematis eſt legitima argumentatio, ſed aliqua, quam ſuo loco explicuimus.

Libet jam examinare difficultatem hanc paulò ampliùs ad communem ſenſum ſupponendo ſcilicet, quòd aſſenſus concluſionis non fiat niſi inſtanti ſequenti aſſenſum præmiſſarum, ut videamus num voluntas impedire aut evertere eam poſſit; Et quidem in hoc ſenſu difficultatem dividere poſſumus in duas, unam quæ quærat de aſſenſu concluſionis neceſſariæ, alteram quæ procedat de probabili tantùm ſeu inevidenti: de omnibus.

Reſolvitur controverſia de neceſſitate exercitii.

9. Dico reſolutivè non poſſe voluntatem directè impedire aſſenſum ullius concluſionis ex ipſis directè, poſſe autem utriusque aſſenſum impedire indirectè; & explico me: intelligo enim directè impedire ſolo imperio aut nolitione efficere, ne ſequatur actus intellectûs etiam applicati objecto: indirectè autem erit id efficere diſtrahendo potentiam, ne illi objecto ampliùs, ſed alteri potiùs attendat.

Probo jam, quod dixi in primis de concluſione ſcientifica ſeu neceſſaria ſic: Aut intellectus ipſe habet vires ſufficientes ad aſſenſum concluſionis

Digitized by Google

ſionis etiam ſine imperio ſeu concurſu voluntatis, aut non habet, ſi primum dicatur, jam datum eſt intentum quia potentia naturalis quando habet ſufficientes vires ſubitò eo ipſo agit intellectus eſt potentia naturalis ſine dubio, & ſecundùm reſponſionem proximè datam habet vires ſufficientes, ergo aget. Vel ſic formetur ratio: Potentia naturalis non poteſt impediri ab agendo quamdiu habet virtutem neceſſariam ad agendum (non enim impediri poteſt ab actione niſi ſubtrahendo aliquid requiſiti ad agendum) intellectus tum eſt potentia naturalis habens *&c.* ergo non poteſt ab ullo impediri niſi per ſubtractionem virium, aut alicujus partis earum. Hæc autē non eſt voluntas aut ullus actus ejus, quæ fuit altera pars disjuncti, & probatur ſic, nam ſi ſit, ſequetur integrum plauſtrum abſurdorum: primò enim ſequitur quòd nunquã poſſimus convincere ullum rationibus, atque ita fruſtra diſputamus, fruſtra ſcribimus, & prædicamus. Patet ſequela quoniam reſpondens, ſi nolit, poteſt manifeſtiſſimas conſequentias negare, aut ſaltèm non concedere (quod eòdem recidit) ſic enim nunquã convincetur, nam cùm non poſſit conſentire cuipiam niſi jubente voluntate, voluntas autem non convincatur rationibus (quoniam nec intelligit eas) ſequitur Deinde ſequitur quòd ipſis principiis poſſit diſſentiri, aut ſaltèm non aſſentiri ſi velit, non enim eſt aliquid in principiis neceſſitans eum niſi evidentia, evidentia eſt in concluſione demonſtrata, licèt non tanta, adeòq; ſi huic non cogitur conſentire poteſt etiam illis non conſentire, licèt difficilius propter majorem eorum evidentiam, ergo

Arguo etiam oſtenſivè à priori contra hanc viam: Præmiſſæ formales ſic ſe habent ad concluſionem formalem ſicut objectiva ad objectivum, ſed objectivæ ſe ipſis cauſant concluſionem objectivam ergo formales formalem.

Dices: Si ratio valet, probat quòd nec adhibeantur præmiſſæ formales quia concluſio objectiva cauſatur ab una præmiſſa; tota enim ratio cur Petrus ſit riſibilis eſt, quia eſt rationalis aut homo, nam illa univerſalis: omne rationale eſt riſibile hic eſt impertinens, neque adeſt omnino in Petro in quo nihil univerſale eſt; Deinde ſequeretur quòd etiam ſine ullo concurſu intellectûs haberetur concluſio formalis, & non ſolùm ſine concurſu voluntatis, quia nullius potentiæ aut agentis actus requiritur ad concluſionem objectivam præter præmiſſas objectivas. Reſpondeo ad primum in re ita eſſe, ut ſuprà de enthymemate agens oſtendi, ſi autem ita ſit quòd una ſufficiat, quanto magis duæ? Deinde hîc, cùm agimus de convincendo intellectu alterius, non ſufficit afferre enthymema, ſed opus eſt ſyllogiſmo, ut ibidem dixi. Ad ſecundum nego ſequelam quia etiam præmiſſæ objectivæ præter ſuam entitatem habent quandam actionem reſpectu concluſionis objectivæ, puta paſſionis, quem actum communiter vocant emanationem atque ita argumentum eſt in oppoſitum.

Probo adhuc ampliùs, quia ſi conſenſus aut imperium voluntatis eſſet pars virtutis activæ & quid requiſitum ad actum intellectûs, eſſet etiam requiſitum ad actum imaginativum, & à fortiori ad actum appetitus ſenſitivi, quia hic minùs habet de naturali & plus de libero, hoc autem eſſe falſum oſtendo, quia poteſt dari appetitio ſenſitiva ſeu concupiſcentiam honeſte nō imperante aut conſentiente voluntate quod ni fallor convincitur ratione fundata in experientia, quia ſcilicet appetitus ſenſitivus concupiſcit etiam nolente & renitente voluntate; qui autem contrà nititur certum eſt quòd non conſentit, ergo.

10. Objicies: Niſi voluntas poſſit virtute ſuâ impedire aſſenſum concluſioni, ſequeretur; quòd nec impedire poſſet continuationem ejus, hoc autem eſt falſum, aliter enim quandocunque ſemel incideremus in concluſionem demonſtratam, deberemus poſtea ſemper cogitare eam, ergo. Sequela patet quia cauſæ quæ ſunt ad inceptionem aſſenſus ſunt ad continuationem ejus. Reſpondeo negando ſequelam, quia ſcilicet poteſt indirectè impedire eum, divertendo ſcilicet eum ab illo objecto ad alia; imò non requiritur conatus voluntatis ad hoc, ſed ſufficit occurſus aliorũ objectorum, quæ quia movent phantaſmata, movent etiam & trahunt ſecum intellectum.

Contra hoc tamen eſt, quòd ſi intellectus poſſit pluribus attendere, ſequitur, quòd non poſſit voluntas eum etiam ſic divertere; poteſt autem attendere ſecundùm nos pluribus & habere ſimul plures actus, ita enim habet aſſensũ minoris cum aſſenſu concluſionis, ergo jam non poteſt voluntas eum indirectè impedire; quum ergo conſtet quòd abſolutè poſſit eũ impedire ſequitur quòd poſſit eum etiã directè impedire, quod negamus. Reſpondeo hoc non ſequi in primis quia licèt demus ipſum poſſe attendere pluribus non tamen in quocumq; numero unde voluntas poterit eum tot aliis objectis applicare ut non ſit locus huic, puta concluſioni. Deinde etſi poſſet plurimis ſimul attendere, ſed nulli niſi propoſito in ratione objecti, ſi ergo voluntas efficere poſſit ne hoc aut illud proponatur in ratione objecti ſequitur, *&c.*

11. Objicies ſecundò: Ad actum cujuſcumq; potentiæ requiritur virtus animæ quæ per voluntatem applicatur: ergo ſi nolit voluntas, potentia eo ipſo non aget, quia non poterit agere, hoc autem ſine dubio eſt directè impedire actum, ergo, major eſt evidens, & habet experimentũ tam in ſanis quàm in infirmis; in illis quando diſtrahuntur vel occupantur vehementer circa unum objectum, tunc enim non attendunt alteri objecto, quia virtus animæ eſt applicata primo; infirmi autem nil valenter facere poſſunt ſive nullius potentiæ actum perfectum habere propter virium defectum: itaque certum eſt quòd negatio virium directiſſimè poſſit impedire quemcumq; actum. Reſpondeo ita eſſe, ſed nego hanc vim per voluntatem applicari. Dices: Si nō applicantur per voluntatem cur voluntas vehementer attenta actui unius potentiæ v. g. viſus impedit actum alterius potentiæ v. g. auditus, niſi quia ipſa divertit vires animæ totas ad viſum ut nihil ſuperſit auditui, nam qui hoc præſtare poteſt ſignum eſt quòd ſit diſpenſator virium animæ; unde communiter dicitur voluntas eſſe regina in regno animæ, ergo. Propter hoc exiſtimo aliquã diſpenſationem harum virium pertinere ad voluntatem, eam ſcilicet quæ jam explicata eſt, & dici poteſt indirecta. Itaq; vires animæ egrediuntur à ſubſtantia ipſius animæ quæ naturalis eſt; & proinde naturaliter non liberè omnes potentias attingunt, nec ab ullo poſſunt directè, hoc eſt per ſuſpenſionem impediri, ſed duntaxat per applicationem, ſicut aqua fluminis quo plùs applicatur uni alveo, eo minùs permittitur alteri. Hæc de aſſenſu concluſionis demonſtratæ.

12. Pro-

Digitized by Google

12. Probo jam aſſenſum concluſionis probabilis ſive non evidentis, ut v. g. aſſenſum fidei habere, etiam ſuam neceſſitatem in exercitio, & probo iiſdem argumentis, quia nimirum præmiſſæ probabiles conceſſæ tam ſunt neceſſariæ cauſæ aſſenſus probabilis præſtandi illarum concluſioni, quàm ſunt præmiſſæ evidentes aſſenſus evidentis concluſionis. Atque hinc dicitur Logica etiam in parte topica eſſe ſcientia, quia nimirum demonſtrat per ſyllogiſmum topicum generari operationem, non minus quam per demonſtrativam ſcientiam illo medio; quoniam præmiſſæ probabiles tam determinant ad aſſenſum probabilem ac demonſtrativæ ad ſcientificũ.

Sed non approbo diſcurſum hunc; Longè enim magis determinant demonſtrativæ; quia probabiles non determinant, niſi ad ſpeciem actûs, ad exercitium autem non determinant; ſed præmiſſæ demonſtrativæ ad omnia tam ſpeciem quàm exercitium determinant.

Dices, ſi hæc ita ſint, ergo concluſio & ratio ejus pro hac parte malè poſita ſunt. Nego conſequentiam, non enim dixi præmiſſas probabiles neceſſariò inferre aſſenſum abſolutè, ſed præmiſſas probabiles conceſſas. Vnde patet diſcrimen inter ſyllogiſmum topicum ac demonſtrativum, quòd illius præmiſſæ neceſſariò inferunt aſſenſum concluſionis, ſi concedantur; at verò præmiſſæ hujus neceſſariò etiam concedantur, adeòque illæ tantùm ex hypotheſi trahunt ſecum aſſenſum concluſionis, hæ autem abſolutè;

13. Objicies: Aſſenſus fidei eget actu voluntatis, ut habeatur, non egeret autem ſecundùm nos, ergo Probo minorem, cauſa enim, cur eget eo, eſt ipſius propoſitionis inevidentia, at verò ſecundùm nos inevidentia non facit, ut ſit opus actu voluntatis, ergo. Confirmatur, quia, ſi objectum eſſet evidens, vel etiam, ſi ipſa revelatio foret evidens, non eſſet neceſſarius affectus aliquis voluntatis ad credendum; unde, qui habet evidentiam in atteſtante, non indiget ejuſmodi
(g) Jacob. 2. v. 20. affectu (g) *Dæmones etiam credunt*, qui ſanè non habent ullam piam affectionem, id autem idcirco contingit, quia habent evidentiam præmiſſarum, aut quaſi præmiſſarum fidei, ergo a primo ad ultimum, ubi non eſt evidentia, opus eſt affectu,
c. c. quod negamus. Denique procedunt deffinitio-
(h) *ſeſſ.* nes Concil. Arauſic. & Tudentini (*h*) docentiũ a-
6. *cap.* 6. ctum fidei eſſe liberum; non eſſet autem, ſi neceſſariò ſequeretur præmiſſas, ut nos volumus, ergo

Circa materiam hujus argumenti quidam Sco-
Barth. Maſt tiſtæ (i) citant Doct. *ex* 3. *diſt.* 25. tanquam dicat
& Bonav. ad actum fidei non requiri conſenſum vo-
Bellud. luntatis; ſed hallucinatur, non attento textu
[illegible] 11. *log.* Doct. cui non oportebat in hac materia invidiam
q. [illegible] conflare, in qua alias notatur à Rec. ſufficit defendere quod non requiratur motus ſupernaturalis voluntatis, nec eſt opus negare omnem omnino. Hoc autem ſentire D. ſuo loco per Dei gratiam oſtendam, interim ad argumentum reſpondeo primo negando conſequentiam hoc eſt paritatem, non enim actus fidei eſt aſſenſus concluſionis, quia fides non fit per diſcurſum.

Inſtari tamen poteſt, quod ſive fiat ſic, ſive non, eget actu voluntatis determinante ad ipſum, & ideo eget quia obſcurus ſeu inevidens eſt adeoque omne tale egebit atque ita concluſio probabilis, itaque reſpondeo aliter & pro nunc do fidem eſſe diſcurſivam, & aſſenſum ejus egere volitione aliquâ, & adhuc nego conſequentiam, ideo enim eget concluſio fidei affectu voluntatis, quia præmiſſa aliqua ejus eo eget. Ecce caſum, nam ſi ponamus fidem eſſe diſcurſivam, diſcurſus ſic fiet: Omne quod Deus revelavit eſt verum: hoc (ſcilicet Abraham iviſſe in Ægyptum) Deus revelavit, ergo Abraham ivit in Ægyptum, ſive, ergo hoc eſt verum, ſic enim dico aſſenſum concluſionis egere affectus voluntatis quia aſſenſus Minoris eget, quod ita verum eſt ut ſi minor ſit conciſa ſive propter affectum voluntatis ſive ſine illa, tum concluſio non ampliùs egebit ullâ operâ voluntatis.

Dices: Ergo malè dictum eſt à conciliis, quòd ad aſſenſum fidei requiratur actus voluntatis quum hic requiratur ad aſſenſum Minoris, quæ non eſt actus fidei. Reſpondeo in fide non dari proprie majorem aut minorem ſive omnino diſcurſum adeoque voluntatis operam requiri ad ipſam fidẽ immediatè quia ipſa mediatè elicitur.

14. Altera pars principalis, quòd ſcilicet voluntas poſſit indirecte impedire aſſenſum concluſionis in iis caſibus, puto jam declarata, atque etiam probata eſt in præcedentibus occaſione primæ partis. Videri poſſunt recentes (Rub & Averſ.)

Probo breviter ſic; quia in ſyllogiſmo ex præmiſſis de omni ſive univerſalibus poteſt inferri concluſio particularis, hoc autem eſt aliquod impedimentum & aliqua diſtractio intellectûs à concluſione. Nam quum præmiſſæ fuerint cauſæ naturalis, & habuerint virtutem inferendi univerſalem concluſionem, quod retrahit ipſa, ad particularem impedit, quia retrahit ad partem tantum omiſſâ aliâ parte, imò pluribus aliis, quum in univerſali plures particulares contineantur.

Objicio paritatem: Quando homo violenter currit, non poteſt per voluntatem ſtatim impedire in quovis puncto viæ, quin etiam nolens paulò ultra feratur impetu prioris curſus, ergo, quando habuit aſſenſum præmiſſarum non poteſt ſtatim coerceri, quin ultra feratur, proximum autem quod occurrit eſt concluſio, ergo. Dixi hoc eſſe plus quàm paritatem quia potentia loco motiva plus ſubjicitur voluntati quam intellectus, illa deſpoticè, hæc tantum politicè, ergo. Reſpondeo: Propter hoc equidẽ puto concluſionem eſſe potius methaphyſicè quam practicè veram, ſed ſtando in reſolutione poſita do aliquam paritatis diſparitatem, & dico impetus ſpirituales facilius coerceri poſſe quam corporales, quia potentiæ ſpirituales magis habiles ſunt ad motum in omnem partem; non enim homo habet vim aut organa ita facta ad regrediendum ſicut ad progrediendum quoniam poplites à parte anteriori habet. Deinde aſſenſus concluſionis non eſt per omnia motus continuus & rectus ſicut eſſet motus qui impetu illo fieret, ſed eſt digreſſio quædam, eſt enim quaſi alterius ſpeciei ab aſſenſu præmiſſarum, quod ſufficit de his ſciviſſe. Nolui etiam uti hic communi argumento de neceſſitate voluntatis ad electionem mediorum ſuppoſitâ intentione finis, quoniam exiſtimo non eſſe utrobique paritatem; ſed diſſimilitudinem latam, quam alibi opportunius oſtendã.

Denique non approbo aliam communem probationem primæ concluſionis, quæ recentioribus placet, quòd voluntas non poſſi nolle bonum,

Digitized by Google

bonum: adeòque nec intellectus diſſentiri vero eſt enim probatio ignoti per ignotius. Notius eſt enim intellectum habere ſtatum in agendo, & determinari à ſuo ſubjecto, quàm voluntatem, quæ quoniam libera eſt, multo magis ei repugnat omnis neceſſitas; ut omittam, quod aſſumptum videatur abſolutè falſum; ſed hæc omnia aliò ſpectant. Sit hic

ACTIO IV.

Quomodo aſſenſus præmiſſarum cauſet aſſenſum concluſionis.

Breviarium.

N. 1. *Senſus quæſiti. Ratio Recentioris cujuſdam, rejecta.*
2. *Præmiſſæ duplicis generis, objectivæ & formales. Mens Scoti.*
3. *Præmiſſas non concurrere efficienter ſeu phyſicè ad aſſenſum concluſionis.*
4. *Ratio altera hujus.*
5. 6. 7. *Rationes non æquè validæ.*
8. *Potior ratio concluſionis.*
9. *Objectio: quomodo actus voluntatis requiratur ad fidem?*
10. 11. 12. *Aliæ objectiones, ſolutæ.*
13. *Præmiſſas effectivas concurrere efficienter.*
14. *Objectio; ſoluta: ſupplentur aliquando præmiſſæ.*

1. Difficultas eſt utrum attingat phyſicè an moraliter, utrum in genere efficientis comproducendo ſicut ipſe intellectus, an in genere quaſi formalis cauſæ determinando intellectum ad aſſenſum? an denique in genere cauſæ materialis, eò quòd fiat ex terminis præmiſſarum tanquam ex materia, nam in genere cauſæ finalis certum eſt quòd non concurrant, quum potiùs concluſio ſit finis præmiſſarum ait *Maſtrius* hîc (a) confidenter: ſed non approbo hanc ejus rationem, quia ordo finis & medii qui inter præmiſſas & concluſionem reperitur eſt à natura non ab arte aut arbitrio, non poteſt autem à natura ordinari quod nobilius eſt ad minus nobile, neque totum ad partem; nobilior autem eſt præmiſſa quàm concluſio ſicut nobilius eſt dare quàm accipere, illa enim dat evidentiam & certitudinem concluſioni. Deinde eſt totum quoddam reſpectu concluſionis quæ eſt pars ut quum particularis infertur ex univerſali. Hæc autem omnia accipienda ſunt de concluſione directa & in demonſtratione propter quid quæ eſt propria & perfecta, adeòque menſura perfectionis.

(a) *diſp.* 11. *log. q.* 3.

Dices: Utimur præmiſſis ad inferendam concluſionem, ergo hæc eſt finis earum. Reſpondeo negando ſequelam, vel etiam diſtinguendo; eſt finis operis, nego, operantis tranſeat, quæ diſtinctio intelligetur per hanc aliam; concluſio eſt finis præmiſſarum in ſubſtantia nego, in exercitio ſeu elicitione concedo; eſt enim cauſa cur intellectus elicit aſſenſum earum ſive format illas apud ſe hic & nunc, non autem eſt cauſa cur abſolutè aſſentit eis.

2. Adhuc ſciendum eſt præmiſſas ipſas & concluſionem eſſe in duplici genere, aliæ enim ſunt præmiſſæ objectivæ, & concluſio etiam objectiva, aliud præmiſſæ & concluſio formalis: Objectivæ ſunt res ipſæ, extra quæ ſignificantur per terminos propoſitionum formalium; formales autem ſunt ipſæ cognitiones intellectûs. Exemplum in hac demonſtratione:

Omne animal rationale eſt riſibile,
Omnis homo eſt animal rationale, ergo
Omnis homo eſt riſibilis.

Præmiſſæ formales ſunt tres actus ſive aſſenſus intellectus mei. Objectivæ autem ſunt univerſalia illa invicem conjuncta extra intellectũ meum, ſcilicet rationale conjunctum riſibili, & riſibile homini, quia hæ præmiſſæ componuntur ex terminis objectivis ſcilicet ex rationali realiter ſumpto, & ſimiliter riſibili. His poſitis circa reſolutionem, diviſi ſunt (ut ſolent) authores: alii materialem influxum dant præmiſſis, quos legas apud Maſtr. *hic diſp.* 1 *q* 3 Alii effectivum & phyſicũ influxum eis tribuunt quorum authorum quum texuiſſet prolixum catalogum. Recentior quidam hic; ſed in toto indice illo D. N. non numeravit; propter quod hic mihi ſtatuenda eſt mens D. ne alium pro ipſo defendam.

Barth. Maſtri.

Barth. Amicus *tract.* 25. *log. diſp.* 6 *dub.* 3.

Statuo ergo nõ ſentire D. quòd præmiſſa concurrat effectivè phyſicè ad concluſionem: quod ni fallor ex ipſo oſtendam plus ſemel. In primis enim *q.* 1. *log. n.* 2. in corpore volens oſtendere, quòd Logica ſit ſcientia ait: *Sunt etiam in Logica omnia requiſita ad demonſtrationem, ſubjectum & paſſio demonſtrabilis per medium quod eſt definitio.* Ecce omnes cauſas concluſionis inter quas nec legis nec audis præmiſſas. Ad hæc *in prolog q.* 3 *& 2. laterali* patenter ait: *Primum objectum continet virtualiter omnes veritates illius habitûs cujus eſt primum objectum, ſed nihil continet virtualiter omnes veritates theologicas niſi Deus*, quod falſum foret ſi præmiſſæ formales continerent: Denique 1. *d.* 2. *q.* 7. non ſolùm aſſerit ſed probat hoc, ut ego ſtatim ex ipſo.

Scot.

3. Dico ergo præmiſſas formales non concurrere efficienter phyſicè ad aſſenſum concluſionis, ſed moraliter tantùm, ſeu ut conditio, & propriè in quodam genere cauſæ formalis extrinſecæ. Ita Doct. intellexit Maurit. noſtras *in exp. q.* 1. Sequuti ſunt alii (Moriſ. itẽ noſtras, Amicus Aver) Probatur concluſio authoritate & ratione Doctoris 1. *d q.* 2. quam rationem ad compendium reductam poſſumus in rem noſtram traducere ſic. Verbum non gignitur ab intelligentia ſed à memoria ſecundùm Auguſt. 15. *Trin. cap.* 7. concluſio eſt verbum ergo non gignitur ab intelligentia ſed à memoria: gigneretur autem ab intelligentia ſi attingeretur à præmiſſis, ergo non attingitur. Subſumptum probandum eſt ſic: Intelligentia hîc dicitur intellect⁹ cum actu intelligendi, ſicut memoria dicitur idem intellectus cũ ſpecie objecti, ergo jam nõ aliquis act⁹ aut aſſenſus cõcurrit cum intellectu ad aſſenſũ cõcluſionis

ſed ſola

ſola ſpecies objecti, quod eſt intentum noſtrum, & ipſum quod negat adv. Negabitur fortaſſe cõcluſio eſſe verbum; ſed tum quærendum eſt an aſſenſus principii ſit verbum? quod ſi concedatur ei, certè negari non poteſt concluſioni Cur enim? Utriq; fortè negabitur eò quòd ſint judicia, verbum autem debeat eſſe ſimplex appræhenſio; ſed hujus cauſa aſſignanda eſt: Contrarium ſic oſtendi poteſt quoniam verbo dicimus aliquid; judicii autem eſt dicere ſeu affirmare, ergo.

4. Probatur ſecundò. Ad quemcumq; actum intellectûs concurrunt potentia & objectũ, nec quidquam aliud neceſſariò agit, ergo non aſſenſ⁹ præmiſſarum, quia neq; eſt objectum (aliter concluſio eſſet expreſſio formalis ipſarum) neq; potentia, cùm ſit actus, ut patet. Dici poſſet adhuc aſſenſum præmiſſarum concurrere per modum habitûs ſed contra redit vis totius rationis, nam præmiſſæ neceſſariò concurrunt ad concluſionẽ aliquo modo, alioquin concluſio non eſſet concluſio, nam ſine præmiſſis non talis; habitus non neceſſariò concurrit, ſed ad meliùs eſſe tantùm, & jam ſecundùm reſpondentem, ergo præmiſſæ hîc non ſunt ad modum habitûs. Iterum contrà eſt hoc: habitus ſubordinatur potentiæ, præmiſſæ formales non ſubordinantur intellectui in ordine ad concluſionem, ergo ad hunc effectum non ſunt habit⁹. Minor oſtenditur quia ſubordinari alicui agenti eſt moveri ab ipſo ad agendum ita ut actio ab ipſo incipiat, ſic autem non eſt in propoſito ſed contrarium quia præmiſſæ non exſpectant motũ aliquẽ intellectus circa concluſionẽ, ſed impellunt & rapiunt ipſũ in aſſenſum ejus.

5. Probo tertiò generali ratione, quoniam actus non producit alium actum, ergo præmiſſæ nõ attingunt producendo concluſionem. Anteced. patet in primis experientiâ, non enim viſio aliam viſionem producit, nec ſcriptio ſcriptionem, aliàs nunquã deſineret quis videre aut ſcribere. Confirmat Ariaga quia ſi præmiſſæ poſſunt producere concluſionem quæ eſt actus ſpecie diſtinctus, multo magis poterit actus aliquis producere alium numero diſtinctum.

Sed ad hoc & totam rationem, ut hactenus facta eſt, reſponderi poſſet non deberi produci alios actus ſimiles ſed diverſos, eò quòd duo accidentia ſolo noſtro diſtincta nõ poſſunt in eodem ſubjecto recipi; ſed ſi hoc tantùm impedit cur deſinente uno actu non incipit alius, ſicut partes motus in eodem mobili ſuccedunt ſibi, & tamen ſunt ejuſdem rationis: à priori etiam patet idem antecedens quia ſi actus habet virtutem producendi alium actum, aut hoc habet per modum potentiæ aut per modum objecti, aut deniq; per modum utriuſq; non primum aut ſecundũ, quia actus cùm ſit productus ab objecto & potentia, non magis debet rationẽ unius quàm alterius habere: non ſecundum ſine dubio, aliàs intellectus hîc nõ ageret in aſſenſu concluſionis ſimpliciter: etiam rationem potentiæ non poteſt habere quia non quilibet actus quemlibet alium poteſt attingere nec quævis præmiſſa quamcumq; concluſionem. Poſſet autem ſi foret potentia ipſa præmiſſa. Deinde potentia eſt vivens, actus non, ſed vita. Deniq; volitiones omnes non eſſent liberæ, quia non illæ quæ producerentur ab aliis volitionibus quoniam volitiones illæ activæ & priores etſi ſint liberæ ut quo ſed ſunt neceſſariæ ut quod & reſpectu ſuæ actionis, ut patet in productione ſpeciei egredientis ab ipſis.

6. Confirmo hanc partem rationis viâ magis communi. Si actus unus ex genere ſuo eſſet productivus alterius, & nominatim præmiſſæ attingerent producenter concluſionem etiã intentio finis deberet attingere efficienter electionem mediorum in voluntate; ſic enim ſe habet cõcluſio in practicis ſicut principia in ſpeculativis, hoc autem eſt falſum; quia ſic electio illa & exſequutio non eſſent liberæ. Dices hoc non eſſe abſurdum: ſed hoc ego non dicã, video enim experimento oppoſitum, nam quamvis demus voluntatem neceſſitari ad approbationem mediorum per intentionem efficacem finis, tamen experientiâ conſtat, quòd non debeat ſtatim poſt intentionem finis habere electionem aut volitionem ullam mediorum, ſed poteſt differre eam in decennium ſi volet; non poſſet autem ſi attingeretur neceſſariò ab intentione finis, ergo: & clariſſimum eſt de exequutione mediorum quæ ſine dubio non ſtatim fit, & tamen paritas illa inter principia & finem in axiomate poſita æquè currit de exequutione mediorum ac de electione eorum ut ſcilicet ſic ſequatur in voluntate intentionem finis ſicut in intellectu concluſio ſequitur præmiſſas, ergo.

7. Ultimò arguo ſic: Si aſſenſus præmiſſarum phyſicè cauſaret aſſenſum concluſionis, ſequeretur quòd duæ cauſæ æquivocæ mutuò & reciprocè ſe cauſarent, hoc ſine dubio eſt abſurdum, ergo. Sequela probatur, quia aſſenſus concluſionis in demonſtratione à poſteriori poterit eſſe principium ſeu præmiſſa, atq; adeò poterit cauſare aſſenſũ principii, à quo fuit cauſatum, quia in hujuſmodi demonſtratione principium eſt concluſio, atque ita principium & concluſio mutuò ſe cauſant, principium & concluſio ſunt cauſæ æquivocæ cùm ſint diverſæ ſpeciei ergo cauſæ æquivocæ mutuo ſe cauſant.

Reſponderi tamen poteſt argumentum hoc in propoſito non habere locum quia abſurditas hujus mutuæ productionis inter cauſas æquivocas eſt, quòd tum ſequeretur aliquid idem eſſe perfectius & imperfectius eodem, omnis enim cauſa æquivoca eſt perfectior ſuo effectu: Hoc autem in propoſito non urget, non enim ſequitur niſi quum aliquid cauſatur totaliter ab alio (quia effectus non eſt imperfectior quâcumq; cauſâ ſui; ſed tantùm cauſâ totali) at verò hîc præmiſſæ non ſunt cauſæ totales concluſionis, quoniam intellectus cum ipſis concurrit, ergo. Magis moveor hoc argumento quod propè eſt.

8. Appræhenſio terminorum non concurrit phyſicè ad aſſenſum principii, ergo nec aſſenſus principii ad concluſionem; paritas conſequentis patet cuilibet, utiq; enim ſic ſe habet ſecunda operatio intellectûs ad tertiam, ſicut prima ad ſecundã. Anteced. probatur quia appræhenſio terminorum non habet inferre actum de aliquo objecto, niſi de eo circa quod ipſa verſatur, ſed judicium eſt circa objectum, circa quod non verſabantur præmiſſæ, eſt enim circa copulam, clarum eſt autem quòd appræhenſio terminorum non verſetur circa copulam, ergo. Simile poteſt formari de voluntate comparatione intellectûs, non enim concurrit actus intellectus ad actum voluntatis, licèt prærequiratur non minus quàm præmiſſæ ad concluſionem; cur ergo concurrent magis præmiſſæ ad concluſionem?

9. Objicio pro ipſis: Saltèm actus voluntatis concurrit aliquando ad concluſionem, ergo concurrunt ſemper ipſæ præmiſſæ ſaltèm demonſtrati-

Digitized by Google

ſtrativæ; quæ conſequentia continet plus quàm paritatem, & adhuc probatur, quia ideo voluntatis actus requiritur & cooperatur ad actum intellectûs eò quòd præmiſſæ non habent virtutem ſufficientem determinandi intellectum ad concluſionem, atq; ita ſupplet locum præmiſſarum, & proinde ſequitur certiſſimè quòd ſi voluntas concurrit efficienter phyſicè, præmiſſæ ipſæ debeant ſic concurrere, non enim poteſt agens vicarium & ſubſtitutum nobiliorem modum agendi habere quàm habet agens principale cui ſubſtitutus eſt. Antecedens ergo probandum eſt, & patet in actu fidei ad quem neceſſariò concurrit voluntas, nec unquam teſtimonium externum ſufficit: Et quia hic dici poteſt actum voluntatis concurrere quidem, at non phyſicè, probo oppoſitum hujus ſive quòd actus voluntatis phyſicè influat in eo caſu; Nam ſi non, jam ante actum voluntatis habetur ſufficiens cauſa phyſica aſſenſus; atqui non habetur, ergo. Minorem probo quia ſi haberet intellectus ſufficientes vires ad actum concluſionis, haberet ipſam cõcluſionem; quum ſit cauſa naturalis cujus natura eſt ut ſimul ac habet virtutem agendi agat, non habet autem actionem ſive aſſenſum concluſionis ante actum voluntatis, ergo ſignum eſt quòd non habeat virtutem agendi ante actum voluntatis. Reſpondeo tamen negando conſequentiam: Ad propoſitionem diſtinguo anteced. ideo voluntatis actus hic requiritur, quia præmiſſæ objectivæ non habent virtutem ſufficientem determinandi intellectum, concedo aſſumptum, & harum defectum ſupplet; quia præmiſſæ formales, nego, aliàs ſemper requiretur. Itaque vis eſt in præmiſſis objectivis, quod infrà concluſione ſequenti proſequemur: Interim ex hac ſolvi poſſunt alia quæ

10. Objiciunt ipſi pro ſe ſic: Quod conſtituit potentiam in actu primo, concurrit cum ea efficienter ad actum ſecundum ut patet in ſpecie coloris, quæ eſt virtus ipſius coloris & conſtituit oculum in actu primo, adeòque concurrit cum eo ad actum ſecundum; ſed per aſſenſum principiorum conſtituitur intellectus in actu primo reſpectu concluſionis; intellectus enim nudus non ſufficit, ergo. Reſpondeo hic peti principium in minori, & majorem ferè eſſe identicam, ratio pro minori adducta probat aliquid præter intellectum requiri, quòd autem illud aliquid ſit aſſenſus præmiſſarum, adhuc reſtat oſtendendum.

Oſtendunt autem ſic: Ratio formalis objecti eſt cauſa ſufficiens, præmiſſæ ſunt tales hic, quia propter illas aſſentimur concluſioni, ergo. Antecedens patet diſcurrendo per omnia, nam in fide hominis ratio formalis eſt teſtimonium, quod proinde phyſicè concurrit, & ſic de cæteris. Reſpondeo argumentum eſſe in oppoſitum, ſi enim aliquid objecti eſt cauſa efficiens, jam non aliquid in potentia, quales ſunt præmiſſæ ipſæ, exemplum eſt in oppoſitum, nam teſtimonium cui credemus ſine dubio eſt aliquid extra credentem. Probant ergo omnino ſequentem concluſionem potiùs quàm impugnant præſentem.

11. Habeo tamen, quod contra eam addam primæ objectioni à me ſuprà poſitæ; ſi enim præmiſſæ objectivæ ſint quæ dant virtutem aſſentiendi concluſioni non autem formales ſequitur, quòd habitis objectivis præmiſſis habeatur virtus ſufficiens etiam ſine formalibus; hoc autem convincitur eſſe falſum ex diſcurſu ſuprà facto, tum enim poſſet, imò deberet haberi aſſenſus concluſionis ſine aſſenſu præmiſſarum, quod eſt impoſſibile. Reſpondeo propter hoc & alia haberi aſſenſum conſequentis ſine aſſenſu præmiſſarum, etſi credibiliùs videatur quòd impoſſibile ſit haberi aſſenſum conſequentiæ ſeu actum illationis. Sed hinc

12. Objici poteſt adhuc; In concluſione non ſolùm eſt conſequens, ſed conſequentia & illatio, ad hanc autem concurrunt præmiſſæ, ergo. Reſpondeo negãdo minorem. Dices ſic nõ eſſe diſcrimen inter præmiſſas in ordine ad cõſequens, & in ordine ad illationẽ. Dico eſſe, & eſſe hoc, quòd ad illationẽ requirantur præmiſſæ ut conditio indiſpenſabilis, ad conſequens autem non.

Sed inſtat Maſtrius: Conditio tum requiritur quando agens eſt indiſpoſitum vel impeditum, & ipſa conditio eſt impedimenti ablatio, ut patet in applicatione ignis: At quum agens & patiens ſunt debitè approximata, ſi non ſequatur effectus ſignum eſt quòd agens nõ habet completam virtutem, aliter præcluderetur omnis via ad oſtendendum activitatem cauſæ, & quilibet poſſet dicere quamlibet cauſam eſſe conditionem, cùm igitur intellectus ex ſe non ſit impeditus ad agendum ſi haberet completam virtutem reſpectu concluſionis ipſam produceret ſine præmiſſis quod eſt falſum, ergo. Reſpondeo retorquendo rationem in authorem, nam in ipſius via tolleretur omnis via aſſerendi conditiones ſine quibus non, & omnes illæ eſſent cauſæ, quod eſt falſum, ergo. Itaque intellectus non habet virtutem inferendi concluſionem ante admiſſionem præmiſſarum, non quòd præmiſſæ augeant ejus virtutem, ſed quòd aſſenſus concluſionis utpote diſcurſivis debet neceſſariò fieri tali modo. Sicut ergo terminus à quo non influit in motum nec tamen motus poteſt fieri ſine illo. Ita hic, poteſt quidem intellectus habere aſſenſum conſequentis ſine alio, ſive poteſt abſque præmiſſis intelligere propoſitionem quæ infertur in concluſione, ſed non poteſt id diſcurſivè. Jam

13. Dico ſecundò: Præmiſſæ objectivæ cauſant etiam phyſicè aſſenſum concluſionis. Eſt expreſſa D. q. 4. *prolog.* ubi defendit Theologiam beatorum eſſe diſcurſivam: *Quia inquit Linea viſa in verbo cauſat cognitionem in vidente paſſionis ſua.* Eſt Philoſophi in deffinitione demonſtrationis 1. *Poſt.* ſed & aliorum. (b)

(b) *Nominal.* Tollet *in expoſ. tex.* Ruv. *q.* 5. Blanc. *diſ.* 1. *de argumentat.*

Probatur: Præmiſſæ objectivæ poſſunt cauſare aſſenſum concluſionis, ergo cauſant conſequentiam hæc probatur, quia quidquid cauſare poſſunt cauſant de facto quum naturaliter agant. Antecedens probatur, præmiſſæ illæ continent concluſionem ineſſe producibilis, ergo continent eam in eſſe ſcibilis. Patet antecedens, loquimur enim de præmiſſis demonſtrationis propter quid, ſive à priori, in qua ſubjectum aut deffinitio ejus quæ ponuntur in præmiſſis eſt cauſa paſſionis, de qua procedit concluſio. Conſequentia autem multo clariùs patet quia ipſa entitas continet intelligibilitatem, adeòque continens entitatem alicujus continet intelligibilitatem ejus.

Soleo etiam uti hâc ratione: Ex dictis concluſione præcedenti præmiſſæ formales aliquo modo attingunt aſſenſum concluſionis, quia ſcilicet illæ conceſſæ determinant intellectum ad concedendam concluſionem, ſed non determinant effectivè, ut vidimus, per modum potentiæ aut objecti, ergo debet dari aliquid, quod determinet per modum objecti: non aliud quàm præ-

Digitized by Google

præmiſſæ objectivæ; quia nimirum intellectus nondum attigit ipſam concluſionem ut ſuppono, ergo.

Confirmo hoc ex ratione diſcurſus & ſcientiæ, quæ talis naturæ eſt, ut antecedens ſit cauſa conſequentis movens intellectum ad cognitionem ſui, quod totum ſignificatur definitione illâ ſcientiæ apud Ariſt. ut ſcilicet ſit *ex cauſis concluſionis*, unde ſic arguo. In demonſtratione debent haberi cauſæ concluſionis; ſed non neceſſariò habentur cauſæ ejus in eſſendo, ergo neceſſariò habenda eſt ſaltem cauſa ejus in cognoſcendo. Minor huius patet in demonſtratione *quia* ſive à poſteriori, hæc enim non adfert cauſam in eſſendo, ſed effectum potiùs, ergo iam in omni demonſtratione adfertur cauſa aſſenſus præſtiti conſequenti. Tum ſic: Hæc cauſa non eſt præmiſſæ formales ex iam dictis, ergo obiectivæ. Confirmo, quia ſi obiectivæ eſſent ſolum excitantes ad cognitionem concluſionis, ipſa vero concluſio obiectiva moveret ad cognitionem ſui, tum cognitio concluſionis non eſſet magis diſcurſiva quàm cognitio principii, nam etiam cognitio principii ſequitur ad appræhenſionem terminorum qui non minùs determinant ad ipſum quàm facit principium ad concluſionem. His rationibus maximè verò primæ addendum eſt, quòd præmiſſæ priores ſunt concluſione in cognoſcendo & movendo intellectum, ſicut enim priores ſunt in eſſe; ita in omni actione debent præcedere concluſionem eo exceſſu ſeu anterioritatem, quâ præcedunt eam in eſſendo; atq; ita licèt concluſio objectiva haberet aliàs virtutem movendi intellectum ad cognitionem ſui, tamen de facto non movet, quia ſcilicet prævenitur à præmiſſis. Denique hoc probant ſi quidquam argumenta objecta contra concluſionem præcedentem? ſed & hic ultra

14. Objicies: Aſſentimur aliquando concluſioni ſine præmiſſis objectivis, ut patet, quum poſt factam demonſtrationem meminimus concluſionis illatæ, ſtatim enim aſſentimur ipſi, nec eſt opus repetere ex integro demonſtrationem, ut conſtat cuiq; experientiâ, ergo Reſpondeo hoc argumentum valere contra Adverſarios primæ concluſionis, nam etiam aſſentimur ſine præmiſſis formalibus tunc. Reſpondeo ergo pro utriſque negando aſſumptum, & ad probationem dico præmiſſas non manere in ſe, manere tamen in habitu aut in ſpecie, ſive in utroſque, aut denique in aliquo ſupplente vices eorum. Quid ſi etiam dicam aſſenſum illum cauſari proximè ab habitu ipſius concluſionis? de quo ſit

ACTIO V.

Vtrum aſſenſu concluſionis feramur etiam in præmiſſas?

Breviarium.

N 1. *Explicatus titulus.*
2. *Reſolutio negativa.*
3. *Rejecta evaſio Adverſariorum de* quod *&* quo.
4. 5. *& 6 Nova ſeries rationum contra ipſos.*
7. *Diſſolvitur fundamentum oppoſiti.*
8. *Aliæ duæ objectiones ſolutæ: Diſtinctio concluſionum unde?*

1. HOc eſt, an actu illo quo aſſentimus ſeu concedimus concluſionem exprimamus etiam præmiſſas, ita ut in concluſione redeat intellectus ad concedendas & enunciandas præmiſſas necne? ſed potiùs aſſenſus præmiſſarum præceſſerit aſſenſum concluſionis, non autem ingrediatur aut comitetur eum, ſed ſint duo diſparati actus formaliter licèt connectatur materialiter ſcilicet ratione terminorum qui ſunt materia utriusque actus, nam concluſio conſtat duabus extremitatibus quatum termini præceſſerunt in præmiſſis: Non deeſt (4) qui dicat aſſenſum concluſionis ferri etiam in præmiſſas, ita ut illæ in hac repetantur, licèt aliter quàm in propria ſpecie fuerint, quod explicant per diſſyllabū *ut quod* & *ut quo*. Dicunt enim duabus primis enunciationibus ſyllogiſmi aſſeri præmiſſas *ut quod*, in concluſione *ut quo*; hoc eſt, ibi tanquam res quæ affirmabatur aut negabatur, hic tanquam id propter quod aſſeritur aut negatur. De hac ſententia cenſeo quod ex falſis principiis procedat, & ſit impropria, unde ad titulum

(4) Ctiet. 2. q. 8. art. 3. Sonc. 6. me tap. q. 10. (a Medi na cum Caietan. Conym. [illegible] colleg. [illegible] hic tract. 25. d. 2. q. 3.

2. Dico reſolutivè aſſenſum concluſionis non ferri in præmiſſas, ſive ipſas præmiſſas in concluſione non repeti. Hoc innititur reſolutioni datæ actione præcedenti; Vnde etiam conſtat eſſe ad mentem D. quem ibi citavimus. Alia ejus loca pro præſenti adfert Maſtrius *bic ex q. 3. prolog. & lib. 3. & 4. q. un.*

Probo intentum, quia non poteſt intellectus dicere tot uno actu, hoc eſt dicere extrema ſingula eſſe eadem tertio, & deinde eſſe eadem inter ſe; quamvis enim potentia non ſit limitata ad unum actum, ſed actus eſt limitatus ad unum objectum, quod confirmari poteſt, quia actus judicii eſt expreſſio copulæ, ergo quot copulæ, tot actus erunt, at verò in ſyllogiſmo tres copulæ ſunt, ergo tres aſſenſus. Confirmari iterum poteſt ſenſibili exemplo trianguli, quam figuram impoſſibile eſt exprimi uno angulo; ſyllogiſmus autem in re eſt mentalis triangulus, in quo tres termini tanquam totidem lineæ coeunt, & duæ ex illis contingunt tertium.

Confirmatur; Non poteſt idem actus eſſe diſtinctus & confuſus ratione ejuſdem objecti; ſed præmiſſæ ſunt actus confuſus, & concluſio diſtinctus ejuſdem, nam unio extremorum inter ſe, quæ ducitur clarè & exprimitur in concluſione, confuſè importatur in præmiſſis. Si ergo idem actus omnia illa dicit, jam unus dicit idem diſtinctè & confuſè.

3 Reſpondent negantes hæc fortaſſis eſſe abſurda, ſi ſimiliter dicerentur omnia eodem actu, id autem non fieri, ſed actum ferri directè in concluſionem & propter præmiſſas, quod eſt,

Digitized by Google

ferri directè in concluſionem ut *quod*, & in præmiſſas tanquam in objectum *quo*. Itaque hic id agendum eſt, ut evertatur hoc effugium, & oſtendatur neque verum eſſe, nec ſi eſſet, ſufficere.

Primum ſic oſtendo, nam ratio formalis, cur aſſentimur concluſioni, non eſt præmiſſa formalis, ſed potiùs objectiva; non enim iudico ego Petrum v. g. ideo eſſe riſibilem, quia ego apud me cenſui ipſum eſſe rationalem, ſed quia revera talis eſt, ergo præmiſſa formalis non eſt objectum etiam ut *quo* in concluſione. Antecedens ſexcenties oſtendi poteſt percurrendo omnes conditiones ſcientiæ à Philoſopho aſſignatas, ex quibus eſt quod cauſa ejus ſit neceſſaria, quum tamen præmiſſa formalis ſit contingens: deinde debet eſſe quid univerſale, aſſenſus autem præmiſſæ cujuslibet apud me eſt quid ſingulare, quæ iuvari poſſunt per ſuprapoſita actione præcedenti; ſi enim ibi rectè probatum eſt quòd præmiſſa formalis non ſit cauſa concluſionis, reſtat ut non ſit objectum ut *quo* in aſſenſu concluſionis, non enim aliter eſt objectum *quo* quàm per hoc quod ſit cauſa propter quam aſſentimur, & ita ſe explicant Adverſarii.

Reſpondet aliquis negando aſſumptum, hoc eſt, volendo præmiſſam formalem eſſe cauſam aſſenſus concluſionis, quia nimirum evidens eſt, quòd cauſalitas huius non competat præmiſſæ objectivæ, non enim ſufficit, quòd homo ſit rationalis, ut ego aſſeram (& multò minùs ut ego inferam) eum eſſe riſibilem, niſi prætereà cognoſcatur eius rationabilitas à me, ergo iam cauſa concluſionis meæ ſeu aſſenſus mei de huius riſibilitate erit meum iudicium de eius rationabilitate, quod eſt dicere cauſam eſſe præmiſſam formalem, non obiectivam. Audio; ſed ſi ita ſit, tum ſyllogiſmus non regitur per illud principium quòd eadem tertio ſunt eadem inter ſe; quæro enim cui tertio identificentur extremitates præmiſſarum formalium? Sanè nulli; cùm enim duæ ipſæ præmiſſæ diſtinguuntur ab invicem realiter debent termini omnes unius diſtingui realiter à terminis alterius, atque ideo nihil tertium eſt unum extremitatibus illorum. Præterea, ut alia plurima omittam, eadem demonſtratio non eſſet eadem v. g. illa de hominis riſibilitate per cuius rationalitatem eſſet alia & alia ſpecie in alio & alio intellectu, v. g. in angelico & humano, quia nimirum præmiſſæ formales ſunt diverſæ hinc inde; ſuppono enim intellectus diverſos ſpecie habere actus ſimiliter diverſos: Atque ita ratio formalis *quo* non eſſet eadem utrobique. Itaque ſic reſpondens videtur neſciſſe diſcrimen cauſæ & conditionis, quod tamen latiſſimum eſt, & ſi illo modo philoſophandum eſſet, diceremus cauſam volitionis eſſe intellectionem, & ipſius intellectionis cauſam eſſe ſenſationem, & alia ſexcenta, quæ patent eſſe falſa. Quod ergo in iſtis materiis, idem in præſenti dicendum eſt, ſcilicet cognitionem obiecti ſive præmiſſas formales eſſe conditionem concluſionis, non verò cauſam, ſive ut *quo* ſive alio modo.

4. Jam verò demus Adverſariis præmiſſas formales eſſe obiectum *quo* reſpectu concluſionis, adhuc oſtendo eos malè philoſophari, quando hinc inferunt aſſenſum præmiſſarum repeti in aſſenſu concluſionis. Sequitur enim hinc præmiſſas fruſtra præmiſſas fuiſſe ſive fruſtra aſſumptas ante concluſionem: Cauſa in promptu eſt, quia in ipſa concluſione repetuntur, quatenus ſunt cauſa concluſionis, ad quid autem ſunt uſui in ſyllogiſmo niſi ad hoc, ut ſint cauſa concluſionis? explico & urgeo rationem; aut enim aſſentimur concluſioni propter præmiſſas prapoſitas aut propter ipſas in concluſione (ut volunt ipſi) repetitas: Si ſecundum, ſequitur quod iam intuli, illas fruſtra præmiſſas aut præaſſumptas fuiſſe concluſioni. Si primum, ſequitur fruſtra illas repeti in concluſione etiam ut *quo*, aut quomodocumque aliàs explicetur, quia nimirum præmiſſæ præaſſumptæ concluſioni, non autem repetitæ in ipſa ſunt cauſa ut *quo* concluſionis.

Probo ſecundò idipſum; Falſum enim eſt rationem *quo* ſive propter quid debere eſſe intrinſecum actui, qui propter eam tendit, & adhuc ineptius eſt caput unde hoc colligunt Adverſarii. Probemus primùm: Operor aliquando propter non exiſtens, ergo id *propter quod* non ſemper debet eſſe intrinſecum actui aut repeti in ipſo. Antecedens centum experimentis patet; do eleëmoſynam pauperibus propter retributionem vitæ æternæ, & tamen illa beata æternitas nondum mihi exiſtit. Caſtigo me propter peccatum, & tamen peccatum non exiſtit quando pœna eius exiſtit, alioquin adhuc non pœniteret me peccati, quod eſt contra ſuppoſitum. Seminamus ob meſſem quæ non eſt, curamur ob ſanitatem quæ fortaſſis ne quidem futura eſt, ergo.

At (inquit horum aliquis) aſſenſus concluſionis dicit ordinem eſſentialem dependentiæ ad aſſenſum præmiſſarum, & ubi clauditur ordo formaliter, clauditur ex conſequenti id, ad quod ordo ipſe terminatur, adeòque in aſſenſu concluſionis clauditur illæ præmiſſarum. Egregium fundamentum cui ſuperſtruatur, ut appareat autem ineptia huius, applicemus ipſum aliis materiis ſic. Contraria dicunt ordinem inter ſe, opponuntur enim, quod ſine dubio eſt referri, ergone unum contrarium includit, ac non potiùs excludit aliud? Et oſtendo adhuc maiorem abſurditatem huius, diſtans ab alio utique refertur ad ipſum, hæc enim relatio eſt ex illis, quæ fundantur ſuper unum & multa (qui eſt primus modus relativorum apud Philoſophum 5. *Met. cap.* 15.) atque ita ſecundùm recentiores diſtans debet adeſſe dico correlativo; hæc autem quis non videt eſſe inſanum? nam tum diſtans non diſtaret, ergo. Ariſtot.

5. Probari logicè poteſt, quia ſic deſtrueretur prorſus forma ſyllogiſmi: Deponeretur principium illud, *quæ ſunt eadem tertio* ne ei inniteretur vis argumentationis, totus ſyllogiſmus eſſet concluſio, præmiſſæ ſcirentur diſcurſu, terminus à quo includeretur in termino ad quod, *&c.* quæ omnia ſunt paradoxa, ut etiam illud, quod medium ingrederetur concluſionem ſi tamen ſit aliud ab iis quæ iam intuli. Hæc autem ſequi neque evadi per diſtinctiones de *quod* & *quo* facile audet quisque in ſummulis verſatus, explicabo tamen primum ſenſibili exemplo trianguli cujus ſpeciem habet ſyllogiſmus ut ſupra (*b*) imagine- (b) *apolog.*
mur ergo triangulum pyramidalem: ſi conus *3. in lib. Peri.*
hujus reflectatur in baſem, certè non amplius *actiom.*
remanebit triangulus aut pyramis, idque ſive *5. mem. 3.*
maneat conus ubi primo fuit & repetatur in baſi, ſive non, ſed in ſola baſi videatur, ergo.

Quòd verò hic non juvet reſpondere per *quod* & *quo*, quaſi concluſio in ſe ipſa ſciatur ut *quod* præmiſſæ autem in ipſa ut *quo*, oſtendo præter

ter ſupradicta, ſic, nam hoc illorum modo ne quidem concluſio ipſa ſciretur ut *quod*, ſive affirmaretur tanquam objectum concluſionis, quod ſic oſtendo, ſi enim repetantur præmiſſæ in concluſione ut volunt Adverſarii, ſcilicet ut *quo* & tanquam ratio formalis propter quam conceditur tum in hoc ſyllogiſmo Omnis homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo, ergo riſibilis, ſenſus concluſionis erit iſte: Petrus eſt riſibilis, quia omnis homo eſt riſibilis, tunc autem ſequitur quod dixi ſcilicet cogi ſic ſentientes ad dicendum, quod ne quidem concluſioni, ſcilicet huic propoſitioni aut ſimili: Petrus eſt riſibilis, aſſentiatur tanquam objecto ut *quod*: Ecce rationem, illa enim Petrus eſt riſibilis, quia omnis homo, eſt hypothetica cauſalis, at verò in hypothetica quod affirmatur *ut quod* eſt copula ſive cauſalis, ſive conditionalis, & in præſenti eſt illud *quia*, non autem ulla ex cathegoricis componentibus, ut notum eſt ex ſummulis, & hic facilè probari poſſet, ſi non ſpectaret aliò, ergo

6 Cæterum horum hominum anguſtias videre eſt in eo, quòd reſpondent ad illud abſurdum ſupra quinto loco illatum ſcilicet quod ſecundum ipſos medium ingrediatur concluſionem, id autem eſt contra regulas omnis ſcholæ & formam ipſam ſyllogiſmi Ariſtotelici, *&c.* Dicunt enim ad hoc medium non ingredi concluſionem in voce, ingredi autem in mente ſive in propoſitione mentali ingredi non autem in vocali, quaſi verò regulæ & ſtructura ſyllogiſmi in voce conſiſteret, at non magis in conceptibus, cum veres diſcurſus ſit operatio intellectûs & quidem tertia & ultima, & in voce tantum reperiatur ut in ſigno, ſicut & jam in ſcriptura & nutibus. Sed

7. Objiciunt ipſi: Eodem actu fertur potentia quælibet in objectum & in rationem formalem ejus, ut viſus eodem actu fertur in colorem & in viſibilitatem ejus, vel in colorem & lucem, ſi lux ſe teneat ex parte objecti in viſione coloris, cujus ratio eſt, quia ex objecto quod percipitur & ex ratione formali percipiendi illud reſultat unum objectum totale tanquam ex rationibus ut *quo* & ut *quod*: Atqui actus ſeu aſſenſus principiorum eſt ratio formalis aſſentiendi concluſioni ergo. Sed reſpondeo jam reſponſum eſſe, nam neque præmiſſæ illæ ſunt ratio formalis aſſentiendi concluſioni, neque ſi eſſent deberet repeti in concluſione, quorum utrumque jam oſtenſum eſt Hic autem retorqueo argumentum in authores Nam ſi ſit paritas hic ut ipſi volunt, tum non poterunt intelligi præmiſſæ niſi intelligatur concluſio, clarum eſt enim quod non poſſit videri ab oculo viſibilitas niſi viſo ipſo colore, Deinde ratio formalis ut *quo* vix unquam terminat in ſe actum, præmiſſæ terminant, Deinde præmiſſæ ſunt ratio formalis aſſentiendi concluſioni quatenus præcedunt ipſam (ſic enim determinant intellectum ad aſſenſum concluſionis) at verò non poſſunt præcedere eam ut repetuntur in ipſa, ergo Denique quomodo viſibilitas coloris eſt ratio formalis videndi eum ſi lumen ſit ratio illa? Sed hoc aliò pertinet.

8. Objicio 2. Concluſio diſtinguitur ſpecie ex diverſitate præmiſſarum, ergo aſſenſus præmiſſarum includitur in ea formaliter, antecedens ab omnibus ſupponitur, eo autem ſuppoſito videtur currere conſequentia, quia nimirum hinc evidens eſt nos in concluſione aſſentiri alicui præter conſequens ſeu propoſitionē ipſam, quæ inducitur v. g. in concluſione demonſtrationis de riſibilitate Petri aſſentimur alicui præter hoc, quod eſt Petrum eſſe riſibilem; ſi autem alicui certè præmiſſis, non enim eſt aliud magis vicinum concluſioni, ergo. Quòd autem aſſentiamur alteri, ſequitur ex illo antecedente, quia ſi non aſſentimur, tum quotieſcumque inferimus eandem propoſitionem haberemus eundem in ſpecie actum quod falſum eſt, nam alium in ſpecie actum habemus, quando demonſtramus eum, & alium, quando credimus eſſe riſibilem: & intra ſingula horum genera variatur adhuc actus in ſpecie; ſi enim probemus medio methaphyſico per rationalitatem, erit alia ſpecie concluſio ab ea quæ foret ſi demonſtraretur medio phyſico putà per lienem vel aliud organum corporis hujuſmodi & denique fides humana eiuſdem eſſet diſtinctus ſpecie aſſenſus à fide divina eius. Hoc non vidi tam arctè urgeri ab adverſariis; Reſpondeo nihilominus tranſeundo antecedens, & negando conſequentiam ac conſequens; & ad probationem dico eſſe à non cauſa ad cauſam; non enim ideo diſtinguuntur iſti aſſenſus quia præmiſſæ includuntur in illis (quod vel inde patet quia aſſenſus fidei non habet præmiſſas) ſed diſtinguuntur quia habent diſtincta motiva objecta quæ objecta ſpecificant actum & non ipſa terminativa. Hinc omnis actus Dei eſt Theologia, quia ille omnia videt in ſua eſſentia; & viſio beatorum de his rebus inferioribus eſt etiam theologica & beata, non autem in proprio genere, licèt omnes ibi propriiſſimè videantur, quia nimirum movetur intellectus eorum ad huiuſmodi cognitionem à verbo, non autem à propriis naturis rerum, unde patet ad ſequens hoc quando

Objiciunt inſtantias ſic: In actu voluntatis, quo volumus media includitur voluntas finis: in actu fidei includitur teſtimonium fide digni, quia nimirum iſta & ſimilia ſunt objecta *quo* & rationes ob quam agendi; ſunt autem præmiſſæ in ſyllogiſmo non minùs, ergo. Reſpondeo hic ubique aſſumi æquè obſcurum, & proinde argumentum ineptum eſſe Supponuntur ergo iſta ad huiuſmodi actus, non autem ſupponuntur in illis. Quod poſſet etiam per ſingula probari, nam exequutio (& non ſolùm electio) eſt propter finem, nec tamen includitur aut reperitur in ea intentio finis, cùm non poſſit, quia exequutio fit à potentiis non volitivis. Teſtimonium autem manifeſtè eſt extra actum credentis. Dices teſtimonium eſſe, ſed aſſenſum teſtimonii non eſſe. Reſpondeo: Nihil proficis, quia aſſenſus teſtimonii non eſt ratio formalis credendi, alioquin fides noſtra theologica non eſſet theologica ſeu divina quia haberet rationem formalem aſſentiendi creatam. Denique utor hoc medio contra Adverſarios ad hominem, actu intellectus practicus, qui ſecundùm ipſos eſt imperium determinat voluntatem ad agendum non minùs quam præmiſſæ intellectum, hic ergo eos convenio, & quæro utrum actus intellectus repetatur in actu voluntatis, nec ne? Non poteſt dici quod ſic, ſi autem dicatur quòd non cur dicunt præmiſſas reperi in concluſione eo quod determinent ad ipſam? ſit ſatis, &

De his videri poſſunt.

Ariſt. 1. *Pr.* & 1. *Top.* 1 & 1. *de An.* 1. 48. Averroës

Digitized by Google

roës *in epiſome log.* & *in com.* Ariſt. cit. Philoppon. *in primum locum cit.* Niphus 2. *Pr. com. dub.* 2. Boët. *in Top.* Cicer. *l.* 5. *ſimplic.* 1. *phyſ. t.* 8. & 2. *ph.* 27. D. Thom. *opuſculo* 47. & 1. *p. q* 8. *art.* 3. & *q.* 83. *art.* 4. & *q.* 23. *de ver.* Alb. magn. *tract.* 1. *in* 1 *pr. c.* 5. Hier. Buran. *ibid.* Ock. *q.* 3. *prolog. q.* 8. *annex.* Gabriel *ib.* Arim. *eadem qu. prolog. art.* 1. Ægid. *in* 1. *Prior.* Caprorel. 1. *d.* 1. *q.* 2. Soncin. 6. *Met. q.* 10. Dur. 2. *d.* 38. *q.* 3. *ad* 3. *ubi* Argent. *q.* 1. *art.* 2. Cajet. 12. *q.* 8. *art.* 3. & Med. *ib.* Copul. Colon. *in* 1. *Prior.*

Conymbric. *in cap.* 1. *lib.* 1. *Prior. q.* 2. Petr. Fonſeca *lib.* 6. *Inſtit. cap.* 8. & *ſeqq.* Singlet. *diſp.* 13. *q.* 5. Alaman. *q.* 20. *art.* 4. Colon. *in* 1. *Pr* 1. Maſius *diſp.* 1. *q.* 2. Blanch. *diſp.* 2. *ſect.* 2. Achil. *q. de poteſtat. ſyllogiſ.* Marſil. 2. *Prior. q.* 1. Bagolin. *in deſinit. ſyllogiſ. annot.* 4 Stephan. Carm. *tom.* 5. *log.* Rub. 1. *Poſt.* 1. Amic *tract* 23. *diſp.* 3. Moriſſ 1. *Pr. dub.* 6. Raph. Averſ. *q* 25 *log.* Tolet. *in expoſit. tex.* Joann à S. Thoma 4. *parte logic. q.* 24. *art.* 2. Didacus à Jeſu *diſp.* 16. *q.* 3. Onna *q.* 1. Sanches *lib* 5. *q.* 3. Hurtad. *diſp.* 7. *de anim. ſect.* 4. Ariag. *diſp.* 15. *log. ſect* 6. Poncius *diſp. logic.* Maſtr. *diſp.* 11. *per totam*: Oviedo, &c. Rec. *hic.*

APOLOGIA III.

De figuris & modis ſyllogiſmi.

ACTIO I.

Quænam cenſenda ſit major, quæ minor extremitas? Item, quæ major propoſitio?

ACTIO II.

Vtrum figuræ ſyllogiſmorum ſint tantùm tres, an addenda ſit quarta Galeni?

ACTIO III.

Vtrum in ſecunda & tertia figura dentur modi indirectè concludentis, nec ne?

ACTIO IV.

Notat aliqua de ſyllogiſmo expoſitorio.

Scotus q. 34. pr. Prior. n. 3.

POnuntur concluſiones; prima eſt, quòd non opporteat ſyllogiſmum hypotheticum fieri in aliqua trium figurarum. Secunda, quòd ſyllogiſmus ex hypotheſi non ſit in aliqua trium figurarum quantum ad totalem proceſſum. Tertia quòd ex terminis infinitis poteſt fieri ſyllogiſmus qui non ſit in aliqua dictarum trium figurarum; quarta quòd omnis ſyllogiſmus qui non eſt ex hypotheſi nec hypotheticus, ſed ſit ex propoſitionibus cathegoricis cum terminis finitis & rectis ſit in aliqua trium figurarum.

Idem ibid. q. 11. n. 5.

DIcendum eſt, quòd ſyllogiſmus expoſitorius tenet gratia formæ in omnibus terminis, dum tamen præmiſſæ regulentur debitè per *dici de omni* vel *de nullo*, nota tamen, quòd iſte cui certum eſſet quòd nulla res eſſet eadem cuilibet plurium rerum poneret ſyllogiſmum expoſitorium conſequentiam formalem, ſine hujus regulatione per dici de omni vel *de nullo*.

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO I.

Quænam cenſenda ſit major, quæ minor extremitas? Item quæ major propoſitio?

Breviarium.

N. 1. Primus modus ſtatuendi majores & minores: Vbi de diſpoſitione Rhetorum.

2. Secundus quoad primam figuram: defenſus ab impugnatione Rec.

3. An poßit exceſſus hic ſumi à quæſtione aut concluſione?

4. Reſolvo quoad omnes tres Figuras.

5. Cur attendatur ſit⁹ extremitatũ potiùs, quã medii?

6. Oſtenditur alius modus præter communem, quo hæc diſponi poſſent.

1\. ALiquibus viſum eſt maius extremum eſſe, quod prius conjungitur medio, & maiorem propoſitionem vocant eam quæ primo profertur; hæc autem eſt illa in qua medium primâ vice conjungitur extremo, & viam hanc vulgo logicorum etiam docti practicè ſequuntur quum inter diſputandum vocant maiorem eam quam primo proferunt aut audiunt; ſpeculativè etiam approbare videtur Gul. Camerarius 1. *philoſ. q.* 13. & ex parte P. Hurt. *diſp.* 1 *log. ſect.* 11. Sed hæc ſententia fundamentum fortaſſis habebit in uſu logicorum non habet in inſtitutione: Certum eſt enim quod Logici vocant maiorem ipſam quam Rhetores appellant propoſitionem, & minorem eam quam illi vocant aſſumptum. Atqui Rhetores hæc non metiuntur loco ſed materiâ propoſitionum; & quandocunq; profertur illa pars orationis in qua eſt theſis, illa erit propoſitio; quandocunq; illa, in qua eſt hypotheſis, erit aſſumptum: ergo nec Logici hæc metiuntur loco aut ordine ſed materiâ & ita quandocunq; profertur illa propoſitio, in qua eſt maior extremitas, erit maior.

Gul. Came ra. P. Hurt.

11\. Objicies: In propoſitione extrema diverſificantur ex ſitu aut loco; qui enim terminus primo loco profertur eſt ſubiectum, qui ſecundo prædicatũ, ergo ſimiliter in ſyllogiſmo propoſitio poterit nomen & naturam accipere ex loco aut ordine. Reſpondeo nec in propoſitione deſumi ſpeciem terminorum ex loco vocum, aliàs copula eſſet terminus, ſi primo aut ultimo proferretur, ſubiectum ergo in propoſitione tale eſt non quia primo loco profertur, ſed quia de eo aliquid dicitur, etſi fatendum ſit, quod hoc proveniat ei ut plurimum ex pronunciatione eius primo loco. Propter hæc

2\. Alii maturiùs cenſuerunt maiorem propoſitionem eſſe illam, non quæ primo loco profertur ſed in qua eſt maius extremum quocunq; demum loco aut tempore proferatur. Maius autem extremum dicunt eſſe in prima figura illud quod de medio prædicatur; minus id, de quo medium prædicatur, ſive quod medio ſubjicitur atque ita à primo ad ultimum, illa erit maior propoſitio in qua ponitur extremitas illa, quæ de medio prædicatur: In ſecunda autem & tertia figura aliter, ut infrà, Ita communiter omnes, ſed contra hunc modum arguit aliquis Rec. Medius terminus non eſt ignobilius, ſed præſtantius extremis, ergo non eſt potior ratio, cur deſumatur majoritas propoſitionis ex eo quòd in illa extremitas aliqua habeat meliorem ſitum, ſed propoſitione in qua extremitas habet meliorem ſitum medium habet pejorem, ergo jam non propoſitio in qua prædicatur extremitas, ſed oppoſita potiùs dicenda eſt major in ſyllogiſmo. Confirmat quia in quinque modis indirectè concludentibus in prima figura minor extremitas prædicatur, & tamen eſt minor, ergo non licet univerſaliter accipere pro majori extremitate illam extremitatem quæ de medio prædicatur, aut pro majori propoſitione illam in qua eſt hujusmodi extremitas Harum rationum primam aliquid valere exiſtimo ſecundam aut nihil, aut multò minùs, videtur enim palàm falſum aſſumere, quòd in modis indirectis primæ figuræ minor extremitas prædicetur de medio; fortè cogitavit tum Hurtadus de concluſione modi indirecti primæ figuræ in qua minor prædicatur; ſed meminiſſe debuit non prædicari illam de medio tum abſolutè autem non debere denominationem majoris aut minoris ſumi à medio hìc (quod erit impugnare primam rationem ejus) ſic oſtendo: Quando aliqua diſtinguenda ſunt diſtinctio potiùs ſumenda eſt penes id in quo diſcrepant, quã penes illud in quo conveniunt: præmiſſæ conveniunt in medio quia ambæ habent ipſum, differunt autem in extremitatibus, quia neutra habet utraque neque ulla una extremitas eſt in utraq; præmiſſa, ergo.

Dices: Verum eſt ſi illud unum ſimiliter participaretur ab utroq; at verò medium non ſimiliter aut uno modo participatur à præmiſſis hìc, quia in una ſubjicitur, & in altera prædicatur. Probat ergo ratio quòd in ſecunda & tertia figura non poſſit deſumi exceſſus aut differentia præmiſſarũ penes medium; non probat quòd non poſſit in prima. Audio & redeo ad rationem meam, quæ, hac non obſtante ſtat, quia etiã extremitates non eodem modo ſumuntur in præmiſſis, nam una prædicatur alia ſubjicitur, ergo jam tota varietas quæ eſt in medio in illis eſt, & adhuc alia, atq; ita ad diſtinctionem præmiſſarum habendam potiùs recurrendum eſt ad ipſas quàm ad medium.

Ille nihilominus alium modum ſtatuit, ſecundùm quem una propoſitio diceretur major, alia non, ut ſcilicet illa præmiſſa habenda ſit pro majori, in qua eſt ſignum univerſale & continentia pluriũ, illa minor quæ particularis aut ſingularis, & ſub qua continentur vel unum vel pauciora; ſed tũ interrogandus eſt iſte, quæ ſit major & quæ minor extremitas aut propoſitio in ſyllogiſmo demonſtrativo aut quocunq; qui conſtat utráq; univerſali? Reſpondet non dari in illis hujusmodi differentiã, niſi per conſuetudinẽ & abuſum indoctorum, ſed ſi ita ſit, jam non datur indirecta

concluſio in ſyllogiſmo, cujus præmiſſæ ſunt univerſales cujus falſitas palàm excertur in Baralip. & Celantes, ut omittam Attalam aut Barbaram Galeni, ac denique modos plures ſecundæ ac tertiæ figuræ.

3. Propter hæc fortè alii recurrerunt ad concluſionem aut quæſtionem, ut ſcilicet illa ſit major extremitas, quæ prædicatur in concluſione, minor autem, quæ ſubjicitur in ipſa. Sed hunc modum evertit ratio proximè poſita, quia ſic nunquam daretur concluſio indirecta, imò hoc dicere eſſet involvere apertiſſimam implicantiam in adjecto, eſſet enim velle quod prædicatum concluſionis non prædicetur in concluſione. Itaque antequam deveniatur ad concluſionem, habenda eſt diſtinctio majoris & minoris quod patet per hanc viam non haberi.

At verò de modo eas veſtigandi per quæſtionem, quam videtur ſuſtinere Averroes in 1. Pr. ut ſcilicet illa cenſeatur major extremitas, quæ eſt prædicatum in quæſtione, v. g. ſi quæratur an diameter ſit æqualis coſtæ? æqualitas ad coſtam ſit major extremitas, & diameter minor extremitas ſyllogiſmi quo hoc probetur? Cenſeo non rectè ſic reſponderi, & contra hoc facere rationem quæ ſupra bis facta eſt, quod ſcilicet ſic non daretur concluſio indirecta. Quæratur enim an aliquod animal ſit riſibile & formetur hic ſyllogiſmus in Baralip. omnis homo eſt animal, omne riſibile eſt homo, ergo aliquod animal eſt riſibile. concluſio eſt indirecta ut notum eſt, & tamen in ea prædicatur major extremitas, illa ſcilicet quæ facit prædicatum quæſiti, ergo.

4. Dico itaque majorem extremitatem Peripateticè cenſendam eſſe in prima figura eam, quæ de medio prædicatur, & majorem propoſitionem illam, in qua hujusmodi extremum ponitur; In aliis duabus figuris majorem extremitatem & propoſitionem eſſe illam quæ primo loco formatur aut pronunciatur. Imò & hanc ultimam regulam (ſi logicis placeret) poſſe in omnibus ſervari, ut in qualibet figura etiam prima major propoſitio cenſeatur illa quæ primò profertur minor autem quæ ſequitur, quamvis prior acceptio ſit magis Peripatetica.

Probo primam partem hujus, ſcilicet, quòd hæc ſit nota legitima majoris extremitatis, ſi ſcilicet prædicetur de medio Ariſt. P. 5. *Voco autem mediũ, quod & ipſum in alio & aliud in hoc extremitates vero, quæ & ipſa in alio eſt, & in qua aliud eſt*, ubi primam extremitatem numerat eam, quæ in alio, ſcilicet in medio eſt, hoc eſt quæ de medio prædicatur Secundo autem loco tanquam minorem ponit eam in qua aliud eſt id eſt de quo tanquam ſubjecto medium dicitur, ut patet ex dictis & textu, nam deinde infra ibid. ait: *Dico autem minorem* (extremitatem) *quæ ſub medio eſt*, ergo.

Ratio hujus in promptu eſt, quia illa extremitas eſt alteri præferenda, quæ digniorem locum occupat, digniùs autem eſt prædicari quàm ſubjici, ergo illa quæ prædicatur erit major. Certum eſt autem majorem propoſitionem dici à majori extremitate.

5. Dici poteſt quod ſuprà, id non eſſe tam certo ſupponendum cur enim non dicetur à medio ſic ſe habente. Reſpondeo id clarum eſſe ex terminis quid enim habet denominatio majoris propoſitionis cum medio, quum medium non ſit majus aut minus, non nego poſſe propoſitionem ſortiri appellationem aliquam ratione medii taliter ſiti ſeu collocati in ea, ſed ex ipſa voce apparet hanc non eſſe denominationem majoris, ſaltè de facto, quia de facto dicitur major extremitas non majus medium, adeòque patet denominationem majoris propoſitionis de facto dictam eſſe ab extremitate, Probo jam alteram partem de aliis figuris, quòd in aliis major & minor propoſitio deſumenda ſint ex ordine, ut prima poſita ſit major, quia nimirum differentia earum aliunde peti non poteſt, non enim à medio, quia hoc in utraque ſimiliter ſe habet, quia aut ſemper prædicatur, aut ſemper ſubjicitur, non ab extremis, quia etiam illa in eodem loco aut ſitu ſe habent, utrũque enim aut prædicatur aut utrumque ſubjicitur, reſtat ergo, ut illa in ſecũda figura v. g. ſit major, quæ prius ſubjicitur, in tertia quæ prius prædicatur.

6. Atque hinc oſtendo probabilitatem tertiæ partis aſſerti mei, quòd ſcilicet hæc nota obſervari poſſit etiam in ſecunda figura, quia ſic dicendo omnes omnino figuræ conveniunt in qualitate præmiſſarum, quod optandum eſt, ſi fieri poſſit. Secundò, quia textus Ariſtotelis pro altera illa via aſſignante alium modum in prima figura non eſt nimis clarus, ait enim: *Dico autem majorem extremitatem in qua medium eſt*, quæ verba ſi intelligantur ut ſonant, arguunt majorem non neceſſariò eſſe illam propoſitionem in qua extremitas aliqua prædicat, ſed magis in qua medium prædicatur, quod etiam vidit Averſa cit. & conatus eſt nec malè adjectâ gloſsâ emollire.

Tertiò denique utor hâc ratione: Exceſſus propoſitionum inter ſe deſumendus eſt potius ex aliquo immediatè concernente propoſitionem ipſam, quam ex aliquo concernente terminos, hoc quod eſt primò enunciari, & poſtea enunciari, convenit ipſis enunciationibus inter ſe hoc autem quod eſt habere talem vel talẽ extremitatem aut etiam talem ſitum medii, ad terminos propoſitionis ſpectat, quum medium & extremitas ſint termini, ergo potius ab ordine propoſitionum inter ſe deſumenda eſt eorum dignitas quam ex ſitu alicujus termini & hæc via inverſo ordine procedit ac alia illa Peripateticorũ; illi enim appellationem majoris & minoris derivant à termino in propoſitionem, hæc econtra à propoſitione in terminum; & ſane rationabilius videtur, ut pars totum quam ut totum ſui partem ſequatur.

Dices in aliis figuris à prima poſſe deſumi differentiam extremitatum à concluſione, ut illa ſit major quæ in concluſione digniorem locum habet Reſpondeo: Sit ita, nil nocet præſenti reſolutioni, nam etiam hoc modo noſtro ſtatui poteſt, & ita ſequitur tunc haberi duos modos diſponendi majorem & minorem. Reſpondeo 2. negando antecedens, quia ſic nihil colligeretur indirectè in ſecunda aut tertia figura, cùm non poſſit in concluſione minus extremum prædicari, nam eo ipſo quo aliquid in concluſione prædicaretur, ſtatim eſſet majus extremũ. Tertio denique dico quod majus extremum deſumendum eſt ex præmiſſis, non ex concluſione, tum quia deſumenda ſunt ex ſitu quem habent in ſyllogiſmo; ſyllogiſmus autem non eſt concluſio ſed præmiſſæ tum quia quũ utraque ſint paria quoad eſſe extremum potius, debet eorum diſparitas ſumi in ordine ad aliquod tertium quod eſt medium, ut, quæ digniùs ſe habeat ad medium, cenſeatur dignior ſeu major; & quoniam hîc nõ eſt differentia ſitûs (qui contingit in ſola 1. figura) oriri debet ex differentia temporis. A-

ACTIO II.

Vtrum figuræ ſyllogiſmorum ſint tantùm tres, an addenda ſit quarta Galeni? & qui revera ſenſerit Galenus?

Breviarium.

N. 1. *Galenus non judicavit majorem eſſe, quæ primo profertur nec eã quæ in concluſione prædicatur.*
2. *Vera forma figuræ Galeni.*
3. *Reprobatur, figura Galeni.*
4. *Habet tamen formam validam & legitimam conſequentiam.*
5. *Coincidet cum prima Ariſtotelis.*
6. *Rationes medicorum.*
7. *Inſtatur, ut probetur illa ad hominem conta Ariſtotelem.*
8. *Poſſe admitti quartam figuram, etſi non illam Galeni. Rationes.*
9. *Quarta figura præfertur primæ.*
10. *Rationes multiplicandi adhuc plures figuras, quantum urgeant?*
11. *Summa ſyllogiſmorum omnium, quotquot fieri poſſunt ex Niceph. &c.*

1. EXaminabo materiam hanc, tum ob intentionem Galeni, tum ob aliam, ſi quæ ſit quæ ſuperaddi poſſit. Vt autem decidamus controverſiam Galeni opportet certò ſtatuere, quæ fuerit mens ejus de quarta figura, ſeu quomodo eam ille ſtatuerit, quòd fateor me nondum aſſequutum. Rationes dubitationis meæ hic aſſignabo ut lector deinde pro probabiliori ferat ſententiam. Hoc quidem certum eſt voluiſſe Galenum, ut in ſua figura medium prædicaretur in majori & ſubjiceretur in minori, ſeu tunc formari ſuam, quando medium prædicatur de maiori extremo & ſubjicitur minori. At verò quomodo hoc contingeret ſecundum ipſum, in lite & ſub iudice eſt. Tribus enim modis intelligi poteſt maior extremitas; primò ut ſit illa quæ primo loco ponitur; ſecundò ut ſit illa quæ in concluſione prædicatur; tertiò ut ſit illa quæ in quæſtione prædicatur, de quibus *act. præcedenti*, ſingula horum habent ſuos patronos qui defendant eam tanquam mentem Galeni, ſed ego de ſingulis dubito, & contra primum illud hoc moveo quod ſic accipiendo figuram Galeni non differret à prima Ariſtotelis niſi transpoſitione præmiſſarum. Id autem non fuiſſe mentem Galeni videor ſic oſtendere, quia ſi Galenus judicaſſet dari aliam figuram à prima Ariſtotelis quæ ſit quarta eò quod dabilis ſit forma ſyllogiſmi, in qua præmiſſæ Ariſtotelicæ transponantur, deberet aſſignare quintam & ſextam figuram contra ſecundam & tertiam, quia etiam præmiſſæ harum poſſet transponi, id autem non fecit, adeòq; ſignum eſt quod non intellexit ſuam quartam figuram ita ut differret ab illa Ariſtotelis ſola transpoſitione præmiſſarum, & hæc videtur mihi propria ratio expugnandi hunc modum figuræ Galenicæ, non verò aliæ, quæ à Rec. adducuntur. Confirmo hoc etiam, quia in figura Galeni concluſio eſt innaturalis, ut refert Averroës, at vero transpoſitis tantùm præmiſſis concluſio eſt naturaliſſima, & multo illuſtrior illâ Ariſtotelis, ut infrà, ergo.

Quod autem non poſſit extremitas deſumi ex concluſione, ut ſcilicet ſit illa, quæ in concluſione prædicatur ut volunt aliqui, ſic oſtendo de mente Galeniſtarum (quidquid ſit de mente ipſius Galeni) illi enim contendunt in figura Galeni, dari modos aliquos directè, alios indirectè concludentes, imo totidem utriusque generis quot in prima Ariſtotelis, ut patet apud patronos illius figuræ, qui etiam diſtichum vocum ſeu modorum cecinerunt. At vero ſi maior extremitas deſumenda eſſet ex prædicato concluſionis, impoſſibile eſſet dari in ea modos indirectè concludentes, ut jam ſuprà oſtendi *act. præced. in fine* de ſecunda & tertia figura. Joann. Lalemand. *in apparat. ling. g. p. art. 4.*

2. Denique quòd non voluerit Galenus deſumi ordinem extremitatum ex quæſtione, quatenus hæc via diſtinguitur à præcedenti (poteſt enim concidere cum ipſa, quia ſemper ferè concluſio idem eſt cum quæſtione, hoc eſt, infertur quod fuit quæſitum) inde ſuadeo, quia quæſtiones ſemper ſunt naturales id eſt propoſitiones directæ & connaturaliter diſpoſitæ, v. g. an homo ſit riſibilis? an animal, at vero in figura Galeni concluſiones ſunt innaturales, ut refert Averroës, ex quo totam hanc machinam deſumpſerunt auctores, & illi ſoli credunt, nam in operibus Galeni iam exiſtentibus non invenitur. Iſte enim eſt modus figuræ Galenicæ:

Omnis homo eſt animal,
Omne animal eſt ſubſtantia, ergo
Aliqua ſubſtantia eſt homo,

quæ concluſio ſine dubio innaturalis eſt, quia ut notavit Averroës nihil minùs expectat ratio quam ut talis inferretur ſed expectabat iſtam, ergo omnis homo eſt ſubſtantia.

Ex his puto ultimum modum certò non eſſe ad mentem Galeni, ex duabus primis quemlibet eſſe probabilem, ſed probabilior ſecundum, illum ſcilicet, in quo maior extremitas deſumitur ex concluſione. Huic ſuadendo ſufficit auctoritas unius Aver. nam ſi illi credatur ſubſtantia, cur non credetur accidens rei? Si creditur illi quod Galenus excogitaverit hanc figuram cur non credetur ei modus quo illam conſtituit? Deinde quia non potuit Galenus diſſidere in hoc negotio ab Ariſtotele niſi diſſideret ab eo in modo ſtatuendo maius extremum: at vero ex omnibus tribus hic modus eſt magis fide dignus & probabilis, ergo.

 Re-

Reſolutio controverſiæ.

3. Dico ergo: Quarta figura, prout ex Galeno refertur, non eſt nec eſſe poteſt: ita Peripatetici communiter, nominatim D. N. & ſequaces.

Ratio, quia Galenus ita diſpoſuit hanc figuram, ut medium prædicaretur in majori & ſubjiceretur in minori, hoc autem non eſt poſſibile, quia hoc ipſo quòd medium in aliqua præmiſſa prædicetur in hac figura, eo ipſo illa præmiſſa eſt maior, atq; ita implicat dicere aliquam præmiſſam eſſe maiorem & medium in ea prædicati, eſt enim affirmare definitum, & negare definitionem.

Probo etiam contra eos, qui multiplicant hanc quartam figuram propter transpoſitionem præmiſſarum, quia Ariſtoteles non poſuit niſi tres figuras ſyllogiſmorū & tamen probè ſcivit poſſe transponi præmiſſis, & concluſionem colligi ex præmiſſis transpoſitis, nam *cap. præcedenti* ſtatuit hanc regulam: *Quum quidquam de quopiam dicitur ut de ſubjecto, ea, quæ de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de ſubjecto*, hæc autem regula exigit præmiſſ. ſpe mæ figuræ Ariſtotelis transponi, nam ſi fiat ſyllogiſmus ex tribus his animal, homo, vivens, in prima figura juxta doctrinam eius erit iſte:

Omne animal eſt vivens,
Omnis homo eſt animal, ergo
Omnis homo eſt vivens,

at verò formabitur juxta regulam illam anteprædicamentalem transponendo præmiſſas, ſeu mutando maiorem in minorem, ſic: Omnis homo eſt animal, omne animal eſt vivens, ergo omnis homo eſt vivens, ita enim *homo* eſt id de quo ut de ſubjecto dicitur *animal*, & quoniam de animali dicitur in minori *vivens*, proinde in concluſione dicitur etiam de homine vivens.

Vrgeo intentum contra eosdem, & oſtendo non fieri novam figuram ex transpoſitione præmiſſarum, ſaltèm non hanc Galeni; quia Averroës recenſens modos huius quartæ figuræ Galeni illam ponit primo loco, in qua medium prædicatur, & extremitas ſubjicitur, adeòque à primo ad ultimum transpoſitio præmiſſæ non facit figuram diverſam ab illis Ariſtotelis, & nominatim non facit illam Galeni.

4. Dico 2. Non eſt neganda figura Galeni tanquam inutilis aut fallax, ſed tanquam ſupervacanea, quia coincidit cum prima Ariſtotelis.

Probatio primæ partis, quia nunquam in illa forma datur verum antecedens conſequente falſo; aſſignetur enim. Probatio altera: Valent ſyllogiſmi ſecundæ & tertiæ figuræ, quod inde probatur, quoniam oſtenſivè reduci poſſunt ad modos 1. directos. At verò iſti poſſunt, nam ſyllogiſmus ſuprà aſſignatus *num*. 2.

Omnis homo eſt animal,
Omne animal eſt ſubſtantia, ergo
Aliqua ſubſtantia eſt homo,

transpoſitis præmiſſis eſt in Barbara Ariſt. ex qua ſequitur directè univerſalis affirmativa, omnis homo eſt ſubſtantia: hæc autem, cùm convertatur per accidens, reddit hanc, aliqua ſubſtantia eſt homo, quæ fuit concluſio ſyllogiſmi Galeni, ergo.

Poteſt etiam per impoſſibile reduci aſſumendo contrarium concluſionis & minorem conceſſam, ex quibus ſtatim ſequetur oppoſitum maioris conceſſæ, ut hic vides:

Nulla ſubſtantia eſt homo,
Omne animal eſt ſubſtantia, ergo
Aliquis homo eſt animal,

quæ concluſio contradicit maiori conceſſæ, illi ſcilicet: Omnis homo eſt animal. Dices hanc ipſam concluſionem eſſe indirectam. Fateor, ſed indirectæ primæ figuræ ſunt proximæ directis, & ſtatim reducuntur ad illos.

Inſtari tamen poteſt hunc nequidem eſſe indirectum modum primæ, nam ſi quis eſſet, maximè foret fapeſmo; at hic non eſt, quum minor in fapeſmo ſit negativa, hic affirmativa; neque tolletur hæc differentia transponendo præmiſſas, nam ſi transponantur præmiſſæ, ſyllogiſmus iam non eſt in figura Ariſt. ſed in illa Galeni, ex quo ſequitur nos petere principium in hac probatione. Reſpondeo tamen reductionem bis valere, ſemel ut poſita eſt in fapeſmo, nec enim oppoſitum probatur per rationem adductam, quia transpoſitio præmiſſarū non impedit ne modus aliquis maneat in figura priori nec facit novam, ut ſuprà. Iterum reductio valet quia poteſt fieri concluſio univerſalis in Celantes ſic: Nullus homo eſt animal, ex qua ſine dubio ſequitur; Aliquis homo non eſt animal, quæ eſt contradictio concluſionis negatæ.

5. Rejicienda tamen eſt illa figura tanquam ſupervacua, quia coincidit cum prima Ariſt. quod partim ex dictis patet, partim hic oſtendo; nam quarta Galeni differt à prima Ariſt. ſolâ transpoſitione præmiſſarum & concluſione indirectâ, imo ſola transpoſitione præmiſſarum, quia etiam in prima figura Ariſt. dantur indirectæ concluſiones, & quidem plures quam directæ. At verò transpoſitio præmiſſarum non facit diverſam figuram, quod jam ſuprà bis oſtendi ad homines, ſemel ex Ariſt. iterum etiam ex Galeno, quia etiam Ariſt. agnovit formam illam in qua transponerentur præmiſſæ, ut patet ex regula anteprædicamentali; & Galenus conſequenter deberet aſſignare quintam & ſextā figuras ſuperaddendas ſecundæ & tertiæ Ariſt. Oſtendo etiam idipſum adhuc duabus viis, tam à poſteriori quàm à priori. Quia & in figuris poſitis ab Ariſt. variantur præmiſſæ ut patet in *Caſare* & *Cameſtres* ſecundæ; in *Diſamis* & *Datiſi* tertiæ, nec tamen illæ ſunt plures figuræ hinc inde, ſed duo modi eiuſdē; & quod caput eſt, in ſyllogiſmo mentali qui propriè dictus ſyllogiſmus eſt, non datur illa præceſſio præmiſſarum, nam utraq; ſimul effertur, atq; adeo non habet ibi locum transpoſitio præmiſſarum.

Sed hæc ratio, in qua aliqui conquieſcunt, neſcio an tam ſolida ſit: Moveor, quia etiam in ſyllogiſmo mentali regulæ figurarum debent locum habere, ex illis autem eſt, quòd minor in ſecunda figura nō ſit negativa, adeòq; intereſt etiam in ſyllogiſmo mentali quid primo quid ſecundo loco aſſumatur. Reſpondeo: Intereſt quæ ſit maior quæ minor, at non intereſt quæ primo, quæ ſecundo loco proferatur, nā præmiſſa non habet eſſe maiorem aut minorē ex ordine ſive ex eo, quod prius formetur, ſed ex eo quòd contineat maiorem extremitatem, quæ quandocunq; adferetur faciet propoſitionē in qua eſt, majorem. Bene huc uſq;

Inſta-

Inſtari tamen poteſt, quòd in tertia figura ſint ejuſmodi regulæ, nam ibi ex minori negativa nihil ſequitur, & tamen ibi majoritas præmiſſæ ſumitur ex priori loco ſeu tempore quo profertur præmiſſa. Itaque exiſtimo quòd in ſyllogiſmo etiam mentali neceſſariò admittendus ſit aliquis ordo præmiſſarum, atque ita ratio adducta non poteſt eſſe univerſalis, ſed ad ſummum habere locum in prima figura.

6. Fundamenta Medicorum trita ſunt, & legi poſſunt apud Summuliſtas communiter Principale ſuprà poſui, & ſolvi: Eſt enim, quòd in figura Galeni medium prædicetur in majori, & ſubjiciatur in minori, cùm in illa Ariſtotelis ſubjiciatur in majori & prædicetur in minori. Ni fallor acriùs

Objici ſecundò poteſt ſic: Si enim rejiciatur quarta illa Galeni ex eo, quòd quidquid colligitur per eam colligatur per primam Ariſt. ut arguunt Peripatetici, tum negandæ erunt non ſolùm quarta illa Galeni ſed ſecunda & tertia Ariſt. nam quidquid per has colligitur ſine dubio colligi poteſt per primam (quum utraque ipſarum denique reducatur ad primam) adeóque videtur aut concedenda quarta, aut neganda ſecunda & tertia. Reſpondeo: Aliud eſt an quidpiam ſit diverſæ formæ ab alio, aliud an diverſæ utilitatis. Illa ratio fortaſſe oſtendit ſecundam & tertiam non habere diverſam utilitatem, non autem oſtendit quin habeat diverſam formam, quia aliter ibi diſpoſitum eſt medium cum extremitatibus, aliter in prima. At verò in illa Galeni non, ſed planè eodem modo, ut viſum eſt. Cæterum non fruſtra ſunt ſecunda & tertia figuræ etiam ſtante primâ, quia ſunt plerique termini, quorum combinatio multo clariùs apparet in ſecunda & tertia quàm in prima; & univerſaliter concluſiones negativæ aptiùs ſedent in ſecunda figura quàm in aliis. Poſſem etiam aſſignare aliam hujus rationem à priori. Sed pergo, &

Objicio primò aliquam veritatem colligi in figura Galeni, quæ non colligitur in illa Ariſt. & eſt concluſio particularis negativa, quæ in illa Galeni inferri poteſt ex minori particulari, nec poteſt reduci ad figuram illam Ariſtotelis, quia ut fieret illa reductio ad figuram Ariſt. deberent transponi præmiſſæ; at verò transpoſitis præmiſſis non colligeretur illa concluſio, adeóque nunquam colligi poterit in figura Ariſt. quod fuit intentum. Probatio minoris quia transpoſitis præmiſſis major erit particularis: at verò ex majori particulari nihil colligi poteſt in figura Ariſt. ergo. Reſpondeo tamen negando aſſumptum, ſive aliquid colligi in figura Galeni quod non colligatur in illa Ariſt. Ad probationem autem ſequentem, dicitur eam oſtendere quòd non poſſit illa concluſio colligi directè in figura Ariſt. non ampliùs: nam regula illa quòd ex minori negativa nihil ſequatur in figura Ariſt intelligenda eſt de concluſione directa tantùm. Itaque illa concluſio particularis Galeni erit in modo indirecto aliquo Ariſt. Ita communiter noſtri; ſed contra

7. Inſto: Si opus eſt converſione aut transpoſitione, ut illa concluſio reducatur ad modum etiam indirectum Ariſt. ſequitur quòd non ſit ipſe, & multo minus erit directus apud Ariſtotelem, adeóque jam omnino eſt extra totam figuram ejus. Confirmo diſcurſum, quia iſta ſunt media, quibus Ariſt. docuit modos ſecundæ & tertiæ figuræ, & indirectos primæ reducendos oſtenſivè ad directos primæ, adeóque ſequitur quòd hujus modi Galeni tam differant ab illis Ariſtotelis, quàm ſecundæ & tertiæ & indirecti primæ à directis ejuſdem primæ.

Reſpondeo: Ariſtoteles non aſſignavit transpoſitionem ſolam pro medio reductionis oſtenſivæ, ſed transpoſitionem ſimul cum converſione, adeòque, quum ille ſyllogiſmus non egeat transpoſitione & converſione non habet uſum medii aſſignati ab Ariſtotele pro reductione & conſequenter. Antecedens hujus rationis oſtendo, quia transpoſitio uſu venit in ſolis quatuor modis ſcilicet *Fapeſmo Friſeſom Cameſtres* & *Diſamis*, quorum tamen aliquæ præmiſſæ præterea convertendæ ſunt ſimplici. Audio, ſed adhuc

Urgeo argumentum: Aſſignata ſunt illa duo conjunctim ſcilicet transpoſitio & converſio; & tamen aliquando converſio ſola adhibenda eſt, & ex ea ſequitur differentia modorum reductorum ab iis ad quos reducuntur, ergo etiam quando transpoſitio ſola adhibenda eſt faciet differre modos illos qui reducuntur ab illis ad quos reducuntur, atque ita à primo ad ultimum ſequitur ſaltèm quod Ariſt. & ſui non plenè aſſignaverũt modos indirectos primæ figuræ adhuc enim addendi ſunt illi quos Galenus pro directis intrudit. Non video quomodo huic argumento negari poſſit quin differant utcunque modi illi Galeni à modis Ariſt. Præterea verò quia Doctor ſignificat majoritatem præmiſſæ deſumi poſſe ex ordine, ut illud ſit majus quod ponitur in priori ſede, ut notavit in eo Camer. negatio autem figuræ quartæ fundatur in oppoſito hujus; Nec deſunt Scotiſtæ, qui huic parti faveant.

8. Dico tertiò non eſſe pertinaciter repugnandum quartæ figuræ, quin ſaltèm probabiliter admitti poſſit. Non approbo hîc per omnia figuram Galeni, licèt objectio pro illa militaverit, ſed abſolutè quartam, quomodocumque illa ſtatuatur. Volo autem pro nunc illam ſic conſtitui, ut differat à prima Ariſt. transpoſitione præmiſſarum, non verò præterea concluſione indirectâ quam intendiſſe videtur Galenus. Defendo ergo hunc & ſimiles:

Omnis homo eſt animal,
Omne animal eſt vivens, ergo
Omnis homo eſt vivens;

tanquam ſyllogiſmum diverſæ figuræ à prima, & utor hâc ratione: quia nimirum videntur hallucinari Peripatetici in eo, quòd crediderint differentiam hujus ſyllogiſmi & alterius qui fieret in Barbara Ariſtotelis eſſe ſolius temporis, non enim eſt hic ſolius temporis differentia ſed etiam loci, neque in eo quòd unum extremum præ alio præponatur medio, ſed eſt manifeſtus & conſtans ordo ipſorum terminorum differentium inter ſe, qui ſine dubio facit diverſam figuram, ut evidens eſt in ſenſibilibus à quibus hæc metaphora tracta eſt.

Pro hoc autem intelligendo (cùm in eo ſit vis diſcurſus faciendi) noto in duabus præmiſſis ſyllogiſmi quodammodo eſſe quatuor terminos, quia nimirum ſunt duo extrema; medium autem, licèt ſit unum, tamen bis aſſumitur, ſemel in qualibet præmiſſa, ut ſcilicet quæque conjun-

Digitized by Google

gat illud ſuæ extremitati; quo poſito probo ad ſenſum diverſam eſſe figuram illam, cujus ſyllogiſmum deſcripſi à prima Ariſtotelis, ſive omnino eſſe quatuor figuras ſyllogiſmorum. Accipiamus enim quatuor illos terminos; & faciant nobis quatuor calculos, quorum duo ſint ejuſdem formæ orbicularis quæ repræſentent medium, alii duo quadrianguli quæ referant nobis extrema. Hos dico tot modis diſponi poſſe ut faciant quatuor figuras, ſemel ita ut duo orbiculares unâ ſerie diſponantur, & juxta illos in alia parallela duo quadranguli. Iterum ſic ut prima ſeries ſit calculorum quadratorum, ſecunda orbicularium. Tertiò ſic ut in una ſerie ſint omnes quatuor ſed medii ſint duo quadrianguli habentes hinc inde unum orbicularem. Quartò denique ut in una ſerie ſint omnes, ſed medii ſint orbiculares & hinc inde duo quadranguli, unus ſupra, alter infra ipſos, hoc ſcemate

Secunda figura

a □ O b |

d □ O c |

Tertia figura

O b □ a |

O c □ d |

Prima figura

O b |

□ a |

□ d |

O c |

Quarta figura

□ a

O b

O c

□ d

Hîc enimvero nemo non videt terminos illos ſic variatos, ut exhibeant quatuor figuras, ex quibus quarta non minùs differt ab aliis quàm quæque una ex tribus ab alia, ut patet ad ſenſum, atqui ſic revera eſt in terminis ſyllogiſmi, & quarta diſpoſitio reſpondet figuræ Galeni ſive quartæ (cujuſcunque ſit) ut dixi, quia nimirum in prima Ariſtotelis medium eſt ante & poſt extremitates; eſt enim ſubjectum majoris & prædicatum minoris: extremitates autem intrò ſunt, ſcilicet una eſt prædicatum majoris, altera eſt ſubjectum minoris quas proinde clarum eſt interjacere. At verò in illa Galeni ſeu quarta extremitates hinc inde ambiunt & claudunt medium, una eſt ſupra, altera infra ipſum. Cùm ergo hæc denominatio formæ aut figuræ etiam ipſius diſcurſûs ſumpta ſint à ſenſibilibus, metienda & multiplicanda eſt figura intellectualis ad multiplicationem figuræ ſenſibilis ac naturalis; & quum ejuſmodi tranſpoſitio faciat plures mathematicas figuras, logicas debebit facere.

Ubi illud adverto, quòd fortaſſe Peripateticos decepit, crediderunt enim varietatem eſſe in præponenda una extremitate medio præ alia, quod non eſt verum, ſed potius in eo quòd utraque circumſtet ipſum, non autem quòd una hîc potius quàm alibi. Quod patebit recurrendo ad ſcema ſuprapoſitum, nam in quarta ſerie ſuprà ſive ego primo loco ponam calculum A. & calculum D. ultimo, ſive è contra ponam calculum D. in primo & calculum A. in poſtremo, eandem ſemper figuram habeo calculorum; non verò eandem, ſed longè diverſam ſi A. & D. ponam medios & contiguos ſibi, ut patet in diſcrimine tertiæ figuræ ſenſibilis à quarta, ergo. Addo &

9. Dico: Sive teneatur juxta concluſionem tertiam, primam & quartam figuras eſſentialiter differre ſive juxta ſecundam concluſionem ſupra eam eſſentialiter eſſe eandem, & ut maximè accidentaliter tantùm differre, multo illuſtrior & perfectior eſt quarta quàm prima.

Hanc ſic oſtendo: Utique enim perfectior eſt diſpoſitio totius, in quo partes ſuum locum occupant, quàm illius in quo illo carent. Atqui in quarta figura ſic eſt, in illa Ariſtotelis non; quia in quarta figura medium in medio loco eſt, atque ita in ſuo; in illa Ariſt. eſt extra eum. Iterum in illa Ariſtotelis extremitates ſunt in medio, atque ita in loco alterius & extra ſuum; at verò in quarta figura extremitates verè extremitates ſunt, ſeu extra medium hinc inde, ergo.

Præterea etiam in quarta figura minor incipit à termino proximo, ſcilicet à prædicato majoris: In illa Ariſt. quaſi iterum incipit ab alio extremo, & deſinit in id, quod proximè habuit, ſcilicet ſubjectum majoris; faciliùs autem quis progreditur, quando poteſt pergere cum proximè aſſumptis, quàm quando debet redire ad remota, ergo.

Deinde connaturalior eſt proceſſus ab extremo ad medium, quàm à medio ad extremum; figura Ariſtotelis incipit à medio, & pergit per extremum. Illa Galeni, ſive quarta, incipit ab extremo, & pergit per medium, ergo.

Confirmo totum ex ipſius Ariſtotelis doctrina, quia ſecundùm ipſum figura, in qua medium ſemper prædicatur non eſt præſtantiſſima (& tamen in ea medium habet locum præſtantiſſimum abſolutè) non aliunde, niſi quia ille locus prædicati licèt in ſe ſit dignior, tamen magis proportionatus eſt medio medius locus, propter quod figura in qua eum habet eſt prima: ſed conferendo primam illam Ariſtotelis cum quarta Galeni multo magis medium in medio eſt apud illam Galeni quàm apud illam Ariſt. ergo illa præſtat huic.

Confirmo iterum ex eodem ibid. quo loco vocat propoſitiones intervalla, concipit enim ille (& meritò) tres terminos per modum totidem punctorum & propoſitiones, quarum extremitates ſunt termini, per modum linearum ductarum inter ejuſmodi puncta, unde ſyllogiſmus denique habet ſpeciem trianguli, in quo conus reſpondet medio, duo puncta ſive duo anguli baſis repræſentant extremitates, quod ex eo loco videtur deſumpſiſſe D.Th. *opuſ* ubi hoc ipſum notat. Tum ſic, ſed manifeſtè faciliùs deſcribitur triangulus incipiendo ab uno puncto baſis & ducendo lineam ad conum primò, deinde ex eodem cono ad alterum punctum baſis quod ſervatur in figura Galeni, quam ſi poſt ductam lineã à baſi ad conum iterum debeas redire, inde ad baſim ut ducas lineam rectam ex angulo ad angulum ejus, qui modus ſervatur in figura Ariſtotelis, ergo.

Digitized by Google

An aliunde augeri opporteat numerum figurarum?

10. Reſpondeo cum Doct. citato negativè, ſi ſermo ſit de communibus ſyllogiſmis ſeu de cathegoricis ex terminis rectis & finitis: At verò univerſaliter loquendo & compræhendendo omnes omnino, non quemlibet ſyllogiſmum fieri in aliqua trium (addo nec in aliqua quatuor) figurarum.

Probatio primæ partis trita eſt, quia ſcilicet in ejuſmodi ſyllogiſmis tribus tantùm modis variari poteſt ſitus medii ſeu ordo ejus ad præmiſſas: vel enim ſubjicitur illis ſemper, & facit tertiam figuram; vel prædicatur de illis ſemper, & facit ſecundam, vel ſubjicitur uni & prædicatur de altera, quod facit primam figuram, attentis tamen quæ diximus de diſpoſitione illa Galeni, adeò ut tres tantùm recenſendæ ſunt figuræ, adhibitâ moderatione quam dixi.

Quòd verò abſolutè loquendo aliter figurari poſſint ſyllogiſmi, ſive formari aliqui, qui valeant, nec tamen ſint in ulla illarum, oſtendo breviter hîc aliquot inſtantiis: valet enim iſte,

Omne corpus eſt materiale vel ſpirituale,
Nullum corpus eſt ſpirituale, ergo
Omne corpus eſt materiale,

& tamen non eſt in ulla ex dictis figuris, quum medium non transferatur ad alteram præmiſſam; medium enim eſt eſſe corporale vel ſpirituale, quod tamen in ſola majori dicitur. Altera inſtantia eſt iſta:

Nullum non accidens eſt linea,
Nulla ſubſtantia eſt accidens, ergo
Nulla ſubſtantia eſt linea.

nec tamen eſt ulla figura ex dictis tribus, tum quia eſt ex puris negativis, quod eſt contra regulas communes omnibus omnino ſyllogiſmis; tum quia medium non repetitur in præmiſſis; medium enim fuit: non accidens: & tamen in minori repetitur ſolum accidens omiſſâ negatione.

Tertia ſit iſte ſyllogiſmus ex obliquis:

Natus ſub quocumque planeta eſt magnanimus,
Mars eſt planeta, ergo
Natus ſub Marte eſt magnanimus,

hunc dico non eſſe in ulla figurarum, quia aut medium in eo eſt planeta, & tum deficit eò quòd extremitas non prædicatur de medio in majori: Aut medium eſt totum illud: natus ſub planeta, & tum laborat vitio communi aliis illis quòd ſcilicet non transferat medium per præmiſſas, nam illud totum non repetitur in minori. Aliæ videri poſſunt contra hunc numerum apud Subtilem citat. ſed omnia incidunt in iſtas, unde reſolutivè concludere poſſumus extra illas figuras poſſe fieri ſyllogiſmos ex hypotheſi, ex terminis infinitis & terminis obliquis.

Quod dico de Figuris non minùs affirmo de modis, poſſe ſcilicet in iiſdem ipſis Figuris communiter receptis alios modos excogitari præter novemdecim communiter receptis; id autem fiet eâdem ratione quâ ſiunt diverſæ figuræ, ſcilicet formando ſyllogiſmos ex terminis infinitis, ex obliquis, quæ de expoſitorio addenda ſunt, infrà expectentur.

Appendix

De toto numero poſſibilium ſyllogiſmorum.

11. Admiſſâ hâc quartâ figurâ, ut videat ignotus lector, quanta ſeges ſyllogiſmorum exercuerit, diſponam calculos omnium ad normam Nicephori, qui dudum jam ſupputavit numerum ſyllogiſmorum ſuppoſitâ ſolum trinitate Peripateticâ Figurarum, his verbis: Nicephorus.

Nicephorus *de diverſitate ſyllogiſmorum.*

Quoniam ſyllogiſmus omnis ex duabus ſaltèm propo-
ſitionibus conſtituit majore & minore, majore totiespo-
ſita, quoties propoſitionum annumeratio, toties autem
576. *ipſi minori annexa ita quingentis ſeptuaginta ſex majo-*
ribus propoſitionibus cum minoribus multiplicatis evenit
totos ſyllogiſticos & aſyllogiſticos modos congregari in
33. 1776. *myriades triginta tres & mille ſeptingentos ſeptuaginta*
ſex. Ex modorum autem mixtura duodecies rurſum to-
tidem colliguntur. Vel enim majore propoſitione neceſ-
ſaria poſita, minore verò vel contingente vel impoſſibili;
vel majore exiſtente, minore verò neceſſaria contingente
vel impoſſibili; vel majore contingente minore neceſſa-
ria vel exiſtente vel impoſſibili, vel majore impoſſibili
minore autem neceſſaria vel exiſtente vel contingente
duodecies multiplicantur omnes prædicti ut ſimul omnes
398. 1312. *immixti & mixti in myriades tricenas nonaginta octo*
& mille tricenos duodecim perveniant abſolvendi. Nam
ſi tertiam dicimus eſſe materiam neceſſariam, contin-
gentem & impoſſibilem, contingentem certè Ariſtoteles
in duo diviſit, in evenientem & futuram; & evenien-
tem quidem exiſtentem nominat: futuram vero propriè
contingentem. Ex harum autem quatuor mixtura per
conjugationes ſyllogiſmos in mixtionibus exponit. Cum
itaque trina ſint figura, & in unaquaque figura tot ſint
texti ſyllogiſmi triplicati enumeratorum omnes fiunt, ut
omnino ſint numero quidem myriades mille centum no- 1194.
naginta quatuor ac tria millia nongenti triginta ſex, 3936.
ſyllogiſtici pariterque aſyllogiſtici. In prima quidem fi- 36. 3552.
gura myriades triginta ſex & ter mille quingenti quin-
quaginta duo ſyllogiſmi. In ſecunda ſimiliter totidem. 1150.920
In tertia myriades centum denæ ac quinæ, nongenti ac
viginti; ac ſimul omnes ſyllogiſtici myriades ducenta
quadraginta tres, & ter mille viginti quatuor. Reliqui 243.
autem ſyllogiſtici myriades octingenta quinquaginta u- 3024.
na, nongenti duodecim; ut ſit ad aſyllogiſticos ratio 851.912
ſyllogiſticorum modorum in prima ac ſecunda figura ſub
quina multiplicatione: in tertia autem ſub duplicatio-
ne ter quinquies. Ex quibus colligo quòd quum Figura Galeni quarta totidem modos enumeret, quot prima Ariſtotelis ſcilicet myriades triginta

ſex,

363552. ſex, ter mille quingentos quinquaginta duos ,
quæ ſumma quinquies multiplicata pro aſyllogi-
2817760 ſticis reddit myriades centum octoginta unam,
1000000 ſepties mille ſeptingentos ſexaginta; ſuppoſitâ
&c. ſummâ trium figurarum ſupra quarto loco mar-
gin. poſitâ, ſcilicet myriadum mille, &c. univer-
ſa ſumma ſyllogiſmorum in quatuor figuris red-
dit myriades (hoc eſt decies mille) mille qua-
dringentas duodecim quinquies mille ducentas 141252
quadraginta octo vulgari ſtilo, milliones qua- 48.
tuordecim, centum viginti quinque millia, du-
centos quadraginta octo: Hæc ad calculum Ni-
cephori.

ACTIO III.

Vtrum in ſecunda & tertia figuris dentur modi indirectè concludentes?

Breviarium:

N. 1. *In quo diſcrepet Scotus hîc ab aliis?*

2. *Dari indirectas conclusiones in ſecunda & tertia figuris.*

3. *Fundamentum oppoſiti ſolutum. Major extremitas in his figuris quæ? expenſus Ariſtoteles.*

4. *Probatio concluſionis principalis ſive modorum indirectorum in his figuris.*

5. *Objectio* Cameſtre & Cæſare *ut differant?*

6. *Alia objectio. An quarta figura tranſponat præmiſſas primæ?*

1. REs eſt non admodum gravis; quia tamen D. S. in ea ab aliis diſſentit, ejus ſententiam tuebor. Diſſentit autem primum in abſoluta concluſione aſſerens poſſe in utraque harum indirectas concluſiones colligi, non minùs, quàm in prima. Deinde quoad modos hîc concludentes in ſecunda figura, admittit unum, quem alii rejiciunt qui eſt *Bocardo*, & rejicit alium quem cæteri admittunt qui eſt apud ipſos *Fapeſmo*. Similiter hinc inde diſcurrunt authores de tertia figura, nam in ea alii rejiciunt *Baroco*, Scotus admittit.

2. Dico jam ad titulum, ſententiam Scoti de duabus ultimis figuris ita veram eſſe, ut omnes omnino ipſorum modi indirectè non minus quàm directè concludant. Ratio efficax & brevis eſt, quia ex modis cujuslibet Figuræ, una medietas admittit converſionem ſimplicem concluſionis, at verò ubi propoſitio converſa eſt directa, ibi convertens eſt indirecta. Altera autem medietas admittit ſaltèm tranſpoſitionem præmiſſarum; at verò tranſpoſitis præmiſſis, concluſio quæ ante fuit directa jam redditur indirecta, ergo.

Medietates autem, quæ in ſecunda figura admittunt converſionem ſunt iſtæ *Cæſare* & *Cameſtres*: Quæ tranſpoſitionem ſolam, alii duo *feſtino* & *Baroco*. Medietas quæ admittit converſionem concluſionis in tertia Figura ſunt tres iſti *Darapti, Diſamis Datiſi*: Qui admittunt converſionem indirectam ob tranſpoſitionem iſti tres, *Felapton, Bocardo, Feriſon*. Experientia hujus rei ſive converſio ſimplex facilis eſt cuilibet, & multò facilior tranſpoſitio propter quod omitto horum exempla.

Non eſt autem facilè tueri dictam rationem Scoti; pendet enim ipſa (ſicut & concluſio) ex modo, quo ſtatuenda eſt in his Figuris major extremitas; quum enim indirectè concludere ſit prædicare majorem extremitatem, non dabitur indirecta concluſio, niſi verum ſit majorem extremitatem eſſe illam, quæ ponitur in prima præmiſſa ut vult Scotus, & nos ſuprà oſtendimus; aut certè (quod eodem ferè redit) niſi ſit illa, quæ prædicatur in quæſtione ante formatum ſyllogiſmum: Nam ſi verum eſt quod dicunt Recentiores majorem extremitatem eſſe illam quæ prædicatur in concluſione, manifeſtum eſt non dari indirectam concluſionem in his, quum prædicatum concluſionis non poſſit non eſſe prædicatum concluſionis, adeòque non poſſit non eſſe major extremitas; quamdiu autem prædicatum concluſionis eſt major extremitas concluſio ſemper eſt directa. Solvam in primis fundamentum Adverſariorum quod revera non levè eſt.

3. Objiciunt enim deffinitiones ipſas majorum extremitatum in his figuris, quas etiam deffinitiones videre eſt apud Ariſtotelem hîc c. 5. & 6. nam in priori illo loquens de ſecunda figura ait: *Atq; Medium quidem id in ipſa dico quod de utrique dicitur; extrema autem de quibus hoc* (ſcilicet medium) *prædicatur: Majus item extremum id nuncupo quod propè medium collocatur, minus autem id quod remotius à medio ponitur*, cujus totius contrarium ſubdit *cap. ſequenti* de medio & extremis in tertia figura; Atque hinc conficitur ſatis validum argumentum pro oppoſita ſententia Recent. non enim videtur quomodo ulla extremitas in ulla figura ex his ſit vicinior medio quàm alia, quum in ſecunda figura medium perpetuo prædicetur, unde ſequitur quòd extremitates perpetuò ſubjiciantur: ex pluribus autem quæ ſunt ſubjecta non poteſt colligi quomodo unum ſit vicinius ei quod eſt prædicatum quàm aliud: Una ſola via videtur hoc ſalvandi, ut dicatur extremitas quæ in concluſione eſt prædicatum magis accedere ad medium quàm alia, quæ non prædicatur in ea figura in qua medium ipſum prædicatur, ergo jam à prædicato concluſionis deſumenda eſt majoritas extremitatis, atque ita denique impoſſibilis eſt ſententia Scoti ſeu prædicatio indirecta in hac figura, atque etiam in tertia ſequenti. Hoc videtur convellere totaliter concluſionem poſitam, & revera id aget niſi inveniatur alia expoſitio Philoſophi, & majoris extremitatis. Reſpondeo tamen, & expono Philoſophum, aliter ſic, ut in ſecunda figura id cenſeatur major extremitas quod in majori ſeu in prima propoſitione ponitur, quia nimirum in hac Figura medium habet digniſſimum locum, ſcili-

ter illum prædicati, unde illud propiùs accedet ad medium quod in digniori loco ſedet; ſine dubio autem primus locus eſt dignior, adeóque illa extremitas hîc erit major, quæ in majori ſeu prima propoſitione ponetur, unde locus Philoſophi non ſolùm ſolutus eſt ſed retortus in Adverſarios, & jam eſt prima probatio cōcluſionis pro quinque modis; tribus tertiæ, & duobus ſecundæ figuræ ſecunda probatio pro reliquis quinque ſit iſta regula Logicorum: Quidquid ſequitur ex conſequenti ſequitur ex antecedenti; ſive: Ad quodcunq; ſequitur antecedens ſequitur conſequens; ſed ad præmiſſas illas ſecundæ & tertiæ figuræ ſuprapoſitas ſequitur antecedens concluſionis indirectæ, ergo & ipſa concluſio indirecta quæ eſt conſequens. Probatio minoris, quia ad converſam ſequitur in bona conſequentia ipſa convertens; ſed concluſio directa quum poſſit cōverti ſimpliciter eſt antecedens reſpectu concluſionis indirectæ, ergo ad quodcunq; ſequitur directa ſequitur indirecta cōcluſio: patet ad præmiſſas illas harum figurarum ſequi concluſionem directam, ergo ſequitur etiam indirecta.

4. Ex his facilè aſſignabo rationem eorum, quæ Scotus contra communem tenet, ut ſuprà retuli. Quòd ſcilicet non detur modus *fareſmo* in ſecunda figura, detur autem in eadem *Bocardo*, & in tertia *Baroco* indirectè concludentes. Cauſa enim primi eſt, quia *fareſmo* ille non differt à *Cameſtres*, niſi in concluſione particulari negativa, quæ in Cameſtres eſt univerſalis negativa. At verò concluſio non variat modum per hoc præcisè, quòd fiat ex univerſali particularis, aliàs deberent plures modi aſſignari in prima figura quàm novem, quia in Barbara celarent & celantes in quibus jam concluſio eſt univerſalis poteſt inferri particularis.

Dices: Baralipton eſt modus diverſus à Barbara, & tamen differt concluſione particulari, nam præmiſſæ ſunt eædem. Reſpondeo: Differt etiam præterea concluſione indirectà.

At verò in ſecundo puncto videntur hallucinati Adverſarii credentes non poſſe concluſionem indirectam colligi in his figuris, niſi per converſionem directæ, quod ſi verum eſſet, utiq; inferret quod ipſi dicunt, ſcilicet non poſſe dari Baroco aut Bocardo indirectè concludentes, quia particularis negativa (cujuſmodi eſt concluſio in illis) non poteſt verè converti: At enim ſuprà oſtendi alium modum colligendi indirectè præter converſionem concluſionis, & eſt tranſpoſitio præmiſſarum, quæ quia in his modis fieri poteſt non minus quàm in aliis, ſequitur, &c. Dabo breviter exemplum totius, hic enim

Nullus homo eſt aſinus,
Quoddam animal eſt aſinus, ergo
Quoddam animal non eſt homo,

non poteſt redigi ad concludendum indirectè per mutationem concluſionis, quia non poſſunt termini ejus ſalvâ veritate tranſponi, non enim verum eſt, quòd quidem homo non ſit animal: Poteſt tamen admittere tranſpoſitionem præmiſſarum ſalvâ veritate, & tum indirectè colliget; quia nimirum eademmet concluſio quæ antè fuit directa jam eſt indirecta. Ille ergo ſyllogiſmus directus eſt *feſtino*, indirectus friſeſom: & ſimiliter Baroco ſecundæ figuræ indirectè concludens eſt Boçardo, & Bocardo tertiæ debet fieri Baroco.

Et per hoc ſatisfactum eſt Recenti, qui miratur Diſamis & Datiſi numeratos eſſe tanquam diverſos modos. Cauſa enim fuit quia voluerunt Logici ſcire quotnam modis poſſet concluſio directa inferri in tertia figura. Si autem omitterent unum, non haberent omnes directas ſed unam directam, alteram indirectam. Per quæ etiam facies ſatis ſequenti.

5. Objiciunt enim: Cōcluſio indirecta in Ceſare incidit in Cameſtres, ſed cōcluſio Cameſtres eſt directa, ergo malè diximus propterea dari concluſiones indirectas in ſecūda figura. Confirmo; negari non poteſt, quin detur modus Cameſtres; controverſum eſt autem an detur modus indirectus Ceſare; & ex altera parte concluſio illa non poteſt eſſe directa ſimul & indirecta, adeóque à primo ad ultimum dicendum eſt quòd illa concluſio ſit directa in Cameſtres, non autem indirecta in Ceſare. Ita ferè illi fidenter; ſed nego illis majorem; non ergo omnis indirecta in Ceſare incidit in Cameſtre, quia concluſio Ceſare redditur indirecta per converſionem, at non obſtante converſione ſyllogiſmus eſt in Ceſare, quia major eſt affirmativa minor autem negativa. Iterum do illis majorem; revera enim inſtari adhuc poteſt, nam etiam concluſio in Ceſare & Cameſtres reddi poteſt indirecta per tranſpoſitionem præmiſſarum; ſimiliter & in Datiſi & Diſamis, cur enim in Felapton, Bocardo ſic, in his autem non? At verò tum currit argumentum, ergo. Reſpondeo ne tum quidem currere, primò quia non ſequitur: eſt in Cameſtres, ergo non in Ceſare; cùm conſtet eandem concluſionem poſſe colligi in pluribus modis, imò etiam in pluribus figuris, quod patet in reductionibus oſtenſivis paſſim. Denique dico eſſe in utroque, directam in uno, indirectam in alio, ſicut eſt poſt quaſdam præmiſſas unius figuræ & poſt alias alterius.

6. Objiciunt ſecundò: Præmiſſæ *Barbara* Ariſt. tranſponuntur in *Barbara* Galeni, & tamen concluſio Barbara Galeni non eſt indirecta, ergo non ſufficit tranſpoſitio præmiſſarum ad concluſionem indirectam. Reſpondeo Vehementer hallucinatur arguens, non enim poſſunt tranſponi præmiſſæ primæ figuræ, ut illa, quæ aliquando fuit major deinde fiat minor, alioquin convinceret certiſſimè Galenus addendam eſſe quartam figuram. Itaque in hac figura eadem & conſtans eſt major, illa ſcilicet in qua ponitur extremitas prædicata quocumq; demum loco aut tempore proferatur. Mirandum magis quomodo hæc opinio venerit in calamum Scotiſtæ, cùm Scotus clarè & ex profeſſo oppoſitam doceat. Poncius

Denique aliquis cæteris recentior (a) viſus eſt ſibi videre alium modum ſtatuendi majorem extremitatem & majorem propoſitionem, ut ſcilicet illa cenſeretur major propoſitio, quæ eſt univerſalis; illa minor quæ particularis; major extremitas terminus univerſalis, &c. Sibi hoc ille perſuaſit, mihi non item; quia hoc modo erraret univerſa ſchola Ariſtotelis cum ipſo, non ſemel, quin in principiis omnium figurarum; in prima quidem quia ponunt aliquos modos directè, alios indirectè concludentes in ipſa, quatuor directè & quinque indirectè quod eſt falſum, niſi hîc fallatur, nam *Barbara* verbi gratia quæ eſt præſtantiſſimus modus non concludit directè,

(a) P. Hurtad. *diſp.* 10. *Log. ſ.* 11.

nec *Baralipton* indirectè, eò quòd non habeat majorem aut minorem extremitatem, in quorum conditione conſiſtit directio vel indirectio concluſionis. In ſecunda figura ſequitur idem abſurdum ex parte & præterea illud, quod habeat tantum tres modos, nam duo primi ſunt unus tantum, differunt enim ex eo, quod unus habeat majorem affirmativam, minorem negativam, alius è contra; at vero juxta hanc viam neutra hoc habet, quia nec majorem, nec minorē habet. In tertia autem figura adhuc gravius peccant; canon enim tertiæ figuræ & quidem primus, veluti magnum mandatum eſt, ut minor nunquam ſit negativa: At vero juxta hunc id ſæpe contingeret, quælibet enim particularis ſecundum hunc eſt minor atque ita ex modis Ariſt. Baroco & Bocardo haberent minorem negativam contra ipſius leges.

Deinde quæro ex hoc, quare attendenda eſt quantitas diſcreta hîc, ut illa ſit major extremitas, in qua eſt terminus continens ſub ſe multa inferiora quare magnitudo quæ eſt quantitas quaſi continua metienda eſt per multitudinem, quæ eſt quantitas diſcreta? Denique ſequitur ſecundùm hunc, quòd propoſitio, in qua eſt terminus ſingularis non ſit neque majòr neque minor quia nimirum terminus ſingularis non eſt quantum cum ſit indiviſibilis in hoc genere.

Diceret illa ad aliqua horum, quòd modi non habentes terminos particulares imitantur eos qui tales habent, & à proportione eorum dicuntur habere majorem & minorem. Sed quis non videat hoc ineptè dictum, quum multo aptius fieret oppoſitum; v. g. dicit ille quòd Barbara & celarent ſequuntur in hoc negotio modos Darii & ferio quum conſtet illos primos eſſe præſtantiores multo his ſecundis, adeoque debere potius trahere eos ad ſuam ſortem, quam ſequi.

Et in quo credas, fundatur ille? quia Rhetores ſic volunt. Hoc expectabam, ut philoſophos grammaticis ſubjiceret; putabam equidem Rhetores à Logicis docendos. Sed fac ita eſſe ut iſte credit: Ubi Rhetores unquam meminerunt majoris aut minoris? Propoſitionem & aſſumptionem illi ſuas vocant.

ACTIO IV.

Notat aliqua de ſyllogiſmo expoſitorio.

Breviarium.

N. 1. *Communis doctrina logicorum de ſyllogiſmo expoſitorio.*

2. *Exceptio contra dicta. An expoſitorius ſit conſequentia formalis.*

3. *Altera exceptio. An expoſitorius nitatur Dictis de* omni *&* nullo.

4. *Poſſe eum niti principio methaphyſico:* Quæ ſunt eadem uni tertio.

1. IN primis ponam communem doctrinam tum ſignificabo, ſi quid videatur excipiendum. Eſt autem expoſitorius ſyllogiſmus ille cujus medium eſt terminus diſcretus ſeu ſingularis. Hic autem (ut notavit Doct.) eſt triplex; unus eſt maximè proprius, qui ita ſignificat unam ſolam rem ut non poſſit ad aliam extendi, ut: *Hic homo, hoc determinatum Petrus*, alius è contra qui quidem importat rem aliquam ſingularem, ſed ille (& conſequenter terminus diſcretus) pluribus identificatur: Talis eſt *Deitas* quæ quidem ſingularis eſt ſed identificata pluribus diſtinctis perſonis, adeoque de ipſis dicibilis. Tertium genus quod adfertur eſt ejuſdem farinæ, aliquid ſcilicet quod ſucceſſivè de pluribus dicitur, ut *tempus hodiernum* de mane & veſpere. Surius aut ſequana de aqua quæ modo labitur in illis fluminibus atque etiam de ea quæ ante mille annos decurrit. Valet ſyllogiſmus expoſitorius in terminis primi generis, non valet in aliis, ſequitur enim:

Hic homo eſt Petrus,
Hoc doctū eſt Petrus, ergo
Hoc doctum eſt homo, } non valet autem

Deitas eſt Pater,
Deitas eſt filius, ergo
Pater eſt filius, } nec

Veſper eſt tempus hodiernum,
Mane eſt tempus hodiernū, ergo
Mane eſt veſper,
& idem eſt de fluvio.

Debet autem ſyllogiſmus expoſitorius regulari per dicta *de omni* & de *nullo*; quo facto ille eſt infallibilis, v. g. ſecundus ſyllogiſmus, quem diximus fuiſſe vitioſum, reddetur validus ſic: Omne, quod eſt Deitas eſt Pater, filius eſt Deitas, ergo eſt Pater, quæ conſequentia optima, & conſequens verum eſt ſi nulla præmiſſa ſit falſa, quod ſine dubio ſufficit ad bonitatem formæ, hæc communis.

2. Contra quam doctrinā tria habeo, quæ ſcrupulum injiciunt: unum eſt, quod ſi ſyllogiſmus expoſitorius non valeat univerſaliter in termino ſingulari, ſed in ſingulari tali, tum non videtur defendi poſſe pro legitima argumentatione aut conſequentia, ſed tantùm pro materiali, valet enim ratione materiæ tantùm, nam ſi ratione formæ valeret, rectè colligeret ubique, quod non facit. Hanc tamen non magni facio & D. ſolvit eam loco citato.

3. Alterum eſt, quòd ajunt medium expoſitorii diſtribuendum eſſe per dicta *de omni* & *de nullo*: id enim videtur inſulſum, imò & ſibi ipſi obſtare, ſi enim medium illud eſt ſingulare quomodo ei applicabitur illud omne? certè id facere erit neutrum facere, erit enim illa deſtruere per ſe invicem, erit dicere univerſale ſingulare quam ineptum *omne hoc* vel *omnis hic homo?* urgeo difficultatem efficaciter ni fallor; nam ſi licet

dicta

dicta illa & diſtributiones huc intrudere, tum ſyllogiſmus ex puris particularibus erit excuſandus, imò & perfectus, quod tamen omnes ita negant, ut oppoſitum apud Ariſt. ſit regula univerſalis omnium ſyllogiſmorum: Sequelam tamen oſtendo in iſto.

Aliquis homo eſt latro,
Petrus eſt aliquis homo, ergo
Petrus eſt latro,

hîc, inquam ſyllogiſmus, & ſimiles reprobi ſunt, & ab omnibus damnari, & tamen, ſi liceat mihi applicare illis diſtributionem illam *dicti de omni* ſtatim excuſabo eum & reddam perfectiſſimum ſic dicendo.

Omne, quod eſt aliquis homo, eſt latro,
Petrus eſt aliquis homo, ergo
Petrus eſt latro,

hic enim, ſi præmiſſæ ſunt veræ, conſequens eſt certiſſimum, ut ſuprà viſum eſt de expoſitorio in divinis, adeòque erit legitima & formalis argumentatio, ergo.

4. Itaque exiſtimo contra hos tertiò ſyllogiſmos expoſitorios bene fundari poſſe in illo: *Quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem ſibi*; quia nimirum illud principium currit ſemper, quoties tertium eſt quoddam indiviſibile, & non latiùs patet quàm extrema. At verò nihil magis eſt indiviſibile quàm ſingulare (loquor de diviſibilitate in partes ſubjectivas) ex quo facilè habes doctrinam omnibus materiis applicabilem, etiam divinæ: nam accipiendo terminos divinos eo modo quo ſunt indiviſibiles, facient perfectos ſyllogiſmos virtute hujus principii: Quando autem non facient tales, tum non accipiuntur ut indiviſibiles, ſed ut diviſibiles ſeu comunicabiles ſunt, v. g. Deus eſt indiviſibilis in Deos, diviſibilis in perſonas & in res, & proindè rectè colliges per expoſitorium quòd filius ſit ille Deus qui eſt Pater, licèt non rectè colligas quòd ſit illa perſona aut eadem res. Neque hic ſum contrarius Doctori ſed conformis, legatur q. illa 11. pr. Prior. num. 16. ibi enim expreſsè ponit *ſyllogiſmu a expoſitorium conſequentiam formalem ſine huius regulatone per dici de omni vel de nullo.*

Authores hujus materiæ ſunt:

Galenus apud Averroëm in *Com. cap.* 8. *pr. Prior.* Ariſt. *cap.* 5. *&* 22. *&* 23. Theophraſtus Eudem. Porphir. apud Boët. *Ipſe lib.* 2. *de ſyllog. catheg.* S. Thom. *opuſc.* 48 *tract. de ſyllog. cap.* 8. Ockam. 1. *p.* 3 *part. Log c.* 2. Sueſſan. 1. *Pr. c.* 8. Ioann. de Magiſt. 1. *pr. q.* 12. Maſius 1. *Pr. q.* 6. Roccus *lib.* 2. *cap.* 10.

Ægid. 1. *Pr. fol.* 10. *Colon. tract.* 2. *cap.* 1. *fol.* 11. Marſil. 1. *Pr q.* 8 *&* 9. Burana *hic c.* 8. Bagol. *in Anot. de numero figur.* Achil. *lib. de poteſt ſyllogiſ.* Smiglet. *diſp.* 13. *q.* 14. Valla *lib.* 1. *Dialect. cap.* 9. Niph. 1. *Prior. com.* 18. Sotus *lib.* 2. *ſum.* Fonſeca *lib* 6. *Inſtit c.* 12. 23 *&* 2 . Zabarel. *lib. de* 4. *fig.* Conymb. *in cap.* 7. *pr. Prior. q.* 1. *&* 2. Amic. *tract.* 23. *diſp.* 3. *dub.* 3. Averſa *q.* 25 *Log. ſect.* 7. Hieron. Pla. 1. *Prior. cap.* 6. *diſp.* 2. *q.* 4. Cardinal. Contar. *opuſc. de* 4. *figur.* Oddo de oddis *apud eundem ibid.* Gulicl. Camer. 1. *p. phil. diſp. q.* 13. Roderiq. *lib.* 3. *dialect. c.* 8. Complut *ib. c.* 7. Gaſpar. Fuent. 3. *p. ſum.* 4. *& diff.* 2. Gonzal. 1. *p. Log à num.* 461. *uſque* 475. Poncius *diſp.* 20. *q.* 5. Moril. *in comm. Ariſt. cit. & in dub. in lib. Pr.* Maſtrius 1. *p. inſtit. tract.* 3. *c.* 5.

APOLOGIA VLTIMA.
De Demonſtratione.

ACTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Demonſtratio?

ACTIO II.

Vtrum præmiſſæ demonſtrationis debeant eſſe notiores & evidentiores concluſione ejus, nec ne?

ACTIO III.

De medio Demonſtrationis.

ACTIO IV.

De regreſſu demonſtrativo, an detur & quid juvet?

Scotus in 2. d. 3. q. 6. n. 17.

PEr hoc patet ad aliam de ſcientia & demonſtratione, quia definitio ſubjecti & medium in demonſtratione potiſſima, ſingulare autem non habet definitionem propriam ſed tantùm definitionem ſpeciei, & ita non eſt de ipſo demonſtratio propria, ſed tantùm demonſtratio quæ eſt de ſpecie, non enim habet aliquam propriam ſed tantùm paſſionem ſpeciei.

 Idem

Digitized by Google

Idem q. 4. in lib. 2. Prior. n. 3.

SEd dubitatur, an ſyllogiſmus circularis probet præmiſſam quam infert? reſpondetur quòd poſſibile eſt quòd ſic multipliciter: Primò, ſuppoſito quòd prior ſyllogiſmus fuiſſet ex minus notis ad concluſionem notiorem, tunc ſyllogiſmus circularis ad præmiſſam minus notam erit ex notioribus, & per conſequens probat concluſionem. Secundò quia poſſibile eſt quòd primus ſyllogiſmus ſit ex notioribus ſimpliciter, & quòd ſecundus ſyllogiſmus qui vocatur circularis ſit ex notioribus alicui. Tertiò quia poſſibile eſt quòd primus ſyllogiſmus demonſtret eſſe cauſatum per effectus poſteriores, & quòd ſecundus demonſter cauſas effectûs à priori, & ſic uterque ſyllogiſmus erit probativus licèt diverſimodè, quia ſecundus ſyllogiſmus demonſtrabit *propter quid* & primus *quia*.

ACTIO I.
Quid, & quotuplex ſit Demonſtratio.

Breviarium.

N. 1. *Approbatur prima deffinitio demonſtrationis apud Ariſtotelem.*
2. *Objicitur contra ipſam. An tota demonſtratio reddat formaliter ſcientem?*
3. *Altera objectio Num enthymema reddat ſcientem, & quomodo?*
4. 5. 6. 7. *Vtraque demonſtratio* propter quid *&* quia *in hac deffinitione univocantur.*
8 *Diviſio demonſtrationis in* propter quid *&* quia, *adæquata.*
9. Petrus eſt homo, ergo animal, *qualis conſequentia?*

1. QUoad primam partem demonſtrationem bis deffinivit Ariſt. (a) & quidem in eodem capite, ſemel ſic: Demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, iterum aliter, de quo infrà, hîc de prima ſecùs ac alii ſentio &

(a) 1. *Poſt.* 2.

Dico admitti eam poſſe tanquam legitimam deffinitionem, non tamen eſſe rigoroſam. Hæc propriè probabitur ſolutione objectionum, nunc adhibeamus communẽ hanc rationem, quia genus verum demonſtrationis eſt ſyllogiſm9, differentia autem eſſe ſcientialem ut loquitur Ariſt. explico totum inſtantiâ. Talis eſt enim hæc definitio, qualis eſſet, ſi dicerem: Albedo eſt color diſgregativus, ſicut enim albedo reddit formaliter diſgregativũ, ita demonſtratio reddit ſcientẽ.

2. Objicies: Nullus effectus eſt diffinitiv9 cauſæ, ſcientia eſt effectus demonſtrationis, ergo. Ratio majoris, quia nullus effectus eſt eſſentialis cauſæ. Reſpondeo: Effectus albedinis eſt reddere diſgregativum viſus, & eſt tamen ipſa eſſentia albedinis. Itaq; diſtinguo majorem effectus, in genere efficientis non eſt definitivus, concedo, in genere materialis aut formalis nego, magis premit hoc quod

Objicio ſecundò: Quod reddit ſcientem, formaliter eſt concluſio, demonſtratio non eſt ſola concluſio, ergo non rectè dicitur tota demõſtratio faciens ſcire. Ratio majoris eſt quia principia non ſunt ſcita, nec reddunt ſcientem propriè ut hîc, ſed ſunt propriè intellecta & ex terminis nota. Minor autem adhuc eſt clarior, quia cùm demonſtratio ſit ſyllogiſmus debet cõſtare præmiſſis. Unde inſtaurari poteſt ratio ſic, ut hoc quod eſt reddere ſcientem ſit extra illam demonſtrationem, quia demonſtratio eſt ſyllogiſmus ut affirmatur in ipſa definitione, ſed ſyllogiſmus ſtat in præmiſſis. Reſpondeo: Diſtinguo majorẽ, quod reddit ſcientem formaliter eſt concluſio ſola ſine præmiſſis nego, adhibitis præmiſſis concedo, nã concluſio ſine illis non eſt diſcurſivè cognita, nedum ſcita; & prætetea ipſorum aſſenſus eſt qui facit aſſentiri concluſioni in qua proinde repetitur quodammodo aſſenſus præmiſſarum, atque ita omnes tres enunciationes reddunt ſcientem, & influunt in ipſam ſcientiam.

3. Objicitur tertiò: Enthymema reddit ſcientem, enthymema non eſt demonſtratio, ergo jam non ſola demonſtratio facit formaliter ſcientem. Majorem ſuprà probavi, ubi oſtendi enthymema eſſe veram ſpeciem argumentationis, atq; ita nihil deeſt ipſi niſi materia: ſi ergo enthymema fiat ex propoſitionibus per ſe, ſecundùm quod ipſum, quidni gignat ſcientiã ſicut ſyllogiſmus, quando conſtat tali materiâ? Quod totum confirmari poteſt inſtantiâ hujus: Homo eſt animal rationale, ergo riſibile: ibi enim adfertur cauſa & propoſitio, ſeu ſumptio eſt *per ſe* ſecundùm *quod ipſum*. Reſpõdeo ſuppoſitâ doctrinâ ſuprà traditâ quòd enthymema ſit formalis argumẽtatio, negari non poſſe aſſumptum; nego tamen conſequentiam quæ diceret concluſionem eſſe falſam, nam non eſt diffinita demonſtratio per reddere ſcientem, ſed per hoc quòd ſit ſyllogiſmus reddens ſcientem, enthymema autem etſi reddat ſcientem non tamen eſt ſyllogiſmus.

Dices non poſſe hanc explicationem ſubſiſtere: nam tum ſaltèm differentia demonſtrationis alteri conveniret, quod utiq; abſurdum eſt, quia ne quidem proprietas poteſt alteri convenire, aliàs non eſſet propria quanto minùs differentia? ſequela autem patet, quia differentia demonſtrationis eſt reddere ſcientém quod admiſimus cõpetere enthymemati, admitteremus etiam inductioni, ergo. Reſpondeo: Hoc ex illis eſt quæ probant ſpeciem infimam non habere differentiam unam ſimplicem, quæ reciprocetur cum ipſa, ſed reciprocari tantummodo complexum ex illa & aſſignato genere.

4. Altera definitio demonſtrationis apud Philoſophum ibidem eſt; quòd *ſit ſyllogiſmus ex primis, veris, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis*, quam item exiſtimo admitti poſſe pro bona, eſt enim quædam deſcriptio materiæ ex qua debeat conſtare demonſtratio, aut partium ejus, ſimilis illi quâ diceretur, homo eſt animal ex corpore organico & anima rationali conſtans. Hanc definitionem minutim examinare differo hinc, illud ſaltèm eſt certum apud authores

q òd

quòd complectatur ſolam demonſtrationem *propter quid*. Dubitari autem poteſt, an ſaltèm prima ſuprà poſita conveniat omni omnino, ſcilicet tam demonſtrationi *propter quid*, quàm demonſtrationi *quia*? communiter negatur.

4. Cenſeo tamen oppoſitum eſſe probabilius. Moveor, quia cognitio genita à demonſtratione *quia* eſt ſcientifica: ad quod oſtendendum præmitto hic tria genera demonſtrationum *quia* tradita ab Ariſtotele *cap. mihi 13. hujus lib. 1. Poſt.* ſcilicet ab effectu, à ſigno, à cauſa remota. Ab effectu eſt quando demonſtratur cauſa per aliquod emanans ab ea v. g. ſubjectum aut definitio per paſſionem, ut rationale per riſibile, vel eſſe prope in planetis per non - ſcintillare ſic: Quod non ſcintillat, eſt prope nos planetæ non ſcintillant ergo ſunt prope nos. A ſigno cenſetur iſta: Quod ſenſim aut circulariter illuminatur, eſt rotundum, luna circulariter illuminatur, ergo eſt rotunda. A cauſa remota denique eſt iſta: Omne reſpirans eſt animal, nullus lapis reſpirat, ergo nullus lapis eſt animal; quibus præmiſſis reſpondeo ad quæſtionem hic motam & ſimul ad aliam an demonſtratio ſit univoca utrique illi ſcilicet *quia* & *propter quid*.

5. Dico enim ad utramque affirmativè, quòd intelligi poſſit utraque definita eâdem primâ definitione, atque etiam utraque eſſe univocè demonſtratio, ſaltèm quoad aliquam ſpeciem demonſtrationis *quia*.

Probatio primi, quoniam etiam demonſtratio *quia* reddit ſcientem; ad quod oſtendendum accipio mihi tertiam & ultimam ſpeciem eius ſuprà poſitam; & de illa probo quòd reddat ſcientem, quia nimirum adfert cauſam; quod declaro in exemplo jam adducto paululum commutato: ſcilicet volo probare lapidem non reſpirare & arguo ſic: Quod non eſt animal non reſpirat, lapis non eſt animal, ergo lapis non reſpirat; hanc dico gignere ſcientiam, quia eſt per cauſam, revera enim cauſa cur lapis non reſpirat, eſt quia non eſt animal.

Dices cum Ariſtotele aliqua animalia eſſe, quæ non reſpirant, ut piſces, cujus cauſa eſt, quia non habent pulmones, ergo cauſa non reſpirandi non eſt, quòd non ſint animalia. Reſpondeo: Optimè probatur, quòd negatio animalitatis non ſit cauſa adæquata non reſpirandi, non autem evaditur per hæc quo minùs ſit cauſa: At verò nondum definitum eſt quòd ad veram demonſtrationem opporteat adferre adæquatam cauſam, quin communiter tenetur, quòd per omnia cauſarum genera fieri poſſit demonſtratio Albertus (*b*) ſolam finalem excludit, *Ariſt.* (c) autem nullam, certum eſt autem, quòd defectus animalitatis eſt cauſa cur deſit reſpiratio, quia animalitas ad reſpirationem ſine dubio concurrit, licèt non ſufficiat, niſi etiam adſit differentia aliqua ejus & inſtrumenta determinata. At verò ubi affirmatio eſt cauſa affirmationis negatio eſt cauſa negationis, ergo à primo ad ultimum demonſtratio quia aliquando adfert cauſam, quæ ratio probat alteram partem concluſionis, ſcilicet cenſeri poſſe has univocè eſſe demonſtrationes ſaltèm quoad aliquam ſpeciem. An verò quoad omnes omnino ſpecies, ſive clariùs, an demonſtratio ab effectu ſit univocè demonſtratio cum illa propter quid, & an ipſa *quia* ſeu ab effectu ſit vera ſpecies demonſtrationis, communiter negatur, & probatur ſatis valenter. Placet tamen oppoſitum hic aſtruere, quia hactenus non videtur ab antiquis tam efficaciter confirmatum.

(*b*) 1. *Poſter. tract.* 2. *cap.* 11.
(c) 2. *Phyſ. text.* 7. & 7. *Met. text.* 59 & 60.

6. Dico ergo pro nunc demonſtrationem *quia* etiam pro illa ſpecie ejus quæ procedit per effectum cenſeri poſſe veram demonſtrationem, & univocè talem cum illa *propter quid* quæ procedit per cauſam, non tamen æquè perfectam. Omitto rationes aliorum, adfero meam. In demonſtratione *quia* quæ & jam eſt ab effectu verè adfertur cauſa, ergo illa eſt univoca & perfecta ſimpliciter demonſtratio; quam conſequentiam concedent ſine dubio Adverſarii concluſionis; probo ergo antecedens, ſed interim

Objicio, ſi ita eſt, argumentum nihil efficere, nã ſi demonſtratio illa adfert cauſam, jam eſt *propter quid*; ſi autem propter quid, jam non *quia*, atque ita probavi tantùm id, quod illi concedunt, non verò concluſionem meam aut intentum. Reſpondeò tamen hæc nihil nocere, nempe loquor de illa, quam ipſi vocant à poſteriori ſeu ab effectu, & quæ verè talis eſt: Ac ne elabantur, aſſigno ipſum exemplum:

Omne riſibile eſt rationale,
Homo eſt riſibilis, ergo
rationalis.

Dico & probo hanc gignere ſcientiam, & adferre cauſam concluſionis: quia nimirum in concluſione adfirmatur unio prædicati cum ſubiecto, & hoc eſt propriè obiectum eius. At verò præmiſſæ illæ continent cauſam unionis prædicati concluſionis cum ſubiecto, ergo. Ad propoſitum eſt minor, quam ſic oſtendo: Ipſum riſibile exigit eſſe annexum rationali hoc autem eſt exigere unionem ſui cum ipſo, quæ in illa concluſione prædicatur, ergo iam medium aſſumptum in illo ſyllogiſmo ad probandum unionem prædicati concluſionis cum ſubiecto adfert veram cauſam eius, & quidem naturalem ac neceſſariam, methaphyſicam etiam.

Confirmo: Ipſa riſibilitas eſt paſſio, idque ſecundùm ſe, hoc eſt, à ſe habet eſſe paſſionem; at verò paſſio à ſe habet unionem ſeu exigentiam eius, nam paſſio habet *ineſſe* idque *ſemper*, ergo jam à primo ad ultimum paſſio eſt ſufficiens cauſa unionis; & cum illa ſit medium demonſtrationis *quia* & illatum in ea ſit unio, iam citra exceptionem adfertur in ea cauſa concluſionis illatæ.

Dixi tamen, & meritò non eſſe eam tam abſolutam demonſtrationem aut æquè perfectam, ac eſt *propter quid*, quia in demonſtratione propter quid adfertur cauſa non ſolùm unionis ſed ſubſtantiæ ipſius paſſionis quæ eſt ipſum quod plenè quietat intellectum.

Dices ſubiectum eſſe cauſam huius unionis, quia etiam ſubjectum exigit paſſionem uniri ſibi & cùm ſit prius paſſione prævenit eam ut influat in unionem illam ante paſſionem, atque adeo nihil relictum eſt paſſioni cauſandum. Reſpondeo: Neque ſubiectum ipſum cauſat efficienter unionem illam; paſſio enim identificatur ſubiecto & viciſſim, at vero nihil cauſare poteſt identificatum ſibi aut etiam identificationem. Secundò, ſi verum ſit, quod communiter dicimus unionem ſemper eſſe mutuam ſeu duplicem, tum ſubiectum cauſat unionem quæ ex parte eius eſt, paſſio autem illam quæ ex parte ſua eſt. Denique non repugnat hic eſſe plures uniones ſeu

ACTIO II.

Vtrum præmiſſæ demonſtrationis debeant eſſe notiores & evidentiores concluſione ejus, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Altera definitio demonſtrationis.* **Cur debeat eſſe** ex veris?
2. *Duplex exceſſus alicujus.*
3. *Præmiſſæ ſunt notiores, concluſione: probatum contra Recentes.*
4. *Probatur adhuc. Perfectiùs paucioribus eget.*
5. *Expenditur illud* : Propter quod unumque illud magis tale.
6. 7. *Objectiones Rec. exploſæ. An concluſum ex revelatis ſit revelatum?*
8. 9. *Alia objectio, an natura ſemper agat ſummè?*
10 *Eſſe aliquas concluſiones æquales in evidentia præmiſſis.*
11. *Quomodo hæc reſolutio non retractet reſolutionem num. 3.*
12. *Objectio unica diſſoluta. Concluſio an intra præmiſſas, necne?*

1 HOc eſt quoddam examen ſecundæ definitionis datæ à Philoſopho ſuprà, ſicut actio præcedens excurrit in examine prioris definitionis. Eſt autem ſecunda definitio, (quam etiam ſuprà retuli) quod demonſtratio ſit *ſyllogiſmus ex primis veris immediatis prioribus notioribus cauſisque concluſionis.* Cauſa, cur demonſtratio debeat eſſe ex *veris*, eſt quia nimirum concluſio demonſtrata debet eſſe veriſſima, at enim hæc ratio quæ communis eſt neſcio an ſufficiat, quia verum non ſolùm ex vero ſequi poteſt, ſed etiam ex falſo. Conantur quidem Logici hoc excuſare, ſed facillimus modus evadendi videtur eſſe ſi dicatur non eſſe quærendam rationem hujus cùm hoc ipſum ſit quoddam primò cognitum & definitivum rei; ſi enim definiam hominem v. g. quod ſit quid conſtans ex corpore taliter organico, & anima rationali: non debeo reddere rationem ullius horum. Ita hic, non eſt quærenda ratio cur demonſtratio debeat eſſe ex veris & multò minùs aſſignanda eſt ſuprà poſita, hic enim deſcribitur demonſtratio ut diſtinguitur à ſyllogiſmo communi, diſtinguitur autem per excellentiam materiæ ſeu propoſitionum ex quibus conſtat, non verò penes virtutem formæ à qua habet inferre verum non ſolùm ex alio vero, ſed etiam ex falſo adeóque.

Alia illa ſæpe coincidunt, nam quæ differentia inter *prima & priora*? inter *prima & immediata*? Itaq; unum ſelectum eſt, aut ut maximè, duo examinanda: an ſcilicet præmiſſæ demonſtrationis debeant eſſe notiores & evidentiores concluſione? evidentia idem eſt quod claritas, proinde quærere de evidentia eſt inquirere, utrū ex duobus ſit mihi manifeſtius? eo modo, quo clarius video res cum lumine magno quàm cum parvo, poſitia autem hic idem eſt ac adhærentia ſive aſſenſus, & quæritur, an magis aſſentiar præmiſſis, hoc eſt, an ferar in illas majori impetu intellectus quàm in concluſionem? Quo prænotato, ſciendum etiam eſt perpetuum ferè ſenſum antiquorum fuiſſe quod in hoc utroque genere præmiſſæ excederent concluſionem, in quo omnes Ariſtoteli ſubſcripſerunt. Recentes (a) tamen, inter alia hoc etiam innovare conati ſunt aſſerentes concluſionem eſſe æqualem præmiſſis quoad iſta; ſive utramque non eſſe certiorem concluſione.

(a) Pet. Hurt. *diſp.* 11. *log.* Fr. Oviedo *contr.* 1. Joann. Ariaga *diſp.* 16. Joann. Ponc. *diſp.* 21. ſ. 2.

2. Præmitto reſolutioni duplicem exceſſum aliquorum, ſcilicet & in re, & in modo: v. g. qualitas intenſior excedit remiſſam verâ re ſive aliquod gradibus, puta, quæ eſt, ut quatuor excedit illam quæ eſt ut duo duobus. In modo autem contingit exceſſus quando idem utrobique habetur, ſed nobilius ab una parte, quia unus habet illud non participatum, alter participatum, unus habet plenum dominium rei, alter non plenum ſed cum limite, & ſic de aliis; quibus etiam addi poſſet aliqua ſe invicem excedere poſſe perfectione ſpecificâ, & non ſolùm graduali, quod ita verum eſt ut poſſit magis graduale ſeu intenſum eſſe, quod minus eſt ſpecificè ſeu eſſentiali perfectione: ſic poſſem habere opinionem ut quatuor ſcientiam tantùm ut tria, quo caſu ſpecificè perfectior eſt ſcientia mea, gradualiter autem opinio; quibus præpoſitis.

3. Dico reſolutivè ſtandum eſſe antiquæ & Peripateticæ doctrinæ de exceſſu præmiſſarum in hoc genere, & tenendas ipſas notiores & evidentiores eſſe concluſione tam in re, quàm in modo. In hoc Scotus Ariſtotelem ſequutus eſt, alii Scotum.

Probatio de exceſſu quoad modum facilis eſt, utique enim nobiliori modo habet quis id, quod non alteri debet ſed ſibi; & ex duobus, quorum unus dat, alter accipit, honeſtior eſt conditio donantis quod etiam Chriſtus definivit (b) Atqui præmiſſæ hic dant, concluſiones accipiunt, adeòque.

(b) *act.* 20. *v.* 35.

Altera probatio reſolutionis: quia cognitiones principiorum ac concluſionis ſunt ſpecie diſtinctæ, erit ergo cognitio concluſionis aut perfectior cognitione principiorum aut imperfectior æqualis enim eſſe non poteſt, ut ſupponimus (c) *ſpecies enim ſunt ſicut numeri*) Atqui nec Adv. quidem audent præferre concluſionem utrique præmiſſæ, ergo præferenda eſt utraque præmiſſa concluſioni. Difficultas potiùs eſt in probando exceſſu reali ſeu graduali in præmiſſis ſuprà concluſiones, quod ſic præſto incipiendo ab evidentia.

(c) 10. *met.* t. 5.

Quod eſt propinquius lumini, eſt evidentius, principia ſunt propiora lumini naturali quàm concluſio, ergo. Major in aliis terminis eſt evidentiſſima ſi ſic formetur: quod eſt propinqui-

us

tus lumini, eſt magis luminoſum, ſed reſpondet Rec non prodeſſe exemplum, quia nimirum lux propter phyſicam localémque diſtantiam non poteſt agere æqualiter in tota ſua ſphæra; at verò intellectus non ſic diſtat, adeòq;. Ita ille: Et quis aliud cogitavit? poterat etiam reſpondere quòd lux ſolis v. g. ſit materialis, intellectus autem lux immaterialis. At quorſum? ſunt ergo diſparitates illæ, at non opportunæ huic argumento. In primis enim negari non poteſt quin aliqua ſint aliis magis propinqua lumini naturali intellectus; hoc eſt, aliqua quorum veritatem intellectus ſe ipſo id eſt innatâ virtute videt, alia non niſi reducantur ad priora illa. Sic omnes ſyllogiſmi duarum poſteriorum figurarum reducuntur ad primam, prima ad nullam. Confirmatur idipſum quia artificialia magis diſtant à principio naturali quàm naturalia ipſa ſine dubio; (atque adeò datur acceſſus & receſſus ſeu quædam propinquitas & diſtantia intentionalis ad intellectum) ſic logica naturalis ſine dubio magis accedit ad naturam potentiæ quà artificialis.

Alterum etiam hîc certum eſt, quòd intellectus quoque habeat ſuam ſphæram activitatis, nec poſſit in infinitum pergere ex quo provenit quod agit etiam uniformiter difformiter, ſeu vehementiùs in propinquam quàm in remotũ: ſic conſtat quod primis principiis expeditè & ſubito aſſentitur, concluſionibus autem non omnibus ſubito. Nam in moralibus per ſe notum eſt & ſtatim conceditur, quòd nemini irroganda ſit injuria. At verò hæc, quòd uſura non liceat; ſeu non liceat accipere aliquid ultra ſortem, non item, quia remotum valde eſt ab illo principio: ex quibus breviter patet efficacia argumenti facti, nam agens naturale quod habet definitam ſphæram vehementius agit in propinquum quam in remotum eo modo quod datur propinquitas & diſtantia reſpectu ejus; intellectus eſt naturale agens, & habet ſuam ſphæram, ergo, *&c.* quæ ſit prima ratio pro altera parte concluſionis, ſeu pro eo quod præmiſſæ ſunt notiores, ſive quod in eas feramur majori impetu ſeu conatu; uno verbo quod eis magis aſſentimur. Vnde

4. Probari poteſt idipſum ſecundò, quia, quod per ſe tale eſt, magis eſt tale quàm quod eſt per aliud tale, præmiſſæ ſunt per ſe notæ concluſio non. Sed per aliud ſcilicet per præmiſſas, ergo illæ ſunt notiores.

Dici poteſt majorem eſſe falſam. Si enim ponatur albedo ut ſex in ſuperficie, albedo erit diſgregativa viſûs per ſe, ſuperficies per aliud, & tamen non magis eſt diſgregativa albedo quam ſuperficies, nam utraque eſt ut ſex. Reſpondeo tamen non ſufficere hoc ad falſificandum majorem, quia mirum non eſt allata inſtantia duorum ut debuit, ſed unius (quod non poteſt ad ſe comparari) una enim diſgregativitas eſt in albedine & in ſubjecto ejus; ſi autem acciperentur duo habentia diverſas noſcibilitates, utique quod eſt per ſe notum notius eſt alio cujus cognoſcibilitas non eſſet per ſe, & omnes concedunt hoc: Quodlibet eſt vel non eſt. Sive: Nihil idem poteſt ſimul eſſe & non eſſe, notius eſſe quàm alias concluſiones particularium ſcientiarum, quia illud ex terminis notum eſt, aliæ per illud, omnes enim eò reducuntur & innituntur ei. Confirmo: Quod pluribus eget, minùs perfectũ eſt, concluſio pluribus eget: ergo minus perfecta eſt, nam principia nullius indigent ad aſſenſum, concluſio autem indiget præmiſſis, & præterea alio ſcilicet bonitate conſequentiæ cognitâ. Vnde ſic poſſumus arguere, quod reducendum eſt ad aliud ut fiat evidens & notum utique imperfectius eſt illo quod non debet ad quidpiam reduci, ſive eo, ad quod ipſum reducitur; concluſio debet reduci non ſolùm ad præmiſſas ſuas, ſed ad principia alia, quibus vis ſyllogiſmi innititur, ergo. Arguatur etiam ſic: Quod pluribus diſcurſibus eget minùs notum eſt eo, quod paucioribus & eo quod nullo indiget; omnis concluſio eget diſcurſu quo probetur valor formæ ſeu bonitas conſequentiæ, & non ſolùm diſcurſu illius ſyllogiſmi cujus ipſa eſt concluſio, ergo.

5. Denique arguatur ex illo Ph. *Propter quod unumquodque* ſic: Quod movet ad aliud ſive faciendum ſive aſſentiendum, huic, inquam, magis adhæret potentia, quàm ei, ad quod movetur per ipſum: Præmiſſæ movent ad aſſenſum concluſionis, ergo magis adhæret intellectus præmiſſis quàm concluſioni. Confirmari poteſt inſtantia duorum ſe amantium, harum uni ſi occurrat filius vel ſervus alterius, amabit illum propter patrem, non tamen amabit tantum quantum ipſum patrem. Sed ſimiliter intellectus aſſentitur concluſioni propter præmiſſas, ergo ipſis præmiſſis magis. Idem eſt in fine & mediis, nam nunquam amatur medium tantum quantum finis. Sed ſemper paulò minùs quàm finis, quia amatur propter finem ergo nunquam aſſentitur intellectus tantopere concluſioni quantum mediis, ſed ſemper minus quàm mediis. Libet confirmare totum in primis confeſſione omnium, ſicut enim ſe habet finis in practicis, ita principia in ſpeculativis, & ſine dubio ècontra, ergo ſicut finis magis amatur in practicis, ita principia, in ſpeculativis. Deinde applico huic rei rationem qua logici communiter conantur perſuadere valorem conſequentiæ & veritatem concluſionis, quia ſcilicet niſi ſit vera concluſio ſequitur, nec præmiſſas fuiſſe veras: at ita ſimiliter hic ſequitur, qui enim nõ vult media, convincitur nec etiam voluiſſe finem efficaciter, ergo jam eſt omnis omnino paritas.

Hæc congeſſi in favorem axiomatis tam diu in ſcholis recepti. Re autem verà exiſtimo illud non ſufficere concluſioni atque adeo Ariſtotelem non rectè intuliſſe præſentem veritatem ex illo. Moveor, quia non propter ſola principia aut ſolas præmiſſas intellectus aſſentitur concluſioni ſed propter ipſa, ſimul & propter formam ſyllogiſticam atque adeo ſolum colligitur ex illo axiomate quòd ſit exceſſus evidentiæ in aggregato ex præmiſſis & forma ſyllogiſtica ſeu principiis quibus nititur ſuprà concluſionem ſeu conſequens ſyllogiſmi: At enim hoc ipſum negant Adverſarii concluſionis, volunt enim concluſionem eſſe æquè notam ac eſt ulla veritas aut etiam aggregatum veritatis. Et revera replica à me facta non videtur tam certò morari curſum argumenti nam duo principia fortaſſe non ſunt magis nota quàm unum, quũ quodlibet unum, ſi ſit primum principium aut dignitas ut vocant, ſit per ſe & ex terminis notum quo non poteſt dari major evidentia. Audiamus ipſos.

6. Objiciunt autem primo ſic: In concluſione judicamus duo eſſe unum inter ſe, ſubjectum ſcilicet & prædicatum, quia in præmiſſis judicavimus illa eſſe idem uni tertio, ſcilicet medio, ergo

ergo tam certi ſumus de concluſione, quá de præmiſſis, quia nimirum unio extremorum concluſionis eadē eſt cum unione extremorum ad medium. Reſpondeo: Miror hunc Recentem ſic diſcurrere de diſcurſu, ſi enim res ſit ut ipſe imaginatur jam concluſio ſyllogiſtica non eſt diſcurſiva, quod eſt contra omnes & meritò, pugnat enim principiis phyſicis & logicis Sequelam tamen oſtendo promptè quia nimirum ſecundùm hunc cognitio concluſionis eſt cognitio præmiſſarum ſeu principiorum, certum eſt autem, quòd cognitio principiorum non ſit diſcurſiva ergo. In forma ergo nego conſequentiam & probationem ejus

7 Objiciunt ſecundo: Concluſio deducta ex duobus principiis revelatis eſt æq; certa ac ipſa principia, quia etiam illa concluſio eſt de fide, ergo non ſemper principia cognitionis excedunt ipſam. Reſpondeo etiam hic negando iterum aſſumptum & probationem ejus: nego ergo Recentibus concluſionem deductam ex creditis eſſe creditam aut credendam, verbo, nego illam eſſe de fide. Dices illam eſſe revelatam, omne autem tale eſt de fide: Quod ſit revelata, videtur ſic evinci, qui enim revelat immediatè duo principia, revelat etiā concluſionem illorum. Sed fruſtra hæc adferunt: nego enim omnia, nego illam eſſe revelatam, nego revelantem duas præmiſſas revelare conſequens, inde; & breviter aſſigno omnium rationem, quia nimirum cauſa concluſionis non ſunt ſola principia ſeu præmiſſæ ſed etiam forma ſyllogiſtica, adeòq; adhoc ut concluſio eſſet de fide & revelata opporteret ut non ſolùm præmiſſæ ſed etiam forma ſyllogiſtica eſſet revelata; nondum autem compertum eſt quod forma ſyllogiſtica ſit divinit⁹ revelata adeòque. Imo nequidem ſi revelaretur ſufficeret quia adhuc concluſio ſequens non eſſet revelata nam etiam tunc concluſio non eſſet forma ſyllogiſtica, ſed aliud, ſcilicet exercitium ejus, adeòque

8. Objicies: In proceſſu fidei divinæ non magis credimus præmiſſis quàm concluſioni, ergo neq; noſtra reſolutio eſt univerſaliter vera, neq; axioma illud Ariſt. propter quod unumquodq; illud magis tale Patet antecedens, quia quando credo aliquid propter revelationem divinā aut quia Deus dixit non magis credo revelationem quā illud aliquid, ſive non certior ſum de eo quòd De⁹ hoc dixerit, quàm quod myſterium creditum in ſe ſit verum; cujus ratio in promptu eſt quia aſſenſus fidei quum ſit ſummus non poteſt credi, adeòq; nullus aſſenſus fidei eſt alio certior. Reſpondeo primò in proceſſu fidei non eſſe præmiſſas & concluſionem (adeòq; illum non facere ad propoſitū hujus loci) quia fides divina non eſt diſcurſiva. Reſpondeo ſecundò, etſi fides non ſit diſcurſiva, tamen habere ſuum propter quid, ſive rationem formalem aſſenſus, & hanc eſſe credenti certiorē quam creditum ob ipſam. Non tamen ratio eſt quam imaginantur Recentes putà revelatio myſterii, ſed eſt ipſa veracitas divina, quam ſi dicam magis credi, ſive intellectum credentis plus adhærere ei aut exiſtentiæ eius quàm exiſtentiæ myſterii crediti, non vincar ratione 126. argumento adductâ, putà quia act⁹ fidei ſunt omnes ſummæ certitudinis. In primis enim hoc ipſū non eſt ſummè certum, ſcilicet actus fidei eſſe ſummè certos ergo jā non repugnat actum fidei excedi. Si autē non repugnat excedi quare repugnabit eum ab alio ſuæ ſpeciei quaſi accidentaliter excedi, ſicut intra omnē ſpeciem datur magis & minùs? Ex quo vides, quā fruſtra intulerint Rec. tanquā abſurdum quod concluſio illata ex duab⁹ propoſitionib. revelatis non eſſet de fide eo quod excederetur à præmiſſis revelatis, nā ſive excedatur ſive nō, adhuc illa non eſt de fide, ut ſuprà evici. Et præterea poſito quod eſſet de fide nō eſt repugnantia ulla quod excedatur ab alia de fide, dū modo omnes credantur eſſe tales ut repugnet iis ſubeſſe falsū quod bene ſtare poteſt cum exceſſu, quia un⁹ poteſt magis alio repugnare. Cæterùm quod nominatim in actib⁹ fidei poſſit eſſe exceſſus ſuadeo ſic quoniam qui haberet evidentiā in atteſtante, ut vocant, multò certiùs crederet quam qui non, & tamen ſecundum pleroſque evidentia atteſtantis poteſt ſtare cum fide, ergo

9. Objicies ultimo: Cauſæ naturales agunt ad ultimum ſuum, ſive quantum poſſunt; præmiſſæ ſunt cauſæ naturales, ergo agunt, ut poſſunt; poſſunt autem producere certitudinem & evidentiā tantam quantam habent, non enim requiritur maior virtus in cauſa quàm in effectu, ſed ſufficit æqualis, ergo iam communicant æqualem evidentiam & certitudinem concluſioni quantam ipſæ continent, quod eſt negatum. Reſpondeo: Cauſa naturalis nō poteſt ſemper æquare ſibi effectum, nam intra ſphæram ſuæ activitatis debet remiſſius agere in remota ut patet in igne & ſole ratione caloris & luminis; minus enim illuminatur & minus calefit quod procul eſt ab agente quàm quod propè, atque adeò minor illa univerſaliter eſt falſa.

Inſtari tamen poteſt nec malè ſic: Poteſt cauſa naturalis in propinqua aut ſaltèm in proxima agere actione æquali ſuæ virtuti, ſed concluſio eſt proxima præmiſſis, ergo poſſunt præmiſſæ communicare ei tantum quantum habent, ſi autem poſſunt debent, quia ſunt neceſſariæ in agendo, ergo à primo ad ultimum dant hoc illæ, atque ita ſaltèm prima concluſio illata ex præmiſſis demonſtrationis tam evidens eſt quàm ipſa, quod tamen eſt oppoſitum concluſionis. Reſponderi poteſt primò, diſtinguendo majorem poteſt cauſa naturalis, univoca concedo, æquivoca negatur; tales autem ſunt præmiſſæ reſpectu concluſionis, quæ eſt diverſæ ſpeciei à præmiſſis. Valeat quantum poteſt ſolutio; non deeſt quod contradicatur: quamvis enim concluſio ſit diverſæ ſpeciei, à principio eò quod illa ſit cognitio diſcurſiva hæc non, tamen evidentia & certitudo non neceſſario eſt diverſæ ſpeciei ſed poteſt eſſe unius; ſic enim videmus quod ſol & ignis ejuſdem ſpeciei lumen aſpergunt diverſæ ſpeciei objectis, v.g. aëri, aquæ, mixtis. Vnde reſponderi aliter poteſt ad minorem negando eam, quia nimirum inter maiorem ſeu primam præmiſſam & concluſionem mediat minor ſeu ſecunda præmiſſa, adeòque concluſio non eſt immediata primæ præmiſſæ. Licèt autem ſit proxima ſecundæ tamen una ſola non ſufficit inferre concluſionem ſyllogiſmi. Breviùs dici poteſt concluſionem non eſſe capacem tantæ evidentiæ, quia nimirum ſumma evidentia non poteſt eſſe niſi in iis enunciationibus quæ carent medio, concluſio autem ſemper habet medium ſive cauſam connexionis ſubjecti ſui ad prædicatum, quia ſe ipſis non conjunguntur, ergo. Alia minoris ſucci legi poſſunt apud juniorem citatum, omnibus non obſtantibus videtur.

10. Dicendum, quod aliquæ concluſiones eti ã in demonſtrationibus à priori & propter quid æqualis evidentiæ cum ſuis præmiſſis. Oſtendo dictum exemplo: fiat enim iſta demonſtratio in regali modo Darii: omne totum eſt maius ſui parte: palmus eſt quoddam totum, ergo palmus eſt maior ſui parte: vel ad maiorem evidentiã ſubſumatur minor ſic: hoc totum eſt totum, ergo hoc totum eſt maius parte: dico hanc concluſionem eſſe æqualem in certitudine & evidentia præmiſſis quia nimirum paſſio immediatè etiam ineſt huic toti, & conſequenter prædicatũ concluſionis immediatè ineſt ſubiecto eius, adeòq; ipſa eſt per ſe, ſeu ex terminis nota, non minùs quàm præmiſſæ; non poſſunt autem aut præmiſſæ aut alia ulla eſſe evidentiora aut certiora quã ut fiat ex ſe & ex terminis talis, ergo. Itaq; quod præmiſſæ excedunt concluſiones tunc eſt verum quando paſſio illata prius convenit medio quã extremitati; ſic riſibile de Petro prædicatũ in hoc ſyllogiſmo: Omnis homo eſt riſibilis, Petr⁹ eſt homo, ergo riſibilis: non eſt per ſe notum, quia riſibilitas non convenit primò Petro, ſed primo convenit homini ſeu naturæ ſpecificæ, & ratione ejus Petro, at verò excedere partẽ convenit cuilibet toti. Dices: Convenit quidem ei, ſed ratione totius ut ſic. Nego hoc ſed convenit ei ratione ſui etiam, nec hoc ſolum ſed alia quæcunq; principia primò prima quæ ambiunt totum gen⁹ entis conveniunt proximè cuilibet ſuppoſito entis v.g. Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, dico contradictionem immediatã eſſe ſi ego ſimul eſſem & non eſſem, nec eſſe neceſſe aſcendere ad ens ut ſic, ſed tam impoſſibile eſſe hoc ens ſimul habere eſſe & non eſſe quàm ens ut ſic.

Itaq; in quibusdã principiis ſubiecta ſupponunt ſimpliciter, in aliis ſupponunt perſonaliter, aut ſaltèm tam ſimpliciter, quàm perſonaliter, ſive utroq; modo ſimul. In principiis particularium ſcientiarum ſubiecta ut plurimum ſupponunt ſimpliciter v.g. in hac: Homo eſt riſibilis, nam riſibilitas primò emanat à natura ſpecifica hominis, & perſonis aut individuis eius nõ competit immediatè, ſed mediã naturã communi. In aliis, qualiã ſunt methaphyſica illa ſuprà aſſignata, non item ſed ſupponunt tã perſonaliter quàm ſimpliciter, quia æq; repugnat ut dixi hoc ens puta formicam ſimul eſſe & non eſſe quàm ſubſtantiam aut ens ut ſic ſimul eſſe & non eſſe.

11. Non tamen per hoc retractavi concluſionem principalem ſuprà poſitã de exceſſu præmiſſarũ ſupra concluſionem, nam etiã de his ipſis tenendum eſt, quod quãdo demonſtrantur à priori per præmiſſas, quòd, inquam, minus certæ ſunt quã præmiſſæ: quod intelligendum eſt de illis ut concluſiones, non verò ut enunciationes ſunt, quia ut cõcluſiones ſunt, accipiunt ſuã veritatem & evidentiã à præmiſſis, & concipiuntur ſive menſurantur ſecundùm veritatem quã tunc ab alio accipiunt, non verò ſecundùm illam, quã ex ſe habent. Suadeo ampliùs idipſum, quia quando fit demonſtratio à poſteriori, & accipitur paſſio demõſtrata ad concludendam eſſentiã ſubjecti, concluſio (quæ tum eſt primũ principium) ſecundùm ſe notius & evidentius eſt quã præmiſſæ, non tamen ut ibi ſumitur, quia ibi tantum ſecundùm evidentiam quam accipit à præmiſſis. Supereſt hæc una

12. Obiectio contra principalẽ concluſionem: tã certum eſt Petrum eſſe riſibilem, quã omnem hominem eſſe riſibilem, & Petrum eſſe hominẽ: hæc duo ultima ſunt præmiſſæ; & prima illa ſcilicet, Petrum eſſe riſibilem, eſt concluſio ergo jã non magis certæ ſunt præmiſſæ demonſtrationis quã concluſio. Reſpondeo hæc Petrus eſt riſibilis in eo caſu, aut accipitur tanquã aliquid præmiſſarum ſive ut aliquid enunciatum in ipſis, & nominatim in illa minori; ut accipitur tanquã alia veritas diſtincta ab illis duabus; quocunq; autẽ modo accipiatur argumentum nihil nocet concluſioni; nã ſi accipiatur tanquã aliquid præmiſſarum, licèt ſit æq; notum non proinde concluſio erit æq; nota, quia concluſio non eſt ulla præmiſſarum. Si autem accipiatur, ut enunciatio diſtincta, tum non eſt æq; notum, ſed minus quia notitia ei⁹ oritur à notitia præmiſſarum, & eſt tantum mediata quum notitia præmiſſarum ſit immediata.

ACTIO III.

De medio demonſtrationis.

Breviarium.

N. 1. *Tria genera cauſarum poſſunt eſſe media in demonſtratione.*
2. *Objectio. Cur excludatur efficiens.*
3. *Definitiones ſive ſubjectorum ſive paßionum non nimis apta media demonſtrationis.*
4. *Ratio altera hujus. Definitio & definitum objectivè indiſtincta.*
5. 6. *Tertia & quarta probatio ejusdem. An in hujusmodi præmiſſæ ſint immediatæ?*
7. *Vtraq; demonſtratio pænè par, abſolutè autẽ potißima eſt illa, qua pro medio utitur def. ſubjecti.*
8. *Particularis defectus notatus in demonſtratione per definitionem paßionis.*
9. *Cauſa efficiens mediũ demonſtrationis ſed metaphyſica. Potißima demonſtratio non eſt de paßione ſpeciei atomæ.*

1. LOquor de demonſtratione *propter quid*, in qua ſola cauſa eſt medium, ut vidimus, & quæro quæ cauſa debeat & poſſit ei adeſſe? ad quod breviter reſpondeo &

Dico ex tribus generibus cauſarum ſingula poſſe eſſe ei medium ſcilicet finalem, formalem & materialem. Probo breviter per ſingulas, nam ſingulæ ex his poſſunt habere neceſſariam connexionem cum aliquo prædicato in ſubjecto, adeòque illud prædicatum poteſt per ipſam quæcunque ſit, demonſtrari. Do exempla ſingulorum, & demonſtro intellectum ac voluntatem de homine per beatitudinem quæ eſt cauſa finalis, ſic: Omne ordinatum à natura ad beatitudinem debet eſſe præditum intellectu & voluntate; Homo eſt ordinatus ad beatudinem, ergo præditus intellectu & voluntate. Ratio autem majoris ulterior eſt, quia beatitudo ipſa conſiſtit in viſione & fruitione quæ ſunt intellectio & amor. Per materialem cauſam poteſt de compoſito demonſtrari corruptibilitas, quod enim conſtat partibus ſeparabilibus, eſt corruptibile, omne materiale ſic conſtat, quia materia eſt ſeparabilis ab omni forma,

& con-

Digitized by Google

& conſequenter forma etiam ab ipſa, ergo. Denique de forma eſt res clariſſima: omitto ergo eam, & oſtendo, cur omiſerim efficientem, quia nimirum nullum efficiens habet neceſſariam connexionem cum effectu, adeòque nullum tale eſt ſufficiens medium, *&c.* Antecedens oſtendo, quia aut efficiens eſt tale, ut effectus habeat naturalem connexionem cum ipſo ſic, ut, quando illud agit, effectus non poſſit non ſequi, & tum efficiens non habet neceſſariam connexionem cum effectu, aut vice verſâ efficiens habet naturalem connexionem cum effectu, ſed effectus non habet talem connexionem cum efficiente, atque adeò à primo ad ultimum nullum efficiens habet abſolutè neceſſariam connexionem cum effectu. Exempla ſeu inſtantiæ horum ſunt efficiens creatum & increatum; cauſa prima & ſecunda, nam efficiens creatum habet quidem ex ſe naturalem connexionem cum effectu, at non effectus cum ipſo, poteſt enim impediri; v.g. talis conjunctio ſtellarum habet connexionem cum peſtilentia eo anno, ſed impediri poteſt ab agente ſuperiori & increato. Ipſum autem agens increatum non quidem poteſt, & effectus habet neceſſariam connexionem cum ipſo, ita ut, quando illud incipit agere, effectus debeat neceſſariò ſequi; at verò illud agens non habet neceſſariam connexionem cum effectu nec cum efficientia ejus; ſed eſt liberum, adeòque à primo ad ultimum nullum efficiens neceſſariò conjunctum eſt cum effectu, & proinde non eſt aptum ad eum demonſtrandum.

2. Dices potiùs verum eſſe, quòd utrumque efficiens habet neceſſariam connexionem cum effectu, nam ſi accipiantur in actu ſecundo ſive cum actuali efficientia, ſunt inſeparabilia ab effectu, ergo oppoſitum concluſionis abſolutè eſt verum. Reſpondeo; utrumque acceptum in actu ſecundo habet neceſſariam connexionem cum effectu, ſed illa connexio non eſt à cauſa, ſed à cauſalitate, adeòque ſtat adhuc, quòd nulla cauſa deficiens aſſumi poſſit pro medio demonſtrationis, licèt aliqua cauſalitas poſſit. Confirmo & oſtendo ineptiam hujus viæ, quam tamen multi ſequuntur; nam ſi connexio illa cauſalitatis ſeu efficientiæ cum effectu poſſit ſufficere demonſtrationi, tum demonſtratio poſſet fieri per accidentia etiam communia rei, quod tamen plus quàm falſum eſt, tum quia accidentia non ſunt neceſſaria; tum quia, etſi forent, non ſunt cauſæ: ſequelam oſtendo, quia ſimilitudo unius ad aliud habet neceſſariiſſimam connexionem cum hoc & alio, & tamen eſt accidens commune. A fortiori unio partium totius habet neceſſariam connexionem cum toto, & illa tamen neque totum eſt, neque pars, & alia ſexcenta.

Hæc tamen dicta de efficienti & excluſione ejus a medio demonſtrationis accipienda ſunt de efficiente phyſico, non verò de metaphyſico ſeu de efficiente per emanationem; per hujuſmodi enim efficiens poteſt benefieri demonſtratio, ut infrà, imò ferè per ipſum ſolam, de quo tamen litigant Logici, ſed aliis terminis, nempe diſputatur acriter, quodnam ſit præſtantius medium demonſtrationis? ſive (ut ipſi loquuntur) quodnam ſit medium in demonſtratione potiſſima? In quo duas video ſententias magis celebratas, una aſſignat deffinitionem ſubjecti, altera deffinitionem paſſionis, quam litem ut dirimam, ſtatuo in primis D. N, à nulla parte fixè aut determinatè ſtare, nam non ſolùm aliquando præfert unum ex duobus illis, ut in ſecundo *d. 3*. ſed alibi ut 7. *Met.* præfert aliquod diverſum ab utroque, dicit enim potiſſimam demonſtrationem fieri per finem & 2. *Poſt. q.* 5. admittit demonſtrationem bene fieri poſſe per deffinitionem paſſionis, quod tamen Scotiſtæ negare habent, illi ſcilicet, qui tuentur cum in potiſſima demonſtratione admittere ſolius ſubjecti deffinitionem. Itaque ſtatuenda eſt ipſa rei veritas, non enim in hac materia Doctor cogit nos quòpiam declinare, & id ipſum obſervare licet in Ariſt. nam modò dicit *deffinitionem majoris extremi eſſe medium* conſtat autem majus extremum eſſe paſſionem, aliàs autem præfert in hoc genere ſubjectum, & vocat majus extremum id, *cujus medium eſt cauſa*; minus autem extremum id, *cui medium eſt cauſa*, intellige, ut illi inſit paſſio, at verò ſic eſt, quòd deffinitio ſubjecti ſit cauſa, cur illi inſit paſſio, ergo jam apud ipſum deffinitio ſubjecti erit medium in demonſtratione. Ita uterque horum reliquit nobis liberum campum, quòd veriſimilius eſſet definiendi: unde, ut exprimam, quod ſentio.

3. Dico inprimis neutram definitionem mihi ſummè probari pro medio Demonſtrationis. Pro hac poſſumus Ariſtotelem citare, quia modò unam, modò aliam definitionem deprimit ſeu removet à medio demonſtrationis; infra eum directe hoc dicentem adducam.

Adduco autem hic rationem, quia, qui negat aliquid de ſubjecto, non convincetur per definitionem ſubjecti, ſi enim negem alicui hominem dormire, negabo ei animal rationale dormire. Similiter ad probandum riſibilitatem ineſſe homini fruſtra aſſumetur, quòd principium riſûs inſit homini, qui enim negabit mihi riſibilitatem ei convenire, negabit etiam principium riſûs convenire ei, atque ita ad inferendam paſſionem fruſtra aſſumitur definitio ipſius paſſionis, adeòque à primo ad ultimum definitiones utrobique ſunt ineptæ ad media demonſtrationum.

Hoc argumentum, fateor, aliquando mihi arriſit, ſed demum deprædhendi ipſum evadi poſſe, nam, quod ego aſſumpſi contra definitionem ſubjecti, fuit accidens commune, ſcilicet dormire, quod accidens non ſequitur connaturaliter aut ad ſubjectum, aut ad definitionem ejus. Si autem aſſumatur accidens proprium, ruet illa probatio, qui enim negat illud de ſubjecto, convincetur per definitionem ſubjecti. Sit exemplum, negat aliquis continuum eſſe diviſibile, convincitur aſſumendo hanc deſcriptionem ejus, quòd ſcilicet ſit quidpiam habens partes, clarum eſt enim omne habens partes eſſe diviſibile in ipſas, & ſimiliter luna bene probatur tali tempore paſſura eclipſin, quia eo tempore terra interponetur inter ipſam & ſolem, quæ oratio eſt definitio ipſius eclipſis, adeòque deſerviunt aliquando definitiones tam ſubjecti, quàm paſſionum.

4. Vtor ergo hâc alterâ: Quia demonſtratio eſt præſtantiſſimus ſyllogiſm⁹, & illa, de qua agimus, potiſſima demonſtratio, adeòq debet habere optima quæque in hoc genere, & quâ longiſſimè abeſſe ab omni defectu, ex quo ſequitur, quòd debeat niti ipſâ re & nullatenus inventionibus aut quaſi fictionibus intellectûs. At verò demonſtratio, in qua aſſumitur pro medio definitio ſive ſubjecti, ſive paſſionis, non ita ſe habet, ſive non

Digitized by Google

reſpondent ipſi res extra ſicut formatur ad intrà per omnia, ergo. Vis eſt in minori, quam proinde ſic oſtendo: In demonſtratione qua aſſumitur pro medio definitio ſubiecti ipſa & ſubiectū ſunt duo termini & ſimiliter in demonſtratione, in qua aſſumitur definitio paſſionis pro medio, ipſa paſſio eſt unus terminus, & definitio eius eſt alius. At verò in re extrà non ita eſt, ſive paſſio & ſua definitio non eſt aliud & aliud, nec item ſubjectum & ſua v. g. in me non ſunt duo, quorum unū ſit homo & aliud animal rationale, ſed eſt unum quod eſt homo & animal rationale: & ſimiliter non ſunt in me plura quorum unum ſit riſibilitas, & alterum ſit vis ridendi, ſed eſt unum quidquod dicitur riſibilitas & eſt principium ridendi, & ſic de cæteris, ergo jam oratio in qua hæc duo reſpectivè aſſumuntur hinc inde ut plura, non eſt reb⁹ ipſis conformis, ſed nititur inventioni & quaſi fictioni intellectûs diſtinguentis illa quæ idem ſunt pro ſua commoditate, quia ſcilicet concept⁹ confuſus apud ipſum difficilior eſt conceptu diſtinctio ejuſdē propter quod utitur hoc pro medio ad illud. Explico adhuc difficultatē: Demonſtratio parit ſcientiam quæ eſt præſtantiſſima cognitio rerum, at verò non eſt præſtantiſſima illa quæ non reſpondet rebus ſive quæ non aſſequitur ipſas ut in ſe ſunt. Non aſſequuntur iſtæ ut iā oſtendi, iſte, inquam, quæ utuntur definitionib⁹: quodlibet oſtendere per ipsā definitionē demonſtrationis; hæc enim ut conſtat ex phil. citato debet eſſe ex veris; atqui demonſtrationes illæ per media definitionum nō ſunt ex veris, veritas enim conſiſtit in conformitate ſignorum cum rebus, atqui hic non confirmantur ſigna rebus nam conceptus mentis, & multò clarius voces & ſcripturæ aſſumunt plura quum in re non ſint tot, adeóq; non ſunt vera. Confirmo nam ex confeſſione ipſorum Adv. hic tantum eſt idem diverſo modo ſumptum; ſi autem liceat multiplicare res penes diverſitatem modorum eiusmodi non ſolùm erit alius terminus à definito, ſed erit bis alius nam ſi animal rationale eſt aliud ab homine ſecundum ſe, dico etiā rationale animal eſſe aliud, ab utroq; quia item dicit idipſum aliter, quod ſuadeo exemplo modi indirecti v. g. Baralipton, hic enim eſt alius modus à Barbara & tamen differt penes indirectam concluſionem tantùm.

5. Tertia probatio hujus: Quia, ſi definitio cenſendus ſit alius terminus à definito ut uſurpare conantur Adv. ſequitur *quod quid eſt* poſſe probari contra Ariſtotelem, & rationem, quam magis exprimam dicendo, hinc ſequi quòd eſſentia rei poſſet de eo probari aut demonſtrari, hoc enim certiſſimè eſt falſum, cùm eſſentia ſit primùm in rè qualibet adeóq; non admittat probationem à priori; de illa autem loquor in argumento, & probo ſequelam ſic: Nam ſi aliud ſit animal rationale, & aliud homo, & animal rationale non ſolùm ſit diverſum ab homine ſed etiam prius eo, potero de aliquo probare quod ſit homo idq; à priori aſſumendo hoc medium, animal rationale, in hunc modum: Omne animal rationale eſt homo, Petrus eſt animal rationale, ergo Petrus eſt homo; Ecce homo quod eſt eſſentiale Petro, imo tota eſſentia eius demonſtratum à priori de ipſo contra hæc principia.

6. Quarto argumento contra hunc modum, & oſtendo neutram demonſtrationem eſſe potiſſimam, quod accipe bonâ veniâ antiquiorum; arguo autē ſic. Potiſſima demonſtratio ut conſtat ex ipſo nomine, eſt illa, cui quàm maximè adſunt omnes partes bonæ demonſtrationis, at non poſſunt adeſſe omnes omnino ei cui⁹ mediū eſt definitio ſive ſubjecti ſive paſſionis quod ſic ſuadeo: Ex partibus ſive prædicatis bonæ demonſtrationis eſt ut propoſitiones ſeu aſſumptiones ejus ſunt immediatæ, non poſſunt autē aſſumptiones omnes illius demonſtrationis eſſe immediatæ, cujus mediū eſt definitio ſive paſſionis ſive ſubjecti, quod probabo aſſumendo ipſas demonſtrationes, nam per definitionem ſubjecti eſt iſta:

Omne animal rationale eſt riſibile,
Omnis homo eſt animal rationale, ergo
Omnis homo eſt riſibilis,

& tamen in hac aſſumptiones omnes non ſunt immediatæ, major enim habet medium, nā animal rationale non immediatè conjungitur riſibili, ſed immediatè homini & poſt hominem riſibili. Et enim duo illa primo faciunt ſpeciem, & à ſpecie emanat paſſio, non enim credendum eſt, quod ad animal rationale ſtatim immediatè ſequatur riſibile, & deinde homo ſed primo homo & deinde primùm riſibile adq; adeò non immediatè cōjungitur definitio paſſioni, mediat enim ſubiectum propter quod manifeſtè in huiusmodi maior non eſt immediata. Jam ſi ad evitandum hoc incommodum utar demonſtratione in qua medium eſt definitio paſſionis, relabor in idem incommodum, ut patebit etiam exemplo, ſit enim definitio riſus pro nunc A. (nam revera illa *habens principium riſus* eſt tantum quid nominis illius) & ſic arguatur:

Omne A. eſt riſibile,
Omne animal rationale eſt A. ergo
Omne animal rationale eſt riſibile,

hic etiā redit error prioris, nam minor eſt mediata, cuj⁹ probatio allata eſt in præcedenti, eſt enim ferè hic eadem minor quæ in præcedenti fuit major; ſaltèm eadem ratio militat contra utramq; ſive oſtendit quod neutra ſit immediata, ergo.

Fateor tamen minùs incurritur hoc vitiū in demonſtratione, cuius medium eſt definitio paſſionis, quia loco minoris poſitæ poteſt alia ſubſumi, in qua ipſum ſubjectū & non definitio eius aſſumeretur, ſic dicendo in ſyllogiſmo poſito: Omnis homo eſt A. ſive, habet principium ridendi quo facto minor eſſet immediata.

Confirmo totum Ariſt. qui 8. *Top.* docet probationē alicuj⁹ de ſubiecto per definitionē eius inter petitiones principii eſſe computandā, adeòq; neutra demonſtratio Ariſt. probatur, tantum abeſt ut ſint illi potiſſimæ. Mille gloſſas adhibent Peripatetici huic loco, ſed ſunt violentæ, aliquas infrà refutabo. Interim optima eſt illa Scoti noſtri in præſenti dicentis id eſſe verum quando notius eſt paſſionem convenire ſubiecto quam definitioni, aliàs non: ſed ſit ita, adhuc habeo quòd ſaltèm abſolutè loquendo non liceat aſſumere diffinitionem pro medio.

7. Dico deinde poſſe fieri demonſtrationem per definitionem paſſionis ſicut per definitionē ſubiecti, quæ demonſtrationes habent ſe ſicut excedens & exceſſum: abſolutè tamen videri demonſtrationem ex definitione ſubiecti præferendā. Concluſio habet tres partes, primā videntur negare Scotiſtæ aliqui, ſed eā affirmat Scotus. Verba eius ſunt: *Intelligendū tamen quòd licèt definitio paſſionis non ſit medium in demonſtratione potiſſima eſt tamen medium in aliqua demonſtratione.*

Rationem adfero, quia proceſſus à paſſione ad de-

definitionem ejus ſicut univerſaliter ab omni definitio ad definitionem eſt ab effectu ad cauſam, nã genus & differentia rei ſunt cauſa formalis, ſeu id, quo formaliter eſt talis, at verò demonſtratio non eſt aliud, niſi aſſignatio cauſæ, ergo. Secundo prædicatio paſſionis de ſua definitione eſt immediata, adeòq; poteſt eſſe cauſa alicuj[9] mediatæ; demonſtratio autem non eſt aliud quã diſcurſus in quo infertur propoſitio mediata ex immediata, intellige cum reliquis, ſcilicet quòd præterea ſit univerſalis, neceſſaria, ſecundum quod ipſum, quæ omnia inveniuntur in prædicatione illa paſſionis, ergo. Comparabo jam utramque ad invicem, & oſtendam eas quodammodo excedere & excedi; nam demonſtratio facta per deffinitionem ſubjecti, non habet omnes præmiſſas immediatas, quod patuit ſuprà, ubi oſtendi majorem illius demonſtrationis non eſſe immediatam; cujus cauſam aſſigno quia nimirum paſſio non eſt proxima deffinitioni ſubjecti, propriùs eſt enim ipſum ſubjectum, & tum primum ſequitur paſſio, nam animal rationale v. g. priùs conſtituit hominem quàm emanat (ut ſic dicam) riſibilitatem. Aliam hîc aſſigno, quia paſſio priùs ineſt ſuæ definitioni quàm ſubjecto aut deffinitioni ejus, ergo propoſitio in qua affirmatur paſſio de ſubjecto aut deffinitione ejus non eſt penitus immediata quum detur immediatior.

Ex altera parte nec demonſtratio per deffinitionem paſſionis eſt omnibus numeris abſoluta, quia major illius eſt indirecta, prædicat enim deffinitum de deffinitione, cùm deberet prædicare definitionem de definito, ergo. Patet antecedens in hac: Omne habens principium riſûs eſt riſibile: hæc, aut ſimilis eſt major in demonſtratione per definitionem paſſionis, hæc eſt indirecta, adeóque.

8. Præterea in demonſtratione vera quum probatur paſſio aut prædicatum aliquod de alio, cauſa debet adferri ex parte ſubjecti, non verò ex parte prædicati, at verò in demonſtratione, quæ fit per definitionem paſſionis, cauſa eſt ex parte prædicati, prædicatum enim in concluſione demonſtrata eſt paſſio, & ſine dubio definitio paſſionis ex parte ipſius paſſionis eſt. At verò in demonſtratione quæ fit per definitionem ſubjecti adfertur cauſa ex parte ſubjecti ſcilicet definitio ejus, quæ ſine dubio ex parte ipſius eſt. Et quandoquidem hæ rationes præponderent aliis illis pro altera demonſtratione adductis (hæ enim ſunt reales & metaphyſicæ, illæ ſunt logicæ de modo formandi propoſitionem) colligendum eſt demonſtrationem hanc per definitionem ſubjecti præſtare ei quæ eſt per definitionem paſſionis, quæ eſt expreſſa doctrina Scoti *in Logica & in lib. ſent.*

Poteſt urgeri hæc ratio modo aliquorum ſic: Demonſtratio potiſſima debet non ſolùm probare *quod* rei, ſed etiam *propter quid* ejus: Demonſtratio per definitionem paſſionis ſolùm probat *quod*; nam ſi dicam illud eclipſari cui, adimitur lumen, Lunæ autem adimitur lumen in tali differentia temporis, adeòque, *&c.* Hîc inquam non quietatur intellectus, ſed exſpectat cauſam cur adimitur Lunæ lumen, adeòque demonſtratio per definitionem paſſionis non eſt omnino perfecta aut potiſſima, ſed adhibendum eſt ſubjectum aut definitio ejus, quæ ſunt media demonſtrationis potiſſimæ. Objectiones contra hanc ſunt rationes poſitæ pro altera demonſtratione.

Objiciam tamen, & ſolvam tam doctrinam quã factum Ariſtotelis, nam *in cap. 9. lib. 1. Poſter.* docet medium in demonſtratione eſſe rationem ſeu definitionem majoris extremi quod eſt idem ac dicere definitionem paſſionis; & in facto exempla demonſtrationum quas adfert ſunt per definitionem paſſionis, ut illa de eclipſi Lunæ per ablationem luminis; & tonitrum per ſonum quendam nubium. Reſpondeo: Non nego ego fieri demonſtrationes per definitiones paſſionum, ſed eas eſſe præſtantiſſimas cujus oppoſitum non convincitur argumento adducto, nam quoad authoritatem Ariſtotelis reſpondeo Ariſtotelem non eſſe uſum τo potiſſimâ aut præſtantiſſimâ, ſed ait abſolutè demonſtratio, & ſi fortè uteretur non ſufficeret id ad dirimendam præſentem controverſiam, intelligeret enim per demonſtrationem ſimpliciter aut potiſſimam demonſtrationem, propter quid, eo quòd excedat demonſtrationem *quia*. Ad factum autem Ariſtotelis reſpondeo media adducta in argumento eſſe quid nominis horum, Ariſtotelem autem aliter demonſtraſſe illas concluſiones; demonſtravit enim eclipſin de Luna per interpoſitionem terræ, & tonitru per extinctionem ignis in nube, & ſucceſſionem luminis in Luna per orbicularitatem ejus, quæ non ſunt definitiones horum ſed cauſa quaſi efficientes & extrinſecæ, adeòque non habent pro hac parte Adv. exemplum in Ariſtotele.

9. Pro complemento ex dictis infero aliqua: Primùm inter media demonſtrationis numerari poſſe cauſam efficientem, tametſi ſuprà amota ſit; ſed accipiendam eſſe cauſam metaphyſicam ſeu emanativam, non verò phyſicam & productivam, quæ ſuprà excluſa eſt, nam & aliæ cauſæ ibi enumeratæ ſunt phyſicæ.

Alterum & tertium ſunt iſta, quòd attendendo omnia omnino, quæ circumſtant demonſtrationem potiſſima demonſtratio eſt illa ſola, quâ probatur de ſpecie paſſio generis v. g. hæc:

Omne animal eſt progreſſivum,
Omnis homo eſt animal, ergo
Omnis homo eſt progreſſivus.

Ratio ex dictis conſtat, quia hîc non adhibentur ullæ definitiones, quæ reddunt demonſtrationem vehementer perplexam & dubiam, ut ſuprà ſatis oſtendi: deinde, quia omnes propoſitiones ſunt immediatæ uſque ad ultimam quæ debet ex natura rei eſſe mediata. Quæ quum vera ſint, ſequitur ſpecies atomæ paſſionem non poſſe perfectiſſimâ demonſtratione probari:

Ratio in jam dictis habetur,

ſit ergo

Digitized by Google

ACTIO VLTIMA.

De regreſſu demonſtrativo, an detur? & quid juvet?

Breviarium.

N. 1. *Quid ſit circulus ſyllogiſticus?*
2. *Datur regreſſus inter demonſtrationes, imò inter propoſitiones unius demonſtrationis.*
3. *Poteſt regreſſus incipi à demonſtratione* quia.
4. *Poteſt dari regreſſus inter plura etiam in eodem genere.*
5. *Vlterior probatio hujus.*

1. SYllogiſmum ut ſic tangit circulus cauſæ demonſtrationem regreſſus, nam ſicut demonſtratio eſt ſpecies ſyllogiſmi, ita regreſſus eſt circuli ſpecies. Dicam breviter quid circulus: & quando contingat: Fit enim, cùm ex uno eodémque ſyllogiſmo eliciuntur probationes ipſiuſmet totius, nam concluſio in primis probatur per præmiſſas; tum autem una præmiſſa per concluſionem & alteram præmiſſam relictam, non quidem in propria ſpecie ſed converſam. Item altera præmiſſa per compromiſſam (aliam intellige) & per concluſionem: in quo tamen aliquid diſcriminis intercedit, nam ad probandam majorem aſſumenda eſt concluſio & minor converſa, ad probandam minorem concluſio & major converſa atque etiam tranſpoſita ipſa ut in ſyllogiſmo circulante fiat minor; unde patet ad circulum requiri ſaltèm tres ſyllogiſmos, exempla omnium ſunt:

Omne animal rationale eſt riſibile,
Omnis homo eſt animal rationale, ergo
Omnis homo eſt riſibilis.

Sic circulatur ad probandam majorem:

Omnis homo eſt riſibilis,
Omne animal rationale eſt homo, ergo
Omne animal rationale eſt riſibile.

Ad probationem minoris perficitur circulus ſic:

Omne riſibile eſt animal rationale,
Omnis homo eſt riſibilis, ergo
Omnis homo eſt animal rationale.

Dixi hunc circulum pertinere ad ſyllogiſmum, ut ſic, quia non habet aliud quàm formam, quæ talis eſt ut in omnibus & ſingulis ex illis tribus ſyllogiſmis qui concedit præmiſſas cogatur ad conceſſionem concluſionis. At verè præmiſſas in ſecundo & tertio nemo ſanus concedet ſi negavit aut concluſionem aut præmiſſas primi. Unde in hoc loco id agitur ut ſciatur an poſſit dari circulus non ſolùm ratione formæ, ſed etiam ratione materiæ? ſive an poſſit ab eodem ad idem ſic pergi in ſyllogiſmis ut non ſolùm concluſionem debeat quis concedere conceſſis præmiſſis, ſed & ipſas præmiſſas ad concluſionem: quod quidem honeſtiori vocabulo modo dicitur regreſſus, & quidem demonſtrativus, quia in ſolis demonſtrationibus contingit.

2. Dico dari regreſſum inter plures demonſtrationes atque etiam inter plures propoſitiones ejuſdem; ſive procedi poſſe demonſtrativè ad probandam non ſolùm concluſionem per præmiſſas, ſed etiam ad præmiſſam aut aliquam aut omnes per concluſionem. Docuit hoc Ariſtoteles in hoc opere analitico Poſt. ſed & exercuit & docuit exercendum; Docuit enim probare planetarum propinquitatem per ſcintillationem, & viciſſim ſcintillationem per propinquitatem. Item Lunæ orbicularitatem per illuminationem ejus ſucceſſivam, & ſucceſſivam illuminationem per figuram orbicularem: & ipſe in phyſicis eâ methodo uſus eſt inferens tranſmutationem ex materia, & materiam ex tranſmutatione. Et de hoc vix jam eſt in ſcholis controverſia, non deeſt tamen ratio, quam ſic

3. Objicio: In ſyllogizando proceditur ab ignoto ad ignotum, nam per præmiſſas quæritur cognitio concluſionis; ſed in circulo non ita, quia, ut patuit in exemplo ſecundi ſyllogiſmi poſito ſuprà aſſumitur concluſio prioris ſyllogiſmi ad probandum præmiſſam, & tamen ipſa præmiſſa fuit nota, alioquin non notificaret concluſionem. Urgetur ratio, quia in demonſtratione non ſolùm præmiſſæ debent eſſe notæ, ſed debent eſſe notiores; atqui ſic non poteſt eſſe in ſyllogiſmo circulante, quia ibi una præmiſſa eſt concluſio prioris ſyllogiſmi quæ non poteſt eſſe notior quum debuerit fuiſſe ignotior, quia prior ſyllogiſmus, quandoquidem fuit demonſtratio, debuit fuiſſe ex *notioribus* concluſione: fuit autem ex illa præmiſſa, adeòque illa præmiſſa fuit notior concluſione. Ad ultimum hoc reſponderi poteſt rationem illam probare tantum quòd non liceat regreſſus à demonſtratione *propter quid* ad demonſtrationem *quia*, non verò quòd non liceat à demonſtratione *quia* ad *propter quid*, quia nimirum demonſtratio quæ procedit ex notioribus eſt ſola *propter quid*, non autem omnis omnino aut demonſtratio *quia*. Atque ita docent Logici communiter circulum demonſtrativum incipiendum eſſe à demonſtratione *quia* & terminandum in demonſtrationem *propter quid*, non verò è contra: ſed bonâ veniâ Logicorum,

4. Dico circulum hunc ſeu regreſſum poſſe incipi à demonſtratione *propter quid*; quod contra ipſos probo ipſorum argumento; nam ſecundùm ipſos demonſtratio *quia* non neceſſariò debet eſſe ex notioribus, quid ergo impedit, quòd præceſſerit eam demonſtratio propter *quid* nam hæc non aliter potuit nocere niſi quia reddidit præmiſſas notiores concluſione ex quo ſequitur quòd aſſumendo concluſionem ad probandas præmiſſas non aſſumitur notius; at verò hoc non eſt inconveniens, ut ipſi fatentur, ergo.

Sed

Sed & aliter idipſum oſtendo, quia, quamvis præmiſſa illa, quæ jam erit concluſio ſit notior eâ quæ aſſumitur ad ipſam inferendam ex alio capite aut in alio genere, tamen non eſt notior in hoc genere ſeu hujus generis notitia, ſed potiùs ignotior quàm præmiſſæ, atque ita ſemper ſalvatur quòd præmiſſa eſt notior concluſione, & poſſit ei eſſe cauſa notitiæ.

Ad quod capiendum, illud certiſſimè tenendum eſt, quòd, quando factâ demonſtratione reditur à concluſione ad ejus præmiſſas, concluſio quæ aſſumitur ad probandam præmiſſam debet jam aliter ſciri quàm per præmiſſas illas, & debet aſſumi in ſecundo ſyllogiſmo circulante ſeu regrediente, ſecundùm quod eſt nota alio modo quàm per præmiſſas, quod facilè fieri poteſt: poteſt enim concluſio quæ à priori ſcita eſt per præmiſſas demonſtrativas *propter quid* aliunde & à poſteriori ſciri per experientiam, per fidem, eo autem poſito jam præmiſſæ ſecundi ſyllogiſmi poſſunt eſſe notiores concluſione, quia plùs habent de experimento, de fide, *&c.* unde vides quàm immeritò negent Logici proceſſum hunc demonſtrationum poſſe incipi à *quia*, quod etiam

5. Probo adhuc ampliùs: Poteſt enim de eodem objecto haberi ſimul notitia magis & minùs perfecta, magis & minus certa, magis & minus evidens, idq; cõtingere poteſt nõ ſolùm ita ut prior notitia ſit imperfectior, ſed ita etiam ut prior fuerit perfectior. Quidni ergo præcedat demonſtratio propter quid & ſequatur *quia*? Antecedens patet quia poſſum habere demonſtrationem de aliqua veritate, & deinde credere illa in fide divina, & tamen cognitio per demonſtrationem eſt magis evidens quàm cognitio per fidem. Item poſſum in primis articulum aliquem credere fide divinâ, & poſtea in ſcholis audire demonſtrationem ejus, & tamen cognitio per fidem eſt certior cognitione per demonſtrationem, ecce quomodo non repugnat perfectiora ubique præcedere.

Sive ergo proceſſus demonſtrationis incipiatur à demonſtratione *propter quid* ſive à demonſtratione *quia*, deſervit regreſſus, primò ut eadem res pluribus mediis ſciatur, quæ aliàs uno ſolo ſciretur, quemadmodum plures demonſtrationes à priori plùs notificant rem quàm una. Iterum deſervit ut non ſolùm pluribus mediis ſciatur, ſed pluribus modis ſeu mediis diverſæ rationis, quemadmodum magis certificatur intellectus de aliqua veritate, quando eam per plures cauſas demonſtrat, quàm quando per unam ſolam. Deinde regreſſus ad *quia* poſt demonſtrationem *propter quid* (qui regreſſus modernis non omnibus probatur) juvat ut præmiſſæ ipſius demonſtrationis *propter quid* perfectè cognoſcantur, nam præmiſſæ demonſtrationis propter quid inductione ſciuntur, inductio autem ſcitur demonſtratione *quia*.

Dices: Si præmiſſæ demonſtrationis *propter quid* ſciuntur per inductionem, inductio autem facit demonſtrationem *quia*, jam tota notitia demonſtrationis *propter quid* reſolvitur in *quia*; atque ita denique non eſt à priori neque per notiora, ex quo etiam ſequitur quòd non detur regreſſus, quia hîc ut minimum involvit duas demonſtrationes, jam autem non ſunt duæ, ſed una. Reſpondeo: Præmiſſæ demonſtrationis *propter quid* ſciuntur primò per inductionem, ſed ſuppoſitâ inductione, ſciuntur etiam ſe ipſis. Quum enim experior hunc ignem eſſe calidum, & illum calidum, & ſic de cæteris, non ſolùm judico omnem ignem eſſe calidum ſed hoc poſtulari à natura ignis, quo facto habeo notitiam à priori cur inſit huic calor.

Dico denique poſſe fieri aliqualem regreſſum etiam demonſtrativum *propter quid* hinc inde, inter duo etiam in eodem genere cauſæ. Moveor, quia regreſſus noſter non eſt quod facit difficultatem ſed res ipſa, eo quòd non poſſit dari reciprocatio cauſæ & cauſati inter duo in eodem genere. At verò oſtendam inſtantiâ hanc non eſſe impoſſibilem, quia terra eſt cauſa materialis graminis; gramen eſt cauſa materialis etiam terræ, quum enim areſcit ibidem fit pulvis, & vertitur rurſus in terram. Semen eſt cauſa efficiens animalis, & ſine dubio animal eſt cauſa effectiva ſeminis, verum eſt non eſſe idem individuum hinc inde, ſed hoc probat tantùm quod vult D. hîc non eſſe perfectum regreſſum aut cauſalitatem mutuam rigoroſè. Alia de regreſſu communiter leguntur apud authores in quo ſit finis Logicæ. A. M. D. G.

Legi poſſunt ſuper iſtis

Ariſt. *Poſt. lib.* 1. *&* 2. Averr. 1. *Poſt. com.* 11. *&* 2. *Poſt. com.* 45. *& quæſito* 3. *de medio*. Abulamar *&* Alpharab. apud eundem Philop. 2. *Poſt. com.* 16. *in fine*. Euſtrat. 2. *Poſt. com.* 41. *partic.* 3. *ſimplic.* 2. Cœl. *com.* 29. Themiſt. 1. *Poſt. c.* 29. Alenſis 7. *Met. q. un.* Alb. de Saxon. 2. *Poſt. q.* 7. Anton. de Fant. *in ſpec. Ration.* D. Th. *hîc &* 1. *p. q.* 8 *art.* 2. *& q.* 10. *de verit.* Tartaret. 2. *Poſt. q. penult.* Trombeta. 6. *Metaph. q.* 1. Soncin. *q.* 8. Chalduinus *coment.* 8. Zabarella. *opuſc. de medio Demonſt.* Lincolinenſ. 2. *Poſt. c.* 1. Hugo Senen. *in parvam art.* Gal. Zimara 1. *Poſt. contradict.* 7. Sueſſan. 1. *de An. tex.* 11. Cajet. 1. *Poſt. tex.* 30. Niphus 1. *de An. tex.* 11. Zeph 1. *Poſt. c.* 3. Apollin. 1. *Poſt. q.* 35. Philip. Faber. *Theor.* 10. Averſa. *q.* 28. Amicus *tract.* 26. *diſp.* 2. *q.* 3. Picolomen. *tract. de certit ſcient c.* 6. Auguſtin. de Maſcietis *quæſt. de med. Dom.* Maſius *hic cap.* 10. *ſect. & q.* 1. Flandr. *q* 18. *Colon. item hic fol.* 78. Rub. 1. *Poſt. cap.* 10. *q.* 2. Ioan. de Cellaja *c.* 2. *q.* 4. Singlet. *diſp.* 14. *q.* 5. Pariſienſ. *q.* 4. Petr. Hurt. *diſp.* 11. *Logic. ſect.* 3. Roder. Arriaga. *diſp.* 16. *ſect.* 3. 4. *&* 5. Morilan. *citat. ſup. in com. & diſp.* 11. *Log.* Franci. Oviedo *controverſ.* 10. *puncto* 3. Maſtr. *diſp.* 13. *Log. quæſt. qq.* Poncius & Summuliſtæ, ut Fonſeca, Soto Hiſp. *prop. loc.* Almain. 3. *d.* 34.

APOLO-

APOLOGIA ANTE-prædicamentalis.

ACTIO I.

Explicat Vnivoca, Æquivoca & Denominativa.

ACTIO II.

De analogis. Vtrum medient inter univoca & æquivoca, nec ne?

ACTIO III.

Quæ ponantur in prædicamentis?

ACTIO IV.

Examinat regulam antepraedicamentalem.

Diverſorum generum non ſubalternatim poſitorum diverſæ ſunt ſpecie differentiæ.

ACTIO V.

Decidit numerum prædicamentorum, & an debeant ſingula ab invicem realiter diſtingui?

Scotus q. 15. Elenchor. num. 7.

AD aliam rationem dicendum, quod naturalis & etiam metaphyſicus ipſas res conſiderant; Logicus autem conſiderat res rationis, & ideo multa ſunt univoca apud Logicum, quæ dicuntur æquivoca apud Naturalem. Naturalis enim diceret, quòd corpus æquivocè dicitur de corpore ſuperiori & inferiori (id eſt) eſt de corpore cœleſti & ſublunari, ſed Logicus diceret quod de utroque dicitur univocè. Logicus etiam dicit quòd omnes ejuſdem generis ſpecies in ſuo genere univocantur, ſed Naturalis dicit, quòd in genere latent æquivocationes multæ. Unde Logicus conſiderat res ipſas, ut ſub ratione cadunt; & quia inter idem & diverſum non cadit medium, ideo Logicus medium non ponit inter æquivocum & univocum.

Idem q. 10. prædicament. n. 2.

IDem *Accidente* & *Proprio* poteſt eſſe in diverſis generibus, idem *ſpecie* vel *genere* nullo modo eſt in diverſis generibus generaliſſimis vel quibuscunque non ſubalternis ut ſpecies vel differentia, niſi fortè idem genere ſuperiore in diverſis generibus inferioribus. Quòd autem idem *ſpecie* vel *genere* inferiore non ſit in diverſis generibus ſuperioribus non ſubalternis, ut ſpecies vel differentia, videtur manifeſtum, quia ad eſſentiam ſpeciei pertinet genus, ergo, ſi idem ſpecie vel genere inferiore eſſet in diverſis generibus ſuperioribus illa ambo genera eſſent de ejus eſſentia, igitur illud non eſſet idem eſſentialiter, quia duo genera non ſubalterna diverſam eſſentiam prædicant.

ACTIO I.

Explicat univoca, æquivoca & denominativa.

Breviarium:

N. 1. *Adferuntur definitiones univocæ, æquivocæ.*

2. *Proponuntur & ſolvuntur difficultates aliquæ contra ipſas.*

3. 4. *Quæſtiones aliquot noviter motæ de his. An inter individua ſit æquivocatio? Item an in mente?*

5. *Aliquid, idem ſæpe æquivocum eſt. Objicitur contrà, & reſpondetur.*

6. *Plena definitio Denominativorum. Veteres Logicos nominales & grammaticales fuiſſe.*

7. *Examinantur exempla aliquod denominativorum.*

8. *Objectio. An denominativa incidant aliquando in univoca?*

1. MOdernus aliquis (a) definit univoca: Cujus nomen commune eſt, ratio verò ſignificata omnino eadem; & hoc ipſum Ariſtoteli imponit; cùm tamen hujus deſcri-

(a) Fr. Oviedo cont. 1. Metaph. 2.

Digitized by Google

deſcriptio in duobus mutata ſit à Recenti; quia illa Philoſophi data eſt de pluribus; *Quorum*, *&c.* illa novi per unum *cujus*, *& cætera*. Iterum etiam Philoſophus datâ operâ tradidit ſuas deffinitiones per *dici* non per *eſſe* quia deffinivit Ariſtoteles *æquivoca* (inquiens) *dicuntur quorum nomen ſolum commune eſt, ratio verò ſubſtantiæ nomini accommodata, diverſa & univoca* è contra *dicuntur, quorum nomen commune eſt, ratio verò ſubſtantiæ nomine accommodata eadem.* Denominativa denique *quæ ab aliquo nominis appellationem habent, ſolo differentia caſu.*

Præmittam, quæ circa hæc ſcire expedit; eſt autem in primis æquivoca non eſſe ſolas res, ſed res, ut importantur vocibus, nam gallus gallinaceus & homo Gallus, ſicut etiam univoca in re non minùs quàm æquivoca, opportet ergo ad hoc ut diſtinguatur univocatio eorum ab æquivocatione ut importentur nomine quod diverſo modo verificatur in illis, verbi gratiâ, ſi dicam utrumque eſſe Gallum, reddidi illa æquivoca; ſi utrumque eſſe animal, reddidi univoca; quod eleganter ſignificavit Philoſophus illis *æquivoca dicuntur.*

Deinde rationem ſubſtantiæ accipiunt communiter non pro aliquo primi prædicamenti ſeu pro ſubſtantia, ut opponitur accidenti, ſed pro eſſentia; ut ratio ſubſtantiæ idem ſit ac ratio eſſentiæ, aliàs nunquam contingeret æquivocatio in accidentibus, quod falſum eſſe patet in his, *gratus* & *formoſus*, & aliis ſexcentis; nam gratus deducitur vel à gratia, vel à gratitudine; & alterum illud deduci poteſt vel à forma, id eſt ſpecie aut pulchritudine; vel univerſaliter ab omni forma, quo ſenſu etiam deformis eſt formoſus.

2. Habeo tamen contra hanc tam receptam expoſitionem, quòd eo modo nulla prædicatio accidentalis eſſet univoca; quod ſine dubio falſum eſt, quum prædicatio quinti prædicabilis ſit univoca, aliàs non eſſet prædicatio alicujus univerſalis, & tamen non eſt eſſentialis, aliàs non eſſet quinti prædicabilis, hoc eſt accidentalis. Inſtantia eſt in hac: Lignum eſt album, Lapis eſt albus, & ſimilibus; nam prædicatum in his eſt univocum ratione objectorum nec tamen eſt eſſentiale. Audio hîc aliquorum diverticula & diſtinctiones de prædicato univoco & univocè prædicari; volunt autem accidens verbi gratiâ albedinem, in dicto caſu univocè prædicari, non tamen eſſe univocum prædicatum propter rationem allatam. Sed hæc, ut ſit vera, eſt ipſorum, non Ariſtotelis apud quem non videas veſtigium, horum tanquam plurium. Secundò reſponderi poteſt albedinem eſſe eſſentialem ligno albo quâ albo reduplicativè: ſed hoc minùs juvat, nam quamvis ſit verum non ſalvat illam propoſitionem meam quæ non fuit reduplicativa ſed abſoluta; non enim dixi, lignum album quà tale eſt album, ſed abſolutè ut ſuprà. Itaque meliùs dicetur ſubſtantia ibi poni pro objecto ſeu re ſignificata, & hoc ponit deffinitionem extra omnes has difficultates, nam tunc album eſt univocum (licèt non ſit eſſentiale) ligno & lapidi, quia eadem res utrobique invenitur.

Habeo adhuc alterum contra omnes has definitiones, & eſt, quòd ſint traditæ per plura, ſeu potiùs de pluribus, quum tamen plura quâ talia non poſſint definiri, quia nimirum aut ſunt plura in natura, aut plura numero: priora illa poſſunt deffiniri, at non una definitione, ſed pluribus; poſteriora nec una nec pluribus, quia nimirum individuum non eſt definibile, & multo minùs individua. Ex quo videas ſolutionem communem ad argumentum contra definitionem æquivocarum non valere. Cùm enim arguitur quòd non poſſit eorum definitio ſuſtineri, quia nec poteſt dari, quum æquivoca ſint indefinibilia. Reſpondent æquivoca in ſpecie definiri non poſſe ſed bene æquivoca in genere, quia nimirum hæc æquivoca ſunt univoca: Hoc inquam eſt nihil dicere quia nec ipſa univoca ſunt definibilia ut plura, ut quod probat argumentum factum; definiuntur enim ratione naturæ communis, at hæc eſt una non plures. Ex ſtimo ergo etſi definitiones illæ admitti poſſint in eo tenore tamen exactiùs potuiſſe omnes tradi de uno deffinito, maximè verò illam denominativorum, quia etſi aliquid difficultatis patiantur univoca & æquivoca eò quòd nihil ſe ſolo ſit æquivocum, tamen denominativum etiam ſine alio eſt denominativum, verbi gratia muſicus eſt denominativum etſi non addam aliud denominativum. Poſſumus ergo explicare æquivocum eſſe illud: *Quod cum alio in nomine convenit, at non in natura*, intellige eo nomine ſignificata. Confirmo hanc viam eò quòd non videatur tam rigidè à Logicis requiſita multitudo ad æquivocationem, nam homo pictus dicitur æquivocè homo: vides æquivocationem aliquam, at nullam pluralitatem. Probo etiam aliter idipſum, quia conjux, amicus, propinquus, conſanguineus, cognatus, & alia, relativa æquiparantiæ poſſunt definiri ſingula, ut ſic dicam, & non tantùm plura, cur non ergo univoca?

3. Quæro, utrum æquivocatio poſſit eſſe inter ſolo numero diſtincta ſeu individua cujusdam ſpeciei? Videtur utique quòd non, quia illa ſunt univoca, imò maximè talia & ſecundùm aliquos ſola, quia ratio ſubſtantiæ in illis eſt eadem. Reſpondeo tamen talia poſſe reddi æquivoca: Caſus eſt quum plura individua efferuntur uno nomine ſignificante non naturam communem ſed ſuppoſitum ſeu ipſum individuum, ut ſi dicam, Petrus, æquivoco quia multi ſunt eo nomine vocati, quorum quisque poteſt per ipſum intelligi, & proinde intellectus audientes eſt ſuſpenſus neſciens quem debeat intelligere per ipſum. Ratio hujus eſt, quia ly Petrus & ſimilia ſunt nomina ſignificantia non naturam ſed ſingularitates, ut dixi; at verò ſingularitates individuorum ſunt primò diverſæ, ergo unum nomen illas ſignificans eſt æquivocum, non minus quàm quod ſignificat plures naturas.

Quæſitum eſt, an in mente detur æquivocatio? Addo & quæro, utrum in ſignis naturalibus detur æquivocatio? quæ quæſtio multò latior eſt præcedenti, nam in mente ſunt ſpecies expreſſæ, & quamvis etiam ibi ſint ſpecies impreſſæ, tamen extra illam ſunt in medio & in terminis quibusdam ut in ſpeculis.

(*b*) Rod. Arriag. *diſp.* 10. *Log.* *ſect.* 1.

Ad primum horum reſponſum eſt affirmativè à quibuſdam, ut refert Recentior (*b*) quidam approbans eorum reſponſionem*, quia nimirum unus actus poteſt multa repræſentare, & de facto unus Deo repræſentat omnia omnino, & angelis eò plura, quò quiſque eorum perfectior eſt. Addunt tamen iſti abſtinendum eſſe ab æquivocatione attribuenda Deo ob reverentiam utique ejus.

At enim non eſt ſola reverentia Dei, ſed immunitas ejus & ipſa rei veritas, quæ facit, ne in Deo ſit æquivocatio quia nimirum æquivocatio eſt confuſa & indeterminata cognitio rei, at verò Deus etſi uno actu omnia videat tamen non confuſè ſed diſtinctiſſimè ea intuetur, ac ſi haberet ſingulos actus pro ſingulis. Fateor tamen ſi corticem verborum attendas, deffinitionem æquivocorum ab Ariſtotele traditam poſſe illis convenire. Ex quo patet quàm peſſimè dixerit aliquis hunc actum eſſe æquivocum: homo non eſt Deus; eò quòd ille unicus & ſimpliciſſimus cùm ſit repræſentat plura illa eſſentialiter diverſa Deum & hominem; falſus eſt enim hîc, quòd crediderit actum judicii ſeu affirmationis eſſe imaginem omnium & ſingulorum quæ ibi interveniunt, quum ſit imago propria copulæ non verò extremorum. Dicès: Ille actus non habet partes (neque enim componitur ex ſimplicibus appræhenſionibus) & tamen illo dicitur non ſolùm copula ſed etiam extrema. Reſpondeo etiam per ſimplicem vocem *cæna* attinguntur plura, ſed exprimitur unum; unum dicitur ſeu nominatur, ut loquitur Ariſtoteles, alterum ſeu alia connotantur, ita hîc.

Deinde detur actus exprimere omnia illa, non proinde erit æquivocus, niſi confundat ipſa, quod non facit.

Denique, ſi ille actus eſt æquivocus, quo alio redigetur ad diſtinctionem: vel quomodo intellectus evadet æquivocationem objectorum? nullo ſanè, quia impoſſibile eſt actus judicii qui non laboret illo vitio.

4. Ad ſecundum quæſitum reſpondendum puto affirmativè: Cauſa eſt, quia poteſt eſſe ſpecies impreſſæ, quæ repræſentent æqualiter plura & diverſa, ut talia; nam quando proponuntur duo individua omnino ſimilia ſeorſim, certè ſenſus non diſcernit inter ipſa: verbi gratia proponantur duo ova ſimilia, unum poſt alterum, certè ego neſcio num ibi oſtenſa ſint duo ova, an unum bis, atque ita ſpecies impreſſa cujuſlibet ovi ex illis eſt æquivoca, nec ſolùm impreſſa ſenſui, ſed etiam intellectui. Quòd autem ſpecies illa repræſentet plura diverſa ut talia, liquet, quia agimus de ſpecie hujus ovi quà individuum eſt, & illius ſimiliter, at verò hoc & illud quatenus individua, ſunt diverſa, imò primò talia, ergo. Addo non hæc ſolùm, hoc eſt non ſolùm ſigna formalia ſed etiam inſtrumentalia naturalia poſſe eſſe æquivoca: Moveor, quia fletus eſt ſignum naturale, ſicut eſt gemitus & ſuſpirium, & tamen fletus viſus ab aliquo relinquit ipſum dubium utrum ille quem, videt flentem, ſit triſtis, an lætus; nam & fletus poteſt ab utraque cauſa provenire, ſive ex triſtitia, ſive etiam ex nimia lætitia, quod docet, & experimur omnes.

5. Denique dico aliquod eſſe ſæpe æquivocum, & intelligo aliquod unum: fundamentum & inſtantia eſt in vocibus, quæ pluries plura poſſunt ſignificare: verbi gratia vox Gallus ſignificat hominem natum in Gallia, & ſignificat hominem proprio nomine Gallum; per hæc ipſa, etſi nulla alia acceptio addatur, facta eſt vox æquivoca: Adhuc tamen poteſt eſſe ly Gallus cognomen ſeu agnomen alicujus, & præter omnia eſt Gallus gallinaceus, quæ ſunt aliæ duæ acceptiones hujus vocis, quam proinde faciunt æquivocam etiam abſtrahendo ab aliis illis acceptionibus, ergo jam idem ſignum poteſt eſſe ſæpe æquivocum. Contra hoc

Objici illud poteſt, quòd idem ſignum, verbi gratia eadem vox non poſſit eſſe ſæpè univoca, ergo nec ſæpe æquivoca, antecedens patet in omnibus, nam genera quantumvis latiſſima ſemel ſunt genera, & unâ communitate complectuntur omnia inferiora: Conſequentia habet paritatem. Reſpondeo tamen eam non haberi ſed diſparitatem, quæ eſt iſta, quia unum uno tantùm modo eſſe poteſt ſcilicet per unitatem, multum autem multis modis; nam numerus denarius verbi gratia eſt ſeu dicit multitudinem ratione binarii, ternarii, quaternionis, quinionis; ſimiliter aliquid poteſt eſſe diviſum & diſcretum multis modis, continuum autem uno ſcilicet per carentiam omnis diſcretionis, quorum omnium cauſa eſt, quia unitas eſt indiviſibile quid, multitudo autem quid etiam actu diviſivum, jam verò æquivoca ſunt multa, univoca qua talia ſunt unum adeòque. Alia quæ circa æquivoca & æquivocationes aliqui prolixè tradunt, pueris ſcribuntur. Videri poſſunt de his auctiſſima aliqua apud Noſtrum Subtilem *quæſtionibus* 4. 5. 6. & 7. *prædicam.* ubi bene notavit tautologiam in deffinitione æquivocorum in qua poſt *ſolum nomen* commune additur *ratio ſubſtantiæ eſſe diverſa.* Et quamvis ipſe conetur excuſare Ariſtotelem, apparet tamen difficultas ab ipſo meliùs excogitata quàm ſoluta.

6. Supereſt denominativa examinare, ſive eorum deffinitionem, in qua ſuſtinenda veteres ferè omnes fuerunt nominales, ita logicas veritates per ſyllabas & cadentias metiuntur: Dicunt enim denominativa eſſe, quæ ab abſolutis nominibus formatum differunt ſolo caſu, id eſt ſolâ terminatione vocis, ſicut lectio & legens, pulchritudo & pulcher; ſed ineptia hujus doctrinæ depræhenditur ſtatim in his ipſis exemplis paululum immutatis;

Quæro enim ab his, quid cenſeant de his, pulchritudo, pulchritudinis, eſtne hic aliquod denominativum? non audent, ut video, reſpondere quòd ſic.

7. Quæro etiam de his, curſa & curioſus, eſtne hoc ultimum denominativum, nec ne? eſſe non poteſt, quia non differt ſolo caſu, ſed ſignificatione; nec poteſt non eſſe, aliàs accu-

ſeculandus eſt Ariſtoteles diminutæ doctrinæ, quia hæc, ut hic jacent, non ſunt univoca aut æquivoca, quod patet, ergo. Verſant ſe veteres Logici ex hoc in hoc novis diſtinctionibus & ſpeciebus denominativorum, ut defendant Peripateticè hæc eſſe denominativa; volunt alii eſſe denominativa ſolâ voce, alii ſolâ re, alia utriſque, ſed quantumvis has gloſſas multiplicent, adhuc pluribus egent. Sola ſolutio Doctoris noſtri ipſis ſuccurrere poteſt, ut ſcilicet illud *caſu* ſignificent non inflexionem grammaticam ſed concernentiam ad ſubjectum ut denominatum, eò quòd forma importetur cum aliqua concernentia aut concretione ad ſubjectum: quâ doctrinâ breviter omnes hujuſmodi inſtantiæ ſolvuntur, nam curioſus & ſtudioſus ſunt vera denominativa, licèt deriventur ab aliàs diſparatis nominibus v. g. ſtudioſus à probitate aut virtute, curioſus nec à curia nec à cura, nam neutrum horum ſignificat vitium, & tamen eſſe curioſum eſt vitioſum.

At inquies, quomodo poſſint hæc differre ſolo caſu, id eſt ſolâ concernentiâ ad ſubjectum ab abſolutis ſuis, ſi abſoluta ſunt diſparata nomina, nec ſolùm ultimâ ſyllabâ differant, ſed omnibus. Reſpondeo differentiam ſyllabalem non eſſe hic attendendam, ſed ſignificationem, ut ſenſus ſit quòd denominativa idem ſignificent, quod ſua abſoluta, hoc ſolùm dempto quòd idem aliter importetur, in uno abſolutè, in alio quaſi reſpectivè, ſive concernendo ſubjectum.

8. Objici poteſt, quòd ſic ſubſtantiva eſſent denominativa: v. g. homo & humanitas; hoc autem non poſſe ſuſtineri, quia ſic denominativa inciderent in univoca, à quibus Ariſtoteles voluit ea diſtingui. Reſpondeo ſuprà oſtendi aliqua univoca eſſe denominativa (& ſunt prædicata quinti prædicabilis) cur ergo denominativa non erunt univoca, ſi via Athenis Thebas eſt eadem quæ Thebis Athenas? Inſtari tamen poteſt, ſalvandam eſſe horum differentiam, alioquin fruſtra imò falſa deffinita eſſent diverſis deffinitionibus. Reſpondeo ita eſſe, & proinde differre univoca ac denominativa ſed in modo ſignificandi duntaxat, quia univoca ſunt formæ comparatæ ad invicem, denominativa autem ſunt formæ comparatæ ad ſubjecta, quod totum dictum volo, tanquam expoſitionem inter alias probabilem, ſcio enim Doctorem N. pro ſua modeſtia ſtuduiſſe defendendæ antiquorum expoſitioni de his, quæ proinde etiam poteſt ſuſtineri. Videatur ſubtiliſſimus ipſe *q. q. citatis prædicam. & in Elench. à quæſtione* 8. *uſque ad* 19. ſic mihi

ACTIO II.

De analogis.

Vtrum medient inter univoca & æquivoca? nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Species analogiæ recenſentur. Expenditur prima ſcilicet analogia inæqualitatis.*
2. *Expenduntur analogia attributionis & proportionis.*
3. *Item analogia, quæ dicitur proportionalitatis ex Ariſt. & Euclide.*
4. *Recipienda aliquot analogia ex jam enumeratis.*
5. *Analogia non eſſe media inter univoca & æquivoca.*
6. 7. 8. *Rationes aliæ idipſum probantes: Authoritate negativa quando utendum?*
9. 10. *Objectiones aliquot, ſolutæ, expenſus Ariſt.* 7. Met.
11. *Alia adhuc objectio. Principium ut ſic num univocum an denominativum?*

1. EX pluribus, quæ de analogis controverti poſſunt hoc ferè ſolum relictum eſt noſtræ diſputationi, utpote in quo ſolo doctrina Subtilis à Thomiſtis eſt defendenda. Præmittam tamen aliqua de natura & numero analogorum: Suppono analogiam idem eſſe ac proportionem, propter quod fatendum eſt analogiam quandam intercedere in uſu hujus *analogiæ*; dantur enim analoga, quæ non ſunt proportionis analoga, ſed attributionis & alia quæ ſunt proportionis, ad quæ alia illa habent proportionem ſeu ſimilitudinem. Unde ſanè niſi lingua Græca aliter extuliſſet hoc nomen proportio magnam obſcuritatem pateremur, tum enim analogia proportionis idem eſſet ac proportio proportionis, ubi idem repetitur & ipſum genus eſt ſui ſpecies, ac fortaſſe una ſpecies cum alia confunditur; nam ſecundùm quoſdam alia eſt analogia proportionis & alia proportionalitatis. Ad rem numeratur triplex analogia inæqualitatis, attributionis & proportionis. Analoga inæqualitatis ſunt illa quæ participant idem commune ſuperius, ſed cum exceſſu unius ſupra aliud: ſic animal meliùs participatur ab homine quàm à bruto, quia ipſe homo eſt perfectius animal bruto, & proinde homo & brutum cenſentur analoga inæqualitatis, hæc acceptio non eſt ſpecies analogiæ ſed ignorantiæ Logicorum qui eam ſcholis intrudunt, quum hæc analoga manifeſtiſſimè ſint univoca, unde etiam Ariſtoteles traditâ deffinitione univocorum exemplum ſubdidit ut: *animal & homo atque bos.* Et tamen in hac tam præclara acceptione analogiæ

æquivocationis fundatur illa notiſſima doctrina Thomiſtarum de æquivocatione entis ad Deum & creaturas ſubſtantiam & accidens, quam meritò vides.

2. Analoga attributionis ſunt illa, quorum, etſi ratio ſubſtantiæ ſit diverſa, omnia tamen dicunt ordinem ad unum, propter quem ordinem omnia participant idem nomen quod propriè uni illi convenit, ſic ſanum dicitur de animali, urinâ medicinâ, de primo dicitur propter ſe, de aliis propter ordinem ad illud unum qui ordo in urina eſt habitudo ſigni, in medicina habitudo cauſæ; unde primum illud dicitur principale analogatum, & vox analoga abſolutè poſita ſemper pro ipſo ſupponit, & meritò: nam prima impoſitio fuit ad ipſum ſignificandum; deinde per alias impoſitiones expenſa eſt ſignificatio ejus ad cætera pro quibus non niſi cum addito ſupponit.

Analoga proportionis ſunt illa, quorum nomen commune eſt, & ratio diverſa, ita tamen ut habeant inter ſe in illa diverſa ratione quandam ſimilitudinem aut proportionem accidentalem: ſic Chriſtus dicitur Leo (& dicitur ipſe verus Leo) propter ſimilitudinem fortitudinis & principatûs; hilaritas hominis & amœnitas prati dicuntur riſus; hypocriſis dicitur larva, & alia ſexcenta, quorum metaphoris colloquia hominum ornantur.

3. Addunt aliqui analogiam, quam vocant proportionalitatis, & eſt proportio proportionum, ſive recta, ſive reflexa ſeu permutata, de qua Euclid. *lib.* 5. 19. & Ariſt. *lib.* 1. *mag. mor.* tam doctrinam quàm exemplum dedit *cap. primo* dicens: *Proportionale in quatuor nihilominus (vel (ut alii legunt) ut minimum) perficitur. Nam quemadmodum A. ad B. ita C. ad D. ſicut proportionale eſt, ut qui multa poſſidet proferat multa, ita qui pauca poſſideat pauca proferat. Rurſus eodem modo qui plurimum allaboret plurima capiat, qui verò parum laboret parum capiat: ut autem laborans ad non laborantem,* Euclid. Ariſtoteles *ita plurima ad pauca; ut vero laborans ad plurima, ita non laborans ad pauca* & reducendo rem ad numeros exemplum proportionalitatis eſt quod ſicut ſi habent 6. ad 4. ita 15. ad 10. quia utrobique eſt proportio ſeſquialtera ſicut enim ſenio ſeu numerus ſenarius continet quaternionem ſemel, & adhuc dimidium ejus ita quindecim continet decadem & adhuc quinque quod eſt dimidium ejus. Totum hoc veriſſimum eſſe video, ſed nihil hîc video ad rem noſtram; quòd enim aliqua ſint ſimilia aut æqualia, non facit aliquid analogum, hoc enim (ſcilicet analogum) eſt aliquod tertium peculiari nomine notatum (quale hîc non aſſignatur) in quo plura illa eſſent analoga. Confirmo nam ſeſquialterum quod ſolùm eſt unum commune utrique proportioni non eſt analogum ſed propriè & perfectè univocum; eadem enim planè eſt ratio ſeſquitertii utrobique, ſicut æqualitas palmi ad palmum, eſt univoca, ſeu ejuſdem rationis cum æqualitate montis ad montem. Itaque hæc eſt otioſa multiplicatio verborum, & ex ſpeciebus analogiæ prima & ultima ſunt expungendæ, ſcilicet analogia inæqualitatis & proportionalitatis, relictâ tantum analogiâ attributionis & proportionis, ut ſuprà in principio explicata eſt.

4. Explodendum eſt itaque, quod voluit quidam Recens in quo ab alio item errante laudatus eſt, ſcilicet analogiam proportionis quandoque eſſe univocam, quandoque analogam; ut contingit quando magiſter vocatur vitis quia diſcipulorum ingenia imbuit doctrinâ, ſicut vitis imbuit vino racemos; hæc (inquit) analogia eſt quia aliter magiſter imbuit diſcipulos aliter vitis uvas, iſta phyſicè, ille tantùm moraliter. Ita Recentes, niſi fallor abſurdè; quæro enim ex his ſi magiſter phyſicè influeret doctrinam in diſcipulos, utrum eſſet univocè vitis? dicturi ſunt quòd ſic, nam ablata eſt improportio ſeu diſparitas & tamen quid falſiùs dici poteſt quàm hoc ex quo ſequitur, quòd Deus ſit propriè & univocè vitis cum illa quæ germinat racemos, quia nimirum Deus phyſicè influxit doctrinam in multos, & quotidie influit ſanctitatem in omnes propter quem influxum Chriſtus vocavit ſe (utique analogicè ſeu æquivocè) vitem.

Accedamus jam ad principale punctum de natura analogorum, utrum ſint reducenda ad univoca aut etiam ad æquivoca, an verò ſint aliquod tertium & medium inter illa, ita ut neutrius ſpeciei naturam planè participent, participent tamen utriuſque naturam partialiter. In quo affirmativam partem defenſam eſſe à Thomiſtis hactenus teſtatur Araogo (c) & ex ipſo Rodriq. (d) utique eſt etiam Recentiorum illius maximè qui ex Ariſtotele profert nobis hanc definitionem analogorum quòd ſcilicet eorum *ratio ſubſtantiæ neque omnino eadem ſit nec omnino diverſa* &. citat animoſè Metaphyſicam & Ethicam ejus ubi in hujus definitionis nec vola nec veſtigium eſt. Fateor tamen (quidquid ſit de definitione) ipſam opinionem horum videtur Ariſtoteles tradidiſſe 7. *Met. cap.* 5. Nihilominus contrarium docuit ſemper ſchola (e) *Subtilis* poſt ipſum *quæſtione* 4. *prædic.* & 15. *Elenchor. cit.* & idem poſt ipſum tenuerunt ex Thomiſtis Complutenſes & in hunc locum Philoſophi quod etiam ab omnibus tenendum eſſe.

(c) *lib.* 4. *Metap. q.* 1. *art.* 3.
(d) *in ante. præd. q.* 1. *art.* 3.

5. Dico & probo: Accipio enim aliquod ex numero eorum, quæ Adverſarii volunt eſſe analoga media inter univoca & æquivoca, & ſit notiſſimum illud exemplum riſus pratorum; dico riſum prati neceſſariò eſſe æquivocè aut univocè riſum cum riſu animalis (adeoque riſum ut ſic ratione utriuſque non eſſe tertium quid abſtractum, ſed alterum extremorum) quia nimirum riſus prati, aut habet eandem rationem ſubſtantiæ, id eſt eſſentiam (ut communiter intelligunt etiam Adverſarii) cum vero riſu qui ab animali ſit, aut non habet: ſi habet, eſt univocè riſus, ſi non habet eſt æquivocè riſus. Atqui neceſſariò habet aut non habet eandem rationem cùm ſint iſta contradictoria, ergo neceſſariò eſt æquivocum aut univocum.

(e) Scotus Rodriq. 5. *q.* 8. *art.* 3. Meurn. *his d. & q.* 1. Ponc. *diſp.* 10. *quæſt.* 2.

Ergo verò hîc planè cadit inventum Thomiſtarum, qui volunt analoga eſſe tertium quid medium inter iſta, participans de utroque, nam inter contradictoria (quidquid ſit utrum detur medium per abnegationem) certum eſt enim dari medium per participationem; quod ulterius oſtendi poteſt occurrẽdo alteri eorum evaſioni.

Dicere enim poſſent, quod aliquid poſſit continere gradum aliquem incluſum in alio, non tamen totam ipſam eſſentiam ejus; ſic brutum includit animal quod eſt de eſſentia hominis, non tamen includit totam humanitatem. Hæc autem ratio directè vergit contra ipſos, nam quamvis brutum v.g. Leo includat aliquod contentum eſſentialiter in homine, non tamen dicent Thomiſtæ

Digitized by Google

miſtæ, quod brutum v. g. Leo ſit analogicè homo, aut quod homo ratione veri hominis & leonis ſit analogum quorum

6. Ratio à priori eſt iſta, quia nimirum *species* (f) *ſunt ſicut numeri*, hoc eſt in indiviſibili conſiſtunt, ut quocumque quantumvis minimo eis addito vel ablato ſtatim mutentur, & fiant aliæ, ſicut numerus addità unitate quæ eſt indiviſibile in genere diſcreti, eo ipſo tranſit in alium v. g. ternarius addito uno fit quaternarius, quæ eſt alia ſpecies numeri, fit par cùm eſſet impar. Ita rectè docuit Philoſophus ſpeciebus contingere; ut quantumlibet parvo eis addito, deſinant omninò eſſe, quæ fuerunt, & omnino in indiviſibili conſiſtunt ut non poſſint partim haberi & partim non, ergo jam repugnant analoga, quæ aliquid ſpeciei conſervent, aliquid relinquant; v. g. repugnat aliquid quod ſit partim homo, & non ſit totaliter homo. Confirmatur hoc, nam niſi ſpecies ſeu naturæ rerum ut dixi in indiviſibili conſiſtant, tum poterimus dicere quod leo v. g. ſit partialiter homo; imo etiam lapis & quodcumque habebit aliquid humanitatis: patet ſequela quia hæc habent aliquem gradum eſſentialiter conſtitutivum hominis, ſcilicet gradum ſubſtantiæ corporis, conſequens autem falſum eſt & ab omnibus negatum; relinquitur ergo dicendum quod humanitas & quælibet eſſentia conſtet partibus ſuis non diviſivè ſed collectivè & conjunctim ſumptis, hæc autem neceſſariò aut abſunt aut adſunt, adeoque non poteſt eſſe verum quod Thomiſtæ & Recentes volunt ſcilicet analoga aliqua eſſe quæ comparata ad alia neque ſint omnino ejuſdem naturæ cum ipſis, neque omnino diverſæ.

(f) Ex 10. Metap. t. 3.

l. 8. Metap.

7. Placet etiam probatio illa; etſi negativà quod Philoſophus non meminerit analogorum tanquam ſpecie diſtinctæ ab æquivocis & univocis, adeoque videtur ſenſiſſe non dari talia. Non enim obeſt quidquam quod Adverſarii reſpondent, authoritates omiſſivas non ſufficere ad faciendam fidem: Fateor non ſufficiunt ad faciendam fidem de eo quod aliquid in re ſit aut non ſit; ſufficiunt tamen fidem facere, quod author ille quiſquis ſit, non ſenſerit illa dari, quia quum ex profeſſo ſtatuerit enumerare omnia in illa materia, quod quid omiſit, neſcivit, aut judicavit non dari. In propoſito Ariſtoteles antepædicamenta ſtatuit agere de iis quæ in prædicamentis collocanda aut ab iis rejicienda ſunt, & propterea de univocis egit tanquam de admiſſis, de æquivocis tanquam rejectis: ſi darentur analoga ſane debuiſſet de iis determinare, nam ſi ſint medium quid inter univoca & analoga, dubitari poteſt utrum cum univocis admittenda ſint ad prædicamenta, an cum æquivocis excludenda? Confirmo ex facto philoſophi, quia poſt univoca & æquivoca egit de denominativis eò quod denominativa eſſent aliquo modo diverſa ab utriſque, adeoque credibile eſt ſi judicaſſet analoga eſſe ejuſmodi quod de ipſis ſimiliter egiſſet.

8 Probo etiam idipſum partim ad homines, partim philoſophorum authoritate, nam adverſarii noſtri communiter dividunt æquivoca in illa quæ à caſu ſunt, & in alia quæ à conſilio: At vero æquivoca à conſilio ſunt ipſorum analoga ergò etiam ſecundum ipſos judices analoga non ſunt ſpecies diſtinctæ à duabus illis, ſed incidunt in æquivoca. Deinde Ariſtoteles potuit enſ ut ſic eſſe æquivocum, teſtatur Porphyrius *in iſag. cap. de ſpecie*; & tamen ſecundum Thomiſtas eſt analogum, ergo analogia Thomiſtarum eſt æquivocatio Ariſtoteli. Poſſumus etiam ad hoc uti ipſius Porphyrii ſententiâ ibid. *Si* (inquit) *unum eſſet commune omnium genus ens, univocè omnia etiam dicerentur*. Ergo jam analogum non eſt unum ſed multa, adeoque æquivocum, nam ſi analogum eſſet unum poſſet ens eſſe unum quantumvis non eſſet univocum, quod Porphyrius renuit concedere, ergo. Porphyr.

9. Objici poteſt, in primis Ariſt. 7. *Met.* reſpondeo: Ibi planè ille videretur oppoſitum concluſionis tradidiſſe niſi quid addidiſſet, ſed enim optimus interpres ſui eſt ipſe, qui ibi ſubdidit: *Sed hæc quidem quomodocumque dicere quis velit, nihil refert.* Volo autem ego dicere analoga non eſſe media, ſed unum ex duobus extremis hic, adeoquè meâ nihil refert ille locus Ariſt. fundamenta Thomiſtarum vix invenies apud ipſos, libet tamen hoc ex meo.

10. Objicere: Denominativa dantur, quæ nec ſint univoca neque æquivoca, ergo poſſunt etiam analoga admitti tanquam tertium quid; ſaltem rationes noſtræ, quibus conati ſumus ſuadere concluſionem nihil efficiunt, nam omnes ferè procedunt ex eo quod inter univoca & æquivoca non ſit medium, at hoc non poſſunt probare quum de facto denominativa ſint media, ergo. Reſpondeo primò negando aſſumpta, nam denominativa ſecundùm nos ſunt univoca, fortè etiam æquivoca aliquando. Reſpondeo ſecundò nego conſequentiam ſive paritatem; cauſa eſt, quia analoga prædicantur in quid & per modum ſubſiſtentis & eſſentialiter, at vero in prædicari *in quid* non datur medium inter prædicari univocè & prædicari æquivocè, adeoque non datur analogum, at vero prædicare accidentaliter eſt extra totum hoc genus prædicationis in quid, adeoque poteſt dari denominativum quod non eſt medium inter iſta duo ſed tertium quid diſparatum. Rectè ergo poſitæ ſunt rationes noſtræ, quia ſi darentur analoga daretur medium propriè dictum, & in eodem genere prædicationis inter iſta quæ æquivalent contradictoriis; at vero etſi dentur denominativa, non proinde dabitur hujuſmodi medium, ergo. Videor etiam poſſe.

11. Objicere tertio principium phyſicum corporis naturalis, nam hoc neque eſt univocum, æquivocum nec denominativum, erit ergo analogum: Non quidem univocum omnibus, quia inter tria illa, quæ numerantur, duo ſunt poſitiva, tertium, eſt privativum, imo eſt ipſa privatio, quæ eſt nihil, adeoque non poteſt quidquam eſſe illi & rei commune univocum. Non etiam æquivocum, aliàs imperitè diviſiſſet philoſophus ipſum in illa membra; eſt enim ac ſi divideret hominem in verum & pictum, aut mortuum, non denique denominativum quod evidens eſt nec eget probatione, cùm à nullo negetur reſpondi huic argumento ſupra, vel dedi doctrinam quâ ſolvi poſſet tenendo aliquid poſſe cenſeri commune pluribus qui ratio entis ut ſic non eſſet in rigore communis; atque ita habitui, & privationi poſſet eſſe aliquid commune in cujus oppoſito fundatur hoc argumentum. Sed reſpondeo ſecundò retorquendo ipſum; valet enim contra Adverſarios, nam etiam ſi principium ſit analogum tribus illis, adhuc malè dividetur in tria illa, ſicut malè dividitur riſus in riſum

hominis prati quæ ſunt analoga. Reſpondeo ergo tertiò directè rationem principii eſſe denominativum his tribus, id eſt prædicatum non eſſentiale, quia ratio proprii ut ſic communis illis tribus conſiſtit in hoc quod eſt eſſe *terminum à quo*, at vero clarum eſt quod eſſe terminum à quo ſit quid extrinſecum & nequaquam eſſentiale ei quod eſt talis terminus, ergo.

Dici tamen poteſt: Secundùm nos hujusmodi Denominativa ſunt univoca. Ratio autem principii non item. Reſpondeo etiam rationem *principii* ſive, quod idem eſt, rationem *termini à quo* eſſe his tribus univocam, id eſt ejusdem rationis in omnibus: neque obſtat argumentum contrapoſitum, quòd nihil ſit univocum enti & nihilo, id enim veriſſimum eſt de prædicato conſtitutivo; de aliis autem externis prædicatis eſſe falſum patet, quia ipſum *nihil* eſt intellectum ſicut ens, eſt volitum & nolitum ac ſimilia.

ACTIO III.

Quæ ponantur in prædicamentis?

Breviarium.

N. 1. *Deſcribitur prædicamentum ſaltem quoad quid nominis.*

2. 3. 4. 5. *An ſuprema ipſa genera ſint partis prædicamentorum? quodlibeticè diſputatur & deciditur.*

6. *Deum non eſſe in prædicamento, aut ſub ullo genere.*

7. *Ratio hujus formatur, & confirmatur multipliciter.*

8. *Inſtantia vehemens contra rationem adductam. Num Deus ſit in potentia ad ſua attributa?*

9. 10 *Solvitur inſtantia, & oſtenditur etiam Adverſariis eſſe ſolvenda.*

11. *Ratio altera concluſionis multipliciter etiam contexta & confirmata.*

12. *An rationes poſitæ redeant contra Scotiſtas.*

13. *Objectio. An infinitum aliquod in prædicamento ſit?*

14. *Nova ratio pro concluſione. An relationes divinæ in prædicamento ſint.*

1. QUid eſſet prædicamentum, non decidit nobis explicitè Ariſt. adeóque poſteriores decidere conati ſunt, quisque ſuâ menſurâ, ita quot capita, tot definitiones. Meam ego adderem niſi dependeret à deciſione quarumdam quæſtionum quæ nondum propoſitæ ſunt, ſufficiat ſcire quod prædicamentum ſit ſeries ſeu coordinatio prædicatorum in quid ſub aliquo genere generaliſſimo; quæ deſcriptio eſt quoddam *quid nominis* prædicamenti: ultra quod fruſtra fatigant ſe aliqui ut eliciant modernam ſignificationem prædicamenti ex voce prædicatum aut Græco Cathegoria, nam ſi his ſtaremus tum prædicamentum non eſſet niſi ipſum ſummum genus quod antonomaſtiæ prædicatum dicitur, imo etiam quodlibet genus atque etiam ſpecies dici poſſunt prædicamentum quia nimirum ſunt prædicata: ſed, ut dixi, uſus amplificavit hoc vocabulum cum quo fruſtra contendas, quia mutari non volet. Suppoſito tamen ipſo.

2. Quæro ad majorem explicationem negotii, utrum ipſa ſuprema genera cenſenda ſint de prædicamento tanquam cum aliis componentia ipſum, nec ne? In quo ſanè vulgus philoſophorum ſemper ſuppoſuit affirmativam partem, contrà quam tamen pro negativa poſſumus ſic argumentari: In aliis ordinibus ſeu coordinationibus id, à quo denominatio ſumitur, eſt extra illum numerum, nam dux non eſt de exercitu, Doctor non eſt pars ſcholæ, & tamen dicitur ſchola doctoris exercitus ducis, ergo ſimiliter id à quo ſumitur denominatio prædicamenti, v. g. ſubſtantia aut quantitas, non erit intra ipſum prædicamentum, ſicut titulus non eſt pars libri. Deinde prædicamentum non videtur eſſe aliud quàm quædam diviſio ſive aggregatum membrorum dividentium aliquod genus, ut patet, quia prædicamentum incipit ſtatim diſponere à lateribus differentias diviſivas, quod eſt ſignum ipſum genus adhibitum eſſe horum gratiâ non è contra; at verò exploratum eſt diviſum non eſſe aliquid ex numero dividentium, ſed extra ipſum; Vnde & traditur illa regula quod diviſum non ingrediatur diviſionem, & meritò quia ſi diviſum eſſet dividens tum aliquid eſſet minus ſe ipſo. Vrgeo primò, nam ſi ſupremum genus v. g. ſubſtantia componeret hoc prædicamentum ſicut cætera genera (ut volunt communiter alii) tum in prædicamento reponi & deſcribi deberent differentiæ conſtitutivæ ſupremi generis ac non tantum diviſivæ, nam & aliorum inferiorum generum poſitæ ibi ſunt differentiæ non ſolum diviſivæ ſed conſtitutivæ, v. g. corporis, viventis animalis. At vero id non eſt factũ, ſed poſitæ sũt ſolæ differentiæ diviſivæ ſupremi generis, cùm primæ differentiæ in prædicamento ſubſtantiæ ſint *corporea* & *incorporea*: Imo nec fieri potuit quia ſuprema genera non videntur habere differentias ſeu conſtitutivas. Confirmo hoc quia etiam perſeitas quæ eſt gradus differentialis non eſt niſi ens. Vrgeo aliter quia prædicamentum ſubſtantiæ v. g. dicitur vel ex eo quod ſit ſeries eorum de quibus prædicatur ſubſtantia vel quod ſit ſeries eorum quæ de ſubſtantia prædicantur, vel denique eo quod ſit ſeries utriusque generis: ſi primum, habemus intentum, quod ſubſtantia non ſit de prædicamento, quia ſubſtantia non eſt ex numero eorum de quibus ipſa prædicatur? ſi ſecundum, tum ſola mens, aut certè ſimul cum aliis pertinebit ad hoc prædicamentum: quæ rationes probant quod non poſſit prætendi tertium membrum, cum excluſæ ſint duæ partes ex quibus conſtabat.

3. Ex alia tamen parte difficulter negari poteſt, quin ſubſtantia pertineat ad ſuum prædicamentum, nam quid potiùs eſt ibi, quàm ipſa? Præterea

terea

Digitized by Google

terea etiam, niſi ipſa ibi ſit (& idem intelligo de aliis ſummis generibus ratione ſuorum prædicamentorum) tum non ſufficerentur, dividerentur omnia genera & ſpecies rerum in decem claſſes, quia nimirum extra ſingulas eſſet aliquod genus, ſcilicet ſupremum. Non refert plurimum, quid ex his teneatur, ſi quis autem hanc cum communi teneat, ſolvat rationes à me adductas pro oppoſita. Poteſt dici quòd ſicut caput eſt de corpore, quamvis contradiſtinguatur à corpore, quoniam ly corpus utramque acceptionem habet, unam in qua includit, alteram quæ excludit caput, ita hîc prædicamentum ſimiliter dupliciter ſumatur: pergo ergo &

4. Quæro, num etiam individua ponantur in prædicamento? Hic etiam communis ſenſus videtur affirmativus, nam etiam expreſsè inveniuntur à Porphyrio in ſua arbore collocati ad imum *Socrates & Plato particulares homines*. Deinde, ſi abeſſet, jam non omnes ſubſtantiæ v.g. ponerentur in prædicamento ſubſtantiæ, adeóque extra ipſum aliqua eſſet utique in alio prædicamento (nam res omnes reductæ ſunt ad decem) hæc autem omnia falſa ſunt, quia tum ſubſtantia eſſet accidens, & è contra, propter quæ admittendum eſt individuum prædicamenti v. g. ſubſtantiæ ad ipſam pertinere eò magis quòd prima ſubſtantia ſit maximè ſubſtantia, & idem ſine dubio dicendum eſt in aliis generibus ut ſcilicet individuum quantitatis ſit maximè tale, qualitatis, relationis.

Aliàs tamen non videntur hic illa locum habere, quia prædicamentum ex origine & inſtitutione ſua eſt idem ac prædicatum vel ſeries prædicatorum; individuum autem non eſt prædicatum, ſed potiùs id, de quo prædicantur alia, adeoque ſi eſſet aliqua ſeries rerum quæ diceretur, & eſſet ſubjicimentum, individuum ad illam pertineret.

5. Cenſeo tamen ſtandum eſſe in prima via, & numeranda eſſe individua in prædicamentis propter ſuprà adducta pro priori parte. Nec enim ratio ſequentis partis eis obſtat, quia nimirum individuum etiam prædicatur, non ſolùm prædicatione identicâ rei ſed formali, quia ſyllogiſmus expoſitorius eſt formalis ſyllogiſmus, adeoque conſtat formalibus propoſitionibus ſeu prædicationibus; conſtat autem prædicationibus de ſubjecto & prædicato ſingulari, ergo. Deinde ſi individua non reponerentur in prædicamentis, quomodo res omnes ibi eſſent; &, ſi prædicamenta diſpoſita ſunt ad vitandam confuſionem, adhuc ſingularia omnia eſſent confuſa, & non ſolùm inordinata, ſed ferè etiam inordinabilia. Illud dignius eſt diſcuſſione, num in prædicamentis omnia, etiam Deus ſint? Quam quæſtionem Recens aliquis recentem atque etiam nominalem vocat; ſed, ut differam cenſuram cenſuræ hujus, prima pars ejus planè eſt falſa, nam quomodo nova eſt illa quæſtio quam veteres tractarunt (*a*) Doctor noſter *q* 16. *univ.* & 7. *Met art.* 18. & *in* 10. Deinde *d.* 8. *q.* 3 D. Th. 1. *p. q.* 3. *art.* & in primo ſent. cum noſtro, cum quo D. Bonaventura, & ante omnes Magiſter *ibid.* Ante hunc quoque Boë. *lib.* 1. *de Trinitate c.* 6. *& ſeqq.* Adhuc anterius Avicen. *lib.* 8. *Met* & Rabbi Moyſes Hebræus quam etiam ſignificavit Ariſt. 12. *Met.* à *tex.* 1. *ad* 5.

(*a*) Scotus D. Thom. S. Bonav. Magiſt. ſent. Boet. Avicen. Rabbi Moyſ. Ariſtotel.

Ad rem autem ipſam reſolutio communior veterum Theologorum fuit negativa, ut patet apud Fonſecam 5. *Met. cap.* & *q.* 7. pauci admodum affirmarunt, iique Nominales Greg. 1. *d.* 8. *q.* 3. Marſil 1. *q.* 12. *art.* 2. Gab. cum Greg. Robertus, Holcot. 1. *q* 6. contra quos cum ſubti li noſtro

Fonſec.

6. Dicendum eſt Deum non eſſe in prædicamento aut ſub ullo genere. Ita citati; ita etiam Eccleſiæ PP. Aug. (*b*) Anſel. (*c*) Clem. Alex. &c. (*d*) Probatur, nullum infinitum eſt in prædicamento; hoc eſt, nullum tale continetur ſub genere, Deus ſine dubio eſt infinitus, ergo non in prædicamento nec ſub genere. Recentior aliquis (*e*) dicit rationem hanc peccare plus ſemel, quia in Deo ſunt rationes communes, quæ ſecundùm ſe non ſunt infinitæ, ſed in primis advertere debuit neque rationem neque concluſionem adhuc dixiſſe, quod nihil in Deo contentum ſit ſub genere, ſed quod Deus non ſit in genere, nam quamvis quodlibet contentum in Deo non ſit de ſe ſummè perfectum, Deus tamen eſt.

(b) 7. *Trinit. cap.* 5. (c) Monolog. *cap.* 26 (d) *li* 5. *Stromat.* [illegible] (e) A[illegible]g. *diſp.* [illegible] *ſec.* 3.

Præterea hallucinatus videtur in eo, quòd credidit infinitatem ſolam continere res à prædicamento & finitatem includere, quod non eſt verum: ſola finitas includit, ex quo oritur quod non ſola infinitas excludit, ſed etiam defectus finitatis, atque hinc eſt quod gradus abſtracti v. g. entis, rei, relationis, communes Deo & creaturis non ſint in prædicamento, quia licèt non ſint infiniti, tamen neque finiti ſunt quod opus eſſet ad hoc ut prædicamentis continerentur, ut jam oſtendo proſequendo rationem concluſionis, & probando majorem ejus ſic:

7. Genus eſt quid potentiale, nihil in Dei eſt in potentia, ergo nihil ejus eſt genus, minor ubique eſt certiſſima, majorem hanc ſic probo: Genus eſt in potentia ad differentias, non enim habet illas ex ſe, & poteſt habere; perficitur etiam iis habitis, & ſine ipſis ſtare non poteſt; quid eſt autem eſſe in potentia, niſi hoc ſit? ergo. Confirmo ex Ariſtotele *lib.* 8 *Met. cap.* 5. ubi loquens de genere & differentia. *oportet* (inquit) *illud eſſe materiam*, ſcilicet genus, & *illud formam* ſcilicet differentiam, certum eſt autem, quod materia ſit in potentia non ſolùm logica ſeu non repugnantia, ſed in potentia egeſtatis & indigentiæ, quæ etiam arguat in eâ imperfectionem, unde & appetit vehementer formam. Ex quo deſumi poteſt nova Confirmatio hujus, nam quod eſt in ſe perfectum & felix, nihil extrinſecum appetit, adeoque genus eſt in aliqua imperfectione & indigentia differentiæ. Urgeri ulterius poteſt caſu quo per poſſibile, aut impoſſibile poneretur genus extra differentiam à parte rei, certè enim eſſet tum genus in ſtatu imperfecto v. g. ſubſtantia ſine ſpiritualitate aut materialitate, ergo jam de facto quando realiter unitur differentiæ, ipſa nihilominus formaliter ſumpta eſt in ſtatu imperfecto, quia ut ſic non habet differentiam ſed abſtrahit ab ea.

8. Hoc tamen tam validum argumentum pro Deo patitur inſtantiam etiam in ipſo Deo; nempe totum ipſum recutiit, ut probet etiam in Deo dari potentiale, aut certè non requiri potentialitatem ad genus; atque ita ſive majorem ſive minorem argumenti eſſe fallam. Comparemus enim eſſentiam divinam ad ſua attributa, putà ad intellectum & voluntatem, ſanè antequam eſſentia emanet (ut ſic dicam) has, non habet ipſas, & poteſt habere, & præterea perfectius eſſe habet, cum ipſas habet quàm quando eſt ſine

illis

illis (ne dicam fore imperfectum ſine illis) & ne fortè fiat vis in hoc, quod eſt egere, ſanè Deus ad intelligendum requirit intellectum, ut ſine eo non intelligeret, ergo jam aut hæc non arguunt potentialitatem in genere prædicamentali, aut certè in D[illegible]venitur potentialitas, atque ita poterit inveniri etiam ratio generis & ſpeciei prædicamentalis. Fateor difficultatem inſtantiæ ſubeſſe, & ſatis urgere in noſtra præſertim ſententia, quia diſtinguimus formaliter eſſentiam divinam ab attributis, nam ſi quis neget eorum diſtinctionem, non premitur hoc argumento. Ad ſolutionem ejus.

9. Duo præſtare conabor, unum & principale erit oſtendere, quòd in noſtra ſententia rectè evadi poſſit, alterum, quod etiam Adverſariis ſive negantibus diſtinctionem formalem inter divina faceſſat negotium. Do ergo diſparitatem inter divina & creata, v. g. inter animalitatem ac rationalitatem in homine, & inter eſſentiam ac intellectum ſeu ſapientiam in Deo; & dico animal quod eſt genus eſſe in potentia ad rationale non item eſſentiam Dei ad ſapientiam, quia nimirum ex ſe animal non habet rationalitatem neque quidquam unde eam acquirere poſſit, & multo minus habet aliquid propter quod debeat eam habere, nam merè accidentaliter advenit ei conſiderato ſecundum ſua eſſentialia, & unitur ei materialiter identitate reali, quum utrumque habet ad totum. At verò eſſentia divina ſecundum ſe ſumpta habet unde poſſit & debeat habere ſapientiam, intellectum, ſcilicet infinitatem. Dices adhuc non eſſe ſolutum argumentum, nam etiam ipſa infinitas eſt extra eſſentiam Dei. Reſpondeo infinitatem eſſe duplicem formalem, & radicalem, formalis eſt non quidem ſtrictè eſſentialis, ſed modus intrinſecus Dei quod ferè in idem recidit, nam res non habet perfectum eſſe ſine modo intrinſeco. Radicalis autem eſt etiam eſſentialis quia nimirum ipſa eſſentia eſt radix infinitatis formalis

Redeo nunc ad argumentum, & oſtendo ſubeſſe ſive hanc ſive aliam diſparitatem inter iſta, quia iſtæ prædicationes ſunt falſæ, *animalitas eſt rationalitas*, iſtæ autem veræ *Deitas eſt ſapientia* ergo eſt aliqua unio inter hæc quæ non eſt inter illa, & non ſolùm uniuntur realiter aut ratione ſubjecti ſicut iſta ſed ipſæ rationes formales continent ſe invicem, ut unum non ſit in potentia, ſed in actu reſpectu alterius.

10. At hæc, Adverſariorum aliqui volunt illas diſtingui ratione ſolâ, non verò formaliter, quaſi hoc avertat omnem hanc abſurditatem, quam potiùs trahit ſequentem quodammodo, nam quum ratio illa ſit *rationata*, ut loquuntur illi, hoc eſt fundata in re, debent extrema hujuſmodi diſtinctionis eſſe aliud & aliud atque ita unum extra aliud in re ipſa aliquo modo, tum autem quæro, utrum & quomodo unum non ſit in potentia ad aliud, ut ſupra. Deinde à divinis arcenda eſt non ſolum realis compoſitio, ſed & rationis, & abſolutè omnis omnino, & tamen illi habent admittere compoſitionem rationis ibi niſi reſpondeant hac noſtrâ ſolutione, ergo, hic incepi alterum argumentum, quo concluſio illa

11. Probatur ſecundò: Si Deus eſſet in prædicamento, non eſſet ſimplex, eſt autem ſummè ſimplex ſine dubio, ergo ſequela probatur, quia, quod eſt in prædicamento, non eſt ſimplex, ſed compoſitum.

Dicet fortè aliquis aſſumptum hic eſſe falſum, quia ſupremum genus eſt de prædicamento, nec tamen eſt compoſitum. Reſpondeo primò ex dictis non eſſe adeo exploratum, quod ſupremum genus ſit de prædicamento. Reſpondeo ſecundò adhuc eſſe compoſitum ex ſuis gradibus v. g. quantitas componitur ex accidente ut ſic, & extenſione, ſed contra hanc reſponſionem urgeri poſſet ſaltem ſubſtantiam non eſſe ſic compoſitam, quia componens ipſam non eſt ens ut ſic, ſed ens finitum, quale ens non invenies in Deo. Reſpondeo tertiò ad argumentum ſupremum genus prædicamenti licet non ſit compoſitum, tamen non eſſe ſimplex, quia nimirum eſt componibile quod impedit ſimplicitatem, cæterum certum eſt Deum ſi ſit in prædicamento non eſſe genus ſummum ſed ſpeciem ejus quod etiam aſſertores ejus fatentur, ſi autem ſpecies eſt aut individuum jam eſt ex genere & differentia & quæſo quid eſt compoſitum niſi ſit id quod conſtat genere & differentia? Proſequor rationem ſic: Genus ſub quo eſt Deus aut eſt finitum, aut infinitum, aut abſtrahens ab utroque non finitum quia nihil tale includitur in Deo certiſſimè, non infinitum quia hoc non habet ſpecies, neque enim eſt aliud infinitum poſſibile niſi Deus, & multo minus eſt poſſibilis alius Deus in ſpecie. Quod etiam non ſit abſtrahens ab utroque probo transferendo eaſdem quæſtiones ad differentiam, & quærendo utrum ſit finita (intelligo differentiam quæ cum illo genere conſtituit Deum) an infinita an abſtrahens ab utroque? finita non poteſt eſſe, alioquin Deus eſſet finitum quid, ſufficit enim ad hoc finitas differentiæ ut patet in creaturis quæ finitæ perfectionis ſunt licet genus illud abſtrahens à finito & infinito includatur in illis, non eſt autem abſtrahens à finita & infinita alioquin necdum Deus eſſet infinitus, nam tale non poteſt eſſe niſi quod habet aliquid ſaltem conſtitutivum ſui infinitum Deus autem tum non haberet nec genus nec differentiam infinitam. Non denique infinitam quia infinitum non poteſt componere, eò quod non poſſit eſſe pars, alioquin daretur aliquid majus infinito, utique enim omne totum eſt majus ſui parte. Confirmatur hæc pars rationis aut enim Deus ſeu compoſitum ex illo genere & differentia infinita eſt quid melius ſolâ differentiâ, aut non, ſi ſit, ſequitur quod aliquid ſit melius infinito bono, quod repugnat, ſicut repugnat longius eſſe infinitè longo, nam ex duabus lineis ſibi coextenſis, illa quæ exceditur finitur, & quidem ubi exceditur. Ex altera autem parte dici non poteſt quin ſit aliquid majus differentiâ, quia ut dixi eſt totum reſpectu differentiæ tanquam partis at vero omne totum eſt majus parte.

Confirmatur & explicatur adhuc: Illa differentia, aut continet perfectionem generis aut non continet, ſi non continet, non eſt infinita, nequidem in uno genere v. g. ſubſtantiæ, quia non continet perfectionem cujuslibet illius prædicamenti, ſi continet ergo jam ſuperfluit genus, & ſufficit ſola ipſa differentia.

12. Optimæ rationes niſi redirent in nos, nam ſi quid efficiunt probant non dari conceptum entis in Deo diſtinctum aut abſtrahentem à conceptibus ſupervenientibus, ut nos aſſerimus. Accipiamus enim differentiam aut quaſi differentiam Deitatis, illa aut conti-

continet rationem entis, aut non continet, ut ſupra, ſi non continet, ipſa non eſt infinita, adeòque nec Deus, ſi autem continet jam ſuperfluit ens, adeoque non eſt aſſerendum in Deo & multo minus ut quid formaliter diſtinctum ab aliis gradibus in Deo, quæ eſt ipſa noſtra doctrina, ut ſupra ſuo loco patuit, & apud Doct. 1. *d.* 8. *q.* 3. *& alibi*

Sed in primis hæc retorſio argumentorum non eſt, niſi contra Scotiſtas, Deum autem non eſſe in prædicamento tenent multi præter Scotiſtas Niſi fallor etiam dabo diſparitatem inter ens & alia, ſive oſtendam cauſam cur Deus poſſit ſub ente, non poſſit autem eſſe ſub aliis conceptibus abstrahentibus à finito & infinito, ex quo patebit quod rationes non redeant contra nos. Eſt autem ratio iſta, quia ſi Deus non includeret ens non eſſet, quia nihil eſſet aliis autem rationibus ſi careret non ſtatim nihil eſſet. Deinde quamvis ponamus differentiam eſſentialem Dei finitam, non poterit illa emanare ens, quia hoc eſt prius omni alio, ſi autem ponamus eam infinitam poterit emanare alias rationes ſubſtantiæ v. g. & ſimilium, ergo jam poſſumus & debemus cum infinitate differentiæ aut quaſi differentiæ Deitatis ponere ens abstractum a finito & infinito, non ita debemus aut poſſumus cum infinitate differentiæ aut quaſi differentiæ Deitatis ponere genus aliquod v. g. ſubſtantiam aut ſimile, quia nimirum poterit ipſa differentia continere rationem ſubſtantiæ viventis, eò quod illa infinita ſit, & hæ rationes ipsâ poſteriores. Denique dicere poſſum quod aliquid ſit majus infinito extenſivè non autem intenſivè, ſic Deus & creaturæ ſunt majus Deo quam doctrinam non poſſum applicare tenendo dari in Deo genus aliquod ſub ente quod ſit abstrahens à finito & infinito, quia quum genus illud non emanet à differentia neque continetur in ipſa ſicut creatura continetur in Deo, & ipſius Dei attributa in eſſentia, jam non ſolum extenſivè ſed intenſivè majus eſſet compoſitum ex illo genere & ea differentia quam eſſet differentia ſola, atque ita ſubſtantia divina ſive genus ſubſtantiæ cum differentia Deitatis eſſet totum aut quaſi totum intenſivè majus quam ipſa illa differentia, Deus & creatura non eſſent quid majus quam Deus, eſſentia divina & intellectus, quam eſſentia ſola, quia creatura emanat à Deo, intellectus ab eſſentia.

13. Objicies Fundamur totaliter in eo, quòd infinitum non poſſit eſſe in genere, & quòd genus ex ſe debeat eſſe quid finitum Atq; hæc ſunt falſà, quod probatur inſtantiâ lineæ infinitè longæ, quæ nihilominus eſſet in prædicamento & numerus etiam infinitè auctus ac denique qualitas infinitè intenſa, ergo jam infinita habent locum in prædicamentis, & ſi alia, quidni Deus? Aſſumptum hujus quod ſcilicet linea infinita eſſet in prædicamento elicuit Doctor 1. *d.* 8 *q* 3 ex philoſopho 6. *Top* quam conſequentiam ego ſic aliter induco, Repræhendit philoſophus deffinitionem illam lineæ rectæ quid ſit illa, *cujus medium non exit extrema* ſive (ut elegantius eſt apud Platonem) *cujus medium obumbrat extrema*, eò quòd non competat lineæ infinitæ (nam infinita nec medium, nec extrema habet alioquin finiretur) ex quo ſic poſſumus diſcurrere: ſi peccavit ſic deffiniens, eò quòd non compræhenderit lineam infinitam, ſequitur quod infinita linea deffiniri poſſit, quod autem deffiniri poteſt ſub genere eſt quum ipſa deffinitio non ſit aliud quam aſſignatio generis & differentiæ. Reſpondeo: Nego fundamentum eſſe falſum, aut aliquid ſimpliciter infinitum eſſe in prædicamento Ad probationem ſequentem concedo inſtantias & diſtinguo conſequens ergo infinita in perfectione habent locum in prædicamento nego, in extenſione concedo, hoc enim non eſt eſſe infinitum ſimpliciter, quia compatitur cum ſimpliciter finito, nec linea infinitè longa eſt infinitæ perfectionis, quum melior illâ ſit qualitas infinitè intenta, imò etiam remiſſa. Idem eſt de numero infinito, de qualitate autem eſt aliud, unde diſtinguenda eſt infinitas ejus, aut enim eſt infinita ſecundum eſſentiam aut ſecundum intentionem, ſi ſit finita ſecundum eſſentiam & infinita ſecundum intentionem tantum, tum poni poterit in prædicamento, quia in prædicamento eſt ratione eſſentiæ non ratione modi; ſi autem ſit infinitæ perfectionis eſſentialis tum in prædicamento non erit.

14. Vltimò hanc rationem formo pro concluſione, & per ipſam oſtendo non eſſe hanc quæſtionem ita nominalem, ut credunt aliqui, arguo autem ſic: Relationes divinæ non ſunt in prædicamento, ergo nullum infinitum eſt in prædicamento. Conſequentia valet, non quia relatio divina ſit infinita, ſed quia eſt extra prædicamentum relationis eò quòd ſit ſubſtantia & in prædicamento illo relationis ſicut & in cæteris octo ſequentibus ſola accidentia collocentur, quod omnes tenent de mente philoſophi, & inde ſic arguo: Non eſt ratio cur in prædicamento relationis ſint ſola accidentia, & in prædicamento ſubſtantiæ non ſint ſola finita cur enim limitatio eſt in uno genere non in alio? nam ſi indifferenter quodlibet ad aliud ſe habens eſt in prædicamento relationis certe relationes ſubſtantiales ibi ſunt, nam paternitas divina quæ eſt ſubſtantia non minus eſt ad aliud quam creata paternitas aut ſimilitudo. Si autem non ſit jam eſt aliqua limitatio hujus relationis, ſi relationis, quidni ſubſtantiæ: limitatio autem ſubſtantiæ non eſt alia quam ad finitum, aut ſi ſit alia, æquo jure potero ego aſſerere limitationem ſubſtantiæ ad finitam ſicut ille ad aliud illud ad quod cogitur hoc argumento. Explico paulo ampliùs rationem, non poteſt Deus eſſe in prædicamento, niſi prædicamentum amplietur ad omnia quæcumque, at vero certum eſt de mente Ariſt qui author eſt prædicamentorum, quod non ſit ampliandum ad omnia, ergo, deinde non poteſt ſaltem ſalvâ intentione Ariſt numerus prædicamentorum augeri, nec ipſa prædicamenta amp[...]liari ad quo[...]dlibet [...]u[...] faciant collocantes in eo Deum) niſi contra inſtitutionem authoris fiat, non volumus autem amplius nos neque Scotus aliud intendit ut patet ex rationibus ejus, ergo.

ACTIO IV.

Examinat regulam ante-prædicamentalem.

Diverſorum generum non ſubalternatim poſitorum diverſæ ſunt ſpecie differentiæ.

Breviarium.

N. 1. *Vſus regularum ante-prædicamentalium.*
2. *Diſſidium Logicorum circa ſubalternationem generum.*
3. *Non eſſe diſcrimen aliquod inter genera plurium prædicamentorum, & genera non ſubordinata ejuſdem quoad habere eaſdem differentias.*
4. *Regula accipienda eſt de differentiis ſpeciei atomæ, idque ex mente Ariſtotelis.*
5. *Probationes & inſtantia hujus, de eadem differentia in diverſis prædicamentis.*
6. *Inſtantia unius differentia in pluribus generibus ejuſdem prædicamenti.*
7. *Objectiones ſolutæ.*
8. *Verus ſenſus generum non ſubalternatim poſitorum.*

1. HUic præmittit *Ariſtoteles* aliã iſtam: *Quum quidpiam de quopiam dicitur, ut de ſubjecto, quæcumque de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de ſubjecto* cui ſubdidit iſtam: *Diverſorum generum & non ſubalternatim poſitorum diverſæ ſunt ſpecie differentiæ.* Addit, *ſubalternatim verò nihil prohibet eaſdem eſſe differentias.* Aliàs autem additio parum refert utrum faciat novam regulam, an cum priori unam: imò exiſtimo potuiſſe eam omnino omitti utpote contentam in priori, nam ſi nullorum generum differentiæ poſſunt eſſe eædem, fruſtra poſuiſſet ille ly non ſubalternatim poſitorũ, quia ubi totum ponitur, nihil excipitur.

Voluit autem per has regulas Ariſtoteles (ut egregiè Amonius) prædicamenta ſecundùm diverſas dimenſiones metiri: prima illa metitur prædicamentum ſecundùm altitudinem, id eſt, à ſummo uſque deorſum (quamvis & hanc dicere poſſis profunditatem) docet enim, quouſque in recta linea procedat prædicatio unius de alio. Secunda autem in tranſverſum procedit, & docet quouſque per latera prædicamentorum progredi poſſimus aſſignando generibus differentias tam conſtitutivas quam diviſivas.

2. In quo multa eſt varietas inter authores ſuper eo, quod intelligendum eſt per genera ſubalternatim poſita: tripliciter enim ſe habere poſſunt ad invicem genera, primò ſic, ut nullo modo ſe contingant, ſed ſint prorſus aliena & extranea invicem, qualia ſunt quæ in diverſis prædicamentis ponuntur, de quibus Ariſt. ipſe exemplificavit *animal* & *ſcientia.* Aliter & propius ſe habere poſſunt, ut ſint in eodem prædicamento, ſed diſparatè poſita, hoc eſt in diverſis lineis, quaſi parallela, ut unum non immineat alteri quomodo ſe habent ſpiritus & corpus quorum utrumque eſt in genere ſubſtantiæ, non tamen in eadem linea unum ſupra aliud; tertiò denique ita ut ſint in eodem prædicamento, & in una ejus linea rectè diſpoſita, ut unus immineat alteri ſicut in corpore hominis caput collo, & in arbore Porphyrii ſubſtantia corpori & corpus viventi. His poſitis dubitatur, quo ex his tribus modis ſubalternationis intelligenda ſit regula Ariſtotelica? ſunt autem ipſorum in hoc duæ claſſes, una opinantium genera ſubalterna accipienda eſſe utroque poſteriori modo, non ſubalterna autem ſolo priori modo: ſic ſenſit *ſimplicius*, & ex veteribus alii aliquot. Oppoſitum ſcilicet genera ſubalternata dici ſolùm ultimo modo, non ſubalternata duobus primis, ſentire communiter cenſetur D.N. *q.* 10. *prædicam.* ubi tamen revera non tam clarè controverſiam dirimit. Realis difficultas hujus loci, quam hîc definiam, eſt iſta, utrum poſſint eædem differentiæ inveniri in generibus diverſis, quæ invicem non ſuccedant ſibi recto ordine poſita, quomodo videmus arborem à Porphyrio, atque etiam à natura ipſa factam perpendiculo quodam, ut una pars rectè immineat alteri? Negant authores ſecundæ ſententiæ, affirmant illi primæ. Meam ſententiam de toto negotio ſequentibus aperiam.

3. Cenſeo autem inprimis Logicos fruſtra hîc contendere de eo, quod intelligendum eſt per genera ſubalternatim poſita, nec quidquam juvare eos, quòd intelligantur genera in eodem prædicamento collocata, quaſi poſſint eſſe eædẽ differentiâ hujuſmodi generum non aliorum, ſed tenendum eſſe, quod ſi poſſint eſſe eâdem differentiæ generum ejuſdem prædicamenti, quæ non ſint in eadem linea prædicamentali, poſſe etiam eſſe generũ, quæ ſint abſolutè diverſorum prædicamentorum, & nullatenus ſibi ſubalternata: ſuadeo hanc ſic, ſicut enim adferuntur inſtantiæ ad probandum, quòd poſſint eædem differentiæ inveniri in diverſis generibus ejuſdem prædicamenti, v.g. ſucceſſio in genere quantitatis continuæ, quia motus eſt ſucceſſivus, & in genere quantitatis diſcretæ, quia oratio eſt ſucceſſiva, ſic etiam adferri poſſunt inſtantiæ ad probandum, quòd inveniantur in diverſis omnino prædicamentis eædem differentiæ. Nam ſpiritualitas invenitur in ſubſtantia, ut patet in anima & Angelis; & invenitur ſimiliter in accidentibus, ut patet in habitibus & actibus intellectus & voluntatis.

Huic aliqui conati ſunt reſpondere dicendo non eſſe eandem differentiam utrobique, ſive non eſſe ejuſdem rationis ſpiritualitatem in ſubſtantia & accidentibus, adeòque nondum allatam eſſe inſtantiam alicujus differentiæ, quæ ſit una in diverſis prædicamentis. Dupliciter tamen confutari poſſunt authores hujus, primò à priori ſic, oſtendendo verum aſſumptum eſſe ab argumento, falſum autem ab illis, quia nimirum ſpiritualitas (quatenus à nobis pro nunc concipi poteſt) conſiſtit in non-exigentia quantitatis, ſicut corporalitas conſiſtit in exigentia ejuſmodi quantitatis aut extenſionis; atqui clarum eſt accidentia illa ſpiritualia

non

non exigere quantitatem, ſicut nec ſubſtantia exigit, ergo manifeſtè in hoc conveniunt, adeòq; ſpiritualitas erit univoca utriſque. Deinde detur Adverſario ita eſſe; An non ſimiliter dici poterit illi, quòd corporatus omnium corporum non ſit ejusdem rationis, v.g. Lapidis & ligni, tam enim facilè prætendi poteſt quod corporeitas aliquorum non ſit ejusdem rationis in ipſis quam quod ſpiritualitas non ſit. Et idem erit de quocumque univoco; dicere enim poterit quis, & cogentur concedere hi, quod nullum reperiatur univocum in ſpecie diſtinctis, imò nec in numero diſtinctis, cur enim aliud non autem hoc? cur ſenſitivitas erit univoca homini & leoni, non erit ſpiritualitas iſtis? Unde.

4. Dico 2. Regulam illam ante prædicamentalem, ut vera ſit, accipiendam eſſe de differentiis ſpeciei atomæ. Antequam probem hanc ratione, oſtendo eam eſſe ad mentem Ariſtotelis & Subtilis: & quidem de mente Scoti res eſt facilis, quidquid velint aliqui Scotiſtæ, & patet tum ex 2. themate ſuprà poſito, ubi ad probandam ſuam concluſionem in hac materia infert ille quòd eadem ſpecies eſſet ſub diverſis generibus ſecundum adverſarios, adeoque palam eſt eum loqui de ſpecie vel differentiis ſpecificis, ut opponuntur genere, huic autem non opponitur niſi ſpecies atoma, quia ſpecies ſubalterna eſt etiam genus. Deinde 2. *Poſt. q.* 11. alias *q.* 58. expreſsè aſſerit quamlibet partem definitionis latius patere, quam definitum, id autem verum eſſe non poteſt niſi differentia latius pateat, quam ſpecies, atque adeo invenietur extra illam; ſi autem invenietur extra illam ſpeciem ſub alio genere, certè poterit etiam ſub quocunque genere quantumvis diſparato & remoto inveniri, ut patuit ex concluſione præcedenti. Quæ ratio oſtendit etiam Ariſtotelem eſſe ab hac parte, Scotus enim hoc dixit ſequutus *Ariſtotelem*, qui axioma illud pronunciavit (a) & pro eodem adduci poſſunt quæcumq; ſupra attuli *Apolog.* 4. *univerſ. Actione* 6. ad oſtendendum quod ſpecies non habeant ſingulæ ſingulas differentias ſibi appropriatas, ſed plures, quarum quævis latius pateat quam ipſa, aggregatum autem convertatur cum ipſa.

(a) *in præ. dic. cap.* 4.

5. Oſtendamus ergo rem rationibus, quæ ſint inſtantiæ majores omni exceptione, unam jam attuli proximè concluſione præcedenti, quam hîc ulterius proſequor in hunc modum: Ratio ſpiritualitatis invenitur non ſolum in ſubſtantiis creatis, ſed etiam in increata, at vero ſubſtantia creata & increata differunt plus, quam genere, quia increata non eſt ſub genere, adeoque plus differt à creata, quam ullum quod eſt ſub genere v.g. quam Accidens, quia ſubſtantia prædicamentalis convenit cum accidenti in eſſe prædicamentalis, cum Deo autem non, quia Deus non eſt in prædicamento.

Altera inſtantia poteſt etiam eſſe theologica de relationibus divinis, ibi enim manifeſtè occurrit differentia unius prædicamenti in alio; nam *eſſe ad* quæ eſt differentia propria & eſſentialis relationis, invenitur in ſubſtantia, quum relationes divinæ certiſſimè ſint ſubſtantiæ.

Diceret fortè aliquis per has non probari, quòd differentia unius ſit in alio ullo, eò quòd relationes divinæ non ſint in genere, ſed nihil proficit ſic reſpondens, inprimis enim plures ex adverſariis tenens non ſolum relationes, ſed eſſentiam divinam eſſe ſub genere; deinde ſint relationes divinæ extra omne genus, id magis oſtendit & auget vim rationis poſitæ, ut patuit ex dictis in præcedenti; ſi enim poteſt eſſe eadem differentia ejus, quod eſt in determinato genere & ejus, quod eſt extra omne genus, quanto magis poterit eſſe earum, quorum quodlibet eſt in determinato genere, quum clarum ſit hæc magis convenire.

Imò etiam recurrit hæc res in ipſis creatis ſubſtantiis, utique enim plures ex illis ſunt ſeipſis ad aliud, neque unquam Logici aliter id evadere potuerunt, quàm appellando has relationes ſubſtantiarum tranſcendentales, v.g. relationem productivi in principio producibilis vel deſtruibilis in effectu: ſed relicta iſta ſit.

Tertia inſtantia etiam in ſubſtantiis, ex quibus ſubſtantia corporea habet certiſſimè differentias quantitatis; ſine dubio enim dantur lineæ ſuperficies, & profunda ſubſtantialia, quum lineâ quantitativa ſubjectentur in ſubſtantiali, & ſimiliter ſuperficies ac profunda; atque ita jam longitudo, quæ eſt differentia ſecundi prædicamenti ſcilicet quantitatis, invenitur in ſubſtantia, quæ eſt primum. Atque hæc dicta ſint in exemplum alicujus differentiæ, quæ ſit in diverſis prædicamentis.

6. Exempla autem differentiæ, quæ ſit in diverſis generibus ejusdem prædicamenti, faciliùs eſt adducere, nam incipiendo à genere ſubſtantiæ eſſe vivens invenitur in corpore, & invenitur in ſpiritu; eſſe continuam invenitur in quantitate ſucceſſiva, & item in quantitate permanenti eſſe tardum & velocem competit motui, & competit actioni. In genere qualitatis etiam eſſe in uſum convenit tam habitibus quàm actibus; & eſſe habitualem tam ſpiritualibus, quam corporalibus qualitatibus. Item intenſio & remiſſio, ſicut etiam intenſibilitas & remiſſibilitas tam actibus, quam habitibus convenit, & tamen tam actus, quam habitus eſt genus, cum ſingula habeant ſub ſe ſpecies; & alia ſexcenta, quæ fruſtra laborant Logici excutere, res enim ferè ad ſenſum reducta eſt, atque ita relinquitur ſenſus illius regulæ Ariſtotelis eſſe quod nulla eadem ſpecies poſſit eſſe in diverſis generibus, quomodo eam explicat Scotus Loco in themate citato. Ideo autem non poterit eadem eſſe in diverſis generibus ſeu prædicamentis, licet una differentia ſit in illis, quia ſpecies non dicit ſolam differentiam, ſed etiam genus, imo pleræque ſpecies non unam tantum differentiam habent ſed plures, quarum proinde nihil nocet unam inveniri extra ipſam, dummodo utraque aut omnes non inveniantur, eo enim poſito adhuc verum erit, quod eſſentia earum nulli alteri convenit; quo dicto ſolvi fundamentum Adverſariorum: Hoc enim

7. Objiciunt idem eſſe in diverſis generibus, cujus conſequentis abſurditas eſt illa, quam infert Subtilis citatus, quòd ſcilicet illa res non eſſet una eſſentialiter, ſed multæ: Nego enim ſequelam & jam oſtendi negandam, quia nimirum res non eſt ſola differentia, ſed aggregatum ex ipſo & genere: cùm ergo hoc totum non inveniatur in diverſis, ſequitur, fallitur ergo arguens quia imaginatur, quod utrumque genus eſſet eſſentiale ſpeciei, quod nec dicimus nos, nec ex dictis ſequitur: Acrius ergo.

Objicio 2. Differentia includit genus, ſed nullum genus eſt in diverſis generibus, ergo nec ulla differentia. Formari etiam poteſt ſic ratio. Diffe-

rentia inferior includit omnes ſuperiores, ſed nullius generis differentiæ omnes inveniuntur in alio, ergo nec ullius una, ſcio majorem utriusque ſyllogiſmi negandam eſſe à noſtris, quandoquidē teneamus communiter quòd nec genus nec differentia ſuperior includatur intrinſecè in differētia inferiori. Sed neſcio, an ſufficiat hoc reſpondere, quia nos etiam fatemur includi ſuperiores in inferioribus ſaltèm identicè & realiter: Certum eſt autem quod differentiæ omnes unius prædicamenti nequidem realiter includantur in alio ergo. Declaro ergo vim argumenti exemplo: nos dicimus in concluſione hac, *rationale* v.g. quod eſt differentia ſubſtantiæ corporalis, poſſe inveniri in ſubſtantia ſpirituali quod eſt alterum genus, & altera linea recta & media hujus prædicamenti volumus enim ipsū in angelo haberi, ſed oſtendunt adverſarii hoc eſſe impoſſibile quia rationale hoc includit intrinſecè ſenſitivum, certum eſt autem ſenſitivum non inveniri in angelo, ergo nec rationale invenietur in eodem. Quo argumento rejici poteſt inſtantia ſupra adducta de vivente, quod diximus inveniri in utraque ſubſtantia tam ſpirituali, quam corporali, id enim prætendi poteſt falsò aſſumptum eſſe quia differentia viventis, ſeu potius animati ſupponit & includit corporeum ut patet in arbore Porphyrii; at vero corporeum certum eſt, quod non invenitur extra ſubſtantias corporales, ergo. Reſpondeo tamen ſufficere ſolutionem illam, nam ſi aliqua differentia non includit intrinſecè aliam, cur non poſſit eſſe ſine illa? jam ad id quod dictum eſt circa hoc, ſcilicet differentias illas includere alias ſuperiores identice ſaltem. Reſpondeo: Verum eſt in illo prædicamento, falſum autem univerſaliter, quia falſum eſt id in alio prædicamento; Cum enim transeunt ad alia prædicamenta relinquunt, quaſi poſt ſe differentias hujus prædicamenti & induunt ſeu identificant ſibi differentias alterius prædicamenti. Sic genus, v.g. animal includit identicè rationalitatem, quando eſt animal rationale; & tamen cùm tranſit ad bruta non illam ſed irrationalitatē includit, & identificat ſibi, ſic ſimiliter, adeoque.

8. Denique exiſtimo genera ſubalternatim poſita non rectè intelligi ab Adverſariis ſive ab iis, qui volunt ſubalternata eſſe non ſolùm ea, quæ in eadem linea imminent ſibi invicem, ſed etiam illa, quæ in diverſis lineis ponuntur, dummodo utraque linea ſit in eodem prædicamento, atque ita ſub tertio aliquo genere, ſed reputanda eſſe ſubalternatim poſita, ſola illa quæ in eadem linea recto trunco imminent ſibi invicem, qualia ſunt in arbore Porphyrii ſubſtantia, corpus, vivens.

Moveor, quia, ſi ſufficiat, quòd utrumque ſit ſub tertio tum differentiæ diſparatæ & ſpecies etiam oppoſitæ ac contrariæ ſubalternarentur, quod nemo dicet, ſed patet ſequi quia utraque eſt ſub tertio, ſcilicet ſub genere quod dividunt, v.g. corporeum & incorporeum ſunt ſub ſubſtantia.

Secundò, quia, ſi ſubalterna poſſunt accipi reſpectu tertii, nec eſt neceſſe ea intelligi ad ſe invicem, quidni etiam *ſimilia*, item *propinqua*, accipiantur reſpectu tertii, atque ita manus & pes dicentur propinqua, imò etiam immediata ſibi quia nimirum ſunt propinqua & immediata tertio ſcilicet animæ?

Adhuc ampliùs id ipſum oſtendo in principiis & ſcientiis, in quibus propriè dicta ſubalternatio intervenit, nam in his non ſufficit coordinatio aliqua ad tertium, ſed opus eſt, ut ordinentur inter ſe immediatè illæ, quæ ſubalternari debent, idque ſecundum ſub & ſuprà immediatè: quia concluſiones ſcientiæ ſubalternantis ſunt principia ſubalternatæ, clarum eſt autem quod principia ſeu præmiſſæ rectè & proximè præcedunt concluſionem, ergo jam propriè dicta ſubalternatio exigit ordinem rectum earum quarum una alteri ſubalternari dicitur, nec ſufficit ſi ambo ſint parallela. Confirmo rationem hanc, quia ſi ad ſubalternationem ſufficeret, quod duæ ſubderentur tertio tum omnes ſcientiæ ſubalternarentur invicem v. g. Mathematica Phyſicæ Perſpectiva Medicinæ, vel è contra quod omnes notant eſſe falſiſſimum, & tamen patet hinc ſequi, quia omnes illæ ſcientiæ ſubalternantùr tertiæ ſcilicet Metaphyſicæ.

ACTIO V.

Decidit numerum prædicamentorum, & an debeant ſingula ad invicem realiter diſtingui?

Breviarium.

N. 1. *Numerus & nomina prædicamentorum ex Ariſtot.*
2. *Prædicamenta non fuiſſe ſic aſſignanda.*
3. *Prædicamenta non omnia eſſe genera generaliſſima.*
4. *Objectio, ſoluta. Cur ubi & Habitus non faciant ſingula duo prædicamenta ſicut Actio & Paſſio faciunt?*
5. *Prædicamentorum numerus minui poteſt, & quomodo.*
6. *Prædicamenta probabile eſt realiter diſtingui. Probatio.*
7. *Evaſio hujus probationis, precluditur & refutatur: Alia objectio, ſoluta.*
8. *Aſſignatur modus, quo prædicamenta poſſint inter ſe identificari.*

1. E*Orum, quæ ſecundùm nullam complexionem dicuntur unumquodque aut ſubſtantiam, ſignificat aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut ſitum eſſe, aut habere, aut agere, aut pati,* ait Ariſt. *cap.4. prædic.* quibus verbis communiter creditur numerum & nomina prædicamentorū aſſignaſſe, quamvis revera Ariſtoteles videatur voluiſſe enumerare tantùm terminos incomplexos, ut in textu habes; ſed eòdem recidit, & eaſdem paritur difficultates, propter quas aliqui omnino diviſionem calce rejiciunt, tanquam toties vicioſam, & (ut inquit aliquis) habentem omnia

Ariſtot.

Ar. *diſp. Met. ſect.* 1.
D. Th. 5. *Met. Lect.* 7
Ockam. 1. *part. Log.* 6.

Digitized by Google

42 Ubi quo d lib.5.q.22. Franc. Mayr paſ. 8.

omnia ſeptem peccata mortalia. Alii ex diametro mordicus ipſi adhærent, atque Ariſtotelem per fas & nefas defendunt. Ego ſanè neuter hic ſum, ſed utriusque claſſis medius.

Cenſeo numerum prædicamentorum congruè aſſignatum eſſe nomina non item, hoc eſt, rectè poſita eſſe decem, non illa tamen fuiſſe aſſignanda, ſed potuiſſe ea rectiùs aliter diſponi. Moveor ad primum, quia hic res omnes includendæ erant, adeòque non debuit numerus nimis imminui, ſed nec nimis augeri, quum diviſio omnis, ſi poſſet bimembris eſſe, debeat, congruè autem ſtatum eſt in denario numero, quia ille quodammodo eſt omnis numerus, quoniam uſque ad ipſum creſcunt numeri, nam poſt ipſum ſtatim reditur ad primum: quod etiam in notis arithmeticis numerorum obſervatur, quamvis ſi rigorem obſervemus hæ habeant ſtatum in nono.

2. Altera pars conclusionis principalior eſt, quia rem ipſam concernit; ipſius rationes aſſigno, primò, quia ſubſtantia ut ſic factum eſt prædicamentum, accidens ut ſic non item; cur autem quæſo aſſignetur uni potiùs quàm alteri prædicamentum? quæ quæſtio ex utroque capite cauſam habet ſive rationem dubitandi cur ſcilicet ſubſtantiæ datum eſt unum & non ſufficiat accidenti unum. Cur accidens faciat novem prædicamenta, & ſubſtantia quæ nobilior eſt non faciat totidem, aut ſaltem non faciat octo aut quatuor aut denique duo? ſecunda; quia ſubſtantia quæ prædicamentum communiter receptum facit, eſt ſubſtantia corporea, ut patet apud Porphyrium & cæteros omnes; at verò nulla (niſi minor) eſt ratio cur ſubſtantia incorporea ſeu ſpiritualis non faciat prædicamentum. Hoc autem prædicamentum ſubſtantiæ incorporeæ ſi ſit ſolum, tum prædicamentum corporeæ non erit prædicamentum; ſi ſit cum alio illo, jam erunt undecim prædicamenta. Tertia, quia in prædicamento quantitatis aut eſt ſola quantitas molis, aut non ſed etiam quantitas virtutis, ſi primum, jam prædicate eſt mancum, ſi ſecundum ergo malè & minutè diviſa eſt in continuam ac diſcretam, & continua in lineam, ſuperficiem & corpus, nam quantitas virtutis neque eſt linea neque ſuperficies, neque corpus.

Dicet aliquis quantitatem virtutis eſſe in genere qualitatis aut etiam ſubſtantiæ, & ego dico hoc eſſe malè dictum ab aliquibus ſaltèm, nam quantitas virtutis, de qua jam ago, eſt illa virtus in angelo v. g. qua poteſt occupare locum definitivè majorem & minorem ſecundum menſuram hujusmodi quantitatis, certum eſt enim dari in angelis aliquid ratione cujus unus occupat majorem locum quàm alius, hæc ergo cur non vocetur quantitas? & ſi ſit quantitas cur non erit in prædicamento quantitatis? Reſpondebunt fortè quia eſt in alio prædicamento qualitatis aut ſubſtantiæ ut ſupra. At enim non omnibus ſufficit hoc reſpondere: nam ſecundum pleroſque (imò eſt communior ſententia) Actio & Paſſio identificantur realiter, & tamen faciunt diverſa prædicamenta, cur ergo quantitas virtutis licet ſit realiter qualitas non faciet tamen aliud prædicamentum quantitatis. Idem fere argumentum repeti poteſt contra qualitatem, aut enim in illius prædicamento ponuntur qualitates ſpirituales, aut non ſi non, prædicamentum eſt mancum, ſi ſic, cur non etiam ſubſtantiæ ſpirituales in ſuo; ut ſuprà.

3. Dico deinde decipi eos, qui putant hæc decem prædicamenta eſſe totidem genera generaliſſima. Probatio prima, quia ſupra novem poſteriora eſt aliud genus ſuperius ſcilicet accidens. Si quis autem neget accidens ut ſic eſſe genus, probabo ei inde quia ſubſtantia ut ſic ſecundùm ipſum eſt genus ad ſubſtantias, quidni ergo accidens ad accidentia? Altera, quia ſub hoc genere accidentis ſupra ſecundum & tertium prædicamentum eſt aliud genus ſcilicet Accidens abſolutum, hoc enim commune eſt quantitati & qualitati, quum conſtet utrumque eſſe accidens abſolutum; tertia ratio, quia quartum prædicamentum relationis eſt ſuperius ad ſex ſequentia, ſunt enim omnia illa relativa ut ſuo loco monſtrabimus, eſt autem certiſſimè genus ergo jam ſupra tot genera datur genus, adeoque nullum horum poteſt eſſe generaliſſimum, hæc hactenus.

4. Objiciunt alii contra hanc ſeriem prædicamentorum in primis Mayronius noſter, quòd aut diminuta ſit, aut redundans: Aut enim actio & paſſio faciunt diverſa prædicamenta, aut non: ſi non, redundat illa decas prædicamentorum, & ſunt tantùm novem, ſi ſic, etiam ubi debet facere duo prædicamenta, utique enim datur ubi activum & paſſivum, eſt enim aliquid locans & aliud locatum, non eſt autem ratio, cur ejusdem termini actio & paſſio ſive productio & receptio faciat duo prædicamenta & non faciat ubi activum & paſſivum. Imo etiam quando & habere debent ſingula eodem jure facere duo prædicamenta, nam habitus veſtit, & homo veſtitur, ſimiliter tempus menſurat, & vivens aut durans eodem menſuratur ergo. Secundo recentes aliqui carpunt hanc diviſionem & authorem ejus eò quod non dederit Deo prædicamentum qui eſt nobiliſſimum membrum contentum ſub ente, eò magis quod conſideratio ejus ad metaphyſicam ſpectat. Voluit etiam aliquis aſſignari prædicamentum his prædicatis, tacere, loqui & ſimilibus

Sed nihil horum mutare numerum illum debet. Ad primum reſpondeo diſparitatem eſſe, quòd actio & paſſio ſint in diverſo genere etiam phyſicè cauſæ, nam una pertinet ad efficientem, altera non item, agens enim activè & efficienter producit, non ſic autem locus, in quo deceptus eſt author argumenti, non enim locus activè locat (quum quantitas non ſit activa, locus autem ſit quantitas) ſed quaſi formaliter: ex quo patet ad illud de habere, & ſi quæ talia ſunt, quia habitus ſeu veſtis non veſtit efficienter ſed formaliter.

Sed inſtat aliquis: Actio & paſſio, quæ important cauſalitatem cauſæ efficientis & materialis, faciunt duo prædicamenta, ergo addenda ſunt huic decadi adhuc duo, quia nimirum cauſæ finali & formali aſſignanda ſunt ſua prædicamenta, cur enim non, ſi aliis duobus conceſſa ſunt? Reſpondeo aſſignanda eſſe his quoque prædicamenta, non tamen augendam eſſe decadem, quia intra illa invenientur prædicamenta quæ ipſis aſſignentur: finali

aſſigno actionem, nam revera finis agit & movet. Dices, non movet realiter, ſed metaphyſicè & moraliter. Reſpondeo: Non curo; nam aut entia moralia habent locum in his prædicamentis ſecundùm te, aut non habet: ſi non habent, immeritò tu petiiſti aſſignari locum hîc cauſalitati finis: ſi ſic, jam non obſtat replica facta, aut moralitas ipſorum quo minus hîc ſint. Re autem verâ exiſtimo illa hinc arcenda eſſe & habere alibi ſedem. Redeo jam ad rem & aſſigno cauſalitati formali locum in prædicamento paſſionis nam revera ſubjectum informatum patitur, & totum conſtitutum quodammodo patitur quia conſtituitur paſſivè à forma etſi fatear hanc non eſſe tam propriè dictam paſſionem.

Habeo etiam aliud, quod contra ſolutionem adferri poteſt; certum eſt enim, quòd aliter ſubjectum ſe habet ad formam & aliter forma ad ſubjectum; atqui ſubjectum recipiendo formam patitur, ergo forma unita ſubjecto non cenſetur pati. Reſpondeo: Hoc bene probat, quod dixi paulò ante ad ſuperiorem replicam, ſcilicet hanc non eſſe propriè dictam paſſionem, adhuc tamen poterit in prædicamento eſſe, nec enim prædicamentum recipit unius generis res, ſed omnis. Illud autem motivum Recentium neminem movere debet, prædicamenta enim non ſunt facta pro Deo aut divinis quæ ſunt ſupra omne genus ut vidimus; & ſanè mirum videri poteſt cur Adverſarii tam anxiè velint Deum eſſe in prædicamento ſimul cum creaturis, qui volunt nequidem ens ut ſic eſſe commune ipſi & creaturis.

5. In hac materia, ſi mihi liberum eſſet ſententiam ferre, duo dicerem: Alterum eſt prædicamenta rectiùs aliter ſtatui potuiſſe minori numero, ſive res omnes alio modo dividi rectiùs poſſe. Alterum eſt poſitam diviſionem eſſe retinendam non propter Ariſtotelis authoritatem, qui non ita firmiter ei adhæſit, ſed aliunde.

Mentem meam circa primum ſic explico: Expungerem ſtatim ſex poſteriora prædicamenta. Dividerem ens finitum in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, ſub qua ponerem ſex poſteriora genera, atque ita hoc genus dividerem in duas claſſes, de quibus infrà, ſicut etiam alia duo in ſpiritualia & corporalia, v. g. ſubſtantiam & qualitatem.

Dicet aliquis, quid faceres de relatione, dividerésne ipſam in ſpiritualem & corporalem, nec ne? & ego reſpondeo parum referre, quid fieret, ſicut nemo dividit entia rationis in ſpiritualia & corporalia quamvis aliqua talia ſint in ſubjectis ſpiritualibus, alia in corporalibus quod idem ferè redit in privationibus. Ad hæc delerem de numero prædicamentorum ſitum.

Alterum, ſcilicet hanc diviſionem eſſe retinendam ideo dixi, quia ſtando huic modo diviſionis jam factæ intelligimus invicem arguentes & ſcribentes, quos aliàs non caperemus: itaque retinenda eſt hæc diviſio, quia retinetur. Tangam etiam aliquid de hoc in re ſolutione ſequentis, de qua

6. Dico Prædicamenta jam poſita probabiliſſimè diſtingui realiter ab invicem; potuit tamen ita inſtitui numerus prædicamentorum, etiam horum, quæ jam recepta ſunt, ne diſtinguantur omnia ab invicem, ſed poſſet unum alteri realiter identificari. Primam partem docet Subtilis paſſim (a) Paulus (b) Venetus, cui accedit Fonſeca (c) ubi vult ea diſtingui ex natura rei ante operationem intellectûs, nam hæc diſtinctio ex natura rei apud Rec. plerumque coincidit cum noſtra reali, ut ſignificavit Franciſcus Oviedo. Hanc ſequuntur uno agmine Scotiſtæ ferè omnes, ex Thomiſtis etiam Fland. & Cajet. citati apud Maſtrium hîc *diſp. 6. q. 1.* Ratio concluſionis: primum prædicamentum diſtinguitur realiter à cæteris, eò quòd ſubſtantia non poſſit identificari realiter accidenti, cætera autem ſunt accidentia: ſecundùm communem ſecundum ac tertium à quarto & reliquis ſequentibus diſtingui debet, quia abſolutum ſimiliter diſtinguitur à relativo, cur enim ens per ſe diſtinguitur realiter ab ente in alio, & ens ad ſe non diſtinguetur ab ente ad aliud? Reliqua non proſequor propriis rationibus; formo unam hanc pro omnibus, quæ eſt ad hominem contra Adverſarios. Intra idem prædicamentum aliqua exigunt neceſſariò diſtinctionem realem, ergo, quæcumque ſunt diverſi prædicamenti certiſſimè diſtinguentur realiter: probo conſequentiam ex paulò antedictis, quia majorem diſtinctionem exigunt ea quæ ſunt in diverſis prædicamentis quàm ulla quæ ſunt in eodem ſecundùm ipſos. Hinc enim concedunt (ut vidimus) unam & eandem differentiam poſſe inveniri in diverſis generibus ejuſdem prædicamenti, non poſſe autem inveniri in generibus diverſorum prædicamentorum, ergo jam ſi aliqua quæ ſunt ejuſdem prædicamenti exigunt diſtinctionem realem, exigent eam amplius illa quæ ſunt diverſorum. Atqui aliqua talia neceſſariò poſtulant diſtingui realiter, ut patet in corporeo & incorporeo, v. g. angelo & lapide, quorum quodlibet eſt in prædicamento ſubſtantiæ, & tamen non poſſunt identificari realiter, ergo, quod argumentum ſic poſſumus applicare magis directè intento: differentia alicujus non poteſt eſſe in diverſis prædicamentis, ergo multò minus ipſum totum. Item ſic, non poteſt genus alicujus ſpeciei eſſe in uno prædicamento & differentia in alio, ergo nec ipſum totum poterit ſimul eſſe in duobus prædicamentis; & quidem quantum ad hoc quòd totum aliquod v. g. tota aliqua ſpecies non ſit in diverſis prædicamentis facilè eſt ſuadere, quia nulla res poteſt habere diverſas eſſentias ſpecies quæ eſſet in diverſis prædicamentis haberet diverſas eſſentias, adeòque. Confirmatur quia ſic non valeret conſequentia à negatione unius prædicamenti ad affirmationem alterius. Confirmatur iterum quia ſic unum prædicamentum includeretur ſub altero, non autem eſſet totaliter extra ipſum, quod ſine dubio eſt contra intentionem ejus qui primò diſpoſuit prædicamenta, voluit enim ipſe illa eſſe ſingula extra ſe invicem, ſicut plures arbores ſunt, non verò colligata invicem ſicut rami unius arboris.

7. Nec quidquã ſatisfacit, qui reſpondet eandem rem nõ poſſe habere diverſas realiter, bene tamẽ poſſe habere diverſas formaliter eſſentias; hoc inquã non eſt ſatis, nam non minùs abſurdũ eſt id, quod hic concedit quàm ſit id quod negat, nec enim poteſt quidpiã habere diverſas eſſẽtias ullo modo, quia nõ poteſt diſtingui à ſe eſſentialiter, ſicut non poteſt diſtingui realiter; neque minus abſurdum eſt aliquid idem eſſe diſtinctum à ſe realiter quàm eſſe eſſentialiter diſtinctum. Præterea hoc modo nihil prohiberet idem eſſe

acci-

(a) 5. metaph. q. 6.
(b) Met. cap. 11.
(c) lib. 5. cap. 7.
Oвied. contr. 4. metap. p. 1.
Cajetanus.
Maſtrius.

Digitized by Google

accidens & ſubſtantiam, modò eſſet ſecundùm diverſas conſiderationes utriuſque, id eſt uno modo ſubſtantia, alio accidens, quod tamen omnes etiam Adverſarii negant. Urgeo transferendo argumentum à philoſophia ad fidem, nam ſic in Euchariſtia poſſet remanere ſubſtantia, utique enim remanet quidquid identificatur ſpeciebus id eſt accidentibus, ſed accidentibus poteſt identificari ſubſtantia, ergo & ſubſtantia manere quod tamen damnatum eſt ab Eccleſia definiente ſolas ſpecies remanere, & tranſubſtantiationem fieri totius ſubſtantiæ panis. Dices hoc poſſe verificari licèt aliquod ſubſtantiale fuiſſet in illis accidentibus, quia non eſſet ſubſtantia panis illa; ſed oſtendo hoc nihil valere, quia accidentia illa ſunt & dicuntur accidentia panis, ergo ſi ſunt ſubſtantia dici poſſent poterunt etiam dici ſubſtantia panis.

Arguo etiam ſic: Species cujuſcumque generis, imò & differentiæ, ſunt incompatibiles; prædicamenta ſunt plus quàm ſpecies, & conſtituuntur per differentias eorum dividentes idem ſuperius: quæro ergo, cur homo & Leo ſive rationale & irrationale non poſſint identificari realiter, ſed ſint incompatibiles & non ſint ſubſtantia & quantitas, quantitas & relatio, quæ condividunt idem ſuperius ſicut homo & Leo condividunt animal? Denique illud conflatum quod imaginantur Adverſarii, eſſet mirabile monſtrum, eſſet enim pugnantia, v. g. ſi ſubſtantia & accidens identificarentur illud quod ſimul eſſet utrumque nec inhæreret nec non inhæreret, nec ſubſiſteret nec non ſubſiſteret, quia ratio ſubſtantiæ obſtaret ne inhæreret, ratio accidentis ne ſubſiſteret, ergo.

Objiciunt actionem & paſſionem, quæ faciunt duo prædicamenta ex his decem, & tamen identificantur. Reſpondeo: Reſpondebo huic ſuo loco, ſufficit hîc non eſſe probatum illa identificari, ſupponunt quidem hoc Thomiſtæ, ſed ego nego & oſtendam ſuo loco negandum; & quale (quæſo) ædificium, quod huic fundamento ſuperſtruitur, quum etiam hoc ipſum, quod eſt actionem & paſſionem identificari nitatur auctoritate Ariſtotelis eo loco ubi non ex ſua ſed ex aliorum ſententia ſcribit? Nihilominus.

8. Dicendum etiam exiſtimo, licèt Thomiſtæ non invenerint rectum modum identificandi realiter prædicamenta, poſſe tamen aſſignari aliquem, quo etiam illa prædicamenta, quæ de facto numerata & aſſignata ſunt ſibi aliquando identificentur.

Probo accipiendo duo ex jam poſitis ſcilicet ſubſtantiam & relationem. Hæc enim poſſunt invicem identificari, & de facto quodammodo identificantur, nam in divinis paternitas eſt ſubſtantia, & tamen eſt relatio; ſubſtantia eſt, quia ſine dubio eſt inepta inhærere; Relatio eſt, quia ad alterum. Iterum, quia incommunicabile, & quia fundat oppoſitionem, ita dico quòd licèt divina non ſint in prædicamentis, tamen intelligere poſſumus non repugnare rationi ſubſtantiæ eſſe ad aliud, neque relationi eſſe ſubſtantiam. Deinde habitus de facto eſt ſubſtantia, & tamen eſt ultimum prædicamentum.

Dices ipſum habitum ſeu ipſam veſtem non poni in prædicamento, ſed ordinem ſeu unionem ad ipſam, ſicut locus non eſt, qui facit prædicamentum Ubi, ſed ipſa ubicatio. Sed contrà eſt, quod aut datur forma aliqua, quæ ſit veſtitum eſſe diſtincta ab ipſa veſte, aut non datur; ſi non datur, jam quod prædicatur prædicationibus hujus prædicamenti eſt ipſa veſtis, atque ita eſt ſubſtantia. Non dari autem eſt certum, alioquin eſſe dealbatum & deauratum dicerent alias formas præter albedinem & aurum, quod eſt contra omnes. Quod autem non prædicetur hîc unio inde probo quia non datur unio realis hîc inter corpus & veſtem ſed merè moralis, nam omnis applicatio quæ hîc eſt poſſet eſſe ſine eo quòd homo eſſet veſtitus. Et denique ſi aliqua ſit unio realis eſt tantùm ubicatio aut applicatio quæ non facit novum prædicamentum.

Exiſtimo etiam Situm identificari poſſe cum Ubi, quia quempiam eſſe ſitum nihil eſt niſi eſſe taliter in loco v. g. ſtantem, ſedentem, ſupinum, atque adeò ſitus poteſt non eſſe novum prædicamentum, ſed determinatio aut ſpecies Ubi. Imò puto ita eſſe de facto, atque adeò octo tantùm eſſe prædicamenta ſcilicet vulgata illa, exceptis ſitu & habitu. Nec audiendus eſt Maſtrius, qui etiam *quando* ex numero prædicamentorum expungere voluit eò quòd ſit (inquit) denominatio extrinſeca: ita ille contra Doct. & veritatem quum conſtet Scotum non ſolùm *q.* 11. *prædicam.* ſupponere oppoſitum: ſed etiam 5. *phyſic.* & 11. *Met.* expreſsè numerare quando inter prædicamenta, & quidquid contra quando ex hoc capite dici poteſt, poſſe etiam de ubi, atque etiam de relatione dici, ut probentur eſſe denominationes extrinſecæ.

Agunt de iſtis

Ariſt. 1. & 2. *prædicament. Item* 4. *Met. c.* 2. Aver. 7. *Met. com.* 42. D. Aug. *in categ. cap.* 4. Alex. 1. *Top. c.* 3. Iamblic. *apud Boet. lib.* 4. *in Porphyrium à ſe tranſlatum & Dialogo* 2. *in eundem* Victorin. *circa initium & lib. diviſion. c.* 4. S. Bonaventura 2. *d.* 1. *art.* 6. *q.* 2. D. Thomas 1. *d.* 19. *q.* 5. *art.* 2. & *q.* 7. *de potent. art.* 7. & 8. Dexip. *lib.* 1. *c.* 26. Alex. & Niph. 1. *Topic. c.* 13. Albert. *tract.* 1. *c.* 2. Euſtatius, Acciajolus, Burlæus, *in primum Ethic. Ariſt.* Avicen. & Algazel. *apud Albert. citat.* Ock. *quodlib.* 4. *q.* 16. Cajet. *Tom.* 3. *opuſc. tract.* 5. *de nomin. Analog.* Paul. Venet. *hîc.* Ferrar. 1. *contra gent. c.* 34. Jandun. 7. *Met. in tex.* 31. Timara *Verb. analogia* Lincol. *n.* 2. *Poſter. comment.* 30. Philop. 1. *Prior. c.* 1. *com.* 4. Zabarella 2. *Poſt. tex.* 7. Suar. *tom.* 1. *Metaph. diſp.* 2. Tolet. *hic q. un.* Fonſeca *lib.* 1. *inſtit. c.* 23. 24. 25. & 5. *Met. c.* 28. *q.* 17. Rub. *in cap.* 3. *prædic. q. unic.* Maſius *c.* 5. *q.* 2. Conymbric. *cap.* 3. *in explic.* Amic. *tract.* 12. *Log. q.* 1. *dub.* 2. Rodriquez *in antepræducamentis Scoti q.* 8. *art.* 3. Averſa *q.* 13. *Log. ſect.* 3. Meriner. *in categorias cap.* 1. *q.* 2. *diſp.* 1. Ant. Syrect. Vallo. Trombet. *in formalitat.* Faber. 4. *Met.* Meurin. *lib.* 1. *Met. q.* 2. Paſcalius *p.* 2. *Met. diſp.* 30. Maſtr. & Belluc. *diſp.* 2. *Log. q.* 5. Poncius *diſp.* 10. *Log. q.* 2. & 3. Complut. *item diſp.* 10. *q.* 2. Franc. Gonzales 2. *p. Log. diſp.* 4. *q.* 6. *ſect.* 3. *n.* 723. & 724. Franc. Oviedo. *contr.* 1. *Met puncto.* 2. & 3. Roderic. Ariaga *diſp.* 11. *Log.* Petrus Hurt. *diſp.* 1. *ſum. c.* 8. & *diſp.* 5. *de Anim. ſect.* 6.

APOLO-

Digitized by Google

APOLOGIA II.
De ſubſtantia primo prædicamento.

ACTIO I.

Quis ſit verus & eſſentialis conceptus ſubſtantiæ ut ſic?

ACTIO II.

Quodnam ſit ſupremum genus in prædicamento ſubſtantiæ?

ACTIO III.

De diviſione ſubſtantiæ in corpoream & incorpoream. Quid ſit corpus? quid ſpiritus?

ACTIO IV.

De diviſione ſubſtantiæ in primam & ſecundam.

Scotus 7. Met. q. 6.

IDeo aliter dicitur, quòd ſubſtare (unde eſt potentia receptiva) non eſt per ſe ratio ſubſtantiæ, quæ eſt maximè ſubſtantia, ſed illa ratio ſubſtantiæ eſt per ſe exiſtere ſeparabiliter ab aliis non dependens ab aliis; ſed illud non convenit materiæ niſi per formam. Et ad dictum Philoſophi, quòd ſubſtantia prima non dicitur talis ſolùm quia ſubſtat aliis, ſed quia ſiſtit in ſe non dependens & intelligitur iſta comparatio reſpectu ſecundarum ſubſtantiarum & reſpectu accidentium, non reſpectu formæ quâ ſubſiſtit ſubſtantia prima.

Idem 5. Metaph. q. 6. n. 16.

DIviſibile uno modo dicitur, quòd habet formam, ſecundùm quam formaliter poteſt dividi: Secundo modo, quòd non habet in actu formam, ſed eſt in potentia ad formam per quam immediatè poſſet dividi. Subſtantia corporea ſecundo modo eſt diviſibilis, &c.

ACTIO I.
Quis ſit verus & eſſentialis conceptus ſubſtantiæ ut ſic?

Breviarium.

N. 1. *Veteres & novæ deſcriptiones ſubſtantiæ.*
2. *Conceptus proprius & conſtitutivus ſubſtantiæ.*
3. *Forma ſubſtantialis, an & quomodo ens per ſe?*
4. *Alia objectio. Accidentia Euchariſtica an & quomodo ſint per ſe?*
5. *Rationem formalem ſubſtantiæ non conſiſtere aut in ſubſtando accidentibus, aut in ſubſiſtendo.*
6. *Poſſe tamen utrumque horum ita explicari ut ſint conſtitutiva ſubſtantiæ.*

1. De hoc apud antiquos invenio tres dicendi modos; unus, quo ferebatur conceptus quidditativus ſubſtantiæ conſiſtere in ſubſtare accidentibus: quam viam inceſſit Boëtius hoc loco, & videtur *Ariſtoteli* placuiſſe, ut apparet ex contextu hujus capitis. Alter, quo intelligitur ſubſtantia eſſe idem, ac quid ſubſiſtens ineptum alteri communicari, quem modum video pauciſſimis & vetuſtiſſimis placitum, iis ſcilicet qui confundebant ſubſtantiam cum ſubſiſtentia; tertia erit noſtra concluſio. Sed recentes Metaphyſici noſtro ſæculo omnem antiquitatem antiquarunt novis deffinitionibus ſubſtantiæ excuſis. Quidam eam ſic exponit; *Subſtantia eſt quo durante res durat quo decedente perit.* Item, *eſt ens per ſe* id eſt *conceptus quidditativus veri.* Quæ explicationes tot vitia quot verba habent, quis enim neſcit accidens etiam v.g albedinem eſſe id, quo durante res illa durat, ſcilicet albedo ipſa, & quòd abscedente ipsâ perit, licèt ſubjecto accedere & recedere poſſit ſine ejus corruptio-

Boëtius, Ariſtot. & *prædic.*

Digitized by Google

ruptione: Quæro etiam ex iſtô, unde habuit, quòd idem ſit conceptus quidditativus rei & ens per ſe, quæ omitto cuilibet obvia, ſicut etiam quisque facillimè videt quòd vitiis laboret iſta alterius: *Conceptus ſubſtantiæ eſt quidquid intrinſecè conſtituit primam rem*, quæ definitio apud hunc hominem non tam definitio eſt quàm definitum, ita ſubdere debuit aliam hujus definitionis definitionem *nomine* (inquit) *primæ rei intelligo* ſtandum eſt veteri Philoſophiæ, &

2. Dicendum ſubſtantiam eſſe ens per ſe: cui parum refert, utrum addas exiſtens an ſubſiſtens: de quibus valde ſolliciti ſunt Conymbricenſes. Definitio eſt Doct. 5 *Met. in Themat. cit.* D Thom. *opuſc.* 42. *cap* 10. (a) & communis logicorum, ut teſtantur Complutenſes hic (a)

S. Aug. *tomo* 7. *de Trin.* c. 5. Scot. (a) & 1. p. q. 3. art. 5. D. Thom. Conymb. hic q. 1. (a) diſp. 12. q. 1.

Vt probem ipſam, explicanda mihi eſt perſeitas, quæ fortaſſe rectiùs diceretur inſeitas niſi uſus hoc renuiſſet, opponitur enim enti exiſtenti in alio, non autem exiſtenti per aliud, nam per ſuas cauſas exiſtunt effectus & omnia per Deum, nihil autem propriè per ſe præter Deum, nec tamen ſolus Deus eſt ſubſtantia: quorum omnium ratio à priori eſt, quia *per* eſt character cauſæ efficientis Sed omiſſis his tot modis aliquid eſt ens in ſe (aut per ſe ut voles) quot modis aliquid eſſe poteſt in alio; eſſe autem in alio contingit vel per modum accidentis in ſubjecto, vel per modum formæ in toto eſſentiali, vel per modum naturæ in ſuppoſito, ut alios modos impertinentes omittam, qualis eſt ille quo aliquid in alio eſt tanquam pars in toto his præmiſſis.

Senſus & ratio concluſionis eſt ſubſtantiam eſſe ens independens ab alio, tanquam accidens à ſubjecto, ſive non egens ſuſtentari per inhærentiam ſuam in alio. Vnde patet perfectio definitionis, nam nihil eſt ſic per ſe niſi ſubſtantia, & quælibet ſubſtantia ſic eſt per ſe, ergo, neque eſt ullus conceptus aſſignabilis prior iſto in ſubſtantia. Quà ratione rejicitur illa explicatio ſubſtantiæ per hoc quod eſt eſſe primam rem; datur enim in eo, quod eſt primum aliquid prius ipſâ primitate, ſcilicet perfectio ſive eſſentialis ſive accidentalis ejus ratione cujus alias præcedit, v g. S Petrus qui eſt primus Apoſtolorum habet aliquid prius illâ primitate, habet enim cauſam cur ſit prior aliis ſcilicet principatum ſeu juriſdictionem ejus in cæteros Apoſtolos. Deus eſt primum ens, & tamen nemo dixit primitatem eſſe rationem conſtitutivam Dei ſimiliter homo eſt prima ſpecies animalis, non tamen differentia hominis eſt primitas, & ſic de aliis ſexcentis Sed non datur in ſubſtantia aliquid prius ratione formali conſtitutivâ ejus, ergo hæc non eſt primitas.

Iterum oſtendo ſufficientiam definitionis à ſimili de ente ad ſe ſeu abſoluto, quod opponitur reſpectivo ſeu relationi, nam ens ad ſe non eſt (ut ſonat) aliquid relatum ad ſe ipſum, ſed ſignificat aliquid in ſe ipſo ſiſtens, & quòd non transeat ad aliud; ita ens per ſe erit aliquid in ſe ipſo ſiſtens nec tranſiens in aliud tanquam in id in quo ſit. Sunt tamen nonnulla quæ hanc veritatem difficilem reddunt nam primò

3. Objici poteſt formam ſubſtantialem eſſe ſubſtantiam, & hoc modo non eſſe, ergo non ſufficit hic modus. Minor probatur, quia non eſt per ſe ſive independens ab alio tanquam ſubjecto, nam dependet à materia, ſine qua non magis poteſt exiſtere, quàm accidens. Reſpondeo: Hoc argumentum continet non parvam difficultatem; ſed in primis non video, cur Adverſarii ſemper utantur formâ in hoc negotio, quum difficultas æquè bene procedat de materia, nam etiam materia non poteſt exiſtere ſine forma. & quamvis reſponderi poſſit, quòd licèt materia egeat formâ, tamen non proinde eſt ens in alio, quia non eſt in forma, ſed è contra potiùs forma eſt in ipſa. Tamen hoc non ſufficit illis, nam ſive materia ſit ſive non ſit in forma, dummodo non poſſit eſſe ſine ipſâ hoc ipſo non eſt ens per ſe, adeòque. Itaque aſſignanda eſt diſparitas inter formam ſubſtantialem & accidens, ſeu inter modum quo illa & quo hoc eſt in alio, ſcilicet in ſubjecto: Eſt autem hæc in primis quòd forma ſubſtantialis eſt in ſubjecto tanquam faciens per ſe unum cum illo; forma autem accidentalis non facit unum per ſe, ſed ſupponit unum factum & facit unum per accidens.

Sed dicet aliquis: Hoc, quòd eſt facere, vel non facere unum per ſe non eſt differentia eſſendi *in alio*, adeòq; fruſtra huc adfertur, quoniam quamvis ſit verum, eſt impertinens, atque ita nondum aſſignatur alius & alius modus eſſendi in alio formæ ſubſtantiali & accidentali Reſpondeo: Fatendum eſt hic non eſſe formaliter expreſſam ipſam diſparitatem utriusq; formæ quoad eſſe in alio, nec mirum, cum in hac conſiſtant eſſentiæ & quidditates earũ, quæ nobis pro hoc ſtatu occultæ ſunt, nec poſſunt innoteſcere niſi per alia adjacentia, quale eſt hoc in propoſito. Vnde dico ex eo quod eſt facere per ſe unum ſequi alium modum inexiſtendi ab eo qui eſt in ea forma quæ non facit per ſe unum cum ſuo ſubjecto Et hujus aliqua etiam ratio ulterius poteſt eſſe iſta quia ex ſubjecto & forma ſubſtantiali (ſive illa quæ facit per ſe unum) reſultat quoddam compoſitum, quod omnino non eſt in alio, ſcilicet compoſitum ſubſtantiale, v. g. lignum, quod neq; in ſubjecto eſt neq; de ſubjecto dicitur, debet ergo ipſa forma habere aliqualem ſaltèm inchoatam virtutem eſſendi per ſe.

Diceret aliquis etiam compoſitum ex forma accidentali ſic ſe habere, nam lignum album omino non eſt in alio, ſed ſubſiſtit. Reſpondeo. Ita eſt ibi, at non univerſaliter, nam ſuperficies alba eſt compoſitũ ex forma accidentali & ſubjecto, & tamen non eſt ſubſiſtens, ſed exigens eſſe in alio; Vnde etiam negari poſſet aſſumptum replicæ, nam lignũ album propriè non eſt compoſitũ ex ſubjecto & forma accidentali eò quòd ſubjectum formæ accidentalis non ſit lignũ ſed ſuperficies.

Reſpondeo etiam ſecundò principaliter ad argumentum negando minorem, & ad probationem dico formam ſubſtantialem non æquè egere ſubjecto, ſicut forma accidentalis, cujus cauſa eſt iſta, quia forma ſubſtantialis etiam confert materiæ, quòd ſubſiſtat, nam etiam materia dependet à forma, ſicut forma dependet à materia, itaque ſicut materia confert ſive conducit formæ ut exiſtat ita viciſſim forma conducit materiæ cujus oppoſitum eſt in forma accidentali, quia omnino non juvat ſed juvatur ad ſubſiſtendum

4. Objici ſecundò poteſt hoc, quod eſt eſſe ſeu exiſtere per ſe poteſt competere non ſubſtantiæ, at verò eſſentia ſubſtantiæ non poteſt ulli competere niſi ſubſtantiæ. ergo hæc non eſt eſſentia ejus. Minor eſt evidentiſſima, ſi enim proprium eſt proprium rei quanto magis eſſentia? probatur ergo major, quia poteſt accidens eſſe

eſſe per ſe ſeu extra ſubjectum ſaltem divinitus; ſic enim de facto ſunt accidentia Euchariſtiæ, ubi qualitates ſunt ſine ultimato & adæquato ſubjecto, quantitas verò etiam ſine omni omnino.

Videtur aliquibus huic argumento ſatisfieri dicendo, quòd accidentia illa non habent eſſentiam ſubſtantiæ, licèt habeant eſſe per ſe, & quòd non habeant eſſe per ſe connaturaliter, non enim eſſentia ſubſtantiæ conſiſtit (inquiunt) in eſſe per ſe quomodocumque, ſed in eſſe per ſe connaturaliter. Sed mihi videtur minùs metaphyſica hæc reſponſio: nam eſſentia rei, ſicut etiam proprietas ejus (quæ tamen minùs propria eſt rei quàm ſua eſſentia) non ſolùm non convenit alteri connaturaliter ſed nullo modo ei convenire poteſt, riſibile non poteſt alteri ab homine convenire etiam per accidens, aliàs non converteretur cum homine, neque eſſet paſſio ejus ut communiter creditur, ſed addendum eſſet riſibile taliter, ſcilicet connaturaliter, de quo iterum quæri poſſet an non poſſet competere alteri alicui ſaltèm ſupernaturaliter, & non connaturaliter & ita in infinitum; ſi autem eſſe riſibile non poteſt alteri ab homine competere, quanto minùs animal rationale?

Dices: Negari non poteſt, quin eſſentia rei & proprietas ejus connaturaliter ei competant, quidni ergo dicatur, quòd eſſentia ejus ſita ſit in aliquo connaturaliter ei competente? Reſpondeo: Cauſa eſt, quia eo ipſo quod dicitur eſſe eſſentiale, jam eſt connaturale, ſicut etiam eſt connaturale eo ipſo quòd ſit proprium, neque opus eſt addere eſſentiale connaturaliter. Aliter ergo tentanda eſt ſolutio hujus, ad quod

Reſpondeo accidentia Euchariſtiæ aut alia ſeparata non habere eſſentiam ſubſtantiæ, licèt habeant eſſe per ſe, quia nimirum eſſentia ſubſtantiæ non eſt inveniri quomodocumque ſine ſubjecto, ſed ſubſiſtere, hoc eſt ſuâ vi ſic ſtare; accidentia autem Euchariſtiæ non ſuâ vi ſic ſtant (imò nec ſtant) ſed alienâ, Deo efficienter eâ manutenente, & ſupplente defectum ſubjecti; unde nego illa eſſe per ſe, nego ea ſtare, quemadmodum nec ille ſtat, qui invitus ſuſtinetur erectus, neque cadaver aut ſimulachrum, quod in baſi aliqua ſtatuitur, dicitur propriè ſtare quia non ſuâ vi ſic manet.

Dices tum redire contra nos, quod ipſi diximus contra præcedentem ſolutionem; ſic enim eſſentia rei non erit abſoluta ipſa definitio, v. g. animal rationale, ſed definitio taliter cōpetens. Reſpondeo non redire replicam ſi quis attendat ad ſolutionem datam, quia nimirum ſic eſſe per ſe per alienam manutenentiam non ſolùm non eſt ſtare connaturaliter, ſed neque eſt omnino aut abſolutè ſtare.

Ex his habemus expugnatum antiquarum errorem ponentium rationē ſubſtantiæ in negatione eſſendi in ſubjecto, quia ſtare per ſe non ſolùm dicit non eſſe in alio, ſed poſitivum ſtatum ſeu cōſiſtentiam in ſe. Quod explico & confirmo ulterius à ſimili, quia eſſe *ad ſe* non eſt ſola negatio relationis ſeu habitudinis ad aliud, ſed eſt poſitivum membrum longè nobilius, eò quòd eſt ad aliud Quæ ratio etiam hîc procedit & vincit, utiq; enim ſubſtantia eſt nobilius accidenti, atq; adeò non poteſt conſtitui per conſtitutivum ignobilius quàm ſit id, quo accidens conſtituitur, atqui ita nec per negationem. Tertiò improbo idipſum ratione, quâ ſuprà uſus ſum: quia prior eſt ſubſtantia quàm accidens, priùs eſt poſitivum ſeu habitus quàm privatio, ex quo infero, ergo non poteſt fieri quòd accidens conſtituatur per poſitivum & ſubſtantia per negationem. Ita ex antiquioribus ſententiis ſuperſunt diſcutiendæ duæ, una quæ ponit rationem ſubſtantiæ in ſubſtare accidentibus, altera in ſubſiſtentia de quibus

5. Dico breviter utramq; in his terminis eſſe falſam, poſſe tamen utramque ita intelligi, ut ſint ambæ veriſſimæ, & ſecunda magis propria.

Prima pars, quòd non conſiſtat ratio ſubſtantiæ in ſubſtare accidentibus, probatur, quia aliquod eſt ſubſtantia quod non ſubſiſtit accidentibus, nempe Deus, ita omnes communiter. Sed neſcio an hæc ratio ſufficiat in propoſito, ubi agimus de ſubſtantia prædicamento, Deus enim non eſt in hoc aut alio prædicamento ut ſuprà vidimus, adeóque ex eo quòd ille non ſubſtat accidentibus, non ſequitur quòd ratio ſubſtantiæ prædicamentalis competat alicui, quod non ſubſtat accidentibus.

Puto tamen rationem inſtaurari poſſe, ut vincat: quia nimirum, quòd Deus non ſit in prædicamento oritur ex ejus infinitate (quoniā quæ in prædicamento ſunt, ſunt omnia finita) in reliquis autem convenit per omnia cum ſubſtantia prædicamentali, ſicut etiam convenit cum omnibus rebus in ente, licèt Deus ſit ens infinitum, ſed non convenit in eo quod eſt ſubſtare accidentibus, ex quo ſequitur, quòd ſubſtare accidentibus non ſit eſſentia ſubſtantiæ.

Probo etiam ſecundam partem de ſubſiſtentia trito argumento, quia Homo Chriſtus aut etiam humanitas ejus eſt ſubſtantia, ſed non eſt ſubſiſtens aut ſubſiſtentia, intelligo ſiſtendo in iis, quæ ſunt propria humanitati. Unde formari poteſt ſic argumentum: Humanitas Chriſti eſt creata ſubſtantia, humanitas Chriſti non eſt creata ſubſiſtentia aut creatum ſubſiſtens, ergo. Confirmatur, nihil poteſt eſſe ens alienâ entitate, ſi autem non ens, certè nec ſubſtantia; ſed poteſt aliquid ſubſiſtere alienâ ſubſiſtentiâ, ergo ratio ſubſtantiæ non conſiſtit in ſubſtantia.

Aliter ſic: Poteſt aliquid ſubſiſtere bis ſimul ſive duabus ſubſiſtentiis ſimul; ſed non poteſt bis eſſe ſubſtantia, ergo ſubſtantia non eſt ſubſiſtentia, major concedi debet ab omnibus (licèt ex diverſis cauſis) à Scotiſtis, quoniam tenent in divinis dari ſubſiſtentiam abſolutam, præter hanc autem certum eſt dari relativam in ſingulis perſonis; & cùm abſoluta illa (ſicut & cætera ſimilia) ſint communia omnibus perſonis, ſequitur quamlibet perſonam habere duas ſubſiſtentias. Thomiſtæ verò volunt naturam poſſe ſimul habere duas etiam relativas ſubſiſtentias, ergo.

Denique poteſt ſubſtantia manuteneri ſine omni ſubſiſtentia, tam ſuâ quàm alienâ per ſuſtentationem effectivam & extrinſecam Dei; non poteſt autem ſubſtantia eſſe ſine ratione conſtitutiva ſubſtantiæ ſine dubio, adeòque hæc ſubſiſtentia non eſt ratio conſtitutiva ſubſtantiæ.

6. Redeo jam ad alterum, quòd dixi, ſcilicet utramq; horum poſſe ita intelligi, ut ſint veræ definitiones, & oſtendo hoc in primis de prima, quia poſſe ſubſtare accidentib' de quo hîc (neq; enim quiſquam conſtituit rationem ſubſtantiæ in

actu

actu ſubſtare (oritur ex eſſe per ſe) imò ille ſtatus eſſendi per ſe & ipſa potentia ſubſtandi) quia ex eo aliquid poteſt ſuccurrere alteri, ſive terminare dependentiam ejus, ex eo inquam, quòd ipſum in eo genere eſt independens, atque ita ex eo ſubſtantia poteſt ſubſtare accidentibus, quia ipſa in nullo alio ſed in ſe ipſa ſtat, hoc autem ut dixi convenit ipſi ratione perſeitatis, imò eſt ipſa perſeitas, ergo.

Ratio ſecunda ſive cauſa, cur deffiniri poſſit ſubſtantia per ſubſiſtentiam, eſt quia quælibet ſubſtantia etiam partialis exigit ſubſiſtentiam proportionatam partialem, ſicut totum exigit totalem, atque ita, licèt malè dicatur ſubſtantia eſſe ens ſubſiſtens, bene tamen deſcribetur ſubſtantia eſſe ens exigens ſubſiſtentiam.

Objici poteſt, quòd etiam accidens exigat ſubſiſtentiam, exigit enim ſubſtantiam, hæc autem neceſſariò habet ſubſiſtentiam, ſed facilis eſt reſponſio, nam accidens exigit alienam ſubſiſtentiam, ſubſtantia verò ſuam, ſit

---

ACTIO II.

Quodnam ſit ſupremum genus in prædicamento ſubſtantiæ?

Breviarium.

N. 1. *Senſus controverſiæ: Ariſtoteles expenſus.*
2. *Supremum genus hujus prædicamenti eſt ſubſtantia communis completæ & incompletæ.*
3. *Alia ratio hujus Partes ſubſtantiæ eſſe ſubſtantias, idque univocè cum tota.*
4. 5. 6. *Aliæ adhuc rationes pro eodem: Linea omnis incompleta.*
7. *Explicatur concluſio, atque item deciditur locus partium in prædicamento.*
8. *Objectio ſoluta. Hic potiſſimùm agi de partibus phyſicis & integralibus.*
9. *Alia objectio, expedita.*
10. *Tertia ex authoritate Scoti ipſius verbis & ſententia ſolvitur.*

1 QUæſtio hæc in iſtis terminis proponi ſolet, in re autem coincidit cum alia, quâ quæritur an partes ſubſtantiæ ſeu ſubſtantiæ incompletæ pertineant ad hoc prædicamentum? nam ſi pertineant directè tum genus ſupremum prædicamenti erit ſubſtantia ut ſic communis completæ & incompletæ; ſi non dicantur ſic pertinere, dici debet genus prædicamenti eſſe ſubſtantia completa. In quo communis ſententia ſemper tenuit ſupremum in hoc prædicamento eſſe ſubſtantiam non qualemcumque, ſed completam, quod innuerunt illo hemiſtichio, quo comprehenderunt conditiones requiſitas in re ponibili in prædicamento, dicentes omnia ejuſmodi debere eſſe

finita, realia, tota,

id eſt completa: Quod tamen mirum videri poteſt, cùm Ariſtoteles quem veteres Logici adorarunt, maniſeſtè refragetur etiam de hoc ipſo prædicamento; nam cùm aſſignaſſet ſubſtantiæ proprietatem in ſubjecto non eſſe, ſubdit exceptionem aut objectionem contra ſe dicens: *Non conturbent autem nos ſubſtantiarum partes quæ ita ſunt in toto quaſi in ſubjecto ſint, ne forte cogamur eas non eſſe ſubſtantias confiteri*: ubi ut vides reputavit abſurdum quòd partes ſubſtantiæ non eſſent ſubſtantiæ, & timuit ne fortè *cogeretur id confiteri*, ſi autem Ariſtoteles tenuiſſet quod hi homines volunt, ſtatim reſponderet argumento negando conſequentiam, quod non fecit, ſed potiùs negavit antecedens, ut patet, apud ipſum in textu videri etiā poteſt 1. *Phyſic. c. 6.* ubi negat ſubſtantiam componi ex nō ſubſtantiis, cùm tamen certum ſit ſubſtantiam componi ex partibus tam phyſicis quàm metaphyſicis, unde

2. Dico reſolutivè partes ſubſtantiæ poni in hoc prædicamento, & ſupremum genus hujus eſſe; non ſubſtantiam completam; ſed ſubſtantiam ut ſic communem completæ & incompletæ. Hæc eſt, ſi non certa, ſaltèm probabiliſſima D. Subt. *q.* 14. *prædic.* ubi docet hanc: *Rationale eſt ſubſtantia* veriorem eſſe iſtâ. *Quantum eſt ſubſtantia.* Imò ibidem expreſsè concludit dici poſſe quòd differentia in genere ſubſtantiæ eſt ſubſtantia & infrà *q.* 15. *ſequenti* ubi agit de partibus phyſicis ex profeſſo ait partes ſubſtantiæ poſſunt dici ſubſtantia, &c. (a) De quo ampliùs in fine actionis. (a) Amon. Boetius & Simplic. *apud Maſtr. hic d. 7. q. 1. art. 1.* Itoli. 1. *q. 6.* Venet. *c. 4. Metaph.* Zimar. *in Theorem.*

Interim ad probationem hujus veritatis præmitto velle me reſolvere difficultatem, præcipuè de partibus eſſentialibus ut ſunt materia & forma, v. g. anima & corpus item integralibus quales in nobis ſunt manus & caput; has ergo conabor oſtendere eſſe propriè ſubſtantias ſive univocè convenire in illa ratione cum totis compoſitis quantumvis completis. Id enim totum negant communiter alii, & volunt ſubſtantiam ut ſic æquivocè dici de toto & partibus jam enumeratis.

Probo, quia eſſe per ſe ſeu ſubſiſtere, in quo conſiſtit ratio ſubſtantiæ prædicamentalis, competit partibus, ergo convenit ipſi ſubſtantitia. Nec valet dicere, quod partibus non convenit eſſe per ſe completè, quia hoc eſt quod eſt eſſe completum; non eſt quid proprium ſubſtantiæ ſed commune omnibus generibus, ergo jam totum & partes in nullo ſubſtantiali differunt, atque adeò ratio ſubſtantiæ erit illis univoca omnino, quod eſt intentum. Imò hæc reſponſio poteſt verti in authores & facere pro concluſione, quia completum & incompletum ſunt in eodem genere ergo ſi partes ſubſtantiæ ſunt ſubſtantia incompleta & totum ipſum eſt completum utraque ſunt in eodem genere.

3. Probo ſecundò: Subſtantia finita & infinita (ſecundum Adverſarios ſaltèm pro majori

parte) ſunt in eodem genere, ergo poſſunt eſſe completa & incompleta, nam magis diſtant finita ab infinita, quàm duæ finitæ, quarum una eſt completa, altera incompleta, quia nimirum horum diſtantia eſt finita, illarum infinita. Explicatur ratio, & deducitur ad terminos controverſos, quia ſubſtantia etiam completa finita magis imperfecta & incompleta eſt comparata ad ſubſtantiam infinitam quàm ſubſtantia finita, v. g. materia aut forma comparata ad totum, ergo ſi illorum inæqualitas nō impedit ne ſint in eodem genere neque horum inæqualitas impediet ne etiam ipſa ſint in eodem. Antecedens ut dixi eſt magnæ partis eorum authorum qui negant hanc concluſionem, & in re debet eſſe omnium Thomiſtarum qui ponunt pleríque Deum in prædicamento ſimul cum ſubſtantiis finitis, Scotiſtarum etiam quia licèt ſecundùm ipſos Deus non ſit in prædicamento ſubſtantiæ tamen hoc non impedit ne univocentur ſecundùm ipſos quod oſtendo palàm, quia in Scotiſtica Metaphyſica Deus & creatura univocantur in ente; & tamen Deus eſt ens infinitum creatura autem finitum, ergo poſſunt etiam univocari in ſubſtantia, licèt unum ſit finita ſubſtantia, altera infinita.

4. Probo tertiò, quia menſura eorum, quæ ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, eſt individuum ſive prima ſubſtantia quæ eſt fundamentum & baſis cæterorum, ut videas apud Ariſtotelem ſæpiſſime, illa ergo in prædicamento hoc collocantur quæ imminent rectâ lineâ primæ ſubſtantiæ ſeu individuo, ſive, quarum prædicationem recipit individuum: atqui individuo imminet non ſolùm ſubſtantia completa, ſed ſubſtantia ut ſic communis completæ & incompletæ, quod probo facilè quia de individuo & prima ſubſtantia prædicatur ſubſtantia completa, de completa autem prædicatur ſubſtantia communis completæ & incompletæ, ergo de individuo prædicatur ſubſtantia communis completæ & incompletæ, quod fuit probandum, nec eſt ulla ratio niſi merum arbitrium hominum cur ſeries prædicamentalis habeat ſtatum, ſeu deſinat in ſubſtantia completa, non verò complectatur ſubſtantiam communem completæ & incompletæ, ergo.

5. Quarta ratio principalis, quia incompletum quod excluditur à prædicamento non eſt idem quod imperfectum aliàs nihil creatum eſſet in prædicamento, ſed incompletum accipitur id quod ordinatur ad complementum & compoſitionem alterius; oſtendo autem nec hoc etiam debere à prædicamento excludi, unde ſic arguo: Ordinari ad compoſitionem alterius non excludit rem à ſerie prædicamentali, ergo nec incompletio. Antecedens patet in linea longa quæ ſi dividatur in duas breviores adhuc ſingulæ partes erunt in prædicamento & recipient prædicationem ſui generis. Idem eſt in aliis quibuſcumque continuis, imò niſi ita eſſet, nullum continuum quantumvis immane poni poſſet in prædicamento, quia quodlibet tale eſt ordinabile ad alterum & poteſt eſſe pars ejus.

Video tamen, quòd ad hoc reſponderi poſſet continua nō eſſe incompleta niſi dum actu componunt, & proinde tunc tantùm excludi à prædicamento (a) Sed quis non videt hoc eſſe excogitatum & poſſe me etiam eodem jure dicere quòd partes ſubſtantiales quando ſunt extra totum ſint completæ, atque ita hæc reſponſio concedit potiùs argumentum, quàm ſolvit, ſi enim ſint completæ utiq; ponentur in prædicamento.

(a) Amic. *tract.* 13. *ſeg. q.* 1.

Relinquo tamen hoc, & confirmo argumentum aliunde ſic: Linea ipſa ex genere ſuo eſt in prædicamento, linea ex genere ſuo eſt incompleta, ergo jam aliquid incompletum eſt in prædicamento, major eſt omnium vox cum Ariſtotele dividente quantitatem continuam permanentem in tres has ſpecies, lineam, ſuperficiem & corpus. Et revera niſi ita ſit, prædicamentū quantitatis neſcio, an ſubſiſtat. Minor ergo probatur, quia linea ex natura ſua ſicut etiam ſuperficies, ordinatur ad corpus, nam ſine his non eſt dimenſio perfecta atque adeò omnes tres concurrunt ut vides ad perfectam extenſionem corporis à natura intentam, & quam ſubſtantiæ corporales exigunt, nunquam enim viſum eſt ullum corpus quod non haberet omnes tres dimenſiones: ergo jam à primo ad ultimum linea eſt incompleta non quomodocumque, ſed eſſentialiter, & non tantùm integraliter ut in ſuperiori exemplo, & tamen ponitur in prædicamento, & quidem directè, ergo ſignum eſt quòd genera prædicamentalia ſint communia completis & incompletis, nam ſi genus quantitatis quidni ſubſtantiæ & cæterorum?

6. Denique reſpondeant Adv. ſi nihil incompletum ſit in prædicamento, quid tandem erit in ipſorum prædicamento? Dico genera non eſſe ibi, v g. animal non eſſe in prædicamento ſubſtantiæ, nec vivens aut corpus, quia nimirum ſingula horum ſunt incompleta, & ordinantur ad compoſitionem alterius: corpus ordinatur ad vivens, & eſt pars ejus, vivens ad animal. Ad hæc, ſpecies non erit ibi, quia ſpecies ordinatur ad individuum, ſed nec individuum ipſum erit, quia componit ſuppoſitum. Itaque incompletio non ſtatim excludet res à prædicamento, alioquin ſanè plura eſſent extra ipſum quàm in ipſo, atque ita non divideretur res omnes adæquatè in decem prædicamenta: Et ſanè hanc fuiſſe intentionem Ariſtotelis à quo prædicamenta accepimus, patet tum ex dictis, tum amplius ex 2 *de anim. tex tem.* 2. ubi diviſit ſubſtantiam in materiam, formam & compoſitum; nam ſi ita ſit, tum ſingula horum ſunt ſubſtantiæ quia diviſum prædicatur de ſingulis dividentibus, quum tamen aliqua ſint manifeſtè incompleta, & partes de quibus quærimus, ergo.

7. Nihilominus declaro me non velle per hæc omnia, niſi quòd hujuſmodi incompleta entia ſint in prædicamento, hoc eſt, habeant veram rationem illius generis, & ſint univocè talia cum aliis, quæ in eo reponuntur aut cenſentur ſuo jure poni, eo ſolo diſcrimine, quòd iſta ſint ut loquuntur incompleta & componentia, cætera completa & compoſita. Non autem intendo per hæc evincere quòd debeant poni rectâ lineâ arboris in eadem ſerie cum generibus & ſpeciebus etſi fortè aliquæ ex adductis rationibus id ſuadeant.

Sed dicet aliquis, ubi hæc in prædicamento recipientur? ſi enim non ſint in recta linea, nullibi eſſe poſſunt, quia lineæ laterales occupatæ ſunt à differentiis, atque ita non eſt relictus locus partibus aut eſſentialibus aut integrantibus, v g. materiæ aut formæ, capiti aut manui. Reſpōdeo: Subſtantia primò dividenda eſt in completam & in-

& incompletá, completa faciet illam ſeriem ſeu arborem, quam ſemper præ oculis habent iſ, qui nobis adverſantur in hac concluſione; incompleta autem aliam habebit, in qua erunt eædem differentiæ & ſpecies eædem aliquando, ſed incompletæ, ſive cum minori amplitudine ſeu completione. Confirmo hanc methodũ, quia ſubſtantia dividitur in corpoream & incorpoream, quæro jam, quem locum in prædicamento occupent incorporeæ? Non medium, quia hoc videmus eſſe contextum ex generibus & ſpeciebus corporeis; non extrema loca ſeu lateralia, quia in illo ſunt differentiæ, ſicut ergo neceſſariò faciendæ ſunt duæ ſeries ſeu duo ordines hujusmodi una corporearum ſubſtantiarum altera incorporearum, quum tamen ſubſtantiā ſit unum prædicamentum, ita ſimiliter hîc faciendi ſunt totidem ordines completæ & incompletæ, quod dico cum reverentia communis ſententiæ quæ oppoſitum tenet, & poteſt vera eſſe intelligendo, quòd partes non ponantur in ullo loco prædicamenti de facto conſtructi, neque ego hoc volui, ſed eos tantum repellere qui contendunt eas æquivocè eſſe ſubſtantias, & ſubſtantiam incompletam totaliter eſſe extra hoc prædicamentum, quod incipit à ſubſtantia completa ſecundum ipſos. Placet autem illos audire.

8. Objiciunt in primis pro ſe Ariſtotelem, qui quum dixiſſet commune eſſe omni ſubſtantiæ in ſubjecto non eſſe, addidit id non eſſe proprium ſubſtantiæ, eò quòd differentiæ conveniret, in quo declaravit ſenſiſſe ſe quod differentia non eſſet ſubſtantiæ, alioquin propter ipſas non dixiſſet illam affectionem convenire alicui præter ſubſtantiam. Reſpondeo: Ego hîc ſumpſi patrocinium partium eſſentialium phyſicarũ & integrantium, non vero metaphyſicarum de quibus ſuo loco dixi quod ſenſi, & exinde colligi poteſt differentias non includere rationem generis, quod dividunt ſicut nec etiam includunt rationem aliarum differentiarum ſuperiorum. Itaque differentiæ ſubſtantiarum non includunt rationem ſubſtantiæ. At vero partes eſſentiales & integrales includunt ſubſtantiam, etiam in quid dictam.

9. Objiciunt ſecundò nullum totum prædicari de ſui parte, nec enim materia hominis eſt homo, & multò minus caput aut collum eſt homo, ergo bene dicunt Adverſarii, quòd partes ſubſtantiæ non ſunt ſubſtantia. Reſpondeo concedendo totum, ſed intelligere debuit arguens, quòd partes hujusmodi phyſicæ v. g. materia aut corpus vel anima etſi ſint partes hominis, non tamen ſunt partes ſubſtantiæ in propoſito, ſed ſunt ipſa, ſunt enim ſpecies ejus, & hoc eſt, quod nos aſſerimus, nec ſufficiebat ipſis oppoſitum aſſerere, ſed debuerunt probare. Alterum ergo ex duobus vel utrumque potiùs debebant oſtendere, vel quod materia v. g. collum aut caput non includat rationem ſubſtantiæ, ut ſic etiam incompletæ, vel quod ſubſtantia à qua incipit prædicamentum ſit ſubſtantia completa. Duo enim nos dicimus, materiam ac ſimiles partes eſſe ſubſtantias incompletas; & ſubſtantiam à qua incipit prædicamentum eſſe ſubſtantiam ut ſic communem completæ & incompletæ.

10. Objici poteſt D. *q. 15. prædicam.* Ubi poſt quædam præmiſſa de partibus eſſentialibus & integralibus ait: *Iam de his, quàm de his poteſt dici, quòd non ſunt ſubſtantia per ſe, id eſt quod generaliſſimum ſubſtantia non prædicatur de iis per ſe nec vere in abstracto*, & infra: *Veruntamen ſubſtantia eſt æquivocum, & iſto modo eſt generaliſſimum; & iſto modo partes ſubſtantiæ poſſunt dici ſubſtantiæ.* Reſpondeo: Doctor eſt optimus interpres ſui; infra autem eadem quæſtione explicat ſe de qua æquivocatione loquatur dicens: *Iſta diviſio eſt æquivoci in æquivocata ſecundum Logicum, & analogi in analogatà ſecundum phyſicum*, ſcimus autem analogiam compati cum univocatione, adeoque. Alia loca ejus in oppoſitum apud Maſtrium neque valde aperta ſunt, ut ille ex 2. *d* 12. *q* 1. & jam oſtenſum eſt quomodo nihil noceant concluſioni, quæ non negat id, quod Doctor aſſerit, ſed aliud.

ACTIO III.

De diviſione ſubſtantiæ in corpoream & incorpoream. Quid ſit Corpus? Quid ſpiritus?

Breviarium.

N. 1. 2. *Apparatus ad intelligentiam actionis. Quod corpus hîc tractatur.*

3. *Rationem corporis non conſiſtere in diviſibilitate ſeu in habere partes.*

4. 5. *Plures probationes hujus. Puncta etiam ſubſtantiæ & materia primæ ſunt.*

6. *Objectio, ſoluta.*

7. *Ratio corporis non conſiſtit in eſſe impenetrabile cum alio. Probatur.*

8. *Alia probatio hujus.*

9. *Objectio. Quomodo ſuperficies Loci ambiat ſuperficiem ultimam locati, ſi ſit æqualis ei.*

10. *Non bene explicari corporeitatem ſubſtantialem per materiam aut ordinem ad ipſam.*

11. *Vera ratio conſtitutiva corporis ſubſtantialis aſſignatur.*

12. *Objectiones ſolutæ. An & quomodo anima rationalis exigat quantitatem?*

1. EJusdem eſt diviſionem, cujus eſt definitionem objecti tradere, unde poſt explicatam ſubſtantiæ naturam aggredimur differentias & partes ſubjectivas ejus, inter quas aut primæ aut potiſſimæ ſunt corporalis & ſpiritualis, quamquam de illis nihil in præſenti Ariſt. ſed magis de prima & ſecunda ſubſtantiis, quas nihil nocet neſcire, pueris potiùs quam philoſophis dignas. Tamen quia etiam illa diviſio logica eſt, tangemus eam in fine, hic autem realem hanc controverſiam proponere &

re & reſolvere volui eò magis, quod à pluribus videam eam leviter perſtringi.

Id autem moneo ſufficere ad deciſionem quæſtionis, ut altera pars reſolvatur, ſcilicet, quid ſit corpus, aut quid ſit ſpiritus nam determinatâ unâ parte altera ſtatim ex ipſa velut ex oppoſito innoteſcet ferè ad eum modum quo habitu cognito intelligitur eo ipſo privatio, nam licèt revera hæ ſpecies non ſint habitus & privatio, tamen à nobis efferuntur ad modum, eorum, dicendo corpoream & incorpoream materialem & immaterialem, ubi negativæ differentiæ ſignificant ſpeciem ſpiritualem. Ita ſufficiet nobis explicare corpus quod notius eſt ad hoc autem removendæ ſunt impropriæ atque etiam impertinentes acceptiones utriuſque, dicitur enim ſpiritus & de corpore ut quum (a) venti vocantur ſpiritus procellarum & animæ brutorum vocantur ſpiritus (b) etſi ne quidem ſint ſpirituales, agimus ergo de ſpiritu propriè hoc eſt ut opponitur corpori, de corpore autem agimus phyſico non mathematico, ſive ſubſtantiali non quantitativo quod eſt tertia pars condividens genus unà cum linea & ſuperficie, aut potius involvens omnes ipſas. Denique de corpore ſubſtantiali non quocumque quale eſt in viventibus quod informatur animâ, & poſt ipſam manet cadaver, ſic enim non definiremus corpus metaphyſicum quod eſt in recta linea ſed nec agimus de hujuſmodi corpore methaphyſicó recti lineo ſolum, alias relinqueremus indecitum corpus incompletum quod eſt pars in animali Erit ergo ſermo de natura corporis ut abſtrahit ab utroque quod confirmabit ſupradicta actione proximè præcedenti, ſcilicet ſubſtantiam ut ſic includere ſub ſe completas & incompletas. Si enim corpus includit completum & incompletum quidni ſubſtantia quæ ſuperius eſt? Confirmabit etiam quod ſpiritus complectatur ſub ſe completos & incompletos, tales enim ſunt angelus & anima rationalis quod ita verum eſt ut quæcumque definitio à nobis aſſignabitur ſive corpori ſive ſpiritui ut ſic illa omnino conveniet æque rotundè completis ac incompletis.

(a) pſ. 148 v. 8.

(b) Eccle. cap. 3. v. 21.

2. Ad rem, duas hîc video celebratas opiniones de natura corporis, una vult eam ſitam eſſe in diviſibilitate ſeu in habentia partium, ita ex Rec *Gab. Vaſqu.* & ex ipſo *Petrus Hurt.* (c.)

Altera conſtituit rationem corporis, de quo agimus in impenetrabilitate ſubſtantiæ cum alia ejuſdem rationis, ita priorem ſententiam correxit alius junior & eum ſequutus Oviedo (d) eſt quidem aliquorum ille modus dicendi ut explicent corpus per ordinem ad materiam, ut illa ſit corporea ſubſtantia quæ conſtat materiâ primâ aut ordine ad ipſam, illa ſpiritualis quæ non item, ex quibus ut verum fatear mihi nulla placet, unde contra primam

(c) 1. p. d 18. diſp. 2. An ſec. 53.

(d) contr. 1. de An. punc. 5.

3. Dico rationem corporis non eſſe ſitam in habitione partium ſive in diviſibilitate, ita intelligo Doct. 2. *d.* 12. *q* 2 Eſt omnium etiam diſcipulorum ejus cum ipſo, debet eſſe etiam aliorum, ut infrà oſtendam, ſcilicet Aureoli, Godfredi majoris, *&c.* qui D. N. ſequuntur in ea ſententia quam eo loco defendit, & (quod mireris) debet eſſe D. Thom. & ſuorum qui defendunt ſubſtantiam non habere partes ſeclusâ quantitate, nam ſine dubio D. Thom & ſui non credunt ſubſtantiam corpoream ablatâ quantitate eſſe ſpiritualem: ecce quodammodo utrique authores in hanc ſententiam impelluntur.

Probo ipſam habere partes non poteſt ſalvari ſine multis, non enim ſalvatur ſine multis partibus, ſed eſſe corpus aut ſpiritum ſalvatur ſine multis, quia quælibet pars ex illis eſt corpus & corporea vel è contra, ergo Dices etiam quamlibet partem habere partes, quia continuum eſt diviſibile in infinitum. Reſpondeo primò non ſufficere hanc reſponſionem in ſententia tenentium continuum componi ex indiviſibilibus, in ipſa enim non eſt verum quamlibet partem habere partes, ſed poteſt devenir ad compoſitum ex partibus impartibilibus, v. g. aliquod continuum conſtans ſolum duobus punctis. Reſpondeo ſecundò quantumvis ſit ita à parte rei, quod continuum habeat partes ſemper diviſibiles tamen eo non obſtante argumentum habere vim, quia etſi ſint plures partes etiam infinitæ in quolibet, neceſſario tamen una eſt prior pluribus, & paucæ priores multis, prima duabus & duæ tribus, & ſic de cæteris. In illa ergo prioritate & conſideratione quæri poteſt de partibus ſingulis an ſint corporales nec ne? non poteſt dici quod non, quia poſſunt componere corporale (non poſſunt autem niſi ipſæ eſſent tales) dici autem quod ſic, minus poteſt ſecundùm hanc viam quia ut ſic & pro tunc non habent partes.

Probat ex recentibus quiſquam, quia unio animæ rationalis ad corpus non eſt corporea, cum ſubjectetur in anima & tamen habet partes, ergo jam non conſiſtit ratio corporei in habere partes neque ſpiritualis in non habere eas, prima conſequentia probatur, quia tum ratio conſtitutiva corporei competeret alicui non corporeo ſecunda autem, quia jam datur aliquid ſpirituale habens partes. Hic triumphaſſe ſe credit ille Neotericus & poſt illum alius, at non ego, nempe meminiſſe debuit hoc argumento utens agi hîc de corpore & ſpiritu, non vero de corporeo aut ſpirituali; agimus enim de ſubſtantia & diviſione ejus in illas ſpecies quæ utique debent eſſe ſubſtantiæ; debuit ergo hic adferre inſtantiam de ſpiritu habente partes, quod non fecit, ſed aliud longè diverſum. Deinde etiam probant intentum hoc per inſtantiam gratiæ, quæ quia intenſibilis & remiſſibilis eſt, utique habere debet partes quod medium aliunde minus ſolidum eſt, non enim gradus illi ſunt propriè integrantes ſed intendentes qualitatem, quia diverſa ſunt, ſicut diverſa ſunt argumenta quantitatis & qualitatis. Imo in quolibet gradu ſeorſim attendenda eſt diviſibilitas aut indiviſibilitas ejus in partes integrantes.

4. Standum eſt ergo argumento poſito & huic præterea, quia ſecundùm probabilem ſententiam, quam amplexus eſt D. Th (e) pluribus locis, animæ perfectorum animantium ſunt indiviſibiles, & tamen certum eſt eas non eſſe ſpirituales.

(e) 1. p. q. 76. ar 8 2. cont. Gent. & 2. de an. art.

5. Tertiò, quia indiviſibilitas in partes ejuſmodi poteſt etiam corpori competere aut ſaltèm corporeo, quod ſufficit contra adverſarios, quibus, ut vidimus, hæc ſunt ſynonyma ergo. Antecedens oſtendo quia punctum ſine dubio eſt tale & tamen eſt indiviſibile penitus ac prorſus, ergo

Sed hoc argumento videor incurriſſe id quod ipſe in Recentibus reprehendi, ſcilicet conſequentiam dictam ab accidentibus ad ſubſtan-

ſubſtantiam, punctum enim, quum ſit aliquid quantitatis, debet eſſe accidens; hîc autem agimus de ſubſtantia ut ſupra, ergo. At enim ſciri debet non in ſola quantitate dari puncta, ſed etiam in ſubſtantia ipſa materiali, & materiæ ſua puncta eſſe quibus illa quantitatis puncta reſpondent. De his ergo intelligo & tum aliter debent reſpondere Adverſantes.

Poſſent autem prætendere, quòd puncta ſubſtantiæ non ſint ſubſtantia, ſicut nec puncta quantitatis ſunt ſpecies ejus, aut aliquid directè poſitum in illo genere vel includens ipſum, quòd ſi verum ſit, jam non ſufficit argumentũ concluſioni. Sed inprimis etſi puncta non ſint ſubſtantiæ, ſunt aliquid (etiam ſubſtantiale) & indiviſibile, atque adeo hoc quod eſt eſſe indiviſibile in ejuſmodi partes non convertitur cum ſubſtantia corporali adeòq; nec poterit eſſe definitio ejus. Deinde arguo aliter, & accipio lineas & ſuperficies ſubſtantiales, quæ ſine dubio dantur in illa; ſi dentur puncta; quomodo enim iſta potius quam alia, aut quomodo punctis quantitativis reſpondent puncta ſubſtantialia, & non lineis & ſuperficiebus lineæ & ſuperficies ſubſtantiales; de his ergo dico eas eſſe indiviſibiles, & non ſolum ut vincula aut uniones quemadmodum puncta, ſed quaſi partes & tamen non ſunt ſpiritus ſed corpora potius, ſunt autem indiviſibiles ſingulæ ſecundum aliquam dimenſionem, nam linea eſt diviſibilis in latum, ſuperficies in profundum, ergo.

Dicet fortè aliquis illa adhuc eſſe corpora, quia ſunt ſingula diviſibilia, linea quidem ſecundùm longum, ſuperficies in latum: Audio, ſed quæro, cur numeranda ſunt inter corpora propter diviſibilitatem, & non item inter ſpiritus propter indiviſibilitatem. Certè linea ſemel tantum diviſibilis eſt, bis autem indiviſibilis; an non ergo potiùs locari debet in claſſe ſpirituum & indiviſibilium, quam corporum ſeu indiviſibilium. Deinde quidquid ſit de hoc, etiam dato quod ſint cenſenda corpora (ut optant Adverſarii) ſequitur contra ipſos hoc, quod eſt eſſe indiviſibilem in partes competere corpori non poteſt amen ratio propria ſpiritus competere, vel in toto, vel ex parte corpori, ergo.

6. Objicies: Non poteſt dari ſpiritus, qui conſtet partibus integrantibus, adeòque impartibilitas eſt inſeparabilis à ſpiritu, ſed non tanquam proprium aut paſſio, quum nihil ſit aſſignabile prius competens ſpiritui, ergo ut eſſentia. Reſpondeo; Antecedens à quibusdam negatur, ſed immeritò; eſt enim veriſſimum, at non proindè eſt eſſentia ſpiritus, quum competat corpori ut vidimus aut ſaltem corporeis; & ſane non habeo aliud quod magis moveat ne dicam eſſentiam ſpiritus in eo conſiſtere, nam conſiderando ipſam rationem ſpiritus in ſe facilè poteſt ei accommodari hoc tanquam differentia eſſentialis, at enim aliunde ſtandum eſt in eo, quod corpus & ſpiritus conſtituatur oppoſitis differentiis, adeoque ſi conſtitutivum ſpiritus eſſet indiviſibilitas conſtitutivum corporis deberet eſſe diviſibilitas, quod vidimus non eſſe verum, adeoque.

7. Dico etiam ſecundò non ſatis explicari corpus, quòd ſit ſubſtantia impenetrabilis cum alia ejusdem ſpeciei; neque quod conſtat materia, vel dicit ordinem ad ipſam. Hæc reprobat juniorum inventa. Habet pro ſe *Subtilem*.

Probatur prior pars, quia poteſt aliquod eſſe corpus, & tamen penetrabile cum alio ejusdem ſpeciei; quod ſi verum eſt, ſanè falſa eſt definitio illa corporis, quod ſit impenetrabile quid cum alio ejusdem ſpeciei. Probo autem eſſe veriſſimum, accipiamus enim duo corpora ejusdem ſpeciei, v.g. duo ſaxa aut duo ova, demamus illis quantitatem & remaneant ſubſtantiæ ſine dimenſionibus ſicut aliàs manent dimenſiones ſine ſubjecto; de illis ſaxis ſic relictis ſic argumentor: Illa ſaxa ſunt corpora, illa ſaxa ſunt penetrabilia ſingula cum alio ejusdem ſpeciei, ergo aliquid penetrabile cum alio ejusdem ſpeciei eſt corpus, majorem probo quia nihil ſubſtantiale iis ablatum eſt, adeoque ſunt adhuc corpora ſubſtantialia, & quidem completa ſicut prius. Minor autem minus dicit quam poſſet, quia unum ex illis non ſolum eſt penetrabile cum altero ſpoliato quantitate, ſed etiam cum altero non ſpoliato quantitate ſed habente ipſam, atque adeo ipſa minor & plus quam vera Conſequentia autem non poteſt reprehendi, ergo.

8. Probo nihilominus idipſum iterum reſumendo argumentum ſuprà tactum concluſione præcedenti, nam linea & ſuperficies ſubſtantialis, ſive, quod in ſubſtantia reſpondet lineabus & ſuperficiebus quantitatis, eſt corpus, & tamen eſt penetrabilis cum alio ejusdem ſpeciei, quia cum corpora lævia applicantur ad contactum, ſuperficies utriusque ſunt in eodem loco, quia indiviſibilia non expellunt invicem loco, imò nec expellunt quantitatem diviſibilem à loco ſuo, ergo. Quod argumentum pugnat fortius cum alterius Rec. definitione, qui vult corpus eſſe entitatem impenetrabilem cum alia ejusdem ſpeciei, nam etiam præſcindendo ab eo quod dentur in ſubſtantia lineæ & ſuperficies, ſaltem in ipſa quantitate dantur lineæ & ſuperficies, & duæ ſuperficie duarum tabularum ſunt in eodem loco, & tamen non ſunt corpora ſubſtantialia de quibus hîc, imo nec ſunt corpora quantitativa, ſed ſpecies diſtinctæ ab ipſis ergo non ſtat ratio corporis ſubſtantialis in eſſe impenetrabilem cum alio ejusdem ſpeciei, quia nimirum hoc competit quantitati.

9. Objici tamen poteſt ſuperficies illas non eſſe in eodem loco, ut nos prætendimus ſed in diverſis, quia etiam corpus locatum univerſaliter ſic applicatur locanti, & tamen ſuperficies locantis non eſt ſimul cum ſuperficie locati, aliàs non ambiret ipſum, locus enim debet ambire locatum, eſt enim locus ultima ſuperficies corporis continentis atque ita ambientis locatum. Reſpondeo utrumque eſſe verum, ſcilicet quòd locus ambiat, ut vult replica, & quod ſuperficies ſe compatiantur nec expellant invicem à loco, cùm non ſint extenſæ ſed indiviſibiles, quod quomodo fiat, aliò ſpectat, ibi diffuſius explicandum: ſufficit pro nunc quantitatem ſolam habere extenſionem diviſibilem ſive partes ſolas expellere ſe loco non vero indiviſibilia, pergo ergo, &

10. Probo, quòd nec bene explicetur corporeitas ſubſtantialis per materiam; poteſt enim dari corpus ſubſtantiale ſimplex, hoc eſt non habens materiam ſive non conſtans duabus partibus phyſicis eſſentialibus. Eſſet ergo illa res corpus, non poſſet autem eſſe corpus ſine corporeitate, poſſet eſſe ſine materia, ergo jam materia non eſt, quæ facit corpus.

Deinde ipſa materia eſt corpus (quod patet ex iis, quæ ſuprà dixi de partibus incompletis, participant

cipant enim rationem ſui generis, ut ibi) at verò materia non conſtat materiâ, nec dicit ordinem ad ſe ipſam, & ſi diceret, tum ordo non eſſet ordo, ſeu non eſſet relatio, nam quod eſt ad ſe, abſolutum eſt non reſpectivum, & multo minus reſpectus.

11. Dicendum ergo ultimò corpus hujus prædicamenti eſſe ſubſtantiam connaturaliter exigentem quantitatem & extenſionem impenetrabilem ſui, una probatio hujus eſt improbatio cæterarum viarum, ſi enim nulla niſi hæc ſufficiat, neceſſariò ſtandum erit iſti. Probatur etiam poſitivè quia omnis & ſola ipſa exigit quantitatem, ergo.

Dices, licèt ita ſit, tamen id non ſufficere concluſioni, opportet enim ut præterea ſit primum quod concipitur in re. At verò exigere quantitatem non eſt primum quod concipitur in corpore ſubſtantiali, ſed prius eſt habere partes, nam ſi non habet partes non poteſt exigere quantitatem, nec enim quantitas recipi poteſt in impartibili, ergo. Reſpondeo: Propter hoc exiſtimo primam illam viam de habitione partium non eſſe valde improbabilem, quod etiam ſupra ſignificavi. Aliunde tamen non videtur omnino ſufficere, quia licet prius ſit in ſubſtantia habere partem quam exigere quantitatem, tamen prius illud non reddit ſubſtantiam corpoream, tum quia in aliqua ſententia non repugnat ſpiritum habere partes, tùm quia ſingulæ partes exigunt quantitatem, atque ita prior eſt exigentia quantitatis quam habitio plurium partium.

12. Objicio tamen: Anima rationalis exigit quantitatem, nec tamen eſt corpus, ergo exigere quantitatem non facit corpus. Major patet, quia exigit organa, extenſa & niſi talia habeat non poteſt habere operationes ſuas puta ſenſationes, maximè guſtum & tactum; minor autem eſt de fide. Reſpondeo tamen negando majorem, quia nimirum anima rationalis poteſt connaturaliter eſſe ſine materia, & multò magis ſine quantitate, quod totum patet in ſeparatione ejus, in quo ſtatu naturaliter & ſine miraculo ullo manet. Senſus ergo concluſionis eſt, quòd illa ſubſtantia ſit corpus, quæ connaturaliter exigit quantitatem, hoc eſt quæ non poteſt connaturaliter manere in eſſe niſi conjuncta quantitati aut rei quanti. Unde ſi fortè ſic maneat aliquádo, hæc remanſio non ſit niſi contra naturam ejus, aut ſaltem ſupra ipſam per miraculum. Aliter etiam reſponderi poteſt animam rationalem non exigere quantitatem ratione ſui propriè, hoc eſt ratione ultimæ differentiæ ſuæ, quæ eſt rationalitas ſed ratione aliarum incluſarũ in ipſa virtualiter, ſcilicet ſenſitivæ & vegetativæ; ſignum autem hujus eſt quia ſi ponatur anima rationalis in corpore non quanto aut etiam quanto, ſed non extenſo aut impenetrabili ut contingit animæ Chriſti Domini in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ connaturaliter habebit operationes intellectivas ſeu rationales (ſicut etiam de facto Chriſtus ipſe Dominus habet in Euchariſtia) licet non ſenſitivas aut vegetativas.

Objicio 2. Punctũ exigit connaturaliter quantitatem, ſed punctum non eſt corpus, ergo non omne corpus exigit generaliter quantitatem. Et ne reſponderi poſſit punctum non eſſe ſubſtantiam, loquor de puncto ſubſtantiali quod ſine dubio affectũ eſt quantitate, alioquin quantitas ſubſtantiæ non eſſet continua ſed interrupta, ſive ut melius dicam, non eſſet continua & quanta, quia nimirum puncta quæ ſunt continuitates ejus non quantificarentur. Reſpondeo negando majorem, non enim punctum ſubſtantiale exigit quantitatem ſed aliud punctum quod non eſt quantitas. Unde etiam reſponderi poteſt negando minorem, ſicut enim punctum quantitatis non eſt quantitas, ita nec ſubſtantiæ ſubſtantia.

ACTIO IV.

De Diviſione ſubſtantiæ in primam & ſecundam.

Breviarium.

N. 1. *Quàm fundata ſit hæc diviſio in Ariſtotele?*

2. *Quid apud Ariſtotelem* dici de ſubjecto. *Quid item* in ſubjecto *eſſe.*

3. *Ratio dubitandi ſive occaſio controverſiæ, urgetur multipliciter.*

4. *Solvuntur rationes omnes, & deciditur, qualis hæc diviſio.*

1. ARiſtoteles in ſuis prædicamentis capite de ſubſtantia ſtatim à principio docuit *ſubſtantiam, quæ propriè & principaliter dicitur* eam eſſe. *Quæ neque de ſubjecto dicitur, neque in ſubjecto aliquo eſt. ſecundas autem ſubſtantias dici ſpecies, in quibus ea quæ principaliter ſubſtantiæ dicuntur, inſunt, & harum ſpecierum genera.* Hic veteres dialectici (*a*) vehementer digladiati ſunt, qualis ſit hæc diviſio ſubſtantiæ in primam & ſecundam, cùm tamen Ariſtoteles neque ullius diviſionis meminerit, nec (ſi meminiſſet) in ea numeraverit primam ſubſtantiam, ut vides in textu ad literam deſcripto. Res ergo eſt non magnopere tractatu digna, & quæ nullatenus ſubſtantiæ propria ſit, ſed communis ei cum omni Accidente, quod utique dividi poteſt in primum & ſecundum eo ſenſu, quo intelligitur ſubſtantia in ipſas dividi. Dicam ſine ſtrepitu, & breviter, quod hìc eſt ſcitu dignum.

(*a*) Lovanienſ. *hic* Soto *cap. de ſubſt.* Cajet. *in cap. idem.* Maurit. *q. 4 an.* Tartar. *q. 1. prædicam.*

2. *Dici de ſubjecto*, phraſi Ariſtotelis eſt idem, ac prædicari eſſentialiter, tanquam ſuperius de inferiori. *In ſubjecto eſſe* relictis ambagibus Ariſtotelicis coincidit cum eo quod eſt ineſſe tanquam formam ſingularem ſubjecto, quo poſito.

3. Occaſio litis circa valorem hujus diviſionis ea eſt, quòd non videatur facilè hìc diſtingui poſſe diviſum à dividente, utique enim diviſum hic debet eſſe aliquid commune, aliàs non competeret utrique membro dividente; aliunde autem non poteſt eſſe quod commune, quia ſubſtantia communis eſt ſubſtantia ſecunda, quæ eſt alterum membrum diviſionis & iterum coincidit cum diviſo eo quod ſubſtantia illa communis ſine dubio ſit aut genus aut ſpecies: at vero *genera & ſpecies ſunt ſecundæ ſubſtantiæ* ut docet philo-

Digitized by Google

philoſophus citatus. Urgeò difficultatem, quia diviſio ut ſit exacta debet dari per membra oppoſita; quod ſi ita ſit, jam ſecunda ſubſtantia debet contraponi primæ; &, cùm ſecunda ſubſtantia coincidat cum diviſo, ut vidimus, jam membrum dividens contraponitur incompatibiliter diviſo, quod eſt inauditum. Urgeo adhuc, quia ſecunda ſubſtantia, quum contineat ſub ſe genera, non poteſt minùs eſſe quam genus. Imo hoc haberet etiamſi contineret ſub ſe ſolas ſpecies, quidquid ſit, ſive ex altero, ſive ex utroque capite eſt genus; at verò genera omnia continentur ſub ſecunda ſubſtantia, adeoque videtur idem eſſe ſub ſeipſo. Tertio ſic: Subſtantia ut ſic dividitur in primam & ſecundam, adeoque de qualibet harum prædicatur; ſed non poteſt prædicari de prima, quia ſecunda ſubſtantia eſt genus aut ſpecies, prima autem non, ſed individuum, de quo non poteſt genus aut ſpecies dici, ſed potius negari adeoque jam diviſum non poteſt prædicari de utroque membro dividente. Hæc & alia quibus hujus telæ fila implicare poſſem, utique faceſſerent negotium iis qui pertinaciter tueri vellent hanc diviſionem quam credunt eſſe Ariſtotelis, ſed non reputo rem dignam meâ morâ.

4. Prima difficultas, quam vidi ante me motam, olim à D. N. ſoluta eſt, & quidem ſubitò negando hanc omnino eſſe diviſionem ſuperioris in partes ſubjectivas aut inferiora, ſed duntaxat ſubjecti in accidentia, qualis eſt illa, quâ dividitur homo in univerſalem & ſingularem, utrumque enim tam univerſalitas quam ſingularitas accidit homini, non minus quam ligno curvitas & rectitudo. Reliqua, quæ ipſe addidi, alibi à me ſoluta ſunt, aut ex ibi dictis facilè poſſunt ſolvi. Eſt enim ferè eadem difficultas hîc, quæ fuit in Apologia de genere, quod cùm comprehendat ſub ſe omnia genera comprænhendit etiam univerſale ut ſic quod eſt ipſiusmet genus, ac proinde eſt aliquid ſub quo ipſum continetur, ex quo ſequi videtur aliquid ſub ſe comprehendere ſe ipſum. Videantur ibi dicta: habent aliquid acuminis, ſed non habent multum utilitatis quamquam ad ea ut hic jacent dici poſſet ea non facere ad rem, procedunt enim propriè de diviſione ſuperioris in inferiora, non verò ſubjecti in accidentia, aut accidentis in ſubjecta, quo in genere diximus hanc diviſionem verſari, pergo ad magis ſeria.

Fuſiùs de his ſcribunt

Ariſtoteles *hîc cap.* 5. *&* 5. *Met, cap* 8. *&* 8. *Met. text.* 1. Simplic. *hîc* Boët. *initio prædicam.* Plotin. *Ænead.* 6. Porphyr. *in interrogation.* Aug. *in Categ. c.* 9. *&* 7. *Trin. c.* 4. S. Iſidor. *lib.* 1. *Differ. c.* 4. Albertus Mag *hîc tract. & c.* 2. S. Thom. 1. *p. q.* 86. *art.* 3. Ock. 1. *d.* 8. *q.* 2. Ægid. *ibid.* Arim 4. *d* 8 *q.* 3. *art.* 2. Cajet. *in hoc cap.* Flandria 7. *Met. q* 8. *art.* 2. Soncin. 7. *Met. q.* 39. Tartar. *hoc cap. prædic.* Holcot. *q.* 6. *&* Paul Venet *c.* 4. *Met.* Zimara *in Theor. ſuper text.* 8. *ſeq. Met.* Lovanienſ. *&* Villalp. *in cap. de ſub.* Fonſeca. 5. *Met c* 8 *q.* 2. *&* 3. Javellus 5. *Met. q.* 17. Sanchez *lib.* 5. *log. q.* 4. Gallego *contr.* 23. *&* Arayo 5. *Met. q.* 2. Zanar. *ib. q.* 14. Fr. Suar. *diſp.* 33. *Met. per totam.* Averſa *q.* 17. *Log ſect.* 3. Roderiq. *in antepradicam.* *Scoti q.* 1. *art.* 2. *&* 4. Barth. Amicus *tract.* 13. *Log* Maſtr. *&* Bellut. *diſp* 7. *q* 1. *&* 2. Didac. à Jeſu *diſp.* 12. *Log per totam* Lallemandet *diſp.* 6. *partic* 16. Gonzales *ſecunda parte Log. real. diſp.* 5. *q* 3. Conimb. *in explic.* Ariſt. *hoc cap.* 5. *q.* 1. Poncius *diſp. Log.*

APOLOGIA III.

De Subſiſtentia & Perſonalitate.

ACTIO I.

Tractatur impoſitio & ſignificatio nominum *Perſona* & *Hypoſtaſis.*

ACTIO II.

Quid ſit effectus formalis ſubſiſtentiæ?

ACTIO III.

Vtrum perſonalitas in poſitivo conſiſtat, an in negativo? ſive, quod idem eſt, utrum addat naturæ ſingulari aliquid reale, nec ne?

ACTIO IV.

Vtrum ſubſiſtentia creata alienam naturam ſuſtentare poſſit, nec ne?

ACTIO V.

Vtrum natura aliqua creata poſſit duplici ſubſiſtentiâ ſubſiſtere?

ACTIO VI.

Vtrum poſſit natura aliqua abſque omni ſuppoſito conſervari?

ACTIO VII.

Vtrum ſubſiſtentia ſit quid ſimplex, ſeu, an dentur ſubſiſtentiæ partiales?

Scotus quodlibet 19. n. 11.

Aliqua natura habet proprium per ſe ſuppoſitum, ſicut eſt natura ſubſtantialis, & ibi eſt identitas realis naturæ & ſuppoſiti, nec eſt dependentia natura ad aliquid extrinſecum ut ejus ſuppoſitum. Et aliqua natura propter ejus imperfectionem ſuppoſitam per ſe habere non poteſt, & per conſequens non poteſt intrinſecè terminari, ſed requirit ſuppoſitum extrinſecum ſicut natura acciden-

accidentis requirit ſuppoſitum ſubſtantiæ, ad quod ultimatè ejus dependentia terminatur, tanquam ad ſuum ſuppoſitum, & hoc per accidens, quia ſuppoſitum per ſe habere non poteſt; tali autem ſuppoſito per accidens non eſt natura per ſe idem, quia natura & tale ſuppoſitum ſunt alterius generis.

Idem 3. d. 1. q. 2. n. 5.

AD quæſtionem igitur poteſt dici diſtinguendo, quia aut poteſt intelligi primus terminus iſtius unionis eſſe perſona aut eſſentia ſubſiſtens communis tribus: primo modo non videtur, quòd una natura poſſit ſimul aſſumi à tribus perſonis, quia in omni dependentia eſſentiali unum dependens non dependet præcisè ad unum, quod totaliter terminat ejus dependentiam. In iſta unione eſt dependentia eſſentialis unius naturæ, & una perſona totaliter terminat eam, igitur non poteſt idem dependere hoc modo ad plures perſonas.

ACTIO I.

Tractatur impoſitio & ſignificatio nominum *Perſona* & *Hypoſtaſis*.

Breviarium.

N. 1. *Expenduntur Latina nomina* Perſona, Suppoſitum, *uſu Rhetorum & Philoſophorum. Notata penuria Latinæ linguæ.*
2. *Expenditur Græca vox* πρόσωπον.
3. *Explicatur* ὑπόστασις *ex ſacris & prophanis litteris.*
4. *Num Græci ſufficienter declarent rem his vocibus. Vnio verbi ad an propriè hypoſtatica.*
5. *Diſpoſitio Concil. Alex. de vocibus Latina & Græca* hypoſtaſis, perſona.
6. *Num antea etiam de hoc quidquam conſtitutum fuerit? Vtriuſque linguæ voces, derivatæ ab eadem ferè radice, ſcilicet à ſubſtando.*

1. IMpoſitionem & ſignificationem eccleſiaſticam horum tractavit accuratè olim *Anaſt. Sinaita* (a) & nuper *Robertus* Card. *Bellarminus* (b) Hîc autem, quia in materia philoſophica ſumus, libuit etiam profanam & quaſi grammaticam ſignificationem earum expendere.

(a) *Tom. 6. Bibl. PP. in lib. vit. Duy c. 2. & 9.*
(b) *lib. 2. de Chriſto cap. 4.*

Sciendum ergo in hac materia apud Latinos duas eſſe voces, quæ rem hanc quodammodo importent, & totidem alias apud Græcos, quamvis non reſpodeant ſibi per omnia Græcæ & Latinæ voces. Latini Grammatici & Rhetores perſonam pro habitu ſeu veſte actorum in ſcena accipiunt, unde & hiſtriones perſonati dicuntur. Philoſophi nunc dierum duobus iſtis ſic utuntur. Perſona, ſuppoſitum, ut utrumque ſignificet individuum alicujus ſubſtantialis naturæ in ſe ſtans, & nequaquam alteri communicatum aut innixum, ſed cum hoc diſcrimine, quòd perſona ſignificat ejuſmodi individuum in natura intellectuali, ſuppoſitum in natura irrationali, licèt etiam ſuppoſitum verè dicatur de natura intellectuali, quia nimirum ſignificat etiam rationem ſubſiſtendi communem utrique naturæ tam rationali quam irrationali. In quo etiam notari poteſt penuria vocum in lingua Latina; nam, ut omittam quod nomen ſpeciei eſt accommodatum generi ſcilicet ſuppoſitum quod eſt quid commune omni ſubſiſtenti, & tamen propriè ſignificat ſpeciem oppoſitam perſonæ, adhuc deeſt nomen quo ſignificetur ſubſiſtentia rerum inanimatarum, nam τὸ ſuppoſitum, ex uſu philoſophorum videtur appropriatum viventibus, v. g. equo, leoni, adeòque deeſt adhuc nomen quo ſignificetur ligna v. g. & lapides per modum ſubſiſtentium. Redibo ad hæc iterum. Interim dabo Græca, quæ ſunt

2. Πρόσωπον & ὑπόστασις: Prima dicitur communiter ſignificare perſonam, quod quidem verum eſt, ſed fortaſſis accipiendum de perſona ut dicit vultum, ſpeciē aut etiam larvā, quibus modis hanc vocem interpretatus eſt Arias Mont. in Bibliis regiis, & utuntur Lucian. & Euſtatius qui eandem etiam pro ſpecie externa accipit. Unde non reputo firmum argumentum Cardinalis citati, qui perſonam ſubſtantivè dici ex eo probat, quia Deus dicitur non eſſe acceptor perſonarum in ſcripturis, & alias acceptio perſonarum non poteſt aliud ſignificare patet, enim quòd importet ipſos homines; hoc inquam non videtur vincere quia in hujusmodi locis ſcripturæ Græcè eſt vox πρόσωπον, ut *Luc.* 20. & *Rom.* 2. Quod fortaſſe fundamentum dedit Vallæ dicendi quod perſona ſignificet qualitatem, ſenſus enim ſcripturæ ibi videtur eſſe hic, quod Deus in ordine ad dona gratiæ diſtribuenda non reſpicit qualitates hominum, ſed opera, hoc eſt non metitur eos nobilitate, opibus aut patria, ſed meritis. Atque hæc videtur eſſe primæva inſtitutio, ut jam πρόσωπον videatur propriè importare viſibilitatem aut apparentiam. Et quoniam hæc apparentia & viſibilia ſigna circumloquuntur nobis perſonas, ut dixit Porphyrius, qui proinde per ea individuum nobis definivit, inde factum puto ut τὸ πρόσωπον ſignificaret ipſam verè perſonam, etſi minus uſitatè apud Ethnicos, frequentius apud Chriſtianos authores, Theologos præſertim; tametſi etiam grammatici Græci tres πρόσωπα vocant idem quod Latini grammatici tres perſonas.

3. Magis uſitata & celebris in hac materia eſt vox ὑπόστασις, cujus primæva inſtitutio videtur fuiſſe ad ſignificandum aliquid ſolidum ſeu verum, ac proinde ſubſiſtens; oppoſuit enim Ariſt. hypoſtaſim apparentiæ, quod etiam fecit Themiſtius 2. *Phyſic.* ut videre eſt apud Badæum & Robert. Steph. ex quo priorum locum Ariſt. *ex 2. de cælo* deſcripſit Gab. Vaſq. Huic vicina eſt inſtitutio ejus pro baſi aut fundamento, quo ſenſu in ſacris literis uſurpatur, nā illud *ſperandarū rerum ſubſtantia* Græcè eſt Ἐστι δὲ ἐλπιζομένων ὑπόστασις, hoc eſt baſis aut fundamentū ſive id cui innititur tota ſpes: non neſcio aliquos vertere & intelligere hunc locum in priori ſenſu, ut ſcili-

Budæus.
Robert. Stephan. in Theſ. ling. Græca.

Digitized by Google

ſcilicet fides ſit ſubſiſtentia ſperandorum, id eſt, faciat illa quodammodo adeſſe & apparere; ſed nec aſſentior: alibi fortaſſis bene ſedebit illa gloſſa, hîc non cohæret textui, quum ſtatim ſequatur *argumentum non apparentium*.

Dicet aliquis, ſi *hypoſtaſis* bene redditur *ſubſtantia*, ut factum eſt hoc loco, & alibi ejuſdem epiſtolæ tum licebit negare conſubſtantialitatem patris & filii, quia nimirum licet, imò neceſſe eſt negare eis eandem hypoſtaſin. Reſpondeo, negandam eſſe ſequelam, non ſolùm quia negatio totum tollit affirmatio autem non omnis ponit totum; ſed aliunde etiam quia Latinum *ſubſtantia* eſt æquivocum, reſpondet pluribus verbis Græcis, & quod caput eſt pluribus verbis mentis; aliquando eſſentiam ſignificat ut apud Philoſophum, aliquando naturam oppoſitam accidenti. Conſubſtantialitas autem ducitur ab eo ut indicat eſſentiam, & reſpondet Græco *οὐσία* unde facilius contingeret error hic in verbis Latinis quàm in Græcis.

4. Quamquam ne Græci quidem habent in hac materia neceſſarium ſuppellectilem Verborum, nam hypoſtaſis, quo ſolo ferè nunc dierum utuntur, in hac materia non importat totum, quod nos volumus & intelligimus eo nomine; importat enim ſubſiſtentiam atque id quod nos dicimus Latinè ſuppoſitalitatem adeòque non pertingit ad ſignificandum id quod nos propriè perſonam vocamus. Unde placuit in Vaſqu. (c) conſequentia illa. Chriſtus qua homo eſt perſona, ergo qua homo eſt hypoſtaſis, nam ut bene ille ibidem eſt ab inferiori ad ſuperius ex quo etiam infero non ſatis exactè nos nunc dierum in ſcholis efferre aſſumptionem naturæ humanæ à Verbo per hæc *Unio hypoſtatica*, nam unio verbi ad naturam humanam non ſolùm eſt hypoſtatica ſed perſonalis.

(c) *diſp.* in 3. *part.*

5. Hoc de vi vocis originaria: Cæterùm à Theologis Græcis illa tam lata acceptio hypoſtaſis reſtricta eſt non ſolùm ad ſignificandam ſubſiſtentiam, ut ſuperaddit aliquid ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ, ſed etiam ad perſonam, quatenus ſuperaddit aliquid ſuppoſito. Unde S. Dionyſ. ſacroſanctam Trinitatem perſonarum in una eſſentia vocat *ἑνάδα τρισυπόστατον*, quod etiam decreto Concilii Alexandrini ſtabilitum fuit, nam antè (ut ait S. (d) Hieron.) *tota Græcarum prophanarum ſchola diſcrimen inter ly hypoſtaſin & uſiam ignorabat*, unde Græci Catholici aſſerentes tres hypoſtaſes teſte *Greg. Nazianz* (e) ſuſpecti cœperant eſſe Latinis tanquam qui tres *οὐσίας* ſive eſſentias cum Ario prædicarent; & Latini, qui rejecto nomine hypoſtaſis perſonas dicebãt, Græcis videbantur diſtinctionem rationis tantùm, non vero realem perſonarum aſſerere, eò quod perſonæ vocabulum ad authoritatem officii ſignificandam accommodari ſolebant. Ob quam verborum ſignificationem inquit Naſſant citatus: *Res eò adducta eſt ut periculum eſſet ne orbis terrarum finis*, id eſt, orientalis & occidentalis Eccleſia *una cum ſyllabis à ſe invicem diſtraherentur.* Effecit itaque Athanaſius quod refert Sever. (f) Bin. in notis addict in Concil ut hæc nominum controverſia hinc inde ſopiretur.

Concil. Alexand.

(d) *epiſt.* 57

(e) *orat. de laudib.* Athanaſ.

(f) Severn. Bin.

6. Sed revera fuit aliqua hujus rei compoſitio ante tempora Athanaſii, nam in 7. ſynodo Actione 6. aliqua hujus rei deciſio præceſſit, ibi enim Epiphanius, qui pro Orthodoxis ſtabat apertè pronunciavit *ὑπόστασιν*, & naturam differre, & hypoſtaſin eſſe *naturam cum proprietatibus* perſonalibus ſcilicet: ſed demum ut dixi jam invaluit uſus in ſcholis & ſcriptis omnium Catholicorum, ut quæcumque fuerit olim impoſitio & ſignificatio horum nominum, jam utrumque illud, ſcilicet perſona & hypoſtaſis idem ſignificarent, ſcilicet intellectualis naturæ incommunicabilem exiſtentiam ut ex Boëtio circumfertur, adeòque nos hæc pro ſynonymis deinceps accipiemus, ſaltèm ita ut hypoſtaſis & ſuppoſitum cujuſcunque demum naturæ ſit, ſignificet ultimum quod in ipſa eſt tanquam actus & terminus cætera ſuſtentans. Revera enim omnia hæc nomina, tam Græca quam Latina ferè eò collimant ut importent hoc quod eſt ſubſtare, ſubeſſe, aut ſupponi nam ly ſubſtantia manifeſtè ductum eſt à ſubſtando, ſuppoſitum ſupponi aliis, ſubſiſtentia item & hypoſtaſis ut videre cuiq; ex dictis eſt, adeoque. Transeamus jam ad reales quæſtiones & ſit

ACTIO II.

Quid ſit effectus formalis ſubſiſtentiæ.

Breviarium.

N. 1. *Accidentia an ſint perſonæ aut ſuppoſita? Antiqui an ignoraverint perſonam?*
2. *Varietas authorum circa rationem perſonæ.*
3. *Non conſiſtere perſonam aut perſonalitatem in incommunicabilitate. Ratio.*
4. *Alia ratio pro eodem.*
5. *Tertia ratio.*
6. *Impugnatur ultima ratio. Diſcrimen inter individuum & perſonam.*
7. *Non debent aſſignari pro ratione formali perſonæ duæ negationes dependentiæ.*
8. *Aſſignatur verus effectus perſonalitatis.*
9. *Perſona eſt principium* quod *operationum.*
10. *Num Verbum aſſumpſerit hominem, an tantùm humanitatem.*

1. Quidquid ſit ſubſiſtentia, certum eſt eſſe quid ſubſtantiale, adeòque ad hoc prædicamentum & ejus tractatum pertinere, accidentia enim non ſunt ſuppoſita aut perſonæ, quod ab omnibus eſt receptum. Nihilominus contra

Dici poteſt accidentia uniri ſuppoſitis, quidni ergo fiant ſuppoſita & ſubſiſtentia? ſi enim accidentia tribuunt effectum ſuum ſubjectis, eò quòd uniantur ipſis, quidni ſubjecta & ſuppoſita

poſita

poſita tribuant accidentibus viciſſim? & confirmatur, quia quando natura aſſumitur ad alienum ſuppoſitum, per unionem illam accipit ipſa eſſe perſona, ac non tantùm perſonata, ergo etiam accidens, quando unitur ſimiliter. Reſpondeo primò vulgari ſolutione accidentia non fieri ſuppoſita quamvis uniantur ſuppoſitis, quia deficit materia, ſicut etiam deficit naturis brutalibus ne ſint perſonæ, non enim quælibet forma in quolibet ſubjecto recepta facit ſtatim tale ſed debent formæ aliquando habere determinata ſubjecta ut dent illis hos aut illos effectus aut denominationes.

Reſpondeo ſecundò magis propriè accidentia non fieri ſuppoſita aut perſonas non ſolùm, quia deficit eis materia, ſed quia deficit etiam forma, hoc eſt effectus, quem accipiunt à ſubjecto, non enim accipiunt ipſam propriè ſubſtantiam, quia non ſubſiſtunt, ſed ſuſtentantur quæ diverſa ſunt, & unum eſt *quod* alterum *quale*; poſſùntque ambo explicari exemplo hominis labentis, qui dupliciter excipi poteſt ne ruat, uno modo ſi excipiatur ſinu alicujus, quo caſu jacebit aut ſternetur, ſaltèm innitetur alterius corpori. Aliter prohiberi poteſt ne ruat ſi ſtatuatur in veſtigio ſuo, ut ipſe ſtet, quo caſu non nitetur alienis pedibus aut gremio, ſed ſuis; & proinde non omnia corpora ſic excipi poſſunt ſed ſolùm animata & habentia organa ac virtutem inſiſtendi ipſis. Ad propoſitum accidens eſt quaſi quid inanimatum aut truncum, non habens unde ſtare poſſit, ſed tantùm ſuſtentari. Subſtantia verò eſt inſtar animalis habentis organa & virtutem ſtativam, unde quando excipitur alieno ſuſtentaculo, non inhæret ei ſed inſiſtit adeòque fit ipſa ſuppoſitum & perſona reſpectivè.

Redeundo ad intentum, ut naturam ipſam ſuppoſiti intelligamus, notant Recentes hoc, quod eſt ſuppoſitum aut perſona, eſſe rem novam antiquis philoſophis ignotam, & ſolùm in ſcholis Chriſtianorum auditam poſt agnita myſteria ſacroſanctæ Trinitatis & Incarnationis. Sed non facilè aſſentior huic, quin potiùs credo fuiſſe notam perſonam aut perſonalitatem antiquis, & tantum non diſtinctam, confundebant enim illud cum individuo aut prima ſubſtantia, & meritò quia ipſorum tempore iſta convertebantur invicem nec unum ſine alio inveniebatur apud nos.

2. Ad ipſum autem titulum licèt omnes liberrimè citantur nomine perſonæ & perſonalitatis, tamen non conſtat apertè, quid propriè dicat perſonalitas, quæ quæſtio duas partes habet, unam hîc examinabimus, & eſt quid formale addat ſupra naturam ſingularem, ſeu quis ſit effectus formalis ejus. Alterum reſervabimus in aliam actionem tertiam ſequentem, in qua decidetur, quid realiter addat ſive cujuſmodi entitatem puta poſitivam an privativam? & quoad primum plures dicendi modos videas relatos & refutatos apud Recentes tam noſtros quàm externos, *Maſtr.* (a) *Arriag.* & *Card. Lugo*(b) quòd ſufficiat indicaſſe nec enim opus puto proſequi aut impugnare eos quarum aliqui ne ſpeciem habent. Examinabo duas præſertim, quæ & magis communes ſunt, & plus probabilitatis habent una ponit effectum formalem perſonæ aut ſubſiſtentiæ in incommunicabilitate; hæc placuit Suar. & poſt ipſum etiam aliis. Altera cenſetur ſaltèm Doct. noſtri ſententia, & ponit rationem formalem ſuppoſiti aut perſonæ in independentia ſeu in negatione actualis & aptitudinalis dependentiæ; Ita ille 3. *diſtinctione & quæſtione* 1. *num.* 9.

(a) *diſp.* 11. *Metaph. q.* 3
(b) *diſput* 12. *de Incarnat.*

3. Dico ergo primò non ſatis explicari perſonam aut effectum ejus formalem per incommunicabilitatem. Hæc eſt *Doct.* ſequuntur *ſubtiles*, quotquot ita Doctorem intellexerunt, ut Cavellus *in ſcholio* 3. *d.* 1. & *q.* 1. *cit.* Rada 3. *p. conſ.* 1. & alii quos infrà citabo vidit hanc veritatem Oviedo *contr.* 6 *Met. p.* 3. Ariaga *ib. diſp.* 2. *ſubſect.* 2. quorum rationibus relictis

Scot. Cavell. Rada. Oviedo. Ariaga. *vide* Dur. 3. *d.* 1. *q.* 2. Rich. *art.* 1 Gab. *ibid.* Ste. Maya. & Ock. 3. *q.* 1.

Probo intentum, quia aliquod eſt communicabile, & tamen ſuppoſitum, ergo ſuppoſitum non conſiſtit in eſſe communicabile, major patet in verbo Dei aut hypoſtaſi ejus, quæ communicata eſt naturæ humanæ, unita eſt enim ei, ſicut & natura unita eſt ipſi; &, ſi particularia hinc inde reſpicias, unio ut eſt ex parte perſonæ verbi magìs propriè dicitur communicatio, quia nimirum per illam ſuppoſitum verbi factum eſt commune naturæ divinæ & humanæ. Deinde unio, ut ex parte verbi eſt hypoſtatica quia unit hypoſtaſin, & quamvis etiam dici poſſit hypoſtatica ut eſt ex parte humanitatis, ſed non æquè quia nimirum relationes omnes plus concernunt fundamentum quàm terminum: poteſt enim relatio realis eſſe ſine termino reali non poteſt ſine fundamento, at verò unio illa quæ eſt in natura non eſt hypoſtatica ratione fundamenti. Sed ratione termini, ergo. Reſpondet Barth. Maſtrius incommunicationem quæ eſt de ratione perſonæ eſſe incommunicationem ſeu incommunicabilitatem alteri tanquam ſuppoſito, at verò verbum licèt communicetur ſeu uniatur naturæ humanæ, non tamen communicatur aut unitur ei tanquam ſuppoſito, ſed ècontra potiùs natura unitur verbo tanquam ſuppoſito. Audio & admiror non advertiſſe hunc hominem tam aliàs attentum quomodo hîc ipſe petierit aut ſemipetierit principium; quæritur inter nos quid ſit ſuppoſitum aut quis effectus ejus? & ille reſpondet effectum ejus eſſe incommunicabilitatem alteri tanquam ſuppoſito; quod quid eſt niſi exhibere idem pro ſe ipſo? Afferenda eſt ergo ratio cur unio quæ eſt ex parte naturæ ſit communicatio, non verò illa ex parte verbi (quod difficilius fiet ſi ſit una tantùm unio utrobique) vel addendum eſt aliquid huic definitioni & communicationi, ut non quæcunque communicatio ſufficiat ſed determinata aliqua, quod quum Adverſarius fecerit tum ipſe corriget definitionem ſuam, atque ita fatebitur eam fuiſſe repræhenſibilem & diminutam.

Et quidem non dubito, quin aſſignari facilè poſſit modus, quo natura ſuppoſitata ſe habeat, diverſus ab eo, quo ipſum ſuppoſitum ſe habeat ad illam, nam ſuppoſitum ſuſtentat, natura ſuſtentatur, iſtud habet, hæc habetur; uno verbo illud præſtat aliquid, hæc accipit, atque ita incommunicabilitas ſuppoſiti erit illa quâ fit ne quod ſuppoſitatum aut perſonatum eſt, poſſit communicari alteri tanquam ſuſtentati. Sed nihilominus contra hanc ſolutionem, quæ videtur omnium omnino, arguo, & ſimul

4. Pro-

Digitized by Google

4. Probo ſecundò concluſionem ſic; aliquid eſt ſic incommunicabile, quod non eſt ſuppoſitum, ergo effectus formalis ſuppoſiti non eſt reddere ſic incommunicabile. Probo antecedens inſtantiâ formæ ſubſtantialis aut etiam materiæ, quæ quamdiu in ſuo ſuppoſito ſunt, ſunt incommunicabiles alteri ſuppoſito, non tamen ſunt ipſa ſuppoſita, nec valet dicere, quòd ſint ſuppoſita partialia, quia quum materia v. g. tunc ſit ſuppoſitum partiale tantùm, non tantùm eſt partialiter incommunicabilis ſed totaliter. Et quia hæc inſtantia alio modo evadi poteſt, aliam adfero de accidenti recepto in aliquo ſuppoſito ſubſtantiali; hoc enim eſt incommunicabile alteri ſuſtentanti, nec eſt quid incompletum ſicut forma ſubſtantialis, ſed completum quid, & perfecta ſpecies, ſicut & totum ſubſtantiale, nec tamen credo adverſarios dicturos quòd ſit ſuppoſitum, ergo.

Reſponderi poſſet, quòd ſit defectus materiæ, ſicut eſt in natura irrationali, quæ quantumvis ſit ſubſiſtens & incommunicabilis, non tamen eſt perſona, quia ad hoc requiritur natura rationalis.

Contra hanc rationem, quæ videtur ſola ſupereſſe Adv. ſic arguo: Si hic ſit defectus materiæ, ſicut eſt in natura irrationali, ſequitur totam formam etiam totum effectum formalem ſuppoſiti inveniri revera in accidenti, nam etiam tota incommunicabilitas & ſubſiſtentia ejuſdem rationis, quæ eſt in homine invenitur in Leone, licèt non denominet eum perſonam ſed ſuppoſitum, quod eſt merè nominale: Subſumo; atqui hoc eſt omnino falſum, quod ſic evinco, ſubſiſtentia, quodcumque ſit, eſt propria ſubſtantiæ, nec efferri poteſt extra genus illius, ſed accidens eſt extra genus ſubſtantiæ ſine dubio, ergo non poteſt inveniri realiter forma illa aut entitas ſive negativa ſive poſitiva quæ eſt ſubſiſtentia extra genus ſubſtantiæ; ſed eſſe incommunicabilem & inunibilem alteri tanquam ſuſtentanti convenit accidenti recepto ſemel in ſuppoſito, ergo non eſt ſuppoſitabilitas aut effectus formalis ejus.

Diceret aliquis poſſe adhuc rationem formalem ſuppoſiti in hac incommunicabilitate conſiſtere, eò quòd hæc non competat accidentibus, quia nimirum poteſt accidens receptum in uno ſubjecto de potentia ſaltèm ſupernaturali recipi in alio, non poſſet autem, ſi eſſet ſuppoſitatum, quia de nulla potentia ſuppoſitum aut ſuppoſitatum poteſt communicari. Audio & probo intentum meum in terminis horum. Reſponſum eſt enim incommunicabilitatem ſuppoſiti conſiſtere in impotentia ad communicari alteri tanquam ſuſtentanti. Suſtentatio accidentis eſt effectus ſubjecti, præſtatur enim aliquid accidenti quando ſuſtentatur à ſubjecto; at verò non poteſt idem effectus ſimul produci à duabus cauſis totalibus nam nihil idem poteſt dependere adæquatè à pluribus cauſis cujuſcumque generis, non poteſt habere duas materias, non duas formas, ergo jam etſi ſubjectum ſuſtentet accidens in genere materiæ, non poterunt duo ſuſtentare idem.

5. Alia probatio: ad quam ſuppono probabilitatem ſaltèm ſententiæ ponentis perſonalitatem ſuperaddere aliquid poſitivum naturæ, & inde arguo, ergo effectus formalis & proprius ſuppoſiti non eſt reddere incommunicabile. Conſequentiam probo, quia non debet poni aliquod poſitivum præcisè ad habendam aliquam negationem, hoc enim eſſet ponere aliquid propter nihil. Confirmo hoc ſic: Non poteſt effectus formalis alicujus poſitivi eſſe negativus; perſonalitas, ut ſuppono eſt forma poſitiva, ergo non poteſt effectus ejus eſſe negativus, eſſet autem ſi eſſet incommunicabilitas ut vides, ergo.

Proſequor ulterius primam conſequentiam, quia inordinatum & imprudens eſt ordinare majus ad minus, cùm minora ſemper ordinanda ſint ad majora ac meliora, & in omni electione ac intentione finis debeat eſſe præſtantior mediis, poſitivum autem eſt melius negativo, ſicut ens eſt ſine dubio melius nihilo, ergo non debet poni aliquod poſitivum in re aliqua ad habendam præcisè negationem, habeo tamen ipſe quod contra eam

6. Objiciam: Individuum habet negationem ſuam, & ad eam habendam ponitur in ipſo poſitivum quid, quod eſt principium individuationis, ut docent noſtri Subtiles communiter, ergo jam licet ponere aliquid poſitivum ad habendam negationem ſequentem, atque ita non obſtat ratio facta ne effectus formalis perſonalitatis poſſit eſſe negativus. Reſpondeo diſparem eſſe caſum utrobique quod ante omnes notavit D. N. *3. d. 1. q. 1.* quoniam negatio perſonæ eſt mera negatio nihil ferens repugnantiæ ſecum; at verò negatio individui non eſt ſimplex negatio, ſed negatio per repugnantiam, adeóque ob ipſam aliquid ponendum eſt quod non eſt ponendum propter negationem quæ eſt in perſona. Sed quoniam totum hoc non ſalvat quo minùs incurratur abſurdum de ponenda entitate reali ad habendam negationem. Reſpondeo ſecundò poſitivum quod eſt in individuo non poni præcisè ad habendam negationem illam incommunicabilitatis, ſed ad reddendum unum individuum primò diverſum ab alio, nam aliàs non poſſet ab ipſo diſtingui ſaltèm ſucceſſivè propoſitum; ſicut nos non diſtinguimus inter duo ova ſucceſſivè propoſita. Hujus ſignum eſt quòd in Deo, qui non habet alium ſimilem à quo debeat diſtingui, poſitivum illud individuationis non eſt extra eſſentiam ut in nobis, ſed intra ipſam non minùs, quàm alii gradus, v. g. ſubſtantiæ aut ſpiritus. Scot.

Poſſet etiam dici, quòd ad habendam illam negationem quodammodo admitti poſſit poſitivum, quia nimirum illa negatio per repugnantiam ſeu rectiùs ipſa repugnantia ſonat quid poſitivum, quum repugnare ſeu reſiſtere utique ſit poſitivum, & proinde difficiliùs calefiat aqua quàm lignum, quia in aqua eſt frigus quod poſitivè reſiſtit calori, in ligno non item. Examinabo jam alteram viam de negationibus dependentiæ bonâ veniâ D. qui eas creditur aſſignaſſe pro ratione formali perſonalitatis. (c) (c) *3. d. & q. 1. cit.*

7 Dico autem non rectè dici effectum formalem perſonalitatis eſſe negationem actualis & aptitudinalis dependentiæ ad ſuppoſitum extrinſecum. Hanc primò oſtendam eſſe veram, deinde eſſe Scotiſticam non obſtante omni apparentiâ textûs illius *diſt.* & *quaſt.* 1. *cit.*

Probo; datur enim aliquid habens utramque negationem actualis ſcilicet & aptitudinalis dependentiæ, quod tamen non eſt perſona, ergo malè aſſignatur pro effectu formali perſonæ utraque illa negatio aptitudinalis & actualis de-

pendentiæ. Conſequentiâ nihil rectius; antecedens autem oſtendo inſtantiâ divinæ naturæ, quæ concepta ante emanationem perſonalitatum ſeu relationum, non eſt perſona ſine dubio, & tamen habet utramque hanc negationem, nam neque dependet neque eſt apta dependere ad ſuppoſitum extrinſecum; in primis quia eſſentia eſt infinita, & quidem potiſſimâ infinitate, adeòque nullius egens, neque dependens ab aliquo rationali ſeu non eſſentiali. Deinde etiam, quia etſi dependeret ab aliqua ex tribus divinis perſonis aut ab omnibus, adhuc non dependeret à ſuppoſito extrinſeco, quum illa ſuppoſita ſacroſanctæ Trinitatis non ſint extrinſeca eſſentiæ, ſed intrinſeca potiùs, unde & productiones earum dicuntur eſſe ad intrà.

Videri tamen poteſt non eſſe ſatis impugnata hæc poſitio effectûs perſonalitatis in negationibus iſto argumento, quia nimirum Scotus aut quiſquis eſt author ejus, non docuit ad perſonam quamcunque ſufficere duas illas negationes, quin potiùs expreſsè requirit ad divinam tres, (d) ſcilicet ultra duas has, negationem etiam potentialis dependentiæ; Audio, eſto ita, etiam hæc impugnata eſt cum aliis duabus, quod palàm fiet repetendo rationem ipſam, & inferendo ei hanc negationem ſic: Natura divina concepta ante emanationem perſonalitatum non ſolùm eſt inepta, ſed eſt etiam impotens dependere ab ullo, & tamen non eſt perſona, ergo, ut ſuprà.

(d) 3. d. 1. q. 1. n. 11.

Dices: Si hæc ſint vera, falſa erit doctrina Scoti in duobus; nam & ponit rationem perſonæ in duabus primis negationibus, ſcilicet actualis & aptitudinalis dependentiæ, & in divinis addit tertiam negationem; & tamen nec omnes illæ ſufficiunt, quod conſtare videtur inſtantiâ eſſentiæ divinæ, quæ omnes tres habet, nec tamen eſt perſona. Reſpondeo doctrinam Scoti optimè ſibi conſtare, docet enim ille perſonalitatem creatam conſiſtere in duplici illa dependentia, ſaltèm converti cum ipſa, contra quod non vidimus inſtantiam hactenus allatam, nam eſſentia divina, clarum eſt, quòd non ſit creata. At verò doctrina ejus de perſonalitate divina propterea non læditur per inſtantiam illam eſſentiæ, quia Scotus non ſolùm ponit tres negationes illas ad conſtituendam perſonam divinam, ſed præterea poſitivum aliquod notionale, ut patet apud ipſum *diſt.* & *q. cit. num.* 10. §. *Reſpondeo iſte conceptus*, hoc autem poſitivum notionale certum eſt quòd non inveniatur intra eſſentiam, adeòque nec poterit inveniri ibi ratio perſonæ ut contendebat argumentum. Exiſtimo ergo

8. Dicendum ultimatè, quòd effectus formalis perſonalitatis ſit reddere naturam ultimò terminatam & completam, ac proinde alteri incommunicabilem: Item efficere principium *quod* operationum, & denique, ut fiat non ſolùm natura ſingularis, ſed etiam habens ipſam. Quatuor membra enumeravi ſed quodammodo ſynonyma, nam duo ultima coincidunt cum primo.

Explicatione ſuadebitur cuique: Dixi naturam per hoc reddi ultimò terminatam in ſe, quia per perſonalitatem quodammodo coërcetur, ne diffluat extra ſe ad alienum ſuſtentaculum aut fulcrum, habétque intra ſua prædicata aut conſtitutiva, unde ſtare & ſubſiſtere poſſit. Atque ex hoc oriuntur alia ibi enumerata; ideo enim non poteſt alteri communicari, quia non poteſt ab altero ſuſtentari; ideo autem ſuſtentari non poteſt, quia à ſe ſuſtentatur & ſtat.

Objici tamen poteſt contra hoc natura divina, quæ utique non ſuſtentatur à perſonalitatibus relativis, & tamen communicatur illis, ergo jam poteſt aliquid communicari ei, à quo non ſuſtentatur; quod ſi verum eſt, tum falſum erit, quod proximè diximus, ſcilicet negationem communicabilitatis oriri ex complemento & terminatione naturæ in ſe. Reſpondeo ita quidem fieri in eſſentia divina ſed mirabiliter & ſingulariter, ut non poſſit haberi ſimile; per quod non ſolùm ſolvitur argumentum, ſed retorquetur ut probet intentum noſtrum, non verò illud Adv. ſi enim hoc eſt miraculum & ſingulare in natura divina ortum ex ejus infinita & ineffabili fœcunditate, certè potiùs inferri debet quòd id non poſſit contingere extra ipſam.

9. Cur autem dixi per perſonalitatem conſtitui principium *quod* operationum, & habens naturam ac ſimilia; cauſa eſt iſta, quia ante ſuppoſitalitatem, quâ conſtituitur perſona aut ſuppoſitum, habetur tantùm natura ſingularizata; videtur enim individuum, hominis v. g. non aliud eſſe quàm ſi dicam, hæc humanitas; ſicut ergo humanitas non dicetur agere, ſed Petrus humanitate, homo riſibilitate, ita non videtur aſſignari plenum principium *quod* actionum aut paſſionum ante ſuppoſitum, quod etiam dicitur habens naturam, nam neque hæc humanitas habet ſe ipſam, ſed homo habet humanitatem, adeòque non ſufficit aſſignare individuum, ut inveniatur habens naturam ſed debet inveniri & aſſignari ſuppoſitum.

Duo tamen contra hoc faciunt: Unum eſt, quòd homo in prædicamento collocatus eſt concretum, atque adeò conſtat naturâ & ſubjecto, ſeu habente ipſam (utique enim differt homo ab humanitate) non differt autem per aliud, niſi per hoc, quòd homo dicat naturam in ſubjecto, humanitas non item, ſed extra ipſum: Deinde quid notiùs quàm concretum concernere aliquid? Quæro ergo quid concernat concretum *homo*? non individuum, quia nondum deſcendit ad ipſum, ergo jam ſuppoſitum, adeòque: Secundum eſt hoc, quòd verbum Dei aſſumpſit hominem & non tantùm humanitatem, quod canit Eccleſia in hymno accepto à SS. DD. Ambroſio & Auguſtino: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*; ſed non aſſumpſit ſuppoſitum, ergo non bene dicitur ſuppoſitum eſſe homo aut eſſe habens humanitatem.

Ad primum reſpondeo omnibus eſſe reſpondendum, utique enim homo eſt concretum, debet ergo aliquid concernere, atque ita aut individuum aut ſuppoſitum; non individuum, ut ibi probatum eſt, ſed nec ſuppoſitum, niſi multò minùs, quia ſicut individuum eſt poſterius naturâ aut ſpecie, ita ſuppoſitum eſt poſterius individuo. Exiſtimo ergo hîc dicendum quòd in omnibus illis concretis prædicamenti ſubintelligatur ſuppoſitum, & ita non ſolùm homo, ſed animal, vivens, connotat aliquid habens naturam; & ad rationem contra hoc, dico quòd quemadmodum dantur individua generica priuſquam intelligatur genus deſcendere ad ſpeciem ita etiam poſſumus & debemus in concretis illis generum ſubintelligere aliquo modo ſuppo-

ſuppoſita, licèt nondum deſcenderint illa genera ad ſuppoſitum ordinatè ſive per gradus intermedios.

10. Ad ſecundum non eſt exigendus rigor metaphyſicus aut logicus in eccleſiaſtica phraſi. Sic ergo dicitur Chriſtus ſuſcepiſſe hominem ſicut in ſymbolo Nyceno deſcendiſſe de cœlo, & incarnatus de Spiritu Sancto, cùm tamen Chriſtus ante Incarnationem non fuerit, nedum deſcenderit de cœlo; quomodo enim deſcenderet, qui non erat? & quomodo incarnatus eſt qui non fuit niſi poſt incarnationem? Quamvis etiam propriùs dicere poſſemus illud ly *hominem* non tam reſpondere participio *ſuſcepturus* quàm participio *liberandum*. Denique in hac ipſa ſententia redit difficultas illa quam dixi eſſe in articulo ſymboli Nycœni, quomodo enim Chriſtus ſuſcepit hominem, qui non erat niſi poſt aſſumptum hominem, certè enim duas humanitates non habuit.

ACTIO III.

Vtrum perſonalitas in poſitivo conſtat, an non, ſed in negativo? ſive (quod idem eſt) utrum addat naturæ ſingulari poſitivum aliquid reale, necne?

Breviarium.

N. 1. *Varietas Doctorum & mens Scoti in hac materia.*

2. *Defenditur probabilitas ſententiæ ponentis perſonalitatem conſiſtere in poſitivo.*

3. *Implicantia oppoſitæ ſententiæ.*

4. *Alia ratio concluſionis. Adductus Ariſtoteles pro ipſa.*

5. *Adhuc alia ratio ad hominem contra Scotiſtas.*

6. 7. 8. 9. *Probationes theologicæ reſolutionis datæ.*

10. *Reſponſio adverſariorum ad ultimam rationem. An ſuppoſitum verbi ſit extrinſecum humanitati?*

11. 12. *Duæ rationes adhuc contra adverſarios.*

13. *Prima objectio contra concluſionem pro perſonalitate negativa. An Chriſtus omnia noſtra aſſumpſerit?*

14. *Secunda: an aſſumptio neceſſaria ad curationem?*

15. 16. 17. 18. *Aliæ objectiones contra concluſionem ſolutæ.*

19. *Vltima objectio. Quomodo plures perſonalitates tam divinæ quam creatæ ſint incompatibiles?*

20. *Prima objectio philoſophica. Partes integrales continui an ſuppoſita.*

21. 22. 23. 24. *Aliæ adhuc objectiones ex ratione petita, ſolvuntur.*

25. 26. 27. *Reſpondetur rationibus aliorum contra ſententiam ponentem rationem perſonæ in negativo.*

28. *Solvitur primarium fundamentum oppoſiti, & oſtenditur definitiones Eccleſiæ etiam in hac via egregiè ſubſiſtere.*

1. LIs eſt non valde antiqua, ſed valde acris: authores utriuſque partis fusè referunt noſtri Maſtr. (*a*) & Camerar (*b*) qui pro parte negativa citat infinitos. *Magiſtr.* etiã ſenten. *B. Alenſ.* & (quod mireris) *S. Thom.* qui tamen dux (*c*) eſt aſſerentibus perſonalitatem eſſe aliquid poſitivum, & ita eum ſequuntur diſcipuli (*d*) ejus taciti ac profeſſi præter paucos, qui in oppoſito hujus ſecto adhæſerunt, ſi tamen.

(*a*) Maſtr. *Tom.* 2. *Met. diſp.* n. 9. 3.
(*b*) *part.* 3. *ſelect. diſp. quæſt.* 6.
(*c*) 3. *p. q.* 4. *art.* 2. & 3.
(*d*) Cajet. cum aliis

Medina, *pr. in loco*
Vaſq. *Tom.* 1. 3. *p. d.* 31.
Suar. *diſp.* 34. *met. ſec.*
Valent. *Tom.* 4. *diſp.* 1. *q.* 4.

Neque enim aperta eſt mens ipſius Scoti: D. Thomas etiam in utramque partem citatur, ut etiam ipſe videatur Scotiſta. Idem Scoto contingit qui hinc inde diſtrahitur, nec ſanè ſine fundamento, nam opinionem illam quæ communiter ipſius eſſe putatur, & ponit rationem perſonæ in negativo conſiſtere non aſſertivè ſed dubiè tradidit 3. *d.* & *q.* 1. *Non aſſerendo* (inquiens) *poteſt mediari inter iſtas duas vias.* Ubi tradit ſuam illam opinionem de duabus negationibus conſtituentibus perſonam. Alibi etiam ut *quodl.* 19. ſignificat ſe non eſſe affixum huic modo dicendi, imò expreſsè in oppoſitum declinat, ut patet in Themate primo ſuprà poſito, ubi ait naturam identificari ſuppoſito; non poteſt autem identificari realiter negationi ſecundùm ipſum ibid. adeòq; & proinde nonnulli nec ignobiles Scotiſtæ de mente ejus tenuerunt oppoſitum ponentes perſonalitatem in poſitivo ut docet Alfonſus Briſenus noſter *contr.* 1. *art.* 3. Quia tamen communis Scotiſtarum doctrina eſt illa quæ ponit perſonalitatem in negativo ut teſtatur Cavellus *in ſcholio diſt.* & *q.* 1. tertii citati, ne contingat aliquam partem ex iis quibus quomodocumque adhæſit Scotus, laborare.

2. Dico hìc aſſertivè probabiliſſimum eſſe, quòd perſona etiam creata ſuperaddat naturæ poſitivum quid, ac non tantùm negationem. Hæc extra ſcholam Scoti eſt communiſſima: intra ipſam primum dubiæ fidei fuit jam autem evaſit pœne par alteri. Incipiunt nempe doctiſſimi Scotiſtæ eò inclinare. Eam olim docuit Franciſcus Lych. vetuſtiſſimus interpres Scoti, tum etiam Franciſcus Aretinus, uterque in eundem locum *Scoti* qui eſt 3. *d.* & *q.* 1. ex modernis eam probabilem reputat Bartholom. Maſtrius (*a*) citat. licèt oppoſitam præferat; abſolutè autem ei palmam probabilitatis concedit citatus Alfonſus Briſenus, & ante ipſum fecit idipſum Joann. Rada 3. *p. contr.* & *art.* 1. citatur etiam hìc Cavellus, ſed non valde meritò niſi in uno loco, qui eſt ſcholium illius §. *Non aſſerendo*, poteſt tamen adferri huc ex iis quæ habet 3. *d.* 5. *q.* 2. ubi ait Doctorem *diſt.* 1. fuiſſe de hoc problematicum.

Lychet Aretin.
(a) Maſtr.
Briſen. Rada. Cavell.

Pro-

Digitized by Google

Probo jam intentum, quia ex myſterio Incarnationis, ex quo ſolo didicimus perſonalitatem eſſe ſeparabilem à natura creata, habemus unam perſonam poſſe ſuſtentare alteram naturam, non poſſet autem, ſi perſonalitas conſiſteret in negativa, ergo.

Diceret aliquis ex myſterio Incarnationis non conſtare, niſi quòd perſona increata poſſit ſuſtentare naturam creatam, non verò quòd creata creatam. Reſpondeo: Verum eſt non haberi experimento, niſi hoc, hoc enim ſolum factum eſt, ſed ratione colligitur reliquum: ſicut non habemus experimento niſi quod accidentia alimenti ſcilicet panis & vini poſſint ſeparari ab ipſo, inde tamen inferimus poſſe aliorum corporum accidentia ab ipſis ſeparari. Ita dico, licet in myſterio Incarnationis non contigerit niſi perſonam divinam ſuſtentaſſe, creatam naturam, eo tamen poſito ratio nos docet poſſe etiam creatam perſonam ſuſtentare alteram naturam, maximè ſi perſona ſuſtentans ſit perfectior eâ quam ſupplet, & natura ejus perfectior naturâ quæ ſuſtentatur, ut patet apud Doct. *3. d. & q. 1. n. 4.* item D. Th. *ib. q. 9*

3. Probo jam minorem, quia nulla res poteſt uniri nihilo, nulla res poteſt dependere à nihilo, ex quibus conficio directè argumentum in hunc modum: Perſona eſt negatio actualis dependentiæ ad extrinſecam, ſed implicat aliquid uniri tali: v. g. implicat naturam Pauli uniri hujuſmodi negationi in Petro; ergo vel implicat eam uniri perſonalitate Petri, vel certè perſonalitas Petri non eſt illa negatio. Minor ſive implicantia illa probatur, quia in eo caſu natura Pauli eſſet & non eſſet unita extrinſeco, eſſet ex hypotheſi, non eſſet quia haberet negationem hujuſmodi unionis, haberet enim communicatam ſibi perſonalitatem Petri, perſonalitas autem Petri eſt negatio unionis ad extrinſecum, ergo.

Diceret fortè aliquis perſonam propriam conſiſtere in hujuſmodi negatione, non verò perſonam alienam; ſed nihil video hîc dici nam eadem eſt perſona, quæ hic eſt propria, & quæ aliena; imo nec eſt aliena ipſi puta Paulo nec Petro propria ſed utrique communis. Deinde perſona quæcumq; perſonat formaliter non efficienter, ſed in genere cauſæ formalis communicando ſe ipſam & ſecum ſuum effectum formalem, at verò effectus formalis negationis dependentiæ ad extrinſecum utique eſt eſſe independens ab extrinſeco, adeòque quod unitur huic negationi fit independens ab extrinſeco; atqui quod perſonatur ſic, fit dependens ab extrinſeco, ergo jam fit dependens & independens ab extrinſeco.

4. Probo ſecundò intentum. Perſona ſive perſonalitas eſt ultimum complementum naturæ ſubſtantialis; tale autem non poteſt eſſe negatio ergo. Major eſt omnium, & ſupra declarata actione præcedenti. Minor etiam eſt clara, & probatur nihilominus primò, quia perſonalitas ſive ultimum complementum ſubſtantiæ non poteſt eſſe accidens, quantò minùs nihil, quòd plus quam prædicamento differt à ſubſtantia, imò cum ſubſtantia & omnes differentiæ ejus ſint perfectiones ſuperadditæ enti, negatio eſt deſtructio entis, ergo. Confirmatur quia contrahentia quodcumque genus eò ſunt perfectiora quò ſunt ulteriora hoc eſt quo magis recedunt à primo, atqui perſonalitas eſt omnino ultimum, ergo erit omnino abſolutè perfectiſſimum, non poteſt autem ulla negatio eſſe perfectiùs omni eo quod in genere ſubſtantiæ eſt, alioquin negatio ex genere ſuo eſſet perfectior ente, ſi enim ſit perfectior perfectiſſimo ente, ſcilicet ſubſtantiâ quod ei deeſt? Diſcurſus fundatur in Ariſt. hoc cap. *Primæ ſubſtantiæ, ideo quod aliis omnibus ſubjiciuntur & omnia alia in ipſis ſunt, propter hoc maximè ſubſtantiæ dicuntur.* Unde & præmiſit *ſecundarum ſubſtantiarum magis ſubſtantias eſſe ſpecies quam genus.*

5. Tertiam probationem formo ad hominem ſic contra Scotiſtas, qui ita defendunt Doct. quoad perſonalitatem negativam in creatis, ut velint nihilominus perſonalitatem divinam eſſe quid poſitivum, quod oſtendo inconſequenter dictum, nam etiam illud poſitivum in divinis conſequitur ſua negatio, quæ eſt numero tertia, ſcilicet negatio potentialis dependentiæ ultra negationes actualis & aptitudinalis dependentiæ, quæro ergo cur non dicatur perſona etiam divina conſiſtere in negatione, ſicut creata? adhuc enim dabitur differentia inter utramque perſonam, nam una erit ſeparabilis, alia non item una perſona exiget tres negationes, alia tantùm duas.

Qui diſcurſus redigi poteſt in formam ſic: Si perſona creata conſiſteret in negativo, conſiſteret etiam perſona increata, hoc ſecundum eſt falſum, ergo & primum, ſubſumptum probatur (patet enim ſic ſe habere negationes tres in divinis ſicut duas in creatis) utræque, hoc eſt negationes illæ hinc inde emanant à poſitivis, quæ etiam poſitiva cum ipſis durant, & ſunt entitates ſubſtantiales ipſis priores; Quo loco non infero quòd perſona creata debeat eſſe poſitivum quid ex paritate perſonæ divinæ, ſed è contra quòd divina debeat dici conſiſtere in negativa à paritate creatæ, quod tamen Adverſarii Scotiſtæ negant.

Imò etiam aliam conſequentiam de realitate perſonæ creatæ poſſem ex eodem inferre ſic: Ex duobus, quæ in divinis ſicut ſcilicet poſitivum relationis & negatio incommunicabilitatis inde emanans, ex his, inquam, duabus ipſa perſonalitas conſtituitur in poſitivo, non in negativo; quo loco quæro cur non ſimiliter perſonalitas creata conſtituatur in poſitivo, à quo emanant ipſius negationes, non verò in ipſis negationibus certè diſparitatem difficulter adducere poterunt; &, ſi fortè tentetur, retundentur ni fallor hoc diſcurſu etiam ex ipſis creatis & principiis Scotiſticis petito.

Individualitas dicit poſitivum quid, & habet etiam negationem inde emanantem; & tamen Scotiſtæ tenent individuum pro formali ſive principium ipſum individuationis eſſe poſitivum quid, non verò negativum; ſi ergo res ſic ſe habet in propoſito, cur non idem dicunt? ſi hîc eſt poſitivum, à quo emanant duæ negationes perſonæ, cur perſonalitas non dicetur conſiſtere potiùs in poſitivo, quàm in negatione?

Reſpondebunt fortè, quia poſitivum hic, à quo emanant illæ negationes perſonæ natura; non poteſt autem natura eſſe perſonalitas quia nimirum perſonalitas eſt ſeparabilis à natura, natura non item à ſe ipſa. Audio & admiror, reſpondentes non advertis, quomodo in reſpondendo ſupponunt ſua principia tanquam ſtatim ad-

admittenda ab arguente; ſi ego ponerem perſonalitatem in poſitivo, quòd eſſet ipſa ſpecifica natura, bene refellerent argumentum illâ reſponſione At verò, ſi poſitivum quod ego prætendo eſſe conſtitutivum perſonæ ſit quid ſuperadditum naturæ & ſeparabile ab ipſa, argumentum adhuc totam vim habet: & redeundo ad primam formam rationis ſic arguo: non eſt ulla ratio cur effectus formalis ſeparabilis debeat conſiſtere in negatione ſeparabili & effectus formalis inſeparabilis non poſſit conſiſtere in negatione inſeparabili ſi ergo rectè dicitur perſona creata conſiſtere in negatione ſeparabili, poterit dici quòd perſona increata conſiſtat in negatione inſeparabili quod tamen Scotiſtæ nolunt.

6. Quarta probatio ſit theologica, quam etiam videor ſuprà tetigiſſe, ſi enim perſona conſiſtat in negatione communicabilitatis ſequitur divinam eſſentiam eſſe perſonatam ante perſonas, hoc ſine dubio eſt abſurdiſſimum, ergo. Sequelam probo, quia habet hujuſmodi negationes, nam nec eſt apta communicari extrinſeco ſuppoſito, & multò minùs eſt actu communicata ulli pro tunc: Nec quiſquam putet ſe ſatisfacere dicendo doctrinam hanc de duplici negatione intelligendam in creatis, non verò de perſonis divinis, hoc enim non ſatis facit nam divinæ perſonæ ſuperaddunt ſecundùm oppoſitos authores unam adhuc negationem duntaxat aut ut maximè poſitivum, à quo emanet hujuſmodi negatio; at verò totum hoc invenitur in eſſentia divina ante relationes, illa enim neque tunc actu communicata eſt, neque apta aut etiam poſſibilis communicari extrinſeco ſuppoſito, primò quia ſuppoſita divina non ſunt extrinſeca illi naturæ ſed intrinſeca, unde etiam productiones illorum dicuntur eſſe ad intrà, ut ſuprà notavi. Deinde etiam licèt eſſentia faciat perſonam cum relationibus v. g. cum paternitate, tamen non dicitur communicari Patri, à quo enim ſic communicatur? aut cujus erat ante ut jam ſit alteri ſimul communis? Item in aliis perſonis, unitur ſive identificatur perſonalitati filii, v. g. ſed illa perſonalitas non eſt perſona, adeòque adhuc eſt incommunicabilis & incommunicata perſonæ.

7. Quinta probatio ſit etiam ex creditis in alio myſterio Incarnationis, in quo creata perſona aut propriùs perſonalitas præventa eſt à divina perſonalitate, item conſumpta & ſuppleta ab illa, ut loquuntur Sancti, ſed ſi ſententia adverſa eſſet vera, loquutiones illæ eſſent indignæ ſanctis, & facerent ſenſum ſive ridiculum ſive falſum, quod patebit ſic reddendo ipſas; ſunt enim ac ſi quis dicat: Nihil eſt præventum à perſonalitate divina, nihil conſumptum aut ſuppletum ab illa, quæ loquutiones ſi veræ ſunt certè neſcio quomodo non falſificant illas alias ſynonymas, ſcilicet perſonalitas creata præventa eſt, *&c.* videtur enim ſequi; nihil præventum eſt, ergo perſonalitas non eſt præventa: non ſuppleta.

Addo ex aliis ſextum; ſi enim perſonalitas creata conſiſteret in negationibus actualis & aptitudinalis dependentiæ, ſequeretur in Chriſto de facto eſſe creatam perſonalitatem, atque adeò duas perſonas quod eſt hæreticum, ſed probatur ſequi, quia in eo manent duæ illæ negationes, quod ſic oſtendo, nam ſine dubio manet in eo negatio aptitudinalis dependentiæ, quia natura creata ejus non eſt apta nata ſic dependere, ſed ſupernaturaliter tantùm dependet, quod totum ipſe Scotus ſentit. Probo etiam manere negationem actualis dependentiæ, nam in ea manet totum illud, quo redditur independens; quæ probatio clariùs intelligetur ſi ſupponamus dimitti à verbo naturam aſſumptam, quo caſu ſtatim eſſet independens ab extrinſeco. At verò fatendum eſt nunc in illâ humanitate eſſe totum illud, quotum redderetur independens, ex quo ſequitur ipſam eſſe independentem, non enim poteſt non eſſe independens, ſi habet totum quo ſit independens, neque poteſt eſſe dependens ſi habet aliquid quod realiter pugnat cum dependentia. Nihil enim juvat dicere naturam jam non habere totum id quo redditur independens eò quòd non habeat negationem dependentiæ, nam illæ negationes & relationes conſequentes parum referunt quod abſint aut adſint, modo non deſit forma realis, quæ dat illis eſſe, parum enim refert quod ego non habeam relationem ordinis ad meum patrem, dummodo realiter ſuccedam ei in tempore, adhuc enim verè dicar, & ero ipſo poſterior, & hoc probant inſtantiæ de æqualitate & ſimilitudine. Nam quamvis auferantur omnes relationes, duo palmi erunt æquales, & ſimiliter duo alba ſimilia. Confirmo, nam ſi quis neget Scotiſtæ naturam ſibi relictam habere hujuſmodi negationes aut independentias non aliter probabit ille niſi quia habet talia poſitiva, ſi ergo in verbo retinet illa prædicata, quomodo non retinet independentiam?

8. Argumentum etiam ſuperius quidam ſic formant: Si perſonalitas creata conſiſteret in ejuſmodi negationibus, loquutiones conciliorum, & tota ipſorum diligentia ineptæ eſſent, non alio quàm riſu dignæ, hoc autem quàm maximè cavendum eſt philoſopho Chriſtiano, & hoc tamen ſequi Scotum patet quia ſi juxta illius ſententiam perſonalitas conſiſtit in negativo, tum definitio illa Eccleſiæ in *Conc. Epheſin.* quod verbum aſſumpſit naturam humanam non ſuppoſitum aut quòd in Chriſto non ſit perſonâ creata, faceret hunc ſenſum, quod natura humana Chriſti, poſt unionem ad Verbum non manſit non unita, ſive, non manſit ſine unione aut quod Verbum non reliquit eam ſine unione ad ſe, quæ ſunt planè ridicula & indigna ſeſſionibus Conciliorum, ſicut omnino fruſtra convenirent Senatores aut Conſulares alicujus regni aut reipublicæ, qui denique nihil aliud deciderent quàm ſedentem non ſtare, aut quiеſcentem non currere. ita quidam jactabundus admodum, quem juvare poſſumus tranſlato argumento ab Eccleſiæ conciliis ad illa hæreticorum, neque enim concilia Neſtorianorum tam ſtolida & cœca erant ut dubitarent de hac aut ſimili veritate quod ſedens non ſtet, atque ita neque de illa, quod natu-

Canon 3. & ... *ſi quis in uno & ſi quis in perſonis* idemque in Concilio Chalcedon. act. 5.

natura humana Chriſto cùm unita foret verbo, interim non careret unione, & tamen in oppoſita ſententia unita verbo remanſit ſeparata quod inſanum planè fuit, nec potuit ulli docto veniſſe in mentem quales fuerunt Neſtoriani pleríque ut Anaſtaſius; Mopſ. & cæteri.

9. Hæc tamen ipſa argutia, ſi attendatur fortaſſis ridicula, certè levis eſt & vix ullius momenti, quod quia fusè & ſolidè oſtendit ex noſtris Gulielmus Camerarius *diſp. ſuarum parte 3. quæſt. 6.* omitto proſequi, ſaltèm aliò differo, fortaſſis reſumpturus in ſequentibus.

10. Addam ex me ſextam hanc rationem, quæ ordine octava & partim metaphyſica, partim theologica eſt. Si perſonalitas quam haberet natura humana Chriſti relicta ſibi conſiſteret in carentia actualis & aptitudinalis dependentiæ, ſequeretur quòd de facto eam haberet, atque ita in Chriſto eſſent duæ perſonæ, quæ erat hæreſis Neſtorii ut vidimus damnata toties; primùm in Concilio Alexandrino, tum in Epheſino 1. ac denique in Calcedon. Sequelam probo in oppoſita ſententia, quia illa natura habet negationem actualis & aptitudinalis dependentiæ ad extrinſecum ſuppoſitum quia nimirum ſuppoſitum Verbi non eſt extrinſecum illi naturæ; hoc autem in quo eſt articulus cauſæ ſic oſtendo. Illud non poteſt cenſeri extraneum naturæ aut ulli ſubjecto ad quod tale ſubjectum dicit inclinationem naturalem; ſed natura humana Chriſti & cujuſcumque dicit inclinationem naturalem ad ſuppoſitum Verbi, ergo ſuppoſitum illud non poteſt cenſeri extraneum, major multipliciter probatur, primò à priori ſic, nam proprium ſuppoſitum utique non eſt naturæ extraneum, ſi autem quæram cur proprium ſuppoſitum non ſit ulli extraneum? aliter reſponderi non poteſt, niſi quia natura inclinatur ſuapte ſponte ad illud, & illud eſt quod reſpondet huic inclinationi naturæ, alioquin aſſignetur alia cauſa hujus. Deinde à paritate, nam ſi forma naturalis ſit aut dicatur intrinſeca materiæ certè forma ſupernaturalis non poterit dici ei extrinſeca aut aliena, quorum omnium cauſa eſt ratio illa minoris, quia nimirum perficitur natura illa per ſuppoſitum Verbi non minùs quàm per ſuppoſitum, quod aliàs haberet, at verò appetitus & inclinationes rerum ſunt ad ipſarum perfectiones, ergo. Colligo in compendium rationem hoc modo: Id ad quod natura inclinatur non poteſt cenſeri ei extrinſecum, inclinatur ad ſuppoſitum Verbi, quia perficitur eo plus quam proprio, ergo hoc non eſt ei extrinſecum.

Concil. Alexand. Epheſin. Calced. 5. ſyn. gen.

Reſponderet aliquis ſuppoſitum dici extrinſecum, non quia natura inclinatur aut appetat illud tanquam perfectivum ſui, ſed, quia poſtulat illud veluti jure quodam tanquam debitum ſibi & tanquam id, cujus ipſa ſit principium. Audio, & inſurgo contra plus ſemel: primò enim redit ratio illa jam tacta quòd inclinationes omnes ſint ad perfectiones ſubjectorum. *Bonum enim eſt quod omnia appetunt*, neque ego nego magis inclinari naturam ad proprium ſuppoſitum, quàm ad externum, ſed dico id ideo eſſe, quia magis perficitur proprio ſuppoſito quàm extraneo cæteris paribus, eò quòd glorioſiùs ſit habere quidquam à ſe quàm debere illud alteri; ſi ergo contingat abſolutè magis perfici ſubjectum per extrinſecum propter excellentiam ejus, ut fit in propoſito ob infinitum exceſſum perſonalitatis divinæ ſuprà creatum, ibi enimvero dicendum eſt pleno ore, quòd magis inclinatur natura ad hujuſmodi formam, & hanc potiùs cenſendam eſſe extrinſecam. Alterum habeo contra illam ſolutionem, & eſt, quòd ſi illam ſequamur tum dicendum nobis erit quòd in divinis non ſit Trinitas perſonarum ſed una ſola perſona, quod nemo neſcit eſſe falſiſſimum; conſequentiam probo, quia ſi totum quod emanat à natura aliqua, aut quod illa poſtulat (ut utamur terminis reſponſionis) ſive quod debetur ei faciat illi ſuppoſitum, tum tres illæ perſonalitates divinæ facient naturæ divinæ ſuppoſitum (intelligo unum) quia nimirum omnes tres illi debentur, ab illa emanant, & ipſa omnes poſtulat.

11. Suppoſitâ jam vi hujus argumenti; ſive, quòd probatum ſit eo ſuppoſitum Verbi non eſſe extrinſecum humanitati, poſſumus ludere in Adverſarios & probare ad hominem, quòd ſecundùm ipſos natura divina non manſerit poſt Incarnationem perſonata Verbo, quia nimirum non habuit negationem actualis unionis ad ſuppoſitum extrinſecum, nam quum ſuppoſitum Verbi fuerit intrinſecum humanitati, & naturæ divinæ fuerit unita aut identificata potiùs illi ſuppoſitalitati, jam fuit unita extrinſecò, atque ita non habuit negationem actualis, imò nec aptitudinis, & multò minùs habuit negationem potentialis dependentiæ ad extrinſecum ſuppoſitum. Breviùs ſic: Si natura humana non eſt perſonata propriâ perſonalitate, eò quòd ſit affixa perſonæ habenti aliam naturam, ergo natura divina jam non eſt perſonata propriâ perſonalitate Verbi, eo quòd illa Verbi jam ſit alterius naturæ, nam quod contra hoc dici poteſt ſcilicet (perſonalitatem illam eſſe extrinſecam alteri naturæ) jam exploſum eſt.

12. Addo ultimum hoc argumentum ex meis, quo videor mihi corripere oppoſitos Scotiſtas, qui hoc modo quàm minimè ſcotiſant: Etenim receptiſſima in ſchola Scoti eſt univocatio prædicatorum inter Deum & creaturas, univocatur ens, univocatur ſubſtantia. Item ratio viventis, ſpiritus & cætera, inter quæ utique ſi ſuppoſitum numeraretur ut diceretur ſuppoſitum aut perſona ut ſic commune univocum eſſe creato & increato, planum eſt ita magis Scoti veſtigia premi, quod etiam externi aliqui notarunt: atqui ita dicendum omnino eſt vel quòd divinum ſuppoſitum conſiſtat in negationibus vel quòd creatum conſiſtat in poſitivo; non poteſt autè teneri quòd ſuppoſitalitates divinæ ſint negationes, ſupereſt ergo dicendum quòd creatæ ſint poſitivæ, ex quo vides hanc partem non ſolùm

vero-

veriorem, ſed Scoto propiorem eſſe. Vide alia argumenta pro hac concluſione apud noſtrum Briſenum citatum *in appendice Metaph.* à num. 1. uſque ad 11. Camerarium item in objectionibus, quas contra ſe pro nobis numeroſè congeſſit.

Objectiones Adverſariorum theologicæ.

13. Primò autem adferunt magnum agmen PP. dicentium Chriſtum fuiſſe ὁμοούσιον nobis quòd etiam in pleriſque Conciliis definitum eſt, ut in Calcedonenſi *actione* 5. in Conſtantinopol. tertio quæ eſt ſexta ſynodus generalis & in Romano ſub Martino primo; & deinde diſertè docuerunt ſeorſim in operibus ſuis Sancti, Cyrillus præſertim qui datâ operâ hanc conſubſtantialitatem humanam Chriſti contra Neſtorium propugnavit, & ex parte ſedis apoſtolicæ præſedit Concilio Epheſino, ubi ipſe & Theod. Mopſ. damnati ſunt; ait autem lib. de recta fide ad reginas de Chriſto loquens: *Perfectus Deus quum eſſet, factus eſt perfectus quoque homo, neque quidquam omnino quod humanæ naturæ cognatum eſſet præter unam malitiam reliquit*, certum eſt autem, quòd perſonalitas ſit humanæ naturæ cognata, ergo. Et Leo Papa primus in epiſtola ad Flavianum quam uſque apicem & jota recipiendam ſub anathemate præcepit Gelaſius Papa in Concilio Romano idipſum repetit quod uterque ab Apoſtolo accepit tum alias, tum maximè ad Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus aſſimilari* & cap. 4. ſequ. *Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*, quæ tamen & ſynonyma omnia falſa eſſent ſi perſonalitas creata diceret poſitivam entitatem, nam hæc neque eſt aſſumpta, neque eſt peccatum. Reſpondeo: His armis utendum fuit in hac materia, non verò authoritatibus Ariſtotelis quod fecit Camerarius qui probationes ſuas incipit ab hujus teſtimonio, de quo tamen paulò poſt in fine quæſtionis *fatetur* (inquit) *ingenuè eundem in hac re graviter erraſſe.* Ad rem nihil faciliùs quàm congerere catholica teſtimonia quibus veritas humanæ naturæ in Chriſto probatur; ſed ſimul nihil difficiliùs quàm ſcholaſticas controverſias oſtendere in Conciliis definitas, unde hanc objectionem quinquies ſolvam ſalvâ authoritate ſacrorum Conciliorum. Primò & principaliter dico Sanctos illos & Eccleſiæ definitiones accipiendas eſſe de prædicatis, ſpecificis eſſentialibus ſeu operativis, non verò de perſonalibus & aliis ſimilibus quæ extra eſſentiam ſunt.

Dices primò, ſi ita ſit, tamen non habetur ex his, quòd Chriſtus aſſumpſerit naturam ſingularem, nam ſingularitas non eſt eſſentialis. Reſpondeo: Ita eſt, quòd ſingularitas hîc non eſt expreſſa, ſed bene incluſa virtualiter intellige ut inde per conſequentiam deduci poſſit.

Sed inſtabit aliquis ſecundò; ſi ita ſit, tum fruſtra exceptum eſt pecccatum, nam peccatum non eſt eſſentiale aut ſpecificum. Reſpondeo primò: Fortaſſe peccatum ibi apud Apoſtolum idem ſignificat, quod *Romanorum ſeptimo* (e) ſcilicet fomitem, fomes autem eſt connaturalis naturæ de facto, & quodammodo ſpecificum, quia per omnes tranſit. Deinde dico, quòd, etiamſi haberent Adverſarii, quod volunt ſcilicet ibi non ſolùm intelligi eſſentialia, ſed etiam perſonalia, adhuc non rectè exciperetur peccatum, quia ſicut non eſt quid eſſentiale ita nec perſonale ſeu hypoſtaticum, de quo hîc. Itaque exiſtimo ſenſum ſeu rationem illius exceptionis eſſe quòd Chriſtus non ſolùm aſſumpſit carnem abſolutè, ſed carnem qualis eſt in ſtatu naturæ lapſæ, in quo ſine dubio multò deterior eſt quàm fuit in prima ſui conditione: voluit ergo Apoſtolus, & eum imitatus ſanctus Cyrillus, quòd licèt Chriſtus aſſumpſerit carnem cum omnibus defectibus hujus ſtatûs, non tamen aſſumpſit eam cum peccato, quod bene ab eo numero excipi potuit, quia revera eſt defectus.

(e) v. 17.

Oſtendo ſoliditatem ſolutionis principalis, nam, velint, nolint Adverſarii fateri debent quòd Chriſtus non debuit aſſumere humanitatem cum omnibus uſque ad perſonalitatem, quia ante perſonalitatem eſt individualitas ſed Chriſtus non debuit aſſumere individualitatem ad finem Incarnationis, quia individualitas Chriſti tam eſt diverſa ab aliis individualitatibus, quàm eſt diverſa natura hominis à natura Leonis; Atque hinc ſolvitur quod

14. Objiciunt ex *Damaſceno* (f) & videntur tranſcripſiſſe cæteri ex *Scoto* 3. *citat.* ſcilicet aliquam entitatem realem naturæ humanæ eſſe incurabilem, nam, *quod eſt inaſſumptibile, eſt incurabile*, perſonalitas autem certum eſt quòd ſit inaſſumptibilis adeóque etiam incurabilis; ſi ergo ſit entitas poſitiva, jam aliquid poſitivum naturæ noſtræ eſt incurabile, & de facto incuratum in beatis. Reſpondeo enim ad curandam perſonalitatem impertinentem fore aſſumptionem alicujus, quia nimirum aliæ perſonalitates hominum quæ curandæ erant toto cœlo diverſæ erant ab illa quæ aſſumpta & curatura erat, quum eſſent omnes & ſingulæ primò diverſæ, ſicut jam dixi de individualitatibus.

(f) *lib. 3. orthod. fidei cap. 6.*

Iterum reſpondeo ad argumentum principale, definitiones Conciliorum intelligendas eſſe contra hæreſin, quam damnant, damnabant autem Concilia illa errorem Neſtorii & aliorum Orientalium præſertim patriarcharum aſſerentium in Chriſto non fuiſſe duas voluntates ſed unam, quia humana tranſivit in divinam vel è contra; aliqui etiam ſomniabant Chriſtum non habuiſſe animam rationalem, ſed divinitatem fuiſſe loco animæ. Contra hos ergo definiverunt Concilia Chriſtum fuiſſe per omnia ſimilem nobis, hoc eſt in eſſentialibus & operativis. Quo loco confirmatur prima ſolutio, & ſimul hæc ipſa, quia ſine dubio unus homo verbi gratiâ. Petrus eſt per omnia ſimilis alteri quod omnes dicimus in ſcholis & dicturi erant illi PP. ſi quærerentur, nec unquam Concilia voluerunt ponere majo-

majorem ſimilitudinem Chriſti ad nos, quàm ſit noſtri ipſorum ad invicem: At verò unus noſtrûm non eſt ſimilis alteri per omnia omnino ſed tantùm per eſſentialia omnia, nam individualitates cujusque, ut dixi, ſunt primò diverſæ, & (ſi fieri poſſit) adhuc magis perſonalitates, ergo.

Solvo tertiò oſtendendo illam propoſitionem cujuſcumque ſit eſſe, neceſſariò limitandam, ſcilicet inaſſumptibile eſſe incurabile, neceſſariò enim fatendum eſt aliquid qualecumque demum eſſe curatum, quod non eſt aſſumptum, nam uterque ſexus curatus eſt non tamen uterque ſexus aſſumptus.

Solvo quartò, quoniam adhuc ex alio capite idem dicendum videtur, quia aſſumptio facta eſt in Incarnatione & tamen multa curata & glorificata ſunt quæ non habuit Chriſtus in inſtanti Incarnationis, ut ſunt dentes, oſſa & alia quæ pertinebant ad ſtatum virilem.

Denique ad hominem hoc ipſum oſtendo contra Thomiſtas, quia convertens illius propoſitionis non eſt vera, *quod eſt aſſumptum eſt curatum* nam apud ipſos aliquid aſſumptum eſt quod curatum non eſt, ſcilicet forma cadaveris, hæc enim unita fuit Chriſto & tamen fruſtra curaretur, quia nimirum non dabitur illa in hominibus ſanis ſive poſt reſurrectionem; pergamus & ſit

15. Objectio tertia: Dona gratiæ non lædunt naturam, ſed perficiunt, quod omnes aſſerunt, & infert hîc ſtatim intentum, nam ſi ita ſit, jam unio hypoſtatica non deſtruxit aliquid naturale, qualis fuit perſonalitas, ſi fuit quid poſitivum. Confirmatur tum aliis tum inſtantiâ filiationis adoptivæ quæ Chriſto abeſt nihil immutatâ gratiâ habituali in qua fundatur ſed ſolo adventu filiationis naturalis, ergo ſimiliter dicendum eſt quòd propria perſonalitas deſinere poteſt ſolo adventu divinæ nullâ reali entitate amiſſâ, ſed ſolâ ſolitudine, perſeitate & privatione unionis cum alio pereunte. Reſpondeo aſſumptum illud de donis gratiæ eſſe verum, ſed indefinitè, non abſolutè & univerſaliſſimè, ſed cum limite infrà apponendo. Ita eſſe oſtendit hæc ipſa inſtantia, nam in eo caſu perit ſaltèm relatio filiationis adoptivæ quæ ſine dubio eſt quid reale. Secundò ad hominem contra aliquos adverſariorum, unio hypoſtatica eſt donum gratiæ & tamen deſtruxit non ſolùm ſubſiſtentiam, de qua dubitatur an ſit poſitivum, ſed etiam exiſtentiam, de qua nunquam fuit dubium utrum eſſet reale; ita volunt Thomiſtæ aliquot naturam aſſumptam exiſtere exiſtentiâ Verbi. Tertiò tranſubſtantiatio in Euchariſtia utique eſt opus gratiæ, ſed tamen deſtruit totam ſubſtantiam alimenti. Itaque diſtinguenda eſt propoſitio illa ſic: Dona gratiæ non lædunt aut deſtruunt naturam in qua recipiuntur, concedo; cui ſubſtituuntur ſive quæ in ipſas commutatur, nego.

16. Objicitur quartò aliter philoſophandum eſſe de perſona divina, & aliter de creata, ergo, quum conſtet divinam conſiſtere in poſitivo, dicendum eſt creatam conſiſtere in negatione. Antecedens probatur, quia perſonalitas divina non reddit naturam incommunicabilem alteri ſuppoſito, creata reddit. Minorem probant, quia natura divina perſonata per paternitatem eſt adhuc perſonabilis per filiationem. Reſpondeo: Mirum eſt eum, quiſquis hæc loquitur, non advertiſſe diſcrimen perſonalitatum utrobique, quod quidem magnum eſt, at non illud, quod cogitat arguens, ut ſcilicet divina conſiſtat in poſitivo, creata in negativo; ſed quod divina perſonet non ſubjectum ſuum ſed conſtitutum; creata autem qualiſcumque demum ſit, perſonet ſubjectum ſive naturam. Confirmo ſolutionem, & torqueo ipſorum argumentum in ipſos, do enim illis divinam conſiſtere in poſitivo creatam in negativo, an propterea convenient per omnia, ac non potiùs ſupereſt adhuc illud diſcrimen de quo proximè quòd creata perſonalitas ſubjectum ſeu naturam perſonat, increata non ſubjectum ſed compoſitum ſeu conſtitutum? Itaque falſum eſt quod aſſumpſit probatio illa Minoris, ſcilicet naturam divinam poſtquam illa perſonata eſt per paternitatem adhuc perſonari Filio, nam natura non perſonatur aut paternitate aut filiatione, alioquin nunquam eſſet ſimul in utroque. Sed Pater fit perſona Paternitate, filius filiatione, de quibus fuſiùs dicere non eſt hîc locus.

17. Objicies quintò; Si perſonalitas creata diceret entitatem poſitivam, ſequeretur naturæ humanæ Chriſti factam eſſe violentiam, imò & fieri ſemper, quamdiu in Verbo eſt, quod utique videtur abſurdum, tam ex parte naturæ quæ per unionem ſuam poſita eſt in perfectiſſimo ſtatu non poteſt enim perfectiſſimus ſtatus eſſe violentus. Tum ex parte Dei, qui ordinatè loquendo non infert vim non merenti. Et verò ſi exſpectavit conſenſum Virginis quæ paritura erat hunc Chriſtum ne violenter ageret, quantò minùs aliquid vi egit in ipſo Chriſto? ſequela tamen probatur facilè, quia naturaliter appetit perſonalitatem propriam, quæ tamen ablata eſt ei.

18. Multi ſunt in hoc ſolvendo Recentes, aliquis non curat concedere vim ei inferri, aliis hoc ipſum videtur violenter dictum, & ideo maluerunt dicere, non fieri violentiam rei, quando loco ejus in quod propendet appetitu innato datur ei id, quod ſi accipiens haberet, appetitum elicitum præferret ei quòd naturaliter conſequeretur. Ego verò non video prorſus quomodo hoc argumentum noceat concluſioni meæ magis quàm contrariæ; ſitne violentia quum negatur perſonalitas propria ſi ſit poſitiva & non ſit quando negatur ei ſi ſit negativa? Num violentia conſiſtit in negatione poſitivi an verò in negatione proprii? Itaque quamcumque ex duabus illis viis jam aſſignatis elegerit ſibi arguens, illa concluſioni ſufficiet.

19. Objicio ultimò: Si perſonalitas creata conſiſteret in poſitivo, non conſtaret ſive non eſſet certum, ſaltèm probari non poſſet quin in Chriſto ſint duæ perſonalitates, hoc eſt abſurdum, alioquin concilia quæ hoc determinarunt non niterentur ſolido fundamento. Sequelam probo quia ſi creata ſit poſitivum quid & divina poſitivum non habebunt unde opponi poſſint incompatibiliter, & proinde non vale-

bit

Digitized by Google

bit inferre ex præſentia divinæ perſonalitatis abſentiam creatæ. Patet hoc, quia nullo genere oppoſitionis opponentur non contrariæ, cùm ſint ſubſtantiæ, non contradictoriè aut privativè cùm ſint poſitiva, non etiam relativæ quum ſint ambo abſoluta, ſaltèm ambo non ſunt relativa, quod tamen opus eſſet. At verò in oppoſita ſententia ponente perſonalitatem eſſe negativam ſtatim præferri poteſt cauſa incompoſſibilitatis, quia nimirum una eſt negatio alterius, & contradictoriè opponuntur. Reſpondeo negando conſequentiam ad probationem dico neceſſariò tenendum eſſe, quòd vel non omnis incompatibilitas ſit ex oppoſitione vel non omnis oppoſitio ſit aliqua ex ibi enumeratis. Certum enim eſt quod inter ſubſtantias ſit incompatibilitas, quæ tamen non ſit ulla ex ibi enumeratis, ut patet repetendo diſcurſum illum argumenti v. g. duæ formæ ſubſtantiales ſunt incompatibiles duæ differentiæ metaphyſicæ. Imo in accidentibus ipſis non omnis oppoſitio videtur eſſe ex iſtis volitio enim & nolitio opponuntur aliter quàm ulla ex illis quatuor. Dices oppoſitionem volitionis & nolitionis dici poſſe contrariam cum ſit inter qualitates. Reſpondeo hoc verè dici, ſed non ſufficienter, quia contraria poſſunt divinitus ſe compati ut patet in calore & frigore, iſta non.

Dices ſecundò non ſufficere ad oppoſitionem ſeu incompatibilitatem duas realitates ſubſiſtentiarum, adeòque in noſtra ſententia, in quo non aſſignatur aliud non poſſe aſſignari rationem oppoſitionis (licèt fortè eſſe poſſet) inter propriam perſonalitatem & alienam. Antecedens videtur efficaciter oſtendi inſtantiâ ſubſiſtentiæ abſolutæ in divinis, quæ neceſſariò danda eſt, & data illa terminat ac complet naturam ac ſubſiſtere in ſe facit, & tamen non reddit incompoſſibilem ei aliam ſubſiſtentiam relativam, quum poſt illam abſolutam ſequantur tres relativæ. At verò una relativa excludit aliam ab eodem ſubjecto, quia nimirum relativæ invicem opponuntur, ergo jam verum eſt, quod dicunt adverſarii, ſcilicet in illorum doctrina poſſe aſſignari cauſam cur non poſſit adeſſe ſecunda ſubſiſtentia ſeu creata ſeu increata quia nimirum in illorum ſententia creata habet oppoſitionem ad increatam cùm contradicat ei, at verò in noſtra non, adeòque nec erit incompoſſibilis ei ſicut nec relativa ſubſiſtentia eſt incompatibilis abſolutæ divinæ. Confirmatur quia ſubſiſtentia creata ſi ſit poſitivum ut nos volumus certè erit abſolutum, ergo jam non relinquitur unde opponi poſſit ulli alteri, ſicut non opponitur ſubſiſtentia illa divina eſſentialis, reſponderi poſſet etiam illam abſolutam ſubſiſtentiam divinam opponi alteri ſeu excludere eam ab eodem ſubjecto, nam illa ſubſiſtentia perſonat id, quod ſubſiſtit ſubſiſtentiâ divinâ abſolutâ hâc enim ſubſiſtentiâ ſubſiſtit eſſentia ut dictũ eſt. At verò eſſentia non perſonatur relationibus illis quod etiam jam dictum eſt, ergo. Sed non ſatisfacio mihi hâc ſolutione, quia licèt ſubſiſtentia illa utcunque excludat aliam etiam à ſubjecto ſuo, tamen non reddit ſubjectum ſuum incommunicabile, nam natura divina etiam poſtquam affecta eſt ſubſiſtentiâ abſolutâ communicabilis eſt, & communicata de facto. Itaque reſpondeo ſufficere in creatis quaſcumque formas ſubſtantiales ad excludendas invicem, quia in creatis omnis ſubſiſtentia eſt ultima, & ideo reddit incommunicabile, nec datur in illis diſtinctio ſubſiſtentiæ ultimæ & non ultimæ, ſive abſolutæ aut eſſentialis & perſonalis, ſed omnis omnino eſt perſonalis, & ſoli naturæ divinæ contingit oppoſitum propter illud ineffabile miraculum divinæ fœcunditatis & Trinitatis. Sicut ergo repugnant duæ relativæ in divinis, ita duæ abſolutæ in creatis, quia nimirum quamlibet creatam ſequitur oppoſitio ad aliam. Itaque ſicut Adverſarii explicant perſonam in illorum ſententia eſſe incommunicabilem, quia eſt negatio communicabilitatis, ita nos in noſtra dicimus eam eſſe incommunicabilem quia eſt principium ejuſmodi negationis.

Argumenta philoſophica contra perſonalitatem poſitivam ſolvuntur.

20. Objicitur, nec malè, inſtantia partis continui, v.g guttæ aquæ quæ conjuncta alteri aquæ deſinit eſſe ſuppoſitum, ſeparata fit denuò ſuppoſitum ex quo videtur inferri ſuppoſitalitatem eſſe quid negativum, ſcilicet negationem conjunctionis, nam ablata præciſè conjunctione fit aqua ſuppoſitum, poſitâ deſinit eſſe tale: Explicatur & confirmatur ratio, nam poſitivum quo terminatur aqua illa in ſe, & completur ſcilicet punctum ultimum, invenitur etiam in conjuncta, ergo ſignum eſt quòd non illa forma poſitiva, quæ terminat aut complet naturam aliquam in ſe facit ſuppoſitum, ſed negatio unionis ad aliud quod eſt ipſiſſimum intentum Adverſariorum & contradictio expreſſa noſtri. Reſpondeo hæc inſtantia aquæ retorqueri poteſt in Adverſarios, nam pars aquæ conjuncta alteri aquæ non eſt ſuppoſitum, & tamen non dependet ab altera aqua, ergo jam negatio dependentiæ non complet ſuppoſitum in ratione ſuppoſiti. Præterea etiam quando aqua una eſt ſeparata ab alia ſemper retinet aptitudinem ut illi conjungatur, adeòque non habet negationem aptitudinalis dependentiæ, quæ tamen requiritur ad ſuppoſitum de mente Adverſariorum. Itaque hoc medio pugnari poteſt contra utramque ſententiam, & omnes debemus reſpondere, puta autem non malè dici, quòd aqua & ſimilia per conjunctionem & ſeparationem non accipiant nec perdant eſſe ſuppoſitum propriè. Cauſa, quia ſuppoſitum eſt quid ſubſtantiale, iſta continuitas, ſicut & totum inde reſultans eſt quid integrale & quaſi quantitativam. Deinde ſuppoſitum eſt inaſſumptibile ad alterum; at verò quodlibet hujuſmodi integrale eſt aſſumptibile & unibile alteri ſtante omni poſitivo quod habuit ſeparatum. Denique oſtendo tertiò continuationem hanc integralem non impedire ſuppoſitalitatem, quia contingere poteſt ut corpus unius hominis in aliqua parte continuetur corpori alterius, v. g. in ſpina Dorſi, in brachio aut pede, ſi brachium unius in aliquo puncto continuaretur brachio alterius, quod contigiſſe plus ſemel leges apud S. Aug. *lib. 16. civ. cap. 8.* & Sebaſt. Munſter. *lib. 3. Coſmograph.* Nec proinde tamen deſinet ullus ipſorum eſſe ſuppoſitum ab alio diſtinctum. Denique S. Auguſt. Sebaſtian. Munſter.

Digitized by Google

ſuppoſitalitas emanat,& poſtulatur à natura cujuſque, ſed continuitas aut ſeparatio non, quia indifferenter ſe habent pleraque homogenea præſertim, adeòque. Dicatur ergo quòd ſicut anima rationalis naturaliter exiſtit ſeparata,nec tamen eſt ſuppoſitum completum ita hæc naturaliter ſunt per ſe in rebus licèt propria ſuppoſita non ſint.

21. Objicio 2. Subſiſtentia ſeu perſonalitas, ſi ſit quid poſitivum, non poteſt explicari unde habeatur, ergo non datur antecedens oſtendo, non enim dici poteſt, quòd natura eam habeat à ſe, quia tum natura illa eſſet perſonata ante perſonam ſeu ante perſonalitatem,ad agendum enim requiritur ſuppoſitalitas quia actiones ſunt ſuppoſitorum,ergo ſi producerent in ſe ſuppoſitalitatem,jam eſſet ſuppoſitum ante ſuppoſitalitatem. Idipſum ſequitur ſi dicatur eam habere ab alio, quia etiam paſſiones ſunt ſuppoſitorum ſine dubio, adeòque non poſſet recipere aliquid niſi perſonata; & conſequenter nec perſonalitatem. Denique omnium minimè dici poteſt, quod emanet metaphyſicè à natura, ſic enim eſſet inſeparabilis ab ipſa, ſicut propriæ paſſiones ſunt propter eandem rationem, ergo. Reſpondeo ſuppoſitalitatem haberi ab agente extrinſeco producente naturam, & tum ad rationem in oppoſitum, quod etiam paſſiones ſint ſuppoſitorum, dico etiam hic idem contingere quod paſſiones ſeu receptiones ſunt ſuppoſitorum, quia quod recipit ſuppoſitalitatem eſt ſuppoſitum eo ipſo. Unde diſtingui poteſt axioma; paſſiones ſunt ſuppoſitorum antecedenter, nego, concomitanter concedo. Vel ſi malis,aliter dices receptiones formarum cæterarum debere fieri à ſuppoſitis, ipſius autem ſuppoſitalitatis, non item, ſicut accidentia communia, & termini omnium actionum naturalium recipiuntur in materia quanta ipſa tamen quantitas non item; quorum omnium ratio eſt quia debet eſſe ſtatus in aliqua forma, alioquin ibitur in infinitum.

Quæres, utrum idem dici poſſet de actione, quoniam etiam actiones ſint ſuppoſitorum, an, inquam natura aliqua reddi poſſit agens per ſuppoſitalitatem. Reſpondeo in creatis non. Cauſſa, quia ſuppoſitum non eſt ratio formalis agendi ſeu reddendi agentem, ſed eſt ratio reddendi activum, adeòque non poteſt quidquam per ſuppoſitalitatẽ ipſam ſuppoſitalitatem producere, quia debuit antecedenter fuiſſe productivum, non poteſt autem eſſe productivum ſine ſuppoſitalitate, quum hæc ſit ultimum complementum in ratione productivi. Dixi in creatis non, quia oppoſitum eſt in divinis in quo ſuppoſitalitas eſt ipſa actio productiva nam paternitas eſt generatio activa.

22. Objiciunt 4. Effectus ſubſiſtentiæ eſt reddere naturam incommunicabilem alteri ſuppoſito & ab illo independentem, ſed per negationes actualis & aptitudinalis dependentiæ redditur natura formaliter incommunicabilis & independens,ergo ad faciendum,quod facit ſubſiſtentia, non eſt opus ullo poſitivo. Reſpondeo: Totum verum eſt uſque ad ultimum conſequens: eſt dicere ſufficiunt ferè negationes, ſed nego negationes ipſas habendas ſine poſitivo; unde enim provenirent? aut cur non cuilibet rei adeſſent? aſſignandum eſt principium earum neceſſariò, non poteſt autem principium negationum eſſe alia negatio, aliàs ibunt in infinitum, erit ergo aliquid poſitivum, quod eſt intentum.

Dicent requiri quidem poſitivum propter rationem jam aſſignatam,ſed poſitivum tale eſſe ipſam naturam. At id falsò dici ſuprà oſtenſum eſt, nam ſi poſitivum illud quod eſt principium hujuſmodi negationis & ſolitudinis ac perſeitatis ſit ipſa natura,nunquam poſſit deſinere ſuppoſitum & manere natura atque ita in Chriſto de facto eſſent non tantum natura creata ſed ſuppoſitum,ut ſupra.

23. Objiciunt 5. ſi perſonalitas eſſet forma poſitiva,non poſſet ſuppleri à Verbo,hoc eſt falſum, quia oppoſitum eſt de facto verum, ergo. Sequela majoris probatur,quia Deus non poteſt ſupplere effectum ullius formæ aut actûs infirmantis, niſi in genere cauſæ efficientis certum eſt autem quòd perſonalitas creata non ſit ſuppleta à Verbo in genere cauſæ efficientis, quia non magis ſuppletur à Verbo quam à Patre & Spiritu Sancto, quia omnis efficientia eſt æqualiter à tribus, nec poteſt ulla perſona efficere quidquam niſi coefficientibus aliis duabus: Quod autem ſimiliter ſuppleta ſit perſonalitas aut ſimiliter ſuſtentata natura illa creata à Verbo, & aliis perſonis dici non poteſt, alioquin aliæ perſonæ eſſent incarnatæ non minus quam Verbum,ergo. Optimum argumentum ſed cavendum etiam authori, quem miror non advertiſſe quomodo in ipſum redeat. Quæro enim ſi Deus non poſſit ſupplere effectum formæ quomodo poteſt ſupplere effectum formæ negativæ? nonne etiam negationes formaliter ſuppoſitant ſeu perſonant naturam? Itaque utique eſt reſpondendum, & dicendum quod non poſſit ſupplere effectum formæ informando, ſed bene terminando, quod hic facit in Chriſto, in quo perſonalitas divina non informat naturam creatam ut faceret propria ſi adeſſet ſed terminat dependentiam naturæ per unionem hypoſtaticam,de quo videndus D. *d & q. cit.*

24. Objiciunt ultimò: Non poteſt aſſignari, quis ſit effectus formalis ſubſiſtentiæ illius poſitivæ,ergo non datur. Antecedens probatur,quia vel eſt reddere naturam independentem à proprio ſuppoſito, vel reddere eam independentem ab alieno; non primum,quia ſubſiſtentia illa facit naturam dependentem à ſe, ergo non independentem.Non etiam ſecundum, quia natura de ſe habet hoc quod eſt eſſe independentem ab alieno,adeoque non eget ad hoc formâ ſuperaddita. Antecedens probatur, quia natura neque eſt pars alieni ſuppoſiti,neque eſt effectus ejus, adeoque non dependet quod etiam ulterius inde probari poteſt quia ſi opus eſſet formâ poſitiva ad tollendam dependentiam naturæ ab alieno ſuppoſito, tum natura de ſe eſſet dependens ab alieno ſuppoſito, atqui non eſt ita quia præter alia inconvenientia, deberent vel dari infinita ſuppoſita vel mutua dependentia inter aliqua duo, & fortaſſe etiam daretur unio aliqua hypoſtatica ſive natura creata unita ſuppoſito divino. Reſpondeo: Suprà aſſignavi effectum formalem perſonalitatis qui non eſt reddere dependentem à ſe, quid enim poteſt dependere à ſe, ſicut nec cauſa? nec dependentem ab alio, quum oppoſitum præſtetur per perſonam,

ſed

Digitized by Google

ſed eſt eſſe completum in ſe & ſe ipſo terminatum, Talis, qualis eſt effectus ſubſtantiæ ſeu perſeitatis aut etiam entis abſoluti ut ſic, quod eſt ad ſe, ſicut ſubſtantia eſt per ſe, & perſona eſt in ſe.

Defenditur nihilominus ſubſiſtentia negativa à quorundam impugnationibus & acrimonia.

25. Aliqui non contenti argumentis uſi ſunt etiam cenſuris in hanc opinionem, quæ problematicè ſaltem eſt Scoti, & ponit rationem perſonæ in negatione ſive una ſive pluribus, quod nunc non refert Franciſcus Suares loco citato dicit ſententiam Scoti, ſi attentè inſpiciatur ſolis verbis differre ab illa Durandi quæ vix aut ne vix quidem poteſt à temeritate defendi, & in re coincidit cum errore Ariſt. & aliorum veterum, qui defectu fidei confuderunt ſuppoſitum cum individuo, quam cenſuram deſcripſit, ex eo (g) alius, ſicut & alius (h) deſcripſit rationem ejus, quam hic nullo negotio ſolvam, atque illas etiam quas poſteriores addiderunt ſed breviter, nec enim ſuſcepi patrocinium niſi affirmativæ ſeu poſitivæ ſubſiſtentiæ ex profeſſo.

Franc Suarez ... citat.

(g) D. Hurt. ... 11. Met. ſect 3.

(h) P. Arriaga ... 4 met. ſect. 11.

Primò ergo ipſorum aliquis miratur, quod, cum Scotus doceat alienum ſuppoſitum non eſſe aliquid poſitivum, & conſequenter impoſſibile ſit naturam meam ab alio ſuppoſito terminari, ponat tamen duas negationes, unam actualis alteram aptitudinalis dependentiæ, atque ita ponit rationem ſuppoſiti in negatione rei alias repugnantis, planè ac ſi diceret in lapide rationem ſuppoſiti conſiſtere in negatione actualis & aptitudinalis intellectionis. Sed enim hic præſtruit & fabricat ſibi, quæ miretur: dicit enim (imò ſupponit) impoſſibile eſſe naturam ſuam dependere ab alieno ſuppoſito, quod tamen non ſufficit dixiſſe ſed probandum fuit, negat enim hoc aſſertor perſonalitatis negativæ, & dicit naturam alicujus hominis in eo caſu terminandam non ad negationem quæ eſt mea perſonalitas, ſed ad naturam perſonatam, quod licèt ille ægrè ferat ſed non ideo eſt falſum.

Quòd autem ait non debere quidquam conſtitui in negatione alicujus repugnantis ſubjecto, adhuc magis mirandum eſt, quum non poſſit aliter eſſe, nec ab ipſo aliter dici, quæro enim de negatione individui, de illa indiviſibilitate, in qua conſiſtit, eſtne negatio alicujus potentis convenire, an verò alicujus repugnantis ſubjecto? quæ inſtantia multò magis valet in hujus junioris ſententia quoniam (ſi meminit ſui) non vult individuum ſupra naturam ſpecificam addere formalitatem ullam re aut ratione diſtinctam: nec eſt ſimile de lapide ſi diceretur quod ſuppoſitalitas ejus conſiſteret in negatione intellectionis, ſed ſimile eſſet ſi diceretur materialitas lapidis conſiſtere in negatione ſpiritualitatis, aut irrationalitas in negatione rationalitatis ſeu intellectualitatis, ita bene dicitur ſuppoſitalitas lapidis conſiſtere in negatione communicabilitatis, quia ſicut ratio ut intellectio opponitur irrationalitati ita ſuppoſitalitas communicabilitati.

26. Objicit tamen ſecundò, quòd, licèt probari poſſet ſuppoſitalitas conſiſtere in negativo, tamen fruſtra ponatur conſiſtere in duplici negatione, cùm una ſufficiat; ſi enim una (inquit) dicit naturam nec divinitus terminari poſſe alieno ſuppoſito ut quid alia illa negotio actualis terminationis, nam negans potentiam utique negat actum, Reſpondeo: Aliud eſt, quod Scotus tenet, ut probabile aliud, quod ipſe impugnat, non enim Scotus vult perſonam creatam dicere negationem, quæ divinitus auferri non poſſit, ut hic ſupponit aut imponit; quin potiùs oppoſitū dicit de ſuppoſito creato & de ſolo ſuppoſito increato quod importet negationem potentialis dependentiæ ſive negationem quæ divinitus auferri non poſſit Itaque Scotiſtæ non iraſci debent huic homini ſed compati.

27 Objicit tamen adhuc tertiò diligentiùs: Omne ſuppoſitum ſecundùm hanc viam eſt negatio, atque adeò alienum ſuppoſitum; & quum proprium ſuppoſitum dicat negationem alterius, ſequitur proprium ſuppoſitum eſſe negationem negationis, quo nihil ineptius, quia negatiò ſemper eſt alicujus affirmationis negatio, adeóq; contra rationem eſt ponere duas negationes quarum una tollat alteram, neutra autem terminum poſitivum, ergo. Reſponderi poſſet non omnē ſuppoſitum extrinſecum creato eſſe negationem, nam divina ſuppoſita ſunt illi extrinſeca, & tamen non ſunt negationes, ſed non eſt opus huc declinare, iterum enim errat hic circa mentem Scoti, & modum quo ponit has negationes, non enim ponit ille ſuppoſitum eſſe negationem ut hic cogitat ſed ſuppoſitalitatem, neque vult naturam ſuppoſitatam eſſe independentem à ſuppoſitalitate externa, ſed à ſuppoſito, quod quidem eſt quid poſitivum quum involvat naturam. Denique quando unquam dixit Scotus aut Scotiſta ſuppoſitum proprium eſſe negationem alieni; dicunt quidem eſſe negationem dependentiæ aut unionis ad externum ſuppoſitum, ſed tam unio quàm dependentia ſunt poſitiva.

28. Vltimò ſolvendum eſt, quod ſuprà tetigi num 13 & eſt primarium argumentum juniorum, petitum ex definitionibus Eccleſiæ contrà Neſtorium, & ante ipſum contra Mopſueſtenum, qui prior aſſeruit humanam perſonalitatem in Chriſto atque ita duas. Horum errores reprobavit Eccleſia non ſemel, definiens oppoſitum, ſcilicet in Chriſto non manſiſſe creatum ſuppoſitum, adeoque nec duo. Hic rhetoricantur Adverſarii & inquiunt in Scoti ſententia has definitiones eſſe inanes & riſu dignas, reddunt enim hunc ſenſum, Natura Chriſti poſtquam unita eſt verbo non manſit ſeparata à verbo, ſivè non manſit ſine unione ad Verbum, quod quàm indignum fuerit PP ſtudio, & ſeſſionibus Conciliorum, nemo non videt. Vrgetur argumentum ut probet non poſſe eſſe in fide veram illam acceptionem perſonæ nam Eccleſia definivit ſine dubio id quod dicti hæretici negabant; at verò nullus eorum hæreticorum tam ſtupidus fuit, ut diceret naturam unitam manſiſſe ſeparatam, ergo non poteſt illa acceptio perſonæ apud Scotum eſſe de mente Eccleſiæ. Hic eſt Hector & Achilles Adverſariorum quem unus ex alio tranſcribit quod tamen argumentum Guliel. Camerarius apertè pronunciavit futile eſſe & nullius momenti velint nolint Cajet. Suar Hurt, Sed enim ſex paginæ referta quas hic ejus ſolutioni

tioni impendit, oſtendunt eum pluris feciſſe argumentum hoc, quàm ſcripſerit, aut præ ſe tulerit. Apud ipſum plus ſemel ſolutum eſt, aliquando etiam ingenioſè: Mea ſolutio hæc eſt, quæ ex cognitione controverſiæ cum his hæreticis habitæ facilè approbabitur. Itaque Neſtorius Anaſtaſius presbyter & Theod Epiſcopus aſſerebant in Chriſto duas perſonas non eo ſenſu qui nunc dierum abſurdus cenſeretur, quòd ſcilicet eadem natura duabus perſonalitatibus perſonaretur, hic enim metaphyſicis eſt, & ad fidem ac hæreſim impertinens, ſed aſſerebat duas perſonas ſcilicet Verbum & Jeſum. Volentes hominem Jeſum nullatenus fuiſſe hypoſtaticè unitum Verbo, ſed manſiſſe diverſam perſonam, non minus quam alius quilibet de populo, aut ab ipſo Verbo Dei, aut ab alio populari diverſus eſt, eo ſolo diſcrimine quod inter Verbum & Jeſum ponebant ſingularem unionem per amorem aut poteſtatem, & ſimile. Hanc ergo perverſitatem evertere volens Eccleſia, quoniam in eo negatur myſterium incarnationis & fundamentum noſtræ redemptionis, definivit in Chriſto non manſiſſe ſuppoſitum creatum, ſed ſolum divinum, quod erat dicere hominem fuiſſe unitum hypoſtaticè Verbo.

Jam viderint Adverſarii, utrum iſtæ propoſitiones fidei noſtræ: Homo Jeſus unitus eſt hypoſtatici Verbo, ſubſiſtit ſubſiſtentia filii Dei, ſive (ut rem in originem reſolv m) an hæc, Verbum caro factum eſt, ſit ridicula & inepta, & faciant ſenſum quòd homo unitus non manſit ſeparatus? Si ſic, jam Evangelium erravit & eſt ridiculum, quod quoniam non audebunt dicere, ſciant & illis definitionibus Eccleſiæ nihil haberi contra definitionem negativam perſonæ, quæ non ſolùm Scoti (probabiliter) eſt, ſed aſſeveranter eſt *Severini* (i) *Boëtii* (quo profundiorem Philoſophum Latini non habent) approbata deinde inter alios à *D. Thoma* (k) *S. Bonavent.* (l) *B. Alenſi* (m) *Hugone Victorino* (n) & expreſſius etiam eſt *Rich. à ſancto* (o) *Victore, &c.* (p)

(i) *lib. de duab. nat.*
(k) *lib. 2. ſent. diſt. 3. art. 2. ad 5.*
(l) *3. d. 5. art. 2. q. 2.*
(m) *3. p. q. 4. 1. m. 6.*
(n) *Apolog. verb.*
(o) *4 Trin. c. 12.*
(p) *Henr. quodl. 5. q. 1*

ACTIO IV.

Utrum ſubſiſtentia creata alienam naturam ſuſtentare poſſit, nec ne? An ſit Modus?

Breviarium.

N. 1. *Ut aliqui intelligant titulum. Diſcrimen rei & Modi.*
2. *Subſiſtentiam non eſſe Modum, & tamen creatam poſſe alienam naturam terminare.*
3. *Alia probatio hujus.*
4. *Prima objectio. Modus unius objecti eſt adhuc communicabilis alteri, & quomodo?*
5. *Altera objectio: An ſubſiſtentia uniatur ſubjecto per unionem ſuperadditam.*
6. *Alia duæ probationes concluſionis.*

1. Vidimus hactenus id eſſe ambiguum, & pendere ab hoc mentem Scoti de conſiſtentia perſonalitatis in poſitivo aut privativo, nunc idipſum eſt decidendum: Coincidit autem quæſtio hæc cum alia quâ; quæritur, utrum ſubſiſtentia ſit entitas an modus? ſive forma entitativa an modalis? in quibus terminis reſpondent Recentes ad difficultatem quòd ſit forma modalis ſeu modus, & nullatenus entitativa, propter quod ad titulum Actionis reſpondent negativè, volentes creatum ſuppoſitum nullatenus poſſe alienam naturam ſuſtentare.

Sciendum autem eſt hoc eſſe diſcrimen entitatis & modi pro nunc, quòd forma entitativa poſſit ſupereſſe ſubjecto, id eſt, remanere deſtructo ipſo aut etiam non deſtructo, ſed ſeparato, poſſitque alii ſubjecto conjungi; quod etiam dupliciter intelligi, & dupliciter fieri poteſt. Poteſt intelligi quod forma aliqua, v. g. albedo ſeparetur ab hoc ſubjecto A. & conjungatur ſubjecto B. quod tantùm ſupernaturaliter fieri poteſt. Aliter intelligi poteſt, quod forma aliqua puta albedo à principio poni potuerit in alio ſubjecto quam in ſubjecto in quo nunc eſt, quod naturaliter fieri poteſt, ſi forma non ſit modus; nam ſi ſit modus, neutrum fieri poteſt. Unde, ut dixi dicuntur communiter ſynonymi iſti duo tituli. An ſubſiſtentia creata ſit modus? &, an poſſit alienam naturam terminare?

Mihi tamen non id videtur nec approbatur; puto enim hæc eſſe aliud & aliud, & poſtquam quis reſolvit, quòd ſubſiſtentia ſit modus, dubitari poſſe, an ipſa poſſit alienam naturam terminare? Unde ad rem.

2. Dico ſubſiſtentiam quamcumque poſitivam eſſe modum, nec tamen implicare, quòd aliqua creata quæ eſt uni propria terminet alienam naturam, adeòque non eſſe ſynonymum quærere num ſubſiſtentia creata alienam naturam terminare poſſit? & an ſit modus? ita didici ex Doct. 1. d. 7. q. non quidem expreſsè nec enim negotium hoc ibi agit ſed virtualiter & æquivalenter & ex conſequenti, unde fruſtra conatur eum Briſenus in oppoſitum trahere, ut patebit ex argumento ſequenti.

Dionyſ. Carthuſ. 3. d. 2. q. 7. Ock. 3. q. 1. dub. ult. Baſſol. ib. d. 1. q. 3. Hurt. d. 11. Met. ſect. 1. Valent. Gregor. partim tom. 4. diſp. 1. q. 3.

Nam perſonalitas divina eſt modus, ſeu quaſi modus, v. g. paternitas, cùm non poſſit alteri competere, atque adeò ſit totaliter determinatio ejus, in quo eſt; at vero divina & creata ſecundum D. univocante hinc inde, niſi aſſignari poſſit ſpecialis ratio repugnantiæ quam hic non habes, ergo etiam dicenda eſt perſonalitas creata eſſe modus.

Dices falsò hæc aſſumi, cùm in hac ipſa materia Scotus refragetur volens perſonam divinam in poſitivo conſiſtere, creatam in negativo, non poſſunt autem poſitivum & negativum univocari. Reſpondeo hîc quodammodo peti principium, dum aſſeritur perſonalitas creata eſſe negativa, cujus oppoſitum ſup. à oſtendimus: Iterum dico etiamſi unum eſſet poſitivum, alterum negativum, utrumque poſſe eſſe modum, atque ita in hoc univocari; ſed eo relicto

Probo

Probo abſolutè intentum: Perſonalitas Petri, aut eſt indifferens ad naturam Petri & Pauli, aut non, ſed ſeipſo determinata ad illam Petri; ſi ſecundum, jam eſt modus: primum autem dici non poteſt, quia, ſi ſic, tum quando natura Pauli uniretur hypoſtaticè Petro, natura Pauli non eſſet magis in alieno ſuppoſito, quàm ipſa natura Petri, hoc autem eſt contra omnem ſenſum & contra ipſos terminos ſeu hypotheſin.

Dices perſonalitatem illam fore magis propriam Petro, quàm Paulo, quia afficit intrinſecè Petrum, Paulum autem extrinſecè tantùm terminando dependentiam ejus, ſicut de facto perſona Verbi terminat dependentiam naturæ humanæ Chriſti, propter quod perſonalitas Verbi eſt propria ipſi Verbo, aliena autem & extrinſeca humanitati.

Sed contrà, ſi perſonalitas non ſit modus, nihil horum ſubſiſtit, ſi enim non ſit modus, tunc unitur naturæ ipſius Petri mediante unione quæ ab utroque diſtincta eſt, planè ſicut unita eſt naturæ ipſius Pauli, mediante unione hypoſtaticâ, cur ergo diceretur magis intima aut propria uni quam alteri? Sanè in hac via reſponderi aut ratio aſſignari non poteſt, ſed bene in noſtra, cùm quia dicamus perſonalitatem eſſe modum ſeipſa unitur illi naturæ cujus eſt, atque ita datur latum diſcrimen inter modum quo Perſonalitas Petri ſit ipſius Petri, & quo ſit Pauli, unde poterit dici propria & intrinſeca uni, aliena autem & externa alteri. Unde etiam vides inſtantiam illam de perſonalitate Verbi non eſſe ad propoſitum, ſed facere contra authores ejus, quia perſonalitas illa identificatur realiter Verbo, unitur tantum humanitati.

3. Probo tertiò intentum à minori ad majus: quia plures aliæ formæ multo magis extraneæ ſubjecto, quàm ſit ſubſiſtentia. Sunt modi ejus, ergo à fortiori ſubſiſtentia erit: quam conſequentiam probo, quia, quod eſt magis intimum rei & emanat à principiis intrinſecis ejus magis debet cenſeri modus ejus quam quod impertinens eſt ad naturam ſubjecti, & ab extrinſeco tantum accedit cujus ulterior ratio eſt quia conceptus modi eſt quod ſit forma ſeipſa afficiens ſubjectum, ut non poſſit eſſe & non afficere ipſum, adeòque. Probo jam antecedens clariſſimis inſtantiis ubicationis, actionis & ſimilium; nam hæc & ſimilia extrinſeca ſunt ſubjecto, & mera accidentia ejus tam logica quam metaphyſica, & plerumque ab extrinſeco tantum accedunt, ut patet in ubicatione & motu, & tamen ſunt modi, & ſe ipſis uniuntur ſubjecto, quod omnes concedunt & ratio convincit, aliàs enim iremus in infinitum in formis ad habendam unam Ubicationem, unam actionem, motum, & ſimilia.

4. Objicies contra hanc ſecundam partem concluſionis, ſi enim ſubſiſtentia ſit modus, jam ita affixa eſt ſubjecto ſuo, ut non poſſit eſſe alterius, ſi autem non poſſit eſſe alterius, jam non poterit ſuppoſitare alteram naturam, atque ita ſecunda pars concluſionis pugnat primæ minor probatur, nam ſi ſuppoſitaret alteram naturam, jam eſſet ſuppoſitalitas aut ſubſiſtentia ejus, quod confirmatur, nam ſuppoſitalitas quamcumque naturam ſuppoſitat ſive propriam ſive alienam, id præſtat in genere cauſæ formalis, hoc eſt per modum formæ ſive, exhibendo ſe ipſi, ergo jam non poterit eſſe ſubſiſtentia illius, cujus non poſſit eſſe forma ſecundi ſubjecti, ſi ſit eſſentialiter determinata ad informandam primum, ergo. Reſpondeo: Fruſtra perſuaſit ſibi Briſenus propter hoc argumentum quòd in doctrina Scoti ſubſiſtentia non poſſit eſſe modus, quùm hujuſmodi affixio ad ſubjectum non obſtet ne forma illa poſſit alteri quidquam conferre; quod oſtendendo ſolvam argumentum. Dico ergo ſubſiſtentiam eo quòd ſit modus non poſſe transferri ad aliud ſubjectum eo modo quo eſt in proprio, neque hoc ſolum ei provenire ex modalitate ſua, ſed & illud, quòd à principio non potuerit eſſe in alio ſubjecto ab eo in quo eſt: at verò non obſtante modalitate iſta poteſt eſſe alterius ſubjecti, dummodo non ſit illius taliter qualiter fuit primi ſubjecti. In propoſito perſonalitas Petri v.g. eſt modus naturæ ejus, propter quod non poteſt eſſe alterius quomodo eſt ipſius, ſcilicet intrinſecè per informationem, poteſt tamen eſſe extrinſecè per terminationem, & quoniam terminatio extrinſeca ſufficit ad ſuppoſitationem, ideo ſuppoſitalitas Petri ſuppoſitare poteſt aliam naturam.

Suadetur totum, & ampliùs exemplo Verbi incarnati, nam perſonalitas Verbi eſt plus, quàm modus, cum non ſolum ſe ipſa uniatur, ſed ſe ipſâ identificetur ſubjecto aut quaſi ſubjecto ſuo; eo tamen non obſtante perſonat alteram naturam, ſcilicet creatam Chriſti, ergo etiam perſonalitas creata unius creaturæ licet ſit modus ejus poteſt nihilominus aliam naturam perſonare.

Confirmo iterum ad hominem in quorundam Thomiſtarum ſententia, qui cenſent aliquid poſſe exiſtere exiſtentiâ alterius, quum tamen exiſtentia ſit quam maximè, modus, & plus quam modus exiſtentis, & tamen eo non obſtante ſecundum ipſos hoc non ſolum eſt poſſibile, ſed factum, ita enim exiſtit humanitas Chriſti exiſtentiâ Verbi, & in phyſicis materia exiſtentia formæ, vel è contra, ergo.

5. Objicies ſecundò; Aliquid eſſe vel non eſſe modum colligitur ex eo, quod ſi uniatur per unionem à ſe diſtinctam ſubjecto, non ſequetur proceſſus in infinitum; atqui ex eo, quòd ſubſiſtentia uniatur naturæ per unionem diſtinctam non ſequitur proceſſus in infinitum, dicet enim Adverſarius ſubſiſtentiam uniri ſubjecto mediâ unione, unionem autem ſe ipſâ, quo poſito jam habetur ſtatus in ſecunda forma, & ita eſt breviſſimus proceſſus nedum finitus. Hoc eſt fundamentum Recentium aliquot, at non firmum, ſed confectum ab illis evidentibus novam rerum diſpoſitionem; non enim eſſe modum conſiſtit in eo quod ſi uniretur diſtinctâ unione ſequatur ille proceſſus, ſed in eo quod ſe ipſâ unitur, hoc autem quod eſt ſe ipſo uniri colligitur ex eo, quod ſe non uniretur daretur proceſſus in infinitum. Cæterum ratio proxima modi eſt eſſe ſe ipſa determinationem alicujus ſubjecti, atque ita Recentes uſurparunt rationem remotam pro proxima. Jam quod ſubſiſtentia ſit ſe ipſa determinatio ſubjecti, patet ex dictis, tum quia profluit ab intrinſecis ſubjecti, adeoque magis intimum eſt ipſi quà aliæ formæ quæ ab extrinſeco accedunt, & tamen ex his ipſis quædam ſe ipſis uniuntur & ſunt modi. Quæ ratio de novo confirmatur in

hunc modum contra Rec. Unio illa, quà credunt illi uniri ſubſiſtentiam ſubjecto, ſe ipſa unitur ei, ergo à fortiori ipſa ſubſiſtentia, nam Unio eſt planè extrinſeca ei, ſubſiſtencia ab intrinſeco ejus emanat, & ſi dicatur fortè unio ſubjecti ad ſubſiſtentiam ab intrinſeco etiam provenire nihil juvat quia etſi ita ſit, tamen hoc non fit ratione ejus ſed ratione ſubſiſtentiæ, ideo enim ſubjectum poſtulat unionem ad ſubſiſtentiam, quia poſtulat ipſam ſubſiſtentiam.

Dices, primæ qualitates elementorum, v.g. calor ignis, gravitas terræ, emanant ab eſſentia eorum, tamen ſunt res & non modi. Reſpondeo latam diſparitatem eſſe, quia iſta ſunt alterius generis & toto prædicamento diverſa; hæc autem eſt complementũ rei intra idem genus, & ultima actualitas ejus ſicut intenſio eſt in qualitate. Quemadmodum ergo intenſio caloris non eſt res ſed modus ejus, ita hîc ſubſiſtentia non eſt res ſed modus ſubſtantiæ. Aliæ probationes concluſionis ſunt etiam diſparitates hîc, nominatim ſecunda, nam niſi ſic ſe haberet ſubſiſtentia, tum propria ſubſiſtentia non eſſet propria nec aliena eſſet, aliena, ut ſuprà dixi.

6. Probo etiam abſolutè intentum adhuc duabus viis: Ubicatio enim (quidquid velit Recentiores) eſt modus, ſemper enim pro tali habitus eſt, & debuit haberi, non quia non poſſit uniri mediâ aliâ unione, poteſt enim quantum ad hoc; unde fruſtra fundavit ſe in hoc ille Modernus aſſerens eam non eſſe modum, quia poteſt ſic uniri. Do enim ei eam ſic uniri (quod tamen falſum eſt) adhuc tamen erit modus, quia adhuc eſt determinatio alicujus ſubjecti ſe ipsâ, nam Ubicatio mea non poteſt Laurentium ubicare, adeòque ſeipsâ eſt determinata ad ubicandum me. Ita in oppoſito ſubſiſtentia mea non poteſt reddere Laurentium ſubſiſtentem, adeòque eſſentialiter eſt determinata ad reddendum me ſubſiſtentem, ſive deinde uniatur mihi media unione diſtinctâ, ſive non. Nam, etſi uniatur unione ſuperadditâ, eſt tamen talis naturæ, ut ne ſic quidem uniri poſſit alteri naturæ Laurentii, adeòque jam eſt eſſentialiter determinatio alicujus ſubjecti, atque adeo modus.

Altera probatio hujus, quia inhærentia accidentis eſt modus, ergo & ſubſiſtentia ſubſtantiæ; cenſendum eſt enim iſta uniformiter ſe habere hinc inde, ſcilicet ſubſiſtentia ad ſubſtantiam ſicut inhærentia ad accidens. Reſponderi tamen poteſt negando conſequentiam & probationem, quia nimirum ſubſiſtentia non eſt quæ in ſubſtantia reſpondet accidenti, quia antequam ſubſiſtat ſubſtantia & ſeparatâ ſubſiſtentiâ ſubſtantia habet id quo opponitur accidenti. Nihilominus ratio valet quia etiam inhærentia non eſt quæ reſpondet ſubſtantiæ in accidenti, ſive non eſt differentia condividens ens cum ſubſtantia, hanc enim retinere poteſt accidens ablatâ, inhærentiâ, ut patet in ſpeciebus ſacramentalibus. Itaque inhærentia actualis eſt quod directè reſpondet ſubſiſtentiæ ſubſtantiali, adeòque valet conſequentia ab una ad alteram. Antecedens autem facilè probatur utendo etiam ipſorum juniorum principio, nam inhærentia ſe ipſo inhæret, hoc autem eſt eſſe modum, ergo probatio majoris ſecundum ipſos, quia niſi inhærentia ſeipſa inhærent, dabitur proceſſus in infinitum, nam deinde danda erit inhærentiæ inhærentia, & adhuc hujus inhærentia, & ita in infinitum.

ACTIO V.

Vtrum natura aliqua creata poſſit duplici ſubſiſtentiâ ſubſiſtere, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Explicatio tituli.*
2. *Reſolutio abſolutè negativa.*
3. *Probationes reſolutionis. Celeberrimum axioma Scoti: & textus ejus ex tertio ſent.*
4. *Evaſiones aliquorum ab ultima probatione Scoti, Præcluduntur.*
5. *An idem accidens poſſit pluribus ſubjectis inhærere?*
6. *Alia principalis & theologica probatio concluſionis. Vnde conſtat in Chriſto non dari ſubſiſtentiam creatam?*
7. *Difficultas accurata contra probationem n. 3. poſitam expeditur utrumque.*
8. *Nova probatio concluſionis:* Ubi *an alio transferri poſſit?*
9. *Oſtenditur concluſionem tenendam eſſe in quacumque ſententia de conſtitutivo perſonæ, ſcilicet in negativo & poſitivo.*
10. *Adfertur ſpecialis ratio contra duas perſonalitates proprias.*
11. *Objectiones naturales contra concluſionem expediuntur. Num effectus ſecundarii formarum poſſint ſemper impediri?*
12. *Alia objectio ſolvitur. Diſparitas inter locum & ſuppoſitum.*
13. *Objectio tertia theologica & principalis expeditur: An & quomodo natura divina ter perſonetur?*
14. *Inſtauratur tamen argumentum ſemel & iterum.*
15. *Inſtauratur adhuc tertiò & quartò.*
16. *Inſtauratur adhuc quintò. An ſpiratio activa perſonetur in filio?*
17. *Objectio phyſica ſolvitur. An & quomodo idem poſſit bis terminari?*

1. INtelligo ſimul & ſemel, nam, quòd hoc ſucceſſivè poſſit, non eſt dubium, ſi enim Verbum dimitteret humanitatem aſſumptam, iſtæ ſtatim ſubſiſteret propriâ ſubſiſtentiâ, quod etiam poſuit feciſſe à principio, & deinde à Verbo aſſumi.

Dices

Dices propriam fore modum, poſito autem, quòd ſit modus eſſentialiter dicit afficere illud ſubjectum, adeòque implicabit ne afficiat, atque ita non poteſt deſinere ſive deſiſtere ab efficiendo & perſonando illam naturam ne contrafiat eſſentiæ ejus, quod repugnat contingere. Reſpondeo: Modus eſſentialiter afficere debet ſubjectum, ſed quamdiu modus ipſe eſt ſive exiſtit, non verò abſolutè, alioquin nullus modus deſinere poſſet, & ita nulla actio, nulla ubicatio aut inhærentia deſinere poſſet manente ſubjecto, quorum omnium contrarium experimur.

Loquor etiam indifferenter de ſubſiſtentia creata & divina, ſed in divina diſtinguendum eſt de abſoluta & relativa ſubſiſtentia, quod uberiùs infrà attingam. Poteſt etiam intelligi titulus inter creatas ſubſiſtentias, vel de propria, vel de aliena ſubſiſtentia, quæ ſic miſceri poſſunt in caſu, ut duæ ſubſiſtentiæ vel ſint duæ propriæ, vel ſint duæ alienæ, vel una propria & altera aliena: In qua re authores nonnulli concedunt poſſe naturam aliquam duplici ſubſiſtentiâ ſubſiſtere, imò pluribus, dummodo utraque ſit aliena, non poſſe autem ſi una ex illis ſit propria & altera aliena. De duabus propriis non multi meminerunt, ſicut & pauci diſtinguunt de ſubſiſtentiis divinis abſoluta & relativa. Dicam ad ſingula, & primò

2. Dico repugnare naturam, ſubſiſtere duplici ſubſiſtentiâ creatâ quâcumque, nec eſſe hîc diſtinguendum de propria & aliena quaſi repugnent plus propria & aliena, quàm duæ propriæ aut totidem alienæ: Et multò magis. Frivolum eſt quod quidam diſtinguunt de natura exiſtenti in duplici loco, & de exiſtenti in uno, quaſi in pluribus plures habere poſſit. Hæc eſt mens *Doct.* & Subtilium cum ipſo *3. d. 2. q. 2. & in Reportat. q. 3.* Rada *tomo 3. contr. 1. art. 4.* Faber (*a*) Aretin. (*b*) & quoad plures ſubſtantias quam una ſit propria, altera aliena, eſt etiam Thomiſtarum ſatis conſequens ad ea quæ docent de impotentia corporis ad exiſtendum in duobus locis circumſcriptivè, licèt poſſit eſſe in uno circumſcriptivè in alio definitivè. Denique quoad plures alienas cum Doct. eam tenent *Alenſ.* (a) *D. Bonaventura* (b) *Alb.* (c) *Durand. Palud.* (d) & ex Rec. *Lugo* (e)

Scot.
Rada
(a) *diſp. 4. in 3. ſect.*
(b) *3. d. 1. q. 7. art. 1.*
(a) *3. p. q. 2. m. 4.*
(b) *d. 1. art. q. 3.*
(c) *q. 1. art. 10.*
(d) *3. d. 1. q. 3.*
(e) *diſp. 12. de Inc. ſ. 6.*

Probationes reſolutionis negativæ.

3. Prima ratio generalis ſint definitiones perſonæ à Boëtio & Rich. aſſignatæ, quas ſequentes Doctores amplexi ſunt, & omnes traditæ ſunt per negationes diviſionis & communicabilitatis; Nec licèt hìc diſtinguere de communicabilitate naturali & ſupernaturali, quia per quodcumque res definitur illud, nec naturaliter nec ſupernaturaliter ſeparabile eſt ab eo.

Secunda principalis ſit iſta Doct. cit. quo loco occaſione hujus controverſiæ pronunciavit illud vulgatiſſimum ex ipſo axioma: Quòd nullus idem effectus produci poſſit à pluribus cauſis ſimul; & verò idipſum demonſtravit ibidem his verbis, quas non pigebit ſemel transſcribere quando tam ſæpe eſt uſus ipſorum: ait ergo q. 31. num. 5. *Impoſſibile eſt idem cauſatum habere plures cauſas totales in eodem genere cauſandi à quibus dependeat. Sequeretur enim quod eſſentialiter dependeret ab illo ut à cauſa, quo non exiſtente nihilominus eſſet. Si enim habeat A. pro totali cauſa efficiente & cum hoc B. ſimiliter A. ſufficienter efficeret ipſum quocumque alio circumſcripto, aliàs non eſſet ejus totalis cauſa, igitur eſſet ab A. B. non exiſtente, & ita non dependeret à B, conſimiliter arguitur è converſo de A. ſi B. ponitur cauſa ejus totalis, igitur ſi A. ſit cauſa totalis & B. ſimiliter, utrumque erit cauſa totalis, & neutrum, ita videtur in omnibus dependentiis etiam quæ non ſunt cauſatorum ad cauſas quod cum dependentia alicujus fuerit totaliter terminata, ad aliquid ipſum nec poteſt dependentia ejuſdem rationis dependere ad aliud.* Hactenus Subtilis, cui ſubſumere poſſumus ſic: Una perſonalitas quæcumque adæquatè ſtatuit ſive reddit ſubſiſtentem naturam, ergo cum nulla perſonalitate, quæcumque demum ſit, poteſt habere ſecundam.

4. Duo ad hæc dici poſſunt, unum eſt, quod Recentiores communiter dicunt, axioma illud non eſſe approbandum, ſed poſſe aliquid idem cauſari totaliter à pluribus. Sed velint nolint illi ſtat illa veritas, nec unquam convellere illam poterunt quod ſuo loco per Dei gratiam oſtendam, contentus pro nunc inſtantiis à quibus fugere non poſſunt Recentiores; dico enim trabem non poſſe dividi ſimul duobus cuneis, neque eundem filium ſimul generari à pluribus parentibus nec eundem hominem bis mori ſimul, & ſimilia. Deinde certum eſt, quòd non poteſt quis ad eundem terminum per eandem lineam bis moveri, moveretur autem ſi ſimul generaretur à diverſis, transiret enim ſimul (nec ſemel ſed bis) à non eſſe ad eſſe, adeòque

Meliùs reſpondere poſſent alterum illud, quod ſcilicet illa abſurditas non ſequeretur, licèt idem bis ſuppoſitaretur, prætendi enim poſſet, quòd ſuppoſitari aliquid poſſit ſine dependentia ejus ad id, à quo ſuppoſitaretur, atque ita ſuppoſitari à pluribus non eſſet dependere & non dependere, eò quòd natura ſuppoſitata haberet dependentiam ſolummodo à primo ſuppoſitante, à ſecundo autem nullam, quia nimirum uniretur ei per ſimplicem unionem. Quod confirmari & urgeri non parum poteſt exemplo formæ accidentalis quæ etiam ſecundum nos in pluribus ſubjectis recipi poteſt, & tamen tum non verificaretur de ea illa contradictio dependendi & non dependendi, alioquin receptio illa eſſet impoſſibilis. Cur ergo non ſimiliter diceretur quòd poſſet natura aliqua perſonari duplici perſonalitate, ſine eo quod dependeret & non dependeret, quemadmodù accidens inhæreret pluribus ſubjectis ſine ſimili contradictione, videtur enim ita ſe habere inhærentia ad accidens ſicut perſeitas ſeu ſubſiſtentia ad ſubſtantiam. Hæc reſponſio aliquo modo ſiſtit curſum argumenti, habet enim aliquid apparentiæ ſaltèm. Pro ſolutione ergo ſciendum eſſe aliqua quæ non poſſunt fieri aut accipi ſine dependétia ejus, quod accipit ab eo, quod ea dat. Tale eſt educi de ſubjecto, componi ſive eſſentialiter ſive integraliter adjuvari, & ſimilia. Hæc enim non poſſunt præſtari niſi ſupplendo aliquam egeſtatem in eo quod accipit, adeòque ubi non eſt egeſtas, aut ubi eſt ſed ſuppleta aliunde ibi hæc non poſſ... eſt ex ſua tingere, nam ubi aliquod compo... ...oponi ex alia; & materia non poteſt durans...

 ſi-

& ſimilia; ex quibus eſt ſuppoſitari. Etenim ſuppoſitari, ut ſuprà expoſui, eſt quoddam ſtatui ſeu ſiſti, ſive efficere, ne quidpiam cadat; atque ita eſt auferre periculum cadendi ſeu ruendi, & ſubvenire impotentiæ ejus ad ſtandum; at verò impoſſibile eſt auferri impotentiam aut periculum, niſi ubi eſt, ergo impoſſibile eſt perſonari ſine dependentia.

5. Ad inſtantiam illam de inhærentia reſpondeo non poſſe accidens duobus ſubjectis inhærere, cujus cauſa jam aſſignata eſt, quia inhærere eſt quoddam inniti ſeu inſiſtere alteri, & ſupponit propenſionem ejus ad ruinam ſeu caſum; at vero, quod ſemel ſuſtentatur & innititur fundamento ſolidó non amplius inclinatur ad ruinam, adeòque nec ſuſtentatur, atque ita nec inhæret.

Dices, quidquid ſit de his, poteſt afficere duo ſubjecta, ergo eadem natura duo ſuppoſita. Nego conſequentiam, cauſa autem eſt, quia ſuppoſitari in ſubſtantia non reſpondet cuicumque unioni in accidente, ſed inhærentiæ, inhærentia autem non contingit niſi ubi eſt dependentia, adeòque nec ſuppoſitari in ſubſtantia; at vero ubi natura ſuppoſitata eſt, jam non eſt amplius dependentia, adeoque nec locus ſuppoſitationi aut ſuſtentationi.

Probo idipſum ſecundò argumento Theologiæ vulgato quidem, ſed tamen valenti. Nam ſi una natura poteſt ſuppoſitari duobus ſuppoſitis, non habemus, unde colligamus in Chriſto non eſſe de facto duo; PP. enim, Concilia & poſt ipſa alii Doctores Eccleſiæ intulerunt in Chriſto non eſſe perſonam creatam, quia viderunt in eo eſſe divinam. At verò ſi ſententia adverſariorum vera ſit, illa conſequentia mala eſt, unde debemus vel reprobare doctrinam hanc Recentium, vel repræhendere diſcurſum & conſequentiam antiquorum PP. Eccleſiæ; quia verò hoc ultimum non eſt audendum utique recedendum eſt à Recentibus quos licentius concedemus errare.

Reſpondent pro ſe Recentes PP. Conciliorum intuliſſe abſentiam propriæ ſubſiſtentiæ in natura humana Chriſti ex præſentia divinæ, quia non poterat utraque naturaliter adeſſe, ſicut collegerunt PP. Tridentini ſub ſpeciebus ſingulis manere totum Chriſtum, v.g. ſub ſpecie panis corpus & ſanguinem (licèt vi verborum ſub ſpecie panis non ſit niſi corpus) vi conjunctionis, quæ naturaliter inter hæc reſultavit poſt reſurrectionem, licèt ſupernaturaliter potuerit illa connexio impediri. Antequā ad hanc inſtantiam deſcendam, circa ipſam ſolutionem quæro ex Adverſariis ſi potuerunt abſolutè iſta duo ſuppoſita compati ſe in eadem natura, unde illis conſtat, quòd non ſe compatiantur? Reſpondebunt quia hoc debuit fieri per miraculum. At inſto ego, & quæro, unde colligant non eſſe factum miraculum. Puto enim ego hanc conſequentiam eſſe malam: hoc eſt miraculum ergò non eſt factum in Incarnatione: quot enim miracula ibi egit & quaſi prodegit Deus? In noſtra autem ſententia facillima eſt reſponſio & optima collectio, cui non poteſt ſubeſſe periculum. Dicam enim me colligere quod in ipſo non ſit perſona creata cum divina, quia non potuit eſſe; quæ conſequentia eſt omnibus numeris abſoluta, cum ſit à negatione potentiæ ad negationem actus.

Jam autem inſtantia illa Euchariſtiæ non ſufficit Adverſariis; nego enim illis potuiſſe poſt reſurrectionem Chriſti poni corpus ejus ſeparatum ab anima aut ſanguinem à corpore; vel è converſo, quia nimirum, quum hæc ſint prædicata abſoluta, ſi inſint corpori in uno loco connaturaliter exiſtenti, ſequuntur ipſum, quocunque & ita quotieſcumque & ubicumque replicatur corpus ibi debeant hæc omnia cum ipſo poni, ut ſubtiliſſimè tradit Doctor 4. *diſt.* 10. *q.* 2. *num.* 11. aliàs verificaretur contradictio, quod idem ineſſet & non ineſſet eidem, nec enim ſalvatur illa per diverſa loca, cujus accuratiſſimam rationem habet Subtilis citatus. Scotus.

6. Sed demus nihil horum nocere Adverſariis: & attendamus ipſam eorum doctrinam in propriis terminis. Dicunt poſitâ perſonalitate divini Verbi in humanitate Chriſti Domini rectè colligi, quod deſiverit ibi eſſe creata perſonalitas, quia non potuit ſine miraculo manere. Et ego dico, quod non potuerit etiam ſine miraculo deſinere; utique enim miraculum eſt videre naturam creatam ſine propria ſuppoſitalitate, ergo jam oportet ipſos quoque colligere quod manſerit de facto perſonalitas creata ſi nullum velint hic miraculum. Reſpondent illi non eſſe miraculum quod natura illa careat propriâ ſubſiſtentiâ ſuppoſito quod habeat ſubſiſtentiam Verbi. Sed ego oſtendo id eſſe falſum, quia ſuppoſitum verbi non infuit illi naturæ priuſquam infuiſſet ſubſiſtentia propria ſed in eodem illo inſtanti quo ineſſet ſubſiſtentia propria de facto inſerta eſt ſubſiſtentia Verbi, quia nimirum prius ei non potuit ineſſe quum prius non fuerit perſonabilis alioquin ſubſiſtentia propria, prius ei deberet ineſſe (quod eſt contra hypotheſin) utique enim in primo inſtanti quo naturæ ſunt perſonabiles habent ſuas ſubſiſtentias. Quo diſcurſu præmiſſo ſic confirmo intentum & quæro cur in illo inſtanti non reſultavit ſubſiſtentia propria? Certè naturaliter id contingere non potuit, naturaliter enim debuit reſultare, ſupernaturaliter ergo factum id eſt. Atqui id non eſt factum per ipſam ſubſiſtentiam Verbi aut per ſubſtitutionem ejus, nam illa non fuit antecedenter, atque adeo non potuit fuiſſe impedimentum reſultantiæ ejus pro illo inſtanti. Non enim magis potuit ſive debuit ſubſiſtentia Verbi impedire reſultantiam ſubſiſtentiæ humanæ quam è contra ſubſiſtentia humana reſultantiam ſubſiſtentiæ Verbi. Dices voluiſſe Deum & ex duobus illa Verbi locum haberet. Hoc expectabam, jam enim habemus miraculum aliud præter ipſam ſubſiſtentiam Verbi, ſunt enim duo; unum quod creata natura habeat increatam ſubſiſtentiam; alterum quod concurrente ipſâ cum ſubſiſtentia creata, hæc creata loco ceſſerit, atque ita quocumque vadunt Recentes. Semper occurrunt alicui miraculo, ex quo habetur certò quod non rectè intelligant abeſſe ſubſiſtentiam creatam ne fiat miraculum, nam etiam in eo *quod* adſit fit miraculum, ſicut in eo quod abeſſet. Fateor tamen hoc argumentum directè pugnat contra duas ſubſiſtentias quarum una ſit propria altera aliena. Prius tamen argumentum eſt abſolutum contra omnem omnino pluralitatem ſubſiſtentiarum ſed eſt quod contra ipſum

7. Objiciam, ut probem non eſſe veram aut univerſalem illam metaphyſicam, quòd ſuppoſitari ſit dependere, adeòque non poſſe quidpiam bis ſuppoſitari ne dependeat à duobus. Hoc enim falſum eſſe patet in divinis ubi eſſentia deſcen-

ſcendit ad tres perſonas, & in ſingulis ſuppoſitatur, nec tamen ab ulla dependet. Hoc argumentum ſuprà tetigi, & infrà luculentiùs ſolvam. Pro nunc dico non eſſe trahendam conſequentiam ex divinis ad creata, maximè ex Trinitate divina, quum certum ſit ibi plura credi & revera eſſe quæ non poſſunt à creaturis intelligi, nedum haberi aut æquari per ſimilia. Itaque dico hæc eſſe ex miraculis ineffabilibus quæ ibi credimus ut ſubſiſtentia poſſit contingere ſine dependentia ſubſiſtentis à ſuppoſito; & conſequenter. Ad formam argumenti dicendum eſt quòd ſuppoſitari in creatis ſit dependere, in divinis non. Rationem hujus vix dare poſſum, ſaltèm pro nunc non libet, paritatem aliquam ſeu ſimile quod reddat ſolutionem credibilem, dabo nam ex conceptu producti eſt dependere à producente; quid certius? & tamen in divinis productio tam activa quàm paſſiva eſt, dependentia non eſt, adeòque.

8. Probo etiam adhuc abſolutè intentum: nam apud omnes etiam Adverſarios convenit, quòd, quamvis natura aliqua perſonata poſſit ab alia perſona aſſumi & perſonari, tamen ipſa perſonalitas non poſſit perſonari, ex quo ſic argumentor. Si natura perſonata poſſet aſſumi: hoc ut dixi, negant Adverſarii, ergo & illud negare debent. Probo ſequelam, quia aſſumptâ naturâ perſonatâ aſſumitur perſonalitas aut ſaltèm aſſumitur aliquid æquivalens ei, & æquè repugnans aſſumi, quia effectus formalis perſonalitatis jam communicatus eſt naturæ, ergo communicata eſt ei omnis repugnantia ad aſſumi, hîc enim eſt effectus formalis ejus, ipſi enim formaliter repugnat aſſumi; idem autem vel æquivalens eſt forma aliqua, & effectus ejus formalis. Declaratur vis argumenti inſtantiis: Ponamus corpus aliquod in hoc loco, & cum ubi Romano; ſi hoc corpus retinens ubi Romanum moveretur in Hyberniam, certè etiam ubi Romanum moveretur in Hyberniam, ergo etiam, ſi natura perſonata perſonaretur, ipſa ſimul perſonalitas perſonaretur. Quod argumentum directiùs applicari poteſt diſcurſui facto in hunc modum. Quia Ubi eſt immobile reddit etiam corpus ipſum habens ſeu ubicaticum per ipſum immobile, ergo etiam quia perſonalitas eſt inaſſumptibilis reddit naturam perſonatam inaſſumptibilem.

Dicet aliquis non eſſe abſolutàm implicantiam, quòd corpus Romæ manens moveatur in Hyberniam. Audio & admitto, quia nimirum replicari poteſt, ſi autem non replicetur illud corpus, nec Adverſarii quidem contendent ipſum moveri poſſe. Stemus ergo in caſu naturæ non replicatæ, qui ſine dubio eſt caſus hîc diſputari ſolitus, debent admittere Adverſarii, quòd non poſſit iterum ſeu ſecundò aſſumi.

9. Sit etiam tertia probatio ex ſuppoſitione alterius ſententiæ, quam oſtendam infrà probabilem, poſſe ſcilicet naturam aliquam divinâ virtute conſervari ſine omni omnino perſonalitate, præſtante Deo in genere cauſæ efficientis, quod præſtaret perſonalitas in genere formalis. Ex quo formo argumentum: Natura perſonata non poteſt à Deo id accipere, quod acciperet natura non perſonata, quando ſic conſervaretur efficienter, ergo neque natura perſonata poteſt perſonari. Conſequentia patet quia planè videtur eadem ratio utriuſque, cur enim acciperet ſecundam perſonationem uno modo magis, quàm alio? alioquin dicam naturam humanam poſſe perſonari aliâ humanâ perſonalitate, non aliâ angelicâ; & addam alia omnia pro libitu meo, quorum nullam deinde rationem aſſignabo. Antecedens ergo probandum eſt, quod ſic præſto: Omnis efficientia neceſſariò debet habere terminum aliquem per eam productum (iſta enim ſibi correlativè & perpetuò correſpondent efficiens & effectus) illa Dei efficientia nullum haberet terminum, ergo. Minorem probo, quia, quod eſt producendum per efficientiam Dei in tali caſu jam eſt productum, ſed productum non poteſt produci niſi interim deſinat & amittat eſſe, ergo. Dices non poſſe produci in eodem genere, contra impertinens eſt modus productionis modo idem ſit terminus, difficultas enim hujus eſt ex eo quòd productum reproducatur, hoc autem contingeret quocumque modo reproduceretur, nam etiam ſi in eodem genere productionis reproduceretur ſemper eſſet aliqua diverſitas inter unam & alteram productionem licèt non ſpecifica cum in aliquo prædicato forent primò diverſæ, ſicut quælibet individua ſunt.

Confirmatur totum per repugnantiam hujus à priori, quia quælibet productio & generatio eſt motus inter terminos, qui ſunt eſſe & non eſſe: Atqui in eo caſu non haberet actio illa Dei, hos terminos, ergo non haberi poſſet ipſa ſive motus ille productionis. Minor probatur, quia non eſſet *non eſſe* illius termini, quum foret ipſum eſſe ejus præſtitum per perſonalitatem.

Quæ omnes rationes ſtabiliuntur hâc quartâ procedente in qualibet ex diverſis ſententiis de conſtitutivo perſonæ, tam illâ, quæ ipſam conſtituit in negativo, quàm ea quæ ipſam vult eſſe poſitivum, nam prior quum conſtituat ipſum in negatione communicabilitatis, evidens eſt quòd exſtimet naturam perſonatam eſſe incommunicabilem, alioquin perſonata non eſſet perſonata, aut incommunicabilis eſſet communicabilis. Oſtendo etiam ſecundam ſententiam idipſum debere dicere: nam etiam in ſecunda ponente perſonalitatem in poſitivo, in hac inquam effectus formalis perſonalitatis eſt reddere naturam ultimò completam ac terminatam, & ipſamet eſt ultimum complementum ejus: at verò quod completum eſt non poteſt compleri, nec terminatum poteſt terminari; quod exemplo credibiliùs evadet: Sunt undecim unciæ, nondum eſt libra completa, quia deeſt una uncia, addatur iſta, jam completa eſt. Dico hanc libram non poſſe ampliùs compleri per aliam unciam, nam ſi quæ ſuperveneret, excedet libram non complebit, ideo utique quia ante ſe non invenit incompletam illam, ac proinde ille non pertinebit ad illam libram, ſed incipiet aliam. Idem eſt in complemento continui; ſit enim veſtis quæ ut æquet hominem debet eſſe tres palmos longa, habeat duas cum dimidio complenda eſt per ſemipalmum, dico ſi accedat ſecundus ſemipalmus non complendam veſtem per ipſum ſed magis effundendam, & reddi ineptam ac improportionatam homini hujuſmodi ſicut prius, etſi alio modo; atque ita univerſaliter complementum ſupponit incompletionem. His autem hominibus perſonalitas eſt complementum, ergo tenere debent naturam non poſſe admittere ſecundam quæcunque ſit.

Quòd verò fruſtra aliqui diſtinguant de perſonalitate propria & aliena, quaſi plus repugnent propria & aliena, quàm duæ alienæ, oſtendo facilè: incompatibilitas enim propriæ perſonæ cum aliena non oritur ex proprietate, ſed ex perſonalitate, hoc eſt: Propria eſt incompatibilis alienæ, non quia propria eſt, ſed quia perſona, ratio autem perſonæ invenitur in aliena, ut patet, ergo. Probandum eſt aſſumptum illud, quod facio facilè inſtantiis, nam licèt elementa habeant proprium locum & mixta non item, ſaltèm non omnia, tamen tam eſt miraculoſum quòd elementum ſit in duobus locis, ac quod mixtum & è contra, licèt in eo caſu elementum haberet propriũ locum & alium, nõ quemcumq; ſed etiam violentum? Homo nullum actum proprium habet quo velit aut intelligat ſed omnia ſunt accidentia ei, nec ipſe affixus eſt uni volitioni magis quàm alteri: Deus autem non ſic, ſed habet unam æternam volitionem ſubſtantialem & identificatam ſibi quo omnia vult; & tamen tam impoſſibile eſt Deum velle & nolle idem quàm creaturam, & è contra; & ſic de aliis ſexcentis, adeòque jam eſſe proprium vel non eſſe, impertinens eſt ad oppoſitionem aut compatibilitatem rei cum alia quando ſemel exceditur ſphæra activitatis aut patibilitatis ejus.

Ludit ergo Cajetanus, quum ait propriam perſonalitatem eſſe adæquatam naturæ tam intrinſecè quàm extrinſecè, & in re petit principium quod etiam judicarunt ante me alii; eſſe enim adæquatum naturæ extenſivè, eſt non poſſe compati ſecum aliud externum ſuppoſitum; at hoc eſt de quo quæritur, & quod proinde non aſſumere ſed probare debuit Cajetanus. Scilicet hæc ſunt fundamenta quibus defendunt iſti corpus non poſſe eſſe in duobus locis circumſcriptivè, poſſe autem in uno circumſcriptivè & in alio definitivè, nec tamen ſufficiunt; nam ſi ubi connaturale circumſcriptivum eſt adæquatum corpori intenſivè & extenſivè, certè excludet extrinſecum definitivum æquè ac circumſcriptivum.

Præterea natura divina utique eſt adæquata tam intenſivè quàm extenſivè, perſonalitati divinæ puta paternitati aut filiationi, hoc tamen non obſtante perſonalitas aliqua divina præter naturam divinam terminat etiam creatam, ita ſimul habet propriam & alienam naturam. Cur ergo non dicemus idem vice verſâ, quòd licèt perſonalitas propria equet naturam tam intenſivè, quàm extenſivè, adhuc compatiatur ſecum in eadem natura aliam perſonalitatem?

10 Reſtat probandum, quòd non poſſint duæ propriæ perſonalitates afficere ſimul eandem naturam (ut volunt Adverſarii) ne quidem ſupernaturaliter, cujus rationem ſic reddo Concedunt ipſi Adv. id non poſſe fieri naturaliter, ex hoc autem infero ego, quòd non ſupernaturaliter: quia nimirum quum Deus miraculosè produceret in natura ſecundam illam perſonalitatem, illa ſecunda perſonalitas non eſſet naturalis ſed ſupernaturalis, ergo quantumcumque multiplicaret miracula Deus nunquam efficeret ut eſſent ibi duæ propriæ, nam propria utique eſt naturalis illa autem per miraculum facta non eſſet naturalis, ſed ſupernaturalis. Itaque hæc imaginatio Adverſariorum deſtruit ſe ipſam, vellent enim perſonalitatem naturalem fieri per miraculum; & concedunt (quòd eſt certiſſimum) ſecundùm illam non poſſe haberi niſi per miraculum; at verò quod non poteſt haberi niſi per miraculum clarum eſt quòd non ſit naturale, quid enim eſt ſupernaturale ſi miracula ſint naturalia? Videntur ergo mihi hi homines ſimiles iis qui admovent lumen ut clariùs videant umbram, ita enim hi vellent haberi miraculum, ut per ipſum habeatur perſonalitas naturalis, quum tamen naturalitas rei pereat eo ipſo quo infertur ſupernaturalitas miraculi

Argumenta naturalia adverſariorum (ſ) ſoluta:

(ſ) S. Th. 3 p. q. 3. art. 6. Card. Caje. ibid. Capr. q. 2. art. 1 Con cluſ. 2. Henric. quodl. 6. q. 7. Marſil. 4 q. 2. art. 3. Almain. q. 1. art. P. Hurt. diſp. 11 me ſect. 8. R. Anag diſp. 4. ſe 3. Fr. Ovie contr. 6. punćto 5.

11. Objicies primò: Incommunicabilitas ad alienum ſuppoſitum non eſt primarius effectus ſuppoſiti, ergo eſt ſeparabilis à natura ſuppoſitata. Conſequentia probatur, quia effectus ſecundarii formarum & univerſaliter omnes alii à primo ſunt ſeparabiles ab ipſis abſque contradictione, atque ità non implicat manente ſuppoſito haberi communicationem, quod eſt intentum, nam nihil eſt negandum divinitus fieri poſſe, niſi quod implicat contradictionem, ergo. Poteſt ratio brevius ſic formari: Effectus ſecundarius formæ eſt ab ipſa ſeparabilis ſaltèm de abſoluta potentia, incommunicabilitas ad alienum ſuppoſitum eſt ſecundarius tantùm effectus perſonæ, ergo eſt ab ipſa ſeparabilis. In qua forma probatur major exemplis, nam quia expellere frigus eſt effectus ſecundarius caloris, ideo ſupernaturaliter poteſt fieri, rut frigus ſit in aliquo ſubjecto, & non expellat inde calorem. Idem eſt de impenetratione corporis per quantitatem, poteſt enim ſeparari à quantitate, licèt formaliter ab ea proveniat, quia non eſt primarius effectus ejus, & ſic de aliis. Minor jam probatur, quia primarius & proprius effectus formæ poſitivæ non poteſt eſſe negativus, perſonalitas eſt forma poſitiva ſecundùm nos, ergo primarius effectus ejus non poteſt eſſe negativus, ſed eſſe incommunicabile eſt quid negativum, ergo non poteſt eſſe primarius effectus perſonalitatis, atque adeò à primo ad ultimum eſt ſeparabile. Reſpondeo primò hoc argumentum non habere locum in ſententia eorum, qui ponunt perſonam conſiſtere formaliter in negatione, nam in hac via incommunicabilitas ſeu inaſſumptibilitas non eſt ſecundarius, ſed primarius & proprius effectus formalis perſonæ. Reſpondeo ſecundò nec in altera ſententia currere, in ea ſcilicet, quæ ponit eam in poſitivo: Ad quod ſciendum, quod quando aliqua forma habet duos effectus, unum poſitivum & alterum privativum, licèt privativus ſit ſecundarius, tamen ſi poſitivus habeat neceſſariam connexionem cum poſitivo priori non poterit ſeparari privativus à forma niſi poſſit etiam ſeparari privativus. Tale quid eſt in propoſitivo, nam quia poſitivus effectus perſonalitatis eſt complere naturam & impoſſibile ſit compleri completam ut vidimus, inſeparabilis & incompatibilitas à perſona; ex quo patet ad vim & formam argumenti; quod etiam manifeſtè ſolvitur aliâ inſtantiâ quæ eſt major omni exceptione: eſt autem de individuo, quod quidem in poſitivo conſiſtit ut viſum eſt ſuo loco, habet tamen ſequentem ſe negationem, ſcilicet negationem diviſibilitatis, & tamen hæc nega-

negatio, licèt quid ſecundarium ſit in individuo, non poteſt ſeparari ab ipſo, ergo. Similiter

12. Objiciunt illi poſthæc alia, & in primis corpus quantitativum, quod, quamvis naturaliter ſit uni loco adæquatum, tamen ſupernaturaliter poteſt occupare duo. Et idem eſt de ipſo loco, qui ſimiliter quoad capacitatem naturalem determinatus eſt ad unum corpus, & tamen ſupernaturaliter poteſt capere duo imò duodecim atque etiam infinita, ſive non tot, quin plura, ergo ſimiliter philoſophari poſſumus, ut dicamus quòd una natura quamvis ex ſe determinata ſit ad unum ſuppoſitum, tamen ſupernaturaliter poſſit affici duobus. Idem eſt de materia reſpectu plurium formarum atque etiam de forma in ordine ad diverſas materias ac denique de accidente quod in uno ſubjecto multiplicari in eadem ſpecie non poteſt, ut nec idem numero in pluribus ſubjectis inveniri, & tamen utrumque divinitus contingere poteſt cur non ergo hoc. Reſpondeo, quamvis aliqua ex his dubia ſint transeundo tamen antecedens & negando conſequentiam. Ad inſtantias, in primis illam de loco oſtendam poſt hanc, quomomodo ibi non proveniat idem effectus à duabus cauſis, quia impletio formalis non eſt una, ſed duæ, impletio autem effectiva, aut quaſi effectiva; quâ divaricantur Latera loci, una quidem eſt, ſed ab uno corpore, ſcilicet primo, atque ita hic non eſt aliquid idem à duobus adæquatè cauſatum, ſed quia non poteſt negari, quin tam hic quam in aliis caſibus aliquid contingat extra ordinem communem naturæ, nego conſequentiam ab omnibus illis tractam & dico naturam in ordine ad ſuppoſita non ſe habere ſicut illa, ſed ſicut ſe habent res oppoſitæ claſſis, illæ ſcilicet quorum ſphæra naturalis non poteſt ſupernaturaliter excedi, & eſſe ſimile compoſito eſſentiali, quod non poteſt ex duabus materiis & totidem formis componi: Item aſſimilari iis formis, quarum effectus etiam ſecundarii non poſſunt ab ipſis ſeparari, ut eſt individuum, cujus negatio tam naturaliter, quàm ſupernaturaliter eſt inſeparabilis: Et licet hoc quodammodo videatur gratis dictum, tamen incumbit Adverſariis oppoſitum convincere, quod difficulter facient. Quidquid ſit, apparet conſequentiam non valere, quare enim trahetur ad perſonam conſequentia ex his inſtantiis magis quàm ex iis in quibus contrarium contingit?

Objectiones theologicæ.

13. Objiciunt ergo inſtantiam divinam & directam ſacroſanctæ Trinitatis, in qua natura divina tribus ſubſiſtentiis afficitur, & ſubſiſtit in Patre, & filio ac Spiritu ſancto, ergo. Hæc videtur eſſe practica demonſtratio contra concluſionem, eſt enim conſequentia ab actu ad poſſe, & quamvis ſit inſtantia ſupernaturalis prorſus, tamen convincit hic non eſſe repugnantiam aut contradictionem nam ſi quæ eſſet, certè nec in Deo hoc contingeret quantumvis ſupernaturaliter, quia ad contradictiones verificandas & conciliandas nulla potentia & nulla miracula ſufficiunt. Dixi ad hoc jam ſupra non eſſe trahendam conſequentiam ex myſterio Trinitatis ad creaturas: & addo non ſufficere quòd fides de exiſtentia hujusmodi prædicamentorum pugnantium in divinis oſtendat non eſſe abſolutam repugnantiam in his terminis, ſi conjungatur, nam ſi quodlibet non repugnans concedamus creaturis, nihil magnum relictum eſt creatori Itaque ſunt quædam Deo connaturalia, quæ nec ab ipſo quidem communicari poſſunt creaturæ, adeòque poterit dari contradictio in unione aliquorum prædicamentorum in creatis quæ non contingit in divinis.

Sed nolo hîc tantùm ſiſtere, quin ſolvam argumentum aliter etiam nullo privilegio pro nunc divinis conceſſo. In forma ergo nego inſtantiam aut antecedens, hoc eſt nego aliquid unum in divinis affici tribus ſubſiſtentiis, non enim natura divina, ut imaginantur arguentes, quia nimirum natura non redditur ſubſiſtens ſubſiſtentiis illis relativis, ſed perſona, volo dicere quòd paternitas quæ eſt ſubſiſtentia relativa non facit propriè eſſentiam divinam ſubſiſtere, ſed Patrem At verò certum eſt quod Pater non ſubſiſtat aliis duabus ſubſiſtentiis, ergo jam nihil unum in divinis ſubſiſtit tribus ſubſiſtentibus quod aſſumpſerunt Adverſantes, & ſuppoſuerunt tanquam certiſſimum Locus non eſt huic negotio proprius, ſed quoniam oportuit miſceri hæc ſacra prophanis, breviter oſtendo ſoliditatem ſolutionis meæ. Nã fatendum eſt relationes divinas non conferre effectus ſuos ſubjecto ſed conſtituto: Si ergo relationes ſint perſonalitates & ſubſiſtentiæ (ut certiſſimè ſunt) in divinis, jam fatendum erit quòd ſubſiſtentiæ illæ non reddant ſubſiſtens ſubjectũ quod ante ſe invenerunt, ſcilicet eſſentiam, ſed potiùs conſtitutum quod poſt ſe relinquunt ſcilicet perſonam, v. g. in præſenti Patrem. Aſſumptum hujus diſcurſûs patet, nã niſi ita eſſet eſſentia eſſet generans atque etiam generata quorum primum eſt contra fidem, ſecundum contra philoſophiam, atque etiam contra primum. Charitas conſequentiæ patet quia in divinis eſt generatio ſicut etiam ſpiratio tam activa quàm paſſiva, ſi ergo denominant eſſentiam non verò perſonas jam eſſentia erit generans & ſpirans, atque etiam generata & ſpirata, quorum quodque reprobatum eſt definitione Conc. Lateran. & in quo doctrina Ioachimi Abbatis damnata eſt.

14. Et quidem ſic reputo rem eſſe: Habeo tamen, quod opponam, & eſt hoc ipſo non obſtante adhuc haberi in divinis aliquod idem pluribus ſubſiſtentiis ſubſiſtens, nam licèt per jam dicta ſalvetur quòd eſſentia non ſubſiſtat pluribus ſubſiſtentiis Pater tamen ſubſiſtit; habet enim in primis ſuam paternitatem ſine dubio, & habet præterea ſubſiſtentiam abſolutam, quæ omnibus tribus communis eſt. Reſpondeo primò hoc argumetnum non currere niſi contra eos qui admittunt ſubſiſtentiam abſolutam in divinis qua in claſſe ſunt ſoli Subtiles, at verò non poſſe naturam aliquam duplici perſonalitate affici, tenent alii ultra Scotiſtas. Reſpondeo ſecundò ſubſiſtentiam abſolutam non eſſe perſonalitatem, adeòque quòd illa cum perſonalitate competat alicui, non facit duplicem perſonalitatem ei competere. In concluſione autem intellexi duplicem perſonalitatem ſive duplicem actum ex genere eorum qui ſunt ultimi, talis autem non eſt ſubſiſtentia ulla ad ſe in divinis aut relativa in creatis.

15. Adhuc tamen reſtat difficultas, quomodo non

Digitized by Google

non cauſetur idem à pluribus, nam conſiſtentia Patris (ut ſic dicam) in ſe habetur, & ab abſoluta ſubſiſtentia & à relativa. Video difficultatem, ſed non video locum ei ſolvendæ, pertinet enim aut ad primam partem, aut ad ſecundum librum phyſicorum ubi hæc res de omnibus cauſis examinatur, an ſcilicet quidpiam à duobus fieri poſſet, intellige à ſingulis adæquatè.

Videtur etiam poſſe adhuc inſtari per ſpirationem activam, quæ eſt relativa, & eſt notio ſeu quid perſonale in divinis, & tamen competit ſimul cum perſonalitate aliqua eidem in divinis, nam in Patre manet cum paternitate, & in filio cum filiatione, quarum ſingulæ ſunt perſonalitates. Et ſi dicatur illa non eſſe perſonalitas, aſſignanda eſt ſic reſpondenti ratio cur generatio activa ſit perſonalitas, ſpiratio activa non? Reſpondendum tamen eſt eo modo, ſcilicet ſpirationem activam non eſſe perſonalitatem, & aſſignanda ratio hujus iſta, quia ſcilicet ſpiratio activa eſt communicabilis, imò & communicata cùm competat Patri & Filio reſpectu Spiritus Sancti qui à Patre filióque procedit. Sed inſto, & dico bonâ veniâ cujusque, hîc quodammodo peti principium, dicitur enim ſpiratio activa non eſſe perſonalitas, quia eſt communicabilis; atqui in controverſia eſt an aliquid communicabile poſſit eſſe perſonale? ſive (converſim) an perſonale poſſit eſſe communicabile? ſi enim poſſit aliquis bis perſonari non repugnabit perſonam communicari: ut quamvis in dante fuerit perſonatum tamen etiam ab incipiente poſſit iterum perſonari, atque ita licèt eſſentia cum ſpiratione activa fecerit perſonam, poteſt tamen totum hoc filio dari, & cum ipſo iterum facere perſonam, dummodo iterum perſonetur. Nihilominus dicendum ſolutionem datam eſſe ſolidam, quia licèt aliquod perſonatum poſſit communicari, non tamen perſonalitas ipſa, quod aliud eſt à priori, licèt in replica confundatur & reputetur pro eodem. Dico ergo aliquid perſonatum poſſe fortaſſis communicari, aſſumi, & perſonari, non tamen perſonalitatem, quia ergo non ſolùm datur à Patre filio eſſentia quæ in ipſo Patre perſonata eſt, ſed etiam ſpiratio activa, ideo judicandum eſt quòd ſpiratio illa non ſit perſonatio, aut perſonalitas.

16. Sed inſtas, licèt filius accipiat naturam & ſpirationem activam, non tamen perſonat ſpirationem activam, ſed facit perſonam cum natura, filius enim eſt totum reſultans ex eſſentia & filiatione, ergo nondum habetur, quòd ſpiratio non ſit perſonalitas. Reſpondeo haberi, & hoc eſſe ſolutum in prioris replicæ ſolutione, non enim ſolùm repugnat perſonalitatem perſonari, ſed repugnat eam communicari, at verò ſpiratio activa licèt non perſonetur, tamen communicatur. Quamvis etiam fatear mihi non conſtare, utrum perſonalitas filii non faciat cum ſpiratione activa, ſicut facit cum ipſa natura divina perſonam, ſed relictis his quæ pœnè aliena ſunt.

17. Objicio adhuc ipſe, & probo poſſibile eſſe idem bis perſonari, idque medio naturali in hunc modum. Perſonalitas eſt terminus naturæ, idque eſt officium aut effectus ejus terminare ſcilicet naturam; Tum ſic: ſed non eſt repugnantia, quòd idem bis terminetur, ergo nec eſt quòd idem bis perſonetur. Major eſt noſtrûm omnium quotquot ponimus perſonalitatem eſſe formam poſitivam: Minor probatur, quia ſi quidpiam ponatur in pluribus locis non repugnabit ipſum bis terminari, poterit enim in uno loco eſſe rotundum, in altero quadratum, ſi enim in uno loco poteſt habere diverſum ſitum, v. g homo hic Romæ manens poteſt ſedere; & ſi replicetur in Hybernia ibi poterit ſtare, quidni habeat diverſam figuram, quia variatio ſitûs eſt quædam variatio figuræ, & corpus Domini in cœlo eſt erectum ac habens partem rectam ut collum, aliam inflexam ut palatum, cùm tamen in Euchariſtia nec rectitudinem, nec inflexionem aut curvitatem habeat, ergo. Reſpondeo: Hoc argumentum continet duas difficultates; una eſt, an res in diverſis locis poſſit habere diverſam figuram? altera eſt de perſonalitate, ſive de paritate ejus ad figuram, & quidem ad primam puto oppoſitum eſſe verius, ſcilicet non poſſe idem in diverſis locis induere diverſam figuram (hoc autem poſito ruit omnis vis argumenti, negandum eſt enim antecedens) quia nimirum figura eſt quid abſolutum independens à loco, quod inde patet, quia eadem figura tranſit cum re ad diverſa loca. Atque hoc hîc ſufficit dixiſſe, latius enim examen hujus aliò ſpectat. Jam ad alterum de paritate perſonalitatis nego conſequentiam; cauſa, quia perſonalitas non eſt terminus tantùm ſicut imaginamur locum terminare rem intra ſe ipſum continendo, ſed eſt complementum & quaſi pars rei, cùm ergo implicet completum compleri ut ſuprà implicabit, per quæ ſit de his ſatis & ſequatur

ACTIO VI.

Vtrum poſsit natura aliqua ſine omni ſuppoſito conſervari.

Breviarium.

N. 1. *Oſtenditur difficultas locum non habere in ſententia ponente perſonalitatem conſiſtere in negativo ſolo.*

2. *Poſſe, naturam aliquam conſervari à parte rei abſque omni omnino perſonalitate. Probatur primo.*

3. *Probatur ſecundo & tertio idipſum. Caſum hunc ferè contingere in accidentibus Euchariſtiæ.*

4. *Objectio ſolvitur. An, & quando cauſalitas cauſæ formalis ſit ſupplebilis à Deo?*

5. *Inſtatur pro objectione; ſolvitur etiam inſtantia: an ſit ſupplebilis.*

6. *Altera objectio expeditur, quid producatur actione qua conſervaretur natura ſine omni ſuppoſito?*

7. *Tertia objectio, ſoluta; An ſupplementum unius perſonalitatis ſuppleret alteram, nec ne?*

8. *Argumentum cujuſdam Recentis contra concluſionem*

fi‑nem, Deceptio circa τὸ terminus rei.
9. *Vltima objectio & reſponſio, num ſubſtantia poſſit inhærere?*

1. Onſequens eſt hæc ad materiam actionis præcedentis, & tangit ipſam vel maximè ratione ultimi argumenti facti de termino: propter hoc enim quidam Recentior negavit poſſe naturam aliquam ſervari à parte rei ſine aliqua ſuppoſitalitate, ſua vel aliena. Hoc autem ille tenet ſuppoſito etiam, quòd ſuppoſitalitas ſit forma poſitiva quod ideo dico quoniam in ſententia ponente ipſam in negatione evidens eſt partem negativam eſſe tenendam, atque ita D. N. 3. *d. & q* 1. deducit reſpondentem ad hoc tanquam ad inconveniens & impoſſibile, ſcilicet quòd natura intellectualis poſſet eſſe hæc & exiſtens non perſonata. Et verò evidens videtur non poſſe aliud teneri poſito quod perſonalitas conſiſtat in privativo. Quia aut natura aliqua habet alienam ſubſiſtentiam aut non habet (inter hæc enim non eſt medium cum ſint extrema contradictionis) ſed quidquid horum ſit, natura ſemper erit perſonata, ergo impoſſibile eſt naturam non eſſe perſonatam, Major ut dixi eſt evidens Minor probatur, nam ſi habet alienam ſubſiſtentiam jam eſt perſonata ſcilicet alienâ perſonalitate: ſi non habet, eſt etiam perſonata, & quidem melius, ſcilicet propriâ perſonalitate quia nimirum hæc conſiſtit in carentia alienæ, atque ita contradictio eſt quod non habeat propriam vel alienam perſonalitatem. Ex quo redditur veriſſimum quod ſemper debeat aliquam habere, atque ita non poterit per ullum conſervari ſine omni perſonalitate. Nihilominus

2. Dicendum exiſtimo poſſe naturam aliquam à parte rei produci & conſervari abſque omni omnino perſonalitate. Hæc eſt communis meorum, qui tenent perſonalitatem in poſitivo conſiſtere præter paucos, & ſiquidem diximus opinionem de perſonalitate poſitiva eſſe etiam Scotiſticam, patet hanc etiam concluſionem in ipſius doctrina conſtare non ſolùm in *libro tertio citato & in quodlibet.* ubi indicat conſtitutivum perſonæ eſſe poſitivum, ſed & *in d.* 1. *ſecundi, quæſtione primâ*, ut patebit in rationibus concluſionis, atque ita hanc partem plerique Scotiſtæ tenent dum docent Angelos non poſſe naturaliter attingere unionem hypoſtaticam verbi etiam factam ac præſentem, quia licèt non viderent illam habentem perſonalitatem propriam, non proinde tamen judicare poſſent ibi eſſe alienam, quia poſſet dubitare, an non Deus conſervaret illam humanitatem ſine ulla omnino perſonalitate Ita huic dubio reſpondent Vulp *tomo* 1. 2. *p diſp. undecima articulo ultimo*, ac noviſſimè Poncius *in Curſu theol. d.* 7. *quæſt* 3. ſed res magis patebit ex rationibus. Sit ergo

Cajet. 3. *p.* *q.* 4. *art.* 2. Lugo *de Incarn. d.* 12. *ſect.* 7. Valent. *tomo* 4. *d.* 1. *q.* 1. Hurt. *diſp.* 11. *ſect.* 1. Arriaga *diſp.* 4. *ſ.* 1. Oviedo *controv.* 6. *Met* Ang. Vulp. Joann. Ponc.

Prima, quia non eſt incommodum, quòd cauſalitas unius cauſæ poſſit transferri ad aliam, ut idem utrobique præſtetur, licèt aliter, ergo non eſt negandum, quin Deus poſſit id præſtare naturæ in genere cauſæ efficientis quod præſtaret perſonalitas ipſa in genere cauſæ formalis; hoc autem ſi fiat, jam natura aliqua poterit ſine omni perſonalitate conſervari ſupplente Deo efficienter omne illud, quod a perſonalitate haberetur. Antecedens ergo probandum eſt ſic: Non magis eſt extra genus cauſæ formalis ipſa cauſa efficiens, quam ſit cauſalitas extrinſeca, hoc eſt cauſare & monere ſeparatam; atqui non eſt impoſſibile hoc convenire formæ, ergo nec erit impoſſibile ſuppleri ejus cauſalitatem efficientem, Major probatur, quia eatenus forma opponitur efficienti, quatenus ipſa cauſa eſt intrinſeca altera hæc extrinſeca; dividitur enim cauſa ut ſic in intrinſecas ſub quibus eſt materia ac forma, & extrinſecam ſub qua ſunt efficiens & finis, adeòque oppoſitio directa efficientis & formæ eſt ratione extrinſeci & intrinſeci; cæteroqui enim ipſæ duæ cauſæ formalis & effectiva diſparatæ ſibi invicem ſunt non contrariæ, Minor ergo probatur inſtantiâ unionis hypoſtaticæ, in qua perſonalitas verbi divini perſonat humanitatem Chriſti & reddit eam formaliter ſubſiſtentem, quum tamen ſit extrinſeca ipſi, & nullatenus recipiatur in ipſa humanitate ſed duntaxat extrinſecè terminat dependentiam ejus.

3 Secunda probatio hujus eſt factum ſeu experientiæ: ita enim aliquando Deus ſupplet cauſalitatem formalem in genere effectivo, ſic de facto concurſum ſubjecti reſpectu accidentium ſupplet valentiùs conſervando accidentia ipſa in Euchariſtia. Et, licèt concurſus ſubjecti fortè non ſit formalis, ſed materialis, tamen ad propoſitum eſt perinde, jam enim transfertur unum genus cauſæ ad aliud, ſcilicet cauſæ materialis ad effectivam, quod etiam de mente Adverſarii æquè repugnat ac transferri cauſam formalem, ergo. Tertia, quia etiam in ipſis creaturis videtur tale quid naturaliter fieri, ut, quod ab una faciendum erat in genere cauſæ formalis ab alia fiat efficienter. Sic nimirum motus, qui à qualitatibus elementorum cauſatur formaliter, ab agentibus extrinſecis cauſatur efficienter, v. g. motus deorſùm formaliter cauſatur à gravitate terræ, & tamen poteſt quisque noſtrum non ſolùm movere ſurſum aliqua ſed etiam ipſa gravia deorſum, quo caſu cauſàmus effectivè quod qualitas illa cauſaret formaliter, ergo. Negaret aliquis fortaſſe nos poſſe movere elementa ad loca eorum connaturalia, v. g. terram deorſum, eò quod præveniamur ab ipſa gravitate quæ cum ſit cauſa naturalis, ſemper agit & trahit elementum ad ſuum centrum niſi patiatur vim ab extrinſeco; non patitur autem vim quando juvatur, v. g. terra quando deprimitur, ignis dum elevatur. Audio, ſed illi negare non poſſunt, quin nos etiam præveniamus qualitates naturales, ut quum projicimus impetu grave deorſum, quo caſu citius movetur à virtute impetus quàm à ſua, ut alia omittam, nam ad intentum hujus concluſionis ſufficeret adferre motum violentum; motus enim violentus gravis ſurſum eſt ejuſdem ſpeciei quoad ſubſtantiam ſuam cum motu ignis ſurſum, qui naturalis eſt (quamvis aliter & aliter conveniat ſubjectis) adeòque quod præſtat igni ſua levitas formaliter poteſt alteri præſtare efficientia extrinſeci agentis quantum ad ſubſtantiam ſeu eſſentiam termini, ut dixi.

Digitized by Google

4. Objicio tamen univerſaliter contra hanc doctrinam de ſupplemento cauſæ formalis per efficientem, videtur enim abſolutè falſa, nam non poteſt Deus reddere album ſine albedine, quantumcumque efficiat, niſi ipſâ albedine efficiat, neque doctum ſine ſapientia ſeu doctrina, pulchrum ſine pulchritudine. Si autem poſſet ſupplere effectus formales rerum, ſine ipſis poſſet hæc facere, ergo ſi non poteſt hæc præſtare, ut communiter tenetur non poſſe, ſignum eſt quòd non poſſit ſupplere cauſalitatem formarum, ſi autem nullius formæ cauſalitatem ſupplere poteſt, quomodo poteſt perſonalitatis? & confirmatur, quia ſummum ſupplementum quod fieri poteſt in forma eſt ſupplere effectum ejus ſecundarium, at verò auferendo perſonalitatem à natura deberet omnem omnino effectum ejus ſupplere, neque enim poteſt perſonalitas ipſa quidquam præſtare, niſi ubi eſt, & multò minùs poteſt effectum principalem. Reſpondeo ſine dubio hoc non eſſe univerſaliter accipiendùm, ut planè demonſtrant inſtantiæ poſitæ, & aliæ ſimiles. Itaque tunc tantùm poteſt forma aut materia ſuppleri efficienter, quum eorum cauſalitas tendit ad alterius conſervationem quod ab ipſis dependet, nam conſervatio videtur magis propriè ad efficientem pertinere. Sic ergo perſonalitas propria humanitatis Chriſti ſuppletur alio modo, ſcilicet extrinſecè à divina perſonalitate; ſic concurſus ſubjecti ad accidentia Euchariſtiæ ſuppletur à Deo efficienter, quia ſubjectum tum influit quodammodo eſſe in ipſa accidentia. Quando autem effectus formæ non conſiſtit in conſervare ulla alterius (quæ conſervatio ut dixi, magis propriè ſpectat ad genus efficientis) ſed in affectione aliqua ejus jam præſuppoſiti, ut contingit in inſtantiis adductis, tum non teneo formam ſuppleri poſſe.

5. Sed contra hoc ipſum eſt, quod ſi verum eſt, tum poterit Deus ſupplere cauſalitatem formæ aut materiæ reſpectu compoſiti, nam illa eſt ad conſervandum, imò ad conſtituendum aliquid. Reſpondeo tamen, quòd non, quia compoſitum non eſt aliud à materia & forma. Dices ſaltèm eſſe aliud à qualibet ipſarum, licèt non ſit aliud ſeu diverſum ab utraque. Reſpondeo nec à ſingulis illis eſſe diverſum, niſi inadæquatè; ſicut enim compoſitum adæquatè eſt ambæ partes unitæ, ita inadæquatè eſt quælibet ex illis. Sed ut eamus extra hæc

Reſpondeo aliter, & dico tunc formam ſuppleri poſſe, quando effectus ejus tendit ad efficientiam; id contingit in propoſito, quia ſuppoſitalitas eſt principium agendi, ut tritum eſt illo axiomate. Actiones ſunt ſuppoſitorum. Habet hæc ſolutio aliquid affinitatis cum præcedenti, quæ dixit tum ſuppleri poſſe formam, quando effectus ejus ſtat in conſervatione aliqua ſubjecti. Quod ita verum exiſtimo, ut magis mirer, quòd conſervatio illa aut conducentia ad eſſe ſubjecti fiat ab illa forma, quàm quòd fiat ab efficienti; quia, ut dixi, hæc poſitio rerum in eſſe magis ſpirat efficientiam quàm informationem.

6. Objicio tamen ſecundò: Si Deus ſuppleat effectum formalem efficienter, utique debet aliquid efficere. Non poteſt autem explicari, quid efficiat, niſi ipſam perſonalitatem, ſic autem non ſupplet effectum perſonalitatis ſine ipſa, ſed cum ipſa aut per ipſam, imò nec omnino ſupplet, ergo. Minor probatur, nam id, quod produceret in natura ſic ſtante, aut ſufficit conſervare ipſam aut non: ſi primum, id eſt perſonalitas, intelligimus enim per perſonalitatem formam aliquam quæ recepta in natura ſingulari det ipſi ſtare extra cauſas; hoc præſtaret illa, ergo eſſet perſonalitas: ſi ſecundum, adhuc deberet Deus aliquid producere, aut negandum eſt quòd poſſit ſupplere perſonam efficienter ut vides. De illo autem ulteriori quæram, an ſufficiat ad conſervandam naturam nec ne? & cætera ut ſuprà, ergo. Reſpondeo: Difficultas communis eſt accidentibus ſeparatis, quæri enim poteſt, quid producat Deus quum ſuſtentat ea ſine ſubjecto? Ad quod reſpondendum eſt cum Doctore 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. effici quidem aliquid, id enim convincit ratio facta (impoſſibile ſiquidem eſt intelligere efficientiam ſine omni effectu) ſed illud aliquid non eſſe quid ſuperadditum accidentibus ut imaginatur arguens: & applicando doctrinam ad propoſitum dico effici ſeu attingi effectivè aliquid in natura ſuſtentata ſine perſonalitate, at non aliud quàm ipſam naturam, in quam ſicut influebat perſonalitas nihil cauſando, ita poteſt Deus influere agendo, non aliud quàm ipſam.

Dices: Ante hanc novam efficientiam natura fuit, ergo non poteſt eſſe terminus novæ efficientiæ; vel dicatur ſic: Efficientia nova debet habere terminum novum, natura non eſt terminus novus, nam præexiſtit illi efficientiæ, ergo non eſt terminus illius efficientiæ. Reſpondeo ad utramque formam diſtinguendo conſequens unius & antecedens alterius, natura non poteſt eſſe terminus novæ efficientiæ; item efficientia nova debet habere terminum novum, ſi cætera ſtent, ut præfuerunt concedo; ſi non, nego. Si ergo perſeveraret concurſus perſonalitatis ad naturam, & in alio illo caſu concurſus ſubjecti ad accidentia, tum ſi ſuperveniret nova efficientia deberet utique habere terminum; at verò ſi deſinat ſubjectum cauſare accidentia, & perſonalitas influere in naturam, non eſt mirum quòd ſupervenire poſſit efficientia nova quæ non cauſet quidpiam præter præexiſtentia, quia nimirum cauſat id, quod cauſandum erat per ſubjectum & per formam perſonalitatis hinc inde: ſicut ergo ſi hæc perſeveraſſent non daretur aliquod novum, ſed ſola antiqua natura ſive ſubſtantiæ ſive accidentis ſeparati, ita non eſt mirum quòd ſuperveniens loco horum efficientia non habeat terminum novum ſed duntaxat præexiſtentem. Sed

7. Objicio adhuc tertiò ex alio capite; & pono Deum conſervare naturam Petri ſine ejus perſonalitate, atque iterum velle conſervare naturam Pauli ſimiliter, & quæro, utrum ille concurſus, quo conſervat naturam Petri ſeparatam, poſſit conſervare naturam Pauli ſimiliter? & dico neutrum dici poſſe, non enim primum, nam ſi ſic, ille non ſuppleret ſufficienter perſonalitatem Petri, quia nulla perſonalitas ſufficeret Petro niſi iſta, adeòq; nullum ſupplementum alterius ei ſufficeret, quod explicatiùs dicetur ſic: Perſonalitas ipſa Pauli non ſufficeret ad perſonā-

dum

Digitized by Google

dum Petrum, ergo neque ſupplementum perſonalitatis Pauli ſufficeret ad ſupplendam illam Petri; & confirmatur in hunc modum, nam ſi perſonalitas Pauli non ſufficit Petro, & ſufficeret ſupplementum perſonalitatis Pauli, tunc ſupplementum hoc non ſuppleret, quod deeſt, id autem eſt contra hypotheſin; ſequelam probo, quia perſonalitas illa Petri ſola ſufficeret Petro, ſupplementum autem illius non ſolùm ſufficeret, quia ſufficeret etiam ſupplementum perſonalitatis Pauli, ergo jam non omnia prædicata quæ fuerunt in perſonalitate inveniuntur in ſupplemento ex quo ſequitur, quod ſupplementum non ſupplet. Secundum autem ſuprà poſitum multò minùs dici poſſet, ut facilè patet cuique experientia ſimilis. Nam ſi ſint duo globi æquè graves certum eſt, quòd eodem labore, quo ego ſuſtineo unum ne cadat, poſſim etiam alterum ſuſtinere ergo ſimiliter. Reſpondeo non requiri in ſupplemento omnia omnino quæ fierent in eo quod ſupplendum eſt, alioquin non eſſet ſupplementum alterius, ſed ipſum alterum. Itaque illa peculiaritas ſeu proprietas, quâ perſonalitas Petri erat affixa ei, non eſt opus ut recurrat in ſupplemento, adeòque in forma argumenti neganda eſt minor, & accipiendum primum membrum, cujus improbationes jam ſolutæ ſunt. Do inſtantiam doctrinæ clariſſimam; Verbum divinum ſive perſonalitas ejus ſupplet locum perſonalitatis creatæ in Chriſto, quis neget? & tamen non habet omnia prædicata reſpectu humanitatis quæ haberet propria perſonalitas, nam in primis propria eſſet propria, illa Verbi non eſt propria ei, ſed communis cum natura divina; Propria eſſet connaturalis, hæc non, ſed ſupernaturalis. Audiamus jam Recentem illum quomodo perſuaſerit ſibi inſupplebilem eſſe perſonalitatem.

8. Objicit ergo ſic: Subſiſtentia eſt terminus intrinſecus naturæ, ſed terminus intrinſecus eſt inſeparabilis ab eo, cujus eſt, ſeu quod per ipſam terminatur, nihil enim finitum poteſt interminatum manere, ut patet in linea, quæ non poteſt ſine termino manere, ſed poſtquam dividitur, & punctus continuans partes auſertur, reſultant proprii termini in partibus diviſis. Confirmat optimo exemplo (ut ipſe loquitur) de quantitate & figura, non enim intelligi poteſt magnitudo exiſtens in rerum natura & nulla figura terminata, ſicut nec etiam intelligi poteſt linea, quæ non ſit aut recta, aut curva, aut ſuperficies niſi ſit rotunda vel angularis. Reſpondeo nec naturam eſſe aut intelligi poſſe ſine termino ut apud ipſum hîc ſonat, id eſt ſine aliquo ultra quod non extenditur, hoc enim neceſſariò exigitur à finitate, aliàs enim ſtatim fieret infinita. In eo ergo ſenſu terminus naturæ eſſet ipſa ſingularitas, quia ultra ipſam non extenderetur ſicut ſi demeretur ipſa ſingularitas terminus naturæ eſſet differentia ſpecifica; unde ſine cauſa reſpondet ad hoc quidam, quòd in eo caſu terminus naturæ eſſet unio, non enim ſumus in caſu, quo natura uniretur extrinſeco ſuppoſito, ſed in caſu, quo relinqueretur ſine omni termino, & ſuſtentaretur ita per externam efficientiam Dei. In re autem ſubſiſtentia non dicitur terminus naturæ in hoc ſenſu, ſed dicitur terminus, id eſt complementum ratione cujus in ſe ipſa ſiſtit nec opus habet ullam dependentiam ejus ab alio terminari. Ex hoc vides optimum illud exemplum de quantitate non eſſe nimis ad propoſitum; ad ipſum & ſimilia omnia nego conſequentiam defectu paritatis, non enim ſic figura terminat quantitatem ſicut ſubſiſtentia naturam, quod jam oſtenſum eſt, adeòque.

9. Objicit tamen ulterius: Si ſubſtantia poſſet eſſe ſine ſubſiſtentia, poſſet etiam eſſe cum inhæſione; hoc eſt falſum, ergo antecedens unde ſequitur. Sequela enim probatur exemplo accidentis, quod, quia poteſt eſſe ſine inhæſione, poteſt habere modum ſubſtantialem perſeitatis, ut patet in accidentibus ſacroſanctæ Euchariſtiæ, quæ quando abſolvuntur ab inhæſione afficiuntur perſeitate. Nego huic conſequentiam, neque ipſe probat eam ex Euchariſtia, ſed aſſumit falſum, quòd ſcilicet modus ſubſtantialis perſeitatis competat accidentibus illis; id enim non ſolùm non eſt ita factum, ſed nec eſt poſſibile, alioquin modus ille ſubſtantialis non eſſet ſubſtantialis, quia nimirum differentia cujuslibet rei eſt inſeparabilis ab ipſo, & reciprocatur cum eo, nec poteſt alteri convenire, & multò minùs poteſt competere ſpeciei oppoſitæ ei ex diametro, qualis eſt accidens reſpectu ſubſtantiæ, quum condividat ens cum ipſo; Unde reſultat ſtatim contra ipſum Recentem hæc ratio, quòd accidens fiat ſubſtantia, non enim ſubſtantia eſt aliud quàm gradus entis affectus perſeitate. Cùm ergo in accidente inveniatur gradus entis, ſi habeat etiam perſeitatem, jam factum eſt ſubſtantia. Ex quo etiam ſequitur, quòd differentiæ condividentes cohabitent, & ſpecies contrapoſitæ ſe compatiantur, quia nimirum accidentia Euchariſtiæ adhuc ſunt accidentia. Video aliquid hujus evadi poſſe dicendo, quòd perſeitas illa non identificaretur gradui entis in accidente, adeòque non faceret cum eo ſubſtantiam: ſed ſanè aliquid complexum debet facere, & materia facit eſſentiale compoſitum cum forma, licèt ei non identificetur, ita dico, quamvis de facto componentia metaphyſica invicem identificentur, tamen oſtendendum eſt, quòd ſi contingat illa diſtingui realiter dummodo conjungantur non component aliquod totum, id autem difficulter faciet Adverſarius, qui utcumque elabatur ex hoc, includetur aliis inconvenientibus quæ ſuprà intuli, ergo.

ACTIO VII.

Vtrum ſubſiſtentia ſit quid ſimplex? ſeu, an dentur ſubſiſtentiæ partiales?

Breviarium.

N. 1. *Doctrina Scoti hic quæ?*
2. *Concluſio affirmativa ſubſiſtentiarum partialium in partibus tam eſſentialibus quàm integralibus, probatur.*
3. *Alia probatio eiusdem. Vbi de conſervatione partis phyſica eſſentialis extra totum.*
4. *Argumentum theologicum pro concluſione. Rationabile eſt ponere uniones Verbi immediatas ad animam & corpus Chriſti.*
5. *Tertia probatio, oſtendit aſſerentes diſtinctionem totius à partibus non poſſe negare ſubſiſtentias partiales.*
6. *Objectiones aliquot contra concluſionem, ſoluta. An ſubſiſtentia dividi poſſit?*
7. *Dubium, num pars in toto aſſumi poſſit hypoſtatice?*
8. *Dubium, an ſubſiſtentia totius phyſici fieri poſſit unica & indiviſibilis?*
9. *Tertium dubium, num unio in compoſito phyſico habeat ſuam ſubſiſtentiam?*
10. *Quartum; an ſubſiſtentia ſit principium operationum?*
11. *Quomodo verum eſt, quod actiones ſint ſuppoſitorum?*
12. *Explicatur, utrum ſuppoſitalitas ſit virtus agendi, an tantùm conditio?*

1. QUæſtio eſt quidem realis, ſed poteſt eſſe de nomine: ita enim aliquis concedit ſubſiſtentiæ partes, ſed negat ſubſiſtentias partiales, quia nimirum non vult illa, ex quibus componitur ſubſiſtentia totius vocari ſubſiſtentias, & licèt controverſia ſit recens, & pœnè nata cum modernis, tamen habet hinc inde authores & opinionum diverſitatem. Aliquis (*a*) vult partes integrales habere ſubſiſtentias aut quaſi ſubſiſtentias partiales, negat autem eſſentiales partes habere. Alius (*b*) vult totum habere unam indiviſibilem ſubſiſtentiam: ita innominati apud Briſenum. Denique alii (*c*) communiùs volunt partes omnes habere ſubſiſtentias partiales, idque loquendo de partibus tam eſſentialibus quàm integralibus. Mens Scoti in hoc negotio non admodum liquet, cùm enim nuper lis cœperit moveri, apud ipſum non poteſt eſſe deciſa. Nihilominus conferendo aliqua ejus loca ad invicem cenſeri poteſt ab una parte ſtare, illa ſcilicet quæ concedit ſubſiſtentias partiales: Nam cùm negatio ſubſiſtentiarum partialium ſit conſequens ad poſitionem perſonalitatis in negativo, ideo ſicut Scotiſticè affirmatur ipſa conſtitutio perſonæ per poſitivum, ita ſimiliter compoſitio ſubſiſtentiæ totius ex ſubſiſtentiis partialibus. Quod autem Scotus huc propenderit, conſtat ex verbis ejus *quodlib.* 9. ubi quærit, utrum Angelus poſſit informare materiam? *Pars* (inquit) *dicitur eſſe per ſe per accidens, hoc eſt per ſe participative, totum autem primo*, ubi idiſum tribuit toti & parti, ſed aliter, atque ita pars habebit ſubſiſtentiam, ſed partialem. Videri poteſt Ildephonſus Briſenus in *append. membro* 3. unde

G. Vaſq. *infrà.*

(*a*) Cajet. 3. *p. q.* 6. *art.* 6.

(*b*) Vaſq. 1. *p. diſp.* 125. Suar. *diſp.* 3. *q.* 15. Albertin.

(*c*) Oviedo & Ferrar. 1. *cont. gen. c.* 68.

2. Dico reſolutivè veriùs eſſe, quòd partes tam eſſentiales quàm integrales habeant ſubſiſtentias ſuas partiales, ex quibus componitur illa totius, quæ proinde non eſt ſimplex aut indiviſibilis.

Probo in primis de partibus eſſentialibus ad hominem: Partes integrales habent ſubſiſtentiam propriam, ergo eſſentiales; quæ conſequentia valet ex duplici capite; primò, quia communicabilitas, quæ eſt in parte eſſentiali ſcilicet unibilitas ejus ad aliud invenitur etiam in parte integrali; Prætereа etiam, quia minus aperta eſt ratio partis in integrali quàm in eſſentiali, quum integralis ſecundùm ſe ſit etiam totum. Deinde plures partes integrales faciunt unam eſſentialem (nec enim materia, verbi gratiâ eſt aliud quàm plures partes ipſam integrantes) ergo ſubſiſtentiæ integrales facient unam eſſentialem.

3. Arguo etiam ſecundò ex ſupradictis ſic: Poteſt per Deum pars eſſentialis conſervari ſeparata ſicut poteſt tota ipſa materia ſervari ſine omni ſuppoſitalitate, fiat ergo ita, & ponatur anima bruti, verbi gratiâ ſeparata, quæro an in eo caſu Deus efficaciùs agat conſervando eam, quam agebat conſervando eam cùm eſſet in materia? non poteſt dici quin efficaciùs agat, alioquin naturaliter illa ſic exiſteret ſeparata, quod eſt falſum, ſi autem efficaciùs agit jam quam priùs, ſequitur quod aliquid confert animæ, ſcilicet aliquam cauſam aut quaſi cauſam, ſeu aliquid à quo dependebat, hoc non eſt aliud, quàm ſubſiſtere partialiter ſed extrinſecè; quod totum planum eſt, & ex eo infero propoſitum ſic. In eo caſu haberet anima illa ſubſiſtentiam partialem extrinſecam & effectivam, ergo in toto haberet partialem intrinſecam, conſequentiam probo, quia efficientia illa agentis extrinſeci ſupplet quod à natura haberet.

Dices efficientiam illam ſupplere ſubſiſtentiam totius: ſed hoc malè dictum eſt, quia non debet Deus in eo caſu tam valenter concurrere ad conſervandam illam partem, verbi gratiâ animam equi, quam concurreret ſi vellet conſervare totum ipſum æquum abſque omni ſubſiſtentia. Arqui ſi vellet conſervare totum æquum ſine ſuppoſito, non deberet ſupplere niſi ſuppoſitalitatem totalem, adeòque conſervando partem ſupplet tantùm ſuppoſitalitatem partialem, atque ita hæc competit eis.

Reſponderi poteſt ſuppleri eo concurſu Dei ſubſiſtentiam totius, quatenus per ipſam ſubſiſtebat pars; ſed hoc eſt concedere quodammodo intentum, nam aut illa ſubſiſtentia ſubſiſtebat totum duntaxat, aut etiam illa ſubſiſtentia redun-

redundabat in partes; ſi primum, non opportebat ipſum à Deo ſuppleri: Secundum autem, qui dicit concedit parti ſubſiſtentiam partialem, quid enim refert quòd pars à ſe habeat partialem ſubſiſtentiam, aut quòd eam habeat à toto, aut denique quod habeat totalem ſubſiſtentiam partialiter ſibi communicatam; omnia enim iſta ſunt quidem verbis diverſa, re autem idipſum, adeoque.

4. Probatur etiam argumento theologico, quia Verbum Dei ſupplevit in humanitate Chriſti ſubſiſtentiam creatam; ſed Verbum immediatè unitum eſt partibus (loquor enim de eſſentialibus) & partes ſubſiſtebant ſingulæ immediatè ipſâ ſubſiſtentiâ Verbi, ergo ſimiliter ſubſiſtentia propria quando permittitur afficere naturam, ita afficit eam, ut reddat partes immediatè, eſſi partialiter ſubſiſtentes. Conſequentia hæc valde credibilis eſt in hac materia, quia nimirum dari ſubſiſtentias in rebus non novimus niſi ex myſterio Incarnationis Verbi, adeoque debemus judicare quòd ſic ſe habeant ſubſiſtentiæ quomodo comperimus ſe habere Verbum ratione naturæ quam perſonat. Probo itaque minorem, quia in morte Chriſti, quando partes eſſentiales, ſcilicet anima & corpus ejus ſeparatæ ſunt, Verbum à neutro ſeparatum eſt, ſed remanſit utrique unitum: ex quo infero, ergo etiam quum eſſent illæ conjunctæ ſubſiſtebant ſingulæ ipsâ ſubſiſtentia Verbi immediatè, probatio conſequentiæ hujus, quia ſi jam ſeparatæ ſubſiſtunt immediatè ſubſiſtent à Verbi & conjunctæ non ſubſiſtebant niſi mediatè mediante ſcilicet toto, ſequitur quod unio hypoſtatica Incarnationis diſſoluta eſt in morte Chriſti, quia illa immediatè facta eſt ad totum, certum eſt autem quod diſſoluta ſit unio verbi ad totum in morte Chriſti, quia & ipſum totum hîc diſſolutum eſt, nec manſit à parte rei ſed periit, quidquid contra ſenſerit Magiſter, ergo & unio verbi ad ipſum deſivit, nec enim manere potuit unio niſi maneret unitum. Abſurditas hujus conſequentis non eſt ſola illa quam præviderunt Scotiſtæ aliqui, quod ſcilicet verbum admitteret aliquando quod aſſumpſit, cujus contrarium ſcripſit *Damas* ut communiter intelligitur (*d*) ſed eſt alia iſta, quod ſcilicet ita admittendæ eſſent duæ Incarnationes, ſive aſſumptiones hypoſtaticæ plurium creaturarum ſpecie & numero diverſarum, & quidem ſucceſſivæ, utique enim diſtinguitur totum phyſicum eſſentialiter à partibus ſaltem ſeparatis: Prætereà etiam non parum movere debet notabilis inconſtantia, & tam faciles mutationes quas ponit ſententia Adverſarii in hoc myſterio, omnes autem vitantur per præſentem concluſionem tenendo ſubſiſtentias partiales. Si enim creditur illis, tum dicendum erit quod in primis aſſumpta eſt tota humanitas, tum dimiſſa illa, & aſſumptæ partes in morte: Deinde in reſurrectione ex adverſo dimiſſæ partes, & aſſumptum immediatè totum; quæ ſanè mutationes improbabilem reddunt ſaltem moraliter loquendo illam philoſophicam ex qua ſequuntur, quidquid ſit an metaphyſicè & ſine hæreſi defendi poſſit, ſi enim dicitur Chriſtus Dominus ab inſtante primo conceptionis habuiſſe plenitudinem ſcientiæ, nec unquam deinde aut in ipſa, aut in gratia profeciſſe, &, quod majus eſt, ab eodem inſtanti habuiſſe viſionem beatam, nec admittuntur mutationes quæ de lege ordinaria debebant in eo ſervari, quanto minùs admittendæ ſunt mutationes, quæ nullâ neceſſitate induuntur? Unde libet convenire Adverſarios hoc diſcurſu: Quando diſponenda ſunt principia philoſophica, ſanè philoſopho Chriſtiano cæteris paribus componenda ſunt eo modo quo minor mutatio & quæcumque alia ſpecies imperfectionis ejuſmodi, ac (ut loquitur ſcriptura) viciſſitudinis obumbratio in Deo aut Chriſto ſequitur. At verò ponendo ſubſiſtentias partiales auferuntur & præveniuntur plurimæ mutationes à Chriſto, quæ incurruntur negando eas, ergo. Et quidem reputo hoc argumentum validum, ſed non puto eſſe ſingulare ſive proprium Chriſto, quinimo currit de aliis ſimiliter. Nam niſi dentur ſubſiſtentiæ partiales, quando moritur homo corpus & anima ejus mutat ſubſiſtentias, & iterum mutant ſive aſſumunt priores, quando reuniuntur, quem rationem poſſumus ad formam metaphyſicam reducere, & ad principium illud, non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate hoc modo: Ponendo ſubſiſtentias partiales vitatur multiplicatio entium, negando eas incurritur, ergo ponendæ ſunt non verò negandæ. Antecedens patet ex diſcurſu facto, quia ponendo partiales ſubſiſtentias ſufficerent eædem ſubſiſtentiæ toti integro & diſſoluto, partibus unitis ac ſeparatis; at vero negando eas opportebit aſſignare aliam ſubſiſtentiam toti integro ac ſoluto, partibus unitis ac ſeparatis, toties quoties; ponendo ſubſiſtentias partiales ſufficient illæ etſi centies corrumpi ac reſtaurari debeat totum, v.g. ſi homo reſurgeret poſt mortem & moreretur poſt reſurrectionem alternis vicibus in infinitum, ſemper enim ſufficerent ei eædem ſubſiſtentiæ partium, ergo. Perdit quidem argumentum aliquid ſuæ virtutis in ſententia Thomiſtica ponente poſt mortem hominis de parte fieri totum ſcilicet de corpore cadaver, tum enim non retinebit utraque pars ſubſtantiam partialem quia non corpus ſed potius adquirit totalem. At imprimis manet vis argumenti quoad animam quæ non poteſt reddi totum aliquod in morte hominis. Deinde ex parte corporis non aufertur ſed mutatur tantum abſurditas, imò fortè augetur, nam ſi abſurdum ſit multiplicare ſubſiſtentiam partialem & mutare toties, quanto magis ſubſiſtentiam totalem? Denique nil magis improbabile quam illud cadaver Thomiſtarum.

5. Probo etiam tertiò, & utor hoc eodem medio partium hominis, quas dico neceſſariò debere habere partiales ſubſiſtentias, quia una ſola non ſufficeret, nam una illa vel ſpiritualis eſſet vel corporalis; ſi ſpiritualis, non afficeret corpus, ſi corporalis non afficeret ſpiritum, adeòque ſingulis partibus ſuæ ſubſiſtentiæ proportionales aſſignandæ ſunt. Video argumentum hoc ſupponere indiſtinctionem totius à partibus, ſi enim diſtinguatur totum à partibus poterit ſubſiſtentia illa unica afficere totum quod ſine dubio erit vel ſpirituale vel corporale, adeoque ſubſiſtentia poterit determinatè eſſe alterum horum, ſed hujus ſubſiſtentiæ refutatio erit improbatio ejuſmodi doctrinæ de diſtinctione totius quam aliò reſervo. Saltem non tenent eam Recentes quotquot negant ſubſiſtentias partiales, adeoque non poſſunt ſic reſpondere. Sed neque quiſquam poteſt; quod hoc diſcurſu oſtendo: Etſi totum diſtin-

(d) *lib. 3. Orthod. fidei, cap. 27*

diſtinguatur à partibus, diſtinguitur tanquam effectus à cauſa: atqui hoc poſito non poſſunt partes ſubſiſtere ſubſiſtentiâ totius, ergo. Major eſt doctrina iſtorum. ideo enim hæc diſtinguunt quia partes ſunt cauſæ, totum autem effectus: minorem probo ego ſic, quia potiùs totum deberet accipere ſubſiſtentiam à partibus quam è contra, quum credibilius ſit quod cauſa det ſubſiſtere effectui, quàm è contra effectus cauſæ. Partes ſunt cauſæ totius ſecundum iſtos, ergo rationabilius eſt dicere quod ipſæ dent ſubſiſtentiam toti quam è contra: Quod confirmatur efficaciter, quia ad agendum opus eſt ſubſiſtentiâ, hinc enim dicuntur actiones eſſe ſuppoſitorum, ſed ante totum partes egerunt, ipſæ enim produxerunt tertiam illam entitatem totius, adeoque jam ante ipſam erant ſubſiſtentes, ſed non poterant ſubſiſtere ſubſiſtentiâ totius antequam eſſet ipſum totum, ergo.

Aliter improbabilius reſpondet Recens quiſquam negando, quòd ſpiritualis non poſſit afficere corpus, & è contra corporalis forma ſpiritum. Imò dicit quòd una forma poſſit afficere diverſa ſubjecta, quorum unum ſit materiale alterum ſpirituale, idque de facto ita contingere docet in actibus cognoſcitivis & appetitivis, quas credit eſſe in anima & organo, v. g. viſionem in anima & oculo. Sed hic ut liberaret ſe unâ difficultate accerſivit ſibi ſecundam: incurrit nempe duas, alteram de receptione ſpiritualis in corporali vel è contra, alteram de receptione formæ continuæ in ſubjectis diſcretis quod ſufficit dixiſſe, eo enim ipſo ruit iſta novitas, ſed

6. Objiciunt: Subſiſtentia Verbi immediatè afficit omnes partes humanitatis, ergo poſſunt etiam in aliis hominibus omnes affici unâ ſubſiſtentiâ; quæ conſequentia probatur, quia, ut ſuprà diximus, totum hoc negotium ſubſiſtentiarum non aliunde novimus, quàm ex myſterio illo Incarnationis, adeoque ſubſiſtentiæ aliorum metiendæ ſunt hoc myſterio, ut ſupra ipſi intulimus, & hoc argumentum omnes omnino premit, nam qui negant partes eſſentiales habere propriam ſubſiſtentiam concedunt hoc ſaltem de partibus integralibus, & tamen partes integrales humanitatis Chriſti habent omnes unam ſubſiſtentiam ſcilicet illam Verbi. Aliqui putant ſe captos hoc argumento unde vix quidquam audent ei negare, ſed puto totum ei negandum, hallucinantur enim in eo quod componant partes humanitatis, aut ipſam cum perſona Verbi immediatè, quod non erat faciendum, ſed cogitanda fuit interim unio hypoſtatica quæ immediatè & intrinſecè afficit partes, & in humanitate Chriſti reſpondet propriæ perſonalitati ſi adeſſet. Itaque ſicut propria perſonalitas eſſet diviſa in plures, ita unio illa non eſt una ſed plures, altera in anima, & altera in carne, per quæ non ſolum ſoluta eſt difficultas, ſed retorta.

Objiciunt ſecundò metaphyſicè: Repugnat rationi ſubſiſtentiæ diviſibilitas, ergo jam implicat dicere ſubſiſtentiam partialem; conſequentiam probo, quia, ſi dentur ſubſiſtentiæ partiales, jam ſubſiſtentia totalis erit compoſita ex ipſis. Antecedens probo quia repugnat conceptui ſubſiſtentiæ communicabilitas; at verò omne diviſibile conſtat communicabilibus, illa enim, in quæ tale quid diviſibile eſt, ſunt invicem communicabilia, quæ ſunt unibilia ergo. Nego huic antecedens, ad probationem dico communicabilitatem alteri ut ſuſtentanti repugnare ſubſiſtentiæ, non repugnare autem communicabilitatem alteri ut componenti, atque adeò implicat ſubſiſtentiam aſſumi hypoſtaticè, non implicat eam utcumque alteri uniri.

7. Quæro, utrum pars in toto manens poſſit hypoſtaticè aſſumi? Moveo iſtud dubium hic, non quia quæſtio, ſed quia ſolutio huc ſpectat. Teneo enim propter jam dicta reſpondendum eſſe negativè, idque non tam ratione partis aſſumptæ, quam ratione partis relictæ: v. g. anima componens cum corpore hominem non poteſt ab extrinſeca perſona aſſumi, eo quod materia ſeu corpus quæ fuit altera compars non retineret ſubſiſtentiam partialem, quia non haberet aliam compartem cum qua totalem componeret. At verò ſubſiſtentiæ partiales ſaltèm partium materialium non ſufficiunt reddere ſtantes aut ſubſiſtentes ſuas partes niſi conjunctæ aliis partialibus componentibus cum ipſa totalem ut patet in anima equi quæ quamvis habeat ſubſiſtentiam partialem tamen ſeparata à corpore deſinit eſſe quia illa ſubſiſtentia non ſufficit ſtatuere ſeu reddere ſtantem ipſam niſi quamdiu copulatur alteri ſubſiſtentiæ materiæ; Atque ita deſineret corpus in eo caſu, ſicut deſinit anima equi.

Dices: corpus in eo caſu componeret cum extrinſeca ſubſiſtentia, ad quam aſſumpta eſt anima, nam utraque faceret unam totalem. Reſpondeo: Componeret aliquod diſcretum, ſicut Deus & Mundus ſunt duæ res & faciunt numerum, at hoc non ſufficit ad perſeverantiam rei materialis, quia forma extrà manens & ſeparata componeret hoc modo numerum cum materia, & tamen non proinde manet; non componeret autem continuum aut quaſi continuum quid, quia non unirentur invicem, quod evidentiùs eſt ſi ponatur extrinſeca perſona aſſumens eſſe divina. Itaque ſicut non poteſt de ulla potentia cauſa partialis cauſare niſi adſit altera, ita neque pars relicta tunc ſubſiſteret ſubſiſtentiâ partiali, niſi haberetur altera conſubſiſtentia quantumcumque ſuppleatur extrinſecè; ſicut materia nunquam componet totum niſi adſit formâ in propria ſpecie, quantumcũq; nitatur agens extrinſecum ſupplere defectũ formæ. Dices: hoc facit ne pars relicta ſubſiſtere poſſit quando altera compars ſuſtentatur extrinſecè efficienter, non verò quando ſuſtentatur formaliter ab alia perſona. Reſpondeo: Facit etiam ne tunc ſuſtentari poſſit, quia non poteſt componere cum extrinſeca, eò quòd extrinſeca ſit completa atque adeò non poſſit in compoſitionem venire & omnium minimè divina.

Sed inſtas: Saltèm nihil horum obſtat, ne aſſumi poſſit ab extrinſeca parte, v. g. anima ab alia anima, quo caſu poſſent componere invicem duo illæ ſubſiſtentiæ, quia ſingulæ ſunt partiales. Reſpondeo tamen adhuc negando aſſumptum, ratio, quia cùm non poſſit pars illa alterius compoſiti ſtatuere, ut ſic dicam, ſeu reddere ſubſiſtentem hanc niſi per terminationem extrinſecam dependentiæ ejus, jam non unitur ei intrinſecè, ſi autem non unitur intrinſecè non poteſt componere. Deinde ſubſiſtentia illa partis aſſumentis ſic faceret duo tota, faceret enim duas ſubſiſtentias totales quod non poteſt una pars v. g. non poteſt una materia facere aut conſtituere duo ligna,

8. Quæ-

Digitized by Google

8. Quæro etiam, an fieri poſſit, ut unica & indiviſibilis ſit ſubſiſtentia totius phyſici, v.g. hominis? Reſpondeo: Fieri fortaſſis poſſet, ſed non ſufficeret. Ratio ſecundæ partis, quia quod ſic afficit aliquod totum indiviſibiliter afficit ipſum, hoc eſt, ita ut effectus ejus aut denominatio non habeatur in parte aliqua ſed in toto totaliter; nam lignum integrum v. gr. trabs unum quid eſt, unum corpus, unum lignum; medietas autem ejus non eſt unum hoc unitate, & multò minùs tertia pars, alioquin totum non eſſet unum ſed tria. At verò in ſuppoſito effectus formalis ejus inveniri poteſt in parte, etiam toto non concurrente, nam effectus ſuppoſitalitatis eſt reddere activum, actiones enim ſunt ſuppoſitorum, at vero poteſt pars agere in toto etſi alia pars non agat, quod clariſſimum eſt in homine, imo in omni corporali ſubſiſtente; poteſt enim una pars agere quin altera agat. Poteſt pes unus ſe localiter movere quin alius moveat.

9. Quæres, quàm verum ſit, quòd Recentes omnes docent unionem partium phyſicarum habere etiam ſuam ſubſiſtentiam? Reſpondeo hoc nihil minus eſſe quam verum. Inducti ſunt autem novi ad hoc exiſtimandum ex eo, quod crediderint unionem eſſe ſubſtantiam; eſſe autem unionem quid ſubſtantiale crediderunt propterea quod viderunt eam neceſſariò requiri ad conſtitutionem ſubſtantiæ, ſcilicet totius phyſici. Sed hæc omnia nutant, neque poſſunt quidquam ſolidi ſuſtinere; falſum eſt enim in primis unionem eſſe ſubſtantiam, quum ſit relatio & accidens; eſſe autem eam non tantum relativum, ſed ipſam abſtractè relationem, colligo quia non ſolum refertur ſed eſt ipſa referentia aliquorum, ſcilicet partium unitarum ad invicem. Scimus autem in creatis nullam relationem eſſe ſubſtantiam, ergo. Quod autem dicunt unionem debere eſſe ſubſtantiam, quia neceſſariò requiritur ad ſubſtantiæ conſtitutionem, frivolum eſt, & redit in caput authorum, nam ſic etiam ſubſtantia eſſet unio & relatio, quia ſine dubio requiritur ad unionis conſtitutionem; tam impoſſibile eſt enim unionem haberi ſine unitis & ſine toto reſultante, quam eſt haberi totum ſine unione; & univerſaliter probaret terminum eſſe de eſſentia relationum, creaturam eſſe eſſentialem creatoris, quia hæc omnia indiſpenſabiliter requiruntur ad horum conſtitutionem, ſcilicet creator ad creaturam, terminus ad relationem, *&c.*

Inſto etiam ulteriùs hoc argumento contra principale aſſertum, quòd unio habeat ſubſiſtentiam partialem; nam ſi habet, tum illa ſubſiſtentia debet uniri ſubſiſtentiis materiæ & formæ, atque adeo debet haberi alia harum unio, quæ utique habebit etiam ſuam ſubſiſtentiam, & conſequenter ſuæ ſubſiſtentiæ unionem, hæc unio ſubſiſtentiam, iſta ſubſiſtentia unionem ſine fundamento & fine. Non enim juvat dicere, quòd ſubſiſtentia unionis uniatur ſe ipsâ alteri, id enim non concedam niſi ipſi unioni, quæ quoniam habet pro effectu formali reddere unitam, ipſa ſe ipsâ unitur. At vero ſubſiſtentia unionis non habet pro effectu formali unire ſed reddere ſubſiſtens adeòque non habet ſe ipsâ uniri.

Facit etiam contra hos ratio theologica, quoniam, ſi unio materiæ & formæ habeat ſuam ſubſiſtentiam, habebit etiam eam unio hypoſtatica Verbi ad humanitatem, quod non poteſt dici, nam ſubſiſtentia unionis hypoſtaticæ vel eſſet illa verbi vel propria, quaſi unio ſubſiſteret ſe ipsâ, non ſecundum, alioquin in Chriſto eſſent duæ ſubſiſtentiæ, una increata, altera creata, nam quum unio ſit creatum quia ſi ſubſiſtentia ejus ſit ipſa, jam ſubſiſtentia ejus erit creata. Quòd autem non ſit illa verbi probo primò, quia tum verbum poſſit dici unio, quia nimirum aſſumpſit unionem. Deinde ſequitur quod verbum non ſit homo, vel rectiùs, quod homo non ſit verbum, ſive Deus, probatio conſequentiæ, quia quando aliquod ſubjectum eſt capax alicujus formæ & interponitur alteri, aut præponitur ipſi, tale ſubjectum recipit in ſe formam nec permittit eam ad alterum pervenire, etſi aliàs eſſet capax ejus. Ergo quum unio propior ſit verbo quam humanitas, ſi ſit capax ſubſiſtentiæ verbi, recipit illam & effectum ejus in ſe, nec permittit eam ad humanitatem devenire quod falſum eſt & hæreticum. Exemplum antecedentis eſt in lumine quod quia recipi poteſt in oſtio aut feneſtra, proinde impeditur ab oſtio ne transeat in aulam. Et licèt contra hoc inſtari poſſit de ſuperficie in qua etſi recipiatur proximè albedo, tamen denominat ſubſtantiam, dicitur enim non ſolùm ſuperficies albà ſed paries: Sed hoc non infringit vim argumenti, nam in eo caſu non denominatur ſubjectum remotum à forma, niſi quia denominatur prius à propinquiori ſubjecto, dicitur enim paries albus ab albedine ſubjectata in quantitate, quia nimirum dicitur etiam paries quantus à quantitate, & quia non poteſt paries dici quantitas, ideo nec dici poteſt albedo. Ergo etiam niſi homo dicatur unio non poterit dici Deus aut verbum quod falſum eſt. Video contra hanc doctrinam adferri poſſe exemplum vitri quod recipit lumen & tamen transmittit alio, in aulam ſcilicet. Sed ſit ita, evidens eſt etiam verum eſſe quod ego dixi; jam incumbit Adverſariis oſtendere quòd hæc materia aſſimiletur ipſorum inſtantiæ & non meæ, ſcilicet corporibus diaphanis non vero opacis, quod credo difficulter efficient.

10 Quæro ergo ultimò, utrùm ſubſiſtentia ſit principium operationum? Recens quidam affigit partem negativam Scotiſtis propter ipſorum negationes, quia nimirum ponunt ſubſiſtentiam in negationibus, quæ non poſſunt eſſe principia operationum. Sed in primis Scotiſtæ id tantum negant, quod hic ipſe non audet affirmare, negant ſubſiſtentiam eſſe principium phyſicum operationum. quod ſi ille neget, probo ego, quia in divinis ſubſiſtentiæ ſunt plures & tamen principium rerum omnium ad extra eſt unum. Deinde ad intra Pater communicat filio rationem principii reſpectu Spiritus Sancti, at non communicat ipſi ſubſiſtentiam ſuam, ergo jam ſubſiſtentia non eſt principium. Adhuc aliter: Pater & Filius ſunt unum principium Spiritus Sancti, ſed Pater & Filius non ſunt unum ſubſiſtens, ergo ſubſiſtentia non integra principium. Major hujus eſt definitio *Conſ. Lugdunenſis* (e) ſub *Greg X* ex quo etiam cenſeri poteſt definita major prioris ſyllogiſmi de rebus ad extrà, quia nimirum ſicut ſe habent duæ illæ perſonæ ad productionem illam ad intra, ſic omnes tres quoad productionem ad extra. Quod etiam ratione probatur quia ſi ſuppoſitalitates eſſent princi-

(e) Et refertur in 6. decretal. c. *Fidel. de ſumma Trinit.*

principia partialia actionum non poſſet eadem actio eſſe in diverſis ſuppoſitis, ſed actiones omnium trium ad extra ſunt indiviſæ, imò nec ſunt actiones, ſed actio, & quidem eadem in diverſis ſuppoſitis ergo non poteſt illa habere pro principio influente ſuppoſitalitatem. Sequelam majoris probo quia actio quæcumque eſt modus atque adeo eſſentialiter eſt determinatio ſui principii, quod ſi verum eſt, jam non poteſt eſſe in alio; ſed aliud ſuppoſitum eſt aliud principium ſecundùm te & aliud ſubjectum, ergo eadem actio non poteſt eſſe in diverſis ſuppoſitis. Iterum idipſum probatur theologicè ex myſterio Incarnationis, nam ſuppoſitum hominis Chriſti habet multas actiones ad quas ipſum, hoc eſt ipſa ſubſiſtentia non influit, quia actiones trium perſonarum ad extrà ſunt indiviſæ, hoc eſt, nihil agit una, quod alia & omnes non agant; certum eſt autem quod omnes perſonæ ſacroſanctæ Trinitatis non attingat phyſicè illas actiones, alioquin merita non eſſent unius, nec redemptio facta eſſet ab una perſona, ſed à tribus.

Tertiò ex myſterio Euchariſtiæ, in quo videmus non quidem ſubſtantiam ſine ſubſiſtentia, ſed accidentia ſine ſubjecto, quod plus eſt; plus enim egent accidentia ſuſtentatione, quàm ſubſtantia; & tamen agunt illa quantumvis ſine omni ſubjecto & ſubſiſtente, ergo ſignum eſt quod ſubſiſtentia non ſit principium phyſicè influens inter agendum. Sed non auſim promittere rem eſſe confectam hoc argumento, quia dici poteſt concurſum Dei extrinſecum ſupplere vicem ſubjecti. Imo ſi attendantur ea quæ ſuprà dixi fortaſſis argumentum erit in oppoſitū quia non poſſent agere illa accidentia ſine ſuſtentatione illa externa, hæc ſupplet vicem ſubjecti ergo ſignum eſt quod egent ſubjecto & ejus ſubſiſtentiâ. Reſpondeo ſignum eſſe quod egent eo, ſed non quod egeant eo tanquam comprincipio, ſed vel ſic vel tanquam conditione. Aliunde autem colligo utcumque ſubſiſtentiam illam quando adeſt non eſſe principium, quia aliàs actio accidentis ſeparati & conjuncti eſſent ſpecie diſtinctæ, quia nimirum à diſtinctis ſpecie principiis, ſcilicet ab accidente & ſubſiſtentia in conjunctis; ab accidente & concurſu externo in ſeparatis Valeat quantum poteſt.

11. Teneo ergo actiones eſſe ſuppoſitorum, quod axioma etſi Ariſtoteles non ita pronunciaverit: ſed eſt fide dignum, quod tota antiquitas approbavit, & hactenus in ſcholis ſub his terminis cucurrit. An autem ſit Ariſtotelis, non contendo, nec enim dignum eſt lite; puto tamen Recentes fundamento carere quum negarunt eſſe ipſius, quia cum ipſe pronunciaverit actiones eſſe ſingularium, & apud ipſum ſynonyma ſint ſingulare & ſuppoſitum, ſanè qui dixit actiones eſſe ſingularium credidit eas eſſe ſuppoſitorum.

Moveor ad id tenendum, quia (ut ſuprà innui) in hac materia de ſuppoſito & ſubſiſtentiis debemus regi per illa principia, ex quibus ſolis colligimus, an & quid ſit ſubſiſtentia: ſunt autem myſterium ſacroſanctæ Trinitatis, in qua tres perſonas credimus, & alterum Incarnationis in qua credimus unam perſonam in duabus naturis utrumque autem ſi attendatur, hoc nobis perſuadent nam actiones in divinis non poſſunt provenire à natura neque enim dici poteſt natura divina gignere aut ſpirare, quod dudum jam diffinitum eſt in Lateranenſi generaliſſimo contra Abbatem Joachim, ſed dicendum eſt, quòd Pater gignat, ſicut etiam, quod filius gignatur, non verò natura ob eandem rationē. In altero etiam myſterio dicitur & verè dicitur Verbum caro factum ſive incarnatum ac deinde paſſum, mortuum & ſepultum, quæ omnia involvunt ſuppoſitum in principio paſſionū, quia hujuſmodi paſſiones de Verbo non dicuntur, niſi quia ille homo qui hæc paſſus eſt ſubſiſtebat in Verbo, & quia ſubſiſtentia involvitur in toto illo quod dicitur agens aut patiens, ideo, imo Concil. Nyſſenū in ſymbolo fidei profitetur ſe credere in Jeſum Chriſtum ex Patre natum ante omnia ſæcula, quum tamen Jeſus non eſſet niſi poſt multa ſæcula, adeòque Concilium aſſignavit actiones & paſſiones ſuppoſito, ut etiam de natura prædicaverit ratione ſuppoſiti aliqua quæ tum contigerunt quum natura non eſſet in illo ſuppoſito. Facit etiam ad hanc rem, quod Pater & filius ſint duo ſpirantes, etſi unus ſpirator: in quo notandum eſt diſcrimen propoſitionum & terminorum; nam ad ly *ſpirator*, quod ſignificat virtutem activam ponitur unitas; ad ly autem *ſpirantes* quod importat actionem additur dualitas propter dualitatem ſuppoſitorum, atque adeò ſuppoſitum habet neſcio quam connexionem cum actione.

12. Puto nihilominus dicendum actiones eſſe ſuppoſitorum, ſive ſuppoſitalitatem requiri ad actionem, ita accipiendum eſſe, quòd actiones debeant egredi à natura completa ac terminata, non verò à natura incommunicabili, nec requiri ſubſiſtentiam relativam aut ejuſmodi, quæ alteri opponatur. Fundamentum eſt quia ſi in Deo non daretur ſubſiſtentia relativa, ſed unum ſuppoſitum abſolutum, ut imaginati ſunt Judæi & ex gentilibus Philoſophis quotquot unitatem Dei agnoverunt, tamen adhuc ille poſſet res ad extra producere non minus quam de facto producit.

Dici poſſet non ſufficere argumentum probationi, quia nimirum in eo caſu ſubſiſtentia illa abſoluta Dei eſſet incommunicabilis, ſicut de facto ſubſiſtentiæ noſtræ ſunt, & ſunt interim abſolutæ. Reſpondeo: Verum eſt, at non neceſſariò talis eſſet ad habendas actiones ſeu productiones, quod (ne petam principium, quum hoc ipſum ſit in quæſtione) oſtendo inde, quia de facto producit res omnes extra independenter à ſubſiſtentiis relativis, ſolâ abſolutâ adhibita, hujus autem ſignum ſuprà dedi, quoniam niſi ita eſſet ſed ſubſiſtentiæ relativæ eſſent comprincipium actionum ad extrà, tum non quælibet actio ad extra eſſet in omnibus tribus, imò nulla, quia nimirum omnis actio affixa eſt ſuo principio, atque adeò ſi in Patre v.g. Paternitas eſſet principium ejus, non poſſet inveniri in aliis perſonis, in quibus non invenitur paternitas.

12. Adhuc tamen ambiguum eſt, quomodo aliter concurrere poſſit ſuppoſitum ad actiones, non enim relictus eſt ei alius modus, niſi ut tanquam conditio concurrat. Hoc autem dici non poſſe videtur quia aliàs non magis requireretur, quàm approximatio, quod falſum eſſe patet inde quia non rectè dixeris actiones eſſe approximatorum, ergo nec ſuppoſitorum niſi aliter ſe habeat quàm ut conditio. Reſpondeo nihilominus ſubſiſtentiam eſſe potiùs conditionem quam cauſam, & ad objectum contra hoc de approximatione dico diſcrimen eſſe quia approximatio

eſt

Digitized by Google

eſt conditio externa & non neceſſariò ſe habens ex parte ejus, quod debet agere (quod dico pro nunc non abſolutè & in rigore, ſed ſano ſenſu) ſubſiſtentia è contra eſt conditio ſe tenens ex parte agentis.

Explico hoc: Nam ſaltèm actiones ſunt ſingularium & ſingularitas ut minimum, æqualiter requiritur ad agendum ac ſuppoſitalitas, & tamen illa non eſt principium phyſicum actionum, aliàs actiones duorum ſolo numero differentiũ, v. g. duorum ovorum aut duorum hominum non eſſent ejusdem ſpeciei, quia nimirum principia eorum non ſunt ejusdem ſpeciei, cùm conſtet ſingularitates omnes eſſe primò diverſas.

Legendi de Perſona & ſuppoſito

Damaſc. *lib. 3. de fide & in Dial c. 30.* D. Baſil. *in Epiſt. de differentia nat. & hypoſt.* Nyſſ. *in lib de diff. eſſent. & hypoſtaſ.* Severin. Boët. *lib. de duab. nat.* Aleni. *3. p. q. 4. in 6.* S. Bonav. *3. d. 5. art & q. 2.* D. Th. *1 p. q. 3. & q. 29. & quodl. 2. art. 4. & in 3. d. 5. q 5. art. 3.* Rich. à S. Vict. *lib. 4. de Trin.* Hugo Victor. *tomo 3. apol. de Verb. Incarn.* Magr. Lomb. *3 d. 5.* Dur. *1. d. 34. q. 1.* Hent. *quodl. 4. q. 4.* Aureol. *3. d. 1. q. 1.* Cajet. *3. p. q. 4. art. 2.* Herveus *quodl. 1. q 6.* Gul. Amiſiod. *3. ſent c. 1. q. 8.* Clithovæ *in Comment.* Damaſc. *citat. lib. 3. c. 9.* Faber Stapul. *in Com.* Rich. *citat.* Bannes *1. p. q. 3. art. 2. dub. 1.* Capreol. *3. q. 4. art. 2. diſp. 4.* Baſſol. Mayron. Gabriel *3. d. 1.* Ock. & Marſil. *q. 1.* Lvchet *etiam in 3. diſt. & q. 1.* Card. Sarnan. *in Direct p. 388.* Æmilius Acerb. *lib. 2. qq. Peripat. q. & aſſert. 1.* Aquarius *7. Met.* Paludan. *cum Magiſt. citat. q 3. art. 2.* Ægid. *q. 5.* Pet. de Aquila *3. & q. 1.* Hieronym. Capredon. Soncin. *in theolog.* Ariſt. *lib. 2. cap. 6.* Armand. de Bell. *lib. declarat. tract. 2.* Melchior Flavius *3. d. 5. q. 2.* Nicol. de Orbell. *ib. diſt. & q. 1.* Laurent. Valla *lib. 6. Elegant. cap. 34.* Ferrar. *4. contra Gentes cap. 43.* Pitiag. *3. d. 1. q 1. diſp 2.* Almain *in 3. d. 1. q. 2.* Joann. Rada *3 p. contr. & art. 1.* Fonſeca *5. Met. c 8 q 6.* Franciſcus Suar. *d. 34 Met.* Card. Lugo *diſp. 12. de Incarn.* Albertin. *de prædic. ſub.* Hurtado *diſp. 11. Metaph.* Oviedo *Controverſ. 6. Met.* Joann. de Neapol. *in quodlibet. q. 9.* Mol. *1. p. q. 29. art. 2. d. 3.* Medina *3. p. q 4.* Raphaël Averſ. *tomo 1. Philoſoph. q 18. à ſect. 2. deinceps.* Gab. Vaſq. *3. p. diſp. 31.* Anton. Paruſa *apud eundem* Zumel. *q. 3. art. 3.* Franc. Herrera *in primum* Martin. Meurius *lib. 3. Metaph. q. 4.* Maturin le Bret. *3. d. & q. 1.* Guliel. Worilon *ib. d. 5.* Zerbius *7. Met. q. 12.* Phil. Faber *in Com. d. 1. tertii.* Guliel. Camer. *3. parte diſp. phil. q. 6.* Roderic. Arriaga *diſp. Met.* Cavell. *in ſchol. d. 1. tert.* Alphonſus Briſen. *Contr. 1. in append.* Franc. Zuniga *tract. de Trin q. 30. diſp. 5. dub. 8.*

APOLOGIA IV.

De Accidente in communi.

ACTIO I.

Vtrum inhærentia ſit de eſſentia accidentis, nec ne?

ACTIO II.

Quomodo ſe habeat inhærentia aptitudinalis ad Accidens abſolutum, & Aptitudinalis ad reſpectivum?

ACTIO III.

Quæ ſint ſubjecta determinata Accidentium?

ACTIO IV.

Vtrum & quomodo Accidens ſpirituale recipi poſſit in ſubjecto corporali, & viciſſim Accidens corporale in ſubjecto ſpirituali?

Scotus in 4. d. 12. q. 1. n. 23.

ET ſi quæras de iſta aptitudine inhærendi vel ineptitudine quid ſit, & qualiter ſe habet ad albedinem, an ſcilicet inſit ſibi, & an per aliam inhærentiam, & ſic in infinitum? Si etiam quæras de quantitate vel etiam albedine per ſe exiſtente, an habeat oppoſitum modum eſſendi illi quem habet quando eſt in alia? Ad primum, aptitudo nihil abſolutum eſt à natura illius cujus eſt aptitudo. Quod non abſolutum patet; ſed nec aliud ut reſpectus aliquis realis actualis.

Idem Theorem. 7. n. 4.

DE Accidente arguitur finitum, & infinitum quantitati congruiſ 1. *Phyſic.* Diviſibilitas 3. *Phyſic.* Item Avicen. 2. *Metaphyſicorum cap. 1.* planè exemplificat *motus velox & tardus*, probatur. Illud eſt proprium ſubjectum, cui per ſe ineſt paſſio, & de quo per ſe demonſtratur, & non, de quo per accidens; rectum & curvum per ſe de continuo, per accidens de omni alio. Item ſuperficies albedinis in ſacramento, quia mutatio naturalis circa illas qualitates, igitur ſubjectum naturale.

ACTIO I.

Vtrum inhærentia ſit de eſſentia Accidentis, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *An fides ſacramenti Euchariſtiæ cogat nos admittere ſeparabilitatem accidentis à ſubjecto?*

2. *Poſſe intelligi & ſalvari Concilium Tridentinum ſine ſeparatione accidentis à ſubjecto.*

3. *Poſſe tamen ſeparabilitatem hanc colligi ex alio credito, ſcilicet ex creatione lucis.* Gen. 1.

4. *Concluſio affirmativa ſeparabilitatis accidentium à ſubjectis.*

5. *An agnita antiquis? Expenſus Ariſt.* 4. Phyſ. & 3. de An.

6. *Ratio concluſionis. Quid inferatur in Demonſtratione?*

7. 8. 9. 10. *Multiplicantur rationes pro concluſione.*

11. *Objectio ſoluta. An ſubſtantia poſſit inhærere?*

12. *Redintegratur eadem objectio. Adductus textus Scoti* ex 4. d. 12. q. 1.

13. *Alia objectio, expedita. Cur non detur inhærentia inhærentiæ?*

1. HÆc etiam difficultas ex fidei Chriſtianæ myſteriis orta eſt, nunquam enim veniſſet ulli in mentem de hoc dubitare, niſi crederemus in ſanctiſſimo ſacramento Euchariſtiæ manere accidentia panis & vini ſine ipſis, ſicut nec quiſquam dubitaret, an ſubſiſtentia idem eſt quòd ſingularitas niſi crederemus in Chriſto dari ſingulare creatum ſine ſubſiſtentia creata.

Neſcio tamen, an fides Euchariſtiæ ad hoc nos cogat, quia explicatio Euchariſtiæ per deſtructionem ſubſtantiæ & remanſionem accidentium, non admodum antiqua eſt, videtur enim cœpiſſe audiri temporibus Urbani Papæ quarti, nam in Concil. Lateranenſi transſubſtantiatio quidem ponitur, ſeparatio accidentium non ponitur. Et in Concil. Tridentino noviſſimo, quod præ omnibus ad terminos ſcholaſticos deſcendit, communis ſententia hujus ſæculi non habet tantum fundamenti, quantum credit, quod paulò pòſt oſtendam. Quomodo autem ſuſtineri poſſit fides Euchariſtiæ ſine remanentia accidentium? Fortaſſis iſte modus non erit incongruus ſi dicatur ipſum Corpus Chriſti immediatè ibi ſenſibus ſubeſſe, & induere illa accidentia ſub quibus putatur ſubeſſe panis cùm non ſit.

2. Dices ita illudi nobis per hoc ſacramentum, dum inducimur in errorem ex accidentibus illis putantes eſſe, quod non eſt. Reſpondeo: Iſto modo non plus illuditur nobis, ſive non datur major occaſio accipiendi unum pro alio, quàm de facto ſive in communi doctrinâ ponentium accidentia ſeparata, jam enim putatur eſſe panis ubi non eſt, accidentia enim illa ſignificant hoc, quòd tamen non eſt verum.

Dices primò corpus Chriſti poſt reſurrectionem eſſe glorioſum, atque ita impaſſibile & inalterabile, unde non poteſt recipere alterationes novorum accidentium. Reſpondeo corpus Chriſti fuiſſe etiam impoſſibile, quum Mariæ Magdalenæ apparuit in ſpecie hortulani, & quum diſcipulis apparuit in ſpecie peregrini, utrumque enim fecit poſt reſurrectionem, & tamen induit ſive verè ſive apparenter accidentia utriusq; quem ſimulavit, ſcilicet hortulani & peregrini. Quidni ergo dicetur hîc induere ſimilitudinem panis eodem modo, & videri, quod non eſt ſine impoſtura aut mendacio ſicut in ſecundo illo caſu *finxit ſe longiùs ire*, hoc eſt geſtu externo corporis ſignificavit ſe perrecturum ulterius in illa via, quod tamen nec fecit, nec voluit revera facere.

Hujusmodi explicatio, mirum eſt, quàm conveniat doctrinæ Conc. Tridentini, quod ſolum ei videbatur obſtare (quum in anterioribus Conciliis nihil tale fuerit cogitatum) nam etiam in Tridentino, neque in capitibus doctrinalibus neque in Canonibus ſeſſionis.

13. Ubi hoc negotium tractatur, nullibi, inquam, dicuntur accidentia panis aut vini ſeparari à ſubjectis, manere poſt ſeparationem, ſubſiſtere aut ſimile. Sed dicuntur manere *ſpecies*, id eſt apparentiæ panis & vini, ſive ſimilitudines externæ aut repræſentationes panis, *&c.* quod eſt ipſum intentum hujus explicationis & propriiſſimè dicitur ad phraſim ſcripturæ ſanctæ æquè ac Ethnicorum. Ita 2. Mach. 3. *dr. Specie quidem tanquam in ſe leviam eſſet perrecturus* (Heliodorus) *re autem vera mandatum regis*, & Marcus Cic. de Amicitia: *Quæ iſta ſecuritas ſpecie quidem blanda, ſed re ipſa multis in locis repudianda?* & Cæſar. *Com.* 4. *Speciem pugnantum præberent*, id eſt ſimilitudinem aut apparentiam, ut dixi. Vides enim ubique oppoſitionem ſpecierum rei & veritati; *re ipſa* apud M. Tull. *revera* apud ſcripturam ergo.

Favet etiam vehementer illa Confeſſio Berengarii coram Nicolao Papa, quæ etiam inſerta eſt de *Conſ. diſt.* 2. ſcilicet panem & vinum, „ quæ in altari conſecrantur poſt conſecratio- „ nem non ſolum ſacramentum, ſed etiam ve- „ rum corpus & ſanguinem Chriſti eſſe, & ſen- „ ſualiter non ſolum ſub ſacramento, ſed in ve- „ ritate manibus ſacerdotum tractari & frangi „ & fidelium dentibus atteri; quæ confeſſio fuit „ palinodia ſeu recantatio erroris ſui & proinde ad eam coactus eſt Berengarius; Unde debet ipſa eſſe Catholica, adeòque. Saltèm non eſt certum, quòd omnes mutationes, quas vidimus circa Euchariſtiam fieri fiant circa accidentia panis & vini relicta, ſed poteſt ſanò ſenſu dici, quod fiat circa corpus Chriſti, quoniam quamdiu minùs aliquid dicebat Berengarius non eſt admiſſus ad communionem Eccleſiæ, ſed habitus pro hæretico.

Sed, quia Doctor, quem cœpi defendendum, aliâ viâ inceſſit, communi ſcilicet, quæ ponit in Euchariſtia accidentia ſine ſubjecto (licèt ibi non valde expreſsè loquatur) & patenter 7. *Met.* q. 1. docet

docet quantitatem manere in altari ſine inhærentia ad ſubjectum, ſtatuam concluſionem juxta illam viam.

3. Interim, ſi debeam uti myſteriis fidei ad hanc metaphyſicam diſponendam veniâ aliorum, cenſeo ſeparationem accidentis à ſubjecto potiùs deduci ex alio credito, ſcilicet ex productione lucis, quæ in primo triduo mundi videtur producta extra omne ſubjectum, & ſic circumducta per utrumque hemiſpherium ſucceſſivè, eodem planè modo quo jam ſol aſcendit & deſcendit horiſontem, eoque circulo diem & noctem facit. Ita

S. Baſil.

enim ſancti Patres olim intellexerunt, Baſilius præſertim qui *hom.* 2. acutè inquit primâ Dei vocem *lucis naturam* creaſſe, ac ſi dicat, lucem ipſam in abſtracto ſeu abſque ſubjecto; quod clarius deinde ſignificavit dicens ſolem poſtea factum, ut *illi luci vehiculum*, id eſt ſubjectum, *eſſet*. Et

Nazianz.

adhuc expreſſius Nazianzenus *orat.* 43. Ubi loquens de lumine: *Neque vero id organicum à principio nec ſolare protulit, verum incorporeum ac*

Salian. Dionyſ. Areopag. Nicet. Proc. Gaſ. Anaſtaſ. Synaita Tertull. S. Ambroſ. S. Auguſt.

ſolis expers. Videri poteſt Jacobus Salianus *prima die Mundi*, ubi pro eodem citat D. Areopag. Nicetam, Procopium, Gaſæum, Anaſtaſium Synaitam; & ex Latinis Tertull. *adverſus Hermogen.* D. Ambroſius *in hexam. lib.* 1. *cap.* 9. Auguſtinus etiam *l.* 1. *de geneſi ad litteram cap.* 11. Proferant jam Adverſarii tot aut ſaltem pauciores PP. qui dixerint in Euchariſtia manere ulla accidentia ſine ſubjecto, ſed & ſcriptura ipſa ſatis hoc ſignificavit de luce, nam (ut acutè

Ludov. Molina. Gen. 1. v. 2.

notavit Molina, *de opere ſex dier.*) Deus in productione illius lucis non dixit *fiat* luminare, ſed *fiat lux* utique ſignificans lucem illam non fuiſſe in corpore aliquo luminoſo, ſed abſque omni. Iterum quia poſt creationem lucis ſubditur. *Et diviſit* (ſcilicet Deus) *lucem à tenebris*. Deinde autem cum retuliſſet ſcriptura productionem luminarium ſcilicet Solis & Lunæ, ſubdit quod *dividerent lucem ac tenebras*, ubi diviſio lucis à tenebris, hoc eſt viciſſitudo diei ac noctis poſt quartam diem deinceps attribuitur luminaribus, ſcilicet Soli & Lunæ, at vero toto triduo ante, ipſi Deo, quum ipſe circumduxit illam lucem per hemiſpheria ut ſupra; ſed quidquid de hoc ſit; &, ſive ex uno ſive ex altero ſive ex utroque articulo colligatur hæc ſeparatio.

4. Dico reſolutivè Accidens ex genere ſuo non eſſe eſſentialiter inſeparabile à ſubjecto. Eſt communis in Chriſtianis ſcholis, nec licet aliter ſentire. Eam non modò aſſerunt, ſed quaſi ſupponunt Catholici omnes repugnantibus duntaxat hæreticis, qui doctrinam de ſacramento Euchariſtiæ non recipiunt: de quo videri poteſt Bellarminus *l* 3. *de Euchariſtia*.

Concil. Conſtant. Joann. Wickleff.

Probatur primò ex definitione Concilii Conſtantienſis *ſeſſ* 8. in qua inter errores Joann. Wickleff. articulus ſecundus eſt iſte: *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem ſacramento* ſcilicet Euchariſtiæ.

Dicet aliquis: Si iſte articulus damnatus eſt à Concilio & à Mart. Pontifice in Bulla, quæ ſubnectitur *ſeſſ.* 44. & ultimæ, jam oppoſitum eſt de fide cujus contrarium huculque ſignificavimus. Reſpondeo tam in Concil. Conſt *ſeſſ illâ* 8. quam in Bulla Martini Pontificis damnari quadraginta quinque articulos Joann. Wickl at non omnes tanquã hæreticos, ſed aliquos ut hæreticos, alios ut ſcandaloſos, aliquos autem, ut piarum aurium offenſivos; atque ita neque ex ſententia Concilii, neque ex deffinitione Pontificis habetur illa propoſitio eſſe hæretica, ſed vel ſic, vel erronea & temeraria, quod ſufficit ad intentum præſens, eo enim ipſo concluſio erit vera.

5. Probat VValdenſis ita viſum antiquis etiam ethnicis Philoſophis. Anaxagoras enim dixit colores & alia corpora eſſe comixta, & comixta poſſe ſegregari. Cenſuit ergo colores à corporibus poſſe ſegregari, ſed cùm Ariſtoteles intulerit hoc tanquam abſurdum contra Anaxagoram, & tanquam aliquid, quod ipſe non eſſet conceſſurus, ut patet in textu neſcio utrum ex eo colligatur hoc an oppoſitum fuiſſe ſententiam ejus. Bellarminus *libro citato, capite vigeſimoquarto* probat idipſum ſenſiſſe Ariſtotelem ex ipſo 3 *de an. tex* 9. ſive, ſecundum aliam diviſionem 170. dicente quod *aliud ſit magnitudo, & aliud magnitudini eſſe*, hoc eſt (ut ipſe interpretatur) aliud magnitudo aliud magnitudinis exiſtentia, ex hoc autem infert inhærentiam diſtingui realiter ab accidente; ſi enim diſtinguitur exiſtentia, quæ multò magis intima eſt, quantò magis inhærentia? ſed interpretatio non eſt probabilis, cùm probabile non ſit exiſtentiam diſtingui à re cujus eſt realiter. Melius id colligit ex 4. *Phyſicorum text.* 58. ubi quærit Ariſtoteles an ſpacium in quo eſſet ſolus color aut ſonus cenſendum eſſet vacuum? hæc enim quæſtio inepta eſſet ſi inhærentia eſſet de eſſentia ſoni, tum enim qui diceret colorem, neceſſariò diceret ſubjectum. Sed eo relicto

Thom. Wald. t. me 2. cap. 76.

6. Probatur concluſio ratione, quia, quod eſt demonſtrabile de aliquo, non poteſt eſſe eſſentiale ipſi, ſed inhærentia actualis eſt demonſtrabilis de accidente, ergo non eſt eſſentialis ei. Major eſt evidens, quia *quod* (a) *quid eſt* hoc eſt, eſſentiæ, *non eſt demonſtratio* minor etiam patet, quia in concluſione infertur unio paſſionis cum ſubjecto, nam ſubſtantia aut entitas paſſionis eſt præcognitum, & habetur ante demonſtrationem, adeòque per demonſtrationem ſolam habetur unio ejus cum ſubjecto, & reverâ in concluſione non affirmatur niſi unio ejus, adeòque ſufficit ipſam haberi, nam etiam qui albedinem præexiſtentem uniret parieti, talis verè dealbaret parietem etſi non produceret entitatem ſed ſolam unionem albedinis, ita, inquam, demonſtratio verificatur per ſolam unionem formæ, ſi ergo unio aut inhærentia eſt objectum demonſtrationis, ſequitur non eſſe eſſentialem.

(a) ex 3. Met. text. 6.

Dices hoc non probare concluſionem, ſed oppoſitum; ſi enim demonſtretur unio, jam eſt inſeparabilis. Reſpondeo primò hoc argumentum probare efficaciter, quòd unio paſſionis ad ſubjectum non ſit eſſentialis, eò quòd demonſtretur: Cùm autem in aliis accidentibus unio non ſit æquè intrinſeca ac in propriis paſſionibus, ſequitur ſuperabilem eſſe unionem aliorum, atque ita verum erit quod dixit concluſio ſcilicet inhærentiam ex genere ſuo non eſſe eſſentialiter inſeparabilem ab accidente, quia non eſt inſeparabilis ab accidente communi. Imo cum ſola accidentia communia inhæreant, ſequitur inhærentiam eſſe ſepara-

Digitized by Google

rabilem ab omni omnino accidente, nam propria non inhærent ſubjectis propriè, ſed identificantur, quia nec ſunt accidentia metaphyſica, ſed logica duntaxat. Confirmatur ex Doct. 7. *Metaph. cit.* quia, ſi inhærentia eſſet de eſſentia accidentis, tum nugatio eſſet dicere albedo inhæret; ratio, quia idem bis diceretur ſcilicet τὸ inhæret quod ſemel in ſe ipſo ponitur, iterum in ly albedo; quod utique eſt accidens.

7. Probo ſecundò, quia inhærentia eſt eſſentialiter reſpectus; atqui nullus reſpectus poteſt eſſe eſſentialis accidenti ut ſic, ergo nec inhærentia. Major videtur ex terminis perſuaſa, eſt enim ad aliud, imò ipſa adaleitas ſeu referentia unius ad aliud, ſcilicet inhærentis ad id, cui inhæret, ſicut (ſecundum omnes) eſt unio, nam hæc etiam eſt aliqua unio. Minor probatur quia aliquod accidens eſt abſolutum nullus autem reſpectus poteſt eſſe eſſentialis abſoluto, ergo nec accidenti ut ſic; quia ſi accidenti ut ſic foret eſſentialis, eſſet etiam accidenti abſoluto eſſentialis, quum hoc ſit inferius illius. Unde poſſumus cum aliis ſic formare argumentum: Inhærentia aut eſt abſolutum quid, aut relativum; ſi abſolutum non poteſt eſſe eſſentiale reſpectui, ſi reſpectus non poteſt eſſe eſſentiale abſoluto, ergo.

8. Probo etiam tertiò, quia nullus ordo ad aliud accidens eſt eſſentialis accidenti, atqui aliqua inhærentia accidentis eſt ad aliud accidens, ergo non omnis inhærentia eſt eſſentialis accidenti, ſive datur aliquod accidens, cui nulla inhærentia ſit eſſentialis, quia non inhærentia ſubſtantiæ cùm illam non habeat; non inhærentia alteri accidenti ob rationem poſitam quam ſic proſequor; dicitur enim inhærentia eſſentialis accidenti quia accidens eſt entis ens id eſt ſubſtantiæ ens, adeoque ſtando in naturali philoſophia & principiis antiquorum inhærentia eſſentialis accidenti eſt inhærentia ad ſubſtantiam, atque ita ſi probaverimus inhærentiam in ſubſtantia non eſſe eſſentialem aut inſeparabilem ab accidente, jam philoſophia naturalis & principia antiquorum nihil obſtabunt quo minus habeamus accidens ſeparatum. Major jam oſtenſa eſt probatur minor, quia qualitates inhærent quantitati non vero ſubſtantiæ. Dices id eſſe verum de inhærentia immediata, non autem de omni, quia mediate inhæret ſubſtantiæ. Contra nulla eſt inhærentia qualitatis niſi ad quantitatem ſubſtantiæ autem dicitur inhærere mediatè eo quod quantitas ſubſtantiæ inhæret, ipſa autem quantitati: Unde ſic arguere poſſumus; aut inhærentia qualitatis ad quantitatem eſt ei eſſentialis aut non: primum dici non poteſt ob ſuppoſita; ſi autem dicatur ſecundum, jam habetur nullam inhærentiam eſſe eſſentialem qualitati, nullam enim habet niſi hanc. Urgeo argumentum: Inhærentia qualitatis in ſubſtantia eſt inhærentia quantitatis eidem; ſed inhærentia qua quantitas inhæret ſubſtantiæ non poteſt eſſe eſſentialis qualitati quia omnino non eſt ipſius ſed alterius, quod enim omnino non ineſt alicui, multo minus poteſt eſſentialiter ineſſe ei, & certum eſt eſſentiam rei non poſſe eſſe ſeparatam ab ipſa.

Hoc argumentum probat non ſolùm inhærentiam eſſe non eſſentialē accidenti, ſed nec eſſe inſeparabilem, quia nimirum nullus ordo ad accidens eſt inſeparabilis ab accidente ſpectatâ philoſophiâ antiquorum. Itaque poſito, quòd qualitates inſint immediatè quantitati, ratio non parum juvat intentum, oſtendit enim non repugnare naturalem philoſophiam, quo minus accidens ſeparetur.

9. Quod etiam ſic aliter oſtendo: Subjectum non eſt intrinſecum accidenti, non enim eſt materia ex qua, ſed materia in qua ejus, atque ita eſt cauſa externa ejus, ſed cauſæ externæ non neceſſariò cauſant, ſive res quælibet poteſt abſolvi à dependentia ad cauſam externam, ergo. Subſumptum probo in privatione, quæ eſt per ſe principium generationis, & tamen quia externum eſt, non repugnat ſine eo abſolutè fieri generationem, & realiter ita fieret ſi realiter aut actu fieret productio corporis naturalis ab æterno; in eo enim caſu nulla præcederet privatio. Si ergo privatio quæ eſt per ſe requiſitum tanquam terminus à quo generationis & geniti, tamen Deo ſupernaturaliter agente ſuppleri poteſt, quidni etiam ſubjectum quandoquidem non minùs eſt extrinſecum.

10. Formo etiam tertiam hanc rationem in favorem fidei, ut oſtendam poſſibilem Deo hanc ſeparationem, & ſic arguo: Quando qualitas ſubjectatur in quantitate, & quantitas in materia, ipſa denique materia ſuſtentatur à Deo; unde infero: ergo poteſt Deus immediatè ſuſtentare accidentia, putà colores. Probo conſequentiam hanc, nam quia qualitates ſuſtentantur à quantitate, & quantitas à ſubſtantia fieri poteſt, ut ipſa ſubſtantia immediatè ſuſtentet qualitates; ſi enim ſubtrahatur quantitas & permittantur qualitates inniti ſubſtantiæ certè ſuſtentabuntur ab ipſa, ergo ſimiliter ſi ſubtrahatur illis ipſa materia & relinquatur concurſus divinus ſufficiet ille ſe ſolo ad omnia à pari

11. Objicitur in oppoſitum, ſicut ſe habeat ſubſtantia adeſſe in ſe, ita accidens ad eſſe in alio, iſta enim ſunt duæ differentiæ ex æquo condividentes ens ut ſic, & conſtituentes has duas ſpecies ejus, ut patet; pergo jam & infero à permutata proportione, ergo ſicut ſe habet ſubſtantia ad eſſe in alio, ita accidens ad eſſe per ſe, ſed ſic ſe habet ſubſtantia ad eſſe in alio ut hoc ei repugnet, ac de nulla potentia poſſit ei competere, ergo etiam accidenti de nulla potentia convenire poterit eſſe per ſe. Huic argumento aliqui ſuccubuerunt concedentes paritatem, & conſequenter admittentes ſubſtantiam poſſe eſſe in alio, & ex illis eſt Gabriel in Canonem *ſect.* 44. ſed malè, quia ineptitudo ad inhærendum cùm ſit eſſentialis ſubſtantiæ tollit omnem potentiam ad oppoſitum, & multò magis actum, ſicut irrationalitas quæ eſt differentia bruti facit ut implicet brutum intelligere. Corrigendus ergo fuit quòd fecit Fonſeca dicendo hanc eſſe naturam accidentis ut non habeat neceſſariò annexam affirmationem eſſendi in alio; At ineptè, hoc enim eſt ipſum de quo dubitatur. Dicendum eſt ergo nec accidenti convenire eſſe per ſe quod eſt exercitium ſubſtantialitatis, quia nimirum illud non eſt quomodocumque eſſe per ſe, ſed eſt (ut ſuprà dixi) quoddam ſtare, hoc eſt, vi ſuâ conſiſtere, quod non competit accidentibus ſeparatis, quia alienâ virtute ſic ſe habent,

nec

nec ſtant, ſed ſtatuuntur ſeu ſuſtentantur, ſicut aliter ſe habet cadaver quod ſuſtinetur ab aliquo erectum, & aliter homo vivens qui pedibus ſuis inſiſtit, ex quibus hîc ſtare dicitur verè & propriè, illud non item.

12. Inſtari tamen contra hoc ipſum poteſt: quòd adhuc ſuperſit vis ſua argumento, adhuc enim dubitari poteſt, utrum non poſſit ſubſtantia alienâ virtute immergi ſubjecto, ſeu reddi inhærens ei, licèt virtute ſuâ non poſſit inhærere, ſicut accidens alienâ virtute redditur ſubſiſtens ſeu exiſtens independenter à ſubjecto, à quo naturaliter ſpectatum dependet. Propter hoc recurrendum eſt ultimatè ad ſolutionem Subtilis 4. *d.* 12. *q.* 1. ubi ipſum principale argumentum ſolvit dicendo, quòd *ſi per ſe & in alio uniformiter accipiantur, ſcilicet prout per ſe eſſe negat aptitudinem ad inhærendum, & eſſe in alio affirmat illam aptitudinem, ſic iſta duo proportionaliter conveniunt, primum ſubſtantiæ & alterum accidenti, & tunc* (ait D.) *non plùs ſequitur, n. ſi quod accidens non poſſet eſſe per ſe cui repugnet inhærere, ſicut nec ſubſtantia poſſet eſſe ens, cui conveniat aptitudo inhærendi, & ſi velis* (inquit) *accipere utrumque actualiter, ſcilicet actualiter eſſe per ſe & actualiter eſſe in alio ut ſic non dividunt* (ens) *nec ſunt propria iſtis dividentibus, ſcilicet ſubſtantiæ & accidenti: nec mirum, quia ex parte illius* (ſcilicet ſubſtantiæ) *per ſe, primus intellectus infert ſecundum, repugnantia enim ad ineſſe infert non ineſſe; ſed ex alia parte non ſic, ſed eſt fallacia conſequentis; eſt aptum ineſſe, ergo ineſt.* Hactenus Doctor ad primum argumentum, ex quo ad inſtantiam reſpondeo in forma negando conſequentiam ſeu dubium illud, una enim differentia aliter ſe habet ad actum ſuum, & aliter altera; negativa enim certò excludit actum ſecundum, & talis eſt differentia ſubſtantiæ, affirmativa non neceſſariò infert actum ſuum, & talis eſt differentia conſtitutiva accidentis. Exemplum utriuſque eſt in differentiis rationali & irrationali, quorum una longè aliter ſe habet ac altera ad actum ſecundum, nam cum irrationali impoſſibile eſt conjungere ratiocinationem; at verò cum rationali non eſt impoſſibile conjungere non ratiocinationem, id eſt carentiam diſcursûs: Ita ſimiliter. Sed

13. Objicies ſecundò; Illa inhærentia, quâ accidens abſolutum inhæret, aut eſt quid accidentale, aut non, ſed ſubſtantia: Secundum dici non poteſt (ſi enim inhærens non poteſt eſſe ſubſtantia, quantò minùs ipſa inhærentia?) ſi autem ſit accidens, tum debebit habere formam ſuperadditam, quâ inhæreat, de qua ſuperaddita iterum quæram (ut ſuprà) utrum ſit ſubſtantia an accidens; & ſi accidens debebit habere aliam formam, quâ inhæret, & hæc aliam in infinitum. Reſpondetur communiter cum Doct. accidens abſolutum habere formam ſuperadditam quâ inhæreat, hanc tamen non habere aliam; tum quia non eſt accidens abſolutum ſed reſpectus, tum quia omnis forma communicat ſibi ipſi ſuum effectum formalem, atque adèò inhærentia, quæ proinde dicenda eſt ſe ipsâ inhærere; non itur ergo in infinitum hic in formis quum ſit ſtatus in ſecunda. Ita communiter omnes; ſed ex hac communi ſolutione videtur ſurgere fundamentum impugnandi hanc communem ſententiam; ſi enim dicamus inhærentiam eſſe eſſentialem accidenti abſoluto aut ſaltèm inſeparabilem ab ipſo, tum intrabimus infinitam ſuperfluitatem entium, ſcilicet inhærentias omnes ſuperadditas formis abſolutis, nulla enim harum dabitur in Mundo, hoc poſito. Sed ſicut nos de facto ponimus ſtatum in ſecunda forma, quæ eſt inhærentia, & ſe ipsâ inhæret, ita tum dabitur ſtatus in prima, ipsâ ſcilicet albedine aut alio accidente abſoluto, nulla autem eſt ratio quin hoc fieri poſſit, niſi ſeparatio accidentium in Euchariſtia. Unde ſi myſterium illud aliter explicari poſſit, videtur illa explicatio amplectenda, quià ſalvat ut dixi infinitam multitudinem entium quæ in eo caſu inutilia planè ac proinde neganda ſunt. Hoc indicaſſe ſit ſatis, & poſt hæc

ACTIO II.

Quomodo ſe habeat inhærentia aptitudinalis, ad abſolutum accidens, & actualis ad reſpectum?

Breviarium.

N. 1. *Doctor Subtilis creditur judicaſſe, quod inhærentia aptitudinalis non ſit eſſentialis accidenti abſoluto.*

2. *Concluſio affirmativa: oſtenditur in primis eſſe mentis Scoti.*

3. 4. 5. 6. *Probatio concluſionis ex rejectis probationibus oppoſitis apud adverſarios.*

7. *Retorquetur etiam ratio adverſariorum in ipſos, num reſpectus aliquando ſit proprius abſolutè?*

8. *Objectio ſoluta. An idem ſit ſimul virtualiter & formaliter tale?*

9. *Inhærentia actualis eſt eſſentialis accidenti reſpectivo.*

10. *Objectio. Num gratia & cætera accidentia ſupernaturalia inhæreant aut educantur?*

11. *Quid viſum Platoni de ſeparabilitate accidentium à ſubjectis?*

12. *Quæ mens Ariſtotelis in hac materia?*

1. Mirum eſt, quàm concordi calculo authores omnes Doctori Scoto adſcribant eam ſententiam, quaſi docuerit aptitudinalem inhærentiam non eſſe eſſentiam, ſed ut maximè paſſionem propriam accidentis abſoluti. Ita eum citat Fonſeca 7. *Met. q.* 1 *ſect.* 3. Averſa *tom.* 1. *ph.* 12 *q.* 21. *ſect.* item 2. Lalemand, *diſp.* 8. *Met. partit.* 1. & alii externi. Sco- Fonſeca, Averſa, Lalemand. Cameras. Poncius.

 tiſt.

tum, etiam in materia fidei, niſi quàm minimè poſſumus, oppoſitum enim faciendo reddemus fidem odioſam & difficilem captu. Atqui Philoſophi poſuerunt inhærentiam actualem eſſe intrinſecam & eſſentialem accidenti, quod patet apud Ariſtotelem paſſim, ut illo 7. *Met capite* 1. ubi docet *accidentia* non eſſe *entia*, niſi quia *entis*, ex quo manavit axioma, quod accidentis eſſe ſit ineſſe, & *cap* 3. docet accidens debere definiri per ſubſtantiam, certum eſt autem, quòd aliquis ordo id ſine quo res non poteſt definiri ſit eſſentialis definito, adeòque. Denique 3. *Met. cap.* 9. docet quod ſi accidentia forent à ſubjectis ſeparata, ſicut Plato poſuit ideas, accidentia tum fore ſubſtantias & alia, quæ cùm non poſſint intelligi de inhærentia actuali propter credita in Sacramento Euchariſtiæ, ſupereſt ut intelligantur de potentiali aut aptitudinali, adeòque

8. Objici tamen poteſt pro ipſis unum hoc, ut oſtendatur, quòd, quamvis inhærentia aliqua potentialis aut radicalis ſit eſſentialis accidenti, tamen ſuperaddenda ſit ipſorum aptitudinalis tanquam adhuc diverſa; Quia in phyſicis plura habent ab eſſentia ſua potentiam ad aliquem terminum, ad quem tamen ſuperadduntur ipſis virtutes diſtinctæ; v. g. ignis eſſentialiter eſt calefactivus, & tamen habet calorem qui ſit accidens ſuperadditum ſibi, per quem etiam formaliter calefacit, ergo ſimiliter ſuperaddendum erit accidenti aptitudo ad inhærendum ut eò perfectiùs inhæreat. Ratio hujus patet, quia ſi auferretur igni calor, poſſet utique reducere ſe ad eſſe calidum, quod experimento videmus, in aqua quæ calefacta reducit ſe ad frigiditatem. Reſpondeo: Si ſit paritas inter hæc, jam aptitudinalem inhærentiam eſſe eſſentialem accidenti, nam aptitudinalis ſeu potentialis calefactivitas eſt eſſentialis igni ſecundùm argüentes. Reſpondeo ſecundo: Si elementa ignis & aquæ ſe ipſis ſunt calefactiva, tam immanenter, quàm tranſeunter, hoc eſt ſui & alterum, tum non debere poni calorem in ipſis, ut calefaciant quidquam, ſed ut ſint ipſa formaliter calida; at verò poſito quòd eſſentia accidentis habeat potentiam connaturalem ad inhærendum, poneretur ad hoc ipſum aptitudo illa ſuperaddita, atque ita idem bis haberetur, quod abſurdum eſt, adeòque negandum. His poſitis

9. Dico actualem inhærentiam probabiliùs eſſe eſſentialem accidenti reſpectivo. Ita intelligo Subtilem meum *quodlib.* 3. *num* 15. & 4. *d.* 12. *q.* 1. ubi ſub *num* 8 hæc habet: *Reſpectus eſt eſſentialiter habitus inter duo extrema, & ideo ſicut tollere terminum ad quem eſt reſpectus, eſt tollere vel deſtruere reſpectum, ita tollere id, cujus eſt reſpectus eſt tollere reſpectum, & deſtruere rationem reſpectus.* Ubi Doct. æqualiter loquitur de termino ac de fundamento in ordine ad relationem; certum eſt autem, quòd ordo ejus ad terminum ſit eſſentialis ei, adeòque etiam ad fundamentum, quod ſignificavit illis *eſt deſtruere rationem reſpectûs* non enim ait deſtruere entitatem vel realitatem, ſed *rationem reſpectûs*.

Probatur breviter, quia relatio eſſentialiter eſt ad aliud. ergo eſſentialiter eſt in aliquo, ſunt enim duo extrema ejus, inter quæ mediat. Scimus autem medium æqualiter diſtare, & æqualiter accedere ad utrumque extremum. Dices relationem non ſimiliter ſe habere ad duo illa, quia totum ejus eſſe eſt ad aliud, ſcilicet terminum ſe habere. Reſpondeo: Sit ita, ex hoc ipſo habeo intentum, ſi enim relatio ſit eſſentialiter ad terminum, eſſentialiter eſt in fundamento, quia nimirum non poteſt eſſe ad terminum, niſi ſit in fundamento, & hoc, quod eſt eſſe in fundamento eſt pars hujus quod eſt ad alium; Cujus rationem adhuc a priori aſſigno, quia relatio non eſt quomodocunque ad aliud, ſed eſt alicujus ad aliud, adeoque involvit eſſentialiter totum hoc, quod eſt aliud & aliud, ſive eſſe alicujus ad aliud: atqui non poteſt eſſe alicujus ad aliud neque referre aliquid ad aliud niſi ſit in ſubjecto, adeòque eſſentialiter exigit eſſe in ſubjecto, ſicut eſſentialiter exigit eſſe ad terminum Redeundo etiam ad principium argumenti poſſumus ipſum urgere duabus inſtantiis, unâ phyſicâ alterâ morali; prima quidem, quia motus cùm ſit eſſentialiter inter duo, puta terminos à quo & ad quem, æquè indiſpenſabiliter exigit utrumque, & tam non poteſt eſſe ſine termino à quo, quam non poteſt eſſe ſine termino ad quem. Item altera, virtutes morales, v. g. liberalitas, temperantia & ſimiles quia inter duo ſunt ac proinde mediæ, hinc, inquam, æqualiter arcent extrema, & virtus liberalitatis v. g tam debet cavere à prodigalitate quàm à parcimonia, æqualiter enim delinquit quodcumque incurrat, ergo ſimiliter relatio quum ſit tendentia, & quaſi quidam motus inter duo, æqualiter utrumque exigit, certum eſt autem quod eſſentialiter ſit ad terminum, adeòque erit etiam eſſentialiter in fundamento ſeu ſubjecto, quod erat intentum.

10. Objiciam hic in fine domeſticum argumentum contra principalem reſolutionem de inhærentia aptitudinali ex principiis Doctoris, quæ non ſolùm noſtræ reſolutioni, ſed etiam communi aliorum Scotiſtarum videtur obviare. Nempe ſecundùm Subtilem communiter tenetur gratia & habitus ſupernaturales creari, cum ſint tamen accidentia, ex hoc autem ſequitur quod inhærentia aptitudinalis non ſit illi eſſentialis, nam ſi vera ſit illa ſententia Doct. quod gratia creetur, jam illa eſt non-apta. id eſt, non-exigens inhærere, quia nimirum eſt apta ſubſiſtere ſeu ſtare per ſe quod confirmatur exemplo animæ rationalis quæ creatur; & ita ſubſiſtit. Diceret quis animam eſſe ſubſtantiam, & ideo ſubſiſtere, gratiam verò non item, Reſpondeo: Hoc quidem verum eſt, at non obſtat, nam ſi gratia creatur, ſit independenter a ſubjecto, hoc enim eſt creari. Deinde ſcimus connaturale eſſe rei ut duret eo modo quo cœpit, ſi ergo gratia facta eſt independenter à ſubjecto, conſervabitur etiam connaturaliter eodem modo, ſcilicet independenter à ſubjecto, atque ita eſt inepta inhærere, id eſt manere dependenter à ſubjecto, ſaltèm non eſt apta, id eſt indigens aut exigens, ut dixi. Reſpondeo: Hoc argumentum ut jam notavi æquè pugnat meis & cæterorum Scotiſtarum principiis in hac materia; ſi enim gratia ſit inepta inhærere, ut probat diſcurſus factus, jam aptitudo illa eſt ſeparabilis, adeoque non eſt proprietas ejus, quod tamen volunt ut minimum Scotiſtæ. In re autem reſpondendum eſt Doctorem hoc in tranſcurſu & obiter ſignificatione potiùs quam aſſeruiſſe 4. *d.* 1. *& queſtione prima*, ubi vult gratiam annihilari, ſed ex contextu patet voluiſſe tantùm dicere quòd non corrumpatur noſtris

ſtris

Digitized by Google

ſtris actibus. Ait enim *ad illam probationem de virtutibus, reſpondeo quòd nulla virtus infuſa poteſt corrumpi in nobis per aliquem actum noſtrum, quaſi per aliquam naturam repugnantia, ſed ſolùm per cauſam demeritoriam*, quod totum eſt verum licèt educatur & corrumpatur gratia; quia nimirum ipſa illa corruptio gratiæ non fit ab actibus aut alia cauſa naturali, ſed à Deo, quod hîc ſufficit reſpondiſſe, nam lentius examen hujus atque etiam ejus quod habet *q. 5. ſeq.* digna eſt alio & graviori loco.

11. In fine quæro, quid ſit viſum antiquis de hac re, ſcilicet de ſeparabilitate accidentis, num repugnaret? Reſpondeo breviter reducendo negotium ad Geminos illos Platonem & Ariſtotelem, primùm cenſuiſſe, quòd nulla in hoc fuerit regugnantia, quin imò videtur cenſuiſſe ſeparationem eſſe factam, quia nimirum judicavit dari rerum omnium ideas abſtractas & avulſas ab omni concretione cum aliis; quum enim crederet naturas à principiis ſingularibus ſeparatas; quantò magis diceret ſeparatas eſſe ab alienis ſingularibus adeòque à ſubjectis?

Plato *lib. 6. & 11. de Repub. Item in Tymæo*, Phædon. & Parmen.

Dices: Poſſet quis imaginari, quòd Plato voluerit accidentia univerſalia eſſe in ſubjectis univerſalibus. Reſpondeo hoc eſſe imaginationem, nam ſaltèm ex opinione ejus de ſubſtantiis hoc videtur abſurdum; poſuit enim ſubſtantias abſtractas & depuratas ab omni concretione, hoc autem non ſtaret cum apparatu tot accidentium. Deinde Plato ideo poſuit ſubſtantias in tali ſtatu, ut eſſent incorruptibiles; atqui ſi ſubſtantiæ eſſent obnoxiæ accidentibus, nullatenus eſſent incorruptibiles, ergo.

12. De mente Ariſtotelis puto ultimatè dicendum ipſum in hac materia fuiſſe ambiguum, aut certè contradicit ſibi. Nam locis ſuprapoſitis ex 1. *Met.* & 1. *phyſic.* patet ipſum exiſtimaſſe, quòd accidens eſſet inſeparabile à ſubjecto realiter, imò etiam intentionaliter. Nam 1. *phyſ. tex com. 39.* docet intellectum entitentem ſeparare paſſiones ſive affectiones à ſubjectis, impoſſibilia conari, quamquam fortaſſe hic locus pati poſſet expoſitionem, quòd loquatur de affectionibus, quæ ſunt paſſiones ſeu proprietates ut ipſe loquitur, non verò de quacumque affectione & accidente. At verò in illo 4. *ph. tex. 58.* ubi quærit, an locus in quo ſolummodo eſſet ſonus foret vacuus? oſtendit ſe oppoſitum cenſuiſſe, ut acutè notavit D. N. 7 *Met. cit.* ex quo Recentior ille videtur hoc argumentum pro Euchariſtia deſcripſiſſe, præterea etiam ait quòd ſedere eſt magis ens quàm ſeſſio, utique quia ſedere involvit ſubjectum, at verò ſeſſio etiam involvit, ſi verum ſit quòd concernentia ſubjecti ſit eſſentialis aut inſeparabilis ab ipſa, ergo.

Ariſtot.

ACTIO III.

Quæ ſint ſubjecta determinata accidentium?

Breviarium.

N. 1. *Referuntur oppoſita ſententiæ authorum.*
2. *Concluſio, Qualitates, &c. accidentia abſoluta immediatè ſubjectari in quantitate.*
3. *Probatio hujus à Sacramento Euchariſtiæ ducta.*
4. *Quanti facienda & quid ei reſponderi poſſit?*
5. *Quomodo iuvari poſſit?*
6. 7. 8. *Aliæ probationes concluſionis.*
9. *Probatio valentior ejusdem, & refutatio ſolutionis prætenſa à quodam Neoterico.*
10. *Alia etiam valida, ducta ex raritate & denſitate.*
11. 12. *Oſtenditur impoſſibilitas ſententiæ quorundam Thomiſtarum.*
13. *Objectio Neoterici contra quantitatem ne ſit ſubjectum cæterorum accidentium, ſoluta.*
14. *Alia objectio expedita; ubi exponitur doctrina Tridentini.*
15. *Vltima: Diſpoſitio ad formam, in quo ſubjecto eſt?*

1. LOquor de corporalibus ſeu materialibus, nam de ſpiritualibus vix eſt anſa controvertendi: reſtringam etiam quæſtionem ad duo puncta, unum erit de ſubjecto qualitatum corporearum. Alterum de ſubjecto ipſius quantitatis. Et ut abſtraham à ſupervacuis & minùs probabilibus ſententiis duæ præſertim ſunt, quæ, cùm ſint extremè oppoſitæ, plùs videntur ſibi de veritate vendicare; una eſt Nominalium volentium omnia omnino accidentia immediatè ipſi ſubſtantiæ inhærere, & nullum alteri. Ita *Gregor.* (a) *Gab* (b) ſequuti *Ockamum* (c) In quam etiā ſententiam *Suar.* etſi timidè citat ex Thomiſtis *Capr.* (d) ad 2. Scoti. Altera tamen communior Thomiſtarum; & quaſi ex diametro huic oppoſita, quam (quia obſcura eſt nec apud omnes ſimiliter intellecta (referam ex eodem Franciſco Suar.) eſt *Soncinatis* (e) & *Iavell.* nullum accidens recipi in ſubſtantia niſi mediâ potentiâ accidentali pertinente ad idem prædicamentum, hoc eſt, ut in ſubſtantia ſit potentia receptiva quantitatis, quæ reducitur ad prædicamentum quantitatis, & alia receptiva qualitatis, quæ ad prædicamentum qualitatis pertinent; vel potius in ſuperficie ipſa, ait Soncinnas, eſſe aliquid potentiale de genere coloris ad recipiendum colorem, quidquid illud ſit, puta diophaneitas, aut ſimile quid, quæ via quamvis per ſe ſatis abſurda tamen præter citatos habet adhuc alios recentes patronos (Averſam *q. 21. phil. ſect. 5. & 6* Hurt. *diſp. 6. ph. ſect. 6.*) qui docent non eſſe neceſſarium in ſubſtantia corporea reliqua accidentia verè inhærere quantitati, ſed potiùs alii potentiæ accidentali, quæ tam à materia, quàm à quantitate diſtinguitur. In hac re *D. Subt.* ita ſe geſſit (*f*) ut quoad propriam mentem ambiguus, deſcendat in eam partem quæ aſſerit cætera accidentia immediatè ineſſe quantitati, quantitatem autem materiæ, propter reverentiam communis ſententiæ ſui ſæculi Doctorum; tanta fuit modeſtia hominis

(a) 2. d. 12. q. 2.
(b) 4. d. 12. q. 1. art. 1.
(c) 4. q. 7. & in tract. de Euchar. cap. 28.
(d) 1. d. 3. q. 3. art. 2.
(e) 12. Metap. q. 26. q. 1.

Averſa. Hurtad.

(f) 4. d. 11 q. 1.

nis aliàs tam acuti : cujus veſtigio inſiſtens

2. Dico reſolutivè probabiliùs tenendum eſſe, quòd accidentia abſoluta, puta qualitates materiales immediatè inſint quantitati. Ita Doctorem intellexit Cavellus hic cit. in ſcholio (quamvis revera Doct. non exprimat totum hoc ibi) ita cum antea intellexerunt anteriores Scotiſtæ qui in hoc ſaltèm conveniſſe referuntur cum Divi Thomæ ſequacibus, utriſque hinc inde conſpirantibus contra Nominales quoad hoc quòd quantitas eſſet quid ſuperadditum materiæ. Sufficit dixiſſe hanc concluſionem eſſe communem ſententiam, talis enim eſt quam noſtra ſchola cum altera illa profitetur, & utraque traxit Recentes ſequentes, ut videre eſt in ipſis & fatetur diſertè ipſorum (g) quidam

(g) Franc. Oviedo contr. 1. gen. punct. 3.

3. Moveor hâc ratione in primis : Aut enim quantitas identificatur ſubſtantiæ, aut non identificatur; ſi identificatur, & accidentia inhærent immediatè ſubſtantiæ, jam inhærent immediatè quantitati, ſi non identificatur, etiam ſic accidentia alia (loquor de abſolutis) inſunt immediatè quantitati, quod oſtendo, in primis præſtantiſſimo argumento Euchariſtiæ; in hoc enim Sacramento plura accidentia habent commune ſubjectum, non aliud, quàm quantitatem, ergo jam aliqua imò omnia alia accidentia abſoluta ſubjectantur in quantitate. Major hujus probatur, quia niſi ponantur omnia accidentia in aliquo uno ſubjectari multiplicanda ſunt miracula, ut tot ſint miracula quot accidentia, fiet enim miraculum in conſervatione cujusque accidentis; ſi autem ponantur in uno aliquo ſubjecto omnia, fiet tantùm unum miraculum in conſervatione illius unius. Certum eſt autem in bona Philoſophia quòd ponenda ſint pauciora miracula, imò pauciſſima quàm poſſumus, ergo judicandum eſt, quòd omnia illa habent unum commune ſubjectum, ſcilicet quantitatem.

4. Sed hæc probatio, quæ communis & vetus eſt, non habet omnem illam vim, quâ opus eſt, etenim, ut notarunt non malè aliqui Recentes, ſtabilienda eſt in primis vera Philoſophia de inhærentia ac natura accidentium, & deinde judicandum eſt de miraculis quæ hîc contingunt, certum eſt enim omnia hîc fieri, quæ neceſſaria ſunt non plura, adeòque priùs ſtabiliendum eſt, quot & quæ ſint neceſſaria, ac tum primùm ferenda ſententia de numero miraculorum. Non ergo dicendum eſt hoc aut illud ne multiplicentur aut minuantur miracula, ſed multiplicanda aut minuenda ſunt miracula juxta hæc aut illa principia de natura accidentis. Præterea contra hoc aliquid facit, quòd etiamſi ponantur omnia alia accidentia ſubjectari in uno, non proinde fiet unum tantùm miraculum in conſervatione illius unius, ſed fient multa juxta numerum accidentium quæ illi uni inhærent : cujus ratio eſt, quia dependentia cæterorum accidentium non terminatur ultimatè ab illo accidente, ſed reſolvitur ulterius in ſubſtantiam, adeòque aliquid ſupra naturam fit quòd accidentia ſequentia ſint contenta primo illo pro ſubjecto ſuæ inhæſionis. Confirmatur, quia ſine dubio maius miraculum fit quando conſervatur primum illud accidens, ſcilicet Quantitas ſolùm extra ſubjectum, quàm quando conſervatur tunc, quum alia aliqua innituntur ei; ſicut opus eſt majori virtute ad ſuſtentandam tabulam, cui impoſita ſunt pondera aliqua, quàm ad ſuſtentandam aliquam ſe ipsâ.

Si tamen major illa concedatur, minor facilè probatur, quia in Euchariſtia non eſt ſubſtantia, nullum autem eſt ſubjectum, cui qualitates omnes innitantur præter ſubſtantiam niſi quantitas. Maior huius eſt de fide, ergo. Præterea etiam ſingula accidentia ex his poſtulant non ſolùm ſubjectum, ſed adæquatum & ultimum ſubjectum, nullum autem horum habet ultimatum ſubiectum, ergo jam etiam de facto fit miraculum in ſingulis.

5. Quia autem infirmata eſt utcumque prior illa probatio maioris principalis argumenti, quæ aſſerebat accidentia omnia in aliquo communi ſubjecto ſubjectari, probari ſic aliter poteſt, quoniam accidentia illa, puta odor eſt ſapor, & cæteræ qualitates panis & vini conſecrati uniuntur invicem; non uniuntur autem niſi in aliquo ſubiecto, ergo. Maior eſt certiſſima experimento, ſi quæ enim qualitates apparent ſenſui coniunctæ, ſunt iſtæ; & qui negat has eſſe coniunctas, nunquam iudicare poterit ullas eſſe coniunctas, nullum enim inter iſta & cætera accidentia coniuncta ſubſtantiis diſcrimen intercedit; aliàs enim diſcerni poterit inter panem conſecratum & communem, quo facto deſinet hoc eſſe myſterium fidei, ergo jam iſta habent commune ſubiectum in quo uniuntur, non ſubſtantiam, ergo. Adhuc tertiò probatur idipſum ſic, quia accidentia Euchariſtiæ prædicantur in concreto de ſe invicem; verè enim dicas album eſſe rotundum, ubi figura prædicatur de colore; liquidum eſſe dulce, quod verificatur de ſpeciebus vini; ergo iam termini harum propoſitionum, ſcilicet rotunditas & albedo, liquor & dulcedo in aliquo uniuntur; non in alio, quàm in ſubiecto, ergo. Confirmatur, quia accipiendo hos terminos in abſtracto, prædicationes erunt falſæ, ſi ergo ſunt veræ acceptis terminis in concreto, id non aliunde poterit provenire niſi quia in concreto ſumptæ concernunt ſubiectum, ergo. Et ſanè ſic probanda fuit illa maior, aſſumere enim motum ſimultaneum, eorum non videtur ſufficiens medium; ut ſi dicam motâ unâ qualitate in Euchariſtia moventur omnes, ergo omnes ſunt colligatæ; non videtur demonſtraſſe intentum; reſponderi enim poterit mihi, quòd motâ unâ moventur omnes, non quia ſunt colligatæ realiter, ſed quia Deus efficit motus omnes circa illa ſic geri ac ſi eſſent colligatæ in aliquo eodem, idque ad occultandum myſterium, quod aliàs reduceretur à fide ad experimentum. Sed hoc argumentum latiùs proſequar Apolog. ſequenti, ubi de diſtinctione quantitatis à ſubſtantia.

6. Secunda ratio à priori ſit iſta; quia quantitas ſecundùm omnes ſequitur materiam, & ineſt compoſito ratione eius, ſicut qualitas ſequitur formam, & ineſt ratione ejus, ergo habet rationem aliquam ſubiecti & receptivi, ſicut qualitates habent rationem activi, & verè ac ſe ipsâ agunt.

7. Tertia ab experimento & paritate, quia nimirum aliqua accidentia recipiunt immediatè in quantitate, ſi autem aliqua, quidni omnia? ne toties varietur ratio ſubjecti, ergo. Probo itaque majorem in figura, quæ ſine dubio afficit immediatè quantitatem, quum ſit terminus ejus, item in raritate & denſitate quæ afficiunt proximè quantitatem, cùm ſint extenſio & contractio ejus, ergo

8. Quarta; quia omnium judicio hæc propoſitio eſt magis naturalis & formalis; ſuperficies eſt alba, quàm iſta, albedo eſt lata: Item iſta, extremitas tabulæ eſt acuta, quàm hæc, acumen tabulæ eſt extremum, ergo quantitas, quæ eſt ſubjectum in primis propoſitionibus, tale revera eſt ratione prædicatorum illorum, quæ proinde dicenda ſunt in ipſa recipi.

Dicet aliquis hoc argumentum probare, quòd quantitas potiùs ſit ſubjectum qualitatum, quàm è contra: id verò non eſſe in quæſtione, ſed comparationem fieri inter quantitatem & materiam, & quæri, num aliqua accidentia ſubjectentur in quantitate, an verò omnia in ipſa immediata materia? Reſpondeo etiam hoc reſolvi per argumentum propoſitum; ſi enim rectiùs prædicetur qualitas de quantitate quàm è contra, ſequitur quantitatem habere aliquam rationem ſubjecti reſpectu qualitatis quam non habet qualitas reſpectu eius; at verò id eſſet falſum ſi omnia omnino accidentia ſubjectarentur in materia immediatè, tum enim nullum ſe haberet ut ſubjectum reſpectu alterius potiùs quàm è contra.

9. Urgeo argumentum (& ſit quinta probatio) ſic: Quando plures formæ merè concomitanter in uno communi ſubjecto ſe habent, non ſibi tribuunt ſuos effectus formales, nec ſe propriè denominant, non enim dicimus albedinem lactis v. g. eſſe dulcem, nec è contra dulcedinem albam: dicimus tamen albedinem eſſe extenſam, quæ eſt effectus formalis quantitatis, ergo dulcedo & ſimiles qualitates immediatè conjunguntur quantitati. Reſpondet Averſa hoc argumentum probare potiùs quòd quantitas ſubjectetur in qualitate, quia nimirum proprium eſt formæ denominantis ſubjectari in eo quod denominat, ſi ergo qualitas denominat qualitatem quid ſequitur, niſi quòd ſubjectetur in qualitate? Ita ille; ſed velit nolit, argumentum hoc prodeſt concluſioni, & colligit conſequentiam ſuprà illatam; ſi enim albedo non denominat dulcedinem, nec è contra, & tamen quantitas denominat utrumque, ni fallor efficitur evidens, quòd aliter ſe habet quantitas ad albedinem & dulcedinem, & aliter iſta ad ſe; at verò id non eſſet verum, ſi omnia omnino accidentia ſubjectarentur in ſubſtantia ipſa immediatè, tum enim tam immediatè eſſet ibi quantitas & albedo, quàm dulcedo & albedo, atque adeò nulla eſſet ratio, cur albedo v. g. denominaretur à quantitate potiùs, quàm à dulcedine quod eſt falſum; verum ergo erit quod intuli in argumento, ſcilicet has & cæteras qualitates conjungi immediatè quantitati. Subſumo: ſed non conjunguntur ei tanquam ſubjecta formæ, quod ipſe etiam Adverſarius concedit, nec tanquam du[illegible]mæ diſparatæ ad invicem, ut probatum jam eſt in argumento, ergo, ut formæ ſubjecto q[illegible]eſt intentum.

10. Sit textum hoc ex rarefactione ac condenſione deductum hoc modo: Quando rareſit ſubjectum aliquod, verbi gratiâ Lac, omnes eius qualitates immutantur, ſicut è converſo, quando condenſatur quodammodo augentur aut vigorantur, quod non contingit factâ immutatione circa alia accidentia, nam ſi remittatur odor non proinde fit immutatio aliqua circa colorem aut etiam ſaporem ſubiecti ut notum eſt experimento demonſtrante cuique, unde infero accidentia alia pendere aliquo modo à quantitate quo non pendent à ſe invicem. Ratio, quia raritas ac denſitas fiunt per acceſſum & receſſum ipſius quantitatis ut plures doctiſſimi authores volunt, ſaltèm fiunt per mutationem aliquam circa quantitatem, denſum enim eſt, quod habet multum materiæ in paucis dimenſionibus; ſi ergo immutantur omnia & ſingula per raritatem, jam immutantur mutatione factâ circa quantitatem, atque ita omnia dependent à quantitate; non dependent autem niſi tanquam à ſubiecto, ergo.

11. Quàm verò inepta ſit illa opinio Javelli & Soncinatis ponentium potentiam diſtinctam & ſuperadditam materiæ, quâ mediante recipiat qualitates, non verò mediante quantitate, inde colligas, quia potentia illa, vel eſt ſubſtantia, vel accidens; ſi ſubſtantia, debebit habere potentiam ſuperadditam, per quam accidentia ſuſcipere poſſit, alioquin materia ipſa poterit ea immediatè recipere, ſi autem accidentalis, debet ipſa recipi in materia; non poteſt autem, alioquin etiam qualitates immediatè recipi poſſent, & ita illa potentia erit ſupervacanea. Confirmo & verto argumentum in rem meam: ſi enim poteſt poni potentia accidentalis ſive accidens aliquod quod immediatè recipitur in materia & cætera eo mediante, an non bene dixi ego quantitatem recipi immediatè in materia, & alia omnia in ipſa? cur enim in alio accidente non in quantitate? cùm conſtet quantitatem dari, potentiam illam non conſtet? ergo.

12. Urgeo adhuc hoc ipſum: Nam ſi accidentia omnia recipiuntur in potentia illa ſuperaddita, ſequitur aliqua non recipi in ea, quid eſt contradictio primi & probatur, nam ſi recipiuntur in illa, jam accipient denominationem ab illa, ſicut ex eo, quòd recipiantur in quantitate, accipiunt denominationem quanti, & extenſi & impenetrabilis, & forma, eò quòd recipiatur in materia dicitur & eſt materialis, corporalis, atque ita ipſa accidentia erunt potentia recipere alia accidentia, quum ergo fruſtra ſit potentia quæ aliquando non exit in actum, etiam hæc potentia habebit actum ſuum, cur enim alia, non hæc? quod etiam aliunde ſuaderi poteſt ex eo quod de facto contingit qualitatibus à quantitate, nam & hæ quoque ſunt actu impenetrabiles, unde à primo ad ultimum ſequitur contra hos, quòd ſi omnia accidentia recipiantur in illa potentia, non omnia accidentia recipiantur in illa potentia.

13. Objicit Averſa, & conatur evertere inſimul omnia fundamenta huius viæ ponentis quantitatem tanquam ſubjectum cæterorum, non enim (inquit) hoc dici debet eò quòd conſtet alia accidentia non recipi niſi in materia

quanta,

Digitized by Google

quanta, hoc enim non convincit aliud, quàm quòd quantitas ſit diſpoſitio requiſita receptionem aliorum accidentium, etſi non ſit eorum ſubjectum, aliàs dicendum eſt, quòd approximatio materiæ ſit ſubjectum proximum omnium formarum, utique enim debet proximari ut aliquam accipiat. Præterea nec forma ſubſtantialis recipitur niſi in materia quanta, & tamen quantitas nequidem ſecundum nos eſt ſubjectum proximum formæ ſubſtantialis. Quod etiam non ſit ponenda quantitas ſubjectum cæterorum accidentium, ut cætera accidentia extendantur per ipſam ut nos volumus, probat; quia ad hoc potius dicendum eſſet quod accidentia alia puta qualitates ſint ſubjectæ quantitatis; ſcimus enim denominationes provenire ſubjectis à forma; ut ergo qualitates denominentur à quantitate cenſendum eſt potius quod recipiatur quantitas in illis quam ipſæ in quantitate. Deinde forma ſubſtantialis extenditur per quantitatem, nec tamen ſubjectatur in quantitate, poterunt ergo accidentia ſimiliter extendi ab ipſa, nec tamen ſubjectari. Reſpondeo quantitatem poni à nobis ſubjectū immediatum cæterorum accidentium propter rationes ſuprà pro concluſione multiplicatas, ad quas accedere poſſunt duæ iſtæ ab adverſariis miniſtratæ, unde ad inſtantiam contra primam reſpondeo non ſufficienter ſalvari exigentiam alicujus dicendo quod ſit conditio, nam non poteſt agens corporale agere niſi in corporali, quod ita verum eſt, ut corporalitas, non ſit tantum conditio ex parte paſſi ſed ratio formalis patiendi. Ita hic eſſe quantū nos dicimus, ille negat ſed nondū probavit, adeò adhuc æquo Marte pugnamus. Similiter dico ad ſecundum, nos quidem non allegaſſe iſtam rationem, ſi tamen deſerviat, permittere. In re autem collegimus quantitatem eſſe ſubjectum qualitatum, quia videmus qualitates extenſas, inde enim inferre licet aut qualitates recipi in quantitatibus aut è contra: ex quo patet ad primum pro hac parte, alterum enim disjunctivè neceſſarium fuit, nullum determinatè; ſine dubio enim forma præſtat aliquot effectus ſubjecto, & viciſſim ſubjectum aliquos formæ. Cur autem potius dictum ſit quantitatem in propoſito eſſe ſubjectum quam materiam, in promptu cauſa eſt, quia omnes qualitates ſunt extenſæ; non poteſt autem quantitas recipi in omnibus & ſingulis, niſi ipſæ recipiantur invicem in ſe, poſſet autem ipſa quantitas omnes qualitates recipere. Sed quid ad inſtantiam de forma ſubſtantiali quæ etiam eſt extenſa, & tamen non recipit in ſe quantitatem nec recipitur in ea? Dico formam etiam ſubſtantialem recipi in materia quanta, & immediatius eſſe in materia quantitatem quam formam, quod ſuo loco oſtenſurus ſum, ſive Apolog. ſequenti de quantitate, ſive in phyſica Apologia de materia prima quum oſtendam dari in ea dimenſiones quas vocant interminatas. Sed contra

14. Objicit ſecundò alius adhuc rationem concluſionis eſſe falſam; falſum eſt enim qualitates eſſe extenſas aut impenetrabiles formaliter; nō enim aliter tales ſunt, quàm extenſione ſui ſubjecti, eò quòd diverſæ partes qualitatis recipiuntur in diverſis partibus materiæ, quæ cum ſint in locis diſtinctis, trahunt etiam qualitates ad eadem loca. Reſpondeo: Sic negare poſſet qualitates eſſe figuratas, eſſe motas; dici enim poſſet hæc omnia verificari ratione ſubjecti, in quo omnes tales formæ ſunt, nulla autem in ipſis qualitatibus, quod tamen falſum eſt, cum conſtet accidentia figurari, moveri, atque etiam dividi, & tamen dicere poſſet Adverſarius quod ſolum dividatur ſubjectum, & dicatur tantùm dividi qualitas ratione diverſi ſubjecti, quod falſiſſimum eſt cum conſtet experimento auferri aliquas partes ipſi etiam qualitati. v. g. albedini cùm charta forficibus raditur. Itaque qualitas formaliter extenſa eſt, quod cum contingere non poſſit niſi aut recipiat in ſe magnitudinem, aut recipiatur in ipſa, ſequitur ut ſuprà. Deinde contra reſponſionem hujus Recentis facit fortaſſis nonnihil hoc, quod ſi qualitates non ſint extenſæ ſed ſolùm ſubjectum, non ſubeſſe cauſam cur in Euchariſtia qualitates ſeparatæ ſint extenſæ, quia jam deeſt cauſa extenſionis, ſcilicet ſubjectum quod erat ſubſtantia & jam non eſt. Nec valet dicere hoc fieri à Deo ad occultandam fidem myſterii quia talis occultatio bene locum habet in ſententia ponente quantitatem ille ſubjectum, in alia non, quia nimirum Concil. Tridentinum docet remanere tantùm ſpecies panis & vini, id eſt accidentia quæ fuerunt præſente pane & vino, at verò præſente pane & vino non fuit ulla extenſio qualitatum illæ enim non fuerunt formaliter extenſæ ſecundum te, adeòque nec nunc debent tales eſſe.

15. Objicit idem ultimò: Diſpoſitio debet eſſe in ſubjecto, quod diſponit, ſive in eo, in quo recipienda eſt forma, ad quam ipſa diſponit, nam ſi non eſt in eo ad quod diſponit quomodo illud diſponit? ſed qualitates diſponunt materiam ad receptionem formæ, ergo debent neceſſariò eſſe in ipſa materia. Reſpondeo qualitates & diſpoſitiones omnes eſſe in materia: deinde quot ſunt qui dicunt qualitates omnes eſſe in toto, & tamen diſponi per ipſas materiam, ad introductionem ſcilicet novæ formæ. Denique ſint, ut volunt Adverſarii, in ipſa immediatè materia, quæro an diſponant materiam ad novam formam ſubſtantialem, v. g. calor & ſiccitas, materiam ligni ad excipiendam formam ignis? ſi non, nihil juvatur arguens ſuo argumento; ſi ſic, incidit in ſuos calles, quod forma ſubſtantialis non recipiatur immediatè in ſubſtantia, utique enim recipitur in materia diſpoſita, atque ita in ipſis immediatè diſpoſitionibus, vel ſi poteſt recipi in materia diſpoſita quin priùs recipiatur in diſpoſitionibus, poterit etiam ut nos dicimus recipi in materia quanta, abſque eo quod recipiatur immediatè in quantitate.

Digitized by Google

ACTIO IV.

Vtrum accidens ſpirituale poſſit inhærere ſubjecto corporeo, vel è contra accidens corporeum ſubjecto ſpirituali?

Breviarium.

N. 1. Non poſſe ordinariè & naturaliter accidens ſpirituale ineſſe materiæ.

2. Poſſe abſolutè loquendo formam ſpiritualem ineſſe materiæ.

3. Non omnem formam ſpiritualem poſſe ineſſe ſubjecto corporali, probatur.

4. Alia hujus probatio. Concluſionem in hac parte non ſolùm verificari de actibus vitalibus, ſed &

5. Non poſſe formam ſpiritualem inhærere materiæ, ſeu de potentia ejus educi

6. Nec formam corporalem ſubjectari poſſe in ſubjecto ſpirituali. Probatur hic de quantitate.

7. Probatur etiam de qualitatibus.

8. Objectio an poſſit eſſe animal contrarium homini ex corpore ſpirituali & anima materiali?

9. Alia objectio ſoluta. Ignis inferni quomodo cruciet Angelos & animas ſeparatas?

1\. SUpponitur negativa communiter, & meritò quoad potentiam naturalem, quòd ſcilicet accidens ſpirituale non poſſit inhærere naturaliter ſubjecto corporali, utique enim connaturale eſt accidenti ſpirituali ſubjectum ſpirituale, & è contra ſubjectum ſpirituale formæ ſpirituali.

Objici tamen poteſt, quòd forma ſpiritualis poſſit naturaliter informare ſubjectum corporeum, ergo ſimiliter vel multò magis forma accidentalis. Probatio antecedentis eſt anima rationalis, quæ ſpiritualis eſt & naturaliter informat corpus organicum humanum. Sed reſponderi facilè poteſt dando diſparitatem hanc, quia nimirum nulla forma corporalis eſt quæ poſſit præſtare corpori id quod præſtatur per animam, at verò nulla forma accidentalis eſt quæ habeat effectum ullum quem non poſſit præſtare aliqua forma corporalis, v. g. dico me non poſſe fieri ſedentem aut ſtantem per ſeſſionem aut ſtationem ſpiritualem, quia nimirum poteſt dari mihi ſeſſio corporalis ſive accidens aliquod corporeum & materiale per quod reddar ſedens, at verò non poteſt dari forma corporalis, quæ præſtet omnes effectus ad quos corpus hominis eſt aptatum & præparatum, corpus enim noſtrum eſt organizatum non ſolùm ad ſentiendum, ſed etiam ad intelligendum intellectio autem non poteſt provenire à forma materiali. Sed contra hanc rationem

Inſtari poteſt ſic: Nulla forma naturalis poteſt præſtare animæ quod præſtatur per habitus ſupernaturales, v. g. gratiam, gloriam, & nihilominus formæ illæ ſunt ſupernaturales animæ atque etiam angelo, ergo, quòd effectus quos communicat anima rationalis corpori non poſſint ab alia forma præſtari, non facit animam naturaliter recipi in corpore. Reſpondeo, ſi ita ſit, eò magis verificari concluſionem, ſic enim nulla forma nec ſubſtantialis, nec accidentalis ſpiritualis recipi poterit naturaliter in ſubjecto corporeo. Sed quia falſum eſt conſequens argumenti, ſcilicet animam rationalem non recipi naturaliter in corpore: Reſpondeo aliter, quòd habitus illi infuſi, licèt ſint in entitate ſupernaturales, tamen non ſupernaturaliter recipiuntur, ſed naturaliter, hoc eſt non patiuntur illam difficultatem in receptione aut unione ad ſubjectum quam pateretur forma ſubſtantialis ſpiritualis in ſubjecto corporeo, aut vice verſâ forma corporea in ſubjecto ſpirituali. Iam quoad abſolutam poſſibilitatem hujuſmodi receptionis,

2\. Dico, quantum ad ſimplicem unionem, formam ſpiritualem poſſe de potentia abſoluta recipi in ſubjecto corporali, non omnem tamen: At verò loquendo de inhæſione propriè dicta aut de productione per eductionem nullam formam ſpiritualem probabiliter poſſe ſic recipi in ſubjecto ſpirituali, hoc eſt inhærere ei, aut educi de ipſo.

Probatur prima pars medio objectionis ſuprà factæ ſic: Poteſt ſubſtantialis forma uniri ſeu informare ſubjectum corporeum, ergo accidentalis conſequentia probatur, quia aut utraque forma univocatur in ratione ſpiritualis, & ita æqualis eſt difficultas recipiendi utramque. Aut non univocantur, & tum certum eſt, quòd perfectior ſit ſpiritualitas formæ ſubſtantialis, atque ita plus excedet corpus, ac proinde difficilius unietur ei. Antecedens autem patet in anima rationali, quæ unitur corpori organico & materiali hominis. Patet item ſuo modo in verbo Dei quod etiã unitum eſt humano corpori, aut ſaltèm toti homini, qui tamen totus homo cenſeatur corpus & corporale quid ut patet in arbore Porphyrii, in qua homo eſt ſpecies atoma & ſupra ipſam eſt corpus tanquam genus.

Probo etiam aliter, & faciliùs, quia revera totum, quod dicitur in hac parte concluſionis quotidie contingit, nec poteſt aliter eſſe, aliàs ſubſtantia ſpiritualis non poſſet locari in ſpacio corporali, nam ſine dubio locatum habet aliquam unionem ad locum, & vice verſâ, adeòque quantum ad ſimplicem unionem ſpiritualis cum corporali res eſt extrà controverſiam non ſolùm in ſtantiâ Angeli, ſed ipſius etiam Dei O. M. uterque enim occupat locum diviſibilem. Hoc idem argumentum formari poteſt in alia natura ſeu ſpacio durationis, nam etiam Angelus & aliæ res ſpirituales durant, ſeu coexiſtunt durationi diviſibili, & inter ipſa eſt quædam applicatio ſeu unio, quam philoſophi exprimunt per prædicamentum *quando*.

Denique probari poteſt utcumque hæc res inſtantiâ indiviſibilis quantitativi, puta puncti; hoc enim

enim non habet partes, & tamen unitur habenti partes, & idipſum eſt de aliis, quæ licèt ſunt ſpecies quantitatis, tamen ſunt etiam quadam ratione indiviſibiles, ſcilicet linea & ſuperficies, quarũ prima eſt indiviſibilis in latitudine, altera in profunditate, hæc enim quatenus ſunt etiam indiviſibiles uniuntur ſine dubio aliis divibilibus, ergo. Sed

Objicies: Si hæc ita ſint, tum ruit prima pars noſtræ reſolutionis, nempe primum, quod ſupradiximus, fuit naturaliter non poſſe formam ſpiritualem recipi in ſubjecto corporali, & tamen iſtæ inſtantiæ probant oppoſitum: v. g. punctum applicatur & unitur naturaliter parti diviſibili, & angelus eſt naturaliter in ſpacio diviſibili tam temporis quàm loci, ergo vel iſtæ inſtantiæ nihil juvant nos, vel probant etiam naturaliter poſſe hoc contingere quod negamus. Huic rationi infrà reſpondebo. Interim

3. Probo alterum, quod dixi, ſcilicet non omnem formam ſpiritualem poſſe informare ſubjectum corporale, & volo per hoc excipere actus vitales & ſpirituales, v. g. intellectionem & volitionem; dico has non poſſe recipi in corpore, puta in ligno, quia non poſſunt tribuere ſuum effectum formalem ligno, ſcilicet eſſe intelligentem, adeòque, quam conſequentiam inde probo quia effectus formalis alicujus formæ non eſt aliud quam ipſa unita ſubjecto, non enim forma cauſat efficiendo ſed communicando ſe, adeoque cui communicatur intellectio v. g. id redditur intelligens quum iſta duo ſint ſynonyma ut vidimus; ex quo infero, ergo cui repugnat eſſe intelligentem, huic repugnat communicatam eſſe intellectionem; atqui clarum eſt lapidem aut lignum non poſſe reddi intelligentia, ergo etiam nec poterit his uniri aut communicari intellectio.

Dici poteſt forma variare ſuos effectus formales pro diverſitate ſubjectorum, ſic enim curvitas in naſo dicitur ſimitas, in aliis ſubjectis non: Carentia alicujus formæ in ſubjecto apto nato eſt privatio, in aliis non, ſed negatio, ergo. Reſpondeo: Non litigamus quomodo dicendæ aut vocandæ ſunt res, ſed quomodo revera ſe habeant, quod quum neceſſariò tenendum ſit ab utraque parte, eſſentiam dixi ſtatim deſtruit partem illam Adverſariorum, nam ſi ita ſit & exempla adducta continent paritatem, tum fateri habent hoc quod eſt eſſe intelligentem, & totum quod homo habet per intellectionem id inquam revera in lapide ſimiliter inveniri, licèt non ſit ſimiliter appellandum, nam revera, quidquid facit curvitas in naſo facit in aliis ſubjectis, & quidquid aufert negatio à ſubjecto aufert etiam privatio à ſuo, licet ablationes illas diverſis nominibus importari voluerint homines.

R. Ariagà citat. Aliter itaque Recens quidam putavit evadendam ſibi vim argumenti oſtendendo formam non debere communicare omnem effectum ſuum ſubjecto; quia (inquit) qualitas communicata ſubjecto eſt aliquando intenſa, non tamen reddit ſubjectum intenſum. Item forma aliquando eſt indiviſibilis nec tamen reddit ſubjectum ſuum indiviſibile, quod utrumque patet in anima rationali & corpore. Sed enim immeritò ille dixit hæc eſſe clariſſima & efficacia; primum enim quod aſſumit eſt falſum, ſecundum non quidem falſum eſt, ſed eſt impertinens. Incipio à priori, & oſtendo errorem, nam revera qualitas intenſa reddit ſubjectum intenſum eo modo quo ab ipſo expectari debuit: nam calor vehemens reddit vehementer calidum, quid autem eſt eſſe intenſum niſi eſſe vehementer & valenter tale? Præterea etiam ſubjectum illud non ſolùm calidum eſt ut octo v. g ſed eſt calefactivum, ergo jam non ſolùm habet virtutem agendi in illo genere, ſed etiam intenſionem ejus. Quod autem addit in ſecundo, ſcilicet formam indiviſibilem non reddere ſubjectum ſuum indiviſibile, veriſſimum eſt ſed impertinenter allatum, ſic enim poterat notare quòd qualitas non facit ſuum ſubjectum eſſe qualitatem neque reddit ipſum accidens, licèt ipſa ſit tale, atque inde inferre, quando ipſi placeret, quod forma non tribueret ſubjecto hunc aut illum effectum formalem, quod nihil eſſet. Itaque nulla forma tribuit ſubjecto effectum pertinentem ad actum primum ſeu ad eſſe, ſed ſupponit eum; hoc autem quod eſt eſſe indiviſibilem, eſſe materialem aut qualitatem potiùs quàm ſubſtantiam pertinet ad actum primum, adeòque.

Melius fortaſſe inquit alius hoc, quod eſt eſſe intelligentem, non eſſe effectum formæ, ſed formæ & ſubjecti, adeòque non habendum ubi deeſt ſubjectum proportionatum licèt adſit forma, ſed nec ſic quidem reſpondit, quisquis eſt, ſed pervertit principia philoſophiæ, reddit enim ipſum ſubjectum formam, & quidem ſui ipſius, facit enim ipſum tribuere ſibi effectum aliquem planè ſicut externa forma tribuit, ſcilicet perſonaliter.

4 Probemus ergo aliter de novo concluſionem ſic: Quædam ſunt formæ intra genus materialium, quæ determinant ſibi ſubjecta aliqua in ſpecie, ut non poſſint eſſe aliorum, ergo etiam à fortiori vel ſimili formæ aliquæ poterunt determinare ſibi ſubjecta aliqua in genere, atque ita erunt aliquæ, quæ non poterunt transferri ultrà genus ſubjecti ſpiritualis, & aliæ quæ non poſſunt transferri ultrà genus ſubjecti materialis. Antecedens patet in riſu, v. g & riſibilitate, quæ non poſſunt inveniri extra hominem, alias non eſſent propria quarto modo homini, quia non competerent ſoli. Diceret aliquis argumentum bis fallere, ſemel quia riſibilitas non eſt accidens aut ullatenus forma inhærens ſed ſubſtantia, ſecundò quia riſus poteſt alteri ineſſe, licèt non poſſit ab alio produci. Audio & dico me uſum riſibilitate ad hominem, in ſententia ſcilicet Adverſariorum qui reputant eam eſſe formam, & quidem accidentalem, riſu autem in mea, quia ſaltèm hoc quod eſt ridere non poteſt alteri ab homine competere, ſed hoc quod eſt ridere eſt accidens, ergo jam datur aliquod accidens determinans ſibi ſubjectum in ſpecie, ſi autem in ſpecie quidni in genere? Denique hæc pars concluſionis non eſt obligata actibus vitalibus, quaſi illi ſoli determinarent ſibi ſubjecta aut eſſent affixa illis, nam etiam habitus ſic ſe habent, gratia ſanctificans non poteſt afficere niſi naturam intellectualem, quia non poteſt alteri tribuere effectum ſuum, ſcilicet eſſe amicum aut filium Dei adoptivum.

5. Dico jam, & probo, quod ſuprà, ſcilicet formam ſpiritualem non poſſe inhærere propriè & educi de potentia ſubjecti materialis, ſaltèm id eſſe in principiis philoſophicis probabile: Ad quod ſuppono inhærentiam propriè dictam reſpondere eductioni, neque inhærere propriè niſi

educta: ipſam autem eductionem eſſe productionem alicujus formæ dependenter à ſubjecto, à quo proinde etiam conſervatio formæ dependet; quo poſito arguo: Nulla forma ſpiritualis poteſt produci dependenter à ſubjecto materiali, ergo nec educi. Conſequentia liquet ex dictis; antecedens autem ut probetur, ſtatuo caſum, in quo forma ſpiritualis, v. g. ſcientia aut gratia ipſa educatur ex ſubjecto materiali palmari ſive longo unum palmum. Dico gratiam non poſſe educi ex hoc palmo, quia vel dependeret in produci tota à toto palmo, & tota à qualibet parte palmi, vel dependeret pars à parte palmi. Aliquid dicendum eſt, neutrum dici poteſt: Non ſecundum, quòd ſcilicet pars ejus dependeat à parte palmi, quia gratia non habet partes, non etiam primum, quia tum dependeret gratia illa à pluribus cauſis adæquatis, nam quælibet pars palmi eſſet adæquata cauſa terminans dependentiam ejus in hoc genere, ergo. Vim hujus rationis ſive veritatem axiomatis, quòd nihil idem poſſit habere plures ſui cauſas adæquatas ſupra partim oſtendi, amplius oſtenſurus ſuo loco. Interim legatur Subtilis 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 3. *num.* 4. & cum eo interpretes tam ibi quàm in ſecundum phyſicorum. Scotus.

Reſponderi tamen poſſet prætendendo tertiam viam, quòd ſcilicet gratia illa dependeret partim ab una parte, & partim ab alia, atque ita totaliter à toto, v. g. ſemipenderet à ſemipalmo, & iterum ſemipenderet ab alio ſemipalmo, ſed contrà oſtendo ego hoc non poſſe prætendi, nam ſi dependentia hujus eſt diviſa in partes juxta partes ſubjecti, ut volunt ſic reſpondentes, implicat eam dependere à ſecundo ſemipalmo vel vel ab aliquo ejus ratio, quia in priori ſemipalmo eſt cauſa adæquata terminativa dependentiæ ejus; Etenim in priori ſunt infinitæ partes, non poteſt autem gratia illa habere partes dependentiæ aut ipſas dependentias plures, quàm infinitas, ergo.

Inſtari tamen poteſt, ſi hic diſcurſus valet, ſequitur, quòd anima rationalis non poſſit uniri ſubjecto palmari, quia nimirum in ſemipalmo dantur infinitæ partes, anima autem non poteſt habere plures uniones, quàm infinitas. Reſpondeo non eſſe ſimile hinc inde, quia terminationes unionum animæ ad corpus non ſunt cauſalitates aut influxus corporis in animam, ſed formæ merè accidentales & quaſi impertinentes animæ & cuicunque ſimili. Terminationes dependentiæ reſpectu gratiæ in eo caſu eſſent quædam cauſalitates ſubjecti reſpectu gratiæ. Non eſt autem æqualis difficultas multiplicandi quæcumque reſpectu alicujus, & multiplicandi cauſas ejus, ſed multò major multiplicandi cauſas: poſſum habere decem ſorores; non poſſum duas matres. Jam ad alteram partem tituli

Deciditur quæſtio quoad receptionem formæ corporeæ in ſpiritu.

6. Dico tertiò eſſe etiam probabile, quòd forma corporalis non poſſit ſubjectari in ſubjecto ſpirituali; & probo, quod quantitas v. g. non poſſit recipi in Angelo: quantitas non poteſt communicare naturam ſeu effectum ſuum angelo, ergo nec ſe ipſam, quia, ut dixi hæc non diſtinguuntur. Antecedens oſtendo, quia non poteſt extendere angelum ad locum. Dices, non valere rationem ſed ſupponere falſum, quia extendere ad locum non eſt effectus formalis quantitatis, quum inveniatur quantitas ſine ipſa ut patet corpore Chriſti Domini in Euchariſtia, habet enim quantitatem ibi non tamen extenſionem localem. Reſpondeo rationem valere, quia licet effectus quantitatis non ſit actu extendere rem impenetrabiliter ad locum, ut minimum tamen effectus ejus erit extendere ipſum aptitudine & exigentia, ut ſcilicet exigat connaturaliter res ſic extendi, licet ſupernaturaliter impediri poſſit ne extendatur; atqui hoc ipſum non poteſt præſtari Angelo, quia Angelus non ſolum non poteſt extendi ſic per locum, ſed nec poteſt exigere ſic extendi partem extra alteram partem ſui, quum omnino non habeat partes; imò difficilius videtur efficere ut exigat quam ut id actu habeat; aliàs etiam non poteſt dari aptitudo aut actus primus ubi actus ſecundus eſt impoſſibilis.

Reſpondent tamen aliqui poſſe quantitatem tribuere effectum ſuum Angelis, eò quòd effectus ille non ſit, ut nos credimus eſſe extenſum, ſed eſſe habentem hanc formam ſcilicet quantitatem; Angelus autem eſſet habens quantitatem, adeoque haberet effectum formalem quantitatis. Audio, ſed ſi ita ſit quod effectus formales formarum explicandi ſint per habere tales formas, tum non licet colligere, quod quidpiam ſit tale, v. g. non licet mihi dicere quòd paries ſit albus, quamvis in eo videam albedinem, ſed tantùm judicare poſſum, quòd paries ſit habens albedinem, quod non ſolum eſt contra Ariſtotelem, qui diffinivit qualitatem quid ſit, *id quo quales dicimur*, ſed etiam contra communem ſenſum & experientiam quandam; ſequela autem patet quia plus eſt eſſe album quam eſſe habens albedinem, ſed primum tantum colligere poſſum ſecundum hos, ergo.

Probo ſecundò idipſum paritate aliquâ, quia linea v.g. non poteſt reddi lata, ex quo ſequitur, quòd linea aut quaſi linea materiæ non poſſit ſubjectare ſuperficiem quantitatis. Ratio utriuſque eſt, quia linea eſt longitudo tantum, id eſt longitudo dicens negationem latitudinis, ſicut irrationale dicit negationem rationalitatis, dividitur enim extenſio in ipſam & latitudinē, ſicut animal in rationale & irrationale, ergo ſicut implicat rationale fieri irrationale ita implicabit longitudinem illam reddi latam, ex quo infero quod ſimiliter implicabit punctum reddi aut longum aut latum, & deinde ex utroque intentum hujus loci ſic, quia Angelus v. g. & univerſim omnis ſpiritus eſt indiviſibilis ſicut punctum, & magis diſparatæ naturæ ab omni quantitate quàm punctum ſit quia denique punctum licèt non ſit quantitas eſt quantitativum, Angelus autem non eſt nec ullus Spiritus. Confirmo & formo rationem horum omnium à priori ſic; quia ſine dubio corpus & ſpiritus conſtituuntur per rationes repugnantes, & non ſolum neutraliter ſe habent, adeòque id in quo differunt hinc inde neceſſariò competet vim & repugnabit alteri, atqui differunt per ordinem ad quantitatem, ergo ordo ad quantitatem, neceſſariò ita competit uni ut repugnet alteri, atque ita de nulla potentia poterit quantitas alteri competere: & hæc quidem omnia de quantitate procedunt.

7. Probo jam utcumque de qualitate corporali, quòd non poſſit recipi in ſpiritu, nam qualitas

tas non eſt in eo ſubjecto, in quo non poteſt habere intenſionem & remiſſionem, non poſſet autem in Angelo, quod ſic oſtendo, demus Adverſariis Angelum eſſe dealbatum, dico hanc albedinem non poſſe eſſe remiſſam in Angelo, & probo neceſſariò, debere eſſe intentiſſimam, quia nimirum neceſſariò habet plures partes in eadem parte ſubjecti. Sit enim Angelus aptus extendere ſe per totam hanc aulam, albedo: quæ ſufficit dealbare eum debet poſſe coextendi toti huic aulæ. Tum ſic, ſi omnes gradus hujuſmodi albedinis reducerentur in unum, & aggregarentur in eandem partem, vel in idem punctum aulæ ſine dubio pars illa foret intensè alba. Sic autem eſſet in Angelo, nam tota illa albedo eſſet in eadem parte vel potiùs in eodem puncto ſubjecti, quia nimirum ipſe Angelus eſt inſtar puncti & impartibilis ergo neceſſariò illa eſſet intenſa.

Duo reſponderi poſſunt: Primum, quòd ratio probet æquè nequidem qualitatem ſpiritualem poſſe eſſe remiſſam in Angelo: Secundum, quòd ſi Angelus coextendatur toti aulæ, tunc partes qualitatis erunt etiam extra ſe, atque ita non intenſæ ſed extenſæ tantùm. Sed primum aſſumit falſum quia qualitas ſpiritualis non habet tam certò partes integrantes, ſicut habet qualitas materialis. Concedam qualitatem ſpiritualem diviſibilem eſſe in plures gradus intenſionis, non concedam tamen ſingulos gradus eſſe diviſibiles in plures partes integrantes quod tamen convenit certò materiali Ad ſecundum autem ſufficit dicere quod ſaltè tunc illa qualitas eſſet intenſa quando Angelus retraheret ſe ad minorē locum, nam tunc omnes eſſent in eodem loco, ſubjecto & parte, imo plus quàm parte & puncto ejus adeòque. Denique exiſtimo pro hac concluſione valere illam rationem quæ infert id poſſe naturaliter fieri ſi poſſet ſupernaturaliter fieri Cauſa conſequentis, quia potentia paſſiva aut receptiva una & eadem eſt ſemper, nec per ullam externam virtutem amplificari aut reſtringi poteſt. Quia nimirum non exigit niſi non repugnantiam paſſi, eo enim ipſo ſtatim recipietur, dummodo adſit efficiens quod ipſum producat. At verò repugnantia aut non repugnantia non ſubeſt ulli potentiæ agentis, nec opportet diſtinguere pernaturaliter & ſupernaturaliter, quia quod ſemel repugnat naturæ non poteſt etiam ſupernaturaliter ei accommodari. Adhuc tamen inſtari poteſt quia corpus Chriſti habet omnes partes cujuslibet qualitatis ſuæ ſimul, nec tamen habet eas propterea intenſas, ergò Reſpondeo: Habet eas ſimul loco, non habet eas ſimul ſubjecto, ſunt enim illæ in eadem parte loci, non tamen in eadem parte ſubjecti; ſecùs eſſet in Angelo, qui cum non habeat partes, in eo omnes qualitatum gradus eſſent in eodem indiviſibili ſubjecti Sunt & jam ſpecialia argumenta de ipſis accidentibus in ſpecie, v. g contra quantitatem ne recipi poſſet in Angelo, quia tunc Angelus poſſet palpari, contra qualitates, v. g. colores quia tunc poſſet videri, eſſe pulcher & deformis, dulcis & amarus, quæ relinquo quia cuivis obvia ſunt Tamen

8. Objicio contrà · Poteſt forma ſubſtantialis ſpiritualis informare ſubjectum materiale, ergo poterit forma ſubſtantialis materialis ſubjectum ſpirituale, eſt enim proportio permutata Sed nego huic conſequentiam ratio eſt, quia poteſt dari ſubſtantia ſpiritualis perfectior omni materiali, non poteſt dari ſubſtantia materialis perfectior omni ſpirituali. Inſtari tamen poteſt quòd hæc ratio non obſtet, ne forma accidentalis materialis recipiatur in Angelo, quia non debet forma accidentalis eſſe perfectior ſubjecto, quidni ergo poſſit aliqua talis recipi in Angelo? v.g. cur non poſſit Angelus moveri motu locali materiali? Reſpondeo: Verum eſt, & proinde concluſio quoad hanc partem debet fundari in aliis rationibus pro ipſa poſitis, ſed

9. Objicio ſecundò, ſi repugnaret accidens, materiale recipi in ſubjecto ſpirituali, fruſtra aſſignarentur pœnæ corporales ſpiritibus, quia nimirum non poſſunt nocere eis. Gaſus eſt in igne qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus, quod tamen fruſtra fieret, ſi nihil producibile ab igne puta calor aut ſimile poſſet recipi in angelo. Reſpondeo primò: Argumentum plus probat quàm arguens vellet; ſi enim valet, ſequitur quod aliquid corporeum naturaliter produci poſſit in ſpiritu, utique enim ignis ille naturaliter agit in angelos & animas ſeparatas. Reſpondeo ſecundo è contrario non ſufficere argumentum hoc ad intentum ſuum, quamvis enim demus calorem vel ſimile aliquid producibile ab inge recipi poſſe in angelo, non proinde ignis erit pœna proportionata angelo, quia calor ille non inferet dolorem angelo, quandoquidem non corrumpat aliquam qualitatem conſervativam ejus. Itaque ſemper intricata & difficilis intellectu fuit illa pœna ignis, & pro nunc videtur non aliter punire ſpiritus niſi, vel quia credunt illi quod eis noceat, vel quia ibi detinentur tanquam in carcere, vel ob eorum ſuperbiam quæ vehementer renititur tam materiali ſupplicio. In fine exiſtimo dicendum eſſe hîc quod non imprimantur eis qualitates ullæ corporeæ ab igne, quia & rationes concluſionis contra faciunt, & prætetea nil facit ad pœnam quod calor ab igne producatur in Angelo ut viſum eſt, ergo.

De Accidente metaphyſico legendi ſunt

Ariſt. 7. *Met. text.* 2 *&* 3. *&* 15 *&* 4. *Met. tex.* 2. Aug. *in Catheg.* 15. Damaſc. *in Dial. cap.* 13. D. Th. 4. *diſt.* 12. *art & q.* 1. *&* 3. *par. q* 77. Gul. Vatro *in* 4. *citat.* Henr. *quodlibet.* 4. Gotfied. 4. *p. ſic.* Ægid. *Theor.* 36. 37. 38 39. Ock. 4. *q* 7. *& tract. de Eucbariſt. cap.* 28 Mayron. 4. *citat. q.* 2. Gab. *lect* 44. *in Can.* Dur. 4. *cit. q.* 1. Cap. *q.* 1. Soto *d.* 10. *q. & art.* 2. Ferrar. 4. *contra Gent. cap.* 65. Harvæus *quodl.* 11. *q.* 29. Bacon. 1. *d.* 28 *q.* 1. *art* 3. Gregor. 2. *d.* 12. *q. & art.* 2. Major 4. *d.* 12. *q* 2. Mursil. *ib. q.* 5 *art.* 2 Maſius 1. *Phyſic. cap.* 9. Cajet. *de ente & eſſ. q.* 16. Didacus Nuno 3. *p. q.* 78 *art* 1. Joann. Canon. 1. *Phyſic. q* 4. Aquar. 7. *Met dilucid.* 1 Jandun. *ibid. q.* 1. Sueſſan. *diſp.* 1. *c.* 4. Julius Syrenus *diſp de ſubiecto prim philoſ ſect.* 2. Thom. Wald. *tomo* 2. *c.* 76. Trombet 7. *Met. q.* 1. Anton. Andreas *ibid.* Acerb. *lib.* 3. *Peripat. qq. quæſt.* 1. Trinata *Theor.* 3. Soncin. 7. *Met. q.* 1. Dominicus de Flandria 7. *Met. q.* 1 *art.* 2. Javell. 7. *Met.* Zanardus *ibid q* 1. Franciſcus Suar. *diſp.* 37. *Met.* Nyphus *lib.* 7. *Met. diſp.* 1. Raph. Huerla *tomo* 1. *philoſ. q* 21. Poncius *diſp.* 13. *Log.* P. Hurtado 13. *Metaph. ſect.* 1. Franciſcus Oviedo *contr.* 1. *de Generat. p.* 1. *&* 2. Rodericus Arriaga *diſp.* 5. *Met.* Alfonſ. Briſen. *contr.* 5. *de Viſion. Dei diſ.* 1. *ſub diſt.* 2. Greg. de Valent. *q.* 5. *de Euchar.* Tolet. Soncin. Cajet. *in cap* 6. *Perp.* Levig. Somd. *ib.* Card. Sarnan. Angles, *&* Mauric. *in q.* 35. *prædic. Scoti.*

ACTIO I.

Vtrum inhærentia ſit de eſſentia Accidentis, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *An fides ſacramenti Euchariſtiæ cogat nos admittere ſeparabilitatem accidentis à ſubjecto?*

2. *Poſſe intelligi & ſalvari Concilium Tridentinum ſine ſeparatione accidentis à ſubjecto.*

3. *Poſſe tamen ſeparabilitatem hanc colligi ex alio credito, ſcilicet ex creatione lucis.* Gen. 1.

4. *Concluſio affirmativa ſeparabilitatis accidentium à ſubjectis.*

5. *An agnita antiquis? Expenſus Ariſt.* 4. Phyſ. & 3. de An.

6. *Ratio concluſionis. Quid inferatur in Demonſtratione?*

7. 8. 9. 10. *Multiplicantur rationes pro concluſione.*

11. *Objectio ſoluta. An ſubſtantia poßit inhærere?*

12. *Redintegratur eadem objectio. Adductus textus Scoti* ex 4. d. 12. q. 1.

13. *Alia objectio, expedita. Cur non detur inhærentia inhærentiæ?*

1. HÆc etiam difficultas ex fidei Chriſtianæ myſteriis orta eſt, nunquam enim veniſſet ulli in mentem de hoc dubitare, niſi crederemus in ſanctiſſimo ſacramento Euchariſtiæ manere accidentia panis & vini ſine ipſis, ſicut nec quiſquam dubitaret, an ſubſiſtentia idem eſt quòd ſingularitas niſi crederemus in Chriſto dari ſingulare creatum ſine ſubſiſtentia creata.

Neſcio tamen, an fides Euchariſtiæ ad hoc nos cogat, quia explicatio Euchariſtiæ per deſtructionem ſubſtantiæ & remanſionem accidentium, non admodum antiqua eſt, videtur enim cœpiſſe audiri temporibus Urbani Papæ quarti, nam in Concil. Lateranenſi transſubſtantiatio quidem ponitur, ſeparatio accidentium non ponitur. Et in Concil. Tridentino noviſſimo, quod præ omnibus ad terminos ſcholaſticos deſcendit, communis ſententia hujus ſæculi non habet tantum fundamenti, quantum credit, quod paulò pòſt oſtendam. Quomodo autem ſuſtineri poſſit fides Euchariſtiæ ſine remanentia accidentium? Fortaſſis iſte modus non erit incongruus ſi dicatur ipſum Corpus Chriſti immediatè ibi ſenſibus ſubeſſe, & induere illa accidentia ſub quibus putatur ſubeſſe panis cùm non ſit.

2. Dices ita illudi nobis per hoc ſacramentum, dum inducimur in errorem ex accidentibus illis putantes eſſe, quod non eſt. Reſpondeo: Iſto modo non plus illuditur nobis, ſive non datur major occaſio accipiendi unum pro alio, quàm de facto ſive in communi doctrinâ ponentium accidentia ſeparata, jam enim putatur eſſe panis ubi non eſt, accidentia enim illa ſignificant hoc, quòd tamen non eſt verum.

Dices primò corpus Chriſti poſt reſurrectionem eſſe glorioſum, atque ita impatibile & inalterabile, unde non poteſt recipere alterationes novorum accidentium. Reſpondeo corpus Chriſti fuiſſe etiam impoſſibile, quum Mariæ Magdalenæ apparuit in ſpecie hortulani, & quum diſcipulis apparuit in ſpecie peregrini, utrumque enim fecit poſt reſurrectionem, & tamen induit ſive verè ſive apparenter accidentia utriusq; quem ſimulavit, ſcilicet hortulani & peregrini. Quidni ergo dicetur hîc induere ſimilitudinem panis eodem modo, & videri, quod non eſt ſine impoſtura aut mendacio ſicut in ſecundo illo caſu *finxit ſe longiùs ire*, hoc eſt geſtu externo corporis ſignificavit ſe perrecturum ulterius in illa via, quod tamen nec fecit, nec voluit revera facere.

Hujusmodi explicatio, mirum eſt, quàm conveniat doctrinæ Conc. Tridentini, quod ſolum ei videbatur obſtare (quum in anterioribus Conciliis nihil tale fuerit cogitatum) nam etiam in Tridentino, neque in capitibus doctrinalibus neque in Canonibus ſeſſionis.

13. Ubi hoc negotium tractatur, nullibi, inquam, dicuntur accidentia panis aut vini ſeparari à ſubjectis, manere poſt ſeparationem, ſubſiſtere aut ſimile. Sed dicuntur manere *ſpecies*, id eſt apparentiæ panis & vini, ſive ſimilitudines externæ aut repræſentationes panis, *&c.* quod eſt ipſum intentum hujus explicationis & propriiſſimè dicitur ad phraſim ſcripturæ ſanctæ æquè ac Ethnicorum. Ita 2. Mach. 3 *dr. Specie quidem tanquam in ſe leviam eſſet perrecturus* (Heliodorus) *re autem vera mandatum regis*, & Marcus Cic. de Amicitia: *Quæ iſta ſecuritas ſpecie quidem blanda, ſed re ipſa multis in locis repudianda?* & Cæſar. *Com.* 4. *Speciem pugnantium præberent*, id eſt ſimilitudinem aut apparentiam, ut dixi. Vides enim ubique oppoſitionem ſpecierum rei & veritati; *re ipſa* apud M. Tull. *revera* apud ſcripturam ergo.

Pavet etiam vehementer illa Confeſſio Berengarii coram Nicolao Papa, quæ etiam inſerta
eſt de *Conſ. diſt.* 2. ſcilicet panem & vinum, „
quæ in altari conſecrantur poſt conſecratio- „
nem non ſolum ſacramentum, ſed etiam ve- „
rum corpus & ſanguinem Chriſti eſſe, & ſen- „
ſualiter non ſolum ſub ſacramento, ſed in ve- „
ritate manibus ſacerdotum tractari & frangi „
& fidelium dentibus atteri; quæ confeſſio fuit „
palinodia ſeu recantatio erroris ſui & proinde ad eam coactus eſt Berengarius; Unde debet ipſa eſſe Catholica, adeòque. Saltèm non eſt certum, quòd omnes mutationes, quas vidimus circa Euchariſtiam fieri fiant circa accidentia panis & vini relicta, ſed poteſt ſanò ſenſu dici, quod fiat circa corpus Chriſti, quoniam quamdiu minùs aliquid dicebat Berengarius non eſt admiſſus ad communionem Eccleſiæ, ſed habitus pro hæretico.

Sed, quia Doctor, quem cœpi defendendum, aliâ viâ inceſſit, communi ſcilicet, quæ ponit in Euchariſtia accidentia ſine ſubjecto (licèt ibi non valde expreſſè loquatur) & patenter 7. *Met q.* 1. docet

Digitized by Google

docet quantitatem manere in altari ſine inhærentia ad ſubjectum, ſtatuam concluſionem juxta illam viam.

3. Interim, ſi debeam uti myſteriis fidei ad hanc metaphyſicam diſponendam veniâ aliorum, cenſeo ſeparationem accidentis à ſubjecto potiùs deduci ex alio credito, ſcilicet ex productione lucis, quæ in primo triduo mundi videtur producta extra omne ſubjectum, & ſic circumducta per utrumque hemiſpherium ſucceſſivè, eodem planè modo quo jam ſol aſcendit & deſcendit horiſontem, eoque circulo diem & noctem facit. Ita enim ſancti Patres olim intellexerunt, Baſilius præſertim qui *hom.2.* acutè inquit primâ Dei vocem *lucis naturam* creaſſe, ac ſi dicat, lucem ipſam in abstracto ſeu abſque ſubjecto; quod clarius deinde ſignificavit dicens ſolem poſtea factum, *ut illi luci vehiculum*, id eſt ſubjectum, *eſſet*. Et adhuc expreſſius Nazianzenus *orat.* 43. Ubi loquens de lumine: *Neque vero id organicum à principio nec ſolare protulit, verum incorporeum ac ſolis expers.* Videri poteſt Jacobus Salianus *prima die Mundi*, ubi pro eodem citat D. Areopag. Nicetam, Procopium, Galæum, Anaſtaſium Synaitam; & ex Latinis Tertull. *adverſus Hermogen.* D. Ambroſius *in hexam. lib.* 1. *cap.* 9. Auguſtinus etiam *l.* 1. *de geneſi ad litteram cap.* 11. Proferant jam Adverſarii tot aut ſaltem pauciores PP. qui dixerint in Euchariſtia manere ulla accidentia ſine ſubjecto, ſed & ſcriptura ipſa ſatis hoc ſignificavit de luce, nam (ut acutè notavit Molina, *de opere ſex dier.*) Deus in productione illius lucis non dixit *fiat* luminare, ſed *fiat lux* utique ſignificans lucem illam non fuiſſe in corpore aliquo luminoſo, ſed abſque omni. Iterum quia poſt creationem lucis ſubditur. *Et diviſit* (ſcilicet Deus) *lucem à tenebris.* Deinde autem cum retuliſſet ſcriptura productionem luminarium ſcilicet Solis & Lunæ, ſubdit quod *dividerent lucem ac tenebras*, ubi diviſio lucis à tenebris, hoc eſt viciſſitudo diei ac noctis poſt quartam diem deinceps attribuitur luminaribus, ſcilicet Soli & Lunæ, at vero toto triduo ante, ipſi Deo, quum ipſe circumduxit illam lucem per hemiſpheria ut ſupra; ſed quidquid de hoc ſit; &, ſive ex uno ſive ex altero ſive ex utroque articulo colligatur hæc ſeparatio.

S. Baſil. — Nazianz. — Salian. Dionyſ. Areopag. Nicet. Proc. Gaſ. Anaſtaſ. Synaita Tertull. S. Ambroſ. S. Auguſt. — Ludov. Molina. — Gen. 1. v. 2.

4. Dico reſolutivè Accidens ex genere ſuo non eſſe eſſentialiter inſeparabile à ſubjecto. Eſt communis in Chriſtianis ſcholis, nec licet aliter ſentire. Eam non modò aſſerunt, ſed quaſi ſupponunt Catholici omnes repugnantibus duntaxat hæreticis, qui doctrinam de ſacramento Euchariſtiæ non recipiunt: de quo videri poteſt Bellarminus *l.* 3. *de Euchariſtia.*

Probatur primò ex definitione Concilii Conſtantienſis *ſeſſ* 8. in qua inter errores Joann. Wickleff. articulus ſecundus eſt iſte: *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem ſacramento* ſcilicet Euchariſtiæ.

Concil. Conſtant. Joann. Wickleff

Dicet aliquis: Si iſte articulus damnatus eſt à Concilio & à Mart. Pontifice in Bulla, quæ ſubnectitur *ſeſſ.* 44. & ultimæ, jam oppoſitum eſt de fide cujus contrarium hucuſque ſignificavimus. Reſpondeo tam in Concil. Conſt *ſeſſ illâ* 8. quam in Bulla Martini Pontificis damnari quadraginta quinque articulos Joann. Wickl. at non omnes tanquã hæreticos, ſed aliquos ut hæreticos, alios ut ſcandaloſos, aliquos autem, ut piarum aurium offenſivos; atque ita neque ex ſententia Concilii, neque ex deffinitione Pontificis habetur illa propoſitio eſſe hæretica, ſed vel ſic, vel erronea & temeraria, quod ſufficit ad intentum præſens, eo enim ipſo concluſio erit vera.

5. Probat VValdenſis ita viſum antiquis etiam ethnicis Philoſophis. Anaxagoras enim dixit colores & alia corpora eſſe comixta, & comixta poſſe ſegregari. Cenſuit ergo colores à corporibus poſſe ſegregari, ſed cùm Ariſtoteles intulerit hoc tanquam abſurdum contra Anaxagoram, & tanquam aliquid, quod ipſe non eſſet conceſſurus, ut patet in textu neſcio utrum ex eo colligatur hoc an oppoſitum fuiſſe ſententiam ejus. Bellarminus *libro citato, capite vigeſimoquarto* probat idipſum ſenſiſſe Ariſtotelem ex ipſo 3 *de An. tex* 9. ſive, ſecundum aliam diviſionem 170. dicente quod *aliud ſit magnitudo, & aliud magnitudini eſſe*, hoc eſt (ut ipſe interpretatur) aliud magnitudo aliud magnitudinis exiſtentia, ex hoc autem infert inhærentiam diſtingui realiter ab accidente; ſi enim diſtinguitur exiſtentia, quæ multò magis intima eſt, quantò magis inhærentia? ſed interpretatio non eſt probabilis, cùm probabile non ſit exiſtentiam diſtingui à re cujus eſt realiter. Melius id colligit ex 4. *Phyſicorum text.* 58. ubi quærit Ariſtoteles an ſpacium in quo eſſet ſolus color aut ſonus cenſendum eſſet vacuum? hæc enim quæſtio inepta eſſet ſi inhærentia eſſet de eſſentia ſoni, tum enim qui diceret colorem, neceſſariò diceret ſubjectum. Sed eo relicto

Thom. Wald. 1. me 2. cap. 76.

6. Probatur concluſio ratione, quia, quod eſt demonſtrabile de aliquo, non poteſt eſſe eſſentiale ipſi, ſed inhærentia actualis eſt demonſtrabilis de accidente, ergo non eſt eſſentialis ei. Major eſt evidens, quia *quod* (a) *quid eſt* hoc eſt, eſſentiæ, *non eſt demonſtratio* minor etiam patet, quia in concluſione infertur unio paſſionis cum ſubjecto, nam ſubſtantia aut entitas paſſionis eſt præcognitum, & habetur ante demonſtrationem, adeòque per demonſtrationem ſolam habetur unio ejus cum ſubjecto, & revera in concluſione non affirmatur niſi unio ejus, adeòque ſufficit ipſam haberi, nam etiam qui albedinem præexiſtentem uniret parieti, talis verè dealbaret parietem etſi non produceret entitatem ſed ſolam unionem albedinis, ita, inquam, demonſtratio verificatur per ſolam unionem formæ, ſi ergo unio aut inhærentia eſt objectum demonſtrationis, ſequitur non eſſe eſſentialem.

(a) ex 5. Met. text. 6.

Dices hoc non probare concluſionem, ſed oppoſitum; ſi enim demonſtretur unio, jam eſt inſeparabilis. Reſpondeo primò hoc argumentum probare efficaciter, quòd unio paſſionis ad ſubjectum non ſit eſſentialis, eò quòd demonſtretur: Cùm autem in aliis accidentibus unio non ſit æquè intrinſeca ac in propriis paſſionibus, ſequitur ſuperabilem eſſe unionem aliorum, atque ita verum erit quod dixit concluſio ſcilicet inhærentiam ex genere ſuo non eſſe eſſentialiter inſeparabilem ab accidente, quia non eſt inſeparabilis ab accidente communi. Imo cum ſola accidentia communia inhæreant, ſequitur inhærentiam eſſe ſeparabi-

rabilem ab omni omnino accidente, nam propria non inhærent ſubjectis propriè, ſed identificantur, quia nec ſunt accidentia metaphyſica, ſed logica duntaxat. Confirmatur ex Doct. 7. *Metaph. cit.* quia, ſi inhærentia eſſet de eſſentia accidentis, tum nugatio eſſet dicere albedo inhæret; ratio, quia idem bis diceretur ſcilicet τὸ inhæret quod ſemel in ſe ipſo ponitur, iterum in ly albedo, quod utique eſt accidens.

7. Probo ſecundò, quia inhærentia eſt eſſentialiter reſpectus; atqui nullus reſpectus poteſt eſſe eſſentialis accidenti ut ſic, ergo nec inhærentia. Major videtur ex terminis perſuaſa, eſt enim ad aliud, imò ipſa adaleitas ſeu referentia unius ad aliud, ſcilicet inhærentis ad id, cui inhæret, ſicut (ſecundum omnes) eſt unio, nam hæc etiam eſt aliqua unio. Minor probatur quia aliquod accidens eſt abſolutum nullus autem reſpectus poteſt eſſe eſſentialis abſoluto, ergo nec accidenti ut ſic; quia ſi accidenti ut ſic foret eſſentialis, eſſet etiam accidenti abſoluto eſſentialis, quum hoc ſit inferius illius. Unde poſſumus cum aliis ſic formare argumentum: Inhærentia aut eſt abſolutum quid, aut relativum; ſi abſolutum non poteſt eſſe eſſentiale reſpectui, ſi reſpectus non poteſt eſſe eſſentiale abſoluto, ergo.

8. Probo etiam tertiò, quia nullus ordo ad aliud accidens eſt eſſentialis accidenti, atqui aliqua inhærentia accidentis eſt ad aliud accidens, ergo non omnis inhærentia eſt eſſentialis accidenti, ſive datur aliquod accidens, cui nulla inhærentia ſit eſſentialis, quia non inhærentia ſubſtantiæ cùm illam non habeat; non inhærentia alteri accidenti ob rationem poſitam quam ſic proſequor; dicitur enim inhærentia eſſentialis accidenti quia accidens eſt entis ens id eſt ſubſtantiæ ens, adeoque ſtando in naturali philoſophia & principiis antiquorum inhærentia eſſentialis accidenti eſt inhærentia ad ſubſtantiam, atque ita ſi probaverimus inhærentiam in ſubſtantia non eſſe eſſentialem aut inſeparabilem ab accidente, jam philoſophia naturalis & principia antiquorum nihil obſtabunt quo minus habeamus accidens ſeparatum. Major jam oſtenſa eſt probatur minor, quia qualitates inhærent quantitati non vero ſubſtantiæ. Dices id eſſe verum de inhærentia immediata, non autem de omni, quia mediate inhæret ſubſtantiæ. Contra nulla eſt inhærentia qualitatis niſi ad quantitatem ſubſtantiæ autem dicitur inhærere mediatè eo quod quantitas ſubſtantiæ inhæret, ipſa autem quantitati: Unde ſic arguere poſſumus; aut inhærentia qualitatis ad quantitatem eſt ei eſſentialis aut non: primum dici non poteſt ob ſupra-poſita; ſi autem dicatur ſecundum, jam habetur nullam inhærentiam eſſe eſſentialem qualitati, nullam enim habet niſi hanc. Urgeo argumentum: Inhærentia qualitatis in ſubſtantia eſt inhærentia quantitatis eidem; ſed inhærentia qua quantitas inhæret ſubſtantiæ non poteſt eſſe eſſentialis qualitati quia omnino non eſt ipſius ſed alterius, quod enim omnino non ineſt alicui, multo minus poteſt eſſentialiter ineſſe ei, & certum eſt eſſentiam rei non poſſe eſſe ſeparatam ab ipſa.

Hoc argumentum probat non ſolùm inhærentiam eſſe non eſſentialē accidenti, ſed neceſſe inſeparabilem, quia nimirum nullus ordo ad accidens eſt inſeparabilis ab accidente ſpectatâ philoſophiâ antiquorum. Itaque poſito, quòd qualitates inſint immediatè quantitati, ratio non parum juvat intentum, oſtendit enim non repugnare naturalem philoſophiam, quo minus accidens ſeparetur.

9. Quod etiam ſic aliter oſtendo: Subjectum non eſt intrinſecum accidenti, non enim eſt materia ex qua, ſed materia in qua ejus, atque ita eſt cauſa externa ejus, ſed cauſæ externæ non neceſſariò cauſant, ſive res qualibet poteſt abſolvi à dependentia ad cauſam externam, ergo. Subſumptum probo in privatione, quæ eſt per ſe principium generationis, & tamen quia externum eſt, non repugnat ſine eo abſolutè fieri generationem, & realiter ita fieret ſi realiter aut actu fieret productio corporis naturalis ab æterno; in eo enim caſu nulla præcederet privatio. Si ergo privatio quæ eſt per ſe requiſitum tanquam terminus à quo generationis & geniti, tamen Deo ſupernaturaliter agente ſuppleri poteſt, quidni etiam ſubjectum quandoquidem non minùs eſt extrinſecum.

10. Formo etiam tertiam hanc rationem in favorem fidei, ut oſtendam poſſibilem Deo hanc ſeparationem, & ſic arguo: Quando qualitas ſubjectatur in quantitate, & quantitas in materia, ipſa denique materia ſuſtentatur à Deo; unde infero: ergo poteſt Deus immediatè ſuſtentare accidentia, putà colores. Probo conſequentiam hanc, nam quia qualitates ſuſtentantur à quantitate, & quantitas à ſubſtantia fieri poteſt, ut ipſa ſubſtantia immediatè ſuſtentet qualitates; ſi enim ſubtrahatur quantitas & permittantur qualitates inniti ſubſtantiæ certè ſuſtentabuntur ab ipſa, ergo ſimiliter ſi ſubtrahatur illis ipſa materia & relinquatur concurſus divinus ſufficiet ille ſe ſolo ad omnia à pari

11. Objicitur in oppoſitum, ſicut ſe habeat ſubſtantia adeſſe in ſe, ita accidens ad eſſe in alio, iſta enim ſunt duæ differentiæ ex æquo condividentes ens ut ſic, & conſtituentes has duas ſpecies ejus, ut patet; pergo jam & infero à permutata proportione, ergo ſicut ſe habet ſubſtantia ad eſſe in alio, ita accidens ad eſſe per ſe, ſed ſic ſe habet ſubſtantia ad eſſe in alio ut hoc ei repugnet, ac de nulla potentia poſſit ei competere, ergo etiam accidenti de nulla potentia convenire poterit eſſe per ſe. Huic argumento aliqui ſuccubuerunt concedentes paritatem, & conſequenter admittentes ſubſtantiam poſſe eſſe in alio, & ex illis eſt Gabriel in Canonem *ſect.* 44. ſed malè, quia ineptitudo ad inhærendum cùm ſit eſſentialis ſubſtantiæ tollit omnem potentiam ad oppoſitum, & multò magis actum, ſicut irrationalitas quæ eſt differentia bruti facit ut implicet brutum intelligere. Corrigendus ergo fuit quòd fecit Fonſeca dicendo hanc eſſe naturam accidentis ut non habeat neceſſariò annexam affirmationem eſſendi in alio; At ineptè, hoc enim eſt ipſum de quo dubitatur. Dicendum eſt ergo nec accidenti convenire eſſe per ſe quod eſt exercitium ſubſtantialitatis, quia nimirum illud non eſt quomodocumque eſſe per ſe, ſed eſt (ut ſuprà dixi) quoddam ſtare, hoc eſt, vi ſuâ conſiſtere, quod non competit accidentibus ſeparatis, quia alienâ virtute ſic ſe habent, nec

nec ſtant, ſed ſtatuuntur ſeu ſuſtentantur, ſicut aliter ſe habet cadaver quod ſuſtinetur ab aliquo erectum, & aliter homo vivens qui pedibus ſuis inſiſtit, ex quibus hîc ſtare dicitur verè & propriè, illud non item.

12. Inſtari tamen contra hoc ipſum poteſt: quòd adhuc ſuperſit vis ſua argumento, adhuc enim dubitari poteſt, utrum non poſſit ſubſtantia alienâ virtute immergi ſubjecto, ſeu reddi inhærens ei, licèt virtute ſuâ non poſſit inhærere, ſicut accidens alienâ virtute redditur ſubſiſtens ſeu exiſtens independenter à ſubjecto, à quo naturaliter ſpectatum dependet. Propter hoc recurrendum eſt ultimatè ad ſolutionem Subtilis 4. *d.* 12. *q.* 1. ubi ipſum principale argumentum ſolvit dicendo, quòd *ſi per ſe & in alio uniformiter accipiantur, ſcilicet prout per ſe eſſe negat aptitudinem ad inhærendum, & eſſe in alio affirmat illam aptitudinem, ſic iſta duo proportionaliter conveniunt, primum ſubſtantiæ & alterum accidenti, & tunc* (ait D.) *non plùs ſequitur, ſi quod accidens non poſſet eſſe per ſe cui repugnet inhærere, ſicut nec ſubſtantia poſſit eſſe ens, cui conveniat aptitudo inhærendi, & ſi velis* (inquit) *accipere utrumque actualiter, ſcilicet actualiter eſſe per ſe & actualiter eſſe in alio ut ſic non dividunt* (ens) *nec ſunt propria iſtis dividentibus, ſcilicet ſubſtantiæ & accidenti: nec mirum, quia ex parte illius* (ſcilicet ſubſtantiæ) *per ſe, primum intellectus infert ſecundum, repugnantia enim ad ineſſe infert non ineſſe; ſed ex alia parte non ſic, ſed eſt fallacia conſequentis; eſt aptum ineſſe, ergo ineſt.* Hactenus Doctor ad primum argumentum, ex quo ad inſtantiam reſpondeo in forma negando conſequentiam ſeu dubium illud, una enim differentia aliter ſe habet ad actum ſuum, & aliter altera; negativa enim certò excludit actum ſecundum, & talis eſt differentia ſubſtantiæ, affirmativa non neceſſariò infert actum ſuum, & talis eſt differentia conſtitutiva accidentis. Exemplum utriuſque eſt in differentiis rationali & irrationali, quorum una longè aliter ſe habet ac altera ad actum ſecundum, nam cum irrationali impoſſibile eſt conjungere ratiocinationem; at verò cum rationali non eſt impoſſibile conjungere non ratiocinationem, id eſt carentiam diſcursûs: Ita ſimiliter. Sed

13. Objicies ſecundò; Illa inhærentia, quâ accidens abſolutum inhæret, aut eſt quid accidentale, aut non, ſed ſubſtantia: Secundum dici non poteſt (ſi enim inhærens non poteſt eſſe ſubſtantia, quantò minùs ipſa inhærentia?) ſi autem ſit accidens, tum debebit habere formam ſuperadditam, quâ inhæreat, de qua ſuperaddita iterum quæram (ut ſuprà) utrum ſit ſubſtantia an accidens; & ſi accidens debebit habere aliam formam, quâ inhæret, & hæc aliam in infinitum. Reſpondetur communiter cum Doct. accidens abſolutum habere formam ſuperadditam quâ inhæreat, hanc tamen non habere aliam; tum quia non eſt accidens abſolutum ſed reſpectus, tum quia omnis forma communicat ſibi ipſi ſuum effectum formalem, atque adeò inhærentia, quæ proinde dicenda eſt ſe ipsâ inhærere; non itur ergo in infinitum hic in formis quum ſit ſtatus in ſecunda. Ita communiter omnes; ſed ex hac communi ſolutione videtur ſurgere fundamentum impugnandi hanc communem ſententiam; ſi enim dicamus inhærentiam eſſe eſſentialem accidenti abſoluto aut ſaltèm inſeparabilem ab ipſo, tum intrabimus infinitam ſuperfluitatem entium, ſcilicet inhærentias omnes ſuperadditas formis abſolutis, nulla enim harum dabitur in Mundo, hoc poſito. Sed ſicut nos de facto ponimus ſtatum in ſecunda forma, quæ eſt inhærentia, & ſe ipsâ inhæret, ita tum dabitur ſtatus in prima, ipsâ ſcilicet albedine aut alio accidente abſoluto, nulla autem eſt ratio quin hoc fieri poſſit, niſi ſeparatio accidentium in Euchariſtia. Unde ſi myſterium illud aliter explicari poſſit, videtur illa explicatio amplectenda, quia ſalvat ut dixi infinitam multitudinem entium quæ in eo caſu inutilia planè ac proinde neganda ſunt. Hoc indicaſſe ſit ſatis, & poſt hæc

ACTIO II.

Quomodo ſe habeat inhærentia aptitudinalis, ad abſolutum accidens, & actualis ad reſpectum?

Breviarium.

N. 1. *Doctor Subtilis creditur judicaſſe, quod inhærentia aptitudinalis non ſit eſſentialis accidenti abſoluto.*

2. *Concluſio affirmativa: oſtenditur in primis eſſe mens Scoti.*

3. 4. 5. 6. *Probatio concluſionis ex rejectis probationibus oppoſitis apud adverſarios.*

7 *Retorquetur etiam ratio adverſariorum in ipſos, num reſpectus aliquando ſit proprius abſoluti?*

8 *Objectio ſoluta. An idem ſit ſimul virtualiter & formaliter tale?*

9. *Inhærentia actualis eſt eſſentialis accidenti reſpectivo.*

10. *Objectio. Num gratia & cætera accidentia ſupernaturalia inhæreant aut educantur?*

11. *Quid viſum Platoni de ſeparabilitate accidentium à ſubjectis?*

12. *Quæ mens Ariſtotelis in hac materia?*

1. Mirum eſt, quàm concordi calculo authores omnes Doctori Scoto adſcribant eam ſententiam, quaſi docuerit aptitudinalem inhærentiam non eſſe eſſentiam, ſed ut maximè paſſionem propriam accidentis abſoluti. Ita eum citat Fonſeca 7. *Met. q.* 1 *ſect.* 3. Averſa *tom.* 1. *ph.* 12 *q.* 21. *ſect.* item 2. Lalemand. *diſp.* 8. *Met. partit.* 1. & alii externi. Sco- Fonſeca, Averſa, Lalemand. Camerar. Poncius.

rum, etiam in materia fidei, niſi quàm minimè poſſumus, oppoſitum enim faciendo reddemus fidem odioſam & difficilem captu. Atqui Philoſophi poſuerunt inhærentiam actualem eſſe intrinſecam & eſſentialem accidenti, quod patet apud Ariſtotelem paſſim, ut illo 7. *Met capite* 1. ubi docet *accidentia* non eſſe *entia*, niſi quia *entis*, ex quo manavit axioma, quod accidentis eſſe ſit ineſſe, & *cap* 3. docet accidens debere definiri per ſubſtantiam, certum eſt autem, quòd aliquis ordo id ſine quo res non poteſt definiri ſit eſſentialis definito, adeòque. Denique 3. *Met. cap.* 9. docet quod ſi accidentia forent à ſubjectis ſeparata, ſicut Plato poſuit ideas, accidentia tum fore ſubſtantias & alia, quæ cùm non poſſint intelligi de inhærentia actuali propter credita in Sacramento Euchariſtiæ, ſupereſt ut intelligantur de potentiali aut aptitudinali, adeòque

8. Objici tamen poteſt pro ipſis unum hoc, ut oſtendatur, quòd, quamvis inhærentia aliqua potentialis aut radicalis ſit eſſentialis accidenti, tamen ſuperaddenda ſit ipſorum aptitudinalis tanquam adhuc diverſa; Quia in phyſicis plura habent ab eſſentia ſua potentiam ad aliquem terminum, ad quem tamen ſuperadduntur ipſis virtutes diſtinctæ; v. g. ignis eſſentialiter eſt calefactivus, & tamen habet calorem qui ſit accidens ſuperadditum ſibi, per quem etiam formaliter calefacit, ergo ſimiliter ſuperaddendum erit accidenti aptitudo ad inhærendum ut eò perfectiùs inhæreat. Ratio hujus patet, quia ſi auferretur igni calor, poſſet utique reducere ſe ad eſſe calidum, quod experimento videmus, in aqua quæ calefacta reducit ſe ad frigiditatem. Reſpondeo: Si ſit paritas inter hæc, jam aptitudinalem inhærentiam eſſe eſſentialem accidenti, nam aptitudinalis ſeu potentialis calefactivitas eſt eſſentialis igni ſecundùm arguentes. Reſpondeo ſecundo: Si elementa ignis & aquæ ſe ipſis ſunt calefactiva, tam permanenter, quàm tranſeunter, hoc eſt ſui & aliorum, tum non debere poni calorem in ipſis, ut calefaciant quidquam, ſed ut ſint ipſa formaliter calida; at verò poſito quòd eſſentia accidentis habeat potentiam connaturalem ad inhærendum, poneretur ad hoc ipſum aptitudo illa ſuperaddita, atque ita idem bis haberetur, quod abſurdum eſt, adeòque negandum. His poſitis

9. Dico actualem inhærentiam probabiliùs eſſe eſſentialem accidenti reſpectivo. Ita intelligo Subtilem meum *quodlib.* 3. *num* 15. & 4. *d.* 12. *q.* 1. ubi ſub *num* 8 hæc habet: *Reſpectus eſt eſſentialiter habitudo ad ter duo extrema, & ideo ſicut tollere terminum ad quem eſt reſpectus, eſt tollere vel deſtruere reſpectum, ita tollere id, cujus eſt reſpectus vel tollere reſpectum, & deſtruere rationem reſpectus.* Ubi Doct. æqualiter loquitur de termino ac de fundamento in ordine ad relationem; certum eſt autem, quòd ordo ejus ad terminum ſit eſſentialis ei, adeòque etiam ad fundamentum, quod ſignificavit illis *eſt deſtruere rationem reſpectus* non enim ait deſtruere entitatem vel realitatem, ſed *rationem reſpectus*.

Probatur breviter, quia relatio eſſentialiter eſt ad aliud, ergo eſſentialiter eſt in aliquo, ſunt enim duo extrema ejus, inter quæ mediat. Scimus autem medium æqualiter diſtare, & æqualiter accedere ad utrumque extremum. Dices relationem non ſimiliter ſe habere ad duo illa, quia totum ejus eſſe eſt ad aliud, ſcilicet terminum ſe habere. Reſpondeo: Sit ita, ex hoc ipſo habeo intentum, ſi enim relatio ſit eſſentialiter ad terminum, eſſentialiter eſt in fundamento, quia nimirum non poteſt eſſe ad terminum, niſi ſit in fundamento, & hoc, quod eſt eſſe in fundamento eſt pars hujus quod eſt ad alium; Cujus rationem adhuc a priori aſſigno, quia relatio non eſt quomodocumque ad aliud, ſed eſt alicujus ad aliud, adeòque involvit eſſentialiter totum hoc, quod eſt aliud & aliud, ſive eſſe alicujus ad aliud: atqui non poteſt eſſe alicujus ad aliud neque referre aliquid ad aliud niſi ſit in ſubjecto, adeòque eſſentialiter exigit eſſe in ſubjecto, ſicut eſſentialiter exigit eſſe ad terminum. Redeundo etiam ad principium argumenti poſſumus ipſum urgere duabus inſtantiis, unâ phyſicâ alterâ morali; prima quidem, quia motus cùm ſit eſſentialiter inter duo, puta terminos à quo & ad quem, æquè indiſpenſabiliter exigit utrumque, & tam non poteſt eſſe ſine termino à quo, quam non poteſt eſſe ſine termino ad quem. Item altera, virtutes morales. v. g. liberalitas, temperantia & ſimiles quia inter duo ſunt ac proinde mediæ, hinc, inquam, æqualiter arcent extrema, & virtus liberalitatis v. g. tam debet cavere à prodigalitate quàm à parcimonia, æqualiter enim delinquit quodcumque incurrat, ergo ſimiliter relatio quum ſit tendentia, & quaſi quidam motus inter duo, æqualiter utrumque exigit, certum eſt autem quod eſſentialiter ſit ad terminum, adeoque erit etiam eſſentialiter in fundamento ſeu ſubjecto, quod erat intentum.

10. Objiciam hic in fine domeſticum argumentum contra principalem reſolutionem de inhærentia aptitudinali ex principiis Doctoris, quæ non ſolùm noſtræ reſolutioni, ſed etiam communi aliorum Scotiſtarum videtur obviare. Nempe ſecundùm Subtilem communiter tenetur gratia & habitus ſupernaturales creari, cum ſint tamen accidentia, ex hoc autem ſequitur quod inhærentia aptitudinalis non ſit illi eſſentialis, nam ſi vera ſit illa ſententia Doct. quod gratia creetur, jam illa eſt non apta, id eſt, non exigens inhærere, quia nimirum eſt apta ſubſiſtere ſeu ſtare per ſe quod confirmatur exemplo animæ rationalis quæ creatur, & ita ſubſiſtit. Diceret quis animam eſſe ſubſtantiam, & ideo ſubſiſtere gratiam verò non item. Reſpondeo: Hoc quidem verum eſt, at non obſtat, nam ſi gratia creatur, ſit independenter a ſubjecto, hoc enim eſt creari. Deinde ſcimus connaturale eſſe rei ut duret eo modo quo cœpit, ſi ergo gratia facta eſt independenter à ſubjecto, conſervabitur etiam connaturaliter eodem modo, ſcilicet independenter à ſubjecto, atque ita eſt inepta inhærere, id eſt manere dependenter à ſubjecto, ſaltèm non eſt apta, id eſt indigens aut exigens, ut dixi. Reſpondeo: Hoc argumentum ut jam notavi æquè pugnat meis & cæterorum Scotiſtarum principiis in hac materia; ſi enim gratia ſit inepta inhærere, ut probat diſcurſus factus, jam aptitudo illa eſt ſeparabilis, adeoque non eſt proprietas ejus, quod tamen volunt ut minimum Scotiſtæ. In re autem reſpondendum eſt Doctorem hoc in tranſcurſu & obiter ſignificatione potiùs quam aſſeruiſſe 4. d. 1. *& queſtione prima*, ubi vult gratiam annihilari, ſed ex contextu patet voluiſſe tantùm dicere quòd non corrumpatur no-

ſtris

Digitized by Google

ſtris actibus. Ait enim *ad illam probationem de virtutibus, reſpondeo quòd nulla virtus infuſa poteſt corrumpi in nobis per aliquem actum noſtrum, quaſi per aliquam naturam repugnantia, ſed ſolùm per cauſam demeritoriam*, quod totum eſt verum licèt educatur & corrumpatur gratia; quia nimirum ipſa illa corruptio gratiæ non fit ab actibus aut alia cauſa naturali, ſed à Deo, quod hîc ſufficit reſpondiſſe, nam ſentius examen hujus atque etiam ejus quod habet *q. 5. ſeq.* digna eſt alio & graviori loco.

11. In fine quæro, quid ſit viſum antiquis de hac re, ſcilicet de ſeparabilitate accidentis, num repugnaret? Reſpondeo breviter reducendo negotium ad Geminos illos Platonem & Ariſtotelem, primùm cenſuiſſe, quòd nulla in hoc fuerit regugnantia, quin imò videtur cenſuiſſe ſeparationem eſſe factam, quia nimirum judicavit dari rerum omnium ideas abstractas & avulſas ab omni concretione cum aliis; quum enim crederet naturas à principiis ſingularibus ſeparatas; quantò magis diceret ſeparatas eſſe ab alienis ſingularibus adeòque à ſubjectis?

Plato *lib. 6. & 11. de Repub. Item in* Tymæo, Phædon. & Parmen.

Dices: Poſſet quis imaginari, quòd Plato voluerit accidentia univerſalia eſſe in ſubjectis univerſalibus. Reſpondeo hoc eſſe imaginationem, nam ſaltèm ex opinione ejus de ſubſtantiis hoc videtur abſurdum; poſuit enim ſubſtantias abstractas & depuratas ab omni concretione, hoc autem non ſtaret cum apparatu tot accidentium. Deinde Plato ideo poſuit ſubſtantias in tali ſtatu, ut eſſent incorruptibiles; atqui ſi ſubſtantiæ eſſent obnoxiæ accidentibus, nullatenus eſſent incorruptibiles, ergo.

12. De mente Ariſtotelis puto ultimatè dicendum ipſum in hac materia fuiſſe ambiguum, aut certè contradicit ſibi. Nam locis ſuprapoſitis ex 1. *Met.* & 1. *phyſic.* patet ipſum exiſtimaſſe, quòd accidens eſſet inſeparabile à ſubjecto realiter, imò etiam intentionaliter. Nam 1. *phyſ. tex. com. 39.* docet intellectum enitentem ſeparare paſſiones ſive affectiones à ſubjectis, impoſſibilia conari, quamquam fortaſſe hic locus pati poſſet expoſitionem, quòd loquatur de affectionibus, quæ ſunt paſſiones ſeu proprietates ut ipſe loquitur, non verò de quacumque affectione & accidente. At verò in illo 4. *ph. tex. 58.* ubi quærit, an locus in quo ſolummodo eſſet ſonus foret vacuus? oſtendit ſe oppoſitum cenſuiſſe, ut acutè notavit D. N. 7. *Met. cit.* ex quo Recentior ille videtur hoc argumentum pro Euchariſtia deſcripſiſſe, præterea etiam ait quòd ſedere eſt magis ens quàm ſeſſio, utique quia ſedere involvit ſubjectum, at verò ſeſſio etiam involvit, ſi verum ſit quòd concernentia ſubjecti ſit eſſentialis aut inſeparabilis ab ipſa, ergo.

Ariſtot.

ACTIO III.

Quæ ſint ſubjecta determinata accidentium?

Breviarium.

N. 1. *Referuntur oppoſita ſententia authorum.*

2. *Concluſio, Qualitates, &c. accidentia abſoluta immediatè ſubjectari in quantitate.*

3. *Probatio hujus à Sacramento Euchariſtiæ ducta.*

4. *Quanti facienda & quid ei reſponderi poßit?*

5. *Quomodo iuvari poßit?*

6. 7. 8. *Aliæ probationes concluſionis.*

9. *Probatio valentior ejuſdem, & refutatio ſolutionis prætenſa à quodam Neoterico.*

10. *Alia etiam valida, ducta ex raritate & denſitate.*

11. 12. *Oſtenditur impoßibilitas ſententiæ quorundam Thomiſtarum.*

13. *Objectio Neoterici contra quantitatem ne ſit ſubjectum cæterorum accidentium, ſoluta.*

14. *Alia objectio expedita; ubi exponitur doctrina Tridentini.*

15. *Vltima: Diſpoſitio ad formam, in quo ſubjecto eſt?*

1. LOquor de corporalibus ſeu materialibus, nam de ſpiritualibus vix eſt anſa controvertendi: reſtringam etiam quæſtionem ad duo puncta, unum erit de ſubjecto qualitatum corporearum. Alterum de ſubjecto ipſius quantitatis. Et ut abſtraham à ſupervacuis & minùs probabilibus ſententiis duæ præſertim ſunt, quæ, cùm ſint extremè oppoſitæ, plus videntur ſibi de veritate vendicare; una eſt Nominalium volentium omnia omnino accidentia immediatè ipſi ſubſtantiæ inhærere, & nullum alteri. Ita *Gregor.* (a) *Gab* (b) ſequuti *Ockamum* (c) In quam etiã ſententiam *Suar.* etſi timidè citat ex Thomiſtis *Capr.* (d) ad 2. Scoti. Altera tamen communior Thomiſtarum; & quaſi ex diametro huic oppoſita, quam (quia obſcura eſt nec apud omnes ſimiliter intellecta (referam ex eodem Franciſco Suar.) eſt *Soncinatis* (e) & *Iavell.* nullum accidens recipi in ſubſtantia niſi mediâ potentiâ accidentali pertinente ad idem prædicamentum, hoc eſt, ut in ſubſtantia ſit potentia receptiva quantitatis, quæ reducitur ad prædicamentum quantitatis, & alia receptiva qualitatis, quæ ad prædicamentum qualitatis pertinent; vel potius in ſuperficie ipſa, ait Soncinnas, eſſe aliquid potentiale de genere coloris ad recipiendum colorem, quidquid illud ſit, puta diophaneitas, aut ſimile quid, quæ vix quamvis per ſe ſatis abſurda tamen præter citatos habet adhuc alios recentes patronos (Averſam *q. 21. phil. ſect. 5. & 6* Hurt. *diſp. 6. ph. ſect. 6.*) qui docent non eſſe neceſſarium in ſubſtantia corporea reliqua accidentia verè inhærere quantitati, ſed potiùs alii potentiæ accidentali, quæ tam à materia, quàm à quantitate diſtinguitur. In hac re *D. Subt.* ita ſe geſſit (*f*) ut quoad propriam mentem ambiguus, deſcendat in eam partem quæ aſſerit cætera accidentia immediatè ineſſe quantitati, quantitatem autem materiæ, propter reverentiam communis ſententiæ ſui ſæculi Doctorum; tanta fuit modeſtia homi-

(a) 2. d. 12. q. 2.
(b) 4. d. 12. q. 1. art. 1.
(c) 4. q. 7. & in tract. de Euchar. cap. 28.
(d) 1. d. 3. q. 3. art. 2.
(e) 12. Metap. q. 26. q. 3.

Averſa. Hurtad.

(f) 4. d. 11. q. 2.

bis

nis aliàs tam acuti : cujus veſtigio inſiſtens

2. Dico reſolutivè probabiliùs tenendum eſſe, quòd accidentia abſoluta, puta qualitates materiales immediatè inſint quantitati. Ita Doctorem intellexit Cavellus hic cit. in ſcholio (quamvis revera Doct. non exprimat totum hoc ibi) ita eum antea intellexerunt anteriores Scotiſtæ qui in hoc ſaltèm conveniſſe referuntur cum Divi Thomæ ſequacibus, utriſque hinc inde conſpirantibus contra Nominales quoad hoc quòd quantitas eſſet quid ſuperadditum materiæ. Sufficit dixiſſe hanc concluſionem eſſe communem ſententiam, talis enim eſt quam noſtra ſchola cum altera illa profitetur, & utraque traxit Recentes ſequentes, ut videre eſt in ipſis & fatetur disertè ipſorum (g) quidam

(g) Franc. Oviedo contr. 1. gen. punct. 3.

3. Moveor hâc ratione in primis : Aut enim quantitas identificatur ſubſtantiæ, aut non identificatur ; ſi identificatur, & accidentia inhærent immediatè ſubſtantiæ, jam inhærent immediatè quantitati, ſi non identificatur, etiam ſic accidentia alia (loquor de abſolutis) inſunt immediatè quantitati, quod oſtendo, in primis præſtantiſſimo argumento Euchariſtiæ ; in hoc enim Sacramento plura accidentia habent commune ſubjectum, non aliud, quàm quantitatem, ergo jam aliqua imò omnia alia accidentia abſoluta ſubjectantur in quantitate. Major hujus probatur, quia niſi ponantur omnia accidentia in aliquo uno ſubjectari multiplicanda ſunt miracula, ut tot ſint miracula quot accidentia, fiet enim miraculum in conſervatione cujusque accidentis ; ſi autem ponantur in uno aliquo ſubjecto omnia, fiet tantùm unum miraculum in conſervatione illius unius. Certum eſt autem in bona Philoſophia quòd ponenda ſint pauciora miracula, imò pauciſſima quàm poſſumus, ergo judicandum eſt, quòd omnia illa habent unum commune ſubjectum, ſcilicet quantitatem.

4. Sed hæc probatio, quæ communis & vetus eſt, non habet omnem illam vim, quâ opus eſt, etenim, ut notarunt non malè aliqui Recentes, ſtabilienda eſt in primis vera Philoſophia de inhærentia ac natura accidentium, & deinde judicandum eſt de miraculis quæ hîc contingunt, certum eſt enim omnia hîc fieri, quæ neceſſaria ſunt non plura, adeòque priùs ſtabiliendum eſt, quot & quæ ſint neceſſaria, ac tum primùm ferenda ſententia de numero miraculorum. Non ergo dicendum eſt hoc aut illud ne multiplicentur aut minuantur miracula, ſed multiplicanda aut minuenda ſunt miracula juxta hæc aut illa principia de natura accidentis. Præterea contra hoc aliquid facit, quòd etiamſi ponantur omnia alia accidentia ſubjectari in uno, non proinde fiet unum tantùm miraculum in conſervatione illius unius, ſed fient multa juxta numerum accidentium quæ illi uni inhærent : cujus ratio eſt, quia dependentia cæterorum accidentium non terminatur ultimatè ab illo accidente, ſed reſolvitur ulterius in ſubſtantiam, adeòque aliquid ſupra naturam fit quòd accidentia ſequentia ſint contenta primo illo pro ſubjecto ſuæ inhæſionis. Confirmatur, quia ſine dubio maius miraculum fit quando conſervatur primum illud accidens, ſcilicet Quantitas ſolùm extra ſubjectum, quàm quando conſervatur tunc, quum alia aliqua innituntur ei ; ſicut opus eſt majori virtute ad ſuſtentandam tabulam, cui impoſita ſunt pondera aliqua, quàm ad ſuſtentandam aliquam ſe ipsâ.

Si tamen major illa concedatur, minor facilè probatur, quia in Euchariſtia non eſt ſubſtantia, nullum autem eſt ſubjectum, cui qualitates omnes innitantur præter ſubſtantiam niſi quantitas. Maior huius eſt de fide, ergo. Præterea etiam ſingula accidentia ex his poſtulant non ſolùm ſubjectum, ſed adæquatum & ultimum ſubjectum, nullum autem horum habet ultimatum ſubiectum, ergo jam etiam de facto fit miraculum in ſingulis.

5. Quia autem infirmata eſt utcumque prior illa probatio maioris principalis argumenti, quæ aſſerebat accidentia omnia in aliquo communi ſubjecto ſubjectari, probari ſic aliter poteſt, quoniam accidentia illa, puta odor et ſapor, & cæteræ qualitates panis & vini conſecrati uniuntur invicem ; non uniuntur autem niſi in aliquo ſubiecto, ergo. Maior eſt certiſſima experimento, ſi quæ enim qualitates apparent ſenſui coniunctæ, ſunt iſtæ ; & qui negat has eſſe coniunctas, nunquam iudicare poterit ullas eſſe coniunctas, nullum enim inter iſta & cætera accidentia coniuncta ſubſtantiis diſcrimen intercedit ; aliàs enim diſcerni poterit inter panem conſecratum & communem, quo facto deſinet hoc eſſe myſterium fidei, ergo jam iſta habent commune ſubiectum in quo uniuntur, non ſubſtantiam, ergo. Adhuc tertiò probatur idipſum ſic, quia accidentia Euchariſtiæ prædicantur in concreto de ſe invicem ; verè enim dicas album eſſe rotundum, ubi figura prædicatur de colore ; liquidum eſſe dulce, quod verificatur de ſpeciebus vini, ergo iam termini harum propoſitionum, ſcilicet rotunditas & albedo, liquor & dulcedo in aliquo uniuntur ; non in alio, quàm in ſubiecto, ergo. Confirmatur, quia accipiendo hos terminos in abſtracto, prædicationes erunt falſæ, ſi ergo ſunt veræ acceptis terminis in concreto, id non aliunde poterit provenire niſi quia in concreto ſumptæ concernunt ſubiectum, ergo. Et ſanè ſic probanda fuit illa maior, aſſumere enim motum ſimultaneum, eorum non videtur ſufficiens medium ; ut ſi dicam motâ unâ qualitate in Euchariſtia moventur omnes, ergo omnes ſunt colligatæ ; non videtur demonſtraſſe intentum ; reſponderi enim poterit mihi, quòd motâ unâ moventur omnes, non quia ſunt colligatæ realiter, ſed quia Deus efficit motus omnes circa illa ſic geri ac ſi eſſent colligatæ in aliquo eodem, idque ad occultandum myſterium, quod aliàs reduceretur à fide ad experimentum. Sed hoc argumentum latiùs proſequar Apolog. ſequenti, ubi de diſtinctione quantitatis à ſubſtantia.

6. Secunda ratio à priori ſit iſta ; quia quantitas ſecundùm omnes ſequitur materiam, & ineſt compoſito ratione eius, ſicut qualitas ſequitur formam, & ineſt ratione ejus, ergo habet rationem aliquam ſubiecti & receptivi, ſicut qualitates habent rationem activi, & verè ac re ipsâ agunt.

7. Tertia ab experimento & paritate, quia nimirum aliqua accidentia recipiunt immediatè in quantitate, ſi autem aliqua, quidni omnia? ne toties varietur ratio ſubjecti, ergo. Probo itaque majorem in figura, quæ ſine dubio afficit immediatè quantitatem, quum ſit terminus ejus, item in raritate & denſitate quæ afficiunt proximè quantitatem, cùm ſint extenſio & contractio ejus, ergo

8. Quarta; quia omnium judicio hæc propoſitio eſt magis naturalis & formalis; ſuperficies eſt alba, quàm iſta, albedo eſt lata: Item iſta, extremitas tabulæ eſt acuta, quàm hæc, acumen tabulæ eſt extremum, ergo quantitas, quæ eſt ſubjectum in primis propoſitionibus, tale revera eſt ratione prædicatorum illorum, quæ proinde dicenda ſunt in ipſa recipi.

Dicet aliquis hoc argumentum probare, quòd quantitas potiùs ſit ſubjectum qualitatum, quàm è contra: id verò non eſſe in quæſtione, ſed comparationem fieri inter quantitatem & materiam, & quæri, num aliqua accidentia ſubjectentur in quantitate, an verò omnia in ipſa immediatè materia? Reſpondeo etiam hoc reſolvi per argumentum propoſitum; ſi enim rectiùs prædicetur qualitas de quantitate quàm è contra, ſequitur quantitatem habere aliquam rationem ſubjecti reſpectu qualitatis quam non habet qualitas reſpectu eius; at verò id eſſet falſum ſi omnia omnino accidentia ſubjectarentur in materia immediatè, tum enim nullum ſe haberet ut ſubjectum reſpectu alterius potiùs quàm è contra.

9. Urgeo argumentum (& ſit quinta probatio) ſic: Quando plures formæ merè concomitanter in uno communi ſubiecto ſe habent, non ſibi tribuunt ſuos effectus formales, nec ſe propriè denominant, non enim dicimus albedinem lactis v. g. eſſe dulcem, nec è contra dulcedinem albam: dicimus tamen albedinem eſſe extenſam, quæ eſt effectus formalis quantitatis, ergo dulcedo & ſimiles qualitates immediatè conjunguntur quantitati. Reſpondet Averſa hoc argumentum probare potius quòd quantitas ſubjectetur in qualitate, quia nimirum proprium eſt formæ denominantis ſubjectari in eo quod denominat, ſi ergo qualitas denominat qualitatem quid ſequitur, niſi quòd ſubjectetur in qualitate? Ita ille; ſed velit nolit, argumentum hoc prodeſt concluſioni, & colligit conſequentiam ſuprà illatam; ſi enim albedo non denominat dulcedinem, nec è contra, & tamen quantitas denominat utrumque, ni fallor efficitur evidens, quòd aliter ſe habet quantitas ad albedinem & dulcedinem, & aliter iſta ad ſe; at verò id non eſſet verum, ſi omnia omnino accidentia ſubjectarentur in ſubſtantia ipſa immediatè, tum enim tam immediatè eſſet ibi quantitas & albedo, quàm dulcedo & albedo, atque adeò nulla eſſet ratio, cur albedo v. g. denominaretur à quantitate potiùs, quàm à dulcedine quod eſt falſum; verum ergo erit quod intuli in argumento, ſcilicet has & cæteras qualitates conjungi immediatè quantitati. Subſumo: ſed non conjunguntur ei tanquam ſubjecta formæ, quod ipſe etiam Adverſarius concedit, nec tanquam du[illegible]æ diſparatæ ad invicem, ut probatum jam eſt in argumento, ergo, ut formæ ſubjecto qu[illegible]eſt intentum.

10. Sit ſextum hoc ex rarefactione ac condenſione deductum hoc modo: Quando rareſit ſubjectum aliquod, verbi gratiâ Lac, omnes eius qualitates immutantur, ſicut è converſo, quando condenſatur quodammodo augentur aut vigorantur, quod non contingit factâ immutatione circa alia accidentia, nam ſi remittatur odor non proinde ſit immutatio aliqua circa colorem aut etiam ſaporem ſubiecti ut notum eſt experimento demonſtrante cuique, unde infero accidentia alia pendere aliquo modo à quantitate quo non pendent à ſe invicem. Ratio, quia raritas ac denſitas fiunt per acceſſum & receſſum ipſius quantitatis ut plures doctiſſimi authores volunt, ſaltèm fiunt per mutationem aliquam circa quantitatem, denſum enim eſt, quod habet multum materiæ in paucis dimenſionibus; ſi ergo immutantur omnia & ſingula per raritatem, iam immutantur mutatione factâ circa quantitatem, atque ita omnia dependent à quantitate; non dependent autem niſi tanquam à ſubiecto, ergo.

11. Quàm verò inepta ſit illa opinio Javelli & Soncinatis ponentium potentiam diſtinctam & ſuperadditam materiæ, quâ mediante recipiat qualitates, non verò mediante quantitate, inde colligas, quia potentia illa, vel eſt ſubſtantia, vel accidens; ſi ſubſtantia, debebit habere potentiam ſuperadditam, per quam accidentia ſuſcipere poſſit, alioquin materia ipſa poterit ea immediatè recipere, ſi autem accidentalis, debet ipſa recipi in materia; non poteſt autem, alioquin etiam qualitates immediatè recipi poſſent, & ita illa potentia erit ſupervacanea. Confirmo & verto argumentum in rem meam: ſi enim poteſt poni potentia accidentalis ſive accidens aliquod quod immediatè recipitur in materia & cætera eo mediante, an non bene dixi ego quantitatem recipi immediatè in materia, & alia omnia in ipſa? cur enim in alio accidente non in quantitate? cùm conſtet quantitatem dari, potentiam illam non conſtet? ergo.

12. Urgeo adhuc hoc ipſum: Nam ſi accidentia omnia recipiuntur in potentia illa ſuperaddita, ſequitur aliqua non recipi in ea, quid eſt contradictio primi & probatur, nam ſi recipiuntur in illa, iam accipient denominationem ab illa, ſicut ex eo, quòd recipiantur in quantitate, accipiunt denominationem quanti, & extenſi & impenetrabilis, & forma, eò quòd recipiatur in materia dicitur & eſt materialis, corporalis, atque ita ipſa accidentia erunt potentia recipere alia accidentia, quum ergo fruſtra ſit potentia quæ aliquando non exit in actum, etiam hæc potentia habebit actum ſuum, cur enim alia, non hæc? quod etiam aliunde ſuaderi poteſt ex eo quod de facto contingit qualitatibus à quantitate, nam & hæ quoque ſunt actu impenetrabiles, unde à primo ad ultimum ſequitur contra hos, quòd ſi omnia accidentia recipiantur in illa potentia, non omnia accidentia recipiantur in illa potentia.

13. Objicit Averſa, & conatur evertere inſimul omnia fundamenta huius viæ ponentis quantitatem tanquam ſubjectum cæterorum, non enim (inquit) hoc dici debet eò quòd conſtet alia accidentia non recipi niſi in materia quanta,

quanta, hoc enim non convincit aliud, quàm quòd quantitas ſit diſpoſitio requiſita receptionem aliorum accidentium, etſi non ſit eorum ſubjectum, aliàs dicendum eſt, quòd approximatio materiæ ſit ſubjectum proximum omnium formarum, utique enim debet proximari ut aliquam accipiat. Præterea nec forma ſubſtantialis recipitur niſi in materia quanta, & tamen quantitas nequidem ſecundum nos eſt ſubjectum proximum formæ ſubſtantialis. Quod etiam non ſit ponenda quantitas ſubjectum cæterorum accidentium, ut cætera accidentia extendantur per ipſam ut nos volumus, probat; quia ad hoc potius dicendum eſſet quod accidentia alia puta qualitates ſint ſubjectæ quantitatis; ſcimus enim denominationes provenire ſubjectis à forma; ut ergo qualitates denominentur à quantitate cenſendum eſt potius quod recipiatur quantitas in illis quam ipſæ in quantitate. Deinde forma ſubſtantialis extenditur per quantitatem, nec tamen ſubjectatur in quantitate, poterunt ergo accidentia ſimiliter extendi ab ipſa, nec tamen ſubjectari. Reſpondeo quantitatem poni à nobis ſubjectū immediatum cæterorum accidentium propter rationes ſuprà pro concluſione multiplicatas, ad quas accedere poſſunt duæ iſtæ ab adverſariis miniſtratæ, unde ad inſtantiam contra primam reſpondeo non ſufficienter ſalvari exigentiam alicujus dicendo quod ſit conditio, nam non poteſt agens corporale agere niſi in corporali, quod ita verum eſt, ut corporalitas, non ſit tantum conditio ex parte paſſi ſed ratio formalis patiendi. Ita hic eſſe quantū nos dicimus, ille negat ſed nondū probavit, adeò adhuc æquo Marte pugnamus. Similiter dico ad ſecundum, nos quidem non allegaſſe iſtam rationem, ſi tamen deſerviat, permittere. In re autem collegimus quantitatem eſſe ſubjectum qualitatum, quia videmus qualitates extenſas, inde enim inferre licet aut qualitates recipi in quantitatibus aut è contra: ex quo patet ad primum pro hac parte, alterum enim disjunctivè neceſſarium fuit, nullum determinatè; ſine dubio enim forma præſtat aliquot effectus ſubjecto, & viciſſim ſubjectum aliquos formæ. Cur autem potius dictum ſit quantitatem in propoſito eſſe ſubjectum quam materiam, in promptu cauſa eſt, quia omnes qualitates ſunt extenſæ; non poteſt autem quantitas recipi in omnibus & ſingulis, niſi ipſæ recipiantur invicem in ſe, poſſet autem ipſa quantitas omnes qualitates recipere. Sed quid ad inſtantiam de forma ſubſtantiali quæ etiam eſt extenſa, & tamen non recipit in ſe quantitatem nec recipitur in ea? Dico formam etiam ſubſtantialem recipi in materia quanta, & immediatius eſſe in materia quantitatem quam formam, quod ſuo loco oſtenſurus ſum, ſive Apolog. ſequenti de quantitate, ſive in phyſica Apologia de materia prima quum oſtendam dari in ea dimenſiones quas vocant interminatas. Sed contra

14. Objicit ſecundò alius adhuc rationem concluſionis eſſe falſam; falſum eſt enim qualitates eſſe extenſas aut impenetrabiles formaliter; nõ enim aliter tales ſunt, quàm extenſione ſui ſubjecti, eò quòd diverſæ partes qualitatis recipiuntur in diverſis partibus materiæ, quæ cum ſint in locis diſtinctis, trahunt etiam qualitates ad eadem loca. Reſpondeo: Sic negare poſſet qualitates eſſe figuratas, eſſe motas; dici enim poſſet hæc omnia verificari ratione ſubjecti, in quo omnes tales formæ ſunt, nulla autem in ipſis qualitatibus, quod tamen falſum eſt, cum conſtet accidentia figurari, moveri, atque etiam dividi, & tamen dicere poſſet Adverſarius quod ſolum dividatur ſubjectum, & dicatur tantùm dividi qualitas ratione diverſi ſubjecti, quod falſiſſimum eſt cum conſtet experimento auferri aliquas partes ipſi etiam qualitati, v. g. albedini cùm charta forficibus raditur. Itaque qualitas formaliter extenſa eſt, quod cum contingere non poſſit niſi aut recipiat in ſe magnitudinem, aut recipiatur in ipſa, ſequitur ut ſupra. Deinde contra reſponſionem hujus Recentis facit fortaſſis nonnihil hoc, quod ſi qualitates non ſint extenſæ ſed ſolùm ſubjectum, non ſubeſſe cauſam cur in Euchariſtia qualitates ſeparatæ ſint extenſæ, quia jam deeſt cauſa extenſionis, ſcilicet ſubjectum quod erat ſubſtantia & jam non eſt. Nec valet dicere hoc fieri à Deo ad occultandam fidem myſterii quia talis occultatio bene locum habet in ſententia ponente quantitatem eſſe ſubjectum, in alia non, quia nimirum Concil. Tridentinum docet remanere tantùm ſpecies panis & vini, id eſt accidentia quæ fuerunt præſente pane & vino, at verò præſente pane & vino non fuit ulla extenſio qualitatum illæ enim non fuerunt formaliter extenſæ ſecundum te, adeòque nec nunc debent tales eſſe.

15. Objicit idem ultimò: Diſpoſitio debet eſſe in ſubjecto, quod diſponit, ſive in eo, in quo recipienda eſt forma, ad quam ipſa diſponit, nam ſi non eſt in eo ad quod diſponit quomodo illud diſponit? ſed qualitates diſponunt materiam ad receptionem formæ, ergo debent neceſſariò eſſe in ipſa materia. Reſpondeo qualitates & diſpoſitiones omnes eſſe in materia: deinde quot ſunt qui dicunt qualitates omnes eſſe in toto, & tamen diſponi per ipſas materiam, ad introductionem ſcilicet novæ formæ. Denique ſint, ut volunt Adverſarii, in ipſa immediatè materia, quæro an diſponant materiam ad novam formam ſubſtantialem, v. g. calor & ſiccitas, materiam ligni ad excipiendam formam ignis? ſi non, nihil juvatur arguens ſuo argumento; ſi ſic, incidit in ſuos caſſes, quod forma ſubſtantialis non recipiatur immediatè in ſubſtantia, utique enim recipitur in materia diſpoſita, atque ita in ipſis immediatè diſpoſitionibus, vel ſi poteſt recipi in materia diſpoſita quin priùs recipiatur in diſpoſitionibus, poterit etiam ut nos dicimus recipi in materia quanta, abſque eo quod recipiatur immediatè in quantitate.

Digitized by Google

ACTIO IV.

Vtrum accidens ſpirituale poſſit inhærere ſubjecto corporeo, vel è contra accidens corporeum ſubjecto ſpirituali?

Breviarium.

N. 1. *Non poſſe ordinariè & naturaliter accidens ſpirituale ineſſe materiæ.*

2. *Poſſe abſolutè loquendo formam ſpiritualem ineſſe materia.*

3. *Non omnem formam ſpiritualem poſſe ineſſe ſubjecto corporali, probatur.*

4. *Alia hujus probatio. Concluſionem in hac parte non ſolùm verificari de actibus vitalibus, ſed &*

5. *Non poſſe formam ſpiritualem inhærere materiæ, ſeu de potentia ejus educi.*

6. *Nec formam corporalem ſubjectari poſſe in ſubjecto ſpirituali. Probatur hic de quantitate.*

7. *Probatur etiam de qualitatibus.*

8. *Objectio an poſſit eſſe animal contrarium homini ex corpore ſpirituali & anima materiali?*

9. *Alia objectio ſoluta. Ignis inferni quomodo cruciet Angelos & animas ſeparatas?*

1. SUpponitur negativa communiter, & meritò quoad potentiam naturalem, quòd ſcilicet accidens ſpirituale non poſſit inhærere naturaliter ſubjecto corporali, utique enim connaturale eſt accidenti ſpirituali ſubjectum ſpirituale, & è contra ſubjectum ſpirituale formæ ſpirituali.

Objici tamen poteſt, quòd forma ſpiritualis poſſit naturaliter informare ſubjectum corporeum, ergo ſimiliter vel multò magis forma accidentalis. Probatio antecedentis eſt anima rationalis, quæ ſpiritualis eſt & naturaliter informat corpus organicum humanum. Sed reſponderi facilè poteſt dando diſparitatem hanc, quia nimirum nulla forma corporalis eſt quæ poſſit præſtare corpori id quod præſtatur per animam, at verò nulla forma accidentalis eſt quæ habeat effectum ullum quem non poſſit præſtare aliqua forma corporalis, v. g. dico me non poſſe fieri ſedentem aut ſtantem per ſeſſionem aut ſtationem ſpiritualem, quia nimirum poteſt dari mihi ſeſſio corporalis ſive accidens aliquod corporeum & materiale per quod reddar ſedens, at verò non poteſt dari forma corporalis, quæ præſtet omnes effectus ad quos corpus hominis eſt aptatum & præparatum, corpus enim noſtrum eſt organizatum non ſolùm ad ſentiendum, ſed etiam ad intelligendum intellectio autem non poteſt provenire à forma materiali. Sed contra hanc rationem

Inſtari poteſt ſic: Nulla forma naturalis poteſt præſtare animæ quod præſtatur per habitus ſupernaturales, v. g. gratiam, gloriam, & nihilominus formæ illæ ſunt ſupernaturales animæ atque etiam angelo, ergo, quòd effectus quos communicat anima rationalis corpori non poſſint ab alia forma præſtari, non facit animam naturaliter recipi in corpore. Reſpondeo, ſi ita ſit, eò magis verificari concluſionem. ſic enim nulla forma nec ſubſtantialis, nec accidentalis ſpiritualis recipi poterit naturaliter in ſubjecto corporeo. Sed quia falſum eſt conſequens argumenti, ſcilicet animam rationalem non recipi naturaliter in corpore: Reſpondeo aliter, quòd habitus illi infuſi, licèt ſint in entitate ſupernaturales, tamen non ſupernaturaliter recipiuntur, ſed naturaliter, hoc eſt non patiuntur illam difficultatem in receptione aut unione ad ſubjectum quam pateretur forma ſubſtantialis ſpiritualis in ſubjecto corporeo, aut vice verſâ forma corporea in ſubjecto ſpirituali. Iam quoad abſolutam poſſibilitatem hujusmodi receptionis.

2. Dico, quantum ad ſimplicem unionem, formam ſpiritualem poſſe de potentia abſoluta recipi in ſubjecto corporali, non omnem tamen: At verò loquendo de inhæſione propriè dicta aut de productione per eductionem nullam formam ſpiritualem probabiliter poſſe ſic recipi in ſubjecto ſpirituali, hoc eſt inhærere ei, aut educi de ipſo.

Probatur prima pars medio objectionis ſuprà factæ ſic: Poteſt ſubſtantialis forma uniri ſeu informare ſubjectum corporeum, ergo accidentalis. conſequentia probatur, quia aut utraque forma univocatur in ratione ſpiritualis, & ita æqualis eſt difficultas recipiendi utramque. Aut non univocantur, & tum certum eſt, quòd perfectior ſit ſpiritualitas formæ ſubſtantialis, atque ita plus excedet corpus, ac proinde difficilius unietur ei. Antecedens autem patet in anima rationali, quæ unitur corpori organico & materiali hominis. Patet item ſuo modo in verbo Dei quod etiã unitum eſt humano corpori, aut ſaltèm toti homini, qui tamen totus homo cenſeatur corpus & corporale quid ut patet in arbore Porphyrii, in qua homo eſt ſpecies atoma & ſupra ipſam eſt corpus tanquam genus.

Probo etiam aliter, & faciliùs, quia revera totum, quod dicitur in hac parte concluſionis quotidie contingit, nec poteſt aliter eſſe, aliàs ſubſtantia ſpiritualis non poſſet locari in ſpacio corporali, nam ſine dubio locatum habet aliquam unionem ad locum, & vice verſâ, adeòque quantum ad ſimplicem unionem ſpiritualis cum corporali res eſt extrà controverſiam non ſolùm inſtantiâ Angeli; ſed ipſius etiam Dei O. M. uterque enim occupat locum diviſibilem. Hoc idem argumentum formari poteſt in alia natura ſeu ſpacio durationis, nam etiam Angelus & aliæ res ſpirituales durant, ſeu coexiſtunt durationi diviſibili, & inter ipſa eſt quædam applicatio ſeu unio, quam philoſophi exprimunt per prædicamentum *quando*.

Denique probari poteſt utcumque hæc res inſtantiâ indiviſibilis quantitativi, puta puncti; hoc

enim

enim non habet partes, & tamen unitur habenti partes, & idipſum eſt de aliis, quæ licèt ſunt ſpecies quantitatis, tamen ſunt etiam quadam ratione indiviſibiles, ſcilicet linea & ſuperficies, quarũ prima eſt indiviſibilis in latitudine, altera in profunditate, hæc enim quatenus ſunt etiam indiviſibiles uniuntur ſine dubio aliis diviſibilibus, ergo. Sed

Objicies: Si hæc ita ſint, tum ruit prima pars noſtræ reſolutionis, nempe primum, quod ſupradiximus, fuit naturaliter non poſſe formam ſpiritualem recipi in ſubjecto corporali, & tamen iſtæ inſtantiæ probant oppoſitum: v. g. punctum applicatur & unitur naturaliter parti diviſibili, & angelus eſt naturaliter in ſpacio diviſibili tam temporis quàm loci, ergo vel iſtæ inſtantiæ nihil juvant nos, vel probant etiam naturaliter poſſe hoc contingere quod negamus. Huic rationi infrà reſpondebo. Interim

3. Probo alterum, quod dixi, ſcilicet non omnem formam ſpiritualem poſſe informare ſubjectum corporale, & volo per hoc excipere actus vitales & ſpirituales, v. g. intellectionem & volitionem, dico has non poſſe recipi in corpore, puta in ligno, quia non poſſunt tribuere ſuum effectum formalem ligno, ſcilicet eſſe intelligentem, adeòque, quam conſequentiam indè probo quia effectus formalis alicujus formæ non eſt aliud quam ipſa unita ſubjecto, non enim forma cauſat efficiendo ſed communicando ſe, adeoque cui communicatur intellectio v. g. id redditur intelligens quum iſta duo ſint ſynonyma ut vidimus; ex quo infero, ergo cui repugnat eſſe intelligentem, huic repugnat communicatam eſſe intellectionem; atqui clarum eſt lapidem aut lignum non poſſe reddi intelligentia, ergo etiam nec poterit his uniri aut communicari intellectio.

Dici poteſt forma variare ſuos effectus formales pro diverſitate ſubjectorum, ſic enim curvitas in naſo dicitur ſimitas, in aliis ſubjectis non: Carentia alicujus formæ in ſubjecto apto nato eſt privatio, in aliis non, ſed negatio, ergo. Reſpondeo: Non litigamus quomodo dicendæ aut vocandæ ſunt res, ſed quomodo revera ſe habeant, quod quum neceſſariò tenendum ſit ab utraque parte, eſſentiam dixi ſtatim deſtruit partem illam Adverſariorum, nam ſi ita ſit & exempla adducta continent paritatem, tum fateri habent hoc quod eſt eſſe intelligentem, & totum quod homo habet per intellectionem id inquam revera in lapide ſimiliter inveniri, licèt non ſit ſimiliter appellandum, nam revera, quidquid facit curvitas in naſo facit in aliis ſubjectis, & quidquid aufert negatio à ſubjecto aufert etiam privatio à ſuo, licet ablationes illas diverſis nominibus importari voluerint homines.

R. Ariaga citat.

Aliter itaque Recens quidam putavit evadendam ſibi vim argumenti oſtendendo formam non debere communicare omnem effectum ſuum ſubjecto; quia (inquit) qualitas communicata ſubjecto eſt aliquando intenſa, non tamen reddit ſubjectum intenſum. Item forma aliquando eſt indiviſibilis nec tamen reddit ſubjectum ſuum indiviſibile, quod utrumque patet in anima rationali & corpore. Sed enim immeritò ille dixit hæc eſſe clariſſima & efficacia; primum enim quod aſſumit eſt falſum, ſecundum non quidem falſum eſt, ſed eſt impertinens. Incipio à priori, & oſtendo errorem, nam revera qualitas intenſa reddit ſubjectum intenſum eo modo quo ab ipſo expectari debuit: nam calor vehemens reddit vehementer calidum, quid autem eſt eſſe intenſum niſi eſſe vehementer & valenter tale? Præterea etiam ſubjectum illud non ſolùm calidum eſt ut octo v. g ſed eſt calefactivum, ergo jam non ſolùm habet virtutem agendi in illo genere, ſed etiam intenſionem ejus. Quod autem addit in ſecundo, ſcilicet formam indiviſibilem non reddere ſubjectum ſuum indiviſibile, veriſſimum eſt ſed impertinenter allatum, ſic enim poterat notare quòd qualitas non facit ſuum ſubjectum eſſe qualitatem neque reddit ipſum accidens, licèt ipſa ſit tale, atque inde inferre, quando ipſi placeret, quod forma non tribueret ſubjecto hunc aut illum effectum formalem, quod nihil eſſet. Itaque nulla forma tribuit ſubjecto effectum pertinentem ad actum primum ſeu ad eſſe, ſed ſupponit eum; hoc autem quod eſt eſſe indiviſibilem, eſſe materialem aut qualitatem potiùs quàm ſubſtantiam pertinet ad actum primum, adeòque.

Meliùs fortaſſe inquit alius hoc, quod eſt eſſe intelligentem, non eſſe effectum formæ, ſed formæ & ſubjecti, adeòque non habendum ubi deeſt ſubjectum proportionatum licèt adſit forma, ſed nec ſic quidem reſpondit, quisquis eſt, ſed pervertit principia philoſophiæ, reddit enim ipſum ſubjectum formam, & quidem ſui ipſius, facit enim ipſum tribuere ſibi effectum aliquem planè ſicut externa forma tribuit, ſcilicet perſonaliter.

4 Probemus ergo aliter de novo concluſionem ſic: Quædam ſunt formæ intra genus materialium, quæ determinant ſibi ſubjecta aliqua in ſpecie, ut non poſſint eſſe aliorum, ergo etiam à fortiori vel ſimili formæ aliquæ poterunt determinare ſibi ſubjecta aliqua in genere, atque ita erunt aliquæ, quæ non poterunt transferri ultrà genus ſubjecti ſpiritualis, & aliæ quæ non poſſunt transferri ultrà genus ſubjecti materialis. Antecedens patet in riſu, v. g. & riſibilitate, quæ non poſſunt inveniri extra hominem, alias non eſſent propria quarto modo homini, quia non competerent ſoli. Diceret aliquis argumentum bis fallere, ſemel quia riſibilitas non eſt accidens aut ullatenus forma inhærens ſed ſubſtantia, ſecundò quia riſus poteſt alteri ineſſe, licèt non poſſit ab alio produci. Audio & dico mè uſum riſibilitate ad hominem, in ſententia ſcilicet Adverſariorum qui reputant eam eſſe formam, & quidem accidentalem, riſu autem in mea, quia ſaltèm hoc quod eſt ridere non poteſt alteri ab homine competere, ſed hoc quod eſt ridere eſt accidens, ergo jam datur aliquod accidens determinans ſibi ſubjectum in ſpecie, ſi autem in ſpecie quidni in genere? Denique hæc pars concluſionis non eſt obligata actibus vitalibus, quaſi illi ſoli determinarent ſibi ſubjecta aut eſſent affixa illis, nam etiam habitus ſic ſe habent, gratia ſanctificans non poteſt efficere niſi naturam intellectualem, quia non poteſt alteri tribuere effectum ſuum, ſcilicet eſſe amicum aut filium Dei adoptivum.

5. Dico jam, & probo, quod ſuprà, ſcilicet formam ſpiritualem non poſſe inhærere propriè & educi de potentia ſubjecti materialis, ſaltèm id eſſe in principiis philoſophicis probabile: Ad quod ſuppono inhærentiam propriè dictam reſpondere eductioni, neque inhærere propriè niſi

Digitized by Google

tas non eſt in eo ſubjecto, in quo non poteſt habere intenſionem & remiſſionem, non poſſet autem in Angelo, quod ſic oſtendo, demus Adverſariis Angelum eſſe dealbatum, dico hanc albedinem non poſſe eſſe remiſſam in Angelo, & probo neceſſariò, debere eſſe intentiſſimam; quia nimirum neceſſariò habet plures partes in eadem parte ſubjecti. Sit enim Angelus aptus extendere ſe per totam hanc aulam, albedo: quæ ſufficit dealbare eum debet poſſe coextendi toti huic aulæ. Tum ſic, ſi omnes gradus hujuſmodi albedinis reducerentur in unum, & aggregarentur in eandem partem, vel in idem punctum aulæ ſine dubio pars illa foret intensè alba. Sic autem eſſet in Angelo, nam tota illa albedo eſſet in eadem parte vel potiùs in eodem puncto ſubjecti, quia nimirum ipſe Angelus eſt inſtar puncti & impartibilis ergo neceſſariò illa eſſet intenſa.

Duo reſponderi poſſunt: Primum, quòd ratio probet æquè nequidem qualitatem ſpiritualem poſſe eſſe remiſſam in Angelo: Secundum, quòd ſi Angelus coextendatur toti aulæ, tunc partes qualitatis erunt etiam extra ſe, atque ita non intenſæ ſed extenſæ tantùm. Sed primum aſſumit falſum quia qualitas ſpiritualis non habet tam certò partes integrantes, ſicut habet qualitas materialis. Concedam qualitatem ſpiritualem diviſibilem eſſe in plures gradus intenſionis, non concedam tamen ſingulos gradus eſſe diviſibiles in plures partes integrantes quod tamen convenit certò materiali. Ad ſecundum autem ſufficit dicere quod ſaltē tunc illa qualitas eſſet intenſa quando Angelus retraheret ſe ad minorē locum, nam tunc omnes eſſent in eodem loco, ſubjecto & parte, imo plus quàm parte & puncto ejus adeòque. Denique exiſtimo pro hac concluſione valere illam rationem quæ infert id poſſe naturaliter fieri ſi poſſet ſupernaturaliter fieri. Cauſa conſequentis, quia potentia paſſiva aut receptiva una & eadem eſt ſemper, nec per ullam externam virtutem amplificari aut reſtringi poteſt. Quia nimirum non exigit niſi non repugnantiam paſſi, eo enim ipſo ſtatim recipietur, dummodo adſit efficiens quod ipſum producat. At verò repugnantia aut non repugnantia non ſubeſt ulli potentiæ agentis, nec opportet diſtinguere pernaturaliter & ſupernaturaliter, quia quod ſemel repugnat naturæ non poteſt etiam ſupernaturaliter ei accommodari. Adhuc tamen inſtari poteſt quia corpus Chriſti habet omnes partes cujuſlibet qualitatis ſuæ ſimul, nec tamen habet eas propterea intenſas, ergo. Reſpondeo: Habet eas ſimul loco, non habet eas ſimul ſubjecto, ſunt enim illæ in eadem parte loci, non tamen in eadem parte ſubjecti; ſecùs eſſet in Angelo, qui cum non habeat partes, in eo omnes qualitatum gradus eſſent in eodem indiviſibili ſubjecti. Sunt & jam ſpecialia argumenta de ipſis accidentibus in ſpecie, v. g. contra quantitatem ne recipi poſſet in Angelo, quia tunc Angelus poſſet palpari, contra qualitates, v. g. colores quia tunc poſſet videri, eſſe pulcher & deformis, dulcis & amarus, quæ relinquo quia cuivis obvia ſunt. Tamen

8. Objicio contrà: Poteſt forma ſubſtantialis ſpiritualis informare ſubjectum materiale, ergo poterit forma ſubſtantialis materialis ſubjectum ſpirituale, eſt enim proportio permutata. Sed nego huic conſequentiam ratio eſt, quia poteſt dari ſubſtantia ſpiritualis perfectior omni materiali, non poteſt dari ſubſtantia materialis perfectior omni ſpirituali. Inſtari tamen poteſt quòd hæc ratio non obſtet, ne forma accidentalis materialis recipiatur in Angelo, quia non debet forma accidentalis eſſe perfectior ſubjecto, quidni ergo poſſit aliqua talis recipi in Angelo? v. g. cur non poſſit Angelus moveri motu locali materiali? Reſpondeo: Verum eſt, & proinde concluſio quoad hanc partem debet fundari in aliis rationibus pro ipſa poſitis, ſed

9. Objicio ſecundò, ſi repugnaret accidens materiale recipi in ſubjecto ſpirituali, fruſtra aſſignarentur pœnæ corporales ſpiritibus, quia nimirum non poſſunt nocere eis. Caſus eſt in igne qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus, quod tamen fruſtra fieret, ſi nihil producibile ab igne puta calor aut ſimile poſſet recipi in angelo. Reſpondeo primò: Argumentum plus probat quàm arguens vellet; ſi enim valet, ſequitur quod aliquid corporeum naturaliter produci poſſit in ſpiritu, utique enim ignis ille naturaliter agit in angelos & animas ſeparatas. Reſpondeo ſecundo è contrario non ſufficere argumentum hoc ad intentum ſuum, quamvis enim demus calorem vel ſimile aliquid producibile ab inge recipi poſſe in angelo, non proinde ignis erit pœna proportionata angelo, quia calor ille non inferret dolorem angelo, quandoquidem non corrumpat aliquam qualitatem conſervativam ejus. Itaque ſemper intricata & difficilis intellectu fuit illa pœna ignis, & pro nunc videtur non aliter punire ſpiritus niſi, vel quia credunt illi quod eis noceat, vel quia ibi detinentur tanquam in carcere, vel ob eorum ſuperbiam quæ vehementer renititur tam materiali ſupplicio. In fine exiſtimo dicendum eſſe hic quod non imprimantur eis qualitates ullæ corporeæ ab igne, quia & rationes concluſionis contra faciunt, & præterea nil facit ad pœnam quod calor ab igne producatur in Angelo ut viſum eſt, ergo.

De Accidente metaphyſico legendi ſunt

Ariſt. 7. *Met. text.* 2 *&* 3. *&* 15 *&* 4. *Met. tex.* 2. Aug. *in Catheg.* 15. Damaſc. *in Dial. cap.* 13. D. Th. 4. *diſt.* 12. *art. & q.* 1. *&* 3. *par. q* 77. Gul. Varro *in* 4. *citat.* Henr. *quodlibet.* 4. Gotfied. 4. *p. ſic.* Ægid. *Theor.* 36. 37. 38. 39. Ock. 4. *q* 7. *& tract. de Euchariſt. cap.* 28. Mayron. 4. *citat. q.* 2. Gab. *lect* 44. *in Can.* Dur. 4. *cit. q.* 1. Cap. *q.* 1. Soto *d.* 10. *q. & art.* 2. Ferrar. 4. *contra Gent. cap.* 65. Hervæus *quodl.* 11. *q.* 29. Bacon. 1. *d.* 28 *q.* 1. *art* 3. Gregor. 2. *d.* 12. *q. & art.* 2. Major 4. *d.* 12. *q* 2. Miſil. *ib. q.* 5 *art.* 2. Maſius 1. *Phyſic. cap.* 9. Cajet. *de ente & eſſ. q.* 16. Didacus Nuno 3. *p. q.* 78 *art* 1. Joann. Canon. 1. *Phyſic. q* 4. Aquar. 7. *Met dilucid.* 1. Jandun. *ibid. q.* 1. Sueſſan. *diſp.* 1. *c* 4. Janus Syrenus *diſp de ſubiecto prim philoſ ſect.* 2. Thom. Wald. *tomo* 2. *c.* 76. Trombet 7. *Met. q.* 1. Anton. Andreas *ibid.* Acerb. *lib.* 3. *Peripat. qq. queſt.* 1. Timara *Theor.* 3. Soncin. 7. *Met. q.* 1. Dominicus de Flandria 7. *Met. q.* 1. *art.* 2. Javell. 7. *Met.* Zanardus *ibid q* 1. Franciſcus Suar. *diſp.* 37. *Met.* Nyphus *lib* 7. *Met. diſp.* 1. Raph. Huerta *tomo* 1. *philoſ. q.* 21. Poncius *diſp.* 13. *Log.* P. Hurtado 13. *Metaph. ſect* 1. Franciſcus Oviedo *contr.* 1. *de Generat. p.* 1. *&* 2. Rodericus Ariaga *diſp.* 5. *Met.* Alfonſ. Briſen. *contr* 5. *de Viſion Dei diſ.* 1. *ſub diſt.* 2. Greg. de Valent. *q.* 5. *de Euchar.* Tolet. Soncin. Cajet. *in cap* 6. *Perp.* Levig. Sonid. *ib.* Gard. Sarnan. Angles, *&* Mauric. *in q.* 35. *predic. Scoti.*

APO-

ſionem eorum eſſe ipſamet, non verò quidquam ſuperadditum, quod etiam ſine dubio tenuerunt de accidentibus, ſcilicet extenſionem eorum eſſe ipſa, atque ita qualitates ſe ipſas non aliquo diſtincto reddi diffuſas per locum, impenetrabiles cum aliis qualitatibus; verbo, quantitatem qualitatum eſſe qualitates, quod etiam ante ipſos academicis in mentem venit, ut bene adverterunt aliqui ex 1. *Met. text.* 5. Plato poſuit unam rerum omnium materiam, cujus differentia eſſet parvum & magnum.

Contrarium Ariſtot docuit: Loca ipſius obvia ſunt ex 3. *Met. text.* 17. *& lib* 6 13. *ac* 14. *& 1. Phyſ. text.* 13 & denique 7. *Met text.* 8. quo loco expreſsè diſtinguit iſta realiter, ſcilicet ſubſtantiam & quantitatem priori autem loco, Non ſolùm aſſerit ea diſtingui, ſed probat congeſtis argumentis ex profeſſo ad perſuadendam hanc partem, quam poſtea communis Chriſtianorum ſcriptorum ſententia amplexa eſt. Sed, quod ad alios ſpectat, viderint ipſorum ſequaces: Ego meum authorẽ video nimis fidenter in hanc partem tradi. Nec enim ille diſtinctionem realem ſubſtantiæ & quantitatis tam abſolutè docuit, ſed reverenter, & tanquam tranſiens ſuppoſuit, ne communi ſententiæ inſultaret. Cúmque appareat eum id ita egiſſe, poſſumus cum fundamento arbitrari ipſum propendiſſe ſaltèm in oppoſitam partem, & quando liberè ſuffragium ferre poſſet, acceſſurum utique ad eam partem quà noluit entia ſine cauſa multiplicare. Ita lego apud ipſum in 4. d. 12. q. n. 15. *An in Euchariſtia quodcumque accidens ſit ſine ſubjecto?* cui reſpondet: *Sed de abſolutis diverſimodè opinantes de quantitate reſpondent diverſimodè. Qui enim dicunt qualitatem eſſe aliam eſſentiam abſolutam ab eſſentia ſubſtantiæ corporeæ & qualitatis, ſicut dicit communis opinio, dicerent quantitatem hic eſſe ſine ſubjecto,* &c *Et qui autem dicerent quantitatẽ ſubſtantiæ non eſſe aliud ab eſſentia talis ſubſtantiæ. & quantitatem coloris non eſſe aliud à colore dicerent,* in quibus nihil reſolvit ut vides (quum tamen nullibi rem magis ex profeſſo tractaverit ne in logica quidem) ſed remittit ad ſecundum, *de iſta* inquiens) *altercatione habetur lib* 2. *d.* 12. *q* 1. quam ego volvens, revolvens nihil vidi de hoc deciſum In illa *d.* 12. *q.* 5 ubi iterum repetit idem argumentum in reſolutione *marg. a.*; ſimili cautelà procedit ſuſpendens ſententiam ſuam quoad hoc, inquiens accidentia Euchariſtiæ corrumpi ſecundùm communem opinionem quia poſſunt habere ſubjectum commune. ſcilicet quantitatem Sed ſecundùm aliam opinionem quæ ponit quantitatem ſubſtantiæ non differre à ſubſtantia, nec quantitatem albedinis ab albedine, non æquè facile, & ubi ſemper abſtinet à determinatione hujus, & iterum remittit ſe ad q. præced in qua paulò magis audet à cõmuni ſententia abire. *Sed quid* (inquiens) *tenendo oppoſitionẽ communem, quod ſit ibi quantitas ſine ſubjecto* non curo. Propter quod exiſtimo non minus ſubtiliter acturos qui identificarent hæc quam qui diſtinguerent, eò magis quòd in primo *Phyſ. q.* in 1. *Them. cit* expreſsè videtur favere identitati reali ſubſtantiæ & quantitatis, docet enim eſſe abſolutè etiam per divinam potentiam inſeparabilia, quod in ipſius principiis eſt certiſſimum ſignum identitatis realis Atque adeò ſtatui (quod ſupra feci) in re problematica apud Subtilem eam partem eligere quæ ab iis deſerta, plus eget præſidio ne quid Scoti indefenſum tranſeatur. Ita ſicut alibi defendi eam partem, quæ perſonalitatem in poſitivo conſtituit, ſic nunc aliorum veniâ.

2. Dico reſolutivè poſſe rationabiliter dici, quòd quantitas rerum corporearum tam ſubſtantiæ, quàm qualitatum re ipſâ à dictis ſubſtantia & qualitatibus non diſtinguatur.

Antequam hanc partem probem, ſtatuam in primis quid nominis hujus, quod eſt in controverſia, ne eludi poſſet labor meus. Intelligo ergo pro nunc nomine quantitatis id ratione, cujus ſubſtãtia habet partes extra partes impenetrabiliter, hoc enim eſt ſummũ quod ei tribui poteſt, imò aliqui Adverſariorum videntur ei aſſignare tantum quod extendat rem in loco, & eſt certũ, quòd impenetrabilitas ab ipſa ſola non oriatur, ut infrà; ſed nunc loquamur largè ut intelligamur ab aliis, contra quos, maximè vero Scotiſtas.

Probo intentum argumento, quo equidem reputo negotium ferè confectum, & eſt iſtud. Effectus formalis quantitatis provenit ab ipſa ſubſtantia, ergo non diſtinguenda quantitas à ſubſtantia. Conſequentia eſt laudatiſſima; ſi enim effectus quantitatis provenire poteſt à ſubſtantia, cur diſtinguetur quantitas à ſubſtantia? ac non potiùs dicetur hæc eſſe ipſa, ſive utrumque eſſe idem? Probo ergo antecedens effectus formalis quantitatis, eſt aut extendere rem in loco circumſcriptivè, ut pars partem, & tota totum locum occupet, aut certè eſt ita occupare locum impenetrabiliter, ut una pars expellat & excludat etiam quamlibet ab ipſo. Sed nihil horum eſt, quod non competat ipſi ſubſtantiæ, ergo omnis effectus formalis quantitatis provenit ab ipſa ſubſtantia. Suppono majorem ex dictis, nam aliæ opiniones de hoc improbabiles ſunt, illa v.g quæ dicit effectum quantitatis eſſe habere partes, eſſe diviſibile, & ſimilia, ergo. Minorem probo per ſingula, nam habere partes in loco diffuſas ſine impenetrabilitate, clarum eſt quod à ſubſtantia ipſa provenire poſſit: demus enim Deum auferre ſubſtantiæ alicui quantitatem, illa utique remanebit extenſa in eodem loco quo prius, licet non maneat impenetrabilis, quod non refert, ut oſtendit hæc ratio quâ arguo contra impenetrabilitatem, eſſe enim impenetrabile, ſive non poſſe conſiſtere in eodem loco cum alio non eſt effectus formalis quantitatis, ergo licet hoc non competat ſubſtantiæ, non proinde ſequitur quod effectus formalis quantitatis non competat ſubſtantiæ, conſequentia clariſſima: Antecedens probatur facilè, nam non eſt poſſibile ſeparari effectum formalem à forma, eſt poſſibile ſeparari impenetrabilitatem à quantitate, ergo hæc non eſt effectus formalis ejus, minor ſola eget probatione, quam ſic formo ab experimento: corpus Chriſti Domini in Euchariſtia eſt quantum quoad omnes partes, non tamen eſt impenetrabile, quin potius actu penetratum quoad omnes & ſingulas, quælibet enim eſt in loco alterius, caput in loco colli, & collum in loco capitis; pectus & brachia ſimul cum utriſque, nec potuit aliter eſſe ita ut Chriſtus redderetur præſens tam parvis hoſtiis. Hæc probatio habet aliquid evidentiæ, quæ etiam augetur aliis creditis, ut penetratione portæ poſt reſurrectionem *Joann* 20. & uteri materni in nativitate & fortaſſis etiam aliorum hominum *Luc.* 4 quum Dominus inviſibilis à Judæis, qui comprehendere eum volebãt magno miraculo *tranſiens per medium illorum ibat.*

3. Huic argumento non poteſt aliter reſponde-

Digitized by Google

ri, quàm dicendo, quod effectus formalis quantitatis ſit non quidem eſſe impenetrabilem, ſed exigere impenetrabilitatem & impenetrationem, ut infrà latiùs actione ſequenti. Sed contra hanc doctrinam facilè inſurgi poteſt pro concluſione, imò reſponſio non contra concluſionem facit ſed pro ipſa ut apparebit hoc diſcurſu. Exigere impenetrabilitatem eſt effectus formalis quantitatis, hoc autem convenit ſubſtantiæ, ergo. Minorem probo, quia ſubſtantia exigit quantitatem, quantitas autem exigit impenetrabilitatem, & ſi dicas ſubſtantiam exigere impenetrabilitatem mediatè tantùm, tum demum aperis locum argumento, non enim eſt ratio cur non dicatur ſubſtantia ipſa appetere immediatè impenetrabilitatem ſicut appetit immediatè quantitatem, cur ſcilicet ponatur forma inter illas medians: alioquin dicam quantitatem etiam non immediatè affici impenetrabilitate ſed dari formam mediam inter ipſam & impenetrabilitatem, atque hæc, ut dixi, eſt propemodum hujus rei demonſtratio.

4. Altera eſt iſta, quia poſitâ quantitate diſtinctâ à ſubſtantia adhuc in ipſa ſubſtantia admitti debet alia quantitas aut quaſi quantitas. Id autem ſi verum ſit fruſtra ponetur quantitas diſtincta à ſubſtantia ponerentur enim duæ, ex quibus quia aliqua omittenda aut neganda eſt, patet omittendam eſſe eam quæ ſuperadditur ſubſtantiæ, nam ſubſtantia non poteſt omitti. Probo ergo aſſumptum, quia diviſibile quantitatis debet ſubjectari in aliquo diviſibili ſubſtantiæ ſine dubio, quum in indiviſibile ſubjectari non poſſit; indiviſibile item in indiviſibili, quia hoc ſimiliter ſubjectari in diviſibili non poteſt, ergo jam dantur diviſibilia & indiviſibilia in ſubſtantia, & ſine dubio dantur eæ ſpecies diviſibilium quæ in quantitate ſunt ſcilicet linea, ſuperficies, & corpus, nam ſi dentur omnia indiviſibilia, debent dari puncta, lineæ, & ſuperficies, & ſi datur omnis diviſibilitas debet dari profundum, ſive corpus, atque ita à primo ad ultimum dantur tres illæ ſpecies in ſubſtantia, linea, ſuperficies, & corpus, quas nemo neſcit eſſe ſpecies quantitatis: clarum eſt autem, quòd ubi ſunt eædem ſpecies & differentiæ, ibi ſunt eadem genera, nam *diverſorum generum diverſæ ſunt ſpecies & differentiæ*; & adhuc clarius eſt valde abſurdè poni duas lineas ſeu longitudines in corpore, totidem latitudines, ac profunda, ergo.

5. Tertia, quia conſtitutum corporis ſive id, per quod explicatur corpus, debet eſſe intrinſecū ſubſtantiæ corporeæ, non verò diſtinctum ab ipſa, hoc eſt quantitas, quod probo, quia, id per cujus excluſioné explicatur ſpiritus debet cenſeri ratio conſtitutiva corporis, ſed per excluſionem quantitatis explicatur ſpiritus, ergo. Major hujus patet in omnibus differentiis oppoſitis, ad enim quod conſtituitur per rationale eſt ipſum quod negatur per irrationale, & ſine dubio formale animati aut viventis eſt ipſum quod negatur per inanimatum; At verò ſpirituale & ſpiritus non aliter declarantur quam per negationem quantitatis, ergo jam quantitas rationabiliter ponitur eſſe quid intimum & identificatum ſubſtantiæ, ac non tantum exactum ab ea & ſuperadditum ipſi.

Quarta ſit paritas, quia, quod intenditur, non recipit aliquid alterius generis ſed ſui, ejuſdem enim generis ſunt gradus intenſionis cū qualitate præcedenti, ergo etiam quod extenditur non extenditur per aliquid diverſi generis ſed per aliquid ejuſdem, adeòque extenſio ſubſtantiæ, quæ fit per quantitatem, fit per aliquid ſubſtantiale, non verò per accidens aliquod ſuperadditum; at enim hæc ratio videtur non favere concluſioni, ſed eſſe quodammodo in oppoſitum quia extenſio localis manifeſtè eſt diverſi generis à ſubſtantia, imò etiam à quantitate quum pertineat ad prædicamentum ubi, poſſumus tamen inſtaurare argumentum ſic: Licèt non poſſit eſſe paritas inter intenſionem & extenſionem ubicalem, quia hæc eſt relativum quid, illa non, tamen accipiendo utrumque ſimiliter, ſive ut abſoluta ſunt, ſine dubio eſt proportio inter ea, ergo ſicut abſolutum quo intenditur quidquam eſt ejuſdem generis cum re intenſa ita etiam abſolutum rei extenſæ, atque ita in ſubſtantia materiali extenſa ſeu impenetrabili nullum abſolutum eſt quod non ſit ſubſtantia.

6. Objici tamen poſſunt & ſolent non pauca: Primum ex Sacramento Euchariſtiæ, in quo accidentia alia à quantitate ſunt in ipſa, atque adeò datur ipſa, ſcilicet quantitas. Quòd autem alia accidentia ſint in quantitate, probari poteſt quia in aliquo ſubjecto ſunt, non in ſubſtantia, ergo in quantitate. Minor eſt fidei, quia ibi ſubſtantia non eſt: Major autem inde perſuaſa eſſe debet, primò quia accidentia illa ſunt inter ſe colligata, ut moto uno moveantur alia, at verò non colligantur ſic niſi aliquo ſubjecto, ergo habent commune ſubjectum, non aliud quàm quantitatem, ut ſuprà, ergo. Deinde quia agens materiale poteſt alterare ſpecies Euchariſtiæ producendo & deſtruendo aliquid ipſorum non poteſt autem agens naturale agere ſine ſubjecto, ergo jam ibi datur aliquod ſubjectum. Denique quia unum accidens ex illis prædicatur de alio, dicitur enim album eſſe rotundum, dulce, liquidum aut ſolidum, ergo at verò non aliter prædicantur de invicem niſi ratione ſubjecti, ergo habent aliquod commune ſubjectum, Subſumo, ſed non aliud quàm quantitatem propter rationes ſupra poſitas contra alias vias, ergo. Reſpondeo. Hoc argumentum jam à me præventum eſt, dum aſſignavi modum quo Euchariſtia ſalvari poſſit ſine ſeparatione accidentium. Deinde poſito quòd accidentia ſeparentur, dico non convinci ex Euchariſtia dari quantitatem diſtinctam, alioquin nominales omnes incidiſſent in hæreſim, quum tamen nemo eos damnaverit ne quidem temeritatis, quin quotidie augentur in Eccleſia novis ſectatoribus: Ex quibus ego quia in gratiam aliquam Doctoris noſtri defendere eos ſtatui, ad primum contra reſpondeo negando aſſumptum ſeu majorem; ad probationem ejus reſpondeo accidentia illa non eſſe colligata, ſed videri, ſupplente Deo extrinſecè unionem quam inter ſe haberent ſi unirentur in ſubjecto. Ad alteram probationem de actione agentis naturalis conſequenter ad hanc viam dicendum eſt agens naturale verè non agere in hæc, ſed Deum ad præſentiam ejus, quia ſuppoſito quod non ſit hic quantitas aut ſubſtantia quæ ſit commune ſubjectum quicquid hic producitur creatur; non poteſt autem agens naturale creare, adeòque

7. Habeo tamen contra hoc aliquid, & eſt, quod concedamus omnes poſſe à Deo conſervari accidens ſine ſubjecto, ex hoc autem ſequitur poſſe agens naturale producere aliquid ſine ſubjecto, atq; ita non debemus recurrere ad Deū ſtatim, ut ipſe ſolus omnia hîc producat. Sequela probatur,

ſuffi-

ſufficit enim, quòd Deus extrinſecè ſuppleat defectum ſubjecti ſuo concurſu reſpectu accidentis, dum agens naturale ipſum producit, non enim magis dependet accidens à ſubjecto in fieri, quàm in conſervari. Si ergo poteſt Deus ſupplere influxum ſubjecti in conſervationem accidentis quidni poſſit etiam ſupplere influxum ejus in fieri illius? Reſpondeo non poſſe, eò quòd accidens in fieri exigat ſubjectum in propria ſpecie, non vero ſupplementum aliquod ſubjecti. Et quia hæc videtur eſſe repetitio aliqua principii aſſigno rationem, quæ eſt ex parte efficientis, quia nimirum accidens in fieri dicit non ſolum entitatem accidentis ſed actionem producentis ipſum, quam actionem non dicit accidens conſervatum; at verò actio agentis creati neceſſariò exigit ſubjectum in propria ſpecie propter rationes quibus repugnat creaturæ creare.

Ad tertiam probationem aſſumpti dicendum eſt, ſicut ad primum, prædicationes illas concretorum in accidentibus ſeparatis non eſſe proprias nec omnino veras, niſi ad ſenſum, quod nemo mirari debet, quia ſunt de ſubjectis non ſupponentibus, itemque de prædicatis, quia nimirum non dantur concreta hîc ſed duntaxat formæ ipſæ in abstracto, eò quod deſit ipſis ſubjectum.

8. Objicitur ſecundò: Si quantitas identificatur cum ſubſtantia & cæteris, nec datur forma determinata, quæ ſit quantitas, ſed duntaxat ſubſtantia & qualitates, ſequitur quantitates inter ſe naturaliter penetrari, hoc autem ſine dubio eſt abſurdum, ergo, ſequela probatur, quia in ſubjectis naturalibus qualitates omnes ſunt in eodem loco, v.g. albedo ſimul eſt cum dulcedine in lacte; ſi ergo albedo & dulcedo ſunt quantitates, ut nos volumus, jam duæ qualitates penetrantur; nam quod ad hoc dicunt communiter noſtræ partis auctores, ſcilicet qualitates poſſe penetrari quando pertinent ad idem ſubjectum, non autem quando retinent ad diverſa, frivolum eſt, quia unio ad ſubjectum aut ſeparatio ab eo non eſt quæ facit quantitatem eſſe impenetrabilem, ſed natura ipſius quantitatis quam ſemper ſervat ſive ſeparata ſit ſive conjuncta, & patet in qualitatibus quæ pertinent naturam ſuam eandem in ſtatu ſeparationis & conjunctionis; v g. calor calefacere poterit ſive ſit in ſubjecto, ſive ab eo ſuſtentetur extra omne ſubjectum, & ſimiliter albedo diſgregabit viſum. Imò hoc eſt quoddam petere principium, ſi enim formæ ejuſdem ſubjecti penetrentur, imò quandoquidem penetrentur, nego quantitates ullas poſſe eſſe in eodem ſubjecto, atque adeò fruſtra ita diſtinctum eſt. Tertiò, ſi ita ſit quod penetratio vel impenetratio ſeu expulſio mutua quantitatum ab eodem loco oriatur ex identitate ſubjecti, tum oportebit dicere quòd ſi duo corpora unirentur hypoſtaticè, v.g. corpora duorum hominum, aut (quod facilius eſt) hominis & leonis, quòd inquam hæc non expellerent ſe mutuò ſicut alia, quod tamen falſum eſt: Ratio ſequelæ, quia hæc quodammodo ſunt in aliquo tertio ſunt enim in eodem ſuppoſito, quod eſt inſtar ſubjecti, revera enim terminant ultimatè dependentiam quantitatum iſtarum. Denique ſi ex eo ſolum quantitates ſunt impenetrabiles quia ſunt in diverſis ſubjectis, tum ſi ponantur duæ quantitates extra ſubjecta, penetrabunt ſe quod falſum eſſe patet in duabus hoſtiis conſecratis, hæ enim non minùs pugnant inter ſe, & expellunt ſe mutuo à loco, quàm duæ non conſecratæ, ut experimur, ſed ut verum fateat hæc ratio non me convincere debet, poterit enim ſtatim reſponderi quòd hoſtiæ conſecratæ penetrabiles ſint, non tamen penetrentur, eò quòd Deus conſervet unam ſemper extra locum alterius ad ſervandam fidem myſterii, ſeu ad occultandum miraculum tranſſubſtãtiationis, quæ aliàs ſtatim cuilibet eſſet manifeſta, & multo minùs valet quòd aliquis nuper dixit illas quantitates eſſe impenetrabiles quia habent ubi materiæ ſeu ſubſtantiæ quæ deſtructa eſt. Id enim eſt planè contra omnem philoſophiam, primò quia ubicationes quum ſint reſpectus, & etiam propriè dicti modi ſunt inſeparabiles à ſubjectis. Præterea quia ubicationes ex ſpeciali ratione ſunt immobiles localiter, id eſt non poſſunt transferri de loco ad locum cum ſubjecto, clarum eſt autem impenetrabilitatem horum transferri concomitatur enim ſubjectum ſcilicet ſpecies, quocumque vadunt, nam quocumque eunt, ibi ſunt impenetrabiles; ridiculum eſt autem dicere quòd in quolibet loco mutent impenetrabilitatem aut adquirant novam, ergo. Vide noſtrum Maſtrium hic

Barth. Maſtrius. Bonavent. Bellut.

Reſpondendum eſt ergo in forma negando conſequentiam & concedendo probationi, quòd omnes qualitates ſint in eodem loco; iterum negando proinde quantitates eſſe in eodem loco, quia nimirum qualitates non ſunt apud nos quantitates, volumus enim quantitatem identificari ſubſtantiæ, non verò qualitatibus: Nominales, qui hoc ſentiunt premuntur aliquo modo vi argumenti, non item ego.

9. Dices qualitates ſeparatas eſſe quantas non quantitate ſubſtantiæ, ergo ſuâ. Tum ſic; at non quantitate diſtinctâ (ſupponamus enim omnem talem deeſſe aut eſſe ſeparatam) ergo ſuâ, hoc eſt ſeipſis quod eſt intentum jam enim quantitates ſunt qualitates. Major hujus ad ſenſum patet in qualitatibus Euchariſtiæ, illæ enim ſunt extra ſe ſeu extenſæ, & quidem impenetrabiliter, ſed quia prætendi poteſt in Euchariſtia hoc fieri per miraculum, dico hoc extra Euchariſtiam, nam ſi aliàs Deus repente ſepararet quantitatem omnem quam vult communis ſententia, atque etiam ſubſtantiam à qualitatibus, adhuc illæ qualitates manerent extenſæ non enim poſſent repente totum locum deſerere; adeòque occuparent adhuc aliquam partem ejus. Atque ita eſſent extenſæ. Reſpondeo: Eſſent extenſæ (quod omnino convincit ratio aſſignata) per multitudinem ubicationum, non ſufficit autem hoc argumenti ad colligendam quantitatem, ſed oporteret quòd eſſent impenetrabiliter extenſæ quod non contingeret ſed oppoſitum, eſſent enim penetrabiles illæ qualitates, à quocumque ſuperveniente.

Inſtari tamen poteſt contra hoc: Si qualitates illæ ſint penetrabiles à quocumque ſuperveniente, ſunt etiam penetrabiles à ſe ipſis, deberent ſe penetrare, adeòque non remanerent extenſæ: Quæ ratio maximè currit in gravibus & levibus, partes enim horum ſemper impellerent alias ſurſum ac deorſum reſpectivè, impellendo autem penetrarent, quia nulla eſt reſiſtentia Reſpondeo ſufficere argumento, quòd per unicam morula haberent quamcumque minimam extenſionem, quod in eo caſu contingeret, nam dum partes actu deſcenderent penetrando ſe,

interim eſſent extenſæ, & eò diutiùs, quo major eſſet profunditas corporis vel qualitatis penetrandæ.

10. Objicio tamen adhuc: Sonus eſt qualitas, ſicut etiam eſt vox, & tamen quantitas ejus non eſt ipſa, quia poteſt eſſe ſine ſua quantitate, illa enim ſyllaba, quæ jam eſt longa poteſt eſſe brevis poſſum enim pronunciare τὸ *corpora* penultima correpta ut ſit dactylus, vel etiam producta ut ſit. Reſpondeo hactenus dictum eſſe de quantitate permanenti, illa enim ſola eſt quæ extenditur per locum. Ex quo patet etiam ad id quod ſimiliter adferri huc poteſt de numero, cujus partes ſe ipſis ſunt extra ſe, nec poſſunt aliter eſſe aut concipi remanente ratione numeri: Hoc, inquam eandem regulam ſubit, quia eſt quantitas diſcreta: deciſum eſt autem huc uſque de quantitate continuâ. Deniq; idipſum tenendum eſt de motu locali ſeu adquiſitione loci, poſſum enim viam aliquam percurrere itinere longo vel brevi, & tamen in fine eundem terminum adquiram: Hæc inquam omnia locum haberent, ſi definitum eſſet in præcedentibus de quantitate ut ſic latiſſimè ſumpta: ſed enim, *&c.*

ACTIO II.

Explicans effectum proprium & formalem quantitatis.

Breviarium.

N. 1. *Recenſentur modi dicendi aliquorum.*
2. *Reprobatur ſententia Recentiorum atque etiam aliquorum Scotiſtarum.*
3. *Evaſio quorundam à probatione concluſionis oſtenditur frivola & inepta eſſe.*
4. *Objicio pro adverſariis paritatem accidentis, & ſolvo. Diſparitas differentiarum poſitivarum & negativarum.*
5. *Refutatio directa quorundam ex noſtris, exigentia alicujus non poteſt ab extrinſeco provenire.*
6. *Objectio contra dicta: Gratia ſanctificans an det exigere gloriam?*
7. 8. *Aliæ refutationes noſtrorum.*
9. *Reſolvitur ultimatè effectus formalis quantitatis permanentis.*
10. *Objicitur contrà, & reſpondetur. Locus & ubicationes an ſint impenetrabiles?*
11. *Alia objectio. An Deus ſit quantus?*
12. *Nova objectio ſoluta, an ſit idem eſſe extenſum, & eſſe impenetrabile?*
13. *Effectus formalis quantitatis communiſſimè ſumpta.*

1. POſt dicta in præcedentibus vix jam ſupereſt, quod hîc addamus ſi enim non ponimus quantitatem eſſe quidquam diſtinctum à ſubſtantia, fruſtra quæremus effectum formalem alium ab effectu formali ſubſtantiæ, quo magis mirandum eſt aliquos Recentes poſt quam judicaverunt non dari quantitatem, adhuc litem inſtituere de effectu aut eſſentia ejus. Dicam tamen aliquid propter communem ſententiam, quæ ſaltem probabiliter eſt Scoti, & ponit quantitatem à ſubſtantia diſtingui, dicam inquam quid etiam in illa via tenendum ſit.

Antiquas autem opiniones Thomiſtarum ab antiquis Scotiſtis abunde olim refutatas, ut, quòd eſſentia quantitatis conſiſtat in ratione menſuræ, quod in diviſibilitate ſeu inhabitione partium aut in conceſſione earum ſubſtantiæ, quaſi effectus ejus ſit reddere ſubſtantiam habentem partes, aut in extenſione partium, omittendas judicavi, nec enim laudi ducerem actum agere, quod facillimum eſt. Tangam ipſorum Scotiſtarum ultimam reſolutionem atque etiam Recentiorum nupera inventa.

Recentes autem omnes etſi vocibus differant, quoad rem in hoc conveniunt, quòd effectus quantitatis ſit reddere rem impenetrabilem naturaliter ſecum & cum alio ejuſdem ſpeciei, quod alii explicant dicendo effectum quantitatis eſſe extenſionem in ordine ad locum, per quem fit ut duæ partes non poſſint eſſe in eodem loco ex natura rei.

Scotiſtæ poſt longum examen denique reſolvunt eſſentiam quantitatis conſiſtere in extenſione, ſeu (ut quidam eorum malunt) in exigentia partium incompoſſibilium ex natura ſua & in actu primo, ita ut quantitas ſit forma, quæ ſuperveniens ſubſtantiæ reddit eam capacem, imò exigitivam, ut loquuntur, extenſionis impenetrabilis: de quibus oppoſitionibus & explicationibus *Ant. Andr. 5. Metaph. q. 9.*

2. Dico neutram eſſe exactam.

Contra illam Recentiorum faciunt in primis ipſi, qui quum præmitterent effectum formalem primarium formæ eſſe entitatem ipſam ejus unitam, v. g. effectum formalem primarium albedinis eſſe reddere habentem albedinem, adhuc digladiantur de effectu primario quantitatis, quum (ſi meminiſſent ſui) reſpondere ſtatim deberent, quòd ſit reddere aliquid habens quantitatem.

Arguo etiam adhuc contra explicationem eorum, quòd ſcilicet effectus quantitatis ſit reddere impenetrabile naturaliter, quod etiam Scotiſtæ dicunt, ſed immeritò, quia quidquid eſt eſſentiale alicui abſolutè ei competit, & quoad omnem omnino potentiam, non verò naturaliter duntaxat, ergo non cohærent iſta quòd ſcilicet eſſentia & effectus formalis quantitatis ſit impenetrabilitas, & tamen non competat ei niſi naturaliter, quum etiam propriæ paſſiones, quæ minùs intimæ ſunt rebus, ſint tamen inſeparabiles non ſolùm naturaliter ſed abſolutè.

Quod etiam ulteriùs oſtenditur inſtantiis circumeundo omnia; nam, quæcumque habent differentiam negativam, illa abſolutè & per repugnantiam excludunt actum oppoſitum, v. g. inanimatum excludit vitam, irrationale excludit diſcurſum non tantùm naturaliter ſed abſolutè,

ita ut per nullam potentiam fieri poſſit, ut inanimatum vivat, aut irrationale diſcurrat, ergo ſimiliter ſi impenetrabile ſit differentia quantitatis non ſolùm naturaliter, ſed nec ſupernaturaliter penetrari illa poterit, quod falſum eſt & ab ipſis adverſariis negatum.

3. Nec quidquam juvat, quod reſpondere nititur unus ex noſtris ſcilicet impenetrabilitatem adhuc poſſe eſſe eſſentiam quantitatis, quamvis contingat miraculosè ipſam penetrari, quia nondum ſeparata eſt ab ea impenetrabilitas, ſed tantùm impenetratio actualis; ipſi autem non conſtituunt rationem formalem quantitatis in impenetratione ſed impenetrabilitate. Hoc, inquam, nihil juvat niſi ad refutandos clarius authores ejus quia non poteſt impenetratio ſeparari ab aliquo niſi impenetrabilitas ſeparetur quod clariùs patebit utendo formâ affirmativâ ſic: Non poteſt penetrari, niſi quod eſt penetrabile, ergo quodlibet penetratum eſt penetrabile; ſed nullum penetrabile eſt impenetrabile, omne penetratum eſt penetrabile, adeòque omnis quantitas eſt penetrabilis, quia jam eſt penetrata. Explico: Sequitur ſemper à potentia ad actum, ergo valet: quantitas eſt penetrata, ergo penetrabilis. Certiſſimè autem valet hæc nullum penetrabile eſt impenetrabile, ergo nulla quantitas eſt impenetrabilis, atque ita ſeparatur ab ipſa non ſolùm impenetratio ſed impenetrabilitas.

4. Objicio tamen pro ipſis: Eſſentia accidentis conſiſtit, aut ſaltèm explicatur per aptitudinem inhærendi, & tamen ſeparabilis eſt ab accidente actualis inhæſio, ergo ſimiliter, licèt ſeparari poſſit à quantitate actualis impenetratio, tamen poterit eſſentia ejus conſiſtere in impenetrabilitate. Nego conſequentiam, & cauſa eſt diſparitas quæ intercedit inter eas res, quarum differentiæ ſunt poſitivæ, atque alias illas, quarum differentiæ ſunt aut ſonant negativè. In primis enim facilè ſeparabilis eſt actus ſecundus, ſic videmus hominem etſi eſſentialiter ſit rationalis, at non ſemper ratiocinari. At verò in negativis non poteſt id contingere, non enim poteſt incorruptibile corrumpi, hujus generis eſt eſſe impenetrabile ut patet, ergo.

5. Argumenta contra Scotiſtas ſunt eadem & adhuc ita. Primum quia nulla forma superveniens alteri poteſt facere, ut ſubjectum ſuum exigat aliquid, quod ex ſua natura non exigit, ergo quantitas ſuperveniens ſubſtantiæ materiali non poteſt habere pro effectu reddere ipſam ſubſtantiam exigentem extendi. Conſequentia eſt evidens ſi probetur antecedens, quod facilè fiet, quia nimirum exigentia eſt res quæ debet provenire ſubjecto à ſe ſeu à natura ipſius ſubjecti; & ſi ſubjectum ipſum non poſtulet eam rem quæcumque ſit, tum quantumcumque uniatur, & imprimatur ei, non exigetur ab eo, ergo ineptum eſt dicere quòd aliqua forma det ſubjecto exigere aliud, atque ita effectus formalis quantitatis non erit efficere ut ſubſtantia exigat extenſionem. Aſſumpta hæc patet centum inſtantiis, nam quantumcumque uniatur albedo, v. g. ſuperficiei, non facit ut ſuperficies exigat diſgregrare viſum, & ſic de aliis ſexcentis, ergo

6. Objici tamen poteſt gratia adoptionis, quæ collata homini facit, ut homo ille exigat hæreditatem gloriæ, ergo jam falſum eſt quòd forma ſuperveniens non poſſit dare exigentiam ſubjecto. Reſpondeo in hoc & ſimilibus exigentiam idem eſſe, ac jus, quod non ſolùm conferri poteſt per formam inhærentem, qualis eſt gratia: ſed etiam per ſeparatam & ſubſiſtentem; v. g. per chartas & inſtrumenta donationis, nunquam autem proferent exemplum in quo per aliquid ſuperadditum detur exigentia phyſica & connaturalis, de qua propoſitum.

7. Alterum argumentum contra ipſos eſt ſuprà tactum actione præcedenti, quia ſcilicet quantitas non reddit ſubſtantiam formaliter extenſam, ſed reddit formaliter exigentem extendi: atqui non eſt, cur ad hoc ponatur in ſubſtantia quantitas aut ulla alia diſtincta forma, ergo. Minor probatur eo quòd ipſa ſubſtantia hoc exigit & patitur violentiam quando non conceditur ei; quod etiam à priori probatur, quia ſubſtantia ſaltèm exigit quantitatem, quantitas exigit extenſionem, ergo ſubſtantia extenſionem & impenetrabilitatem, nec valet dicere, quòd ſubſtantia exigat mediatè extenſionem, quantitas autem immediatè, quæro enim, cur non poſſit ipſa ſubſtantia exigere immediatè ipſam extenſionem & impenetrabilitatem? & cur multiplicetur, & interponatur forma media inter ipſam & actualem extenſionem? neceſſitas hujus aſſignari debet, quia non ſunt multiplicanda Philoſopho entia ſine neceſſitate: Ego autem oſtendo non ſolùm ſuperfluitatem, ſed etiam abſurditatem hujus formæ mediæ, quia omnino contra veram Philoſophiam eſt ordinare aliquid ad aliud ejuſdem omnino rationis, v. g. potentiam ad potentiam, privationem ad privationem; quia nimirum omnis potentia eſt alicuius actûs potentia, & omnis privatio eſt alicujus habitûs aut formæ privatio, ergo ſimiliter omnis exigentia eſt alicujus alterius exigentia, & non datur exigentiæ exigentia. At verò hæc explicatio Adverſariorum ponit exigentiam exigentiæ, ponit enim in ſubſtantia materiali exigentiam quantitatis, quæ ipſa non præſtat aliud, quàm exigentiam extenſionis, ergo.

8. Tertiò denique arguo inſimul contra utrumque modum ſic; Debemus rationem quantitatis ſalvare eandem quantum poſſumus in omnibus ſpeciebus (alioquin enim quantitas non eſſet genus unum, ſed multa) adeòque eadem ratio debet eſſe quantitatis permanentis & ſucceſſivæ. Atqui ſucceſſivæ ratio non conſiſtit in exigentia extenſionis. Dices hoc eſſe falſum, poſſum enim illam ſyllabàm, quam jam proferò longè aut morosè, citiùs proferre, quo caſu non erit tam longa. Reſpondeo hoc probare, quòd ſyllaba poſſit eſſe ſine actuali extenſione, non autem quòd ſyllaba quanta, quia ſyllaba illa quanta eſt ſyllaba longa, certum eſt autem, quòd ſyllaba longa non poſſit non eſſe longa.

Sed inquies: Quis tandem erit effectus formalis quantitatis apud nos? Reſpondeo: Propter hactenus dicta confirmor in eo, quod ſuprà dixi, non dari in rebus quantitatem continuam permanentem; ſi autem non detur, fruſtra aſſignabimus effectum ejus: ſi tamen ponatur quantitas eſſe forma diſtincta, ut vult communis ſententia.

9. Dicendum eſſet effectum ejus eſſe exigentiam extenſionis localis ſeu impenetrabilitatis. Sciendum enim eſt diſtingui extenſionem partium in corporibus, idque ferè ob ſolum myſterium Euchariſtiæ, in qua ſcimus corpus Chriſti

Domini habere aliquam extenſionem, & aliam non habere; habet extenſionem ſuarum partium in ordine ad ſe, quia aliàs non haberet figuram corporis humani aut organizationem ſufficientem ad animam; non habet autem extenſionem illarum in ordine ad locum, quia una eſt in loco alterius, imò quælibet in loco cujuslibet; in concluſione ergo intelligo extenſionem partium in ordine ad locum eſſe effectum formalem quantitatis, & eſt, ac ſi dicerem per quantitatem fieri ut una exigat occupare diverſum locum à loco alterius, ſive ut alterum non poſſit ſimul eſſe in eodem loco aut denique quòd una reſiſtat alteri occupanti eundem locum Contra quæ

10. Objicio primò ipſa loca non poſſe in ſe invicem eſſe: nec valet reſpondere, quòd locus ſit quantitas, nam ut abſtraham ab hoc pro nunc, do ita eſſe, locum eſſe quantitatem, & oſtendo id non ſufficere ſolutioni quia locus eſt quantitas, eò quòd ſit ſuperficies: at verò non ſolùm ſuperficies loci, ſed etiam ſpacium contentum in concavo illius ſuperficiei talis naturæ eſt ut non poſſit eſſe in alio loco aut ſpacio, nec una pars ejus poſſit intrare aliam quod paulò apertiùs eſt in vacuo interminato, quod ſimiliter neceſſariò exigit extendi, nec tamen eſt quantitas cum ſit nihil Deinde ubicationes omnes naturæ tales ſunt ut una non poſſit eſſe in loco alterius, & tamen non ſunt quantitates, ergo Reſpondeo: Difficultas ſecundæ inſtantiæ pendet à prima (ideo enim ubicationes non poſſunt ſimul eſſe quia non poſſunt loca ipſa inſimul eſſe) ad quam reſpondeo in primis eam non contravenire totaliter & directæ explicationi à me datæ de natura quantitatis, dixi enim eam in eo ſitam eſſe quod per ipſam una pars aut etiam unum totum reſiſtat alteri occupanti ſeu captanti eundem locum, at verò loca ipſa non captant, ſeu non intrudunt ſe invicem, ſi enim non poteſt hic locus hinc moveri certum eſt quod non poſſit intrudere ſe alteri, qui etiam nequaquam ei ſe intrudere poteſt. Deinde reſpondeo realiter, & abstrahendo à rigoribus ſcholæ, revera ibi eſſe aliquam quantitatem quia nimirum eſt ſpacium in quo, & non in ſuperficie ambiente, locantur res; nam propriè dicenda eſt res eſſe intra ſuperficiem, ſed in ſpacio & in loco, adeòque locus eſt ſpacium ac non tantùm ſuperficies vel concavitas. Non malè etiam diceretur (ſed ferè incidit in idem) quòd ubicationes & loca non ſint impenetrabiles ſed ſint immobiles, penetratio enim & impenetratio eſt ratione eorum quæ applicari ſibi poſſunt ut unum moveatur ad aliud

11. Objicit alius Deum, qui non poteſt eſſe in eodem loco cum alio ejusdem rationis, nec tamen eſt quantus. Reſpondeo me non definiviſſe quantitatem per eſſe vel non in loco cum alio ejusdem ſpeciei. Sed inſtat ita me debuiſſe definire, nam non repugnat quantitati eſſe in eodem loco cum quocumque alio (poteſt enim corpus quantum ſimul eſſe cum ſpiritu in loco, & de facto ita ſunt omnium hominum corpora) ſed tantùm cum alia quantitate, non poteſt autem definiri quantitas per non eſſe in loco cum alia quantitate, quia definitum ingrederetur definitionem quod eſſet definire idem per ſe ipſum, dicendũ ergo fuit, quòd non poſſit quantitas eſſe in eodem loco cum alio ejusdẽ ſpeciei. Reſpondeo Non capio acumen horum hominũ, ſi enim non poteſt definiri quantitas per quantitatẽ, quo modo poterit definiri per aliquid ejusdẽ ſpeciei. Anne aliquid poteſt eſſe ejusdem ſpeciei cum quantitate, quod non ſit quantitas? Repeto ergo, quòd dixi effectum quantitatis eſſe extenſionem localem alicujus, ut ſcilicet ipſa ſit in loco quòd pars ejus occupet aliam partem loci ab ea, quam occupat altera pars ejusdem; id autem evidens eſt Deo noſtro convenire, quia nimirum non eſt in loco per partes, cùm nullas habeat.

12. Objici tamen poteſt contra id, quòd dixi extenſionem localem ſeu impenetrabilitatem eſſe effectum formalem quantitatis, ſic enim reputavi illa duo ſynonyma, ſcilicet extendi per locum, eſſe impenetrabile, nec tamen talia ſunt, quia poteſt aliquid extendi per locum & penetrari, ſic Lapis ſuperpoſitus ſepulchro Chriſti, ſine dubio fuit extenſus per locum in reſurrectione Chriſti & uterus Virginis Matris in ejus nativitate, tamen fuerunt ambo tunc penetrata, imò nõ poteſt propriè penetrari, niſi quod eſt extenſum, nam indiviſibile v. g. punctum non dicitur propriè penetrari, nec omnino verè, quia penetrari eſt eſſe in eodem loco; indiviſibile autem non occupat locum, ſed copulam aut vinculum loci. Propter hoc fortè aliquis diſtinxit extenſionem ab impenetrabilitate, & voluit extenſionem eſſe in ordine ad ipſam rem extenſam, impenetrabilitatem in ordine ad aliud; ſed etſi hic modus loquendi habeat aliquam proprietatem, tamen fruſtra diſtinguitur in re impenetrabilitas ab extenſione partium rei in loco in ordine ad definiendam quantitatem, quia nimirum non exigit extenſionem niſi quod exigit impenetrabilitatem, & res penetrata cum alia quamdiu penetrata eſt, non exigit extenſionem partium ſuarum in loco, ablatâ enim impenetrabilitate non eſt, cur una pars ſit extra aliam partem, poterit enim penetrari cum illa, cur enim non, ſi ſit penetrabilis? aut quomodo non eſt penetrabilis ſi ablata eſt impenetrabilitas?

Dices: Si corpus penetratum cum alio corpore eſſet penetrabile à ſe, deberet actu penetrari à ſe; non autem penetratur, ergo ſignum eſt, quòd non poſſit à ſe penetrari. Majorem probo, quia una pars à ſua gravitate tendit in locum alterius, ſcilicet ſuperior in locum inferioris, ergo, ſi nil ei reſiſtat, de facto occupabit eum, non autem occupavit, ut patet in miraculis illis, uterus enim Virginis ſemper integer & extenſus manſit in partu non minùs quàm antè, ergo aliquid ei reſiſtebat, non aliud quàm impenetrabilitas, ergo. Reſpondeo ad finem miraculi penetrationis opus fuiſſe aliquâ impenetratione, id eſt, opus fuit ne permittantur partes rei penetratæ cum alia ſe ipſas penetrare, atque ita ex miraculo id non colligitur, ſicut non colligitur demonſtrativè quantitas ex eo, quòd accidentia ſeparata ſint colligata ſeu ſimul mota; facta ſunt enim tot miracula, quot opus fuit ut corpus filii tranſiret per uterum integrum & extenſum Matris; ad hoc autem opus fuit ut permitterent partes uteri tranſire per ſe partes filii, non permitterent autem ſe ipſas. Reſponderi ſecundò opportuniùs poteſt partes corporis penetrati cum alio non penetrari à ſe, quia non moventur ad ſe: & ad illud de gravitate dicendum eſt partes graves non gravitare in ſe id eſt unam non gravare aliam, quod quidem in nobis ipſis experimur, quibus pars ſuperior v. g. vertex non gravat

Digitized by Google

vat frontem, & certum eſt quòd elementa in ſuis locis non gravitent, quod verum eſt non ſolùm ratione aliarum partium ipſius elementi, ſed etiam ratione externi corporis, nam corpus interpoſitum aquæ fluminis, non deprimitur ſeu non truditur deorſum ab aqua ut conſtat; & animalia non deprimuntur ab ea dum natant. Ita pro nunc probabiliter ſaltèm dici de aliis corporibus poteſt ratione ſuarum partium, ſit ergo

13. Ultimata reſolutio, quòd diſtinguendo quantitatem à rebus effectus formalis illius communiſſimè ſumptæ ſit extenſio rei in ordine ad ſpacium. Quia nimirum quantitas continua permanens extendit rem per ſpacium loci, ſucceſſiva per ſpacium temporis.

Et hæc deſcriptio ſuſtineri poteſt etiam tenendo, quòd quantitas identificetur realiter ſubſtantiæ, dicetur enim idem eſſe ſubſtantia, quatenus ſe ipſo ſtat ſine inhærentia ad aliud; eſſe quantitas, quatenus habet aut habere exigit partes extra invicem poſitas in loco; Imò paulò melius res ſic cohæret, intelligi enim poterit, quomodo quantitas poſſit eſſe ſine extenſione & impenetratione partium, quia nimirum extendere partes & reſiſtere penetranti eſt effectus tantùm ſecundarius quantitatis ſecundùm hanc viam, quum ſit effectus aut conceptus ſecundarius ſubſtantiæ, quæ extra hanc ſententiam eſt quantitas.

ACTIO III.

Vtrum quantitas det ſubſtantiæ partes, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Methodus antiquorum Mens Scoti.*
2. *Concluſio, Quantitatem non tribuere partes ſubſtantiæ.*
3. *Prima ratio concluſionis.*
4. 5. *Reſponſio Thomiſtarum, refutatur.*
6. *Altera probatio concluſionis.*
7. *Probatio ulterior ejuſdem.*
8. *Multiplicantur adhuc confirmationes ejuſdem veritatis*
9. *Evaſiones Thomiſtarum, & probationes noſtrorum invalidæ.*
10. *Prima objectio, ſoluta, an quantitas requiratur ad diviſionem?*
11. 12. *Secunda, num indiviſibile poſſit reddi diviſibile?*
13. *Nova ratio pro concluſione.*

(a) Capr. 3. *d.* 3. *q.* 1. & *d.* 13. *q. un.* Soncin. 5. *Met. q.* 22. Javell. *q.* 20. Tolet. 1. *phyſ. q.* 7. Soto *in Log.* (b) 5. *Met. q.* 9.

1. Affirmarunt olim Thomiſtæ (a) aliqui fundati in textib⁹ aliquot Ariſt. quod ita familiare fuit antiquis illis, ut etiam Doct. Subtilis, qui nihil magis odit quàm has partes ſubſtantiæ à quantitate profectas; tamen aliquando (b) rapi ſe permiſerit ab hoc torrente. Sed ſtandum eſt ultimæ voluntati hominis quam in ſententiis ſcripſit, eſtque planè oppoſita huic ut vides in ſecundo themate, unde

2. Dico reſolutivè Quantitatem non tribuere ſubſtantiæ partes, quaſi ipſa ſubſtantia antecedenter nullas habeat, ſed neque poſſe; quin potius ſubſtantiam ipſam materialem habere ſuas partes integrales componentes, à ſe ipſa, licèt non habeat eas extenſas ſine quantitate. Ita omnes ferè, Thomiſtis exceptis, non omnibus tamen, etenim plerique ad Scotum defecerunt, ut videas apud Merinerum noſtrum (c) ubi etiam D. Thom. (d) ad hoc citat. & alia addunt Complut. (e) ubi etiam confeſſionem Cajetani de hoc atque etiam Soncinat. adducunt.

(c) *in Categ. c.* 6. *diſp.* 1. *de quant.* (d) *ex* 2. *d.* 30. *q.* 2. *art.* 1. (e) *diſp.* 13. *de quant. c.* 3. (f) 8. *Metaph. c.* 6.

Loca Ariſtotelis non deſunt concluſioni (f) *Contingit* (ait) *unâ exiſtente materia diverſa fieri propter moventem cauſam*, ubi ad diviſionem materiæ in ſe non requirit niſi efficiens, adeòque cenſet ipſam in ſe eſſe in ſe diviſibilem, & habere partes, aliàs enim ex una plures fieri non poſſent ab ullo efficiente, & *lib.* 11. *cap.* 2. carpit eos, qui ſubſtantiam indiviſibilem ponunt, dicens: *Item quonam modo arbitrari opportet unius & puncti ſubſtantiam eſſe, omnis namque ſubſtantiæ generatio eſt, puncti verò minimè.*

3. Probo concluſionem ratione, & quidem ad hominem ſic: Si ſubſtantia non haberet partes à ſe ante quantitatem, ne quidem poſt quantitatem aut à quantitate illas haberet; hoc autem eſt contra ipſos etiam Adverſarios, ergo. Sequelam probo, quia impartibile non poteſt recipere partes; materia ante quantitatem ſecundùm Adverſarios eſt impartibilis, ergo non poteſt recipere partes, atque ita nec à quantitate illas recipit. Major probatur, quia partes illæ de novo aut factæ ſunt ex illo indiviſibili, quod præceſſit, aut aliunde acceſſerunt, non primum, alioquin indiviſibile non ſolùm diviſibile eſſet, ſed diviſum, non etiam ſecundum, quia tum illa res non eſſet eadem, quæ antea fuit, non enim poſſunt eſſe aliæ partes ſine alio compoſito, ſi autem compoſitum eſt aliud à compoſito, quantò magis compoſitum erit aliud à ſimplici?

Confirmatur hoc argumentum efficaciter, ni fallor inſtantiis, ſi enim ex unione ſubſtantiæ ad quantitatem dantur eo ipſo ſubſtantiæ partes, quamvis antea nullas habuerit, tum oportet, ut quodlibet cui unitur quantitas aut quod unitur quantitati eo ipſo accipiat partes, quod falſum eſſe patet, alioquin puncta jam non eſſent puncta, ſed partes & darentur puncta punctorum etiam infinities infinita, & c. paradoxa. Sequela autem omnium probatur, quia puncta ſine dubio uniuntur quantitati, imò ſunt ipſæ uniones, & cùm ſint accidentia debent aut recipi in quantitate aut recipere ipſam, quod perinde eſt ad propoſitum, nam & materia partes accipit à quantitate quæ recipitur in ipſa, & qualitates, quæ recipiuntur in ipſa ſecundùm principia Adverſariorum. Altera inſtantia eſt animæ humanæ quæ unitur quantitati ſine dubio, & tamen non accipit ab illa partes, nec enim anima humana ex partibus integratur etiam ſecundùm Adverſarios, quum ſit ſpiritus, ergo jam evidens ſit rem aliàs impartibilem ſeu non habentem par-

8. Aliæ probationes hujus videri poſſunt apud Meriner. citat quas quidem ille non reputat efficaces, ſed revera aut ſunt ejusmodi, aut tales facilè fieri poſſunt? ſicut etiam iſta eſt: Partes, quas ponitur quantitas dare ſubſtantiæ, aut ſunt partes ſubſtantiæ, aut partes quantitatis: ſubſtantiæ non poſſunt eſſe, quia quantitas dat partes ſubſtantiæ in genere cauſæ formalis, ſive non efficiendo ſed communicando ſe, communicare autem non poteſt niſi quod habet in ſe, ſi autem dat partes quantitatis, jam ſubſtantia non habet ne quidem poſt quantitatem partes ſubſtantiales, quod & adverſarii negant, & eſt manifeſtiſſimè falſum, quia quando dividitur continuum ſubſtantiale verbi gratiâ lignum, utique aufertur ipſi pars ſubſtantiæ & non tantùm pars quantitatis. Deinde ſi partes ſubſtantiæ non ſint aliæ quàm partes quantitatis, ſequitur quòd nutritio non ſit mutatio diſtincta ſpecie ab augmentatione, quod omnes negant, ſed probatur ſequi, quia per augmentationem adquirunt partes quantitatis, ergo ſi per nutritionem non adquirantur aliæ, jam nutritio nihil eſt aliud, quàm augmentatio. Atque hinc poſſumus aliud hoc pro concluſione formare, quia in nutritione animalis & arboris idem alimentum in diverſa vertitur, fit caro, nervi, ſanguis, cortex, truncus, folia, quæ ab invicem ſpecie ſubſtantiali diſtinguuntur, non autem diſtinguuntur quantitate, quia eadem eſt ſpecie quantitas in omnibus, ergo jam datur aliqua diſtinctio inter hæc quæ non provenit à quantitate. Et quoniam Thomiſtæ non fatentur eſſe diſtinctionem ullam inter partes animalis aut aliorum viventium, niſi ſolam accidentalem, eò quòd negent formas ſubſtantiales organorum, quas nos formas corporeitatis appellamus, conveniuntur inſtantiâ corporis partim animati partim aridi, quod contingit arboribus & etiam animalibus apoplexiâ correptis; de his ergo arguo, verbi gratiâ de virga partim animata, partim arida, & dico partem animatam debere diſtingui à parte arida aliter quàm per quantitatem, quia quantumvis Deus auferat utrique quantitatem, tamen utraque non erit una, quum implicet idem realiter eſſe animatum & inanimatum ſimul, atque adeò datur aliqua diſtinctio partium ſubſtantiæ quæ non ſit à quantitate.

9. Conantur aliqua horum Thomiſtæ evadere dicendo, quòd ſine quantitate non ſit pars ſecundum ipſos, quod ſufficit, ut nos petamus principium hoc aſſumendo, ſive utendo nomine partis, quum hæc ſit in controverſia. Sed hoc reſpondere eſt omnino ludere, & præſidium verborum captare, quæ tamen ipſa non multùm proſunt Thomiſtis: Nempe abjiciamus vocabulum pars & loco ejus dicamus, id quod animatum eſt, id quod aridum eſt, id materiæ quod ſub capite hominis eſt, atque id quod ſub calce, aut ſub genu ut in priori argumento *num.* . procedent rationes factæ non minùs, quàm ſi uteremur nomine *partis* ut patebit applicanti, adeòque.

Fateor tamen aliqua ferri à noſtris, quæ in ea forma non convincunt, v. g. hoc: Quantitas quando recipitur in materia, aut recipitur in diviſibili aut in indiviſibili, ſi in diviſibili, habetur intentum, jam enim materia ante quantitatem eſt diviſibilis. Recipi autem in indiviſibili non poteſt, quum ipſa ſit diviſibilis, omne enim quod recipitur ad modum recipientis, recipitur; & aliàs clarum eſt quòd non poſſit aliquod habens partes recipi in non habente illas niſi ipſius recepti una pars ſit in alia, imò omnes, quod licèt divinitus fortè fieri poſſit, tamen non eſt cõnaturalis modus omnino, ergo quum quantitas ſine dubio recipiatur in materia, non poteſt in indiviſibili recipi. Hoc inquam fortaſſis in re convincit (& credo equidem quòd ſic) at in hac forma non, ut patebit applicando eam aliis terminis; nam quidquid ſit, an materia habeat partes ante quantitatem, tamen conſtat eam non habere partes extenſas ante quantitatem. Jam ergo argui ſic poteſt: Extenſio illa aut recipitur in ſubjecto extenſo, aut in ſubjecto inextenſo; ſi primum, ergo materia habet extenſionem ante quantitatem, quod etiam nos negamus: ſecundum autem dici non poteſt, ut patet applicanti rationem jam factam, quia extenſum non poteſt recipi in inextenſo niſi partes extenſi ſint ſimul, at verò ſic poſitum extenſum non eſſet extenſum, ergo.

10. Objectiones adverſariorum frigidæ ſunt, & apud noſtros nullo negotio refutatæ, quapropter non puto precium operæ illas deſcribere. Legi poſſunt apud Meriner. citat. ex quo eas deſcripſit Maſtr. hîc *diſp.* 7. *q.* 1. & partim *diſp. 9. phyſic q. item prima* Placet autem ipſos juvare ſic arguendo: Subſtantia habet à quantitate eſſe diviſibilem, ergo habet à quantitate partes, conſequentia valet, quia, ſi haberet ſubſtantia partes independenter à quantitate, eſſet in illas diviſibilis; quòd autem non ſit diviſibilis ſine quantitate, probo, quia ſine quantitate non eſſet impenetrabilis, omne autem diviſibile eſt impenetrabile, quia diviſio fit per interpoſitionem alterius corporis inter partes dividendi; at verò interpoſitio talis non dividet corpus, niſi ſit impenetrabile, nam ſi penetrari ſe permittat, erit in eodem loco cum corpore dividente, atque ita interceptio ejus non ſeparabit partes alterius ab invicem, adeòque non dividet, v. g. trabs ſi penetrari ſe permittat à cuneo, non dividetur per interpoſitionem cunei, quia nimirum cuneus recipitur in eodem loco in quo ſunt partes trabis, adeòque interpoſitio ejus non ſeparabit eas ab invicem. Reſpondeo argumentum eſſe efficax ut probet aliquam diviſibilitatem à quantitate provenire: non omnem tamen quod probandum fuit. Diviſibilitas per inſtrumenta phyſica neceſſariò exigit quantitatem; at verò abſoluta diviſibilitas non; poſſet enim Deus & fortaſſe angelus partes materiæ ſpoliatæ quantitate ab invicem divellere. Deinde dico argumentum poſſe etiam verti contra ipſos, nam etiam præſente quantitate poteſt contingere ut ſubſtantia non ſit diviſibilis hoc modo, ſive per interpoſitionem corporis, ſi ſcilicet quantitas ipſa penetretur, quod certum eſt fieri poſſe adeòque nec hæc quidem diviſibilitas adæquatè provenire poteſt à quantitate in genere cauſæ formalis.

11. Objicio ſecundò, ſaltèm in genere diſcreti diviſibilitas à quantitate provenit, nã nihil ſic diviſibile eſt niſi numerus, unitas enim eſt indiviſibilis: at verò numerus eſt quantitas, ergo. Reſpondeo primò: Si numerus ſit quãtitas, etiã unitatẽ ad quantitatem pertinere, quia numerus eſt multitudo ex unitatibus conflata, adeòq; non omne quantũ aut quantitativũ eſt diviſibile. Deinde argumentũ videtur velle, quòd unitas reſpõ-

ſubſtantiæ, & numerus quantitati, ut ſic habeatur indiviſibilitas ſubſtantiæ & diviſibilitas quantitatis, quod eſt falſa prorſus imaginatio. Unde reſpondeo tertiò numerum etiam in ſubſtantiis inveniri, adeòque etiam diviſibilitatem: ſed hinc ſurgit alia.

12. Objectio contra nos, quia hactenus diximus ſubſtantiam debuiſſe in ſe fuiſſe diviſibilem, & habere partes ad hoc ut per quantitatem reddatur diviſibilis, eò quòd indiviſibile non poſſit reddi diviſibile, quod tamen ex proximè dictis videtur redargui falſitatis, quia unitas eſt indiviſibile & tamen accedente quantitate fit diviſibilis; quum enim fit numerus, fit diviſibilis, numerus autem eſt quantitas, ergo aliquod indiviſibile fieri poteſt quantum & diviſibile. Vis rationis eſt in eo quòd unitas fiat numerus, quam propoſitionem probo eſſe admittendam, ac non tantùm iſtam, unitas componit numerum; quia hæc eſt vera: numerus eſt multæ unitates, ergo hæc convertens ejus: unitates multæ ſunt numerus. Reſpondeo tamen hoc principium eſſe fixum & immobile: indiviſibile non poteſt reddi diviſibile, quocumque demum accidente aut formâ ſuperveniente afficiatur, alioquin dicant mihi, cur punctum annexum quantitati non reddatur diviſibile, & animâ rationalis quando informat corpus quantum? Ad rationem objectionis dico quòd unitas non reddatur unquam diviſibilis, nec ratio ſequens eſt probatio hujus, ſed fallacia; non enim numerus eſt unitas, ſed unitates ad ſummum. Atque ita ut maximè ſequitur, quòd unitates ſunt diviſibiles non verò unitas.

Dices: Si unitates ſunt diviſibiles, etiam unitas erit, quia totum integrale ejuſdem rationis eſt cum ſuis partibus, partes autem unitatum ſeu numeri, qui eſt totum quoddam integrale, ſunt unitates, ergo. Reſpondeo argumentum ſi valet nocere etiam arguenti; probat enim, ut vides, unitatem eſſe diviſibilem ſecundùm ſe, quod illi aufert argumentum præcedens, tum enim indiviſibile non redditur diviſibile per quantitatem, ſed diviſibile redditur diviſibile, quia unitas eſt diviſibilis, ſi credendum ſit huic argumento. Fruſtra autem tentat ſuadere unitatem eſſe diviſibilem, cùm id ſit oppoſitum primi principii in phyſicis & mathematicis, unde & aſſumptum illud de toto integrali, quòd ſit evidens rationis cum partibus, negandum eſt, ſi fortè ſit incompoſſibile huic, non eſt autem, ſed eſt diſtinguendum ſic: Totum integrale continuum tranſeat, diſcretum negatur; Imò fortaſſis etiam falſum eſt de ipſis continuis totis, quia ſecundùm Zenonis ſententiam Continuum componitur ex punctis integraliter, quæ puncta ſunt omnino indiviſibilia, quum tamen continuum ipſum ſit diviſibile, unde & aliter diſtingui ſic poteſt antecedens: Totum integrale eſt ejuſdem rationis cum partibus, quando ex illis partibus integrantibus non reſultat totum eſſentiale tranſeat; quando reſultat nego, id hîc contingit, nam ex illis unitatibus reſultat numerus, qui eſt diſtinctæ rationis à ſingulis illis, non ſic autem in aliis totis reſultantibus ex partibus integrantibus, nam ex duabus amphoris aquæ non reſultat niſi aqua ejuſdem ſpeciei cum partibus: & per hæc ſatis ſit juvaſſe adverſarios.

13. Videor etiam mihi poſſe promovere concluſionem hoc medio: ablatâ quantitate à toto aliquo, verbi gratiâ ligno, adhuc remaneret realiter in eo diſtincta materia & forma, ergo jam omnis diſtinctio realis partium non eſt à quantitate. Reſponderi poteſt verum id eſſe de diſtinctione partium eſſentialium, non verò de diſtinctione partium integralium. Sed contrà facit, quòd magis arcta ſit unio partium eſſentialium, quàm integralium, ſi ergo diſtingui poſſunt eſſentiales ſine quantitate, quantò magis integrales? Deinde in ligno utraque pars afficitur quantitate, & extenditur per ipſam. Denique ratio partium eſſentialium non petit diſtinctionem mutuam à ſe invicem, nam etiam partes metaphyſicæ ſunt eſſentiales nec tamen diſtinguuntur realiter ab invicem, atque ita non ſupereſt ratio, cur dicantur materiæ & forma diſtingui ante quantitatem niſi etiam partes ipſius materiæ diſtinguantur ante quantitatem.

ACTIO IV.

De ſpeciebus Quantitatis continuæ, Linea, Superficie & Corpore.

Breviarium.

N. 1. *Adfertur & expenditur ratio Ariſt. pro Trinitate dimenſionum.*

2. *Alia ex Clavio. Linea perpendicularis quæ? & quoties duci poſſit?*

3. *Tertia probatio ex fluxu puncti.*

4. *Tres eſſe numerandas ſpecies quantitatis, ut in titulo actionis: Ratio. (do ?)*

5. *Objectio, ſolvitur. Linea an penetretur aliquando?*

6. *Inſtantia Recentis cujuſdam contra ſolutionem expeditur, & iterum inſtauratur.*

7. *Alia ſolutio argumenti principalis.*

8. *Alia objectio, an & quomodo iſtæ dimenſiones componant ſe invicem?*

9. *Reſolvo; & probo alteram partem, quòd ſcilicet tria illa non ſint veræ ſpecies dimenſionum.*

10. *Alia probatio hujus, ſolvitur. Inſtatur contra ſolutionem ſed ſatisfit inſtantiæ.*

11. *Tertia probatio, an tertia ſpecies animæ includat alias duas?*

12. *An in hac concluſione contradicamus præcedentis?*

1. Communiter (a) & meritò tenetur tres eſſe ſpecies quantitatis continuæ, ſcilicet jam enumeratas, Lineam, ſuperficiem & corpus, quæ clariùs dicerentur lon-

(a) Ariſt. hic cap. 3. & 5. Met. c. 13. D. Thom. opuſc. 48. tr. 3. Scot. q. 20. prædicam. & ... d q. 9. &c.

longitudo, latitudo, profunditas, quod, licèt quisque facilè credat, non quilibet tamen facilè probaret. Tentavit trinitatem hanc dimenſionum probare Ariſtoteles 1. de cœlo tex. 21. his: *Continuum eſt quòd diviſibile eſt in ſemper diviſibilia: Corpus quod omniquaque diviſibile eſt; magnitudo autem eſt, ea quidem quæ ad unum, Linea; quæ autem ad duo planum; quæ verò ad tria, corpus: & præter has non eſt alia magnitudo, propterea quod ipſa tria omnia ſunt, & ipſum ter omniquaque.* Quæ proſequitur ibi rationibus ut maximè topicis de ternarii profectione, quæ ſi fidem facerent, ſuadere deberent non dari ſpeciem numeri ultra terminum *propterea quod ipſa tria omnia.*

Ariſtot.

2. Alias ergo rationes hujus adferam ex Matheſi, quarum primam habet Chriſtophorus Clavius *in ſphæram ſacro boſci*, ſupponendo in primis omnia commenſurari lineâ perpendiculari; quod certum eſſe debet, eò quòd ſit breviſſima & ſtata ſeu fixa, reliquæ aliæ ſexcenties variantur, ut patet; unde longitudo hominis verbi gratiâ erit perpendicularis ductâ à vertice ejus ad imum; Latitudo autem erit perpendicularis alia ducta per humeros & latera, profunditas erit perpendicularis ducta à tergo ad pectus vel è contra. Quo poſito probari poteſt tres eſſe dimenſiones in corporibus, non plures, ſic: Quia tot ſunt dimenſiones in aliquo, quot perpendiculares poſſunt in eo duci, quæ ſe invicem ad angulos rectos ſecent: Poſſunt autem tres ſolæ duci ex omni puncto, quarum duæ ſolæ poſſunt eſſe in una ſuperficie, adeòque ad tertium opus eſt corpore, unde non malè definiret quis Corpus, quòd ſit, magnitudo, in qua tres lineæ ſe invicem interſecantes ad angulos rectos duci poſſunt, & quoniam, uti dictum eſt, tres illæ perpendiculares duas ad minus ſuperficies exigunt, non poſſunt in uno plano deſcribi: Do hîc imaginem aliquam eorum in ſuppoſita figura, quæ tamen debet per intellectum juvari ſic, ut linea E. F. intelligatur non eſſe parallela, aut immerſa lineæ A. B. ſed in tranſverſum ejus deſuper ducta, ita ut lineæ C. D. & E. F. faciant crucem in plano horiſontis exceptam; Linea autem A. B. ſit quaſi baſis crucis vel pedamentum cui innitatur illa crux, hoc modo:

Clavius.



3. Alio modo declarari poteſt hæc trinitas dimenſionum ſeu extenſionum incipiendo à minimo, quod eſt punctum, utpote quid in omne verſus indiviſibile, ſi ergo hujusmodi indiviſibile pro nunc imaginemur tamen pulveris) fluat in directum, & relinquat poſt ſe veſtigium, deſcribet lineam: Rurſus ſi loco hujus lineæ deſcriptæ ponamus filum ferreum, & hoc imbuatur aliquo colore: ſi decurrat per planum continuè, relinquet veſtigium ſui, quod erit ſuperficies ſeu planities, imaginanda inſtar tenuiſſimæ laminæ; talis enim fieret ſi linea aut filum ferreum relinqueret ubique poſt ſe fila (ac non tantùm veſtigia filorum) omnes enim integrarent velut telam quandam tenuem, quæ ſi in directum intelligatur propelli & relinquat poſt ſe ſemper & ubique alias ſuperficies, ut jam ſupradixi de linea, omnes illæ inſimul facient profundum, hoc autem non habet quo ulterius demittatur ut conſtituat novam figuram aut dimenſionem ut vides, ergo jam intelligi tantùm poſſunt & eſſe tres dimenſiones aut extenſiones corporis.

Atque hæc quidem conſtant, utpote proxima lumini ipſi naturæ & experimento, quod ſcholaſticum eſt, & ſub controverſia cadit, eſt, an ſingulæ dimenſiones ex iſtis ſint veræ ſpecies quantitatis nec ne? communis & vetus opinio aſſeruit ſemper, ut patet ex *Ariſtotele* (b) *in prædic.* quem Peripatetici omnes hactenus ſequuti ſunt, deſeruerunt tamen olim Nominales, nunc Recentes aliqui quibus ea novitas arriſit.

(b) c. 3. & 5. Met. 1.

Ad reſolutionem meam præmitto impertinens eſſe, utrum re ipsâ dentur in continuo illæ ſpecies magnitudinis, quas dixi ſcilicet linea, planities & corpus, imo utrum etiam eſſe poſſint, de quo feram ſententiam ſub loco: nunc de illis ago, ſive in corpore ſint, ſive poſſint eſſe extra corpus ſeparata, &c.

4. Dices illas tres eſſe cenſendas totidem veras ſpecies quantitatis continuæ. Ita ſenſit Subtilis. Nam *quæſtione vigeſimâ prædic.* ſupponit ſuperficiem eſſe ſpeciem quantitatis, & idem facit de linea *primo metaphyſ. quæſtione nona, & in com. 5. Metaphyſ. capit e 13.* omnes tres ſpecies ponit quod idem facit 2. *ſent. diſtinctione ſecunda, quæſtione nona, numero trigeſimoſeptimo*, & poſt ipſum agmen dentiſſimum Scotiſtarum, quorum ſententia jam paſſim in ſcholis auditur &c.

Probatur in primis ſolutione difficultatum, quæ Nominalibus perſuaſerunt oppoſitum, inde enim conſtabit non eſſe recedendum ab hac receptiſſima traditione Probatur etiam aliter à priori, quia tot ſunt ſpecies quantitatis, quot ſunt ſpecies extenſionis & impenetrabilitatis: illæ autem tres ſunt, non plures aut pauciores quod ex jam dictis ſuprà *num.* 2. patet quia linea habet partes extenſas id eſt unam extra aliam in longum, ſuperficies in latum, corpus in profundum. Quod etiam ulteriùs videri poteſt, quia non poteſt corpus creſcere niſi aliquo modo ex his, ergo omnis magnitudo corporis eſt aliqua ex his: probatio antecedentis quia non poteſt ferri ſeu moveri motu lationis niſi motu reſpiciente aliquem terminum ex jam aſſignatis, ergo nec creſcere, quia in quamcumque partem poteſt moveri poteſt creſcere & augeri, poteſt enim novis partibus adquirere illud ſpacium ſine motu locali,

Digitized by Google

cali, quòd acquiſiviſſet antiquis partibus per motum localẽ. Antecedens ultimum oſtendetur, ſi intelligatur corpus aliquod à terra in cœlum protendi, hoc enim corpus aut moveri deberet ad concavum cœli, & movebitur ſurſum, quò ſi feratur per augmentum, augebitur ſecundùm longitudinem: aut movebitur inter alia duo puncta, orientem & occidentem, etſi augeatur ſecundùm hanc lineam, augebitur ſecundùm latitudinem: aut denique moveri & augeri intelligetur inter duo puncta polaria, quo facto augebitur ſecundùm profunditatem.

Dices: Poteſt intelligi, quòd augeatur à centro deorſum hic autem eſt alius motus & aliud augmentum. Reſpondeo non eſſe, quia eſt à medio ad extremum ſeu circumferentiam, atque ita erit motus revera ſurſum & augmentum revera ſecundùm longitudinem. ergo.

5. Objicies: Linea & ſuperficies non ſunt impenetrabiles, ergo non ſunt quantæ, conſequentia tenet certiſſimè. Antecedens autem probatur experimentis: Si enim ponantur juxta ſe invicem duæ lineæ intimè applicatæ, atque etiam duæ ſuperficies (ut ſi duæ tabulæ ſuperponantur invicem) penetrabunt invicem, ſive erunt in eodem loco. Probatio, quia applicantur invicem ſecundùm indiviſibilia, at verò indiviſibilia non repellunt ſe invicem à loco, alioquin eſſent impenetrabiles & conſequenter quantæ, ex quo denique ſequeretur quòd indiviſibilia eſſent diviſibilia. (c) *Quantum enim eſt diviſibile* ſine exceptione ulla, ergo. Reſpondeo negando antecedens: ad probationem concedo antecedens & nego conſequentiam, adhuc enim utraque eſt impenetrabilis, linea quidem in longum, una enim pars ejus repellit aliam, alioquin nunquam fieret ex illis longitudo, ſimiliter & de ſuperficie, una enim pars ejus expellit aliam in latus. Quod verò ſecundùm latitudinem penetrentur lineæ, & ſuperficies ſecundùm profunditatem non eſt mirum, quia ſecundùm has illæ non ſunt quantæ.

(c) 5. *Met. cap.* 13. *text.* 18.

Diſplicet ſolutio Recentiori cuidã, quia, inquit, nihil poteſt penetrari ſecundùm menſuras quas non habet. Linea & ſuperficies non habet latitudinem & profunditatem reſpectivè, ergo non poſſunt ſecundùm has penetrari, ſed non video cur tam ægrè ferat ſolutionem propter vocem illam *penetrari* quando debet approbare rem ſignificatam, quam proinde ego aliis verbis explicui dicens: *Sive erunt in eodem loco.* Cæterum dicimus angelum penetrari, & animam humanam cum ſuo corpore, quum tamen neutra habeat ullam menſuram ſeu dimenſionem.

Fr Oviedo *contr* 7. *Met. p* 3.

6. Inſtat tamen auctius idem in hunc modum: Intelligamus lineam aliquam aut ſuperficiem plicari, penetrabunt ſe invicem partes ſuperpoſitæ, ergo ipſa longitudo eſt penetrabilis, ſicut & latitudo ſuperficiei. Patet, quia in eo caſu linea lineæ ſeu longitudo longitudini ſuperponitur, & latitudo latitudini, ſive una pars ejus alteri, ſi ergo penetrat ſe, ſignum eſt, quòd longitudo lineæ ſit penetrabilis, & non expellat una pars aliam, ne quidem ſecundùm illam ſuam dimenſionem: idemque eſt de ſuperficie in latum. Reſpondeo tamen adhuc negando conſequentiam. Cauſa, quia partes illæ plicatæ applicantur invicem verſùs illam partem in qua ſit profunditas; cum ergo nec linea, nec ſuperficies habeant quantitatem aut magnitudinem ſecundùm profundum, non eſt mirum, quòd permittant ſe penetrari verſùs illam partem aut dimenſionem.

Dicet aliquis, eadem pars, quæ procederet in longum, illa eadem eſt quæ reflectitur, & invenit eaſdem partes ſecum jam, quas antecedenter habuit ante ſe, ſive priùs locatas; ſi ergo jam non expellunt ſe, non eſt cur antè expellerent ſe, ſunt enim ejuſdem ſpeciei jam & priùs. Reſpondeo: Evidens eſt, quod antea expellebat ſe invicem ex loco, quia una trahebat aliam ante ſe in longum, adeòque poſſet conſequentia verti ut diceretur quòd jam etiam expellerent ſe invicem locis, atque ita demeretur argumenti omnis ſpes concludendi, quandoquidem negaretur ei id in quo ſe fundat, quòd ſcilicet partes lineæ plicatæ penetrent ſe, ſed concedo ei pro nunc illud, & nego conſequentiam, quia in caſu replicationis habent alium & alium ſitum ratione cujus non reſiſtunt ſibi invicem, eò quòd quando replicantur, applicantur invicem ſecundùm eam menſuram, ſecundùm quam non ſunt quantæ, adeòque nec penetrabiles, ſcilicet ſecundùm profundum; at verò quando rectè procedunt, ſequuntur ſe ſecundùm dimenſionem quâ quantæ ſunt, adeòque hâc viâ una tradit aliam nec permittit in eodem loco. Hæc hactenus

7. Exiſtimo tamen ſolidiùs reſponderi poſſe argumento principali aliter. Ad quod præſtandum determinandum eſſet, de qua linea loqueretur quis, ſcilicet de ſeparata, an de unita; hoc eſt de linea aut ſuperficie terminante corpus aliquod, an verò de linea & ſuperficie, quam Deus produceret extra omne corpus; & quidem ſi de priori ſit ſermo, ut videtur velle arguens, negandum puto aſſumptum argumenti, & probationes ejus, ſcilicet lineas aut ſuperficies invicem ſuperpoſitas penetrari: Cujus cauſam do illam, quia nimirum lineæ illæ & ſuperficies terminantes corpora, non ſunt extra partes illorum corporum, ſed potiùs in eodem loco cum illis, adeòque non poſſunt illæ ſuperficies, penetrari niſi penetrentur partes ipſæ corporis, non ſolùm à ſuperficie alterius corporis, verbi gratiâ tabulæ ſuperpoſitæ, ſed etiam à partibus ejus, quia nimirum ſuperficies hujus quoque eſt immerſa partibus ejus non minùs, quam ſuperficies tabulæ ſuppoſitæ, ut certum eſt, ergo.

At verò loquendo de linea & ſuperficiebus ſeparatis, ſequenda eſt prior ſolutio, quòd ſcilicet penetrentur vel (ne fiat exceptio contra vocabulum) patiantur ſe in loco, quia applicantur ſecundùm profunditatem; nec refert, quòd profunditatem non habent, quaſi proinde non poſſit ſecundùm eam applicari, non enim dixi, quòd applicentur eorum profunditates, ſed ipſæ ſecundùm profundum, in qua parte nihil molis facerent, etiã infinitæ invicem ſuperponerentur.

8. Objicies 2. lineam includi in ſuperficie, & ſuperficiem in corpore, atque etiam lineam conſequenter, ex quo ſequitur quòd hîc non ſint ullæ duæ ſpecies (nedum tres) quia ſcilicet una vera ſpecies non includitur in alia. Tertio quòd linea & ſuperficies ſingula ſint incompleta; notum eſt autem incompleta non poni in prædicamentis tanquam ſpecies rectâ lineâ; quod autem

ſint

Digitized by Google

ſint hæc ſincompleta, probant, credo ex priori, eo ſcilicet, quòd una ex illis compleat ſive integret aliam, quod facit linea ſuperficiei, & ſuperficies corpori. Reſpondeo facilè lineam includi in ſuperficie & ſuperficiem in corpore non tanquam partes, ſed tanquam vincula partium. At verò non repugnat unam ſpeciem in alia inveniri tanquam vinculum partium, licet ipſa pars eſſe non poſſit: ex quo vides tertium etiam ſolutum, non enim debet eſſe incompletum niſi quod componit aliud ut pars; ſic materia incompleta ſubſtantia debet eſſe quia componit ſubſtantiam ut pars, & ſimiliter forma. At verò unio materiæ & formæ quod completum in ſuo genere (ſcilicet in genere reſpectus) eſt, & in artificialibus calx aut gluten ens completum eſt licet ſit vinculum partium domus. Sed non convincit quidquam hæc inſtantia, quia etiam lapides & ligna ſunt entia completa in ſuo genere, & tamen componunt domum etiam ut partes.

Meliùs utemur inſtantiâ ipſorum indiviſibilium, v.g puncti, quod in ſuo genere completum eſt, eſt enim completè indiviſibile, ſicut corpus eſt completè diviſibile, ſcilicet ſecundum omnē dimenſionem, & tamen intrat compoſitionem alterius ut vinculum. Recentes tamen qui tenent unionem partium eſſe partem totius neſcio, quomodo ſe ab hoc modo expedient; quomodo ſcilicet linea erit quid completum directè ſitum in prædicamento, & tamen ſit pars alicujus dicti prædicamenti.

9. Dico iterum. Bonâ antiquorum veniâ rationabile eſſe, ſi dicatur non dari tres ſpecies quantitatis in corporibus, ſed unam, adeòque lineam & ſuperficiem non eſſe ſpecies, ſed ſolum corpus. Probatio prima: quia non poteſt idem contineri ſub diverſis generibus non-ſubalternatis, & multo minus contineri poteſt ſub generibus oppoſitis tanquam ſpecies utriusque ſed linea ſi eſſet ſpecies quantitatis, eſſet ſub generibus diſparatis, imo etiam oppoſitis, eſſet enim ſub quantitate, ex hypotheſi & voluntate Adverſariorum; eſſet etiam ſub genere indiviſibilis: at vero quantitas & indiviſibile ſunt ex diametro oppoſita, quum ſint diviſibile & indiviſibile. Quantum enim eſt diviſibile, ergo. Quod ita ſit, ſive quod linea v.g. ſit ſub altero hoc genere, probo ex eo quod ſit ſub priori ſic; Linea eſt ſub genere diviſibilis, quia diviſibilis eſt, ſed etiam aliquâ ſui indiviſibilis eſt, ergo ſicut ſub genere diviſibilis, ita etiam ſub genere indiviſibilis contineri debet; quæ conſequentia tenenda eſt procedere non tantum à paritate ſed à minori ad majus, quia nimirum linea pluries eſt indiviſibilis quam diviſibilis, diviſibilis eſt ſemel, id eſt ſecundum longitudinem tantum, at vero indiviſibilis eſt ſecundum duas dimenſiones latitudinis & profunditatis

10. Probatio altera: Si linea eſſet ſpecies quantitatis & ſuperficies altera, tum differentia unius ſpeciei inveniretur in altera; conſequens ſine dubio eſt abſurdum, ſi enim proprietas rei non poteſt inveniri extra ipſam, quanto minùs eſſentia aut differentia eſſentialis? Sequela tamen probatur, quia longitudo eſt differentia lineæ, longitudo eſt in ſuperficie quæ eſt altera ſpecies ſecundum Adverſarios, ergo. Reſpondet aliqui differentiam lineæ non eſſe longitudinem ſed carentiam potiùs latitudinis & profunditatis, quia nimirum in longitudine convenit cum ſuperficie. Sed contrà, id eſt, non poſſe negationem eſſe differentiam poſitivi. Et ſi dicant carentiam illam in re eſſe poſitivum, licèt nos illud circumloquamur per negationem, ſaltem non evaditur, quin differentia alicujus unius ſpeciei contineatur partialiter in alia, nam carentia profunditatis, & poſitivum quod circumloquitur per ipſum eſt in ſuperficie. Contra hoc ipſum ſecundo eſt quod quantitas & quantum qua tale ſit diviſibile adeoque nulla indiviſibilitas etſi ſit poſitiva poteſt eſſe differentia ejus; non ergo indiviſibilitas in latitudine cenſenda eſt differentia lineæ ſed potius diviſibilitas ſecundum longitudinem. Hoc autem poſito redit argumentum.

Reſponderi tamen poteſt propter hæc differentiam lineæ eſſe diviſibilitatem ſeu extenſionem; adeòq; longitudinem hanc autem non inveniri in ſuperficie, ſed aliam: eſt dicere longitudinem lineæ eſſe ſpecie diverſam à longitudine ſuperficiei. Sed hæc ſolutio implicat ſe ampliùs difficultate; nam ſi alia ſit ſpecie longitudo ſuperficiei, & alia lineæ, jam non tantum erunt tres ſpecies quantitatis, ſed multo plures, erunt enim tres ſpecies ipſius ſolius longitudinis, utique enim longitudo corporis eſſet alia ſpecie ab aliis duabus, non minus quam ipſæ duæ inter ſe.

11. Sit tertia probatio à paritate, nam etiam dantur tres ſpecies animæ, vegetativa, ſenſitiva & rationalis, quæ etiam diſtinguuntur planè per omnia, ſicut iſtæ ſpecies quantitatis; nam vegetativa bruti eſt vegetativa tantùm, ſicut longitudo lineæ eſt longitudo tantum, ſive longitudo non lata, & latitudo ſuperficiei eſt latitudo tantum, id eſt latitudo non profunda, ſicut ſenſitiva bruti dicitur ſenſitiva tantum, in quibus vides omnia parallela & æquiſſimam paritatem. Subſumo, ſed in tertia ſpecie animæ quæ eſt anima rationalis non inveniuntur aliæ ſpecies animæ componentes eam ſed ſola ipſa ſimplex & æquivalens tribus, ergo ſimiliter in corpore quod eſt tertia ſpecies quantitatis non invenitur linea aut ſuperficies in propria ſpecie componens eam, ſed ipſa tertia ſola & ſimplex. Quod etiam à priori ſuaderi poteſt eo quòd nulla pars corporis aſſignari poteſt tam tenuis ut non ſit longa, lata ac profunda, quantumcūmque enim ſubtiliter dividatur verſus unam dimenſionem non poterit totaliter abjicere alteram, v.g. quantumcumque ſubtiles ac tenues laminas quis radat ex ligno, nunquam tam tenues faciet quin aliquid profunditatis habeant, quia nimirum in infinitum eſt diviſibile continuum etiam ſecundum profundum.

12. Dicet aliquis hîc nos revocare concluſionem præcedentem, ſicut etiam in illa videmur negaſſe præſentem; ſi enim non dentur lineæ & ſuperficies, non poterunt eſſe ſpecies quantitatis. Reſpondeo tamen non ita eſſe, hîc enim dicimus tantùm, quod in corpore non dentur tres ſpecies quantitatis, ſed una, quæ eſt ipsū corpus ſeu profunditas. At vero, an linea & ſuperficies ſint ſpecies quantitatis non dependet ab hoc; ſi enim darentur ſeparatim eſſent ſpecies quantitatis, adeoque quod tales ſint non dependet ab eo quod ſint in corpore.

Sicut ergo Aſtronomi multa dicunt ac demonſtrant de figuris in cœlo, v. g. de linea meridiana, de æquinoctiali & ſolſtitiali circulis, &c. quæ revera non ſunt in cœlo, ſed intelliguntur

Digitized by Google

tantùm eſſe, ita non falſò dicit Logicus,aut diſcurrit de his lineis tanquam ſeparatis ſpeciebus, licèt revera ſeparatæ non ſint.

Ex quo obiter colligitur argumentum pro concluſione præcedenti: Quia in Geometria diverſa demonſtrantur de lineis ac de ſuperficiebus, adeòque diverſa debent eſſe ipſæ lineæ & ſuperficies. Antecedens patet in Euclide *lib. undecimo & decimo tertio*, quòd, ſi duo plana ſecent ſe mutuo, communis eorum ſectio erit linea recta, quod in omni triangulo duo latera quomodolibet aſſumpta reliquo ſunt majora,*&c.* Euclid.

Non poſſum tamen non mirari quorundam diligentiam,qui probant hæc eſſe diverſas ſpecies continui, quia habent diverſa ſpecie continuativa ſcilicet indiviſibilia, corpus habet ſuperficies, hæc lineas. Ita ut probent hæc eſſe diviſibilia, aſſumunt quòd ſint indiviſibilia,ergo.

Quæres,an in ſententia Zenonis punctum ſit ſpecies quantitatis? Ratio dubitandi,quia ex eo componitur integraliter continuum. Totum autem integrale & partes ſunt ejuſdem rationis. Reſpondeo tamen,quòd non, quia eſt indiviſibile eſſentialiter, quantitas omnis diviſibilis. Ad rationem ſuprà reſpondi.

ACTIO V.

De Loco & Tempore, an ſint ſpecies Quantitatis?

Breviarium.

N. 1. *Ariſtoteles & Scotus hic quid ſenſerint?*
2. *Locum recipiendum eſſe pro vera ſpecie quantitatis diſtincta à tribus ſuprà poſitis: probatur.*
3. *Objectio: ſpacium,in quo recipiuntur res, an ſit merum nihil?*
4. *Altera objectio ſpacium. An componatur ex lineabus & ſuperficiebus?*
5. *Motus etiam reputandus eſt ſpecies quantitatis, & quomodo id accipiendum?*
6. *Objectio & ſatisfactio. An motus ſit ſua duratio, nec ne?*

1. SUprà aliquoties ſignificavi in iis materiis,in quibus Scotus ſe monſtravit utcumque ancipitem velle me tueri eam partem,quæ ab aliis minùs frequenter aut valenter ſuſtinetur; quod hic facere ſtatui circa locum. De eo enim non nimis apertè declaravit ſe Subtilis;quin aliqua ejus teſtimonia anſam præbent oppinioni oppoſitæ, illi quæ à pluribus pro doctrina ipſius defenditur. Cenſetur communiter ſenſiſſe Scotus quòd locus non ſit diſtincta ſpecies quantitatis, quia nimirum coincidit cum ſuperficie. Sed Scotus *q.23.prædic.* ſignificat aliam veram loci acceptionem, dicit enim Ariſtotelem 5.*Met. & 4 ph.* loquutum eſſe de loco non ſecundum propriam oppinionem, ſed ſecundum ponentium locum eſſe ſpacium, & addit quod ſecundum illam(oppinionem ſcilicet ponentium locum eſſe ſpacium) omnia hæc eſſent vera de loco,adeo habemus ſecundum Scotum veritatem aliquam in oppinione ponentium locum eſſe ſpacium: *& in 2. d. 2. q. 6. num. item marginali 6.* aſſignat proprietates aliquas loco quæ non poſſunt intelligi de loco ut communiter accipitur à Scotiſtis ex ipſo: dicit enim ipſum eſſe immobilem tam per ſe quam per accidens, dicit eum eſſe violentum & naturalem, quorum neutrum de ſuperficie, utrumque de ſpacio verificatur,quod ideo dico, quia ſequens concluſio dependet ex eo quod locus ſit ſpacium intra concavitatem ſuperficiei non autem ipſa ſuperficies. Breviter ergo

2. Dico reſolutivè in primis ſuſtineri poſſe doctrinam Ariſtotelis, quòd locus ſit ſpecies quantitatis, intellige diſtincta ab aliis tribus permanentibus, ſcilicet lineâ, ſuperficie & corpore. (*a*)

Probo, quia falluntur adverſarii putantes locum eſſe ſuperficiem in recto,locus enim eſt propriè ſpacium, nam res eſt in loco: eſt autem in ſpacio, non eſt in ſuperficie, ſed intra ipſam propriè loquendo, ergo.

(*a*) Joann. Canonic. 4. *phyſ.q.* 1. Phil. Faber 5. *Met. art.* 17. Sot. Tolet. *hic c. de quant.* Fland. 5. *Met. q.* 14. *art.* 8.

Secundò, quia locus eſt æqualis locato, at verò ſpacium eſt æquale locato, ſuperficies non eſt, quod patet manifeſtè advertenti: ſuperficies enim,cùm ſit extra rem,& ambiat ipſam, neceſſario eſt major ipſâ, res enim tanta eſt,quantum eſt à ſuperficie excluſivè: & per hoc habes probatam primam partem, nam ſpacium eſt à ſuperficie excluſivè, ergo.

Tertiò ſic: Nam univerſum hoc alicubi eſt, non eſt autem in ſuperficie, & eſt in ſpacio, ergo jam id,ubi res ſunt (quod ideo dico,ut abſtraham à voce *Locus*) cenſendum eſt eſſe ſpacium non ſuperficies. Major hujus ſuadetur quia cœlum fertur ſive movetur motu lationis adeoque adquirit ubi, non poteſt autem habere ubi nullibi, ergo alicubi habet ubi, & alicubi eſt; non eſt autem nec habet ubi in ſuperficie, & eſt in ſpacio, ergo.

Denique locus eſt naturalis aut violentus corporibus, utique enim naturale eſt gravi ſurſum eſſe, levi autem deorſum: at verò ſuperficies non eſt naturalis aut violenta; etſi enim mutaretur ſuperficies corporis ambientis gravi in loco ſuperiori, non proinde grave eſſet ibi naturaliter: Poſſet autem eſſe naturaliter cum eadem ſuperficie ſi transferretur ad centrum, ergo jam impertinens prorſus eſt ſuperficies ad naturale aut violentum, non eſt autem impertinens locus, ergo. Idem argumentum aut ſimile fieri poteſt de immobilitate quæ indiſpenſabiliter ad locum requiritur, nec tamen invenitur niſi in ſpacio; cæteroqui enim quælibet ſuperficies ambiens poteſt moveri localiter, ut clarum eſt, & turris quam præterlabuntur venti auræ ambientes, mutat ſuperficies toties quoties locum non mutat, quum ſit in eodem ſpacio, adeoque ſpacium cenſendum eſt eſſe locus, ergo.

Denique probatur inde, quia affectiones quantitatis competunt huic ſpacio, ſcilicet eſſe magnum & parvum, longum & breve, & ſimilia, quæ eſſe quantitati propria nemo non videt.

Ex quibus probata manet concluſio: Ideo enim non diſtingueretur locus ab aliis ſpeciebus quantitatis, quia coincideret cum ſuperficie.

Jam

Jamautem oſtendimus, quòd non, quòdque ei, ut contradiſtinguitur à ſuperficie ſua magnitudo competat, adeoque.

3. Objici unum poteſt, quid hoc ſpacium non ſit aliquid (ſed merum nihil) adeòque nec ſpecies quantitatis. Antecedens videtur convinci inde, quia non eſt factum aut creatum à Deo, quum; etiamſi ſupponeremus Deum nihil feciſſe, tamen primum quod faceret poſſet in eo ſpacio recipi: quod autem eſt ante primo productum, id non poteſt eſſe ex productis. Fateor validum argumentum, ſed inprimis procedit directè de ſpacio, quod vocamus imaginarium extra univerſum, nam de ſpacio quod intra latera loci eſt,& faceret vacuum terminatum non procedit toto vigore, poſſumus enim prætendere hoc eſſe à Deo factum: Deinde ſit nihil, modo ſit diviſibile,non facit hoc niſi quod ſit æquivocè quantitas, ſicut relatio rationis eſt vera relatio licet ſit æquivoca relationi realiter; accidens etiam eſt æquivocè tantum ens, imò omnis creatura corporata Deo ſecundum adverſarios, ſi ergo accidens ſit æquivocè ens, atque adeo ipſa quantitas & tamen facit prædicamentum quidni? Deinde umbram videmus longam & latam quæ tamen nihil eſt; videmus numerari ſpiritualia quæ non ſunt quanta, quum tamen numerus quantitas ſit; numerus in hoc prædicamento eſt, illæ non ſunt, ergo.

4. Objici etiam poteſt adhuc acriùs. Hoc ipſum ſpacium,quandoquidem intelligitur magnum,intelligi debet longum & latum,adeòque debet intelligi compoſitum ex lineis & ſuperficiebus, imo in re non videtur eſſe aliud quam profunditas,eſt enim concavitas, quum intelligimus inter latera ſuperficiei, adeoque licet probaverimus diſtinguendum eſſe locum tanquam diverſam ſpeciem à ſuperficie,ſed nondum probavimus quod ſit diſtincta ſpecies à tribus illis quibus coincidit cum aliqua, puta tertia, aut certè cum omnibus tribus. Reſpondeo negando totum, non enim hoc ſpacium eſt longum & latum, ſed duntaxat ſuo modo profundum, eſt enim, ut in argumento dictum eſt, concavitas & quaſi vacuum illud relictum abſcedente locato; propter quod nihil habet agere cum lineis aut ſuperficiebus niſi ad ſummum ut ſint extra ipſum tanquam termini, unde incipit excluſivè. At, inquies, ſaltem eſt profundum; atque ita aliqua ex noſtris ſpeciebus. Reſpondeo eſſe profundum aut profunditatem potius non tuam tamen, quia nimirum tua illa, ſive illa quæ communiter ponitur tertia ſpecies quantitatis eſt excluſiva corporis, illud non,ſed è contra incluſivum ejus, adeoque.

Hæc autem non intendo ita determinare,quin relinquam alteri partem ſuam probabilitatem de mente Doct. imò majorem,quàm iſti; volui tamen hanc firmare, ne quid infirmum apud Subtilem inveniretur: Proinde

5. Dico idipſum de motu,quòd ſcilicet cenſeri poſſit inter ſpecies quantitatis, aut ipſe aut aliquid ipſius. Moveor, quia video motum extenſum & contractum; video v.g alterationem aut lationem diu durare, quæ etiam poſſet brevi durare,ſeu cito expediri; nam calor quem ignis producit in ligno viridi lentè & moroſè, eundem produceret cito & breviſſimè in ligno arido aut ſtupa. Item quod jam ego ago lentè poſſem feſtinanter agere, & adquirere eundem terminum minori duratione; ex quibus ſic arguere poſſum: alteratio & latio habent aliquid,quo extenduntur per ſpacium, ita ut una pars propellat aliam ne ambo ſint ſimul, ergo ſunt quantæ; quidni enim ſi continuum permanens eſt quantum eo quod extendatur per ſpacium loci, ſic ut una pars ejus expellat aliam, ſive, cur extendere partes alicujus per ſpacium loci erit quantitatis effectus, non autem extendere per ſpacium temporis aut durationis? quin potius quia ſpacium commune eſt ſpacio loci & temporis, & ambo illa ſunt duæ ſpecies ejus, judicandum eſt extenſionem quoque per ſpacium temporis eſſe ſpeciem diverſam ab extenſione per ſpacium loci De induſtria non dixi motum eſſe ſpeciem quantitatis, ſed aut ipſum aut aliquid ipſius, quia nimirum video partes motus poſſe eſſe ſine eo quod ſint quantæ, aut ſaltèm ſine eo quod ſint tantæ; nam quum percurro idem ſpacium cito, habeo eaſdem partes motus, ſive tot quot habeo quando percurro ipſum lentè (eo quod partes motus numerentur ad numerum partium ſpacii, ſpacium autem ſemper eſt idem) non tamen habeo eas tantas ſive tam extenſas, adeoque ſicut judico quantitatem permanentem eſſe quid ſuperadditum ſubſtantiæ eò quod videam ipſam ſubſtantiam ſine quantitate aut quantitatem ſine ipſa, ſic ſimiliter quia video motum poſſe eſſe nec eſſe tantum judico tantitatem, ſive extenſionem ejus eſſe aliquid diſtinctum ab ipſo. Unde non approbo abſolute motum ipſum eſſe ſpeciem quantitatis, ſed aut ipſum aut aliquid ejus hoc eſt aliquid afficiens ipſum.

6 Objicies: Extenſio illa motûs non eſt aliud, quàm duratio ejus. At vero duratio motus non poteſt eſſe in genere quantitatis, ergo. Major eſt evidens, minor autem probatur ſic: Duratio rei non diſtinguitur ab ipſa re quæ durat, atque ita ſi motus non ſit ſpecies, nec extenſio ejus eſſe poterit.* Suppono autem motum non eſſe in genere quantitatis quum Philoſophus expreſſè repoſuerit ipſum inter poſtprædicamenta, & ſi forte in prædicamentis ſit, pertineat potius ad actionem vel etiam ad paſſionem ut colligitur ex D. (b) ergo. Reſpondeo: Nolo hîc (b) 4 d. 12. q. 1. n. 6.
involvi peregrinis difficultatibus, abſtraho ergo ab eo an duratio rei ſit ipſa res, de quo infrà apol. ultima, vel certè in phyſica ex profeſſo, pro nunc dico majorem eſſe falſam ſi minor ſit vera; ſi enim duratio identificatur rei duranti, tum extenſio illa non eſt duratio motus, evidens enim eſt extenſionem illam eſſe quid diſtinctum à motu, quia motus v. g. poteſt eſſe ſine illa extenſione, ſecundò dico, etſi demus ita eſſe quod duratio motus ſit ipſe motus, adhuc extenſio illa erit quantitas,non enim ex hoc ſequitur, niſi ad ſummum quod ſit in alio prædicamento; hoc compatibile eſt cum eo quod ſit quantitas, quum non ſit tam indubitatum quod prædicamenta omnia ſint realiter diſtincta, & una res non poſſit eſſe in duobus prædicamentis: Certè paternitas divina eſt veriſſima relatio, & tamen eſt certiſſima ſubſtantia.

De Tempore idem cenſeo, quod de motu, propter quod nihil hîc aliud addendum occurrit,eò magis quod in phyſica erit de illo ſeorſim & fusè tractandum, ſit ergo

ACTIO

ACTIO VI.

De Numero & Oratione ſpeciebus Quantitatis diſcretæ.

Breviarium.

N. 1. *Methodus Recentium. Mens Scoti hic.*
2. *Numerus neque eſt ſpecies quantitatis, neque omnino quid unum. Probationes tres hujus.*
3. *Quarta & ingenioſa probatio hujus partim ex* Doct. 4. Met. q 9.
4. *Replica contra hanc rationem, refutatur.*
5. *Duæ aliæ rationes pro Concluſione.*
6. *Objectio, ſæpius ſoluta. Numerus an & quomodo objectum arithmeticæ.*
7. 8. *In quo prædicamento reponendus numerus?*
9. *An Oratio ſit ſpecies Numeri?*

1. NUnc dierum authores ducunt ſibi laudi de his nihil dicere, ſive quia difficultatem ſuperare non poſſunt, propter quod quaſi contemnunt eam, ut ſine nota ignorent; ſive quia revera puerilis eſt, & ab Ariſtotele in vulgi gratiam tractata. Faciam cum Scoto, quod eſt, breviter reſolvere ad mentem ejus duo hæc: unum, an numerus ſit unum per ſe, ut poſſit eſſe ſpecies ullius generis? alterum, an pertineat duntaxat ad genus quantitatis, ita ut ſola entia quanta & corporalia numerum facere poſſint?

De mente *Doct. noſtri* res eſt etiam anceps, propter quod Maſtrius cæteroqui accuratus veſtigator ejus in nullam partem eum citavit. Merin. tamen auſus eſt eum pro affirmativa parte citare, ſed immeritò, ibi enim non dicit, niſi quòd numerus ſit magis unum quam acervus, quod certum eſt verum eſſe poſſe, quamvis non eſſet per ſe unum, nam & concretum accidentale, v.g. album magis unum eſt quam acervus, non tamen eſt per ſe ſed accidens unum. In 1. autem *d.22. q.un.Sco.* cum præmiſiſſet dubium de eo an numerus eſſet ens per ſe unum, nec ne? Subdit tantum. *Quod horum verum ſit aliàs videbitur*, atque ita licet per ipſum quod voles ſentire, ut patet tum ex his, tum ex 4. *Met. q.2.*

(*a*) Aureol. 1. *d.2.q.13.* *Met. cap.* 3. Euclid. (*b*) Ock. 1. *d.24.q.2.* Greg. *ib.q.2 art.2.* Soto *in* 1. *phyſ.q* 3. Conymb. *hic q.* 2. Horiſ. *diſp.* 6. *q.* 5. (*c*) 3 *phyſi. cor.text*, 63.

2. Volo autem numerum neque eſſe per ſe unum, neque, ſi eſſet, reſtringi ad genus quantitatis; favet Ariſt. (*a*) atque etiam Euclides *lib* 7. *def.* 2. dum dicunt numerum eſſe multa aut plures unitates, & (*b*) alii claſſici.

Probo primò, quia ex entibus completis non reſultat per ſe unum, numerus reſultat, ergo. Major eſt ſenſus omnium, Minor eſt evidens quia duo homines faciunt numerum, imò & duo Mundi duo tota, & tamen (*c*) *idem eſt totum quod perfectum, aut penitùs, aut proxima natura.*

Secundò, quia duo entia in actu non faciunt per ſe unum, quod etiam dicere poſſumus de duobus entibus in potentia; tamen quæcumque ex his faciunt numerum, nam duæ formæ, etiam duæ entelechiæ, duæ ſunt, & numerum faciunt quum ſint ipſi actus in abſtracto; item duæ materiæ, quæ ſunt totidem potentiæ, & quidem puræ.

Tertiò, quia ex rebus ejuſdem ſpeciei non fit per ſe unum, aliàs duo genera & duæ differentiæ facerent per ſe unum. Fit tamen ex his numerus, jam enim audita ſunt in hoc ipſo argumento duo genera, duæ differentiæ: quod magis urgebit, ſi reducantur ad inſtantias dicendo, duæ animalitates, duo rationalitates.

3. Quartò ſubtiliſſimo argumento, quod tetigit Doct. 5. *Met q.9.* ex parte, & deſcripſit deinde Amicus *in Log. tract.* 24. *de Quantitate* nullâ Doctoris mentione factâ: ſi enim numerus ſit aliquod unum & non tantum res ipſæ aut naturæ, ſequitur non poſſe poni ullum numerum quin ponantur infiniti, quod ſine dubio eſt abſurdum, ſed probatur ſequi (paulo aliter quam habet Doctor) ſic: Sint duo homines, habemus unum numerum, qui eſt dualitas ex quo ſequitur quod hic ſint tria, atque adeo ſecundus numerus, probatio ſequelæ, quia nimirum eſt dualitas hominum præterea autem eſt tertia unitas numeri, etenim numeros ſecundum hanc viam eſt quid unum, atque ita jam habemus trinitatem qui eſt ſecundus numerus; hæc autem trinitas cum ſit unus numerus addit præcedentibus unitatem quæ cum aliis tribus facit quaternionem, & ſic aſcendendo, ſemper invenies in uno numero infinitos numerus: hoc autem ſine dubio abſurdum & intolerabile eſt, quod ſcilicet non poſſit haberi unus numerus quin habeantur omnes, atque ita poſito uno numero quantumvis minimo ſtatim reſultet infinitas entium, ergo. Poſſet reſponderi numerum eſſe quid unum, nec tamen ſequi hunc proceſſum infinitum, quia nimirum illud unum eſt illæ partes, ſeu, ut rectius dicam, eſt conflatum ex illis partibus, ſicut totum integrale, & ſecundum multos totum phyſicum non eſt quid diſtinctum à partibus, & tamen eſt unum.

4. At enim reſponſio hæc locum habet fortè in inſtantia adducta; in caſu propoſito non habet, quod ſic libet oſtendere: unum, quod eſt numerus dualis duorum hominum aut eſt quid tertium & ſuperadditum duobus illis hominibus eo modo, quo Scotiſtæ credunt totum phyſicum eſſe tertiam quandam entitatem, aut eſt unum aliquid ex duobus componentibus dualitatem, aut denique eſt unum quod ſit æquè primò illa duo: ultimum hoc eſt intolerabile, quia contra ipſum ductum rationis, eſt enim dicere unum aliquod eſſe plura quà talia, & plura quà plura eſſe unum, quæ eſt manifeſta pugna terminorum. Primum eſt intentum, nam ſic ſequitur certiſſimè infinita illa ſeries numerorum (ac non tantum ſimplicium entium) in inſtanti; & tamen aliquid horum eligendum eſt, ſecundum enim membrũ ſupra nullatenus prætendi poteſt quia unum illud eſt numerus ex hypotheſi, at vero nulla ſimplex unitas poteſt facere ſe ſolo numerum, unde unitas arcetur à numero, & dicitur eſſe principium numeri, & oppoſitum eſſet, ac ſi quis diceret punctum eſſe continuum, nam

unitas

unitas ad diſcretum ſe habet, ſicut punctus ad continuum, ſcilicet ut merum indiviſibile, ergo.

5. Sit quinta probatio, quia nulla una ſpecies per ſe poteſt componi ex alia, alioquin alia illa non eſſet ſpecies, ſed pars ſpeciei: atqui unus numerus poteſt componi ex alio, imò omnis numerus minor eſt pars majoris ſecundum Euclid. *lib. 7. defin. 3.* v. g. ternarius eſt pars quaternarii, & hic quinarii, & ſic de cæteris aſcendendo.

Euclides.

6. Sextò, quia, ubi non eſt unio, non eſt unum in numero ſeu inter unitates quæ faciunt numerum non eſt unio, ergo non eſt unum. Sed ad hoc & ſimilia, veluti ad ſecundum ſupra putant ſe reſpondere patroni numerorum dicendo quòd vera ſint aſſumpta illa de uno continuo aut metaphyſico, non vero de uno nec de toto diſcreto, qualis eſt numerus, adeoque ſed revera reſponſio mirabilis eſt, ſi enim in genere diſcreti ſit unum ſine unione quæro quomodo ſit diſcretum ipſum? nunquid per unionem? anne unum fieri poterit ſine unione diſcretum autem non poterit? Imo ſecundum hanc viam non poterit dari multitudo aut pluralitas in genere diſcreti, quia nimirum omnia quantumvis avulſa & ſeparata, ſunt unum, adeoque non relinquitur locus multitudini, atque ita ne quidem in multis eſt multitudo, & diſcretum ſeu multitudo non eſt in genere diſcreti, adeoque nec in rebus (certè enim non in genere continui) quæ omnia ſunt paradoxa, ergo.

Objicitur Ariſtoteles: Sed jam retorſi hominem in hoſtes oſtenſo, quòd nobiſcum ſentiat, quod etiam uberius facit Rec. citatus probatis aliis locis ejus quæ mihi non lubet deſcribere longè gravior eſt Objectio ex Arithmetica, quæ cùm ſit ſcientia debet eſſe de ente per ſe, eſt autem de numero tanquam de objecto, ergo. Augetur difficultas utcumque per muſicam quæ eſt etiam ſcientia, atque etiam de numero ut patet, ergo. Hoc argumentum ſemper moleſtum fuit adverſariis numerorum qui proinde conati ſunt hàc & illac vadendo evadere. Sed inprimis nemo moveri debet uno medio quantumvis, irrefragabili contra plura ejuſdem valoris; adduximus autem ejuſmodi aliquot ſupra pro nobis contra numeros qui ferè hoc ſolo nituntur, ergo. Deinde oſtendam paulatim argumentum non valere quantum ſonat. Inprimis enim objectum ſcientiæ realis non ſolum debet eſſe per ſe quomodocumque ſed debet eſſe per ſe reale: at vero Arithmetica non exigit neceſſariò hujuſmodi realitatem, nam omnes ejus demonſtrationes æque procedunt de non entibus, v. g. de umbris, nam proportio ſeſqui altera v. g. quæ eſt inter duo & ſex eſt inter duas & ſex umbras, & ſic de cæteris; quod etiam paulo clarius eſt in ſcientia morali quæ abſolutè eſt de non ente aut de ente rationis, nam omne reale quod eſt in actibus voluntatis ad phyſicam ſpectat. Deinde paſſiones quas demonſtrat Arithmetica conveniunt etiam aggregato, quod minus unum eſt quam numerus; nam aggregatum prorum v. g. acervus eſt major & minor alio, eſt alteri æqualis, vel inæqualis. Denique reſpondeo numerum & alia quæ ſunt entia per accidens poſſe eſſe objectum ſcientiæ quâ demonſtratur paſſio complexa, etſi non poſſit eſſe objectum ſcientiæ, qua demonſtratur paſſio ſimplex, quod valde rationabiliter dicitur, ut ſicut ſubjectum paſſionis non eſt ſimplex ſed importat primo plura, ita etiam paſſio demonſtranda de ipſo habeat partes reſpondentes ſubjecto. Unde exiſtimo æqualitatem unius numeri ad alium eſſe quid diviſum per ſingulas unitates, quæ reſpiciunt unitates alterius numeri ſuâ quæque parte. Atque hæc eadem probant.

7. Alterum, quod dixi in concluſione, ſcilicet numerum non eſſe affixum generi quantitatis, quia nimirum numeramus res non quantas, hoc eſt non corporeas, quod evidens eſt in umbris, in Angelis & animabus, imò & in Deo, in quo tres perſonæ ſunt (ſed de hoc non auſim dicere quòd ſit numerus totaliter prædicamentalis: ex quibus alterum argumentum ſic conficio.

Numerus eſt res numeratæ, non autem aliquod tertium ſeu ſuperadditum: atqui res numeratæ non ſunt ſemper quantitas, ergo. Major jam ſuprà fuſiſſimè oſtenſa eſt in priori parte concluſionis; minor patet in duobus hominibus, qui non ſunt in prædicamento quantitatis, ſed in prædicamento ſubſtantiæ.

Atque hinc patet ineptia eorum, qui volunt numerum eſſe affixum quantitati, quia ſit ex diviſione continui; Hæc enim omnia everto hoc unico medio ad homines. Nam ſaltèm numerus ipſe non eſt de genere continui, ſed de genere diſcreti, & tamen ex numeris ſit numerus, dantur numeri numerorum; dicimus enim duos binarios, tres trinitates novem ogdoades, tot decades. Itaque illud Ariſtotelis non eſt univerſale ſed indefinitum. Denique redeundo ad ſuprà tacta, paſſiones numerorum æque competunt multitudini non quantæ ac quanti, v. g. novem choris angelorum, ac totidem elementis, aut mixtis.

lib. 3. phyſic.

8. Imò neſcio, an numerus ipſe materialium ac quantorum pertineat ad prædicamentum hoc quantitatis. Cauſa, quia, quantum hoc eſt diviſibile in ea quæ inſunt; at vero numerus non eſt diviſibilis, ſed diviſus, ergo.

Crederem tamen poſſe omnia hæc etiam numeros ad prædicamentum quantitatis pertinere ſeu reduci, dummodo quantitas non reſtringatur ad materiam, ſed comprehendat omne quomodocumque extenſum, id eſt omne propellens partem ſui extra aliam partem, quæ eſt quædam impenetrabilitas, & convenit omnibus omnino, nam in numero angelorum ſecundus Angelus debet eſſe extra primum alioquin non facerent duos angelos ſed uterque unum. Jam de oratione breviter.

9. Dico non eſſe omnino certum, quòd ſit ſpecies numeri: alia tamen duo de illa certa quodammodo eſſe; unum, quòd ſit quanta; alterum quod non ſit per ſe unum quid quatenus diſcretum.

Motivum pro primo eſt, quia numerus eſt quantitas diſcreta ſecundùm aſſertores ejus, at verò oratio non eſt tam certo quantitas diſcreta, quia oratio ſalvatur in una voce conſtante pluribus ſyllabis ut videas apud Ariſtotelem 1. *Per* at vero novimus unam vocem poſſe eſſe continuam.

Secundi motivum eſt, quòd in oratione ſit extenſio, longitudo & brevitas; menſuratur enim ſyllabâ longâ & brevi; iſte autem eſt character quantitatis. Ratio tertii eſt, quâ probavi numerum non eſſe unum quid, ſic enim, ſcilicet diſcretè ſumpta oratio eſt numerus: ideo autem excepi illam ut diſcreta eſt à ratione unius per ſe, quia tenendo unam vocem pronunciari poſſe continuè ſi continuum ſit per ſe unũ, oratio erit.

ACTIO VII.

An pondus ſit ſpecies quantitatis? Item an calor?

Breviarium.

N. 1. *Plauta Veterum. Pondus non eſſe quantitatem probatur tripliciter.*

2. *Objectio. Vnde pondus dicatur æquale?*

3. *Objectio altera, ſoluta Vtrum pondus augeatur extenſione an intenſione?*

4. *Inſtauratur objectio ſemel & iterum. Motus intenſior ad centrum an ab intenſiori gravitate?*

5. *Solutio: non ſufficiens. Vltimate ſolvitur argumentum totum.*

6. *Afferuntur rationes pro calore conſtituendo in genere quantitatis.*

7. *Definitur tamen contrarium ſive calor non eſſe quantitas.*

8. *Inſtatur pro quantitate ex noſtris ipſorum principiis. Calorem habere aliquid quantitativum.*

Barthol. Amic. *tract.* 14. q. 3. *dub.* 1.

1. Affirmativam partem tenuiſſe Simplicum & Architam tradunt Recentes aliqui hîc, quod revera mirum eſt, etenim ſi quærerentur illi, an gravitas ſit ſpecies quantitatis, nunquam affirmarent, & tamen pondus idem eſt quod gravitas, & grave idem quod ponderoſum, nihilominus idipſum poſtea tenuit Sotus, qui pondera numeravit inter ſpecies quantitatis continuæ.

Reſpondeo ergo ad titulum negativè. Ita Alex. apud Simplicium citatum. Ratio jam tacta eſt, quia pondus eſt gravitas, hæc autem eſt qualitas, non verò quantitas, ergo.

Præterea pondus augetur intenſione, non extenſione, nam contingit rem minoris extenſionis eſſe magis ponderoſam: ſic lamina plumbi gravior eſt tabulâ majori, & nummus aureus gravior magno vellere lanæ. At verò hoc eſt augmentum qualitatis, non quantitatis, ergo denique pondus eſt qualitas non quantitas.

Tertiò moveor ad hoc, quia contingit unum corpus cum eodem numero quantitate eſſe modò gravius modò minus grave, ſi autem pondus eſſet ſpecies quantitatis, id non contingeret, quod tamen apparet cuilibet experientiâ corporis vivi & mortui, nam corpus mortuum multò magis ponderoſum eſt quàm dum fuit vivum. Certum eſt autem corpus vivum & mortuum habere non ſolùm parem aut æqualem quantitatem, ſed eandem, quia differunt tantum per animam quæ non eſt quantitas.

Dici poteſt hoc argumento probari, quòd pondus nequidem qualitas ſit, quia nimirum corpus vivum & mortuum differunt ſolâ ablatione animæ quæ non eſt qualitas, ſicut nec eſt quantitas. Si dicatur, quod anima non ſit quidem qualitas, tamen aliquæ qualitates comitentur eam accedentem & recedentem, poſſet adverſarius dicere quod etiam anima non ſit quantitas, tamen aliqua quantitas comitatur eam. Standum tamen eſt argumento poſito, & dicendum quamdiu ſumus in quæſtione intellectuali & metaphyſica, ſtandum eſſe ſenſibus: Senſus autem judicant in vivo & mortuo eſſe eandem quantitatem, diverſas tamen qualitates.

Denique quantitas convenit rebus ratione materiæ, pondus non, aliàs in habentibus tantundem materiæ eſſet idem pondus, quod falſum eſſe patet experientiâ & ratione ſuprà factâ in principio.

2. Objiciunt aliqui: Pondus dicitur æquale vel inæquale, hæc autem ſunt propria quantitatis. Reſpondeo hoc argumento probari, quòd etiam qualitas ſit quantitas, item, quòd ſubſtantia, quod motus, relatio: & præterea, quod intra idem genus una ſpecies eſſet altera. Cauſa omnium eſt, quia denominationes unius generis horum tribuuntur aliis; dicitur enim magnus calor, parva diſſimilitudo, & ſimilia, in quibus affectio quantitatis, imò ratio formalis ejus tribuitur ſubſtantiæ & relationi *pſ.* 146. (a) *Sapientiæ ejus non eſt numerus.* (a) *verſ.* 5. Ibi numerus quod eſt quid diſcretum accommodatur ſapientiæ quod eſt continuum, aut quaſi continuum certiſſimè. Denique ad menſurandam profunditatem accipimus lineam, cùm tamen linea & profunditas ſint diverſæ & diſparatæ ſpecies. Itaque contingunt iſta propter imperfectum modum concipiendi hominum pro hoc ſtatu, in quo aliqua ſunt aliis notiora, & propterea applicantur à nobis ad cognoſcenda alia quæ habent ſuas menſuras proprias; ſed difficiliores cognitu quam ſint externæ iſtæ. Melius ergo

3. Objicitur oppoſitum rationis ſuprà factæ ſic: Si pondus eſſet qualitas incrementũ ejus fieret tantùm per intenſionem, at verò non eſt ita, ſed fit per extenſionem, nam tabula latior eſt ponderoſior cæteris paribus quàm tabula minùs lata & multùm lanæ plus ponderat quàm parum quod etiam in quacumque materia contingit, ergo falſum eſt pondus eſſe qualitatẽ. Saltèm malè negatur eſſe quantitas propter hoc & ſimilia. Reſpondeo negando minorem & probationem ejus: dico ergo tabulam latam eſſe majus ponderoſum, non autem magis ponderoſum, quia ſcilicet in tabula magna ſunt plures partes quæ habent gravitatem æqualem gravitati parvæ tabulæ, nulla autem pars eſt quæ habet intenſiorem gravitatem quàm ſit gravitas tabulæ parvæ. Sed contra hoc

4. Inſto ſic: Tabula illa magna dimiſſa in puteum ſimul cum tabula illa parva citiùs deſcendit, hoc autem eſt ſignum majoris ſeu intenſioris gravitatis, nam motus deorſum cauſatur à gravitate, & motus intenſior ſeu velocior à majori ſeu intenſiori gravitate: quum ergo tabula magna velocius moveatur, fatendum eſt, quòd ſit intenſius grave: vel, ſic poteſt inferri conſequentia, neceſſariò dicendum eſt in eo caſu eſſe plus ponderis in tabula majori; atqui non eſt plus intenſionis, ut ſic dicam ergo pondus non creſcit per intenſionem.

Vrgetur argumentum, & probatur, quòd tabula magna non ſit tantum modo majus ponderoſum, id eſt idẽ pondus repetitum pluries in pluribus parti-

partibus, quia, ſi dividatur tabula magna in plures partes, quarum quælibet ſint æquales parvæ tabulæ non deſcendent omnes partes illæ neque ulla una ante parvam tabulam, & tamen ibi eſt majus ponderoſum, & eſt gravitas tabulæ repetitæ in illis partibus ſeparatis, non minùs quàm erat quum forent conjunctæ. Unde ultimè poſſum ſic proſequi argumentum: Quod creſcit per ſolam continuationem eſt quantitas; pondus creſcit, ergo. Major patet quia qualitas non augetur ſolâ continuatione, nam albedo extenſa per murum non eſt eo intenſior; Minor autem patet experientiâ illâ.

5. Reſponderet aliquis ſufficere ad intenſionem plures gradus ſimiles, nec requiri plures, quorum unus excedet alium, adeòque tabulam magnam fore graviorem, quia habet plures gradus ſimiles, quum parva habeat parvos. In quo etiam allata videtur diſparitas inter tabulam integram & partes illius jam diviſæ, quia gradus gravitatis tabulæ magnæ ſunt in uno, gradus autem partium ſunt in pluribus ſubjectis.

At enim hoc eſt nihil dicere; ſufficiunt quidem plures gradus ejusdem intenſionis ad reddendum ſubjectum magis tale, ut patet in lumine, ſed illi gradus debent eſſe in eadem parte ſubjecti, quod non ſervatur in tabula aut ſaxo magno, nam nulla una pars habet omnes gradus quantitatis, ſed quælibet ſuam. Reſpondeo ergo ultimàtè bene ſupra reſponſum eſſe quòd non ſit ibi magis grave ſed majus. Ad primam inſtantiam dico per eam bene probari, quod ibi ſit magis ponderoſum efficienter, non autem magis formaliter ponderoſum. Deſcenſus enim non provenit formaliter à gravitate ſed efficienter, at verò ad efficientiam ſufficit unio, etiam non continuativa nam duo homines vel duo boves plus faciunt etiam in ordine ad motum, velocius enim trahunt currum aut navem quam unus; ex quo patet in forma ad hoc & reliquum argumentum, & hæc hucuſque de pondere.

6. Nunc ſubit mihi dubitare de alio aliquo reponendo in genere quantitatis, & eſt calor. Ratio dubitandi eſt, quia effectus formalis & conſtitutivus quantitatis videtur ei planè competere, maximè vero ille, qui communiter à noſtris Scotiſtis aſſignari ſolet quantitati. Aſſignari enim ſolet exigere extenſionem partium quod ideo dicitur quia actualiter extendere non poteſt et aſſignari pro ratione conſtitutiva, quandoquidem hæc ſit inſeparabilis ab ea, ſicut univerſaliter eſſentia cujuslibet eſt ab eo inſeparabilis: at verò actualis extenſio ſeparabilis eſt, & actu ſeparatur ab ipſa in corpore Chriſti in Euchariſtia, ubi ipſe habet totam quantitatem ſuam, non habet autem totam extenſionem, imò nec ullam: relinquitur ergo quòd ratio conſtitutiva & effectus formalis quantitatis ſit exigere extenſionem, ſive eſſe principium connaturale ejus. At vero palam eſt hoc competere calori: ipſa enim enim extendit connaturaliter partes ſubjecti ſui, ab eo enim provenit rarefactio, ut patet in lacte & aliis humoribus qui calefacti rareſiunt & occupant plus loci, adeoque habent partes magis extra invicem poſitas. Nec valet ſi dicas poſſe etiam corpus calefactum & rarefactum poni in indiviſibili loci, quod patet ex eodem myſterio Euchariſtiæ in quo corpus Chriſti poneretur indiviſibiliter, licet in eſſe naturali foret rarefactum (quod fortaſſe contigit in prima conſecratione ejus) non, inquam, hoc valet ad evadendam vim argumenti, nam non requiritur ad effectum quantitatis, niſi quòd ſubjectum det connaturaliter exigere poſitionem partium extra ſe invicem, quod jam vidimus competere calori, licet ſupernaturaliter impediri poſſit.

7. Huic argumento ſolvendo maximè opportuna eſt ſententia eorum, qui ponunt rarefactionem fieri per acceſſum novæ quantitatis ſcilicet per introgreſſum corpuſculorum intra partes corporis rarefacti. Tum enim calor non dat ulli rei plus loci occupare jam quàm ante, nam in hac ſententia novus locus non occupatur à partibus corporis rarefacti, quaſi illæ plus loci occupent jam quam antè occupabant, ſed occupatur à corporibus introgreſſis ſeu interpoſitis: at vero quia hæc explicatio rarefactionis per corpuſcula interpoſita, magis materialis quam philoſophica eſt, & proinde fortaſſis ſuo loco reprobanda; aliter reſponderi poteſt in ſententia quæ ponit rarefieri corpora ſine aliis intermixtis, quod adhuc calor non ſit quantitas, nec competat ei effectus formalis hujus, quia nimirum calor etſi exigat extenſionem partium, tamen non exigit impenetrabilitatem earum. Etenim poſtquam res rarefacta eſt per calorem, calor non impedit quo minus deinde ſit ſimul cum alio corpore.

8. Dices ex ſuprapoſitis non poſſe quidquam exigere extenſionem, niſi quod exigit impenetrabilitatem ſuarum partium ab invicem; nam pars, quæ trudit aliam partem ſine dubio exigit aliam illam quàm trudit eſſe extra locum ſuum, ideo enim trudit ipſam quia non vult eam admittere ad locum ſuum. Reſpondeo: Etſi ita foret, adhuc calor ille non eſſet quantitas, quia hæc reddit impenetrabile à quocumque corpore, tam ſuo quam alieno; calor autem non ſecundùm te; ſed tantum ab alieno. Deinde nec à ſuis quidem reddit impenetrabile, quia ſi replicaretur illud corpus rarefactum calor non obſtaret ne penetraret ſe, vel ne poſteriores partes penetrent priores, ſed tantum exigit aliqualem diſtantiam inter duas partes vicinas, quod non eſt abſoluta impenetrabilitas, ſed quia habet ſpeciem aliquam ejus, non auſim negare calori omnem omnino rationem quantitativam, prout quantitas à nobis pro hoc ſtatu explicari poteſt.

De genere quantitatis.

Poſt Ariſt. *in Prædic. cap* 3 *&* 5. *Met. cap* 13. *Archit. apud ſimplic. in Prædic.* Albert. mag *tract* 8 *cap* 1. D. Thom. *opuſc* 52. *& in* 1 *d.* 19 *art* 1 *&* 1. *p. q.* 10 *art* 2. Ock *in Log. art* 5. *& in tract. de Euchar.* Dur. 1. *diſt.* 34. *q.* 1. Major. *&* Godfr. 2. *d* 12. *q.* 2. Gab. *d.* 10 *q.* 1. Anton. Andr. 5. *Met. q.* 10. Nyph. *diſp.* 9 Gandav *q* 9 Venet. 12. *Metaph apud Capr.* Paul *ſcriptor.* 1. *d* 24. *q un.* Cajet. *in cap de quant. text.* 1. Capr. 2. *d.* 3. *q.* 1. Soncin 5 *Met q.* 21. Javellus *q.* 20 *Lovanienſ. in expoſ cap. de quantitate.* Ferrar. 1. *Phyſ q.* 4. Flandr. 5. *Met. q* 14. Rodriq. *in q.* 17. Doct. *art.* 1. Rub. 1. *Phyſ c.* 3. *q.* 2. Lycher. 2. *d.* 2. *q.* 9. Joann. de Colon. *verb. metu.* Tartara *in cap. cit.* Briſen. *contr.* 2. *de unit Dei art* 3 *n.* 24. Murcia *diſp.* 2 *q.* 3. Meriner *in cap de quant.* Sanch. *lib.* 5. *Log. q.* 15. Nugno 3. *p q.* 76. Araujo 5 *Met. q.* 3. Gab. Vaſq. *tomo* 3. *in* 3 *part diſp* 190 Gallego *contr.* 24. Didac. à Jeſu *diſp.* 13 *q.* 5. Franc. Suarez *diſp.* 40. *Met.* Martin. *in cap de quant. diſp un. q.* 1. Torrejon *diſp* 2 *q.* 1. Caber *diſp* 2. *dub.* 1. Conymb. *in dictum cap. prædic.* Ariſt. *Complut. diſp* 13. *Log.* Rap. Averſa *q.* 18.

APOLOGIA VI.

De Qualitate.

ACTIO I.

Quæ eſſentia Qualitatis ut ſic?

ACTIO II.

De diviſionibus & ſpeciebus Qualitatis.

ACTIO III.

De Proprietatibus Qualitatis.

Scotus 4.diſt.6.q.10.n.14.

VEruntamen iſtud poſſet habere aliquam probabilitatem de una alia forma, quia ſecundùm veritatem illa diviſio qualitatis in quatuor ſpecies non eſt propriè generis in ſpecies; ſed eſt ſecundum quoſdam modos diverſos convenientes diverſis qualitatibus, & forte eidem qualitati in ſe ſecundum eſſentiam poſſent competere plures modi, qui ponuntur in diverſis qualitatibus.

Idem tractat de rerum principio, q.19. tomo 3.

IN individuis autem, ut dicunt aliqui, non eſt quærendum, quòd unum ſit menſura alterius; quia, ut dicunt, nihil reale addunt individua ſuper ſpeciem, nec in ipſis eſt ordo dignitatis naturalis. Ideo dicunt, quod unum non eſt menſura alterius, quod omnino æſtimo eſſe falſum & fortè erroneum, quia anima Chriſti nobiliori modo participat naturam ſpeciei quam aliqua alia, & ſemper individua ejuſdem ſpeciei ſecundum diverſos gradus majoris & minoris perfectionis naturam ſpeciei participant, nec ſunt duo individua ſecundum æqualem gradum perfectionis participantia naturam ſpeciei.

ACTIO I.

Quæ eſſentia qualitatis ut ſic?

Breviarium.

N. 1. *Doctrina Ariſtotelis inepta.*
2. *Doctrina Aquinatis improbata.*
3. *Definitiones Qualitatis apud Recentiores.*
4. *Aſſignatur duplex modus explicandi rectè qualitatem.*
5. *Replicatur aliquoties contra ſecundam definitionem.*
6. *Ingenua confeſſio, quòd necdum plenè explicata ſit qualitas.*

1. OMnes paſſim conqueruntur de hujus rei difficultate, quam etiam Ariſtoteles facto ſuo ſatis teſtatam reliquit, quando in ea definienda rotundum circulum deſcripſit dicens *qualitatem eſſe, quâ quales dicimur*, aut (ut mitius dicam) ignotum per æque ignotum, & quaſi idem per ſe ipſum definivit. Utique enim, etiam quale à qualitate dicitur quod & ipſe Ariſt. in eodem capite tradidit Et licet PP. Complutenſ. (a) pro reverentia antiquitatis conentur eam defendere, ſed fruſtra laborant, nam quocumque ſe vertant, nihil ferè per illam & illiuſmodi definitiones diſcetur, aliàs licebit mihi definire hominem quod ſit quidpiam humanitate conſtitutum, & ſimilia quibus eluderem auditori.

(a) *diſp.*15. *q.*1.

2. Scotus noſter (ait (b) *Merinerus*) de hac re nihil diſputavit: *Aquinas* autem dupliciter qualitatem deſcripſit, primò, quòd ſit *diſpoſitio* (c) *ſubſtantiæ*: & in hoc vult eam contraponi quantitati, quam dicit eſſe menſuram ſubſtantiæ. Aliter eandem definit (d) quòd ſit *modus ſubſtantiæ*; ad quod explicandum adhibet definitionem *Aug.* ſuper Geneſin ad litteram, quod ſcilicet modus ſit ille, *quem menſura præfigit*; utramque harum magno conamine defendunt Compl. & dicunt utramque eſſe optimam, ſed neſcio quomodo poteſt utraque eſſe optima, ſi una contradicit alteri. Prima vult qualitatem eſſe diſpoſitionem quæ eſt quid contrapoſitum menſuræ: Secunda vult eam eſſe modum qui coincidat cum menſura de mente Auguſtini quam D Th. approbat & ſequitur.

(b) *de qual. diſp. unic. q.* 2.
(c) 1.*p.q.*28 *art.*2.
(d) 1.2.*q.* 49. *art.*2.
Tomo 3.*l.*4. *cap.*3.

3. Ita patet rei difficultas, quam etiam ſequentes confirmaverunt, tot enim ſunt definitiones, quot definitores omnes ferè vitioſæ. Aliquis

Hurt. quis diffinit qualitatem eſſe: accidens abſolutum à quantitate diſtinctum quod veriſſimè dictum eſt, ſed inſufficienter, nam expreſſit ſolum, quod certum fuit, ſcilicet qualitatem eſſe accidens abſolutum; tacuit autem, quod fuit in controverſia ſcilicet effectum formalem & propriam differentiam qualitatis, non enim iſta conſiſtit in non eſſe quantitatem, ut certum eſt, cùm hoc ſit quid negativum & ſi prætendat *diſtinctionem*, in qua poſuit differentiam qualitatis eſſe quid poſitivum, dico non poſſe hanc diſtinctionem eſſe differentiam, & immediatè afficere rationem accidentis abſoluti in qualitate, nam in hoc convenit qualitas cum quantitate, ita debuit interponi aliquid inter rationem accidentis abſoluti & diſtinctionem qualitatis à quantitate, à quo abſoluto diſtinctio illa oriretur. Itaque hæc definitio dicit quid non ſit qualitas quoad rationem propriam, de qua quæritur, non verò quid ſit? atque ita vitioſa eſt non minùs quam definitio hæc voluntatis quòd ſit potentia ſpiritualis animæ quæ non eſt intellectus, ut bene notaverunt in ſimili Complutenſes citati Fruſtrà perſequar alias definitiones, quum carpere alios facillimum ſit, difficile autem ita aliquid ſtatuere ne ipſe carparis.

4. Dabo tamen aliquos modos, quibus qualitas utcumque explicari poſſit. Vnus eſt conſequens ad doctrinam ſuprà traditam de quantitate, quòd non ſit quid diſtinctum realiter à ſubſtantia; hoc enim ſuppoſito poterit dici qualitas eſſe accidens abſolutum: uni enim & ſoli qualitati id conveniret, reliqua enim omnia aut ſunt ſubſtantia, & ita non accidens; aut relativa ſecundùm nos, talia enim nobis ſunt ſex ultima prædicamenta, & à fortiori prædicamentum ipſum relationis. Vbi obiter adverto Recentem citatum, qui non videtur hoc ſentire (ſcilicet poſtrema prædicamenta eſſe relationes) non potuiſſe uti iſtâ ſuâ definitione niſi inconſequenter: ſupponendo autem cum communi quod quantitas ſit quid realiter diſtinctum à ſubſtantia, deſcribi poterit qualitas, quod ſit, accidens abſolutum intenſibile ac remiſſibile, & iterum ſic: accidens abſolutum per quod ſubjectum alteratur. Sufficientia primæ deſcriptionis habetur ex eo quod nullum abſolutum eſt intenſionis aut remiſſionis capax, imò nec ullum omnino ſi propriè loquamur, unde etiam omitti potuit, quantum ad hoc illud ly abſolutum, quia nullum etiam non abſolutum intenditur aut remittitur niſi qualitas, ſed quia eſſe abſolutum eſt eſſentiale qualitati, meritò locum accepit in definitione ejus. Quod autem intenſio non convenit abſoluto ulli præter ipſam, patet, quia ſola quantitas eſt abſoluta quæ tamen non eſt capax intenſionis, quum intendi ſit habere plures partes ſui in eadem parte ſubjecti, at verò quantitas non ſolùm non petit aut patitur hoc, ſed etiam reſpuit; exigit enim ut una pars ejus ſit extra aliam & in alia parte ſubjecti. Secunda deſcriptio inde probatur, quia per nullam aliam formam dicitur ſubjectum propriè alterari; quantitate enim dicitur augeri, relatione autem neutrum dicitur pati, imò juxta phraſin antiquorum ad relationem non datur omnino motus.

5. Dices: ablatione qualitatis alteratur ſubjectum, & tamen nihil minùs eſt qualitas quàm ablatio qualitatis. Reſpondeo alterari ſubjectum per qualitatem ablatam non tamen per ablationem; ſicut etiam dicitur alterari per ipſam qualitatem, quando accedit ei qualitas, ac non tantùm per unionem qualitatis ad ipſum. Sed inſtas, ſi ita ſit, tum ablatio qualitatis erit mutatiò poſitiva. Reſpondeo: Non erit, ſed privativa, quia nimirum in recto ablatio terminatur ad non eſſe, obliquè autem ad qualitatem (non enim eſt non eſſe in aëre, aut ſuſpenſum, ſed non eſſe tale, ſive non eſſe hujus formæ determinatæ) quod ſufficit ut qualitas definiri poſſit per alterationem, quia ei ſoli convenit ſic requiri ad alterationem, ſeu non poſſe alterationem fieri aut intelligi ſine ipſa.

Magis facit contra hanc deſcriptionem, quòd ſit ſaltem ſemicirculus, nam quærenti quid ſit alteratio? debemus reſpondere quòd ſit motus ad qualitatem; quo dicto perfectum circulum deſcripſimus definientes qualitatem per alterationem, & alterationem per qualitatem. Sed occurrendum eſt ſicut in aliis ſimilibus, adhibendum eſſe alium conceptum alterationis præter eum qui procedit per qualitatem; ut (concipiendo eam laxè & imperfectè) quòd ſit mutatio abſoluta non extendens rem, ſeu ſupponens magnitudinem ejus.

6. Fateor tamen per has definitiones non explicaſſe me totum, quod vellem, easque potiùs eſſe minùs malas, quàm bonas & perfectas; deſideratur enim ipſe proprius effectus formalis qualitatis ut ſic, & quidem prior illa manifeſtè non explicat ipſam immediatè eſſentiam qualitatis, quia intenſio non poteſt fieri niſi per multitudinem graduum, at verò qualitatis eſſentia habetur etiam in unico gradu. Dicere poſſes ad hoc, quòd etſi intenſio haberi non poſſit ſine multis gradibus, remiſſio tamen poſſit, nam cùm calor v. g. ex calore ut duo reducitur ad calorem ut unum, remittitur, & tamen relinquitur tantùm unicus gradus, adeòque non ſufficere rationem factam quo minùs prima definitio ſit bona. Reſpondeo rationem adhuc ſtare (definitionem non tam exactè ſtare) quia quamvis fieri poſſit remiſſio per quam relinquatur unicus gradus, non tamen fieri poteſt remiſſio cum unico gradu, debuerunt enim ad minus fuiſſe duo à principio unus qui auferretur, alius qui relinqueretur. Secunda tamen definitio prætendi poteſt exactior, & libera utcumque ab hoc vitio, dici enim poteſt, nec malè, quòd ipſe effectus formalis qualitatis ut ſic ſit alterare.

Digitized by Google

ACTIO II.

De diviſionibus & ſpeciebus Qualitatis.

Breviarium.

N. 1. *Nimium Ariſtoteli delatum doctrinæ ejus de ſpeciebus qualitatis.*

2. *Diviſiones qualitatis ex Scoto.*

3. *Combinationes qualitatis non eſſe diverſas ſpecies ejus.*

4. *Exactior diviſio qualitatis aſſignatur.*

1. HUcuſque ferenda eſt tam pertinax ſequela Ariſtotelis & antiquorum; revera enim in præſenti potuerunt ſcriptores noſtri majori laude & fructu ſibi ipſis eſſe authores novam qualitatis diviſionem ſtatuendo, nam illa Ariſtotelis tot vitiis ſcatet, ut labor ſit ea perſequi. Quia tamen in ſcholis recepta eſt, confirmabo (explicabo in primis) ipſam & ſubdam fortaſſis meliorem.

Igitur Ariſtoteles *in prædic. cap.* 3. dividit qualitatem in quatuor membra, quæ ſunt totidem combinationes & paria. Primum par eſt habitus ac diſpoſitio; ſecundum naturalis potentia & impotentia; tertium paſſio & patibilis qualitas; quartum forma & figura.

Habitum vult eſſe formam difficulter mobilem à ſubjecto, nam ſi fuerit facilè mobilis, erit diſpoſitio, naturalis potentia eſt aptitudo connaturalis & quaſi innata ad actum aliquem. Impotentia è contra ineptitudo ad illum ſeu difficultas exercendi ejuſmodi actum. Hoc autem ultimum par diſtinguit à priori, eò quòd illud ſit quid adquiſitum, hoc verò innatum. Paſſio eſt qualitas per ſe ſenſibilis citò tranſiens. Patibilis qualitas per ſe ſenſibilis diu permanens, figura eſt qualitas ſecundariò ſenſibilis terminans quãtitatem, ſeu ſequens ad terminationem ejus: forma eſt eadem figura in corpore naturali ſeu materia ſenſibili.

Hanc diviſionem, quoniam D. approbat, ſequentibus modis confirmabo: ad quorum primam ſuppono qualitatem omnem (ſicut & formam ſubſtantialem) tribuere ſubjecto eſſe vel operari: quo poſito ſic formatur ratio: aut enim qualitas tribuit ſubjecto eſſe, & conſervat ipſum; & tum eſt in una ex duabus ultimis cõbinationib', aut operari & in una ex primis nam vel tribuit ſubjecto eſſe ut terminus extenſionis ſubjecti, & eſt forma vel figura, ſi conſervat illud ut diſpoſitio eſt paſſio vel patibilis qualitas. Si tribuit agere, vel id facit ut principium naturale ac innatum, & tum eſt naturalis potentia, *&c.* aut ut adquiſitum, atque ad melius eſſe, & tum eſt habitus aut diſpoſitio.

2. Alius modus eſt ipſius Doct. iſte: Qualitas aut eſt diſpoſitio interior aut diſpoſitio exterior ſubſtantiæ; ſi exterior, aut non primò ſenſibilis & eſt quarta ſpecies, ſcilicet forma & figura; aut eſt primò ſenſibilis & eſt tertia ſpecies, ſcilicet paſſio & patibilis qualitas. Si diſpoſitio interior, aut eſt innatum principium facilè vel difficulter operandi, & tum eſt tertia ſpecies, ſcilicet naturalis potentia & impotentia, aut non eſt innatum principium operandi, & tum eſt prima ſpecies ſcilicet habitus & diſpoſitio.

3. Ita logici, quibus charior eſt Ariſtotelis, quàm ipſe ſibi; volunt enim hanc ejus diviſionem etiam ipſo invito valere, nec enim ipſemet auſus eſt ſuam diviſionem adæquatam dicere, quin *Fortaſſis* (inquit) *alius quiſpiam modus apparuerit qualitatis; ſed qui maximè dicuntur, hi ſunt.* Volunt item omnia hæc eſſe ſpecie diſtincta inter ſe, quum tamen ipſe author unum quid in pluribus horum repoſuerit, ut calorem in diſpoſitionibus quæ ſunt primá ſpecies, & iterum in patibili qualitate quæ eſt tertia. Deinde duo membra cujuſque combinationis certum eſt quòd inter ſe non diſtinguantur ſpecie, adeòque fruſtra aſſignata ſint tanquam duo, alias poſſemus in ſubſtantiis ſimiliter diſtinguere animal v. g. canem in catulum & moloſſum ſeu provectum, nec ponere hominem tanquam ſpeciem unam, ſed loco ejus infantem ac adultum. Imò Ariſtoteles non voluit ſingulas ſpecies habere duo paria, nam in tertia ſpecie, ſecundùm aliam verſionem ab illa Boëtii non habet particulam copulativam ſed disjunctivam, ait enim paſſio *vel* patibilis qualitas. Imò iſta dualitas membrorum videtur deſtruere rationem principalem qualitatis, nam ſecundùm eam qualitas omnis non eſſet intenſibilis & remiſſibilis, quia nimirum diſpoſitio cum intenditur non eſt diſpoſitio ſed habitus, quod idem de paſſione & patibili qualitate Denique poſſumus Ariſtotelem ex ipſomet verberare: dicit ille rarum & denſum non eſſe qualitates, ſed potiùs ad genus quantitatis referenda. Atqui manifeſtum eſt figuram non minùs eo ſpectare, ſi valet ratio (c) ejus: *quia quandam poſitionem partium videtur monſtrare.* (c) Ariſt. cap. 4. prædicam.

4. Dicerem itaque bonâ veniâ aliorum qualitatem accuratiùs dividendam primò in ſpiritualem ac corporalem, ſpiritualem in naturalem & ſupernaturalem: Corporalem in ſimplicem ac mixtam ſive in qualitates Elementorum & mixtorum, mixtam in vitales & non vitales, vitalem in habitus & actus, non vitales in ſenſibilia communia ac propria. Communia in motum ac quantitatem & propria in objecta ſingulorum ſenſuum.

ACTIO

ACTIO III.

De proprietatibus Qualitatis.

Breviarium.

N. 1. *Numerus & nomina proprietatum qualitatis apud Ariſtotelem.*
2. *Examinatur prima: ſeu, an contrarietas competat qualitati?*
3. *An & quomodo compatiantur ſe oppoſitæ qualitates in gradibus remiſſis?*
4. *Habere contrarium eſt proprium primo tantùm modo qualitatibus, non tamen primo modo Porphyrii: ubi, an contraria maximè diſtent?*
5. 6. *Objectiones ſolutæ: formæ ſubſtantiales ſuccedentes ſibi in eodem ſubjecto an ſint contrariæ? alia item de* ubi.
7. *Qui gradus primò expellantur, & primò introducantur ſubjectis?*
8. *Contrarietatem non competere* omni *qualitati.*
9. *Refutatus Recens, qui negavit oppoſitionem qualitatibus.*
10. *An relationes contrarientur?*
11. Magis & minus *extra qualitatem inveniri.*
12. *Inſtantia contra adducta, ſolvitur; adductus Virgilius.*
13. *In qualitatibus dari magìs & minus extra intenſionem.*
14. *Similitudo & diſſimilitudo quomodo approprietur qualitatibus?*

1. PRoprietates qualitatis tres ab Ariſtotele hîc numerantur, una & prima eſt habere contrarium. Secunda ſuſcipere magis & minus; tertia, quòd ſecundùm eam aliquid dicatur ſimile & diſſimile: quæ quidem omnia communiter recepta & ex parte vera ſunt, ſed non carent difficultate.

Incipiendo ergo à prima duo ſunt decidenda, unum, an affirmativa hîc ſit vera? alterum an negativa? Qui enim dicit A. eſſe proprium B. duo dicit & hoc (ſcilicet A.) convenire B; & nulli convenire niſi B. poſſumus ergo dubitare, an conveniat qualitati habere contrarium.

Nec quiſquam dicat hoc non eſſe neceſſarium, ut conveniat contrarietas qualitati, tanquam proprium, eò quòd inter modos proprii aliquis (& quidem primus) ſit, qui non convenit *omni*: proprium tamen eſt, quia convenit *ſoli*, ſic enim eſſe Geometram aut Poëtam eſt proprium homini ſecundùm Porphyrium, nec tamen omnis homo eſt Geometra; Hoc inquam non evacuat difficultatem præſentem aut rationem dubitandi, quia de qualibet ferè qualitate dubium eſſe poteſt, utrum in ea ſit contrarietas? accipiamus enim eas in quibus notiſſima eſt contrarietas, & ſunt primæ qualitates connaturales elementorum v. g. calor & frigus.

2. De his do rationem dubitandi, ſi enim iſtæ ex ſe eſſent contrariæ ſeu ex ratione ſua ſpecifica & eſſentiali, tum quælibet repugnaret cuilibet oppoſitæ, v. g. quilibet calor cuilibet frigori, quòd hîc falſum eſt, quia in gradibus remiſſis ſe compatiuntur, & tamen gradus remiſſi continent rationes ſpecificas harum qualitatum. Atque ita opportet, quòd incompoſſibilitas harum ſit ex gradibus individualibus, ſed nulla proprietas ſequitur gradus individuales, ergo.

Propter hoc negaverunt aliqui (Medici præſertìm) gradus etiam remiſſos qualitatum contrariatum ſe compati ut refert Hurt. hîc. Sed contra hoc eſt nimis aperta experientia aquæ tepidæ & ſimilium; & ſi deſit experientia, adeſt ratio, quæ probat non ſolùm gradus remiſſos, ſed quod majus eſt, intenſos cum remiſſis compati ſe; nam cùm caleſit aqua v. g. deſinit aliquis gradus frigoris & introducitur aliquis gradus caloris, & quidem hi gradus ſunt ultimus, id eſt perfectiſſimus frigoris & primus ac imperfectus caloris, atque ita compatiuntur ſe non ſolùm duo gradus remiſſi oppoſitarum qualitatum, ſed etiam intenſus & remiſſus, quod plus eſt, licèt perinde faciat ad rem præſentem. Negaret fortè Greg. introduci ullum gradum caloris niſi poſt expulſum frigus totaliter, & quidem videtur à vulgo ita intelligi oppoſitio & introductio formarum, ut priùs expellatur forma præcedens, & tunc primùm introducatur altera; ſed hoc non poteſt ſubſiſtere in Philoſophia, quia nimirum gradus qualitatum formaliter expelluntur, atque ita ſimul recipitur in ſubjecto aliqua forma loco ipſorum. Deinde ſaltèm ipſe ignis calefaciens efficienter expellit eas, quæro ergo terminum hujus efficientiæ? non poteſt alius eſſe quàm forma introducta (ſcilicet calor) per quem formaliter expellitur frigus. Dicès eſſe privationem frigoris; ſed malè, quum ſola privatio non poſſit facilè eſſe terminus actionis poſitivæ, & quidquid ſit de hoc, ſaltèm natura per ſe non corrumpit ſed corrumpit ad habendum generationem, atque ita ſemper corruptionem concomitatur generatio, quæ & eſt principaliter intenta à natura; quæro ergo quid ſit genitum tum ab igne? ſanè non aliud quàm calor: Itaque non poteſt negari aſſumptum.

3. Poteſt tamen, ni fallor, ſolvi concedendo quòd compatiantur ſe aliqui gradus hujuſmodi oppoſitarum qualitatum, & negando quòd proinde non opponantur & quidem contrariè, quia nimirum expellunt ſe invicem à ſubjectis. Dico ergo quòd gradus quilibet etiam ut unus caloris habeat contrarietatem cum frigore, quia expellit aliquem gradum ejus; & quòd non expellat omnes, id non probat deeſſe contrarietatem, ſed deeſſe vires quas natura noluit concedere uni gradui reſpectu omnium oppoſitæ qualitatis, alioquin reliqui omnes gradus eſſent ſuperflui v. g. ſeptem gradus caloris ſuperfluerent ſi primus expelleret totum frigus.

4. Reſolutivè ergo dico ad titulum pro hac parte; in qualitatibus inveniri contrarietatem, idque eis eſſe proprium, non tamen quarto modo, ſed potiùs primo, licèt non illo à Porphyrio aſſignato; volo dicere, quòd competat ſoli ſemper

per

per, at non omniſqualitati contrarietas traditur ab Ariſt. & ſupponitur à Subtili *q.* *. prædicamentorum*. Ratio dubitandi quoad affirmativam partem jam ſublata eſt, quum oſtenſum ſit dari veram contrarietatem inter qualitates. Ad alias partes & totam concluſionem ſupponenda eſt definitio contrariorum, quòd ſcilicet contraria ſint ea, *quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubjecto mutuò ſe expellunt*, quæ verba habet Ariſt. 5. *Met. cap.* 10. ſed non omnia tanquam definitionem aut certè non ſola, addit enim nonnulla, quæ æquali jure dicerentur pertinere ad definitionẽ atq; aliqua horum, exiſtimo ergo illud *maximè diſtant* nõ eſſe neceſſariò adhibendũ.

Moveor primò, quia inter gradus oppoſitarum qualitatum duo intenſi magis diſtant, ſeu magis opponuntur quàm intenſus & remiſſus (ut patet transferendo rem ad oppoſitionem moralem, magis enim inimici ſunt illi, quorum uterque vehementer odit alium, quàm duo quorum unus vehementer odit, ſed alius illum non, niſi remiſsè) & tamen contrarietas cenſetur eſſe inter intentum & remiſſum (non verò inter intenſum & intenſum) quia non hæc ſed illa expellunt ſe ſubjecto, ſcilicet intenſus remiſſum, non verò intenſus intenſum, quia duo intenſi contrariarum qualitatum nunquam concurrunt. Deinde vitium virtuti contrariatur, & tamen non maximè diſtat ab eo, magis enim diſtat à vitio oppoſito, quàm à virtute media. Major eſt ipſius Ariſtotelis 2. Mor. 8. *Extreme enim & media inter ſe contraria ſunt, media vero extremu.* Itaque particula illa, maximè diſtant, locum habet in ſummè contrariis non autem in abſolutè talibus. Ex quibus probata manet concluſio, nam in nullo genere invenitur ejuſmodi oppoſitio niſi in qualitate ut patebit ſolvendo quæ apparent talia eſſe in aliis generibus.

5. Objici autem ſolent in primis formæ ſubſtantiales, quæ ſine dubio in eodem genere ſunt, & videmus eas invicem ſe expellere à ſubjectis. Reſpondeo enim primò formas ſubſtantiales non eſſe ſubſtantias perfectè, ſed aliquid illarum. Reſpondeo ſecundò: Ex illa particula, *maxime diſtant* quæ licèt non ſit neceſſaria, eſt tamen vera & excludit ſubſtantias; explico rem; Contraria propriè licèt non exigant ſummam oppoſitionem, tamen certum eſt quòd inter illa detur gradus oppoſitionis majoris & minoris: At verò inter formas ſubſtantiales una non magis expellit aliam, quælibet enim eſt abſolutè incompatibilis cuilibet. Vnde reſpondeo tertiò cum aliis, oppoſitionem contrariam propriè oriri à formis ipſis, non verò à ſubjecto; at verò oppoſitio formarum ſubſtantialium oritur ex ſubjecto, quia unum non eſt capax duarum. Quòd verò hæc ſola non ſit inter qualitates contrarias, patet quia ſubjectum habet capacitatem recipiendi alias diſparatas quæ æquè implent ipſum ac contraria: v.g. Lac recipit calorem & albedinem, non calorem & frigus, cum tamen albedo non minùs impleat ſubjectum & occupet ipſum quàm frigus. Hinc ſolves quod iterum

Objici ſolet de *ubi* ſurſum & deorſum, quæ ſub eodem genere ſunt, & expellunt ſe ſubjectis, atque etiam maximè diſtant. Dicendum enim eſt ea expellere ſe ratione incapacitatis ſubjecti, ut jam dixi de ſubſtantia, unde non ſolùm ubi ſurſum & deorſum opponuntur, ſed etiam duo ubi ſurſum & duo deorſum, quæ tamen clarum eſt non opponi contrariè. Totum perſuadeo exemplo ipſarum qualitatum ejuſdem ſpeciei, nam non poteſt ſubjectum habere duo accidentia ſolo numero diſtincta naturaliter, v. g. duos calores ut octo, nec tamen duo calores, ut octo opponuntur contrariè.

Dices hæc non eſſe ſub eodem genere ad mentem Philoſophi; hic enim ſine dubio vult contraria eſſe ſub eodem genere tantùm, non autem ſub eadem ſpecie, aliàs non diſtarẽt à ſe. Reſpõdeo me attuliſſe exemplum hoc ad oſtendendum, quòd aliqua expellant ſe invicem ſubjectis, non propter oppoſitionem eorum, quod efficaciter convincitur illâ inſtantiâ, neque ego aliud per illam prætendi.

6. Objicitur adhuc tertiò actio & paſſio, in quibus omnibus & ſingulis invenitur contrarietas, nec tamen ſunt qualitates, ergo. Patet aſſumptum, quia calefactio opponitur frigefactioni tam activè quàm paſſivè ſumptæ; nam non poteſt idem ſubjectum calefieri & frigefieri ſimul, ſed nec etiam calefacere & frigefacere, ergo. Reſpondeo calefactionem & frigefactionem non opponi, poſſunt enim ſimul ab eodem procedere, at verò calefitio & frigefitio non poſſunt quidem ſed opponuntur; at verò hæc oppoſitio & impotentia oritur non ab ipſis, ſed à calore & frigore.

Dices, unde colligis oppoſitionem calefactionis & frigefactionis oriri à calore & frigore potius, quàm caloris & frigoris à calefitione. Reſpondeo: Inde colligo, quia motus ſpecificatur à termino, non autem terminus à motu, adeòque juſtius dicitur oppoſitio actionum & paſſionum deſumi à re producta quàm rerum productarum ab actione.

7. Et hæc ſunt, quæ communiter obſtare videntur ne contrarietas ſit propria qualitati. Habeo nihilominus aliud contra communem modum explicandi oppoſitionem & expulſionem contrariorum. Dicitur enim primus gradus unius contrarii expellere ultimum gradum alterius: v.g cùm ignis calefacit aquam gradatim incipiendo à primo, dicitur primus gradus caloris expellere octavum frigoris, ſecundus ſeptimum, & ſic de cæteris, quod videtur irrationabile, irrationabile enim videtur, quòd fortiſſimum cedat debiliſſimo, ac non potiùs debile forti vel alteri debili ſaltèm, atque ita videtur potiùs dicendum quòd primus gradus caloris expellat primum & imum gradum frigoris, nam quod fortius eſt, ſine dubio majoris reſiſtentiæ eſt, fortior eſt autem octavus gradus quàm primus, adeòque videtur debere eſſe majoris reſiſtentiæ quàm primus, atque ita ſeriùs expelli. Contrarium dicunt authores communiter, & videtur experientiâ ipsâ demonſtratum, nam producto uno gradu caloris in aqua, aqua jam non eſt ſummè calida, adeòque perdidit ſummum gradum caloris, eſt autem remiſsè calida, adeòque habet remiſſos gradus caloris, quo in genere principalior eſt primus quàm imus, ergo. Reſpondeo hoc mihi videri optimum argumentum contra gradus heterogeneos intenſionis, ſive contra eos qui ponunt in intenſione qualitatis ſecundum gradum eſſe præſtantiorem primo, & tertium ſecundo, & ſic de cæteris. At verò ponentes intenſionem fieri per gradus honogeneos, ſive ejuſdem omnino rationis & perfectionis, non premit, dicemus enim primum gradum unius

contrarii expellere octavum alterius, non tamen expellere fortiorem aut præſtantiorem ſive gradum majoris reſiſtentiæ, quia omnes ſunt pares. Dices: Cur ergo dicitur expellere octavum potiùs, quàm alium? Reſpondeo, quia relicti ſunt ſeptem, adeòque octavus perit, non autem poteſt perire primus cùm maneat ſecundus & ſeptimus, quia nulla plura poſſunt numerari ſine primo. Fortaſſis etiam octavus perit primò, eò quòd ſit ultimò productus, nam quæ ſunt poſteriora generatione ſunt priora corruptione, unde & faber non à fundamentis, ſed à culminibus incipit ſolvere vetuſtatem.

8. Quòd non omni qualitati contrarietas competat, patet inſtantiâ aliquarum, quæ contrariis carent, ſunt autem gratia ſanctificans in ſupernaturalibus, lux & univerſaliter omnes qualitates connaturales corporibus cæleſtibus. In noſtris etiam ſublunaribus ſpecies intentionales rerum, tam ſenſibiles, quàm intelligibiles: in intellectu etiam ſimplices appræhenſiones: in ſenſibus omnes actus ſecundi; in voluntate deſideria duo, quorum unum ſit abſolutum, alterum conditionatum, ſic enim, qui in periculo projicit merces in mare, abſolutè vult jacturam mercium, habet tamen tacitam reſiſtentiam hujus, quod non faceret niſi ex neceſſitate & fuga majoris mali.

9. Propter rationem ſuprà poſitam *num.* 5. in objectione ſecunda quidam (a) nuper aſſeruit calorem & frigus non opponi contrariè, eò quòd non videantur iſta expellere ſe invicem niſi ob incapacitatem ſubjecti, talem nos non habemus, unde judicemus ea aliter ſe expellere; quem etiam juvare potes hoc medio: Quia nimirum non opponuntur incompatibiliter actus primi, ut patet in gravi ſurſum projecto, in quo ſimul & gravitas eſt, quæ eſt actus primus ſeu principium deſcenſûs, & impetus, qui eſt actus primus aſcenſûs; calor autem & frigus ſunt actus primi, ergo. Sed nemo moveri debet eo argumento, ne ipſe quidem, quia fatetur etiam ipſe aliquas qualitates ſe ipſis opponi, ac non tantùm ratione ſubjectorum, verbi gratiâ volitionem & nolitionem; cur enim non dicimus calorem & frigus opponi ſicut iſta, potiùs quàm ſicut duo ubi? Dicam jam unde colligam ego duo *ubi* opponi ratione ſubjecti potius quàm iſta, quia *ubi* quodlibet ſeu ubicatio quum non ſit capax intenſionis, eſt ſummum quod poteſt ſubjecto accidere in hoc genere, ſubjectum autem eſt incapax duarum formarum quæ ad ſummum deducta ſunt, etiamſi non opponantur formæ inter ſe; unde non poteſt (ut ſuprà dixi) habere ſimul duos calores ut octo licèt illi non ſint oppoſitæ ſpeciei: At verò calor vel frigus, vel albedo aut gravitas & ſimilia non omnes ſunt in ſummo, adeóque ſi opponantur non debemus judicare quod opponantur ratione ſubjecti, ſed ratione ſui; atque ita eſſe proprium qualitati habere contrarium quum id nulli alteri competat, nec ubi, nec ſubſtantiæ, & multò minùs Quantitati vel relationibus.

(a) Arriaga diſp. 5. Met. ſect. 2.

10. Dices correlationes eſſe incompoſſibiles, quidni ergo dicantur contrariæ? patet antecedens in paternitate & filiatione. Reſpondeo primò contrarietatem intelligi oppoſitionem duorum abſolutorum, quia nimirum determinata eſt alia ſpecies ipſis relationibus. Reſpondeo ſecundò non competere etiam naturam contrarietatis ipſis relationibus, quia contraria expellunt ſe ab eodem ſubjecto, hujuſmodi autem correlationes non item, quia nimirum non afficiunt idem ſubjectum, non enim poteſt filiatio oppoſita relativè paternitati afficere patrem, nec paternitas filiationem. Rationem à nobis adductam contra contrarietatem qualitatum primarum alibi expediemus; interim de ſecunda proprietate Qualitatis puto

11. Dicendum, quòd ſuſcipere magis & minùs abſolutè non ſit proprium qualitati, ſed tantùm ſuſcipere magis & minus per ſuperadditionem alicujus diſtincti realiter.

Fundamentum mihi pro prima parte eſt, quia exiſtimo hujuſmodi magis & minus in ſubſtantiis, imò in omni genere inveniri; puto enim dari exceſſum perfectionis ſubſtantialis inter individua ejuſdem ſpeciei. Quod equidem reputo certiſſimum & experientiâ ipſâ demonſtratum; videmus enim homines, qui omnes ſunt ejuſdem ſpeciei, tamen inter eos unum eſſe alio perfectiorem in multis, in acumine intellectûs, in fortitudine corporis, in compoſitione membrorum; In aliis etiam omnibus id contigit, unde ementes morantur circa electionem unius ex multis ejuſdem ſpeciei, quod accipiant, quod tamen ſtultè feciſſent ſi individua omnia eſſent ejuſdem perfectionis ſubſtantialis, ergo.

12. Dici poterit illos exceſſus, quos videmus in individuis non eſſe ſubſtantiales aut entitativos exceſſus, ſed accidentales; prætendi enim poteſt, quòd contingat ratione accidentium meliorum, quæ unus præ alio habet: verbi gratiâ ingenioſitas unius præ alio non eſt aliqua perfectio intellectûs ejus præ intellectu alterius, ſed eſt qualitas aliqua una (vel plures) quæ eſt in phantaſia hujus præ illa alterius, & illa reddit magis ingenioſum, aut ſaltèm videri facit, eò quòd pro nunc intellectus dependeat à phantaſia, & ſic de cæteris. Sed ſit ita, adhuc habetur intentum, habetur enim phantaſia ſaltèm hujus hominis eſſe perfectior phantaſiâ alterius (& tamen ambo ſunt ejuſdem ſpeciei) quod ſic probo; niſi enim eſſet aliquo modo in ſe perfectior, non exigeret accidentia perfectiora, ſi ergo habet naturaliter perfectiora accidentia, ut tu ais, cenſenda eſt ipſa eſſe ſubſtantialiter perfectior aliâ. Dices fortè illam non exigere hæc accidentia, ſed habere tantùm, ſive fortuitò, ſive aliàs, adeóque non argui ex hoc majorem perfectionem, ſed revera id gratis & non rationabiliter dicitur, quòd enim quidquam à natura habet, cenſendum eſt id exigere connaturaliter, maximè ſi duret. Unde enim ſcimus perfectionem ſpecificam qualitatum eſſe uniſpeciei connaturalem, niſi ex hoc capite? ſi ergo ſic judicamus perfectiones ſpecificas & exceſſus eorum eſſe connaturales rebus, quidni exceſſus numericos & individuales? Deinde fructus quarundam provinciarum qui perpetuò ſunt meliores fructibus ejuſdem ſpeciei quæ alibi naſcuntur, non poſſunt dici eſſe fortuitò meliores iis, quos aliæ habent: ſunt autem plurimi ejuſmodi, quod accuratè explicavit Virg. 1. *Georg.* canens:

P. Virgilius Maro.

Digitized by Google

Hic ſegetes, alibi veniunt feliciùs uvæ:
Arborei fœtus alibi atque injuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi
At Calybes nudi ferrum?

13. Imò exiſtimo tale quid ipſis qualitatibus evenire, ut in illis detur magis & minus etiam ſine gradibus intenſionis; nam unus color in eadem intenſione eſt alio excellentior; & certum eſt quòd lux ſolis cæteris paribus ſit melior luce lucernæ, atque etiam Lunæ & ſtellarum. Itaque hoc magis & minùs vagatur per omnia genera: at verò magis & minus graduale, hoc eſt, per additionem alicujus realiter diſtincti ad aliud in eadem parte ſubjecti eſt qualitati proprium, ſoli quidem ſed non omni, nam actus vitales & alii non videntur ſic augeri aut perfici, ſed tantùm priori modo ut ſcilicet in prima productione accipiant quod neceſſarium eſt, & proinde realiter identificatur ipſis.

14. De ultima proprietate, quòd ſecundùm qualitatem dicantur ſimilia & diſſimilia, lubens totum admitto, ſicut etiam quòd ſecundùm quantitatem dicuntur aliqua æqualia; Neſcio tamen an hoc dicat formalitatem aliquam in qualitate, an potiùs materialitatem, quia nimirum videntur hæc & ejuſmodi non aliud connotare quàm materiam, eò quòd eadem proportio plurium quando eſt in qualitate eſt ſimilitudo, quando in ſubſtantia eſt identitas, in quantitate æqualitas. Quemadmodum curvitas quando in naſo eſt dicitur ſimitas, quando in quacunque alia materia, non ita dicitur, ſed vel communi nomine curvitas, vel proprio ut in capillis criſpitudo: Et carentiæ quando eſt in ſubjecto apto nato ad formam abſentem dicitur privatio, quando in ſubjecto inepto ad eam, dicitur negatio. Puto tamen non eſſe plenam paritatem hinc inde, ſed ſimilitudinem differre ab æqualitate plus quàm materia aut ſubjecto, licèt alia illa non diſtinguantur ab invicem niſi per materiam aut ſubjectum. Cauſa eſt, quia ſimilitudo eſt relatio & ſimiliter æqualitas, notum eſt autem naturam relationis eſſe, ut ſpecificetur ab extremis, hoc eſt, ut ſit aliâ ſpecie inter diverſa ſpecie extrema, atque ita non ſola eſt diſtinctio materiæ hîc vel extremorum quæ referuntur, ſed ipſius etiam relationis. Atque ita ſi poneretur inter duo alba relatio quæ eſt inter duo quanta, non redderet, illa formaliter ſimilia, ſed formaliter æqualia; cujus contrarium contingit in exemplis ſuprà propoſitis, nam ſi curvitas quæ eſt in virga penetretur in naſo, illa eo ipſo evaderet ſimitas.

Qualitatem examinant Doctores

Ariſtoteles *in Logic. & Metaphyſic. citat.* & cum ipſo Boët. Averr. Amon. Simplicius *in priori loco.* D. Thomas 1. 2 *q.* 49. *art.* 2. Alex. 4. *p. q.* 9. Rich. 4. *d* 5. *art.* 2 Greg. 2. *d.* 16. *q.* 3. Auguſt. *in Catag.* Damaſc. *c.* 51. *Dial.* Durand. 1. *d.* 3. *q.* 5. Capr. 4. *diſt.* 12, *q.* 1. Marſil. *q.* 9. Soto *diſt.* 10. *q. & art.* 2. Hervæ. *quodl.* 1. *q.* 5. Ægid. *quodlib.* 3. Soncin. 7 *Met. q.* 41. Aſor. *lib.* 3. Sot. *in q prædic. Qualit.* Bartholom. Caſtren. *in Com. c. de Qualit.* Titel. Villalp. *&* Lovanienſ. *ibid.* Fonſeca 5. *Met. c.* 14. Rub. *in cap. de Qualit. q.* 1. Sanchez *q.* 60. Suar. *diſp.* 42. *Met.* Tolet. *in caput qualit.* Maſius *ibidem.* Averſa *q.* 20. *Log.* Simuglet. *diſp.* 11. Blanc. *diſp.* 12 Flandr. 5. *Met. q.* 15. Clip. *q.* 44 *& ſeq.* Barthol. Amicus *tract.* 15. *Logic.* Petr. Hurtad. *diſp.* 14. *Met. ſect.* 1. Rodriq. *in ſum text.* & deinde *artic. in q.* 30. *& ſex. ſeqq Scoti.* Vaſq 1. 2. *diſp.* 78. *c.* 3. Sales *ibid. q.* 52. Suar. *tom* 2. *Met. diſp.* 42. Conymb. *in exp. cap. & qq. ſeq.* Contarenus *ſimiliter.* Complut. *etiam*, ut Maſtrius, Poncius, Merin. *&* ſocii Rec. Ariaga *diſp.* 5. *Metaph. ſect.* 2. *&* Oviedo *ibid. contro v.* 8.

APOLOGIA VII.

De prædicamento Relationis.

ACTIO I.

An dentur in rebus Relationes ſive prædicamentum *ad aliquid* à cæteris diſtinctum, nec ne?

ACTIO II.

Probans oſtenſivè dari in rebus veras Relationes prædicamentales, tam tertii prædicamenti ſeu *ad aliquid*, quàm aliorum.

ACTIO III.

Quid ſit Relatio?

Scotus quodlib. 3. n. 15.

AD 2. licèt eſſet magna difficultas de per ſe, tamẽ in propoſito eã pertranseo, cõcedo tamen, quòd relatio quæ eſt accidens in creaturis propriã habet accidentalitatẽ, quia illa eſt per ſe res, & non eſt illa

illa res, in qua fundatur, nec eſt res per ſe ens ſicut ſubſtantia, Ita opportet dare quòd ipſamet per ſe ſit res habens propriam accidentalitatem, quæ non ſit accidentalitas entis ad ſe, ſed accidentalitas entis ad alterum; ſicut enim non eſt eadem entitas ad ſe & ad alterum, ſic nec eadem accidentalitas accidentis entis ad ſe & accidentis entis ad alterum. Et quum arguitur quod eſt proceſſus in infinitum: reſpondeo; Standum eſt in ipſa relatione, nec ulterius proceditur; v, g. in albedine fundatur ſimilitudo.

Idem q. 26. in prædicamenta, num. 3.

Dicendum igitur, quòd ſecunda notificatio Ariſtotelis eſt conveniens de relativis, quia indicat rationem eorum, in quantum ſunt relativa, ut patebit reſpondendo ad rationes.

ACTIO I.

An dentur in rebus relationes ſive prædicamentum *ad aliquid* tanquam quid à cæteris diſtinctum, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Status controverſiæ.*
2. *Concluſio affirmativa relationum. Duo modi diverſi quibus intelligi poteſt oppoſitum concluſionis, ſive relationes identificari extremis.*
3. *Prima ratio adverſariorum rejicitur, explicatus Ariſtoteles* 5 Met.
4. *Inſtaurata ratio ab adverſariis rejicitur nihilominus, & retorquetur.*
5. *Inſtauratur iterum pro ipſis.*
6. *Secunda ratio principalis eorum. Communis ſolutio noſtræ partis authorum improbata.*
7. *Rejicitur tamen, & retorquetur etiam iſta.*
8. *Oſtendo efficaciter relationem*, v. g. *æqualitatem, non conſiſtere in extremis.*
9. & 10. *Tertium fundamentum adverſariorum. Enervatur ſemel & iterum.*
11. *Quartum etiam*
12. *Incipiunt aliæ rationes contra relationes, an turbetur univerſum quotidie, ſi admittantur relationes?*
13. 14. *Altera ratio:* Num *relatio æqualitatis & ſimiles ſit diviſibilis, nec ne? fusè diſputatur hinc inde.*
15. *Adhuc aliud argumentum contra relationes proponitur & ſolvitur. An aſſertores relationum cogantur ad admittendum proceſſum infinitum formarum.*
16. *Moventur duæ difficultates inſimul contra relationes: an habeant ſphæram activitatis? etiam an impediri poſſint?*
17. *An ſit abſolutè certum dari relationes ſuppoſito, quòd impediri poſſint?*

1. Controverſia eſt ex maximè ambiguis, quæ in ſcholis ventilantur, & quæ videtur mihi in Metaphyſica ſimilis ei eſſe quæ in Phyſica de continuo tractatur, tam dubiâ victoriâ, ut neſcias veritatem. Et, ut maturiùs rem decidamus, ſciendum eſt articulum cauſæ non in eo conſiſtere, an dentur relationes, id enim ferè omnes concedunt, ſed in eo potius an ſint formæ rebus relatis ſuperadditæ, ſive an dentur relationes diſtinctæ ab extremis, quæ per illas referuntur? In quo olim & nunc eſt ſummatum Philoſophorum doctrina eas affirmans. Ita Peripatetici omnes, quibus præivit Ariſtoteles, tam hic *cap. de ad aliquid*, quàm 5. *Met.* quibus locis ex profeſſo eam numerat tanquam aliud genus entis, & 10. *Met. cap.* 5. *tex.* 9. docet relativam oppoſitionem eſſe aliam à contraria, quod non eſſet verum ſi relationes non eſſent alterius entitatis ab extremis. Deinde etiam in Topicis paſſim diſtinguit loca à Relativis & relationibus deſumpta, & ſeorſim ab aliis ponit, quod tamen fruſtra & falsò feciſſet niſi ipſa relatio eſſet aliud quid ab cæteris diverſum. Itaque non eſt, quòd Recentes præſidium ſuæ novitati ab Ariſtotele exſpectent, neque ab antiquis realibus, oppoſitum enim utriusque ſcholæ, noſtræ ſcilicet ac Thomiſtarum principes tradiderunt, ut mirum ſit nuperos aliquos voluiſſe ſanctum Doctorem à ſe habere, nam quæ illi pro ſe adferunt, priùs à Cajetano ſoluta ſunt quàm à Recentioribus mota. Sanctus enim Doctor quamvis aliquando eas negare videatur, tamen alibi concedit, ut hîc ad ſummum dubius videatur; nam ei quod habet *q.* 7. *de potentia*, ubi dicit *relationem non facere compoſitionem cum ſubjecto*, oppono ego id quod habet 1. *d* 20. *q.* 1. ubi dicit, quòd *Relatio ſecundùm quod eſt in ſubjecto, facit compoſitionem cum eo*: & quod adfertur ex *opuſc* 48. dico nihil eſſe curandum, cùm conſtet illud opuſculum, meliori judicio ſpurium eſſe, & nequaquam S. Thomæ ut notavit Petrus de Bergamo, ſequutus S. Antoninum. Vnde in editione Veneta inter apocrypha ſeu ſuppoſititia refertur ut mirum ſit Rob Card. Bellarminum, in tam critico cenſu operum S. Doct. nihil de hoc annotaſſe. Cæterùm dari in rebus relationes expreſsè docet Sanctus 1 *p q.* 28. *art.* 1. D. autem noſter paſſim *hîc* & in *Metap.* tam in *expoſ.* quàm in *quæſtionibus q* 25. *prædicamentali* & in 1. *d.* 17. *q.* 23. & *in* 4. *d.* 13. *q* 1. *n.* 9. & alibi ad nauſeam: Hos antepilanos ſequuti ſunt exercitus authorum hinc inde *Mayr Tart Tromb. Cajet. Ferrar.* ferè omnes præter (*a*) Nominales uſque ad noſtra tempora in quo Recentium (*b*) novitas pertæſa relationes proſcripſit, minori authoritate quàm fundamento. Revera enim

Aver. Simplic. *hic*
D. Thom. 1. *p. q.* 13. *art.* 7.
Scotus 2 *d.* 1. *q.* 3. & 3. *d.* 8. *q.* 1.
Capr. 1. *d.* 33.
Greg. *d.* 28. *q.* 1.
Henricus *quodlib.* 3. *q.* 4.
Ferr. *q. cont. gent. c.* 14.

Petrus de Bergam.
S. Antonin
R Bellarmin. *de ſcript. Eccl.*
S. Thom.
Scot.
(*a*) Ock. 1. *d.* 30. *q.* 1. & *d* 31. *q.* 1.
Greg. *d.* 28. *q.* 1.
Ægid. 1. *d.* 26. *q.* 4.
Sylvius *in conf. q* 28. *dub.* 1.
(*b*) Franc. Suar. *parte d* 47. *Met. ſect.* 2.
Rap. Averſ. *q.* 25. *ph. ſect.* 1. & 2.
P. Hurt. *diſp.* 16. *Met. ſec.* 2.
Fr. Oviedo *contr.* 9. *Met. punct.* 4.

 non

Digitized by Google

non auſim negare ipſis ſententiæ ſuæ probabilitatem; in id tamen enitar oſtendere, quòd quantumvis ipſorum (quanquam nec ipſorum) argumenta oppoſitæ parti multam fidem & ſpeciem veritatis conciliaverint, tamen nemo propter ipſa communem ſententiam Peripateticorum & affirmativam relationum deſerere debeat: pro quo

Præmitto diſtinctionem realem ita hîc à me accipiendam, ut ſignificet duas res, quarum nulla identificetur realiter alteri, ſed ſit ſeparabilis ab ea. Intelligo autem rem, non ut opponitur modo (nam & ego teneo relationes eſſe modos) ſed ut opponitur formalitati, ſive gradui alicui ex pluribus contentis in uno & invicem identificatis, ſicut animalitas aut rationalitas in homine. Ad meam ergo diſtinctionem ſufficiet, ſi ex duobus unum poſſit ab altero ſeparatim exiſtere, licèt non poſſit viciſſim alterum ſeu ſecundum exiſtere ſine primo. Id autem ſine dubio ſufficiet ut oſtendatur relatio diſtingui realiter à ſubjecto, quòd ſcilicet oſtendatur ſubjectum poſſe eſſe ſine ipſa, nam ſi ſubjectum identificaretur relationi aut illa ſubjecto, impoſſibile eſſet ſeparare relationem à ſubjecto, ſive ſubjectum inveniri ſine ipſa, quod tamen

2. Affirmo & probo: Dico ergo dari relationes in rebus, quæ ſint entitates & formæ realiter diſtinctæ & ſeparabiles à ſubjectis, nec quaſcumque relationes, ſed eas quas dicimus prædicamenti *ad aliquid* quod eſt ordine tertium. Hoc prænotandum fuit, quia nimirum dantur apud nos aliæ relationes, quæ non ſunt hujus prædicamenti, & illæ hîc non veniunt in quæſtionem; ſed aliæ, de quibus

Præmittendus eſt etiam aliorum modus dicendi, ut certiùs noſtrum defendamus contra ipſos. Sunt ergo in duplici claſſe adverſarii tenentes relationem non diſtingui ab extremis: Aliqui volunt relationem eſſe ipſa extrema relata, ſive eſſe duas res aliorum prædicamentorum ſimul poſitas, puta duos parietes, duas albedines, ſic ut utrumque illud ſit de eſſentia aut ipſa potius eſſentia relationis, unum tamen dicatur fundamentum, quia concipitur in recto, alterum terminus quia concipitur in obliquo. Alii aliter philoſophantur, & volunt relationem eſſe ſolum fundamentum realiter, & connotare duntaxat terminum, qui modus excludit terminum à relatione non abſolutè tamen, ſed tantùm quoad conſtitutionem realem & eſſentialem ejus, exigit autem ipſum ut conditionem. Inter utrumque hunc diviſi ſunt Recentes, alii iſtum, alii priorem tuentur, quanquam neutrum ipſi excogitarunt, ſed approbarunt inventum; prior enim Nominalibus ortum debet; Alterum ſignificavit dudum jam Alenſis noſter 5. *Metap.* quem ſequutus eſt Baconius, hunc Suarez, iſtum alii.

Ut appareat magis firmitas communis & vetuſtæ doctrinæ, quam præ omnibus enixè propugnavit Subtilis, ut ex 1. *Them.* & alibi patet, oſtendam in primis alias illas inventiones fundamento carere ſolvendo eorum rationes, ac deinde meas adferam, quas relinquam illis ſolvendas.

3. Prima ergo ratio & quaſi demonſtratio adverſariorum à priori eſt iſta petita ex definitionibus relativorum omnis generis, quas habet Ariſt. 5. *Metaph.* ubi docet *ſimilia eſſe ea, quorum qualitas eſt una, æqualia, quorum quantitas eſt una, eadem, quorum ſubſtantia una eſt.* Tum ſic: ſed qualitas aliquorum verbi gratiâ duorum alborum eſt una ſive unius rationis etſi nulla adſit relatio, ſive forma ſuperaddita ipſis qualitatibus; utrique enim albedines illæ ſe ipſis ſunt ejuſdem ſpeciei, & nequaquam redduntur tales per aliquam relationem, ut cuivis clarum eſt & ſtatim infert intentum, nam ſi ſe ipſis ſunt una ſeu unius eſſentiæ, ſe ipſis ſunt ſimiles, quum hoc non ſit aliud quàm illud, ſive eſſe ſimilia in illis non aliud quàm habere ejuſdem ſpeciei qualitates; quod in propoſito eſt, albedinem in utroque eſſe ſpecie eandem, & idem eſt de æqualitate & identitate de qua paulò clarius procedit argumentum; duo enim individua ejuſdem ſpeciei, v. g. duo homines phraſi Ariſtotelis dicuntur eadem, quia ejuſdem eſſentiæ; eſſe autem ejuſdem eſſentiæ à ſe ipſis habent, ſicut quæ ſunt diverſæ eſſentiæ à ſe ipſis ſunt diverſæ ſpeciei puta homo & Leo, non verò à relatione ulla, tum quia hoc habent ab aliquo eſſentiali cujuſmodi non eſt relatio; tum quia ab aliquo abſoluto id habent, relatio autem nihil minùs eſt quàm abſolutum. Laudo argumentum, ſed ſolvo, concedendo definitiones Ariſtotelis, & negando conſequentiam ipſorum, quia nimirum (ut ipſi etiam in argumento dixerunt) iſtæ ſunt definitiones relativorum, non verò relationum; eſt dicere ſunt definitiones materiæ in quam incidunt iſtæ relationes, non autem ipſarum referentiarum: docuit enim ibi Ariſtoteles relationes primi modi fundari ſuper unum & multa, hanc autem unitatem diviſit in unitates qualitatis, quantitatis, & ſubſtantiæ, in quibus tribus unitatibus dixit fundari tres ſpecies relationis, ſimilitudinem, æqualitatem & identitatem. Unde argumentum non ſolùm ſolutum, ſed utcumque retortum eſt, nam ſi fundamentum relationis ſit unitas quantitatis, ſequitur potiùs relationem non eſſe qualitatem aut unitatem ejus quàm eſſe, quum relatio non poſſit eſſe fundamentum ſui ipſius.

4. Sed inſtant: Concreta accidentium definiuntur per conceptus formales accidentium, dicere enim album eſt diſgregativum viſûs, idem eſt ac dicere, albedo eſt ratio formalis diſgregandi viſum, ergo, quando ſimilia definiuntur per unitatem qualitatis, ſignificatur ſimilitudo eſſe effectus formalis unitatis. Reſpondeo primò doctrinam illam non eſſe univerſalem, nam quantum definitur diviſibile in ea quæ inſunt, nec tamen quantitate formaliter res fiunt diviſibiles. Reſpondeo ſecundò propriùs, etſi demus eam doctrinam eſſe veram, ſed eſſe accipiendam de actu primo, non verò de actu ſecundo, verbi gratiâ album eſt diſgregativum viſûs; dico id eſſe verum de actu primo duntaxat, ut ſenſus ſit albedinem eſſe formam quâ aliquid redditur formaliter potens diſgregare viſum. Unde ſi habeatur paritas, dicendum eſt quòd qualitas aut unitas ejus non ſit id, quo aliqua fiunt formaliter & actu ſimilia, ſed quòd ſit fundamentum proximum ſimilitudinis, ſicut albedo eſt proximum principium diſgregationis non autem diſgregatio ipſa.

Denique urgeo argumentum adhuc in authorem, ſimilia ſunt, quorum qualitas eſt una: ex quo infert ille, quòd ſimilitudo ſit unitas qualitatis. Do hoc arguenti, & ipſe ſic arguo: Similitudo eſt

eſt unitas qualitatis, ergo ſimilitudo non eſt plura, probo conſequentiam facilè, ni fallor, quia unitas non eſt plura, nam quid magis unum quàm unitas? ſi autem non ſit plura, certè non eſt extrema, nam extrema ſine dubio ſunt plura.

5. Dicent fortè in unaquaque albedine dari ſuam unitatem, & ſuper illam fundari ſimilitudinem, ſive potiùs eſſe utramque illam. Audio & infero, ergo ſimilitudo fundatur ſuper multitudinem, non ſuper unitatem. Claritas conſequentiæ inde eſt ex eo quòd unitas & unitas ſit multitudo. Itaq; quocumq; ſe vertant, debent reducere, hoc negotium ad unum aliquid quod quum non poſſit intelligi de uno unitate numericâ reſtat ut admittere cogantur unitatem formalem, quo argumento in loco proprio ad hoc uti ſoleo. Certum eſt autem extrema relationis ut talia eſſe debere plura, alioquin relatio non eſſet ad aliud, ergo denique certum eſt relationem non eſſe unitatem, ne quidem in ipſorum principiis atque ita Hurtadus pugnavit contra ſe hoc argumento.

6. Altera probatio horum, ſi tamen altera, ducta ab æqualitate eſt iſta: Quæcumque duo, v. g. duæ albedines præciſo quocumque modo ſuperaddito per ſuas entitates ſunt æquales in perfectione, ergo æqualitas non eſt relatio diſtincta ab utraque albedine. Conſequentia patet, quia ſi duæ formæ per ſuas entitates conſtituuntur æquales, quorſum (inquit ille) indigent aliâ formâ à qua denominentur æquales? Antecedens autem patet quia una albedo in ſuo conceptu eſſentiali non includit aliquid perfectius vel imperfectius altera albedine. In hoc argumento Hurtadus abuſus eſt terminis, non enim res dicuntur æquales quando comparantur ad invicem ſecundum ſuas perfectiones eſſentiales, ſed dicuntur eædem ut jam ſupra ex *Ariſtotele* tradidi. *Eadem* (a) *enim ſunt quorum ſubſtantia*, id eſt eſſentia *eſt una*; aliàs non relinqueretur relatio aliqua proportionis inter qualitates. Sed mutamus voces; ſumantur duæ quantitates, una unius palmi, & altera ſemipalmi: iſtæ duæ quantitates per ſuas entitates præciſo quocumque alio ſunt inæquales, ergo per ſuas entitates præciſo quocumque alio habent relationem inæqualitatis, patet antecedens, quia unus palmus per ſuam entitatem excedit ſemipalmum; & ſemipalmus per ſuam entitatem minor eſt palmo, ergo jam palmus & ſemipalmus per ſuas entitates præciſo quocumque alio conſtituunt relationem inæqualitatis, patet antecedens, quia palmus per ſuam entitatem formaliter includit plures partes quã ſemipalmus, ergo palmus per ſuam entitatem excedit ſemipalmum & hic exceditur ab illo. Confirmant: Pone enim (inquiunt) iſtas quantitates & per poſſibile vel impoſſibile tolle ab eis etiam per intellectum quemcumque modum diſtinctum, adhuc illæ erunt inæquales & accipientur ut tales, quia una non continet tot partes quot altera. Neque vero relatio facit unam quantitatem habere plures partes quam altera, ſed (etiam in noſtra ſententia) ſupponit, atque ita relatio & quicumque modus ſuperadditus magnitudinibus invenit æqualitatem aut inæqualitatem, & non facit eam.

(a) 5. Met. cap. 15.

7. Ad hoc quoque ſolvendum duo faciam: Primò oſtendam iſtos non poſſe urgere, aut certè debere ſolvere hoc argumentum. Nempe ſi valet, & proinde negandæ ſint relationes noſtræ prædicamenti *ad aliquid*, quod ipſi volunt, etiam negandæ erunt relationes aut formæ abſolutæ abſolutè neceſſariæ, quod nolunt. Ecce, quomodo, dicam enim ego *ubi* corporis ſeu præſentiam localem nihil reale ſuperaddere duobus illis, quæ ſunt corpus & locus, applicata; nempe tollatur quæcumque forma ſuperaddita ſive realiter ſive per intellectum præter ipſa, remanebit corpus præſens hîc, adeòque præſentia non eſt forma ſuperaddita corpori & loco, quod tamen ipſi negant animosè, nec aliter volunt corpus in eo caſu eſſe hic quam fundamentaliter ad ſummũ, ergo.

Dices pro ipſis corpus eſſe hîc ſive ubicationem, præter entitates corporis & loci dicere applicationem eorum. Audio; ſit ita, nondum evaleſcunt, applicatio enim in efficiente eſt, qui poſtquam ceſſavit ab omni actione & applicatione, adhuc remanet res locata ibi. Dices applicationem, & actionem illam efficientis neceſſariò debere habere terminum, adeòque aliquid præter ipſam ponendum. Reſpondeo: Verum eſt aliquid fieri per ipſam ſcilicet indiſtantiam horum duorum, etſi demus etiam fieri ubicationem, adhuc redit contra ipſos replica ab ipſis contra nos facta, nam quantumvis demus auferri, ſive realiter ſive per intellectum illam formam, adhuc intelligemus manere corpus illud ibi niſi moveatur inde, & tamen non admittitur ab ipſis Rec. eſſe ibi ante modum ubicationis niſi fundamentaliter, ergo ſimiliter.

Reſpondeo ſecundò in forma poſitivè negando aſſumptum principale argumenti; nego, inquam, duas quantitates per ſuas entitates præciſo quocumque alio eſſe inæquales, & quum probatur, quia ſunt tot partes in uno quot in alio, nego hoc quoque, nego inquam palmum A. per ſuam entitatem habere tot partes quot habet palmus B. Dicent perperam hoc negari quum ſit evidens, quia, ſi palmus B. habet quatuor partes, quum palmus A. habeat à ſe ipſo quatuor partes, jam à ſe habebit tot partes quot palmus. Reſpondeo: In hoc ſe fundant illi, ſed fruſtra; non enim idem eſt habere quatuor partes & habere tot partes quot palmus A. quia poteſt aliquid habere quatuor partes, abſque eo quod interum natura detur palmus A. quo caſu ſine dubio haberet quatuor partes, non tamen haberet tot quot palmus A. quia palmus A. nullas haberet.

Dicent id probare fortaſſe, quòd æqualitas ſit aliquid præter palmum, non tamen probare, quòd ſit aliquid præter duos, ſed hinc ipſum habemus intentum, hujus loci ſaltem; habemus enim argumentum hoc non vincere, ſed aſſumi ab eo falſa ſcilicet palmum habere aut non habere idque per ſuam entitatem tot palmos aut pauciores quam aliud.

8. Res ergo in eo conſiſtit, ut oſtendamus æqualitatem duorum non eſſe ipſa duo, ſed aliquid tertium quod licèt adverſarii mirentur à nobis prætendi, ſed ego addo adhuc & dico æqualitatem duorum non ſolùm eſſe tertium ſed & quartum quid, quia nimirum duo palmi non ſunt ſemel quomodocunque æqualia ſed bis, ſingulum enim ex ipſis eſt æquale alteri, ex quo facilè oſtendam non ſolum non ſufficere unum ſed nec duo ſufficere ad æqualitatem. Ecce quare: qui enim dicit duos palmos A. & B. æqualiter ſeu (rectius) ſimiliter; id eſt eodem modo importat A. ac B. at vero qui dicit æqualitatem A. ad B. non ſimiliter importat A. & B. ergo æqualitas

Digitized by Google

litas A. ad B. non eſt ipſa A. & B. Dices æqualitatem illam eſſe utriusque, ſed diverſimodè importatum, debet enim importari A. in recto, & B. in obliquo. Contrà primò hoc ipſum nobis ſufficere poterit, nam A. eſſe rectum, & B. eſſe obliquum aut eſt aliquid præter duo illa A. & B. aut nihil; ſi ſit aliquid, vicimus, non enim toto hoc negotio prætendimus niſi ad habendam & explicandam rectè denominationem relativam, neceſſariò ponendam eſſe entitatem aliquam præter duo extrema; ſi non ſit, ſequitur quod B. nunquam poſſit concipi cum A. niſi in obliquo, quod manifeſtè falſum eſt & contra ipſos adverſarios, nam ſi ſic eſſet, nunquam poſſent illi explicare quid ſit: B. eſſe æquale A. ſed ſolum intelligerent & ſemper A. eſſe æquale B.

Sed directiùs arguo contra hanc evaſionem ſecundò. A. eſſe æquale B. ſecundùm hos nihil aliud eſt, quam A. & B. ita tamen, ut A. ſumatur in recto & B. in obliquo, id enim eſt ipſiſſimum intentum & ſincera mens eorum. Sed ego oſtendo hæc, nomina tantum aut verba eſſe quæ non ſufficiunt ad rem ipſam aperiendam unquam, quia inter A. & B poſſunt aliæ comparationes fieri præter hoc quod eſt illa eſſe vel non eſſe æqualia, ut evidens eſt, & in omnibus ſecundum adverſarios relationes & comparationes illæ non aliud ſunt quam illa duo ſumpto A. in recto & B. in obliquo, quæro ergo quomodo diſtinguantur comparationes & relationes illæ? certe A. & B. nunquam diſtinguuntur ſpecie maximè ſi ſemper ſumantur eodem modo invariato. Ut ſcilicet A. ſit in recto B. autem in obliquo.

Reduco theoricam hanc ad praxin: Duo palmi non ſolùm ſunt æquales, ſed iidem, ut ſuprà dixi ex philoſopho, hoc eſt non ſolum ſunt earundem ſeu parium dimenſionum ſed etiam ſunt ejusdem eſſentiæ, neque vero idem eſt in illis palmis quòd ſint earundem dimenſionum & quod ſint ejusdem eſſentia, ſed manifeſtè diverſa, quia palmus & ſemipalmus ſunt ejusdem eſſentiæ, non tamen ſunt ejusdem dimenſionis. Quæ omnia certiſſima ſunt nec niſi à neſciente omnem philoſophiam negari aut controverti poſſunt, & tamen à Recentioribus negari debent certè autem ſuſtineri non poſſunt: nam ſi quæram ex illis quid ſit A. eſſe eundem cum B. hoc eſt convenire in eſſentia cum ipſo? Reſpondebunt hoc ſive hanc convenientiam non eſſe aliud quam A. & B. ſic ſumpta, ut A. ſit in recto B. autem in obliquo, & ſi quæram quid ſit A. eſſe æqualem B? Reſpondebunt hoc ſive æqualitatem ejus eſſe ipſum A. & B. ſumpto A. in recto & B. in obliquo, ubi videmus ſemper eandem cantilenam referri; ita etſi relatio hic ad aliquid ſit ſuperflua, tamen ad alia eſt neceſſaria, & diſſimulari aut diſpenſari non poteſt.

Quod etiam poſſumus illuſtrare exemplo aliàs trito: Nam cœna ſimiliter dici & explicari debet ab his, quòd ſit duo illa, ſcilicet eſus & tempus, ſumpto eſu in recto, tempore autem in obliquo; nec unquam hæc explicatio per rectum & obliquum credibiliorem inſtantiam accepit; & tamen non bene explicaretur cœna dicendo, quòd ſit commeſtio & tempus veſpertinum, licèt unum ſumatur in recto & alterum in obliquo, ſed debet importari connextio horum ad invicem, ut ſignificetur exercitium commeſtionis factum in tempore veſpertino, quod tempus nullo modo eſt pars cœnæ.

9. Tertia eorum ratio eſt theologica, quia (inquiunt) Deus habet in tempore multas relationes etiam prædicamentales, quas antè non habebat, at verò Deus nullum modum intrinſecū aut formam realem ſuperadditam in tempore habet, ergo relatio prædicamentalis non eſt modus aut forma realis nova ab extremis diſtincta; minor ut certa ſupponitur, aliàs enim Deus in tempore mutaretur, quòd eſt impoſſibile & in fide hæreticum. Probatur autem major, quia Deus in tempore dominus Petri ac poſſeſſionum ejus, eſt ſimilis aut diſſimilis ipſi, atq; etiam cauſa ipſius, & aliorū, quæ omnia ſunt relationes prædicamentales, puta relationes dominii, ſimilitudinis, ac diſſimilitudinis, cauſæ: has autem relationes acceſſiſſe Deo in tempore patet, quia non potuit illas habere ad Petrum antequam Petrus eſſet, Petrus autem accepit eſſe in tempore, ergo; quod autem hæ relationes accedere poſſint Deo ſine illius mutatione docuit apertè Anſelmus in Menologio cap. 24. *Quomodo* inquiens *non eſt particeps accidentis, cum & hoc ipſum quod major eſt omnibus aliis naturis, & quod illis diſſimilis eſt, illis videatur accidere?* certum eſt autem hæc non poſſe accidere ipſi, hoc eſt, de novo advenire ſi ſint formæ reales, ergo. Reſpondeo tamen primò adverſarios non poſſe uti hoc argumento, quod potiùs contra ipſos facit. Nam ſi verum eſt aſſumptum majoris quòd ſcilicet Deus habeat in tempore relationes prædicamentales, falſa eſt concluſio adverſariorum, quod relatio ſit duo extrema, non enim Deus habet duo extrema horum in ſe, ſed unum: Verbi gratia, cùm produxit Petrum aut albedinem, Deus non habet in ſe Deum & albedinem ſed Deum duntaxat, ſi ergo relatio producentis albedinem ſit Deus & albedo, non poteſt relatio in Deo eſſe niſi in ipſo ſit albedo, omitto relationes in argumento enumeratas, non eſſe omnes prædicamentales, hoc eſt reales, nec enim dominum eſt quid ſtrictè reale aut phyſicum, ſed morale tantum, cum acquiri & amitti poſſit ſolius voluntatis actione quæ nihil reale extra ſe producit. Reſpondeo ergo ſecundo negando abſolutè aſſumptum ſcilicet in Deo eſſe relationes prædicamentales de novo ſeu in tempore accedentes; & quæſo ſi ita ſit, cur tantoperè laborant authores, ut oſtendant unionem hypoſtaticam non eſſe receptam in Verbo immediatè, cum tamen unio illa ſit relatio? & quoniam adverſarii non admittunt relationes extrinſecus advenientes, neceſſario ſequitur eam eſſe prædicamentalem; nec eſt quod putent ſufficere ſibi Anſelmum; Anſelmus enim id tantum dixit, quod ego etiam dicturus eſſem, ſcilicet ſubjecta non mutari per relationes, ſi relationes ipſæ nihil diſtinctum à ſubjecto ſint. Qui ergo in Philoſophia tenet relationes nihil eſſe præter extrema relata, quod fecit S. Anſelmus, nihil mirum quòd in theologia teneant Deo poſſe advenire relationes. Adhuc tamen ad authoritatem Anſelmi dico inprimis eam non ſufficere adverſar. non enim Anſelmus dicit totum quod ipſe. Sanctus enim dicit tantum quòd *aliquæ relationes* non afferant mutationem ſubjecto. Adverſarii autem dicunt quòd *nullæ. Aliæ* (intellige accidentia) *nullam vel recedendo vel accedendo mutationem circa id quod afficiunt efficere noſcuntur ut quædam relationes.* Deinde ſi Anſelm. cenſuit idem quid Rec. quomodo vocat relationes accidentia? Nam Recent. (ſi ſibi conſtent).

S. Anſelm.

Digitized by Google

conſtent) debent vocare eas ſubſtantias in caſu Anſelmi. Itaque mens Anſelmi videtur fuiſſe hæc, quòd relationes ſint tam exiguæ entitatis, ut non mutent ſubjecta, quemadmodum nos diximus de entibus rationis, ex quo potiùs habetur intentum noſtrum, ſaltem ex parte, quia nimirum hinc habetur diſtinctio eorum à ſubjecto, licet non habeatur nullitas eorum, quod ferè eſt extraneum huic loco. Quod vero ipſos premat inſtantia illa de unione hypoſtaticâ, patet, quia etſi illa non ſit propriè prædicamentalis, nec relatio cauſæ proprietalis eſt, & tamen ſupradixit arguens relationem cauſæ poſſe de novo advenire Deo, quod eſſe falſum probo, nam ſi relatio cauſæ nihil ſuperaddat Deo de novo, nulla eſt ratio cur omne cauſatum debeat ab omnibus perſonis divinis cauſari. Si enim productio creaturæ nihil ſit, quantumvis illa ſit in una perſona, nec ſit in alia adhuc nihil erit in una perſona quod non ſit in alia. Et ſi dicas abſurdum eſſe non ſolum aliquod eſſe in una perſona quod non ſit in alia, ſed etiam abſurdum eſſe quod aliquid ſit ab una quod non ſit in alia; nihil dicis niſi hoc quod eſt *eſſe ab* una ſit aliquid, nam ſi nihil ſit, adhuc verum erit quòd nihil ſit ab una quod non ſit ab alia Etſi dicas Mundum produci à patre æterno non eſſe aliud quam Mundum & Patrem, dicet etiam alius, quod quandoquidem in eo caſu detur mundus & filius, detur etiam hoc eſt mundum produci à filio, & ſine dubio idem erit de ſpiritu Sancto.

10. Vrgent adhuc ultimum hoc, quod ferè coincidit cum primo; forma debet in ſe habere ut quo effectum, quem communicat ſubjecto, dum reddit ipſum tale ut quod: v g albedo debet eſſe diſgregativa viſûs ut quo quandoquidem reddit ſubjectum diſgregativum viſûs ut quod; & quantitas quia reddit ſubjectum extenſum ut quod, debet ipſa extendi ut quo; & cognitio debet eſſe ratio cognoſcendi, & idem eſt de actione, unione ac ſimilibus: Sed relatio identitatis v. g. aut ſimilitudinis, non habet ut quo identitatem aut ſimilitudinem fundamenti & termini, ergo relatio ejuſmodi quæ ſit quid diſtinctum ab ipſis fundamento & termino non habet denominare illa formaliter, aut ut quo eadem aut ſimilia. Minor probatur, quia per illud aliqua ſunt eadem aut ſimilia ut quo, per quod habent eſſe ejuſdem eſſentiæ aut ejus dem qualitatis; ſed res non habent per ullam relationem, ut à nobis intelligitur eſſe ejuſdem eſſentiæ, v g Petrus & Paulus non à relatione habent eſſe ejuſdẽ ſpeciei ſed ſeipſis, imò relatio potiùs tribuit ipſis formaliter eſſe diverſæ ſpeciei ab illis; & quidquid cauſat formaliter cauſat, communicando ſe ipſam, atque adeo ſi ipſa non eſt eadem ſpecie cum illis, non poteſt tribuere identitatem ſpecificam illis. Ita aliquis ipſorum ſed immeritò poſt ſolutum à me aut etiam poſt propoſitum ab ipſo primum argumentum ſupra, planè enim iſtud in hac forma coincidit cum illo. Arguendum ergo fuit, & aſſumendum, quòd formæ dent ſibi ſuas denominationes, nam quantitas dicitur & eſt extenſa, ipſa albedo eſt diſgregativa viſûs & non ſolum corpus album, quia ſubjecta horum per has formas ſunt formaliter talia, ſi ergo per relationem aliqua ſunt eadem ſpecie v. g. duo homines ipſa relatio erit eadem ſpecie illis, hoc autem eſt nimis manifeſtè falſum, ergo. Et noſtra doctrina, ex qua id ſequitur quod ſcilicet identitas aut convenientia ſpecifica eorum ſit relatio. Reſpondeo huic argumento reſpondendum eſſe ipſis etiam arguentibus ſeu adverſariis, fac enim verum eſſe ipſorum doctrinam in hac materia ſive relationem eſſe duo extrema redeunt aut incipiunt illis ſuæ difficultates, num enim extrema conveniunt in eſſentia cũ extremis? an illa referuntur ad ſe? num poteſt intelligi idem eſſe fundamentum & terminus, vel etiam eadem plura, & tamen hæc omnia ſequuntur adverſarios, & quod plus eſt hoc Quæro enim num idem eſt Petrum eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Paulo atque Petrum & Paulum eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Petro & Paulo clarum eſt quod non & tamen adverſarii per hoc ſecundum reſpondent ad quæſtionem factam de primo. Itaque argumentum ut à me formatum eſt faceſſit omnibus negotium & exiſtimo ad evadendum ipſum diſtinguendum eſſe ſeu explicandum axioma, illud quod formæ tribuunt ſibi ſuos effectus, id enim verum eſt quem maximè de effectibus aut denominationibus abſolutis quales allatæ ſunt in argumento eſſe diſgregativum, eſſe extenſum, *&c.* De relativis autem non poſſe ſemper currere, do exempla logica ac theologica Genus v. g. animal ſua genereitate prædicabile eſt de multis ſpecie differentibus puta leone & homine, nec tamen genereitas prædicabilis eſt de ſpecie ſed tantum de numero differentibus & quam minimè prædicari poteſt de homine & leone. Natura humana unita eſt hypoſtatica Verbo Dei, non tamen unio ipſa hypoſtatica unita eſt, aliàs poſſem prædicare Verbum de unione, quod falſum eſt, & alia ſimilia.

11. Inſtant, ergo relatio illa eſt poſterius ſimilitudine, ex quo ſequitur ſimilitudo, non ſit relatio, utique enim ſimilitudo non eſt poſterius ſeipsâ. Reſpondeo tam hic quàm in argumento peti principium à Recentibus, ſcilicet identitatem aut ſimilitudinem eſſe unitatem ſpecificam naturarum; nego enim illis hoc, & affirmo unitatem ſpecificam eſſe fundamentum tantum ſimilitudinis vel identitatis non autem ipſas. Itaque in forma ad argumentum nego minorem, & nego probationis Minorem, quam adhuc debent probare. Hæc ſunt quæ Novatores aliqui urgent contra veterem Peripateſmum de diſtinctione lationis ab extremis, quam hucuſque tuetur ſchola noſtra Scotiſtarum, quæ etiam non minus acria contra ſe invenit, ac argumenta adverſariorum, ſubjiciam ergo ipſa.

Adferuntur & ſolvuntur adhuc alia argumenta pro adverſariis.

12. Primum, quia, ſi verum eſſet quod nos volumus ſequeretur indies, imò in horas ſingulas & momenta mutari ſuſ deque orbem terrarum atque etiam aquarum, imò etiam corpora cœleſtia, & univerſim omnia omnino, idque ad cujuſcumque etiam aciculæ motum, quo videtur nihil abſurdius & incredibilius dici poſſe, & ſaltem vitari debet, ſi poſſit (quanquam enim non involvit repugnantiam, negari tamen non poteſt, quin involvat ſuperfluitatem plurimam ſi poſſit aliter dici) poteſt autem tenendo ſententiam adverſariorum, ergo illa abſolutè tenenda

Digitized by Google

nenda eſt. Sequela illa probatur, quia moto apice aviculæ illæ jam habet aliam ordinem ad omnes res Mundi diverſum ab eo, quem antè habuit, nam illis rebus quibus antè fuit vicinus & præſens jam eſt abſens, & è contra jam diſtat ab illis quibus antea fuit propinquus; & ſi manet aliquibus propinquus quibus antea fuit talis, ſed non manet in eadem propinquitate habet ergo novam relationem etiam ad iſta, ad alia etiam multo magis, atque ita ad omnia, ſicut etiam omnia alia habent novas relationes ad ipſum. Idem argumentum inſtrui poteſt de ſimilitudine, æqualitate, quolibet enim quantumvis inani & minuto in mundo genito, ſtatim reſultat illæ acies ſimilitudinum & diſſimilitudinum ad ipſum; & ſi ſit corpus ſurgunt exercitus æqualitatum in rebus omnibus corporeis ad ipſam; &, quod intolerabilius eſt in ipſo unico & minuto apice tot ſunt relationes, quot in omnibus illis ſeorſim, nam ſingulorum relationibus reſpondet ille propriâ relatione, &c. quæ incredibilia planè videntur, ergo.

Ad hoc etiam conabor duo illa facere, quæ ad cætera feci, ſcilicet regerere difficultatem in auctores, atque illam à nobis avertere ſolvendo. Primum ſic præſto; nam etiam ſine relationibus debent adverſarii tale quid admittere, etenim quælibet res univerſi cum qualibet alia facit numerum, etiam cum numero atque ipſis etiam numeris numerorum v. g. Capitolium cum Colyſſæo facit duo & cum duobus tria, cum tribus quatuor, in quibus illud ita numerari poteſt, ut modò ſit primum modo ultimum, aliquando medium, quæ omnia exigunt aliquam realitatem novam, nam ſpecies numeri non poſſunt eſſe unum quid omnes; & ordo primi & ultimi certum eſt quòd debeat eſſe aliquid præter duo illa quia variari ordo poteſt ſtantibus illis duobus. Itaque vitari non poteſt aliqua hujuſmodi multitudo. Quod etiam iterum oſtendo aliâ viâ quam difficile evàdent adverſarii ne ei concedant omnia ferè aut certè plurima in univerſo orbe mutari ad unius etiam muſcæ motum. Nempe cum muſca aliam extendit utique movet loco aërem, & ille ſine dubio proximum ſibi quia nimirum ſuccedere debet in locum ejus, & in hujus etiam locum utique alius ſcilicet vicinus ei debet venire, atque ita ſi non in infinitum, certè per plurima ſuccedentia ſibi loca, quæ ferè infinitè majora ſunt alâ muſcæ. Si ergo natura non potuit hoc cavere, quid mirum eſt ſi nos dicamus illã aut debuiſſe aut voluiſſe permittere alias iſtas mutationes multiplicari, quæ minoris entitatis ſunt, quam illa aliæ quæ ſunt propriè phyſicæ ac ſenſibiles, iſtæ autem relationes vix ab intellectu, nedum à ſenſu, percipi poſſint, & proinde non eſt curánda eorum multiplicatio cum nulla multitudine, & quantumvis magna ipſorum quiſquam ſentiat ſe gravatum; & quamvis Averſa dicat intellectum gravari per ipſas, quia nimirum laborat in defendendo illas tamen ſi hoc ſit unum, debet judicare quod relationes etiam, ſint oneri non portanti, ſeu neganti eas, nam etiam laborant qui negant eas, in ſuſtinendo ſententiam ſuam ut infra luculenter patebit, quum attulerimus in medium noſtras rationes pro relationibus. Interim

13. Sit ſecunda ratio contra ipſas: Si enim dentur, debent eſſe diviſibiles aut indiviſibiles; neutrum autem poſſunt eſſe; non ſecundum, quia aliquæ ſunt materiales in entitate, & præterea etiam ſunt in ſubjectis materialibus, terminatæ etiam ad terminos materiales, quæ omnia exigunt ipſorum diviſibilitatem; & tamen non poſſe eas eſſe diviſibiles videtur hoc diſcurſu demonſtrari. Accipiamus æqualitatem unius palmi ad alium, dico hanc non poſſe eſſe diviſibilem, quia ſi ſit, tum pars ejus erit in parte palmi, & alia in alia parte palmi, quod non poteſt eſſe, quia, ſi pars eſſet in parte palmi tum pars palmi A. eſſet æqualis toti palmo B. eò quòd relatio illa utique tota ſit homogenea ſive ejuſdem rationis in partibus ac in toto, atque ita ſi pars relationis ſit in parte palmi A, pars palmi erit æqualis palmo B. quia nimirum illa pars eſt æqualitas ſicut eſt tota relatio. Exemplum eſt in qualitate v. g. albedine quæ, quia eſt tota ejuſdem rationis ſive quia partes ſunt ejuſdem rationis cum toto proinde reddit quamlibet partem ſubjecti albam ſeu diſgregativam viſus. Hoc etiam argumentum eſt moleſtum noſtris: Quidam dicunt relationem etiam materialem eſſe indiviſibiliter in ſubjecto; ſed hoc jam ſupra in principio refutatum eſt, & præterea non vitat ſed incurrit amplius difficultatem ut bene notavit Maſtr. hîc, quia ſi ſit indiviſibiliter in ſubjecto jam eſt in qualibet parte ſicut eſt in toto, hoc enim eſt eſſe indiviſibiliter in ſubjecto, ſcilicet eſſe totam in toto, & totam in qualibet parte ejus, atque ita ſicut denominat totum denominabit etiam ſingulas partes. Unde hæc ſolutio tertii improbabilis eſt: nec tamen vitavit omnia inconvenientia ipſe improbator hujus ſolutionis Maſtrius volens relationes ejuſmodi puta æqualitates & proportiones aliàs eſſe accidentia diviſibilia & extenſa in ſubjecto, non támen denominare partes ſubjecti, licet etiam ipſorum partes ſint homogeneæ, ſeu ejuſdem rationis cum toto, quia relationes illæ requirunt integrum fundamentum ut habeatur earum denominatio. Nam qui hanc ſolutionem expenderit, deprehendet concedi hîc abſurdum non multo minus eò quod conatur iſta vitare; concedit enim formam aliquam alibi ſubjectari, & alibi denominare, alibi ſe habere & alibi ſuum effectum formalem, qui quaſi ſuſpenſus erit, & trajicitur in longum extra eum locum & ſubjectum in quibus forma ipſa eſt. Nempe dicit hic partem æqualitatis, quæ eſt in dimidio ullius palmi æqualis alteri palmo inhærere quidem medietati illi ſed denominare totum, nullatenus autem partem illam denominare, quod nemo non videt eſſe difficile, & contra prima principia jam ſupra aſſignata de denominatione: propter quæ exiſtimo melius dici quod pars formæ ſit in parte ſubjecti eamque denominet. Quomodo autem non ſequetur quod reddat omnes partes æquales, explicabo ſtatim. Interim quæro ex adverſar. quomodo deducunt hoc inconveniens ex relationibus noſtris, quaſi vitari poſſet negatâ relatione. Imo dico (ut hactenus) etiam hoc argumentum redire in auctores, nam etiam ſecundum ipſos datur æqualitas inter duos palmos quæ etiam extenſa & diviſibilis eſt, non quomodocunque ſed homogeneè; æqualitas enim cujuſlibet palmi ad alium quum ſit ipſe palmus eſt extenſa, & ejuſdem rationis in omnibus partibus: quæro ergo de hac æqualitate an reddat omnes partes palmi A. æquales palmo B, nec ne? ſi ſic, redit ut dixi argumentum in auctores ſi non, nec contra nos quicquam facit.

Dicen-

Dicendum eſt ergo partem æqualitatis eſſe in parte, adeòque reddere eam æqualem palmo B. ſed partialiter, ſicut & ipſa eſt æqualitas tantùm partialis.

Dices primò eſſe æqualem partialiter, eſt eſſe inæqualem, non poteſt autem æqualitas reddere formaliter inæqualem. Secundò, illa pars eſt abſolutè inæqualis, ergo non poteſt nec taliter nec aliter eſſe æqualis: Reſpondeo ad primum, ſi major ſit vera minorem eſſe falſam, quia certum eſt quod pars æqualitatis reddit partialiter æquale nec poteſt minus præſtare. Ad ſecundum neganda eſt conſequentia, propter idem

14. Quæres, quare non poſſit reſponderi huic argumento, dicendo, quòd pars æqualitatis quæ eſt in dimidio hujus palmi referat hanc medietatem ad ſemipalmum alterius palmi, ſic enim dicendo illa habebit modū abſolutæ æqualitatis & denominatio erit vera. Reſpondeo: cauſa eſt quia (ut ſupponimus) æqualitas illa eſt homogenea id eſt ejuſdem rationis in toto & parte, quod ſi verum eſt jam etiam partes referentur ad eundem terminum ad quem tota illa, ſed tota habet pro termino palmum. Dices: Haberent etiam illo modo pro termino palmum ſed partialiter, quod ſufficit quia nec ipſæ ſunt referentiæ aut relationes niſi partiales. Reſpondeo non ſufficere hoc, quia debent partes habere eundem in ſpecie terminum quem habet tota relatio; at verò in hujuſmodi materia menſurarum quodlibet augmentum & decrementum mutat ſpeciem, ſicut in numeris quælibet unitas facit aliam ſpeciem numeri tam quando additur quam quando aufertur. Vbi adverto ſemipalmum palmi A. propriùs dicendum eſſe partialiter inæqualem toti palmo B. quam æqualem ſemipalmo ejus, quia nimirum æqualitas eſt denominatio afficiens tota ſive entia ſubſiſtentia; quum ergo ſemipalmi incluſi in palmis illis non ſint ſubſiſtentia aut tota, ſequitur.

Ex quibus ſolutum habes, quod adferri ſolet contra relationes ex eo, quòd idem accidens eſſet in ſubjectis realiter diſtinctis: v. g. proportio ſeſqui-altera quâ numerus ſenarius excedit quaternarium debet eſſe in toto ſenario, ſenarius eſt autem plura diſtincta, ergo jam eadem forma ſcilicet proportio illa eſt in pluribus ſubjectis. Ad hoc enim concedendum eſt totum, eo quòd accidens illud quid diſcretum ſit ſicut & ſenarius. Tum autem eſſet abſurditas ſi contingeret idem aliquid eſſe diſtributivè in pluribus ſubjectis non verò ſi collectivè eſt in iſtis, nam & ego jam ſum in pluribus locis ſecundùm plures partes, non ſecundum omnes plures, ſed ſecundum omnes ſemel, ita ſimiliter

15. Aliud objici ſolet, quòd, ſcilicet ſi ſemel admittatur diſtinctio unius relationis à fundamento, tum in quolibet fundamento admittendæ eſſent infinitæ ferè relationes, quod ſine dubio eſt intolerabile etiam in omnibus ſubjectis, quanto magis in ſingulis? Sequela tamen probari videtur, quia ſi in Petro, v. g. ſit ſimilitudo ad Paulum eò quòd ſit ejuſdem naturæ cum ipſo erit etiam in eo diſſimilitudo ad hanc ſimilitudinem, eò quod ſit diverſæ naturæ ab ipſa ſimiliter erit diſſimilitudo ejus ad hanc diſſimilitudinem, utique enim eſt diverſæ naturæ etiam ab iſta, & ita in æternum & infinitum, ergo. Sed hoc alibi locum habet magis proprium infrà *apolog.* 8. *ſect.* 1. ubi objicitur contra concluſionem, quæ docet unam relationem fundari poſſe in alia; ibi expectatur. Pro nunc ſaltèm dico hunc proceſſum non ſequi univerſaliter, ſed in paucis & rarò, adeòque propter ipſum non eſſe negandas univerſaliter omnes relationes, ſed aliquas tantùm. Non enim currit de æqualitatis relatione, quia quantumvis concedam in palmo relationem æqualitatis ad aliud, non reſultabit ſecunda æqualitas palmi ad hanc æqualitatem, quia nimirum æqualitas & inæqualitas ſunt inter quantitates, ipſa autem æqualitas non eſt quantitas, adeòque ad ipſam non eſt æqualitas. Idem eſt de paternitate, ut dominio, ſervitute, nam ad has non dantur aliæ ſervitutes aut paternitates, adeòque.

Simili modo truncari poteſt argumentum ſuprà factum, nam non ſtatim concedetur infinitas relationum, quamvis res quælibet ſit diſtans aut indiſtans ſimilis aut diſſimilis alteri, quia ſecundùm multorum ſententiam ſufficit una relatio pro pluribus terminis, imo pro omnibus etiam infinitis ejuſdem rationis: ſi, v. g. Pater habeat infinitos filios, unâ paternitate referetur ad omnes, ſecundum iſtam viam, quâ poſita ſine dubio vehementer derogatur illi argumento, adeòque

16. Proponam jam duo, quæ facient difficultatem noſtris relationibus etiam in noſtris ipſorum principiis, & procedunt de productione hujuſmodi reſpectuum: unum eſt, quòd cogamur dicere agens naturale non habere ſphæram activitatis in agendo; id autem eſt falſum & experientiæ ipſi repugnans. Sequela tamen contra nos patet, quia producto albo hic Romæ ſtatim producitur ſimilitudo ad ipſum in albo quod eſt apud Hibernos aut in India, & quidem ab hoc albo Romano ſaltèm partialiter, ſicut etiam ſimilitudo Romana attingitur viciſſim ab albo Indico, ergo: Clarum eſt autem Indias eſſe extra ſphæram agentis Romam quum & ipſa Roma ſit, neque enim ullum agens materiale actione reali poteſt ſuperare diſtantiam quæ eſt inter latera urbis, nequidem tormenta bellica, quum exploduntur, ſaltèm debet eſſe agens validiſſimum quod eò uſque pertinget, atque ita manifeſtum eſt non poſſe à quovis fieri, & tamen ſimilitudines à quocumque quamvis frivolo & inani capillo producentur, ergo.

Alterum eſt, quod ſupereſt reſolvendum, utrum has relationes poſſit ullus, etiam Deus impedire? ſi ſic, non conſtat, quòd dentur, nec enim conſtat quod non impediatur. Deinde ſaltèm demus quod aliquamdiu eas impediat, in eo caſu quæri poteſt utrum eſſent res relatæ ſimiles, v. g. & æquales? Negari ſanè non poteſt quod in eo caſu duo palmi eſſent æquales: duo alba ſimilia, ſi autem concedatur, jam habetur æqualitas & ſimilitudo ſine relationibus.

Ad primum horum ex noſtris multi multa dicunt, aliqui volunt relationem cauſari à termino, & quod plus eſt ſolo, dicuntque id peculiare eſſe relationibus, quòd fieri poſſint in diſtantia. At hoc non eſt ſolvere difficultatem ſed concedere, & certiùs eſt agentia habere ſphæram acti-

vitatis definitam, quàm dari in rebus relationes nam hoc in controverſia eſt, illud nullus negat. Videntur autem vitari abſurda dicendo quod relatio producatur à ſolo fundamento, & proinde poſteriores Scotiſtæ hoc elegerunt, & quidem vitatur abſurdum illud de infinita ſphæra activitatis agentium; non vitatur autem aliud hoc ſed incurritur quod relationes non ſpecificarentur hoc modo à terminis. Certum eſt enim quòd non ſpecificentur niſi cauſentur, non enim ſpecificantur formaliter ab illis quaſi termini ſint differentiæ formales relationum, ſed ſpecificantur efficienter, quia cauſant in illis talem differentiam pro alia, atque ita infallibiliter attingunt ipſum. Vtrobique ergo eſt difficultas, dabo tamen modum quo utrique reſponderi poſſit. In primis enim quod relationes produci poſſint in quacunque diſtantia poteſt prætendi per diſparitatem, quæ eſt inter ipſas & alias formas aut alios terminos productionum, quod illæ ſint phyſicæ & ſenſibiles, hæ non ſed metaphyſicæ potius & quaſi intentionales, ac proinde ſicut cognitio poteſt produci de re quantumcumque diſtanti & poteſt illa res excitare ad amorem & intentionem ſui, imò etiamſi omnino non exiſtat, ita prætendi poteſt de relationibus propter tenuitatem eorum quia ſunt methaphoricæ ac umbratiles & nullo ſenſu percipi poſſunt ex quo etiam ad replicam factam reſponderi poteſt dicendo terminos ſpecificare relationes quamvis non attingat phyſicè ſicut actus voluntatis ſpecificantur ab objectis quum tamen objecta non attingant illos phyſicè.

Ad ultimum autem exiſtimo faciliùs dicendum, quòd poſſit à Deo impediri earum reſultantia, ſed deciſio hujus non eſt ad præſens neceſſaria, nam ſive poſſit, ſive non poteſt ſaltèm per intellectum impediri, quo caſu currit argumentum, habetque eandem ſolutionem quam ſuprà dedi, & non libenter audiunt adverſarii, ſcilicet res tum fore fundamentaliter relatas v. g. fundamentaliter ſimiles fundamentaliter æquales.

17. Sed inſtant: unde nobis conſtant res aliter hodie eſſe ſimiles? & quorſum quæritur illa alia relatio, v. g. ſimilitudo aut æqualitas formalis? Hæc centies decies quærunt & requirunt illi, quibus tamen jam ſatisfactum eſt pro ultima parte, nam ad primum non eſt opus reſpondere, quia, cùm ſupponatur hinc inde à nobis ſeparationem relationum faciendam eſſe de potentia abſoluta, conſtat, quod ordinariè non ſeparentur, alioquin potentia ordinaria eſſet extraordinaria & abſoluta. Reſpondeo ergo ad ſecundum requiri formam illam ſuperadditam, ut habeatur in rebus relatio quâ ſine forma ſuperaddita extremo haberi non poteſt, hæc autem duo ſcilicet dari relationem in rebus, & non dandam ſine hujuſmodi formis ſuſcipio probandam *act. ſeq.* nam hæc nimis exercuit in harum impugnatione.

Denique moneo ſuſpensè legendos in hac materia modernos, unus animosè ſatis totam antiquitatem ferè pro ſe citavit (tanquam à priſcis & SS. DD. non fuerint agnitæ relationes) Boët. Damaſc. Anſelm. Aug. ſed malâ fide. Dicit apud eum Boëtius *relationem non in ſimplicitate, ſed in pluralitate conſiſtere*, at apud ſe Boët. hoc non dicit, ſed tantũ *relativorum intelligentiam non in ſimplicitate, ſed in pluralitate conſiſtere*, quod etiam apud nos eſt veriſſimum. Senſus enim eſt, quod relativa ſint ſimul cognitione. Secundo non invenio in Boëtio ubi ipſe innuit *ſubſtantiam eſſe rem unam, relationem duas*, quære require, credo dices idipſum. Jam verò *Damaſcenus* (ait hic) in ſua logica cap. 5. *clarè dicit res ſeorſim ſumptas eſſe ſubſtantias vel alia prædicamenta, collata vero relationes* volve revolve caput 50. nihil tale offendes.

Joann. Gonſal. 2. part. l. gic. diſp q. 6.

Adfert tamen ille non omnino contemnendas rationes, etſi recidant in unam: nempe (arguit ille) fides docet hominem factum ad imaginem & ſimilitudinem Dei, certè autem hoc intelligendum eſt fieri non per modulos ſuperadditos, ſed per ſubſtantiam ipſam naturæ humanæ corporis ſcilicet & animæ, in qua potiſſimùm atque ejus potentiis imago Dei dicitur eſſe conſtituta: alterum quod adfert, eſt de filiatione adoptiva, quæ fit per gratiam, dona ſupernaturalia, non verò per modulos emanantes. Ita enim docuit S. Petr. & ex eo Concil. Trid. Reſpondeo tamen incipiendo ab hoc ultimo argumentum eſſe in oppoſitum, nam illa *dona* quamvis maxima & precioſa utique non reddunt nos filios Dei perfectiùs, quam eſt ipſe Chriſtus aut verbum Dei, ſed multò imperfectius, nos enim ſumus adoptivi ille naturalis, ille habet naturam ipſam Dei, nos participationem ejus duntaxat. Tum ſic ſed non obſtante quod verbum habeat ipſam naturam Dei, nihilominus habet relationem filiationis ergo à fortiori nos non obſtantibus his donis accidentalibus creatis habebimus relationes. Jam ad primum non facilè producet ille locum Geneſ. ubi dicamur eſſe imagines ſed dicamur eſſe ad imaginem. Deinde ſit ita ut ille vult argumentum, non habet novam difficultatem ſed tritam quæ recurrit in omni æqualitate & ſimilitudine, quæ ſoluta ſunt ſupra.

Adhuc tamen arguit ſic: Eccleſia in feſto transfigurationis orat: *Deus, qui fidei ſacramenta in unigeniti tui glorioſa transfiguratione Patrum teſtimonio roboraſti & adoptionem filiorum perfectâ voce delapſa in nube lucida mirabiliter præſignaſti, tribue quæſumus.* Ergo non dantur relationes, & eas non dari ſentit Eccleſia univerſa, quod legitimè an importunè illatum ſit, qui legit intelligat, ego ſanè non facilè allegarem auctoritatem Eccleſiæ huic aut illi parti,

ACTIO II.

Probans oſtenſivè dari in rebus veras relationes prædicamentales tam tertii prædicamenti ſeu *ad aliquid*, quàm aliorum.

Breviarium.

N. 1. *Prima ratio pro relationibus. Relatio contraponitur abſoluto.*

2. *Secunda ex proportionibus & proportionalitatibus.*

3. *Tertia: an dari poßint relationes non mutua contra adverſariorum principia.*

4. *Quarta: Ordo convincitur eſſe relatio: Ratio tamen patitur exceptionem, & quam?*

5 *Probatio theologica relationum ex divinu: Patitur etiam plures exceptiones, quæ tamen ſolvuntur ibidem.*

6. *Arguitur ſpecialiter contra ponentes relationem in duobus abſolutis extremis.*

7. *Secunda ratio contra eoſdem.*

8. *Tertia non poſſe adverſarios defendere diſtinctionem ſpecificam relationum.*

9. *Vltima ratio contra ipſos: an præterita referantur?*

10. *Arguitur contra Connotatores ſive ponentes relationem in uno extremo conſiſtere.*

11. *Inſtantiæ adverſariorum contra rationem poſitam, ſolvuntur.*

12. *Aliud argumentum contra eoſdem aliqua connotant, & tamen non deſinunt eſſe abſoluta. Inſtantia.*

13. *Vltima ratio contra eoſdem, debet adverſ. concedere connotationem connotationis.*

14. *Oſtenditur Ariſtoteles olim præveniſſe, & refutaſſe hanc doctrinam Nominalium*

15. *Anacephaleoſis dictorum in hac materia.*

1. TOrum hoc eſt contra Recentiores, qui omneſomnino relationes negant, voluntq; non dari niſi res abſolutas, eaſque, ſive ſingulas, ſive plures aut conjunctim ſumptas facere eas denominationes, quas nos dicimus relativas: contra quæ

Probo concluſionem in titulo poſitam, ſive dari verè relationes primo ſic: quia dantur in rebus aliqua verè relata, ergo dantur verè relationes. Antecedens non poſſunt negare, quia evidens eſt eſſe aliqua, quæ ad invicem ſunt ſive referuntur; ſic enim filius ad Patrem eſt, dominus ad ſervum, producens ad id, quod producitur, conſequentia probatur, quia denominatio relativa non poteſt provenire niſi à relatione; Hæc valet dicere dari hic relationem ſed eſſe duo extrema, id enim manifeſtè refellitur ex dictis hic ipſum, quæ ſic urgeo: non poſſunt ulla uniùs ſpeciei quantumvis multiplicata conſtituere aliquid diverſæ ſpeciei & diſparatæ, ſive contrapoſitæ ipſi, nec unquam duo accidentia faciunt ſubſtantiam aut è contra, & ſic de cæteris ergo nec duo abſoluta facient relativum.

Dicent, quamvis inſtantiæ ſint veræ tamen propoſitionem aſſumptam eſſe, falſam univerſaliter, quia contra illa etiam eſt inſtantia, numerus enim quæ eſt quantitas & ſpecies contrapoſita continuæ fit ex pluribus quantitatibus continuis, & univerſaliter omnis multitudo ex unitatibus. Imò & ipſum continuum eſt aliquod exemplum hujus in probabili ſententia, conſtat enim ſeu componitur ex indiviſibilibus, & tamen continuum ipſum eſt diviſibile, ergo. Reſpondeo tamen propoſitionem aſſumptam eſſe veram, neque adductas inſtantias oppoſitum convincere: nam ſecunda illa de continuo eſt manifeſtè falſa, neque enim illud ex indiviſibilibus ſed ex ſemper diviſibilibus componitur. Prima autem de numero etſi ſit vera tamen neminem movere debet, quia eſt ſola ab illa parte, alia enim ſimilis inveniri non poteſt: at verò ubi dubitatur de natura alicujus, potiùs accommodanda eſt illa multis quàm uni, & dicendum quòd relatio non poſſit fieri ex abſolutis propter multa, quæ non poſſunt ex oppoſitis componi, quàm quod fiat ex illis propter unum numerum. Deinde dico illud de numero non facere ad rem niſi pro nobis, nam numerus non eſt unum quid ſed plura, & licet prætendi poſſit quòd relatio talis ſit, & nos, quum oppoſitum volumus, petamus principium, tamen oſtendo hoc, quod nos dicimus etiam ab adverſariis deberi admitti quia relatio habet conceptum per ſe unum; ſi enim ens abſolutum habet, quidni relativum? nam differentiæ utriùsque ſunt ſimiles; differentia unius eſt eſſe ad ſe, differentia alterius eſſe ad aliud; patet autem quod ſi eſſe ad ſe ſit ſimplex differentia etiam eſſe ad aliud talis debeat eſſe. Denique numerus non eſt niſi in multis, relatio eſt in quolibet uno. Denique relatio eſt ad aliud, conjunctum illud non eſt ad aliud, quia intra ipſum eſt fundamentum & terminus relationis.

2. Probo iterum ratione naturali idipſum ex proportionibus, quæ ſunt relationes; dantur autem ejuſmodi proportiones ſine dubio, ergo. Proportionem eſſe relationem & non plura abſoluta probo, quia, niſi ita eſſet, nunquam dari aut intelligi poſſent proportionalitates (quæ etiam ſunt ſpecies quædam proportionum) quod ſic oſtendo nam res ipſæ jam comparatæ ſunt inter ſe per proportionem, ſi ergo nulla eſt comparatio præter res, jam nulla eſt proportionalitas quia res jam comparatæ ſunt inter ſe per proportionem, at verò proportionalitas eſt quid ſpecie diſtinctum à proportione, ergo non poteſt eſſe res comparatæ, quia res comparatæ non ſunt ſpecie diſtincta à ſe ipſis. Confirmatur quia ſi relationes & comparationes omnes ſint extrema, non poterunt diſtingui ſpecie proportiones,

hoc autem eſt falſum. Probo ſequelam: Accipiamus enim numerum ſenarium; hic, ſi dividatur in duas trinitates habebitur proportio æqualitatis; ſi autem compareretur totus ipſe ſenarius ad ternarium erit proportio dupla ſi ad binarium erit ſeſqui altera, cum ſic hæ proportiones ſunt ſine dubio ſpecie diſtinctæ, & ſecundùm nos id bene teneri & explicari poteſt dicendo quod proportiones ſint relationes & formæ ſuperadditæ extremis; ſecundum adverſarios non, nam in omnibus his res ipſæ comparatæ ſunt eædem; ſi ergo proportiones ſunt eædem jam comparationes ſeu relationes non ſunt res.

Proſequor hoc argumentum in hunc modum, ſi relationes & proportiones illæ non ſint niſi res relatæ, ſequitur non dari in Matheſi ſcientiam ullam, niſi ſolam Geometriam, & nullam eſſe arithmeticam aut Muſicam. Probo conſequentiam, quia hæ ſunt de proportionibus continuorum inter ſe, quas etiam demonſtrant: ſi ergo proportiones & relationes illæ non ſunt niſi res relatæ ſeu ipſa continua, quæ ſunt objectum Geometriæ, jam arithmetica non erit niſi plures Geometriæ, & demonſtratio arithmetica erit non aliqua una demonſtratio numero aut ſpecie, ſed plures demonſtrationes geometricæ, quod nemo neſcit eſſe falſum, ergo.

3. Probo adhuc tertiò idipſum, quia, ſi relatio ſit tantùm extrema, & non aliquid tertium ſequitur non dari relationes non mutuas; hoc eſt falſum ut patet ex philoſopho 5. *Met. &c.* quia tamen homines cum quibus diſceptamus nihil faciunt hanc antiquitatem, aliter ſic infero, ſequitur non dari relationes diſquiparantiæ, has autem non audebunt credo nominales iſti negare, non enim nituntur auctoritati duntaxat ſed rationi cum conſtet dominium & ſervitutem cauſam & effectum patrem v. g. & filium eſſe diſparata & heterogenea ac relationes eſſe diſquiparantiæ, hoc eſt diverſæ rationis hinc inde, ſequela tamen primi probatur quia non poteſt eſſe relatio ſine duobus, eo autem ipſo quod ſint duo, jam relatio eſt mutua, quia nimirum non eſt aliud quam ipſa duo, quæ non poſſunt uno modo ex duobus accipi, niſi accipiantur etiam altero; clarum eſt enim ſi habeam ego Joannem & Paulum quod habeam etiam Paulum & Joannem. At vero ſecundum iſtos relatio hoc modo reciprocatur, incipiendo aliquando ab uno, aliàs ab altero; & ſimilitudo Joannis ad Paulum eſt Joannes & Paulus, ſimilitudo Pauli ad Joannem eſt Paulus & Joannes.

Sequela ſecundi probatur, nam Paulus & Joannes v. g. ſunt ejuſdem ſpeciei inter ſe, ſi ergo ipſi ſunt ipſorum relationes, quomodo erunt diverſæ ſpeciei relationes? Confirmatur & declaratur, demus enim Paulum eſſe ſervum Joannis, jam inter hos dabuntur relationes dominii & ſervitutis & prætereà relationes ſimilitudinis ſeu identitatis ſpecificæ: hæ apud nos facilè diſtingui poſſunt, quia pro ſingulis ponimus ſingulas formas: apud adverſarios non, quia non ponunt aliam formam, quàm ipſa extrema. Certum eſt autem quòd extrema ſemper ſint eadem extrema, adeoque non poſſunt ipſa ſolam relationem ſpecie variare ſive ſimul ſive ſucceſſivè.

4. Probatio quarta ex natura ordinis, nam ordo eſt ſeparabilis à pluribus, manentibus illis, quæ ordinata fuerunt, ergo ordo eſt relatio aut relativum; non enim explicari poteſt, aut intelligi niſi ad aliud, & ſine dubio datur inter aliqua ordo, ergo datur certiſſima relatio, id eſt forma aliqua ſuperaddita extremis, patet major, quia illa, quæ fuerunt ordinata poſſunt eſſe nec eſſe ordinata ſed confuſa, ut jam eorum nullus ſit primus, ſed uterque pares, adeòque ſeparari poteſt ab illis ordo, non poſſet autem ſeparari ab ipſis ſi fuiſſet ipſa, neque enim ipſa à ſe ipſis ſeparari poſſunt, ſeu deſtrui & ſimul remanere, ergo.

Ad hoc dicent fortaſſe ordinem eſſe relationem rationis, quam non curant concedere, ſed, ni fallor imprudenter facient, ſi enim ipſa extrema ſecundùm illos poſſunt ſupplere defectum relationis realis, quanto magis poſſunt ſupplere relationem rationis, ergo. Deinde error eſt dicere ordinem realiter eſſe ordinem rationis, nam in tempore duæ partes ſibi invicem connexæ ſunt, ita ut una aliam præcedat, idque ante omnem noſtræ rationis operationem atque ita ſine ulla relatione rationis una pars eſt prima, altera ſecunda ergo.

Quintò adferri poteſt demonſtratio illa de incremento relationis & decremento extremorum, ſi enim unum creſcere poteſt, cùm aliud non creſcit, evidens eſt unum non eſſe aliud, alioquin idem creſceret & non creſceret ſimul, id autem contingere probatur; ſi enim ponamus duo alba, v. g. unum ut 8. & alterum ut 4. erunt ſimilia, certum eſt, at non tantopere ſimilia quam forent duo alba ut 8. aut etiam duo alba ut 4. Propter quod ſi decreſcit albedo illa albi ut 8. & fiat ut 7. ſimilius erit albo ut quatuor, quia remiſſius fit quum ipſum album ut quatuor ſit remiſſum; & adhuc ſimilius erit ſi fiat ut 6. & ſimillimum ſi redigatur ad quartum. Unde poteſt inſtrui argumentum in forma ſic; Albedo remittitur, & ſimilitudo non remittitur ſed intenditur, ergo albedo non eſt ſimilitudo, nec è contra.

Dicent fortè ſequi hinc, quòd albedo non ſit illa ſimilitudo totaliter. Et ego dico nec partialiter eſſe idque ſequi hinc, nam ſi eſſet etiam partialiter ſimilitudo deberet partialiter augeri albedo quum augetur ſimilitudo, quod non fit, ſed oppoſitum. Deinde adhoc ut ſimilitudo non augeretur remiſsâ unâ albedine deberet altera albedo vehementiùs augeri quam remittitur hæc. Supponimus autem alteram albedinem nullatenus mutari, ergo.

Sextum argumentum eſt relatio cauſæ ad effectum, quam dico evidenter in rebus dari, nec eſſe ipſa extrema relata v. g. calor eſt productus ab hoc igne per ſpecialem ordinem ad hunc ignem. Quod eſſe verum, & doctrinam adverſariorum hîc planè falli ſic oſtendo, non enim poteſt relatio ſeu habitudo caloris ad hunc ignem ſive hoc quod eſt hunc calorem fuiſſe productum ab hoc igne, quæ eſt aliqua veritas neceſſariò ſolvenda, hoc inquam non poteſt ſalvari per illa extrema, puta per calorem & ignem, quia nimirum poterat eſſe in rebus ille calor, & hic ignis ſine eo quod hic calor produceretur ab hoc igne: non poteſt autem exiſtere forma quæ eſt productio hujus caloris ab hoc igne ſine eo quod hic calor ſit productus ab hoc igne, ut patet; ſed & antecedens patet, quia nimirum potuit hic calor produci à ſole vel ſaltem ab alio igne, vel denique à Deo ſine dubio, qui

Digitized by Google

etiam de facto eum aliter producit, de poſſibili ſine dubio totaliter eum producere poſſet, quum in genere cauſæ efficientis non habeat limitem, & poſſit ſolus facere, quidquid ab ullo efficiente & ab omnibus fit, eò quòd ſolus contineat vires omnium.

Hoc argumentum reputo efficax, ſed neſcio, an ſit efficax per omnia in ſenſu prætenſo ab adverſariis ſive ſecundum limitationem à nobis ipſis poſitam de relatione prædicamenti *ad aliquid*; non enim videtur relatio illa qua aliquid producit & aliud producitur pertinere ad hoc prædicamentum in rigore noſtræ ſcholæ, quum non reſultet ſtatim poſitis extremis, quod convincit revera hoc ipſum argumentum. Sed valet in primis contra negantes omnem omnino relationem quæ ſit forma unica diſtinctæ rationis ab omni abſoluta, & à pluribus abſolutis, quod videntur facere Recentes; valet etiam ſecundum intelligentiam Peripateticorum aliquot, etiam Scotiſtarum, qui diſtinguunt relationes transmutantis ad tranſmutatum, educentis ad eductum, & denique producentis ad productum, & volunt duas priores eſſe quidem extrinſecùs venientes, ultimam tamen intrinſecus advenire, quod ſi verum eſt, jam argumentum probat relationem tertii prædicamenti *ad aliquid*, ergo.

5. Probo denique ex divinis, quia ibi dantur relationes plures, ſcilicet paternitas, filiatio & ſpiratio tam activa, quàm paſſiva, ex quo infero primò verum eſſe, quòd dentur in rebus relationes, & omnia non ſint abſoluta: Secundò infero etiam dari in creatis relationes à paritate, nam ſi in divinis ſint neceſſariæ, multò magis in creatis, in quibus multiplicari poſſunt entia, atque ita ſi ſalvari non poſſunt in divinis ratio patris & filii per ſolas entitates abſolutas hinc inde multò minus in creatis.

Sed hoc argumentum ductum ex divinis relationibus eſt obnoxium multis exceptionibus: Primò autem prætendi poteſt, quòd, licèt concedatur tam antecedens quàm conſequens, tamen non proinde habetur intentum hujus loci, in quo probandæ ſunt relationes tertii prædicamenti *ad aliquid*, illæ autem relationes divinæ non videntur pertinere ad illud, ſed ad quintum & ſextum prædicamenta ſcilicet actionem & paſſionem. Secunda & melior exceptio fieri poteſt dicendo, quòd relationes divinæ ſint tranſcendentales, adeòque ex illis non poſſunt probari prædicamentales; nam vel eſt paritas inter divina & creata hinc inde, vel non: ſi non, fruſtra argumentamur; ſi ſic, tum relationes creatæ debent eſſe tranſcendentales. Ad primum tamen dico argumentum factum valere ſaltèm contra negantes omnem omnino relationem. Deinde valere contra negantes relationes tertii prædicamenti ſuppoſito, quòd paternitas creata ſit tertii prædicamenti, ut communiter tenetur cum Ariſtotele. Ad ſecundum nego relationes divinas eſſe tranſcendentales, & dico eas potiùs habere rationem prædicamentalium, quia nimirum tranſcendentales illæ relinquunt ſubjectum ſuum abſolutum, nihil enim eſt, quod non dicat plures ex illis relationibus tranſcendentalibus, ſubſtantia, quantitas qualitas, quæ tamen omnia ſunt entia ſimpliciter abſoluta. At verò relationes divinæ nequaquam, quin potiùs reddunt & relinquunt ſubjecta ſua relativa, ergo jam evidens eſt quòd non ſint tantùm tranſcendentales. Utor etiam contra hanc & ſimiles replicas hâc ratione; ſcientia Dei identificatur realiter eſſentiæ & ſecundùm multos etiam formaliter, & nihilominus in Deo datur vera ratio ſcientiæ, ex genere ſuo, ergo licèt relationes divinæ identificentur quantumcumque voles perſonis, ut ſint etiam conſtitutivæ earum, non proinde perdent veram rationem relationum.

Exiſtimo tamen hoc negotium de relationibus divinis ibi ſiſtere, & eatenus probare concluſionem noſtram ſeu exiſtentiam relationum, quatenus ipſæ tales ſunt, non verò quòd inde ſequantur creatæ, nec enim ex eo quòd aliquid in Deo ſit, ſtatim non ſequitur id inveniri in creatis.

Poſſumus tamen facere conſequentiam quandam ex obliquo hîc, ut inferamus ex divinis relationibus creatas, quia nimirum SS. PP. tam in Conciliis, quàm in operibus ſuis probant relationes divinas ex creatis ſive ad modum creatarum, quæ ratio ſine dubio ſupponit relationes creatas, & nullatenus intelligi poteſt de pluribus rebus abſolutis, quia relatio ſic intellecta non poteſt accommodari divinis, ergo. Patet antecedens hujus ex *Boët.* (*a*) & *Aug.* (*b*) de Trinitate dicentibus in Deo eſſe duo prædicamenta ſubſtantiæ & relationis, & Concil. Trident.

(a) *libello de Trinit.*
(b) *5. Trinit. cap. 8.*

Sententia conſtituens relationem in duobus abſolutis.

6. Qui à noſtra concluſione & communi veterum doctrina diſceſſerunt, negantes relationes, quæ ſint formæ ſpeciales, duos modos habent ſibi eas ſtatuendi ut ſuprà monui; unus eſt dicentium relationem eſſe duo abſoluta æquè primo; alter eſt eſſe unum, ſcilicet fundamentum in recto, connotando terminum, qui proinde dicitur hîc importari in obliquo. Utrumque conabor evertere, & quidem ſeparatim.

Incipiendo ergo à primo probo relationem non eſſe duo extrema; quia Relatio eſt eſſentialiter ad aliud, duo extrema non ſunt ad aliud, ergo non ſunt relatio, major eſt definitio relationis. Minorem probo, nam illud, ad quod ſunt, aut ſunt ipſa duo, aut alterum ipſorum, aut aliquid extra ipſa, non ipſa duo, quia tum non eſſent ad aliud, nam ipſa ſine dubio ſunt ipſa non autem aliud à ſe ipſis: non etiam alterum eorum propter eandem rationem quæ hîc facilè applicari poteſt; quia illud extremum, ad quod ambo ſunt, non eſt ad aliud, ſed ad ſe, adeòque falſum eſt unum ex his duobus aut quòd relatio ſit ad aliud, aut quòd relatio ſit ambo illa. Denique quòd non ſunt ad aliud extra ipſa duo, patet, quia ad relationem ſufficiunt duo, & manifeſtum fiet exemplo, quod etiam declarabit vim præcedentium partium argumenti: nam ſimilitudo duorum album vel duorum hominum certè eſt inter ipſos homines nec requirit quidquam extra ipſos, adeòque illud ad quod ſunt non eſt aliquid extra ipſas, non etiam eſt ipſi duo homines, quia ipſi non ſunt aliud à ſe propter quod etiam dici non poteſt quòd ſit unus ipſorum hominum, quia ille unus non eſt aliud à ſe atque adeo cum ipſa ſit partialiter relatio, relatio eſſet partialiter ad ſe, quod eſt relationem non eſſe relationem, ergo.

Digitized by Google

7. Arguo etiam ſecundò contra idipſum ſic: Non ſolùm duo illa, v. g. duo homines non ſunt relativi, ſed & quilibet ipſorum refertur, nam non ſolùm verum eſt, quòd Petrus & Paulus ſint ſimiles, ſed etiam verum eſt quòd Petrus ſit ſimilis Paulo, & viciſſim, atqui nullus ipſorum eſt duo, ergo ſimilitudo non conſiſtit in duobus, ſive non eſt duo. Explicatur; quod æquè primò dicit duo, non poteſt dici de ſingulis, nam quia numerus binarius importat duo propterea non poteſt dici de ullo uno ex ipſis quòd ſit binarius aut ullatenus numerus, quum numerus contraponatur unitati, ergo. Similiter ſi relatio ſit duo, non poteſt competere ulli uni ex ipſis.

Dicent neque ipſos velle, quòd ullus unus ſit relatio: at contrà oſtendo in re hoc illos dicere, aut certè debere dicere, nam quilibet unus refertur, ſi autem refertur, utique relatione refertur, at non relatione quæ ſit ei forma ſuperaddita, ſic enim inciderent in noſtram concluſionem, quam per totadverſa fugiunt, ergo relatione quæ ſit ipſa.

8. Tertium argumentum contra hunc ſit, quòd eodem modo non poſſint explicari, nec eſſe diſtinctio ſpecifica relationum, hoc autem nollent adverſarii, ſed oſtendo ipſos ſequi, nam inter eadem extrema dantur diverſæ ſpecie relationes: v. g. Petrus & Paulus ſunt ſimiles, ſunt diſtantes, ſunt ſeparati, ſunt fortaſſis Pater ac filius, vel magiſtratus & ſubditus, quæ omnia paria ſunt ſpecie relativâ diverſa, imò & in aliquibus combinationibus ſingulæ relationes ſunt ſpecie diverſæ à ſuis correlationibus, v. g. paternitas & filiatio, ut evidens eſt & ab omnibus admiſſum: at verò quod tam certum eſt non poteſt ab adverſario defendi aut explicari, poteſt à nobis, nam ſi relationes omnes ſint tantùm ipſi duo non poſſunt relationes diſtingui, niſi illi duo toties diſtinguantur à ſe ipſis, quod eſſet inſanum, at verò in noſtra ſententia ſuavis & facillima eſt explicatio hujus diſtinctionis, quia cùm omnes illæ relationes ſint formæ diſtinctæ, bene poſſunt inter ſe ſpecie diſtingui, ſicut albedo diſtinguitur à nigredine.

9. Denique poſſumus uti argumento ex numeris deſumpto, nam numerus, quoniam non dicit niſi plura ſive multas unitates, ideo æquè ſalvatur in duobus ſuccedentibus ſibi ac in ſimultaneis, & ſi numerus, ſine dubio quodlibet aliud conſiſtens in pluribus primò adeòque relatio. Unde ſic arguo; ſi relatio conſiſteret in pluribus, æquè referentur plura ſuccedentia ſibi ac coexiſtentia; conſequens eſt falſum etiam ſecundùm adverſarios, quia nihil refertur ad non ens & non exiſtens; Sequela probatur, quia ſuccedentia ſibi ſunt plura, ergo ſi relatio eſt plura, ſequitur, ut ſuprà, quod fortaſſis clariùs erit in terminis Mayranii noſtri ſic: Nihil eſt in duabus albedinibus ſimul exiſtentibus quod non eſt in ſuccedentibus, ergo ſi ſimilitudo non dicit aliquid reale ſupra entitates abſolutas illarum, ita ſimilis erit una albedo exiſtens alteri futuræ ſicut albedini eodem tempore exiſtenti.

Hujus tamen ſolutio eſt obvia, dici enim poteſt quòd ſimilitudo ſit non ſolùm alba illa, ſed etiam illorum coexiſtentia, hæc autem non habetur in albedinibus ſuccedentibus ſibi, adeòque non eſt mirum, quòd ibi non habeatur ſimilitudo. Sed contrà eſt quòd illa coexiſtentia aut eſt aliud quàm duæ coexiſtentiæ, aut non; ſi non, habetur etiam tunc coexiſtentia, quia habentur duæ coexiſtentiæ: ſi autem dicitur eſſe aliud quod ſit forma ſimplex, jam hîc ipſum conceditur relatio, illa enim ipſa coexiſtentia eſt relatio.

Dices non eſſe relationem intrinſecùs advenientem, quam hîc ſuſcepimus defendendam. Reſpondeo adverſarios cauſâ cecidiſſe, etiamſi illa talis non ſit, quia nimirum negant illi ullam entitatem ſpecialem, quæ ſit relatio, nam prædicamentalem abſolutè negant; tranſcendentales autem quas concedunt, ſunt in ſua entitate formæ abſolutæ, & nullatenus tales quarum tota eſſentia conſiſtat in referre unum ad aliud, ut contingeret coexiſtentiæ illi ex dictis. Reſpondeo ſecundò etiam illam relationem facilè dici poſſe intrinſecus venire, nam intrinſecus adveniens dicitur illa, quæ poſitis extremis conſurgit, at verò poſitis duabus exiſtentiis ſtatim conſurgit coexiſtentia, adeòque ſed hoc non caret difficultate.

Refellitur altera ſententia Connotatorum.

10. Dicti ſunt eo nomine auctores ſecundæ ſententiæ ſuprapoſitæ, quia ſcilicet nolebant relationem conſiſtere non in utroque extremo propter difficultates primæ ſententiæ ſuprà objectas, ſed in altero tantùm, nempe in fundamento, ita tamen ut exigatur terminus tanquam conditio, qui proinde debet connotari. Itaque ſimilitudo Petri ad Paulum in hac ſententia eſt ipſe Petrus, qui tamen non reddet ſe ſimilem, niſi adſit Paulus tanquam conditio, quæ connotetur; contra quam

Arguo in hunc modum: Si ſimilitudo Petri eſſet ipſe Petrus realiter, quandocumque daretur Petrus, daretur ejus ſimilitudo, atque ita ipſe eſſet revera ſimilis; hoc eſt falſum etiam ſecundùm adverſarios, nam niſi adſit aliquis cui ſit ſimilis, non erit ſimilis, quia quum hæc ſit denominatio relativa, idem eſt non eſſe ſimilem & nulli eſſe ſimilem, ſequela tamen probatur, quia idem eſt eſſe ſimilem, & eſſe habentem ſimilitudinem, Petrus eſt habens ſimilitudinem, ergo ſimilis. Antecedens hujus patet, quia effectus formæ non diſtinguitur ab ipſa forma.

Reſpondent ſubitò Connotatores non denominari Petrum ſimilem, licèt in eo ſit ſimilitudo, quia deeſt conditio, ſcilicet terminus, qui eſt Paulus v. g. Et quidem ſic debebant reſpondere, aliter enim non poterant evadere; ſed ne ſic quidem poſſunt, quod ita oſtendo: Non poteſt ulla conditio requiri ad denominativam ſeu ad effectum formalem formæ niſi quæ requiritur ad unionem ejus cum ſubjecto; ſed Paulus in eo caſu non eſt conditio requiſita ut ponatur forma in ſubjecto ſcilicet ſimilitudo in Petro, ergo non poteſt Paulus eſſe conditio ut habeatur denominatio ſimilis in Petro. Antecedens jam oſtendi, quia eſſe talem v. g. ſimilem eſt eſſe habentem ſimilitudinem, ſunt enim definitio & definitum, ergo quod non eſt conditio ut detur habens ſimilitudinem non eſt conditio, ut detur ſimile. Confirmatur exemplo omni exceptione majori; poſitâ enim albedine in ſubjecto quocumque defici-

deficiente ſubjectum erit album, neque poteſt requiri ulla conditio, ut habeatur denominatio albi præter inhærentiam albedinis.

11. Contra hoc exemplum adferunt illi alia, in quibus non ſufficit unio formæ ad ſubjectum, ſed requiritur præterea aliquid, quidni ergo requiratur aliquid hîc ultra relationem? exempla ſunt cognitio, quæ ſi ponatur in Lapide, non reddet illum cognoſcentem, quia hæc, cùm ſit denominatio vitalis, debet denominare vivens. Item carentia viſûs ſi ponatur in eodem Lapide, non reddet illum cæcum: creatio & conſervatio ſunt idem, & tamen in uno inſtanti denominat creatum, non conſervatum, in alio conſervatum non creatum, quia res in primo inſtanti dicitur creari, non conſervari, in ſecundo & reliquis non dicitur creari ſed conſervari, & tamen in primo inſtanti habet totum quod habet in ſequentibus & vice versâ, adeòque jam non ſufficit habere formam quoad entitatem ut habeatur quoad denominationem, ſed poteſt præterea aliquid requiri.

Sed non ſufficiunt iſta ad expugnandum tam metaphyſicum principium, ſolvuntur enim facilè, quia, ſi verum ſit non poſſe aliquid eſſe cognoſcens, niſi quod eſt vivens, tum non erit verum aut poſſibile cognitionem poni in Lapide, aliàs poneretur eſſe & non eſſe cognoſcentem ſimul in eodem, per quod ſtatim eluditur prima inſtantia.

Ad ſecundam autem, ut rectè dicerent adverſarii, deberent ponere cœcitatem in Lapide, qui lapis adhuc non eſſet cœcus, quod ego nego eis conſtanter; dico enim, in quocumque eſt cœcitas, illud eſſe cœcum. Quòd verò ponatur carentia viſionis dico inde non haberi inſtantiam in qua ſit forma ſine denominatione, nam licèt ibi ſubjectum non ſit cœcum, tamen nec in eo eſt cœcitas, & ſicut in eo eſt privatio, ipſum eſt privatum, hoc eſt ſpoliatum viſione.

Tertia etiam inſtantia, quæ plùs apparentiæ habet ex hoc ipſo pro magna parte ſolvitur, non enim eadem forma eſt, à qua res dicitur creata & conſervata, imò nec eſt ulla una forma, quia exiſtentia rei ſive eſſe acceptum non facit formaliter niſi aliquid poſitum extra cauſas, quæ poſitio ut dicatur creatio debet aliud habere, & aliud ut dicatur conſervatio, atque ita non attulerunt inſtantiam in qua forma aliqua ſit in ſubjecto & non denominet, quia exiſtentiæ vel poſitioni rei extra cauſas ut dicatur creatio addi debet negatio eſſe priùs habiti, eidem autem ut ſit conſervatio, addi debet affirmatio eſſe præhabiti, unde nō eſt hîc aliqua forma in ſubjecto quæ aliquando denominet, aliquando non denominet, nam antequam ſit præcedens eſſe, ſemper denominatur res creata, poſtquam eſt illud ſemel præcedens, ſemper dicitur conſervatum.

Exemplum eſt in unitate, quæ ſemper denominat eodem modo adhibitis omnibus, quæ concurrunt ad illam denominationem, v. g. S. Simon eſt unus apoſtolus, tamen præmiſſis aliis decem denominatur undecimus, dico, quòd eſſe undecimum non habet ab eſſe unum ſive ab unitate ſua, eſſet enim unus apoſtolus licèt fuiſſet decimus, ergo aliquid eſt præter unitatem a quo determinatur undecimus.

Dices, cur non ſimiliter dicere poſſint adverſarii, quòd relatio ſimilitudinis conſiſtat & in ſimilitudine ſive in fundamento, & præterea involvat terminum. Reſpondeo, quia ſic inciderent in ſententiam priorem ponentem relationem in duobus, hæc autem ponit ipſam in uno.

Inſtari tamen poteſt ſic: S. Simon, ut ſit undecimus, non requirit ut accipiatur cum aliis decem, aut alii decem cum ipſo, ſic enim non tantùm faceret undecimum, ſed abſolutè undecim apoſtolos, adeòque poteſt ſumi ut undecimus ſolus, ergo ſimiliter ſimilis aut ſimilitudo & univerſaliter omnis relatio poteſt ſic ſumi ut ſit fundamentum ſolum licèt coexigat terminum. Hæc inſtantia bene pugnat pro adverſariis niſi petat principium, quod veriùs duco; unde reſpondendum eſt eſſe undecimum & eſſe ſimile non eſſe ſimilia, id eſt non habere proportionem, ſed eſſe unius & ejuſdem rationis quantum ad præſens, quia utrumque eſt relativum, atque ita eſſe undecimum conſiſtit in forma ſimplici relativa, per quam ille unus referatur ad alios decem, non autem in unitate aliqua, ſive includente ſive connotante decem, atque ita non obeſt concluſioni inſtantia, ſed ipſa potiùs probanda fuit adverſariis, quod non fecerunt.

Probo autem ego concluſionem contra ipſos ſimili inſtantiâ: Nam ſcientia & volitio ſeu amor alicujus conſiſtunt in uno aliquo abſolutè, & præterea connotant aliud, nec tamen ſunt relationes, ergo malè dicunt illi, quòd relatio ſit unum abſolutum, puta fundamentum connotans aliud, nam ſi hoc ita eſſet, tum omne abſolutum connotans aliud abſolutum eſſet relatio, quod falſum eſſe patet in inſtantia allata de ſcientia, atque item de volitione, nam ambæ iſtæ ſunt qualitates abſolutæ, & connotant aliud ſcilicet objectum, quod verum eſt non ſolùm de ipſis, ſed de aliis ſexcentis, de omnibus actionibus vitalibus cognitivis, v. g. memoriâ, appræhenſione etiam ſenſitivâ, item viſione, auditione.

12. Sit deinde hæc tertia improbatio ipſorum: Connotatio illa aut eſt aliquid reſpectivum, aut eſt quid abſolutum; ſi reſpectus, habetur intentum, quod enim quæritur, eſt aliqua Forma ſimplex, quæ ſit ad aliud. Si autem propter hoc negant illi connotationem eſſe relationem, & velint eſſe quid abſolutum, non poterit in eo conſiſtere relatio, niſi adhibeatur ei connotatio.

13. Dices ipſam eſſe connotationem, ac proinde præter ipſam non eſſe aliam quærendam, quum hoc ſit univerſale omnibus formis, quòd ſibi ipſis præſtent ſuos effectus formales. Reſpondeo: Verum eſt, connotatio ſine dubio eſt connotatio, at non propterea eſt relatio ſecundùm adverſarios, ſed debet eſſe aliquid connotans ſicut etiam debet dari aliquid connotatum, at verò connotatio non eſt quod connotat, ſed eſt quo aliud connotat, ergo, & hæc quidem pro nunc ſufficere puta contra connotatores, quatenus per hanc viam tollere è medio vellent relationes, maximè illas tertii prædicamenti; nam aliæ relationes & denominationes per hujuſmodi connotationes ſalvandæ habebunt ſuum locum & impugnationem alibi. Interim videri poteſt Poncius *diſp.* 15. *Logica, quæſt.* 3. Maſtrius etiam *diſp.* 8 *q.* 3. *art.* 1. Poncius, Maſtr. & Bellus.

14. In fine hanc novitatem Recentiorum Ariſtoteles olim refutavit, nam *cap. de ad aliquid* carpens definitionem relativorum ab antiquis Ariſtoteles

, aſſigna-

aſſignatam, quòd ſint: *Quæcunque hæc ipſa ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet alter ad alterum* ſubdit. *At verò ſunt etiam hæc ad aliquid ut habitus, diſpoſitio, ſenſus, hæc enim omnia quæ dicta ſunt, hoc ipſum quod ſunt aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, & non aliud quiddam habitus enim alius habitus eſſe dicitur. Ineſt autem & contrarietas in iis quæ ſunt ad aliquid, virtus enim vitio contrarium eſt cùm ſit utrumque eorum ad aliquid, & ſcientia ignorantiæ*, quibus duo infert contra Platonem, quæ non minùs Recentes Nominiſtas feriunt; unum quòd abſoluta eſſent relativa, ſcilicet habitus, ſenſus: & alterum quòd relativo eſſet aliquid contrarium, quum contrarietas in genere qualitatis ſit ut notum eſt, ergo.

15. Breviter etiam redigendo in unum, quæ dicta ſunt vidimus omnia ferè adverſariorum argumenta in ipſos retorqueri poſſe, quod & factum eſt. Deinde fruſtra ipſos recurrere ad relationes rationis & inconſequenter ad ſua principia, nam ſi plura abſoluta poſſunt ſupplere relationem realem, quantò magis relationem rationis? ſed & fruſtra recurrunt ad formalitates quaſdam, quaſi relatio non ſit quid realiter diſtinctum ab abſoluto, ſed bene formaliter ex natura rei vel ratione: nam contra hoc militant ipſorum etiam argumenta, ſic enim daretur infinita illa multitudo entium licèt non ſeparatorum ſeu diſtinctorum realiter. Daretur actio extra ſphæram activitatis & ſimilia, quæ evidens eſt non minùs procedere de gradibus illis identificatis, quàm de abſolutè diſtinctis, unde Ock. & ſui nunquam dixerunt relationes hoc aut illo modo diſtingui ab extremis, ſed ſimpliciter eſſe ipſa: quapropter mirum eſt Recentes hoc ſuperaddere ſententiæ Nominalium, qui nihil ferè ſuperaddiderunt argumentis eorum, ſed planè illa deſcripſerunt quod inquit de illis quidam: *Neoterici enim in hac controverſia in qua ita gloriantur de ſua ſententia, nec quidem argumentulum unum proprio Marte addiderunt, ſed ad unguem omnia ſumpſerunt ab Ockamo, Gregorio Rubione & Aureolo, à quo præſertim magnam partem ſuæ novæ doctrinæ mutuarunt, ut non immeritò ſoleat à nobis appellari inſignis ille doctor Promptuarium Neotericorum.* Puto tamen hoc à Recentioribus inceptum eſſe quòd diſtinctio relationis non ſit realis, eò quòd relatio non ſit res, quod ego etiam dico: dico inquam relationem non eſſe rem propriè, ſed modum; Eſſe tamen realiter diſtinctum, quia eſt ſeparabilis; & qui aliud dicit, contendit non de re, ſed de voce. Intelligo enim diſtingui aliquid realiter, quando habet aliam entitatem ab entitate alterius, ita ut poſſit unum produci aut deſtrui ſine alio; conjungi alteri & ſeparari ab ipſo, quæ omnia verificantur hîc de relatione & fundamento, adeòque.

ACTIO III.

Quid ſit Relatio?

Breviarium.

N. 1. *Debuiſſe Nominales & Recentes abſtinere ab hac quæſtione.*
2. *Moveo difficultatem contra definitionem relationis apud Ariſtotelem, & ſolvo.*
3. *Objicio contra propriam definitionem, & reſpondeo. Terminus relationis quomodo aſſignandus?*
4. *Alia objectio contra aliam definitionem relationis, ſolvitur.*
5. *Relatio prædicamentalis eſt realis non ſolùm quoad in, ſed quoad ad, metaphyſicè probatur.*
6. *Probatio theologica ejuſdem.*
7. *Adhuc aliæ duæ probationes ejuſdem. Exigentia termini exiſtentis & ſpecificatio relationis ab eodem.*
8. *Objectio, quæ eſt fundamentum Thomiſtarum, inanis ſolvitur, & retorquetur.*
9. *Eſſe ad non includere eſſe in.*

1. AD calcem actionis præcedentis vidimus definitionem relationis ab antiquis traditam, cui propter rationes aſſignatas refutatæ ſubdidit Ariſtoteles iſtam: *Sunt ad aliquid, quibus hoc ipſum eſt eſſe ad aliquid quodammodo ſe habere*, quam definitionem Logici communiter ſic reddunt. *Relativa ſunt, quorum totum eſſe eſt ad aliud ſe habere.* Hanc priuſquam expendam, moneo Recentes & Nominales debuiſſe hîc tacere, neque enim apud eos verti poteſt in dubium, quid ſit relatio? apud quos certum eſt, quòd non ſit relatio: Quin potiùs, quum teneant illi relationem eſſe duo abſoluta, definitio relationis apud ipſos debent eſſe duæ definitiones abſoluti. Itaque hæc etiam eſt tacita demonſtratio contra illos, nihilominus

2. Contra illam Ariſtotelis definitionem hoc habeo, quòd nō exprimat proprium conceptum relationis, non enim eſſe ad aliquid ſimpliciter facit relationem, ſed eſſe ad aliud, nam abſolutum etiam eſt ad aliquid cùm ſit ad ſe. Unde Concil. Tolet. 12. *Quod pater eſt non ad ſe, ſed ad filium dicitur*, quâ ſententiâ ſine dubio ſupponit poſſibile eſſe aliquid ad ſe, aliàs fruſtra laboraret in excludendo illud à Patre, & clarius infrà. *Ergo hæc ſolo numerum inſinuant quod ad invicem ſunt, & in hoc numero carent quod ad ſe ſunt.* Deinde ſi relativa omnia ſunt ad aliquid, accipio par relativorum, v.g. Patrem & filium, & quæro ad quid ſint? num ad aliquid præter illa ipſa ſine dubio, neque ad aliquid intra ipſa alioquin eſſent ad ſe, ſaltèm alterum illorum eſſet ad ſe, illud ſcilicet ad quod ambæ eſſent.

Denique commune argumentum contra eam eſt, quòd relatio ut ſic ſit accidens, adeòque ens in alio, idque eſſentialiter, ſi autem eſſentialiter eſt in alio, jam non eſt verum quòd totum ejus eſſe ſit ad aliud ſe habere, neque enim idem eſt eſſe *in* & eſſe *ad*; aliàs omnia abſoluta accidentia & formæ etiam ſubſtantiales eſſent ad aliquid. Sed hæc ipſæ facilè ſolvi poſſunt, ſaltèm ut faciunt contra definitionem Ariſtotelis prout ab aliis

aliis refertur, ſcilicet, quòd relativa ſunt, quorum totum eſſe eſt ad aliud ſe habere. Prima enim objectionum non habet locum, ut vides, ibi enim dicuntur relativa eſſe non ſolum ad aliquid, ſed ad aliud.

Ad ſecundum dico definitionem accipiendam de relativis diſtributivè, ita ut ſingulis conveniat non verò collectivè ut pluribus ſimul competat; unde dico Patrem & filium non eſſe ad aliud quaſi ſemel, ſed bis; quia ſingula ſunt ad aliud. Pater enim eſt ad aliud, quia ad filium & filius ad aliud, quia ad Patrem.

Ad tertium dico hic definitum eſſe, & revera definiendam fuiſſe relationem ſecundum proprium conceptum relationis; hoc autem modo tota eſt ad aliud. An verò eſſe *in* non competit relationi ex propria ratione, ſed ex ratione communi accidentis, ex quo patet in forma, ne moremur. Fatendum tamen eſt, quòd poſſet ſine dubio relatio clariùs deſcribi, plus ſemel, vel dicendo quòd ſit *habitudo inter aliqua*: vel quòd ſit; *Id quo ſe illa reſpiciunt, quorum unum niſi per alterum explicari non poteſt*, & ita ſimiles aliæ deſcriptiones accommodari poſſunt quæ ſint ſynonymæ iſtis, atque etiam definitioni Ariſtotelis. In quibus tamen moneo abſtinendum eſſe ab ly ordo, qui à quibusdam creditur eſſe ſynonymus relationi ſed malè, nam relatio quidem in communi ordine invenitur, non tamen ordo eſt in omni relatione, ſed in iis tantum quæ habent prius & poſterius ut notat D. N. 5. *Met.*

3. Objicio tamen contra ſecundam: Relationibus referuntur invicem abſoluta ſaltèm in creatis, & in ſequentibus oſtendemus relationem terminari ad abſolutum ſui termini, non autem ad correlativum formaliter. Tum ſic, ſed abſolutum poteſt explicari ſine alio abſoluto, quis enim dubitet murum definiri poſſe ſine alio muro, imò non poteſt definiri per alium murum, quia eſſet per æquè ignotum & idem, & tamen relatione ſimilitudinis refertur murus ad murum, ergo malè dicitur, quòd per relationem reſpiciunt ſe illa quorum unum ſine altero explicari non poteſt. Reſpondeo hic repetendam eſſe doctrinam Ariſt. quòd ſcilicet debeant relativa commodè aſſignari, hoc eſt nominibus importantibus mutuam tendentiam; diſtinguo ergo conſequens, poſſunt relativa pro materiali explicari ſine ſe invicem concedo, pro formali; nego. Senſus ſolutionis noſtræ & doctrinæ Ariſtotelis eſt, quòd pro correlativo domini aſſignandus ſit ſervus, non autem homo; & patris correlativum eſt filius, non verò Petrus aut Paulus, loquendo formaliter, alia enim illa ſunt materialia tantùm correlativa.

4. Objici etiam contra tertium poteſt, quòd non omne relativum ſit alterius, quia dominus non eſt ſervi, ſed potiùs ſervus eſt domini. Reſpondeo eſſe alterius correlativum, licèt non ſit alterius bonum. Inſtabis; ſi iſte ſit ſenſus, jam idem explicatur per ſe, aut propemodum per ſe, quia relatio explicatur per relativum. Reſpondeo in definitione non eſſe poſitum correlativum, ſed in explicatione, quod non obſtat; deinde etiam explicari poſſit ſine eo, ut ſuprà feci: Imò ſunt aliqua, quæ debent intrare aliquo modo explicationem ſui. Terminus definitur paſſim, quòd ſit extremum propoſitionis, & tamen idem eſt eſſe terminum & eſſe extremum.

In hunc locum invenerunt quidam Thomiſtæ quæſtionem ſatis inanem, utrum relatio ſecundùm rationem *ad* ſit realis, nec ne? ſed tantùm ſecundùm rationem *in*? utramque enim dicit relatio; primam ratione accidentis ut ſic, in quo illud *in* includitur: ſecundam ratione ſui. Negaverunt etiam hoc Thomiſtæ, innixi credo paſſibus aliquot ipſius D. Thomæ, ſed immeritò.

5. Dicendum eſt enim relationem prædicamentalem etiam ſecundùm rationem *ad* eſſe realem. Hanc ſemper ſuppoſuerunt Veteres Plato & Ariſt. quum definiverunt eam, quòd totum eſſe ejus ſit ad aliud, & tamen inter entia realia ipſam repoſuerunt, adeòque & eſſe *ad* ejus, alioquin ponerent & deponerent idem inter entia realia. Unde formo hanc rationem:

Si *eſſe ad* non eſſet reale, relatio non eſſet reale, quia nullum reale poteſt conſtitui eſſentialiter ex non reali; ſed eſſe *ad* conſtituit eſſentialiter relationem, ergo. Confirmatur, quia diverſorum generum non ſubalternatim poſitorum diverſæ ſunt differentiæ; ens rationis & reale, & à fortiori, ens reale & nihil ſunt diverſa genera, non ſubalternata, ergo diverſæ erunt differentiæ diviſivæ eorum, adeòque nulla differentia unius generis poteſt conſtituere ſpeciem alterius generis, atque ita ratio *ad*, quæ eſt differentia relationis non poterit eſſe aut ens rationis, aut nihil. Et ſanè oppoſitum eſt dicere, quòd non dentur in rebus relationes reales, ſed tantùm accidentia realia: cauſa, quia quod reale eſt in relationibus, eſt tantùm commune genericum, & ratio accidentis ut ſic, quod autem eſt relationis, eſt nihil aut ad ſummum quid rationis: urgetur, niſi daretur illud *ad* non daretur relatio, quantùmvis daretur eſſe *in* in infinitum, ergo niſi daretur eſſe ad reale, non daretur relatio realis.

6. Argui etiam theologicè poteſt ex relationibus divinis, quas ſecundùm rationem *ad* eſſe reales negari non poteſt ſine temeritate, tum quia ſic conſtituunt perſonas, ut jam vidimus ex concil. Tolet. citat. *Quod Pater eſt non ad ſe, ſed ad filium dicitur.* Tum quia relationes divinæ non habent eſſe *in*, atque ita nihil omnino relationis haberent: unde jam non poteſt eſſe univerſaliter verũ quòd relatio ſecundũ eſſe *ad* non ſit realis. Deinde etiam ſequitur relationes creatas ſecundum *eſſe ad* eſſe reales, quia divinæ non quà divinæ ſunt habent eſſe *ad* reale; hoc eſt, divinæ relationes non habent eſſe *ad* reale ex differentia ipſorum quà ab aliis diſtinguuntur, puta ex divinitate, ſeu ex eſſe divinis: oſtendatur enim quid ſit illud eſſe divinum in illis relationibus? ſi ſit eſſe conſtitutivum perſonarum, tunc relatio ſpirationis activæ non erit divina, nec realis, quia non conſtituit perſonam. Si identificari fundamento, hoc eſt ex parte eſſe *in*, non verò ex parte eſſe *ad*, relinquitur ergo relationes divinas non quà divinæ ſunt, ſed quia reales ſunt, habere eſſ. *ad* verum & reale, atque ita relationes etiam creatas ſi reales ſint, habere ſimiliter eſſe ad reale.

7. Quod etiam ulteriùs oſtendo, quia relationes creatæ realiter exigunt realitatem & exiſtentiam termini ſui, ergo habent eſſ. *ad* reale, probo conſequentiam, quia hanc exiſtentiã termini nõ exigunt ratione eſſe *in* (quum quoad hoc habeat agere cum ſubjecto) adeòq; ratione *eſſ. ad*;

Digitized by Google

at verò eſſe *ad* quod non eſt reale, non debet exigere terminum exiſtentem & realem, ergo ſi eſſe *ad* realis relationis univerſaliter hoc exigit, ſequitur relationem realem univerſaliter etiam quoad *eſſe ad* eſſe realem.

Præterea relatio ſpecificatur à termino, ſpecificatur autem realiter, & ſpecificatur, eò quòd ſit ad ipſum, ergo eſt *ad* ipſum realiter. Denique quod eſt ab alio eſt realiter ab eo; quod eſt ex alio eſt realiter ex eo; ac denique quod eſt ad ſe eſt realiter ad ſe, ita ut differentia illa adſeitatis, & ſint reales, quidni ergo differentia ad aleitatis? Ego ſanè non video ambigendi locum, dubitant tamen Thomiſtæ propter hoc, quod

8. Objiciunt nobis: Eſſe *ad* eſt commune relationi reali & rationis, ergo non poteſt eſſe reale. Antecedens patet, & conſequentia eſt certiſſima. Reſpondeo tamen negando conſequentiam certiſſimam, quin potius argumentum ex duplici titulo reſilit contra auctores; primò quidem, quia etiam eſſe *in* commune eſt relationibus realibus, & relationibus rationis, & tamen concedunt Thomiſtæ relationes creatas ſecundum eſſe *in* eſſe reales. Secundò, quia ex illo antecedenti ſequitur etiam quòd eſſe *ad* non poſſit eſſe quid rationis (quod tamen ipſorum aliqui volunt) ut patet intuenti, & facilè deduci ſic poteſt ad hominem: colligunt Thomiſtæ eſſe *ad* non eſſe reale, quia commune eſt etiam entibus rationis, ergo licebit mihi ex eodem medio colligere quòd non ſit quid rationis, quia nimirum eſt commune enti reali.

9. Denique contra eoſdem dicendum eſt *eſſe in* non includi in eſſe *ad*, quod non puto hîc propriis rationibus demonſtrandum, quum ſemel ſuprà factum ſit ap. in Logica *(a)* quâ oſtenſum eſt differentias ſuperiores non includi nec reperiri in inferioribus, quæ revera ineptè & fruſtra repeterentur, quum jam antea in eodem inveniantur ratione generis, propter quod non eſt credendum quòd etiam ratione differentiæ iterum includantur in eodem: unde.

(a) *Apol. prædicab. actione 5.*

Formo hîc contra eoſdem phyſicum diſcurſum: Ego hîc non ſum bis in hac ſede, quâ ſcribo, imò nec eſſe poſſum ſecundùm principia adverſariorum & noſtra, ergo nec accidens relativum includit *eſſe in* in ſuo eſſe *ad*: conſequentiam probo, quia tum eſſet bis *in* ſubjecto, ſemel ratione *eſſe in* & iterum ratione *eſſe ad*; non enim video, cur aliquid non poſſit bis eſſe in loco, & poſſit eſſe bis in ſubjecto?

Confirmatur, quia *eſſe ad* eſt differentia relationis ab aliis accidentibus abſolutis, ergo non poteſt includere *eſſe in* ratio conſequentiæ, quia tum convenirent in eo, quo differunt, quo nihil falſius, & ſi dicatur quòd conveniat partialiter, non autem totaliter in differentia; dico ego ſequi inde, quòd ſaltèm eſſe *ad* totaliter non ſit differentia relationis, cujus oppoſitum ſupponimus hinc inde. Deinde ſit ita, ut illi volunt, ſit eſſe *ad* differentia relationis, non pro toto quod dicit, ſed pro aliquo, de illo aliquo quæro an includit *eſſe in* nec ne? Si ſic, jam nihil reſponderunt illâ reſponſione: dicere autem quòd non includatur in eo non poſſunt, nam quæcumque rationes probant quòd includatur in toto hoc *eſſe ad* probant etiam de ultimo illo gradu ut patet applicanti illas.

De exiſtentia & eſſentia Relationis.

Plato obiter *in Phædon. & 8. leg apud Manut. in adag.* Ariſtoteles *in prædicam. c. 3. & 5. Met. cap. 15.* Porph. *in Iſag. cap. de ſpec.* D. Auguſt. *in lib Categ. cap. 11.* Boët. *lib. 2. in prædic. com. 38. & lib. 3. &* Simplic. *in cap. de ad aliquid.* Amon. *com. 31.* Avic. *3. Met. cap 10.* Averr. *12. Met. Teno relatus à Soto in princip. prædicam.* Damaſc. *in ſua Dialect. c. 50.* Anſelm. *in Monolog c. 24.* D. Thom. *1. p. q. 28. art. 2. & 4. contra gent. c. 14. & opuſc. 48 cap. 2.* Ock. *1. d. 30. q. 1. & diſt 31. q. 1.* Greg. *d. 28. q. & art. 2.* Ægid. *1. diſt. 26 q. 4.* Sylveſter *in conflato q 28.* Hervæus *in 1. d. 30 ar. 1. & quodl. 7. q. 15. & quodl. 10. q 1.* Ant. And. *ſup. prædicam. & 5. Met. q. 12.* Cardin. Aureol. *1. d. 30.* Soncin. *5. Met. q. 25.* Cajet. *q 15. de ente &c.* Rodriq. in *q. 25. prædicam. art. 1.* Capreol. *1. d. 30.* Vallius *tom. 1. log. cap ad aliquid q. 5. c. 11.* Petron. *tom. 2 Log. q. 1. art. 12 & q 5. ad quintam & q. 9. item ad quintam* Smiglec. *tom. 1. Log. diſp. 10. q. 14.* Ioan Steck. *exercit. 9. Log.* Murcia *tract. de relat. q. 6* Sarn. *in direct.* Fonſeca *5. Met. c. 15 q. 1.* Franc. Suar. *diſp. 47. Met.* Albertin. *tom. 2.* Corollar. Zerbius *5 Met. q. 16. & ſeq.* Clyp. *q. 35.* Conymb. *in cap. 3 prædicam q. 1.* Maſtil. *ſect. 1. q. 6.* Dela *1. d. 30. q 1.* Flandr. *q. 5. q. 15.* Gratia Dei *in hoc prædicamento.* Canarienſ. *1. p q. 13. & q. 28.* Torre *16. q 28. diſp. 3.* Molin. *1. p. q. 42.* Vaſq. *ibid. diſp. 122.* Meriner. *diſp. 1 de rel. & ſeq.* Poncius *diſp 15.* Sanchez *q. 39.* Granado *controu. 5. tract 3. diſp. 1.* Javell. *5. Met q. 21.* Onna *de Rel q. 1. art 6.* Lorin. *ibid. q. 4.* Pereira *lib. 6. phyſic. c. 16.* Zumel. *1. p. q. 28. art. 2. q. 6.* Complut. *diſp. 14. q.* Ioann. Gonzal. *diſp. 20. ſect. 1.* Franciſc. Gonzal. *2. parte Logic. c. 46.* Zanard. *q 22.* Bruxellenſ. *hic q. 4.* Didac. à Jeſu *diſp. 14.* Gallego *controu. 31.* Rod. Ariaga *lib. 5. Log. diſp. 12.* Franc. Oviedo *in Metap. controu. 9.* Petr. Hurt. *16. diſp. 15.* Barthol. Maſtrius & B. Bellutus *diſp 8. Log. 9 qq.* Ruiſ. Tolet. *in cap. de aliquid ſeu prædicamento Relat.* Rap. Averſa *q 19. Log. ſect. 1. & ſeq q. ſeptem.* Barth Amic *tract. 15 Log. per totum.* Gul. Camer. *1. p. phil. q. 9.*

APOLO-

Digitized by Google

APOLOGIA VIII.

De extremis Relationis, Fundamento ſcilicet & Termino.

ACTIO I.

Vtrum relatio poſſit eſſe fundamentum Relationis?

ACTIO II.

Vtrum Actio & Paſſio poſſint fundare Relationem?

ACTIO III.

Vtrum Relatio terminetur ad Correlationem, an verò ad abſolutum ſui correlativi?

ACTIO IV.

Vtrum una Relatio terminari poſſit ad plures terminos totales; an verò multiplicatis terminis multiplicari debeant relationes in eodem ſubjecto?

Scot. 4. d. 12. q. 1. n. 8.

REſpondeo, quòd unus reſpectus bene poteſt fundari in alio ut poſterius in priori, ſicut ſuprà tactum eſt in quadam quæſtione de caractere & probatum eſt de proportione & proportionabilitate. Et ita dico, quòd ſicut albedo poteſt denominari ab inhærentia, ſive ab eo quod poteſt accidere, ita poteſt paternitas denominari, & ſimilis eſt denominatio quoad hoc utrobique.

Idem lib. 1. diſt. 30. q. 2. n. 9. & 10.

ACtus, ſecundùm quod merè abſolutum, eſt terminus hujus relationis, qualiſcumque ſit illa relatio ſive ſimpliciter, ſive ſecundùm quid. Hoc etiam probatur generalius per omnia relativa, quia nullum relativum primò refertur ad correlativum ut ad terminum in creaturis. Probo: Relativum in quantum relativum, primò definitur per terminum ad quem refertur, ergo ſterminus ut terminus prior eſt definitione relativo ut relativum. Si è converſo terminus in quantum terminus refertur ad relatum in quantum fuit relatum, ergo in quantum terminus habet illud quod fuit relatum ad ipſum pro definiente. Impoſſibile eſt autem circulum eſſe in prioritate eſſentiali quacumque.

ACTIO I.

Vtrum Relatio poſſit eſſe fundamentum Relationis?

Breviarium.

N. 1. Concluſio affirmativa: Probatur à Scoto ex Euclide è medio proportionis; primo

2. Secundò, tertiò quarto & quinto, idipſum probatur.

3. Probatio ſexta principalis. Ipſa relationes ſunt invicem ſimiles & diſſimiles.

4. Reſponſio Thomiſtarum & refutatio ejus.

5. Objectio ſolvitur: an in Deo ſint plures relationes, quàm quatuor?

6. Altera objectio: Quomodo impediendus ſit proceſſus infinitus relationum?

7. Nova difficultas mota contra concluſionem: an detur ſimilitudo aut æqualitas in Deo?

8. Altera difficultas de relation. ſpirationis activa in divinis, an detur?

9. Oſtendo admittendam relationum ſpirationis activa & ſolvo difficultatem

10. Reſpondetur difficultati de relationibus æqualitatis & ſimilitudinis.

11. *Quid denique de his cenſendum? probabile, quod non ſint ab aliis diſtinctæ.*

12. *Replicatur · Quomodo non ſequatur hinc infinitus proceſſus relationum in creaturis?*

(a) *1. p. q. 42. art. 1. & alib.*

1. NEgavit *Aquinas* (*a*) in quo ſequaces ſuos habet *Cajet. Ferrarienſ.* ex modernis nonnullos. Affirmavit autem *Subtilis* in themate ſuprà & alibi (*b*) plus ſemel; & ad hoc traxit ſecum præter Subtiles etiam *Gab. Durand.* (c) *Suar.* (d) *&c.*

(b) 4. *d.* 6. *q.*
(c) 1. *d.* 7. *q.* 2.
(d) *diſp.* 47. *Met.*

Probatur facilè, quia æqualitas & inæqualitas ſunt relationes ſine dubio, & ſunt fundamenta aliarum relationum, ergo. Minorem probat exemplum à Doctore adductum ex Euclide de proportione, quæ eſt genus æqualitatis aut etiam inæqualitatis, certiſſimè autem eſt relatio, & tamen fundat relationem, quia fundat proportionalitatem, quæ ſecundùm Euclid. *lib. 5. elementorum* eſt duarum proportionum ſimilitudo, ut ſi dicam: Quemadmodum ſe habent novem ad octodecim, ita octodecim ad triginta ſex; ibi proportio dupla, quæ eſt inter 9. & 18. ſimilis eſt proportioni, quæ eſt in 18. & 36. quia hæc etiam eſt dupla.

2. Patet etiam ſecundò idipſum in ordine, nam extrema hujus ſunt relativa, & adhuc referuntur. Sumamus enim tria ordinatè ut ſint primum, ſecundum & tertium, ibi ſecundum ſine dubio eſt relativum ad primum tanquam poſterius & tamen refertur etiam ut ſecundum ad tertium tanquam prius.

Tertiò pro eodem ſic: Relationes aliquæ ſunt mutuæ, ſed eſſe mutuum eſt referri, ergo relationes aliquæ referuntur, major negari non poteſt, ſed nec minor, quia impoſſibile eſt mutuum intelligi ſine dubio aliter, quàm ad alterum, ergo.

Quartò ex ſimili medio, quia relationes aliquæ etiam dicuntur & ſunt æquiparantiæ, aliæ diſquiparantiæ, ſed diſquiparantia & æquiparantia ſine dubio ſunt relationes, quia ſunt ad alterum; nec ulla ipſorum poteſt intelligi ad ſe, ergo jam aliquæ relationes referuntur. Nec valet dicere, quòd referantur ſe ipſis, quia contingit, ut aliquæ quæ in ſe ipſis ſunt diſquiparantiæ, comparatæ ad invicem ſint æquiparantiæ, nam diſſimilitudo albi & nigri refert album, tanquam quid diſparatum ſeu diverſæ rationis ad nigrum; at verò ipſa diſſimilitudo comparata ad aliam correlativam diſſimilitudinem eſt æquiparantiæ, eſt enim ejuſdem rationis ſpecificæ cum illa, cùm ſit etiam diſſimilitudo unde confirmari poteſt intentum explicatione ſic: Non poteſt una relatio eſſe ſimul æquiparantiæ & diſquiparantiæ, cùm iſta non ſolùm ſint diſparata, ſed oppoſita; ſed diſſimilitudo albi ad nigrum eſt diſquiparantia, & habitudo ejuſdem diſſimilitudinis ad aliam diſſimilitudinem eſt æquiparantia, ergo ipſa diſſimilitudo albi ad nigrum non poteſt eſſe habitudo quâ refertur ad aliam correlationem, atque ita opus eſt aliâ relatione, quæ in ipſa diſſimilitudine fundetur. Clariùs fortaſſe ſic: Non poteſt eadem forma eſſe ſimilitudo & diſſimilitudo; illa relatio albi ad nigrum eſt diſſimilitudo, ergo non poteſt eſſe ſimilitudo ejuſdem diſſimilitudinis ad aliam diſſimilitudinem, atque ita opus eſt aliâ formâ; quum hæc relatio referatur ad aliam, quod non eſt, niſi unam relationem fundare aliam, & referri per ipſam.

Adhuc ſextò: Relatio fundat oppoſitionem, quis enim neſcit oppoſitionem relativam? oppoſitio autem certè eſt relatio, ergo. Denique relationes diſtinguuntur realiter, ergo referuntur.

3. Sed principalis demonſtartio hujus à priori eſt iſta: Duæ relationes habent unitatem eſſentiæ, clarum eſt enim duas æqualitates aut paternitates ita eſſe ejuſdem ſpeciei inter ſe, ſicut ſunt duo homines, ergo jam negari non poteſt, quòd ſint ſimiles, quia nimirum ſimilitudo fundatur in unitate, & ſine dubio idem eſt de multitudine quoad diſſimilitudinem aut diverſitatem, alioquin dent adverſarii rationem, cur homo & Leo ſint diſſimiles, æqualitas & inæqualitas non ſint? vel ſi non attulerint, & adhuc negent relationes relationum, negabo illis ego relationes abſolutorum.

4. Dicunt ergo ad hoc Thomiſtæ communiter relationem non fundare aliam relationem, quia id non eſt neceſsè cùm poſſit ſe ipsâ referri, ſicut univerſaliter quælibet forma tribuit ſibi ſuum effectum formalem, nam albedo eſt etiam diſgregativa viſûs, & quantitas eſt magna & ſubſiſtentia ſubſiſtit; itaque inquiunt relationem non ſolùm aliâ referre, ſed ſe ipſam, atque ita non habere opus ut fundet aliam relationem: audio & dico hoc fundamentum carere fundamento ſi univerſaliter eo utantur illius auctores. Verũ quidẽ eſt formas tribuere ſibi ipſis effectus formales, at non univerſaliter & promiſcuè omnes ſed ſuos; Quantitas eſt magna, linea eſt longa, actione agitur non ſolùm terminus ejus, ſed ipſa: ſimiliter præſentia per ſe ipſam eſt præſens, & reliqua id genus: at verò ſi paululum immutetur hæc forma diſcurrendi nihil falſiùs erit his quæ veriſſima ſunt, nam ſi comparetur præſentia ad actionem nihil fiet, non enim præſentia ſe ipsâ fit, ſed actione, neque actio ſe ipſa eſt præſens ſed præſentiâ, quantitas eſt extenſa per ſe ipſam, ſed per albedinem. Quem diſcurſum ſi applicemus relationibus, inveniemus ut dixi, hoc fundamentum Thomiſtarum carere fundamento: Poſſunt enim prætendere illi quòd quibuſdam denominationibus denominetur relatio aliqua per ſe ipſam; at verò quòd omnibus denominationibus denominetur quælibet promiſcuè, non poſſunt: unde bene hinc colligunt eſſe aliquas relationes quæ non poſſint in aliis relationibus fundari; at verò quòd nulla relatio fundet aliam, non poterunt niſi ineptè inferre. Exempli causâ, applicando doctrinam datam ad propoſitum: paternitas quæ refert Petrum ad filium Paulum, etiam refert ſe ipſam ut quo ad eundem: at verò ad aliam paternitatem non refert eam nec fortè ad filiationem ſibi ipſi correſpondentem: cujus cauſa ab ipſiſmet allata eſt, quia nimirum habet tantùm præſtare ſibi ſuum effectum, id eſt referre denominatione aliquâ paternâ; at verò denominationes ſimilis, diſſimilis, diſtantis, & id genus non ſunt tales, ſed longè aliæ denominationes, adeòque non poterunt præſtari per illa.

5. Objiciunt, ſi relatio poſſet fundare aliam relationem in divinis, eſſent plures relationes quàm quatuor; hoc autem eſt novum & falſum ut ſupponitur: Sequela probatur, quia præ-

Digitized by Google

præter relationes illas originis darentur aliæ in ipſis originibus fundatæ, nam paternitas eſſet diſſimilis filiationi, & viciſſim filiatio ipſi. Item generatio activa eſſet æqualis ſpirationi activæ, atque etiam ſpiratio paſſiva generationi paſſivæ, ſicut ipſæ perſonæ per illas conſtitutæ, ſcilicet filius & Spiritus Sanctus ſunt æquales: hæc autem ſunt utique abſurda, & tamen ſequuntur in noſtra ſententia, vitantur autem omnia in ſententia adverſariorum, ſi dicatur relatio non fundare relationem, ergo illa potiùs tenenda eſt. Reſpondeo quod in divinis ſint plures relationes, quàm quatuor illæ non eſt novum, etenim eſt æqualitas perſonarum ad invicem, & ſi non ſit ſimilitudo eſt ſaltèm identitas, quas eſſe reales oſtendit egregè D. N. 1. *d.* 31. *q. un.* Ad rem præſentem dico non eſſe ſupra addendas illas relationes in argumento poſitas, cauſa eſt illa inſignis doctrina Subtilis quam ad ſecundum argumentum adferam, quod ſcilicet, quando fundamentum non poteſt eſſe ſine termino, tum non eſt multiplicanda relatio, hoc eſt, non ſunt cenſenda illa referri ad invicem relatione ipſis ſuperaddita: at verò ita eſt in propoſito quod fundamentum non poſſit eſſe ſine termino, quia paternitas non poteſt eſſe ſine filiatione, adeòque diſſimilitudo paternitatis ad filium non eſt cenſenda quid ſuperadditum ipſis: idemque eſt de ſpiratione & generatione tam activis quàm paſſivis quia cum non poſſint eſſe ſine ſe invicem, referantur ſe ipſis, id eſt ſine relatione quæ ſit forma ſuperaddita, atque ita ſe ipſis erunt æquales, ex quo etiam patet ad hoc quod

6. Objiciunt ſecundò, ſi relatio fundaretur in relatione, daretur infinitus proceſſus relationum, non ſolùm in rebus omnibus, ſed in ſingulis quod ſine dubio eſt abſurdum, ſed probatur ſequi, quia ſi æqualitates duarum quantitatum ſint ſimiles relatione fundatâ in ipſis, jam habentur duæ relationes ſimul in uno, æqualitas & ſimilitudo; habetur etiam tertia, quia ſimilitudo æqualitatis quæ eſt in quantitate A. eſt diſſimilis æqualitati quæ eſt in quantitate B. deinde hæc diſſimilitudo eſt ſimilis alteri diſſimilitudini, atque ita habetur quarta relatio, cui etiam ſuperaddi debet quintæ diſſimilitudinis fundatæ in hac diſſimilitudine, utique enim hæc ſimilitudo eſt diſſimilis diſſimilitudini quæ eſt in altero extremo, atque etiam ipſi æqualitati, & ſic in infinitum creſcent ſimilitudines & diſſimilitudines ſi ſemel detur ipſis aditus per fundationem relationis in relatione, ergo ne creſcant hæc inania obturandus eſt à principio aditus negando ullam unam relationem poſſe fundari in alia. Hoc argumento uſi ſunt ſuprà Nominales ad probandum quod non dentur omnino relationes, ex quo apparent illos quoad hoc ſentire nobiſcum, hoc eſt, ſi ponerent dari relationes quæ eſſent formæ ſimplices ut faciunt Thomiſtæ, ponerent unam fundari in alia; ſed jam ſolutum eſt in præcedenti per illam regulam Doct. quod quandocumque fundamentum non poteſt eſſe ſine termino tunc non eſt ſuperaddenda illis relatio Sed dicendum quod referantur ſe ipſis cujus rationem à priori hic dabo. Quia nimirum quotieſcumque fundamentum non poteſt eſſe ſine termino neceſſariò ſequitur relatio (agimus enim de intrinſecè advenientibus) at verò quotieſcumque aliqua non poſſunt eſſe ſine relatione vel ſine ulla alia denominatione quâcumque dicendum eſt quod denominatio illa proveniat illi à ſe ipſo, ne multiplicentur entia ſine cauſa. Confirmatur & declaratur, quia cauſa multiplicandi entia tam realiter quàm formaliter ſeu multiplicandi ipſas etiam formalitas eſt ſeparabilitas, inde enim colligo animal in hoc eſſe aliud, à rationali ejus ſecundùm ſe ſumptum, quia video gradum animalis ſecundùm ſua omnia, ubi non video rationalitatum. Ad propoſitum dico non eſſe multiplicandas tot relationes, quot poſuit arguens, ſed ſtatim eſſe in ſecunda, neque dari tertiam, & multò minus ſequentes. Cauſa, quia fundamentum tertiæ relationis non poteſt eſſe ſine termino fundamentum enim illius fuit ſimilitudo quæ erat in æqualitate quantitatis A; terminus autem ejus erat æqualitas quantitatis B. quæ duo dico non poſſe eſſe ſine ſe invicem, quia nimirum ſimilitudo non poteſt eſſe ſine ſuo ſubjecto quod eſt æqualitas quantitatis A; at verò æqualitas illa non poteſt eſſe ſine altera æqualitate eò quòd ſit correlativum ejus, atque adeò ſyllogiſticè ſequitur quod ſimilitudo unius æqualitatis non poſſit eſſe ſine altera æqualitate, hæc verò ſunt extrema tertiæ relationis, adeòque extrema ejus non poſſunt eſſe ſine ſe invicem. Vidimus autem quod quotieſcumque extrema non poſſint eſſe ſine ſe quod (inquam) tum nulla detur inter ea relatio, ſed referantur ſe ipſis, ergo. Et hæc eſt recta via terminandi hunc proceſſum, & impediendi infinitatem relationum, non illæ aliæ quas propoſuit ſibi impugnandas Raphaël Averſa, & revera (ex parte ſaltèm) expugnavit.

7. Habeo tamen ipſe contra hanc doctrinam, quod murmurem; & eſt, quod ſi ſequamur ipſam tum negabimus in divinis relationes ſimilitudinis & æqualitatis, quod eſt contra domeſtica noſtra principia, ut patet apud Scotiſtas communiter & Scotum ipſum *diſt.* 31. primi, ubi non ſolùm vult eas eſſe ſed reales eſſe. Deinde, quod amplius eſt, conſequenter ad hanc doctrinam negari debet relatio ſpirationis activæ quæ tamen ibi eſt plus ſemel, quum ſit in duobus ſuppoſitis Patre ſcilicet & filio, & aſſeritur non ſolùm à noſtra ſchola ſed ab omnibus omnino conſequentiam probo, quia fundamentum ſpirationis activæ non poteſt eſſe ſine termino ejus, fundamentum eſt Pater & filius quæ non poſſunt eſſe ſine Spiritu Sancto, qui eſt terminus hujus ſpirationis.

8. Nec valet dicere, quòd ſimiliter negari deberet ſpiratio paſſivæ, imo etiam relationes generationis activæ & paſſivæ, eo quod fundamenta horum non poſſint eſſe ſine termino. Nam ſi ita ſit, creſcit difficultas, non tollitur. In re tamen non creſcit per hoc, quia ſpiratio paſſiva & utraque generatio ſunt ipſum fundamentum, ſunt enim conſtitutiva perſonarum quæ referuntur, atque ita non poſſunt omitti. At verò relatio ſpirationis activæ nullam perſonam conſtituit, atque ita tolli poteſt & debet, licèt aliæ illæ non tollantur. Patet etiam primum conſequens de relationibus ſimilitudinis & æqualitatis, quia fundamenta & termini harum ſunt ipſæ perſonæ divinæ quarum nulla poteſt eſſe ſine alia adeòque ſi non ſit ponenda relatio inter extrema quæ non poſſunt eſſe ſine ſe invicem non eſt ponenda inter ipſas ulla, atque ita nec æqualitas, nec identitas.

9. Reſpondeo tamen his non obſtantibus neceſſariò admittendam eſſe ſpirationem activam

in divinis, tanquam relationem à cæteris condiſtinctam Cauſa, quia ſpiratio activa in Patre non poteſt eſſe aut eſſentia aut paternitas, adeòque debet eſſe quid ſuperadditum utrique, quod eſt intentum, nam ſi ſit in patre diſtinctum ab eſſentia & paternitate, utique in filio erit quid diſtinctum ab eſſentia & filiatione. Quòd autem ita ſit in patre oſtendo, quia eſſentia ſicut non generat aut generatur ita ſine dubio nec ſpirat nec ſpiratur, & ſi non ſit ſpirans, multò minùs erit ipſa ſpiratio, atque ita ſpiratio non poteſt eſſe eſſentia. Quòd etiam non poſſit eſſe paternitas oſtenditur quia pater non dedit paternitatem filio, dedit autem ei ſpirationem activam (habet enim eam, nec à ſe quidquam habet ſed à Patre) ergo ſpiratio non eſt idem omnino quod Paternitas.

Iam verò ad argumentum, unum ex duobus vel utrumque, dicendum eſt: Primum, quòd illæ regulæ & omnes quæcumque accipiendæ ſunt cum tacita exceptione, niſi ſit ſpecialis ratio in oppoſitum, qualem hic eſſe oſtendimus; imò etiam illa ratio facit ne regula amplectatur hunc caſum, quia ut vidimus, principium illud Doct. fundatur & reſolvitur in aliud, quod eſt entia non eſſe multiplicanda ſine neceſſitate. Hic verò eſſe neceſſitatem oſtendimus jam, adeòque. Alterum quo ſolvi poteſt eſt, ſi dicatur principiū illud de non ſuperaddenda relatione extremis quorum unum non poteſt eſſe ſine altero & è contra accipiendum eſſe de relationibus intrinſecùs advenientibus, at verò ſpiratio activa non eſt hujuſmodi ſed eſt admodum earum quas vocamus extrinſecus advenientes & pertinet potiùs ad genus actionis.

10. Jam verò ad illud de æqualitate & ſimilitudine, in divinis exiſtimo concedendum, quòd non ſint formæ à cæteris diſtinctæ, neque plus exigere illud principium; ſufficit enim ei quod non multiplicentur realiter relationes, non exigit autem ut non multiplicentur formaliter atque ita relationes æqualitatis eo non obſtante erunt in divinis licet non erunt realiter ab aliis diverſæ.

Inſtabis, ſi vel hoc modo ſint in divinis, erunt ibi tam bene, quàm relationes originis, nam etiam relationes originis identificantur realiter cæteris, quæ in Deo ſunt. Reſpondeo negando totum, ſcilicet conſequentiam & probationem, quia relationes originis diſtinguuntur realiter, & diſtinguunt ſic perſonas propter oppoſitionem ſuam, hæ non, quia omnes tres ſcilicet identitas, æqualitas & ſimilitudo in qualibet perſona ſunt ſibi ipſis identificata.

Sed, ut verum fatear, hoc nondum diſtinguit eas à relationibus originis, nam nec relationes originis exigunt diſtinctionem realem, quando ſunt diſparatæ, ut patet in ſpiratione & generatione activis, ſed tantùm quando ſunt oppoſitæ correlativè quo caſu etiam relatio æqualitatis, diſtinguuntur realiter utique enim æqualitas Patris ad filium diſtinguitur realiter ab æqualitate reciproca, quæ eſt in filio ad Patrem.

11. Itaque (veniâ aliorum) exiſtimo, quod relationes ſimilitudinis & æqualitatis in divinis non ſint etiam formalitates diverſæ ab aliis in Deo, ſicut eſt ſapientia, v. g. à juſtitia & utraque ab eſſentia, tum propter jam dicta, quia revera ibi æquè eſſent ac relationes ipſæ originis ut jam oſtenſum eſt, tum vel maximè propter rationem, quam ſubjungo.

Nam, ſi concedamus æqualitatem Patris ad filium eſſe relationem & formalitatem à cæteris in Deo diſtinctam, & idem de identitate ac ſimilitudine, concedendæ erunt adhuc aliæ relationes in divinis quarum neſcio an ullus hactenus meminerit. Ecce quomodo: nam æqualitas Patris ad filium utique eſt ſimilis æqualitati filii ad patrem, atque ita dabitur relatio alia ſimilitudinis formaliter diſtincta in divinis, & idem erit de identitate, nam una ſimilitudo harum eſt eadem, id eſt, ejuſdem eſſentiæ cum altera, adeòque dabitur identitas relationum in divinis quæ identitas ſit etiam relatio, ergo.

Puto ergo dicendum, quòd perſonæ duæ ſint ſe ipſis formaliter ſimiles & æquales invicem. Nec per hoc negamus ſimilitudinem, ibi (quod contra Scotum foret) ſed potiùs aſſerimus quum aſſeramus perſonas: Nam quum difficulter ſuſtineatur diſtinctio formalis in divinis inter ea quæ plurimò magis diſtinguenda ſunt quam iſta, v. g. inter eſſentiam & attributa, inter utraque hæc ac relationes, quantò minùs prætendenda eſt inter hæc, & id genus? Detur ergo hoc divinis & infinitati eorum quod una forma poſſit præſtare multas denominationes.

12 Sed hinc ſurgit difficultas de creaturis, nam ſi hoc ſit proprium Deo, jam non invenitur in creatis, atque ita in creatis neceſſe erit concedere infinitatem formalitatum, ut patet reaſſumendo diſcurſum ſuprà factum de duabus æqualitatibus, in quibus fundantur duæ ſimilitudines, & in his duæ diſſimilitudines ad ipſas æqualitates, & in diſſimilitudinibus ſimilitudines, nam diſſimilitudines ſunt ſimiles ſibi, hoc autem ſine dubio eſt abſurdum, & potiùs negandæ eſſent omnino relationes & formalitates earum quam concedendæ infinitæ. Vrgetur: Ratio cur una formalitas in divinis ſtet pro pluribus eſt infinitas, atqui in creatis nulla eſt infinitas, ergo. Imò poteſt argumentum verti etiam ad divina ex parte, nam relationes divinæ non ſunt infinitæ, atque ita non ſubeſt ratio cur non fundant infinitum proceſſum relationum, ergo.

Video difficultatem & quandam infinitatem replicarum, quibus præſcindendo filum dico dari etiam in creatis ſtatum, quamvis non detur infinitas, quia nimirum principium illud de non multiplicandis entibus facit ut non multiplicentur etiam formaliter ſine fundamento: at verò non ſubeſt fundamentum ſufficiens multiplicandi hic etiam formaliter relationes, quia poteſt dici, quod quando fundamentum non poteſt eſſe ſine termino tunc referantur res ſe ipſis tam realiter, quàm formaliter, cur enim uno modo magis quàm alio? ex quo patet ad illud de relationibus divinis, patet enim hinc id fieri poſſe ſine infinitate. Deſino in exemplo hujus rei: Si non viderem ego animal niſi conjunctum rationali deberem dicere quod animal non ſolùm realiter, ſed etiam formaliter eſſet ipſum rationale; cùm ergo non video fundamentum aliquod ſine relatione, nec relationem talem extra ipſum, poſſum meritò dicere quod ſint omnia etiam formaliter unum. Fateor relictus eſt locus adhuc urgendi rationem contra ſolutionem ſed non expedit nimis extendi in re tam inani. Sit ergo

ACTIO

ACTIO II.

Vtrum actio & paſſio poſſint fundare relationem?

Breviarium.

N 1. *Tres modi relatiuorum ex Ariſtotele deſcribuntur.*
2. *Diſſidium de fundamento relationum.*
3. *Non dari ullas relationes ſecundi modi, probatur.*
4. *Replicatur contra hoc ad hominem ex principiis Scotiſticis: & ſolvitur.*
5. 6. *Oſtenditur ſpecialiter non eſſe ponenda relatio paternitatis.*
7. *Anguſtiæ, ad quas rediguntur, qui ſuſtinent relationes fundatas in actione ipſa.*
8. *Reſponſio adverſariorum, refutatur.*
9. *Anguſtiæ, ad quas rediguntur, qui ponunt relationes has fundari in potentia generatiua.*
10. *Objectio: qualis denominatio cauſæ, v.g. patris? num de præſenti, an de præterito?*
11. *Alia objectio ſoluta. An quis ſit pater poſt obitum filiorum?*

1. ARiſtoteles hic aſſignavit tres modos relativorum: unus & primus apud ipſum eſt ille, qui fundatur ſuper unitatem & multitudinem; quales ſunt ſimilitudo & diſſimilitudo, *ſimilia* enim *sunt, quorum qualitas eſt una*, v. g. duo parietes albi ſimiles ſunt, quia earum qualitas ſcilicet albedo eſt *una* ſpecie. è contra autem paries albus & niger ſunt diſſimiles, quia eorum qualitas ſunt *multæ* id eſt diverſæ ſpecie. Vnde diſſimilitudo fundari dicitur in multitudine.

Secundus modus ſive ſecunda ſeries relativorum eſt illa, quæ fundatur in actione & paſſione; & ſunt relationes cauſæ & effectus, v. g. patris ad filium, creatoris ad creaturam & ſimiles, diſcurrendo per omnia quatuor genera; quæ etiam dicuntur fundari in potentia activa & paſſiva, ut ſtatim. Tertia denique claſſis eſt earum quæ fundantur in ratione menſuræ, & ſunt menſurabiles ad menſuram, ejusmodi dixit Ariſtoteles eſſe relationem ſcientiæ ad ſcibile, eámque ex omnibus voluit eſſe non-mutuam, id eſt non habere relationem: quod equidem exiſtimo eſſe abſolutè verum, non tamen ſi accipiantur extrema, ut vult Ariſtoteles, congruenter nam ſi dicam: Scientia & ſcibile, quodlibet horum æquè relativum eſt at verò ſi dicam, ex una parte ſcientiam & ex alia objectum, non quidem ſub hoc generali ratione ſed ſub proprio, v. g. ſi dicam mathematicam & quantitatem, non ſtatim dixi aliquid relativum in quo habetur promptè diſcrimen horum nam ſcientia neceſſariò eſt alicujus objecti ſcientia, at verò objecta ſub propriis nominibus non neceſſariò inferunt ſcientias, neque faciunt eas venire in mentem audientis, qui enim audit quantitatem, non ſtatim cogitat Mathematicam quum plurimi ſint quibus magnitudines corporum ſunt notiſſimæ, nec tamen unquam audiverunt de Matheſi.

2. Ad rem noſtram acerrimum diſſidium eſt inter logicos circa fundamenta relationum ſecundi modi ſuprà; quibusdam ponentibus eſſe potentiam activam & paſſivam; aliis ponentibus actionem ipſam & paſſionem pro fundamento; alii diſtinguunt fundamentum à ſubjecto, & dicunt ſubjectum eſſe potentiam activam & paſſivam, aut etiam ſubſtantiam ipſam agentis, fundamentum verò actiones & paſſiones. Alii alia addunt, in quibus plurimus eſt noſter Merinerus. Ego citiſſimè rem decidam, puto enim omnem hanc machinam eſſe malè materiatam, ſive, nulli fundamento ſuperſtructam; nempe exiſtimo.

3. Dicendum, quòd non dentur ullæ relationes hujus ſecundi modi: Non habeo opus auctoribus, ſufficit, ſi Scotus non contradicat, ut revera non eſt credendum, quòd contradicat, quia in toto hoc negotio ſubſcripſit Ariſtoteli, neque ex ſua ſed ex illius mente hæc omnia admiſit.

Quid, quod Ariſtoteles nobiscum eſt, nam 5. *Met.* explicans quid ſit, Pater v. g. explicat eum per hoc, quod eſt genuiſſe *Pater*, inquiens, *filii pater dicitur, hoc enim fecit, at illud paſſum eſt.* Ex quibus

Probatur etiam ratione concluſio, nulla enim eſt neceſſitas aut cauſa ponendi quidpiam ad habendas tales denominationes præter ipſam actionem & paſſionem, adeòque non eſt aſſerendum tale, nec dicenda eſt actio eſſe fundamentum relationis, ſed ipſa relatio. Conſequentia eſt optima methaphyſica, neque enim, quæ ſuperflua ſunt, non ſunt, tamen à natura non ſunt ordinata. Antecedens autem probatur quia per actionem productivam cauſa dat eſſe effectui, adeòque eſt ejus cauſa, ergo non eſt ſuperaddenda alia relatio cauſæ ad cauſatum ut faciunt noſtri adverſarii & alii communiter.

4. Videor tamen hic excipiendus meis caſſibus; dicet enim adverſarius cauſam per productionem fieri cauſam, ſed fundamentaliter & materialiter tantum, ut verò fiat formaliter cauſa, opus eſſe relatione aliâ, quæ ſit expreſsè cauſæ ad cauſatum, ſi ut nos ipſi ſupradiximus duas quantitates ſuis extenſionibus, v. g. duos palmos eſſe ſe ipſis fundamentaliter æquales, ut verò ſint formaliter æquales opus eſſe relatione æqualitatis; ita hic

Sed non eſt ita, quod ſic oſtendo, & do diſparitatem horum; quia eſſe æqualem aut ſimilem eſt denominatio de præſenti, adeòque eget formâ, quæ tum ſit quum eſt denominatio; & quoniam eſt relativa denominatio, eget reſpectivâ formâ qualis non eſt quantitas aut albedo. At verò eſſe cauſam non eſt denominatio de præſenti ſemper, ſed de præterito, ut pater in notiſſima & perfectiſſima ſpecie cauſæ quæ eſt pater & filius, ſi enim quæretur quid eſt Laurentium eſſe Patrem

Digitized by Google

trem meum? reſpondebitur, quod ſit Laurentium me genuiſſe.

5. Confirmo intentum, quia in divinis, ubi maximè conſtat dari relationes, non datur paternitas diſtincta à generatione activa, ergo in creatis, ubi magis dubiæ ſunt relationes, non debent ſic, ſaltèm multiplicari, ut una ſit generatio, & altera ſit paternitas, ſed debet, ſicut ibi ſit, cenſeri paternitas eſſe ipſa generatio activa maximè quum ſacra ſcriptura nos doceat quod ab illa paternitate quaſi exemplificatæ ſint cæteræ paternitates. Confirmo amplius, quia ſi poſt generationem activam ponatur alia forma ſeu relatio quæ ſit appellanda paternitas, quæram quis ſit effectus formalis ejus? nec poterit reſponderi, non enim dici poteſt effectus ejus eſſe reddere cauſantem, quia in creatis poſt actionem non ampliùs cauſatur effectus, nec reddere cauſaturum, quia hoc item eſt falſum, cùm cauſa non ſit ampliùs cauſatura, nec denique effectus ejus poterit eſſe cauſaviſſe, quod probo (nam hoc negaturi ſunt adverſarii) abſurdum eſt enim ponere formam aliquam realiter actualem in ſubjecto ad ſalvandam denominationem præteriti in tali ſubjecto; abſurdum eſt ponere relationem realem inter me, & quemcumque hominem ad quem habui aliquando ſimilitudinem, ad ſignificandum quod fui aliquando ſimilis illi & abſurdum ſine dubio eſt ponere in me formam aliquam realem relativam ad quemcumque locum in quo fui ad denotandum quod ibi fui. Confirmatur quia ex eo quod res eſt vel non eſt propoſitio de præſenti dicitur vera vel falſa, ergo ſimiliter ex eo quod res fuit vel erit propoſitio de præterito & futuro erit vera non autem ex eo quod aliquid ſit, atque ita ad habendam veritatem de præterito non eſt ponenda aliqua forma de præſenti.

Ephes. 3. v. 14.

6. Probo adhuc intentum ſpecialiter, quod hæc denominatio patris & ſimilium non ſit denominatio de præſenti, quia non poſſum ego habere ſimul duos patres aut, quidquam habere duas cauſas adæquatas ſui, actuales (intellige de præſenti) poſſum tamen cauſari ab aliquo de præſenti actualiter, & adhuc eſſe filius alterius, nam in reſurrectione producar immediatè à Deo, & tamen non proinde deſinam eſſe filius patris mei Laurentii, ſicut nec Chriſtus D. deſivit poſt reſurrectionem eſſe filius S. Mariæ V. licèt Virgo Maria non dederit ei eſſe in reſurrectione; ergo ſignum eſt quod eſſe patrem & filium non eſt eſſe cauſam & effectum de præſenti, ſed de præterito, quia poteſt bene aliquid habere duas cauſas adæquatas ſui ſucceſſivè unam de præterito, alteram de præſenti: ſi ergo paternitas compatiatur cum aliqua cauſa de præſenti, ſignum eſt quod ſignificet cauſam & cauſalitatem quæ tranſivit, non autem ullam quæ manet. Explico rem exemplo; dicitur enim res futura, & cauſa productura eam, quæ quidem denominationes ſonant de præſenti, ſed ſignificant de futuro, quidni ergo dicamus talem eſſe denominationem patris.

Vtor etiam hâc ratione, quia, quum cauſa habuit actionem productivam effectûs, tum revera produxit eum, & cauſavit, ut quid ergo dicetur conſurgere relatio producentis ad productum ſeu cauſæ ad cauſatum poſt productum effectum, poſt cauſatum?

7. Vltimò ſit hæc demonſtratio quidem concluſionis, quoniam in oppoſita ſententia ex tot viis ſuſtinendi doctrinam illam Ariſtotelis quælibet paritur eas difficultates, quas hujusque nunquam potuerunt auctores illi evadere. Nempe, qui dicit dari hujusmodi relationes, easque fundari in actione & paſſione contra ſe habet, quod relatio non manet niſi manente fundamento, hujusmodi autem relationes manent non manente actione, etenim Pater poſtquam genuit filium, eſt Pater. Vbi notare potes ſatis improbabilem philoſophiam; eò enim venerunt iſti auctores ut dicant præſente actione nondum eſſe paternitatem; ita apud ipſos ratio fundandi impedit relationem. Deinde ad hominem præmuntur quidam horum, quia nolunt relationem ullam poſſe fundari in alia, & tamen volunt paternitatem v. g fundari in generatione, quam certum eſt eſſe actionem generativam.

Iterum ſic, quia ſecundùm plures ipſorum actio non eſt in agente, ſed in paſſo, atque ita ratio fundandi relationem eſt extra fundamentum relationis, quod neſcio an ſit rationabile, & redditur intolerabilius inde quia ſic rationes fundandi duas relationes erunt in uno ſolo extremo, in quo tamen erit ſolum una relatio: in altero vero nulla erit ratio fundandi & tamen erit una relatio; in paſſo v. g. filio eſt unica ſolùm relatio, & tamen ſunt duæ rationes fundandi nam ſecundùm hos actio eſt in paſſo: in ipſo agente eſt una relatio producti, ſed nulla ratio fundandi, nam actio quæ fundat hujusmodi relationem, non eſt in ipſo ſed in paſſo.

8. Ad hæc tentarunt aliqui reſpondere dicendo, quod actio ſit fundamentum hujusmodi relationis in fieri, non vero in facto eſſe: ſed hoc ſubſiſtere non poteſt inde enim ſequitur apertè quod relationes illæ ſint diſtinctæ ſpeciei à ſe ipſis. Vtique enim diſtinctæ ſpeciei ſunt illæ relationes, quæ habent diſtinctas ſpecie rationes fundandi: illæ relationes habent in fieri & conſervari diſtinctas ſpecie rationes fundandi, adeoque eædem relationes in conſervari erunt diſtinctæ à ſe in fieri. Deinde daretur motus diſtinctè ad relationem in conſervari; non enim ſufficiebat motus qui eſt ad rationem fundandi quia eo deſinente non deſinit relatio. Denique hæc eſt ipſa nota conditionis quod requiratur ad fieri, non requiratur ad conſervari rei; ſic enim ſe habet applicatio ad ignem & calorem, requiritur enim ad produci caloris, non ad durationem ejus, quia quamvis removeatur agens calefaciens, adhuc paſſum retinebit calorem & formam ignis quam accepit, ergo jam actio eſt tantùm conditio non autem fundamentum relationis quia requiritur ad fieri non verò ad conſervari ejus.

9 Jam verò altera ſententia videtur adhuc minùs ſubſiſtere, illa ſcilicet quæ ponit has relationes fundari in potentia activa; v. g. paternitatem in potentia generativa, nam quum hoc genus relationum ſit ex illis, quas vocamus intrinſecùs advenientes; ſive, ut loquamur in terminis communis ſcholæ, cùm ſit ex eorum genere quæ conſurgunt poſitis fundamento & termino, nunquam poſſet dari Paulus v. g. à parte ſimul cum Petro habente potentiam generativam, abſque eo quod Paulus eſſet filius Patri. Hoc autem eſt manifeſtè falſum, nam hodie datur à parte rei ſimul cum centum aliis habentibus potentiam generativam nec tamen eſt filius ullius ipſorum, & certiſſimum eſt, quod à Deo ſolo poſſet

pro-

produci ille, nec ſolùm ille, ſed ejus pater, quo caſu iterum daretur potentia generativa ſine filiatione, ergo.

Deinde ab altera parte certum eſt manere hominem cum ſua paternitate reſpectu filii non manente potentiâ ejus generativâ, nam viri effœti & fœminæ ſteriles, ſive ex ſenio, ſive ex veneno, vel aliter; dicuntur & ſunt patres ratione filiorum, quos olim genuerunt: manet ergo paternitas, non manet potentia generativa. Sed non poteſt manere relatio niſi maneat ratio fundandi ejus, adeòque liquidum eſt rationem fundandi non eſſe potentiam generativam; & alia in hunc modum excogitari poſſunt, quibus iſta ſententia facilè verberatur.

10. Objicit tamen ipſa pro ſe, quod nimirum detur aliquid hic præter actionem generativam, quia aliquis eſt actu pater, quando non eſt actu generans, & quando nullatenus exiſtit actio generativa, ergo non dicitur pater ab actione, maximè ſecundùm nos, qui negamus omnes denominationes extrinſecas, ſive illas quæ perveniunt à formis non exiſtentibus in re denominata. Atque ita redit contra nos aliquid argumentorum noſtrorum. Sed concedo antecedens hujus, & nego conſequentiam: ad probationem dico hanc non eſſe denominationem extrinſecam, ſed intrinſecam. Senſus enim eſt, quod hic ſit qui genuit, ſive qui habuit actionem. Vnde non affirmat aliquid de præſenti, in quo hallucinari videntur adverſarii noſtri; quando enim audiunt cauſam alicujus, ut patrem, matrem & ſimilia, ſtatim cogitant formam ad quam quæ pro tunc ſit in ſubjecto & denominet, quum tamen hoc non ſignificet præſens ſed præteritum potiùs ſicut exconſul expræfectus, ſed contra

11. Objicitur ſecundò, ſi iſte ſit ſenſus hujus denominationis, poterit quis dici & eſſe Pater, quantumvis non exiſtant jam filii ejus, conſequens eſt contra communem modum loquendi etiam Philoſophorum. Reſpondeo concedendo antecedens & negando abſurditatem ejus. Quoad modum loquendi dico in primis eum eſſe in oppoſitum, nam vulgò dicitur quis eſſe Pater filii non jam exiſtentis. Fateor uſus Philoſophorum eſt contrarius ſed non ideo verus quin contemnendus, quia fundatur in oppoſito concluſionis. Ideo enim ſic loquuntur quia exiſtimant paternitatem eſſe relationem actualem inter patrem & filium, quod ſi verum eſſet ſine dubio exigeret exiſtentiam filii, ſed quum ſit id falſum viſum eſt abunde.

ACTIO III.

Vtrum Relatio terminetur ad Correlationem, an verò ad abſolutum ſui Correlativi?

Breviarium.

N. 1. *Explicatur titulus.*

2. *Præn tantur aliqua ad reſolutionem.*

3. *Relationes terminantur ad abſoluta terminorum, non verò ad oppoſitas correlationes. Probatur.*

4. *Evaſiones Cajetani ad rationem poſitam refutantur.*

5. *Secunda demonſtratio concluſionis.*

6. *Tertia; quod paternitas non terminetur ad filiationem.*

7. 8. *Adduntur adhuc aliæ rationes.*

9. *Solutio Thomiſtarum ad rationes poſitas rejicitur, juvantur Thomiſtæ gratis.*

10. *Adduntur adhuc rationes concluſioni.*

11. *Adducitur etiam nova evaſio Thomiſtarum, ſed exploditur. An relativa opponantur, priusquam referantur?*

12. *Nova confirmatio concluſionis. Quid ſit ſimile parieti albo, num ſimile, an verò album?*

13. *Objectio, ſoluta: Relationes divinas non favere ſententiæ Thomiſtarum hîc.*

14. *Objectio altera cum ſua ſolutione. Quomodo accipienda convertentia Relationum?*

15. *Inſtatur contra ſolutionem ſed ſolvitur inſtantia, an poſſit ſervus dici Patris ſervus.*

16. *Tertia Objectio. Oppoſitio relativa habetur ſine relationibus.*

17. *Aliquas relationes terminari ad ſuas correlationes aſſeritur & probatur ibidem rejectâ probatione.*

18. *Alia potior probatio.*

1. NOn quæritur, utrum relatio poſſit pro termino habere relationem, id enim conſtat ex Apologiæ hujus actione primâ, nam ſi (ut ibi diximus) relatio poſſit fundari ſuper relationem, ſine dubio poterit etiam terminari ad relationem, & ita fieret in caſibus ibi aſſignatis quum v. g. inter duas paternitates oritur ſimilitudo, certum eſt quod ſimilitudo paternitatis A. terminatur ad paternitatem B. quæ eſt relatio, ſed quæritur utrum relatio terminetur ad relationem non quamcumque ſed correlativè ſibi oppoſitam, an ad ſubſtratum? qui caſus evidentior eſt quando ſubſtratum relationis eſt abſolutum; tum enim diſtinguitur ſubſtratum à relatione de qua quæritur hic quidnam ſit propriè terminus ſive ratio formalis terminandi? ubi mirari voles aliquos, qui quum nec terminos admittant, quia nec credunt relationes omnino dari, tamen volunt eſſe arbitri hujus litis, ita extra ordinem ut diſtinguant de quibuſdam relationibus quæ terminentur ad correlationem,

aliàs autem contendunt terminari ad abſolutum. Communis ſententia tota in oppoſitum eſt diviſa in duas acies, quarum una, quæ eſt noſtra Scotiſtarum, tenent relationes omnes terminari ad abſolutum, id eſt ad ſubſtratum termini, Thomiſtæ autem cum ſuo Doctore ex diametro contradicunt volentes relationem quamlibet terminari ad correlationem, in quo Cajet. (a) ita acer eſt, ut velit relationem terminari ad correlationem etiam in eo termino in quo non eſt correlatio Scotiſtas nuper ſequuti ſunt ex Recentior. Moriſanus (b) noſtras Averſa (c) Blaacus (d) quantum ad complectendam noſtram partem præ illa Thomiſtarum, ſed abſolutam reſolutionem hujus tradiderunt accuratiſſimè omnium ipſi Subtiles, *Faber* (e) *Maſtrius* & *Bellutus Vulp. Poncius* (f) *&c.* omnes (g) moderni, al qui ſuperſtites dum hæc ſcribo, quod ideo addo ut appareat quam temerè aliquis nuper ſcripſerit hanc quæſtionem in ſcholis jam exoleviſſe; ſcilicet hi neminem in ſcholis vident niſi ſe ipſos.

(a) (b) *diſp. & log. quæſt.* 7 (c) *q.* 15. *phyſ. ſ.* 7. (d) *diſp.* 11. *ſect.* 5. (e) 5. *Metaph. diſp.* 21 *diſp. & log. q.* 6. (f) *d log q.* (g) Averſa *q.* 15. *ph. ſect.* 7. Moriſ. Hyber. *diſp.* 8. *log. q.* 7.

2 Ad reſolutivum hujus in primis præmitto quæſtionem eſſe de relationibus tertii prædicamenti, quas vocamus *ad aliquid*, & nos dicimus intrinſecùs advenientes. Deinde id, quod de termino ab omnibus dicitur & diſtinguitur, puto poſſe etiam ac debere de fundamento diſtingui ut ſcilicet capiatur aliquando cum relatione aliquando ſine ipſa. Poteſt enim quæri de hoc toto pater, ad quod referatur? vel de abſoluto ſubſtrato paternitatis quod eſt ipſe homo, v. g. Petrus, & dubitari ad quod referat paternitas Petrum? quod miror alios non advertiſſe quum æquè obvium ſit de fundamento ac de termino. Reſolutionem dividam in concluſiones ſequentes.

3. Dico autem primò & principaliter relationes hujus prædicamenti non habere pro per ſe termino ſuas correlationes, ſed potiùs abſoluta, hoc eſt ſubſtrata eorum. Ita (g) Doct qui etiam ex Thomiſtis ad ſe traxit *Capreol Soncin. Sot.* ut omittam Recentiores *Suar. Vaſq* eſt contra rigidos Thomiſtas (h) & in primis *S. Thomam* (i)

(g) 1. *d.* 26. *q.* 1. *& d.* 3. *q.* 2. (h) Cajet. *in log. hoc cap.* Fland. 5. *Met. q.* 16. Complut. *d.* 14. *log. q.* 6. (i) 3. *d.* 8. *q. &* 3. *p. q.* 35. *art.* 4.

Probo primam partem directè; quia relationes hujus prædicamenti non omnes habent correlationem, at verò, quæ non habent correlationem non poſſunt terminari ad correlationem, ergo. Reſpondet Cajetanus etiam in his verificari ipſius ſententiam, quia licèt non detur in termino correlatio, datur tamen relatio, ipſa ſcilicet quæ in fundamento eſt, atque ita poteſt terminari relatio ad reſpectivum. Sed nemo non videt hoc non ſolùm gratis ſed & abſurdè dici, ſi enim relatio non poteſt eſſe ejuſdem ad ſe, quantò minùs poteſt ipſa eſſe ad ſe? Si nulla ſimilitudo poteſt referre eandem albedinem ad ſe ipſam, ad ipſam, inquam, albedinem quantò minùs illa ſimilitudo poteſt referre ſe ad ſe ipſam? ſcilicet ſimilitudinem.

4. Dicet aliquis, illa ſimilitudo non referret ſe ad ſe ipſam, ſed albedinem ad ſe ipſam, intellige ad ipſam relationem ſimilitudinis: atque ita non contingeret hoc abſurdum, quod à nobis illatum eſt. Reſpondeo: Verum eſt, non ſequitur totum directè, ſequitur tamen, quod ſufficit, utique enim, ſicut ſe habet relatio in termino ad terminandum, ſic ſe habet in fundamento ad fundandum, atque ita, ſi relatio termini ſit id ad quod refertur, relatio in fundamento erit id quod refertur. Deinde relationis eſſe eſt ad aliud ſe habere; atqui ipſa non poteſt eſſe aliud à ſe, ergo ipſa non poteſt ad ſe ſe habere, ſed neque aliud ad ſe referre, nam non ſolùm relatio ſed relativum eſt cujus totum eſſe eſt ad aliud ſe habere.

Ulteriùs etiam expoſtulo cum Cajetano ſic: Relatio, quæ eſt in fundamento, & ſecundùm ipſum denominat terminum aut denominat ipſum eâdem in ſpecie denominatione quâ denominat fundamentum, aut diverſâ, v. g. relatio quæ eſt in ſcientia aut denominat objectum ſciens aut ſcibile: ſi denominat ſcibile, jam negatur hypotheſis, quia relatio eſt mutua; ſi verò denominat ſciens, jam aliquid eſt ſciens ſciens, non autem ſciens ſcitum aut ſcibile, quod eſt omnia pervertere ſurſum deorſum, & facere aliquid reſpectivum ex eo quod ſit ad ſe.

5. Probo etiam aliter concluſionem, ſi quis ex communi omnium doctrina relatio prædicamentalis poſitis fundamento & termino conſurgit, & ad ejus reſultantiam utrumque requiritur, ſed non requiritur correlatio ad reſultantiam relationis, ergo correlatio non eſt aut fundamentum aut terminus relationis. Aliter ſic: Terminus eſt prior relatione, correlatio non eſt, ergo correlatio non eſt terminus. Major patet quia terminus eſt concauſa relationis & (ſi fortè non ſit cauſa phyſicè influens, eſt ſaltèm conditio prærequiſita ad reſultantiam ejus) ſed tam cauſa quàm conditio cauſæ in cauſando eſt prior naturaliter effectu, ergo. Minor etiam patet quia ſecundùm omnes item correlativa ſunt ſimul natura, adeòque etiam correlationes, atque ita neutra eſt prior alterâ.

Confirmo, quia ſecundùm omnes relatio ſpecificatur à termino, ergo eſt poſterior termino, patet hoc, quia omne quod accipit eſſe eſt poſterius eo à quo accipit eſſe.

Probo tertiò, & ſumo inſtantiam determinatam in relationibus ſecundi modi ſic: Paternitas non terminatur ad filiationem, quod probo ſic: Paternitas non terminatur niſi ad id, ad quod terminata eſt, vel ſupra quod cadebat actio generativa; atqui actio generativa non eſt terminata ad relationem ſed ad ſubſtantiam filii, ergo relatio paternitatis non terminatur ad relationem filiationis ſed ad ſubſtantiam filii. Major patet, quia actio generativa eſt vel ratio ipſa fundandi, vel certè conditio eſſentialiter requiſita ad reſultantiam hujuſmodi relationis. Minor autem, quia ſecundùm communiter philoſophos ex Ariſtotele ad relationem non datur actio, quod ſaltèm debet eſſe verum de relationibus intrinſecùs advenientibus ſive ut more aliorum loquamur, de relationibus tertii prædicamenti. Probo etiam iterum & tertiò eandem Minorem quia generatio de qua hic debet habere terminum homogeneum, id eſt ſimilis naturæ cum generante; at verò generans hic certum eſt quod non ſit naturæ relativæ ſed abſolutæ, & multò minus eſt quid complexum ex abſolu-

Digitized by Google

ſoluto & reſpectivo; atque ita terminus ejus non poteſt eſſe aut relatio aut complexum ex natura abſoluta & relatione.

7. Simile argumentum formari poteſt de relationibus. Nam ſimilitudo unius non poteſt terminari ad ſimilitudinem alterius ex hoc ipſo capite, quia ſimilitudo terminatur ad aliquid, quod eſt ſimile in natura cum alio, at verò relatio ſimilitudinis non eſt ſemper ſimilis naturæ cum eo, quod dicitur ſimile; v. g. quum duo alba dicuntur ſimilia, ipſa ſimilitudo ſecundi albi non eſt ejuſdem naturæ cum primo albo quum hoc pro formali ſit qualitas, pro materiali quantitas vel ſubſtantia, ergo. Et per hoc occurſum eſt replicæ quæ hic fieri poſſet dicendo albedinem eſſe terminum materialem, formalem verò eſſe ipſam relationem, contra hoc enim eſt quod terminus formalis eſt termino materiali ratio terminandi relationem, atqui tale non eſt albedini illa ſimilitudo, quia ratio fundandi ac terminandi hujusmodi relationes ſimilitudinis eſt unitas naturæ aut eſſentiæ: at verò relatio illa ſimilitudinis non eſt ratio albedini A. eſſendi ejuſdem eſſentiæ cum albedine B, ſed ècontra potiùs, ergo.

8. Sit tertia probatio: Relativum ſecundùm omnes diffiniendum eſt per terminum, at non eſt definiendum per correlationem, ex quo quid ſequitur, niſi quod correlatio non ſit terminus. Probatio minoris: Definitio facienda eſt ſemper per priora, atqui una correlatio non eſt prior alterâ. Iterum ſic: Definitio facienda eſt per notiora, ſed una correlatio non eſt notior alterâ correlatione, ergo neque definienda eſt per ipſam. Minor hujus oſtenditur, quia impoſſibile eſt idem eſſe notius & ignotius altero; atqui quælibet correlatio eſt ignotior altera quum definienda ſit quælibet per alteram, ergo nulla eſt alterâ notior. Confirmatur quia ſic in definitionibus relativorum fieret ſemper circulus, & rediretur ab eodem in idem definiendo, v. g. duplum per dimidium & dimidium rurſus per duplum, & ſi quæreretur quid eſſet Pater? reſpondendum foret quod ſit ille qui habet filium, filius autem qui habet patrem, quo nihil ineptius, quia ex his definitionibus deberem quamlibet ante alteram intelligere adeóque quamcumque ante ſeipſam; ut enim caperem quid eſſet pater? deberem diſcere quid eſſet filius filium autem nunquam poſſem capere niſi priùs conciperem quid eſſet pater, atque ita deberem patrem ante ſeipſum intelligere. Vnde etiam eò deveniri poſſet ignorantiæ ut aliquando poneremus idem in ſui definitione; etenim licitum eſt in definitionibus loco terminorum ſimplicium adhibere definitiones eorum, atque ita in definitione patris loco filii poſſemus recipere definitionem ejus: at verò in definitione filii exprimendus eſt ipſe pater, ergo jam contingeret aliquando patrem definiri per ſeipſum, quod eſſet ſimul definitio & definitum adeóque

Neque dicant adverſarii hoc eſſe ſpeciale in relationibus; quia ratione hujus & ſimilis ineptiæ non poteſt dari privilegium, circulus enim eſt univerſaliter vicioſus, neque habet exceptionem, & ex terminis notum eſt definitum debere eſſe aliud à definitione & definitionem quum ſit oratio explicativa non debere afferre æquè ignota, & multò minùs idipſum.

9. Pro ſolutione horum Thomiſtæ referunt nobis ſuam illam diſtinctionem de termino formali & materiali, terminum materialem volunt eſſe abſolutum, formalem autem ipſam correlationem, & quoniam ſuprà proximè exploſa eſt abundè hæc reſponſio, juvabo eam paulisper ad hoc in hunc modum: Nos ita diſcurrimus, & dicimus fundamentum, v. g. unam albedinem comparatam alteri eſſe illi ſimilem fundamentaliter & materialiter tantùm. Cur ergo non meritò dicere alius poſſit, quod alterum extremum ſecundùm formam abſolutam ſit materialis terminus duntaxat, formaliter autem terminet adveniente relatione, ſicut nos dicimus, quod alterum illud ſcilicet fundamentum reddatur formaliter tale: v. g. ſimile, formaliter vel formaliter æquale adveniente relatione ſimilitudinis vel æqualitatis, imò videmur mutaviſſe vices hinc inde, nam illi loquuntur conſequenter ad noſtra principia, nos verò conſequenter ad principia ipſorum.

Reſpondeo, etſi hæc ſpecioſè dicantur, tamen non tantùm valent, quantùm ſonant: Non enim diſtinguendum eſt de termino materiali & formali, quum omnis terminus ſit materialis, ſaltèm nihil ſuperaddendum ſit rei ut fiat terminus formalis, quia nimirum terminus non eſt denominatio intrinſeca ſed vult dicere quod aliud aliquid hucuſque pervenit, unde eſt abuſus vocum quod dicatur paries terminare relationem, quaſi terminare ſit agere quum tamen nè quidem ſit pati. Terminare ergo vel eſſe terminum non eſt aliud quàm eſſe id ad quod aliud quidpiam pervenit, quod totum evidens eſt ſalvari ſine forma ſuperaddita, eo quod totum ſignificatum ſit ex parte ejus quod terminatur & vadit eò, non verò ex parte ejus ad quod vadit.

Vnde retorqueo contra eos, quod putaverunt nobis objiciendum, quia, licèt apud nos eſſe ſimile requirat formam propriam, tamen eſſe fundamentum ſimilitudinis non requirit. Vnde ſi valet paritas dicendum erit quod eſſe terminum non fiat per formam ſuperadditam, licèt eſſe relatum, v. g. eſſe ſimile vel æquale in termino fiat per novam formam, & totum ſanè in plano ponetur exemplo termini alicujus itineris, nam qui venit Tuſculo Romam, porta Romana eo ipſo eſt terminus itineris ejus, etſi nihil ſuperaddatur ei, imo etſi eradantur omnia ei ſuperaddita, ita clariſſimum eſt hoc quod eſt terminare fieri per ipſam entitatem nudam rei quæ dicitur terminus.

10. Ex his etiam ſic arguo ulteriùs: Fundamentum relationis non eſt fundamentum ejus per ipſam relationem, quam in ſe habet, ergo nec terminus eſt terminus ejus per illam,

quam in ſe habet, patet paritas, alioquin aſſignetur diſcrimen quod hactenus non dederunt Thomiſtæ. Antecedens autem oſtenditur, quia ſi fiat fundamentum per relationem jam nihil relinquitur quod fundetur in eo; ſi enim relatio ſit aliquid recipientis, nihil eſt quod recipiatur, ex quo ulteriùs ſequitur quod nihil ſit recipiens, adeòque ex eo quod relatio ſit fundamentum aut conſtituat ipſum, ſequitur quod nec ſit fundamentum nec conſtituat ipſum.

Poſſumus etiam arguere ab exemplo poſito de termino itineris; nam, ut aliquid tale ſit, non eſt opus quod ipſum moveatur ad id cujus dicitur terminus, ſed poteſt imo debet immotum eſſe; v. g. cùm porta Romana terminat iter meum, non eſt opus ut porta moveatur ad me ſicut ego ad illam; &, ſi fortè moveretur, hoc non conduceret ei quidquam ad propoſitum terminandi, ergo ſimiliter, ut aliquid terminet reſpectum aut habitudinem alterius ad ipſum non eſt opus ut ipſum reciprocè referatur ad illud, ſed ſufficit quod permaneat in ſuo eſſe priſtino ſine ullo motu aut tendentia ad alterum, & ſi fortè referatur aut tendat ad illud, tamen id impertinens erit ad terminationem, nec ad hoc quidquam conduceret ei.

11. Aliam ergo viam evadendi iverunt Thomiſtæ, ut refert Maſtrius noſter, ſcilicet terminum relationis non eſſe ſolùm id, ad quod pervenit purè relatio, ut nos jam explicuimus, ſed terminum debere eſſe oppoſitum fundamento relato. At verò terminus per eſſe abſolutum ſuum non ſit oppoſitus, ſed per relationem, ergo neque ſit terminus niſi per relationem ut volunt Thomiſtæ.

Audio, & interrogo ex his, utrum extrema relationis, v. g. ſimilitudinis, quæ ſunt duo alba, utrum, inquam hæc referuntur quia opponuntur, an vero opponuntur quia referuntur? ſi opponuntur quia referuntur, jam prius referuntur quàm opponuntur, atque ita non eſt opus ad hoc ut reſpiciant ſe, ſive ut unum ſit ad aliud & aliud viciſſim ad ipſum non eſt opus, inquam, quod opponantur, adeòque unum poteſt eſſe fundamentum & alterum terminus abſque eo quod unum ſit alteri oppoſitum, & ita oppoſitio non conſtituet aut fundamentum aut terminum.

Dicere autem, quod priùs opponantur, quàm referuntur eſt incredibile & irrationabile, quia duo alba v. g. antequam referantur relationibus ſuperadditis non opponuntur ſed conveniunt. Quod etiam ex terminis apparet quia oppoſitio earum eſt relativa, non eſt autem nec eſſe poteſt oppoſitio relativa ſine relatione, adeòque non poteſt dici quod prius opponantur quam referantur. Itaque hæc reſponſio de oppoſitione eſt fuga verbalis, & refugium inventum in anguſtiis ad evadendam utcumque vim probationum noſtrarum.

12. Placet etiam concluſionem palàm facere per ipſa genera relationum: ſit enim ſimilitudo in primis duorum alborum, dico hanc in albo A. non terminari ad album B. ſumptum cum relatione ſimilitudinis, quia nimirum illud complexum, nam eſt ſimile albo A. ſed diſſimile, quum illud ſit complexum relativum ſaltèm ex abſoluto & relativo, hoc merum abſolutum.

Diceret fortè aliquis etiam ex parte albi A. eſſe complexum ejuſmodi ex abſoluto & relativo: Nec ego hoc nego, ſed dico nihil prodeſſe adverſariis, quia ſimilitudo, relationes in creatis non referunt complexum, ſed ſubjectum ſuum. Subjectum autem hic eſt diſſimile ut vidimus. Deinde in relatione æqualitatis idipſum redit, ſi namque accipiamus unum quantum, v. g. palmum æqualem alteri, dico illum non eſſe æqualem alteri palmo & relationi æqualitatis ejus, quia nimirum hæc cùm non ſit quantitas non eſt materia æqualitatis. Idem eſt denique in paternitate & filiatione non enim pater genuit hominem cum filiatione, ſive complexum illud ex abſoluto humanitatis & reſpectu filiationis, quia filiatio cùm non ſit univoca ſeu ejuſdem naturæ cum generante non eſt producibilis ab eo per generationem ergo

13. Objiciunt tamen illi in primis magno animo relationes divinas: quæ propriè tales ſunt, & fortaſſis ſolæ, ſaltèm ex illis inferuntur relationes creatæ, ut vidimus, & tamen divinæ illæ terminantur ad ſe invicem, ſeu ad correlationem, non verò ad abſolutum termini, ergo. Minor hæc probatur facilè, quia cùm illæ ſint origines non poſſunt referre eſſentiam ad aliud aut quidquam ad ipſam; aliàs eſſentia originaretur, v. g. generaretur aut ſpiraretur, quod eſſe falſum conſtat tamen aliunde, tum ex *Concil. Lateranenſi.* (i)

(i) ſub Innoc. 3. & refertur cap. *Damnamus de ſumma trin.* &c.

Reſpondeo primò in hoc argumento non ſufficienter probari aſſumptum, non enim omnes relationes divinæ referunt ſua ſubjecta ad correlativa, ut patet in æqualitate unius perſonæ ad aliam. Reſpondeo etiam ſecundo, licèt adverſarii plurimum nituntur hoc argumento, tamen hoc quoque eſſe quodammodo in oppoſitum, nam, quum relationes divinæ ſint conſtitutivæ perſonarum, & non ſolùm relativæ, quandoquidem terminentur ad relativa, terminantur ad ſubſtrata relationum, ipſæ enim perſonæ ſunt etiam ſubſtrata relationum. Itaque ſi ex hoc habetur intentum adverſariorum, habetur etiam noſtrum adeòque fruſtra contra nos utuntur hoc argumento quod non magis pro ipſis quam pro nobis eſt. Alii aliter reſpondent, & quidem facilè, nec enim trahenda eſt conſequentia à divinis ad creata, maximè in hoc myſterio quod eſt omnino ſingulare & in quo longè aliter ſe habent relationes quàm in noſtris creatis. Certum enim eſt circulum definitionum in creatis etiam relativis eſſe vitioſum, nec enim bene deſcribam dominum dicendo quod ſit is qui habet ſervum, & ſervum, quod ſit is qui habet dominum & tamen neceſſè habeo relativum in divinis per correlativum explicare. Denique ſi negavero his relationes divinas terminari ad correlationes ſtatim obmuteſcunt, & tamen

ne-

negare poſſum, nam illud neque eſt de fide, & multò minus ratione demonſtratum eſt, pendet enim ex eo, num perſonæ divinæ conſtituantur per abſoluta, an per relativa? quod hucuſque incertum eſt.

14. Objiciunt ergo illi ſecundò convertentiam relationum, quam Ariſt. *cap. 3. prædicamentorum* explicavit per terminationem relationis ad correlationem, *quoniam ſi ad quodlibet aliud aſſignentur & non ad id, ad quod dicuntur, non convertuntur*. Quod deinde exemplificat de ſervo, *qui ſi non domini aſſignetur ſed hominis vel bipedis vel cujuscumque talium non convertitur*, & addit rationem quam maximè ponderant adverſarii *circumſcriptis enim omnibus quæ accidentia ſunt domino, relicto verò ſolo quòd dominus eſt ſemper ſervus ad ipſum dicetur*, ergo jam ratio terminandi relationem ſervitus eſt altera relatio dominii, quod directè intendunt adverſarii. Reſpondeo tamen concedendo convertentiam relationum, & negando terminationem earum ad invicem. Dico ergo requiri relationes fortaſſis in extremis, ut aliæ ad ipſa extrema terminentur, terminationem tamen non fieri ad relationes, ſicut etiam requiritur quantitas in materia ut recipiat ab agente naturali formam, nec tamen forma recipitur immediatè in quantitate, ſed immediatè in ipſa materia: eſt ergo correlatio, ut maximè conditio non autem ratio formalis terminandi. Deinde dici poſſet, quod Maſtrius cogitavit, dominium requiri non tamen formale, ſed ſubſtractum ejus, ſc licet jus diſponendi de famulo, imperandi ipſi, niſi deinde deberemus aſſignare diſcrimen inter dominium & illud jus, quod equidem non facilè invenio. Videntur etiam mihi qui oppoſitum cogitant, intelligere relationem dominii ad modum paternitatis quæ reſultat poſitâ generatione activâ quod ſuprà exploſimus, nitendum eſt potiùs primæ ſolutioni: Sed contra ipſam quoque

Dices, ſi ita ſit, ſequitur quòd ſervus non ſit domini ſervus, eſt enim ſervus illius qui eſt ſubjectum dominii, ſive ejus quod eſt materiale relationis; ſed materiale illud non eſt dominus, non enim poteſt fieri dominus ſine dominio, ergo quod eſt abſoluti ſubſtrati non eſt domini, ſecundùm nos ſervus eſt abſoluti ſubſtrati, ergo non eſt domini; falſum eſt autem hoc, quia omnis ſervus eſt domini ſervus, ergo. Nego tamen huic ſequelam, quòd ſervus non ſit domini ſervus, & ad probationem dico, quòd materiale illud eſt dominus licèt non ſine relatione dominii, quia nimirum quotieſcumque terminat relationem ſervitutis habet relationem dominii, licèt ipſa relatio non terminet, quemadmodum ſuprà dixi de quantitate, & jam iterum dico de approximatione, non enim poteſt dari actio, niſi in paſſum approximatum, nec tamen agens agit in approximationem, aut totaliter aut partialiter. Ita hic ſervus eſt domini, licèt non ſit dominii ſervus.

15. Sed inſtant primò, ſi ſervus ſit tantùm abſoluti ſubſtrati ſervus non autem domini reduplicativè, ſequitur non magis verum eſſe, quòd ſervus ſit domini ſervus quàm quòd ſit patris, ſi fortè dominus ille habet filios, & ſit pater; conſequens ſine dubio eſt falſum, ſed probatur ſequi, quia ſervus eſt ad dominum ſpecificativè tantùm, non reduplicativè, at verò dominus ille ſpecificativè ſumptus eſt pater, ergo. Huic jam reſpondi: Diſparitas enim eſt quòd ad terminationem ſervitutis requiritur dominium, non autem paternitas. Sed contra hoc ſecundò facit, quòd ſi requiratur dominium ad terminandam ſervitutem, etiam requiretur ſervitus ad terminandum dominium, atque ita idem requiretur ad ſe, erit prius & poſterius eodem. Reſpondeo: Hæc replica egregiè pugnat pro noſtra concluſione, & ligat adverſarios, nam ſi terminus relationis eſt correlatio, cùm terminus omnis ſit prior (eò quòd ſit cauſa relationis) ſequitur idem eſſe prius & poſterius eodem, etiam ſe ipſo. Contra nos autem non facit, quia ponimus relationem eſſe tantùm conditionem ad terminandam aliam correlationem, conditiones autem non neceſſariò ſunt priores, ſed poſſunt eſſe concomitantes tantùm.

16. Objicitur tertiò: correlativa omnia ſunt relativè oppoſita, ſed non ſunt relativè oppoſita, niſi ſumantur cum relationibus, ergo non ſunt correlativa ſive termini hinc inde, niſi ſumantur cum relationibus. Minorem fortè probarent, ut nos ſuprà, quòd ſine relationibus non ſit intelligere oppoſitionem relativam, alioquin neſcio, cur adverſarii tanti æſtiment hoc argumentum. Reſpondeo enim facilè concedendo majorem, & negando minorem: ad probationem dico oppoſitionem relativam non poſſe haberi ſine relatione, poſſe tamen ſine relationibus. Sentio itaque correlativum etiam ſine correlatione opponi alteri, v. g. quum duo palmi cenſentur æquales, dico palmum A. relativè opponi palmo B. etiam ſumpto ſine relatione, quia nimirum eo ipſo quòd palmus A. ſit æqualis ei (ſicut revera eſt ſine relatione ſumpto) eo ipſo inquam exigit ut hic non ſit ille, ne fortè idem ſit æquale ſibi. Vide ſi voles alias objectiones & ſolutiones apud Maſtr. noſtrum: De ſimultate relationum natura & cognitione, quæ nonnihil huc ſpectant, dicam infrà. Interim

17. Dico ſuſtineri poſſe, quòd aliquæ relationes terminentur ad correlationes ſuas ſive ad correlativa formaliter ſumpta. In hac ſit aliqua concordia D. Thomæ cum noſtro Doct. quam fruſtra molitus eſt Baſſ. *in d. 30. doct. 2. them. cit.* Baſſol.

Probatio ejus eſt in ſimilitudine duorum alborum, quæ ſint A. & B. dico ſimilitudinem albi A. terminari ad ſimilitudinem albi B. quia non ſolùm album A. eſt ſimile albo B. ſed hoc totum complexum ex uno albo & una ſimilitudine eſt ſimile complexo & alio albo & aliâ ſimilitudine; non eſt autem ſimile diverſâ ſimilitudine quæ ſit ſecunda relatio, ergo primâ ſimilitudine, atque ita ſimilitudo illa refertur ad conſimilitudinem ac non tantum ad ſubſtratum ejus. Huic rationi non poſſunt repugnare Scotiſtæ, quum tota ex Scoto ſit; nec alii, quia etiam fundata eſt in ratione (quam ſuprà ex Scoto attuli) ut quotieſcumque fundamentum non poſſit eſſe ſine termino, tum non ſit multiplicanda inter ipſa relatio quæ ſit forma nova & diſtincta ne multiplicentur entia non neceſſariò; at verò unum ſimile non poteſt eſſe ſine alio, ergo.

Hæc ratio valde apparet, & aliquâ parte ejus (nec enim totam attigit) viſus eſt ſibi rem totam confeciſſe quidam modernus non intelligens, quòd ſimilitudines non ſint ſibi ſimiles, ſed eædem, imò nec ipſæ albedines ſunt ſibi ſimiles, ſed alba, quia nimirum ſimilitudo non conſurgit, niſi ratione qualitatum quæ ſint accidentia ſimili, ſimilitudo autem non eſt qualitas, nec albedo R. Arriaga *diſp. 12. ſeg. ſ. 11.*

eſt

Digitized by Google

eſt accidens ſibi, ergo. Vis hujus diſcurſûs magis eluceſcet in alio exemplo, nam, ſi ponamus duo æqualia, complexum hoc ex palmo v. g. & relatione æqualitatis non eſt æquale alteri, quia nimirum relatio ipſa æqualitatis, cùm non ſit quantitas, non eſt materia æqualitatis. Itaque ratio non ſufficit in illis terminis concluſioni.

18. Poteſt tamen inſtaurari ſic: Similitudo illa eſt ſaltèm eadem alteri, atque ita refertur ad ipſam; at non refertur aliâ relatione, ergo ſe ipsâ. Major eſt evidens, quia eſt ejusdem ſpeciei cum illa: *Eadem* (l) *autem ſunt, quorum ſubſtantia eſt una*, adeóque. Probatio minoris ſuprà poſita eſt in priori argumento, nam illa ſufficit, quia ſcilicet fruſtra multiplicaretur relatio identitatis inter iſtas, quandoquidem fundamentum ejus non poſſit eſſe ſine termino, ut ſuprà.

(l) 5. *Met. tex.*

Aliâ autem viâ univerſaliter ſuaderi poſſet concluſio, quia, cùm comparamus album A. ut ſimile ad album B; prius illud album adæquatè ſumptum ſcilicet pro complexo ex albo & ſimilitudine eſt ſimile, tam ut quo, quàm ut quod alteri albo B. & ſine dubio etiam alterum album poteſt ſumi tam ut quo quàm ut quod, & utroque modo reſpondere ei, ergo jam ſimilitudo unius poteſt accipi ut terminata ad abſolutum & ad complexum ex abſoluto & reſpectu, atque ita ipſe reſpectus. Denique aliquo modo terminabit aliam relationem. Explicatur res: Duo alba ſecundùm Nominales ſe ipſis ſunt omnino ſimilia, & duo palmi æquales; ſecundùm nos tamen ſeu communem ſententiam ſe ipſis non ſunt niſi materialiter & fundamentaliter ſimilia illa aut æquales, adveniente autem relatione ſimilitudinis per ipſam redduntur formaliter ſimilia & æqualia. Ita dico album eſſe ſimile alteri albo etiam abſolutè ſumpto & pro ſolo ſubſtrato, tamen adveniente ſimilitudine redditur illud album formaliter terminans hanc ſimilitudinem quam antea non niſi materialiter aut fundamentaliter terminabat.

ACTIO IV.

Num una Relatio terminari poſſit ad plures terminos totales, an verò multiplicatis terminis multiplicari debeant relationes in eodem ſubjecto?

Breviarium.

N. 1. *Diſſidium utriusque ſcholæ hîc.*
2. *Multiplicari relationes ad multiplicationem terminorum, probatur ex Thomiſticis principiis.*
3. *Abſolutæ probationes ejusdem.*
4. *Reſponſio Thomiſtarum ſæpe & efficaciter rejecta.*
5. *Improbabilis imaginatio Thomiſtarum.*
6. *Adhuc alia impugnatio earum.*
7. *Reſponſio eorum refutatur. An poſſit eſſe una generatio duorum?*
8. *Impugnantur duæ viæ, quibus Thomiſtæ oppoſitum concluſionis ſuſtinent.*
9. *Fundamenta Thomiſtarum disjecta: an habens plures paternitates ſit plures patres?*
10. *Tertia objectio: an per plures paternitates fiat idem pater, nec ne?*
11. *Conceditur probabilitas aliqua oppoſitæ ſententiæ, & aſſignatur modus, quo defendi poſſit.*
12. *Termini inadæquati reſpiciuntur omnes una relatione.*
13 *Standum eſſe potiùs dictis numero ſecundo, quàm numero undecimo.*

1. HIc iterum diſcordia eſt: Putant Thomiſtæ ad quaslibet & quotlibet correlationes ejusdem ſpeciei in pluribus ſubjectis & ad ipſa plura ſubjecta ſufficere unam relationem in uno fundamento, v. g. in eodem homine ſufficere unicam paternitatem ad ſexcentos filios, & reliquos omnes ſuperfluere adeòque non dari; nos dari eas aſſerimus, ſuperfluere negamus. Prioris ſententiæ auctor eſt Angelicus *3. p. q. 35. art. 5.* & *quodl. 1. art. 2.* quem ad noſtra usque tempora commentatores ejus ſequuti ſunt, nunc enim non pauci *Scoto* adhærent, in primis Subtiles omnes. *Lychet. Tartar.* cum ipſo cit. Deinde *Bacon.* (a) poſtremò Recentes *Fonſeca* (b) *Suarez* (c) *Amicus* (d) *&c.*

S. Thom. 3. *d. 8. q. un.*

(a) 3. *d. 8. citat.* (b) 5. *Met. c. 6. q. 5.* (c) *disp. 47. Met. ſect. 17.* (d) *tract. 15. log. q. 7.*

2. Hæc ſententia omnino præferenda eſt, & vel inde patet, quia oppoſita nititur falſo principio, ex quo non poteſt ſequi verum, fundatur enim in eo, quòd accidentia individuantur à ſubjecto, quod ſuo loco latè impugnavimus, & nunc oſtendo nihil ipſos juvare, nam, ſi accidentia individuentur per ſubjectum, non ſolùm non poterunt eſſe ſimul plures relationes ejusdem ſpeciei in aliquo ſubjecto, ſed nec ſucceſſivè; hoc autem etiam ipſi Thomiſtæ negant, ſed probatur ſequi, quia illa ſine dubio ſunt idē numero ſive idem individuum, quæ habent idem principium individuationis; accidentia omnia ejusdem ſubjecti habent idem principium individuationis, ergo. Confirmatur & explicatur, quia accidentia ſimul exiſtentia habent diverſas entitates & terminant diverſas actiones productivas; & tamen quia communicant ſubjecto, hoc eſt, quia habent idem commune ſubjectum fiunt unum numero, ergo ſimiliter etiam accidentia ſuccedentia ſibi in eodem ſubjecto ſuccedunt etiam ſibi in eadem individuitate ſive fiunt unum individuum.

Urgeretur hoc argumentum ſic: Quantumcumque individuarentur relationes aut alia accidentia per ſubjecta, adhuc tamen poſſent relationes & alia accidentia multiplicari ſpecie in eodem ſubjecto, ergo etiam poſſunt multiplicari ejusdem ſpeciei accidentia. Probatio conſequentiæ, quia nimirum ipſi tenent omnia tam

ejusdem, quàm diverſæ ſpeciei accidentia individuari per ſubjectum; ſi ergo non obſtante identitate ſubjecti, quod eſt principium individuationis, poſſunt multiplicari numero accidentia diverſæ ſpeciei quidni poſſint & multiplicari numero accidentia ejusdem ſpeciei?

3. Sed relinquamus hæc Thomiſtica, & probemus abſolutè concluſionem in primis à priori ſic, quoniam etſi accidens abſolutum individuari deberet à ſubjecto, ſed relativum potiùs individuandum eſt à termino, ergo ubi ſunt plures termini quantumvis ſit unum ſubjectum, poſſunt eſſe plures relationes. Antecedens probatur, quia accidens relativum magis dependet à termino, totum enim eſſe illius eſt ad *aliud* ſcilicet terminum.

Probo etiam à poſteriori; ſequeretur enim aliquem eſſe Patrem reſpectu filii, qui nondum eſt, nec in fieri, hoc autem eſt utique abſurdum tum quia pater & filius ſunt correlativa, tum quia paternitas fundatur in actione generativa, ſequela tamen probatur, quia haberet in ſe talis formam, per quam fit pater hujus filii. Antecedens hoc eſt adverſariorum, volunt enim illi, quòd per primam paternitatem reſpiciat ille omnes filios quos habiturus eſt, conſequentia tenet, quia impoſſibile eſt formam in ſubjecto eſſe & non dare & effectum ſuum formalem.

Aliter formari poſſet hoc argumentum ſic: Relatio paternitatis ad ſecundum filium eſt, quando non eſt relatio ad primum filium, ergo non eſt eadem relatio ad primum & ſecundum, conſequentia eſt evidens ex illo: Impoſſibile eſt idem eſſe ſimul & non eſſe: antecedens autem, quia, ſi moriatur primus filius, relicto ſecundo manet relatio patris ad ſecundum, non manet relatio ejus ad primum. Probo ſecundam partem hujus, in qua eſt difficultas: relatio eſſentialiter dependet à termino, & relatio prædicamentalis etiam ab exiſtentia ſui termini, ergo non eſt niſi quando terminus eſt.

4. Ad hæc & ſimilia reſpondent adverſarii, quòd pater reſpiciat utrumque filium unicâ paternitate, ſed auctâ quodammodo & dilatatâ: & in ſecundo caſu dicunt conſequenter, quòd perdatur non paternitas, ſed augmentum aut extenſio aliqua ejus, ſed contra hæc plurima faciunt, quæ ſolutionem iſtam prorſus explodunt: & in primis hoc. Quæro enim de augmento illo, quid eſt? aut enim eſt relatio paternitatis, aut non. Si ſecundum, non ſufficit ad dandam ei denominationem aut effectum formalem, & ita redit argumentum. Primum autem eſt intentum noſtrum. Deinde oſtendo quod Thomiſtæ totâ hâc diligentiâ non evitant, ſed incurrunt abſurdum illud quod fugiunt de poſitione plurium ſolo numero diſtinctorum in eodem ſubjecto; nam augmentum illud quod prætendunt accedere, aut eſt ejusdem ſpeciei cum præcedenti, aut non eſt; ſi ſit, erit paternitas, atque ita dabuntur duæ paternitates in eodem, quod eſt abſurdum ipſorum, ſi autem non ſit ejusdem ſpeciei aut paternitas, certè non reddet patrem. Tertio, demus hunc patrem habere tres filios; defuncto primo filio & remanente ſecundo, quæro quid remanet patri in ordine ad ipſum? non paternitas, hæc enim reſpondebat filio primo, adeòque cum ipſo deſivit, atque ita pater jam non eſt pater ſecundi filii, quia ad ipſum non habet paternitatem, vel ſi fuit in paternitate illa gradus correſpondens etiam primo filio, ita ut illa fuerit applicabilis omnibus, quid videntur cogitare hi homines, niſi quòd paternitas ſit idæa Platonica, & quaſi quædam ratio paternitatis ut ſic, quæ deinde per ſupervenientes differentias aut quaſi differentias determinaretur ad omnes in particulari?

5. Et ſanè id non obſcurè indicant, dum dicunt correlativum paternitatis proprium & adæquatum non eſſe hunc aut illum filium, ſed filium ut ſic; & hunc numero filium eſſe minus principalem & quaſi inadæquatum terminum ejus, unde inferunt non repugnare, quòd maneat paternitas deſinente quocumque filio etiam primo aut cæteris quomodocumque variatis, quia nimirum non deſinit terminus principalis, & adæquatus; contra quæ ſpecialiter facit quòd filius ut ſic non ſit generabilis, nec poteſt terminare actionem ullam ſingularem, adeòque non poſſit eſſe ulla relatio, cujus terminus ſit filius ut ſic. Conſequentia tenet, quia filiatio aut eſt generatio, aut fundatur ſuper ipſam; at verò filius ut ſic non poteſt generari. Contrà deinde eſt, quòd ſive poſſit id eſſe ſive non poſſit, ſaltèm hæc paternitas quæ eſt in patre meo ratione mei non poteſt habere pro termino filium ut ſic, neque ſingularem aliquem alium à me quod inde conſtat, quia hæc paternitas fundata eſt in actione generativa mei determinati, adeòque eſt determinata ad me ſolum, quæ conſequentia ideo valet, quoniam actio cùm ſit modus, eſt determinatio actualis hujus ſubjecti; & cùm ſit modus relativus, determinat etiam ad hunc terminum, ſcilicet ad me, ita fixè, ut non poſſit determinare ad alium.

6. Libet etiam ſic ipſos arguere: Poſſunt in eodem ſimul eſſe duæ generationes activæ, quidni ergo duæ paternitates, tum quia generationes ſunt fundamenta aut rationes fundandi paternitatem (relatio autem tertii prædicamenti reſultat ſtatim poſitâ ratione fundandi) tum vel maximè, quia ipſæ generationes ſunt accidentia, adeòque ſi ſubſiſtant principia Thomiſtarum, non minus repugnat eſſe duas ejusdem ſpeciei in eodem ſubjecto, quàm duas paternitates. Antecedens autem patet in eo, qui ſimul gignit geminos, ut in Iſaac ratione Eſau & Jacob.

Dicen. fortè illum non habuiſſe, niſi unam actionem totalem ratione utriusque. Sed in primis hoc eſt improbabile, quia per conjunctam generationem nihil minus acceperunt illi, quàm ſi ſeorſim & ſucceſſivè generarentur, adeòque pater nihil minus dedit illis, atque ita actio patris non fuit partialis ratione eorum: quod etiam inde probatur, quia illi duo non tantùm ſunt unus filius totalis, ſed quilibet eſt filius, & uterque ſunt duo, non poteſt autem dari filiatio ſine generatione correſpondente, ergo.

7. Reſponderi poteſt filium eſſe patris ſui filium, & ſimiliter matris, nec tamen dicere niſi unam completam relationem ad utrumque, atque ita ſimiliter poſſe patrem eſſe inadæquatè patrem unius filii, & adæquatè duorum. Reſpondeo non eſſe ita, quia pater quidem eſt cauſa partialis ex natura ſua, eò quòd debeat naturaliter altera concurrere; at verò filius non eſt effectus inadæquatus patris ex natura, quia non exigit ſimul alium gigni. Per accidens eſt filio, quòd alius cum ipſo generetur, non autem eſt per accidens, ſed per ſe in patre, quòd alia cum eo generet.

Dein-

Digitized by Google

Deinde ex hoc ipſo elicio novum argumentum, quia in eodem filio ſunt accidentia ſolo numero diſtincta; quod ſi verum ſit, falſa eſt concluſio Thomiſtarum, nam ſequitur etiam, quòd in patre poſſint talia eſſe, cur enim non, à paritate? Quòd autem in filio ſint, inde conſtat, quia in eo ſunt duæ filiationes, altera ad patrem, altera ad matrem. Difficultas eſt tantùm in oſtendendo, quòd hæ filiationes ſint ſolo numero diſtinctæ; id autem ſic ſuadeo. Relationes illæ ſunt ſolo numero diſtinctæ, quorum extrema ſcilicet fundamentum ac terminus ratio etiam fundandi ac terminandi ſunt ſolo numero diſtinctæ. Tales ſunt iſtæ: ergo. Vis rationis & probatio minoris ſubſumpti pendet ex eo, quòd maſculus & fœmina ſint ejuſdem ſpeciei, quod licèt ego non reputem (ut patuit ſuprà) nimis verum tamen communiter tenetur pro tali; exiſtimatur enim homo eſſe ſpecies infima ut patet in arbore Porphyrii receptiſſima, non eſſet autem infima, ſed ſubalterna, atque ita genus ſi mas & fœmina ſub ipſo diſtinguerentur ſpecie, ergo.

8. Denique, quoniam Thomiſtæ duabus viis ſuſtinere poſſunt terminationem unius relationis numero ad plures terminos; unâ ſic dicendo, quòd eadem terminatur ad multos ſine addito; aliter, quòd terminetur ſed cum addito, dupliciter impugno aſſertum, primò contra primam; ſequitur enim quòd idem ſimul produci & deſtrui poſſit. Secundò contra ſecundum. Sequitur enim quòd idem ſimul perfici & imminui ſive intendi & remitti poſſint: Primum quidem, quoniam ſi ſit eadem paternitas ad duos filios, quandoquidem unus naſci poſſit dum alius moritur, jam paternitas dum producitur poteſt deſtrui ſeu corrumpi. Item, qui habet aliquos filios & gignit alios, ſi interim moriantur ex præcedentibus aliqui, relatio paternitatis ſimul intenditur & remittitur, ſive augetur & decreſcit, quod quidem naturaliter eſt impoſſibile, ſequela patet, quia ſecundùm ſecundam viam in generatione novi filii paternitas extenditur & augetur, ſicut etiam in morte ejus decreſcit & deaugetur, ſive perdit illud incrementum quod accepit dum gigneretur ille filius.

9. Fundamentum Thomiſtarum eſt, quòd duo accidentia ſolo modo diſtincta non poſſint eſſe in eodem ſubjecto, adeòque nec relationes ejuſdem ſpeciei; ſed hoc fundamentum quoties refutatum eſt?

Objiciunt iterum, ſi in eodem eſſent plures relationes numero, v. g. plures paternitates, ſequeretur, quòd idem homo habens plures filios non eſſet idem pater aut unus, ſed plures patres; quia per unam paternitatem fit unus pater, per ſecundam ſecundus. Reſpondeo negando ſequelam, quæ etiam ſolvenda eſt auctoribus ejus, nam ſaltèm ſucceſſivè poſſunt recipi in eodem plures paternitates etiam ſecundùm ipſos, & tamen non dicent illum fieri ſucceſſivè plures patres, cauſa ergo negatæ ſequelæ eſt, quia non ſufficit pluralitas formæ ad pluralitatem concreti, niſi adſit etiam pluralitas ſuppoſiti: aliàs qui videt duobus oculis, vel ageret ſimul intellectu & voluntate eſſet duo agentes, quod nemo dicet, quia eſt idem, ſimiliter retorqueri poſſunt alia eorum argumenta, ut iſtud, quod

Objiciunt ſecundo: Una potentia poteſt reſpicere plura objecta & plures actus, ergo & una Relatio plures terminos. Reſpondeo enim, ſi valet quidquã probare contra adverſarios, quòd una relatio poſſit referre ſubjectum ad plures ſpecie terminos, quod tamen Thomiſtæ nolunt; ſed patet ſequi, quia una potentia reſpicit plures ſpecie actus & objecta. Reſpondeo ſecundò negando conſequentiam, quia potentia eſt tantum fundamentum; non eſt autem æqualis conjunctio fundamenti cum termino atque ipſius relationis, ſed multò major relationis, nam fundamentum ex ſe eſt indifferens, tam ad relationem quàm ad terminum, non ſic relatio ad terminum cum ſit actualis determinatio ad ipſum. Alia ſolutio hujus petenda eſt ex dicendis infrà *num.* 11. ubi oſtendetur fortaſse modus aliquis quo una relatio poſſit reſpicere plures terminos, quod etiam incipiam facere in ſolutione ſequentis, quæ ſit

10. Objectio tertia: Niſi eadem relatio poſſit referre & referri ad plures terminos, fatendum eſſet, quòd idem bis fieret, hoc eſt idem effectus numero à pluribus numero cauſis, quod ſine dubio eſt falſum non minùs, quàm quòd idem effectus in ſpecie haberetur à pluribus formis in ſpecie. Probatur tamen ſequela, nam ſi Petrus habens tres filios haberet totidem paternitates, tum iſtud concretum *hic pater* haberetur à pluribus paternitatibus, nam ſingulæ paternitates facerent hunc patrem, at verò terminus demonſtrativa, *hic homo hic pater* & ſimilia (quum ſint media in ſyllogiſmo expoſitorio) eſſe omnino indiviſibilia ac ſingularia, adeòque idem concretum numero fieret ab omnibus illis, non verò alius pater fieret à ſecunda & alius à prima. Confirmatur; quæro enim, quare non poſſint duæ albedines eſſe ſimul in eodem ſubjecto ut faciant bis album, poſſint autem paternitates & ſimilitudines ut faciant idem bis ſimile, ac non potiùs dicendum eſt, quòd ſicut una albedo numero ſufficit pro omni denominatione albi quæ competere poteſt huic ſubjecto, ita etiam, *&c*.

11. Propter hoc, parum abeſt, quin dicam hominem unâ paternitate poſſe referri ad plures filios, nam revera difficile eſt dicere, quòd per ſecundam paternitatem fiat idem pater qui factus eſt per primam, & difficiliùs eſt quòd fiat alius, ut jam Petrus ſit duo patres & tot quot habet paternitates. Ut ergo res hinc inde ſine incommodis diſponi poſſet, crederem inveniendam eſſe viam mediam; quo in genere propono Lectori iſtam, ſi ſcilicet dicatur quòd poſt generationem primi filii accedat relatio ipſa paternitatis, genitis autem aliis filiis non accedant novæ paternitates, ſed novæ terminationes hujus paternitatis ad poſteriores filios ad eum modum, quo dicitur ſcientia poni poſſe in ligno aut Lapide, ſed ſine terminatione ejus ad objectum; & quo dicitur Dominus Deus velle aliquid præ alio non per novum actum, ſed per terminationem præcedentis actûs; & denique quo beata viſio repræſentat ipſis beatis alia & alia in Verbo, quod fit per novas terminationes, non autem per novas viſiones. Hucuſque libuit etiam Aquinatem tueri, addo adhuc &

12. Dico ſecundò: Relativum reſpiciens plures terminos inadæquatos ſive mediatos, ſive immediatos non reſpicit ſingulos terminos ſingulis relationibus, ſed unâ omnes, & univerſaliter, quotieſcumque fundamentum non poteſt reſpicere unum terminum ex multis, quin alios reſpiciat, non multiplicantur in eo relationes.

Tota

Digitized by Google

Tota conformis eſt Doct. noſtri principio ſuprà poſito, & ſtatim infrà repetendo. Videri poteſt ipſe in hanc ſententiam partim hîc *queſt.* 5. de relatione, partim 2. *d.* 1. *q.* 5. eſt etiam clara ex ſuppoſitione, quod una relatio poſſit reſpicere plura, nam ſi ſic, evidens eſt in his & ſimilibus non eſſe ponendas plures, quia id fruſtra eſſet, quotiescumque ergo relatio aliqua non poteſt reſpicere unum ex multis, quin omnia reſpiciat, tum non ſunt multiplicandæ relationes pro multis terminis, ſed ponenda una pro omnibus, quod eſt principium ex Subtilis doctrina certiſſimè ſequens.

Exemplum primæ partis & concluſionis eſt genus reſpectu ſpecierum, & ſpecies reſpectu individuorum, quæ omnia reſpiciuntur ab utroque illo prædicabili, unicâ relatione ex parte prædicabilis. Exemplum alterius partis eſt genus ratione ſpecierum & individuorum, quæ unicâ relatione à genere reſpiciuntur.

13. Quæret tamen aliquis, quid denique ſentiamus de reſpicientia plurium terminorum per unam relationem, an ſcilicet ſtemus in eo modo, quem propoſuimus *num.* 11. ut ſcilicet poſt unam relationem, verbi gratiâ poſt primam paternitatem non accedant novæ paternitates, ſed duntaxat terminationes primæ? Reſpondeo ſtandum potiùs eſſe concluſioni, quam ex Scoto propoſuimus: cauſa; quia ille modus extendendi aliquid ad plura per terminationes competit formis abſolutis, qualis eſt cognitio aut viſio, non verò relativis eò quòd relativæ ſint determinatæ, imò & ipſæ determinationes ad aliquid, atque ita non poſſunt intelligi ſic ſuſpenſæ & deinde terminatæ. Dices, ſaltèm ſolvenda eſt ratio ſuprà poſita in contrarium: quòd ſcilicet illo modo idem ſæpe fieret: ſcilicet concretum illud *hic pater*. Reſpondeo ita neceſſè eſſe, neque enim evaditur illa abſolutè & omnino ponendo unam relationem pro multis terminis, quia ſaltèm iſtud concretum *hoc terminatum* ſæpe repeteretur. Secundò, quia admittunt Thomiſtæ relationes ſpecie diſtinctas poſſe multiplicari in eodem ſubjecto, & tum nonne ſæpe haberetur iſtud concretum, *hoc relatum*.

Authores

Vide citatos ad calcem apologiæ præcedentis.

APOLOGIA IX.

Miſcellanea de Relatione.

ACTIO I.

Vtrum in prædicamento Relationis detur aliquod unum & ſupremum genus?

ACTIO II.

Quæ relatio ſit tranſcendentalis? quæ relatio rationis? & denique quæ ſint relativa ſecundùm dici?

ACTIO III.

Vnde deſumenda ſit ſpecificatio Relationum?

ACTIO IV.

De proprietatibus *ad aliquid*.

Scotus q. 25. Prædicam.

DIcendum, quòd generaliſſimum in genere relationis eſt unum, quia ſecundùm unam rationem dicitur de omnibus ſuis inferioribus, quæ ratio eſt habitudo unius ad aliud, & quia omnes relationes habent eundem modum denominandi ſubſtantiam, videlicet in comparatione ad aliud, ut accidentia quæ eodem modo denominant, ſunt unius generis.

Idem ibid. quæſt. 36.

AD tertium dico, quòd contradictio & privativa oppoſitio, poſſunt univocè inveniri in omni genere, & ſimiliter contrarietas & relativa oppoſitio fortè ut paſſiones non ut ſpecies.

ACTIO I.

Vtrum in prædicamento Relationis detur aliquod unum & ſupremum genus?

Breviarium.

N. 1. *Concluſio affirmativa & ratio dubitandi.*
2. *Reſponſio pratenſa huic rationi, refutatur.*
3. *Confirmatur de novo ratio ſuprà poſita.*
4. *Vrgetur alio modo. Num relativum ut ſic poſſit eſſe ad aliud?*
5. *Solvitur tota ratio, quatenus procedit de relativo ut ſic.*
6. *Solvitur poſita num. primo, quatenus procedit de relatione ut ſic.*
7. *An inferiora omnia ſint inferius ſuperiore?*

Joann. de Magiſt. Fonſeca 5. *Met.* Maſius *hic ſect.* 1. Sanct. *q* 19. Maſtr. & Bellut. *diſp.* 8. *q.* 9.

1. Dico, quod ſic, ſicut in aliis prædicamentis & propter eaſdem rationes, quas non eſt neceſsè repetere hîc. Laborandum eſt tantummodo in ſolvenda objectione eſt autem iſta: Genus continet ſub ſe omnes ſpecies: at verò non poteſt dari relatio continens ſub ſe omnes relationes. ergo. Minorem probo, quia non poteſt ſub ſe continere relationem quæ eſt in ſuo correlativo, quia nimirum relatio contenta ſub illa eſt poſterior illâ aliquo modo: at verò correlatio ejus non eſt poſterior, ſed ſimultanea illi, adeòque vis hujus eſt ex eo, quòd correlativa ſint ſimul naturâ: at verò ſuperius & inferius non ſunt ſimul naturâ, ergo jam correlativum relationi ut ſic non eſt ei inferius, adeòque non datur unum aliquid cui reliqua ſint inferiora.

2. Reſponderi poteſt hîc ſupponi aliquid, quod fuit probandum, ſcilicet relationem ut ſic habere correlationem, id enim negabitur, nec immeritò, ut videtur, quia ſi relatio ut ſic haberet correlationem, tum omnis relatio in ſpecie eam haberet, quod tamen eſſe falſum conſtat in relationibus tertii modi apud Ariſtotelem, iſtæ enim non habent correlationem, ergo. Sed reſponſio neſcio an tollit difficultatem. Tum, quia relativa illa tertii modi apud Ariſtotelem ſunt relativa ſecundùm dici tantùm, aut ad ſummum tranſcendentalia, & non prædicamentalia, adeòque ex illis non debet trahi conſequentia contra relationes propriè dictas & prædicamentales: tum quia relationes illæ tertii modi ſunt relationes menſurabiles ad menſuram, certum eſt autem, quòd omnis menſura ſit alicujus memorabilis menſura, adeòque alicujus correlativi; unde

3. Redeo ad confirmandam ipſam objectionem ſive rationem dubitandi principalem ſic: Si relatio ut ſic abstrahit ab omnibus omnino, etiam alia genera inferiora & ſubalterna huic ſupremo generi abſtrahent ab omnibus ſub ſe contentis, à paritate; hoc autem eſt falſum, ergo, dicendum erit, quòd nec relatio ut ſic abstrahat ab omnibus relationibus. Minor hujus patet in relationibus æquiparantiæ; nam ſimile verbi gratiâ non poteſt abſtrahere ab omni ſimili, quia non poteſt ſtare ſimile ſine ſimili, poteſt autem ſtare ratio ſuperioris ſive inferiori. Confirmatur, quía non ſequitur à ſuperiori ad inferius, ſequitur autem ab omni ſimili ad aliud ſimile, ergo nullum ſimile eſt ſuperius ad omne ſimile.

4. Urgeri etiam aliter poteſt difficultas ſic; ſi relativum ut ſic haberet correlativum, relativum non eſſet relativum, hoc autem implicat, ſed probatur ſequi, quia relativum omne eſt ad aliud, illud autem relativum non eſſet ad aliud, quia correlativum ad quod eſt, eſt aliquid ipſius, utique enim correlativum illud eſt relativum, ſed omne relativum includitur in relativo ut ſic, eſtque pars ejus tanquam totius potentialis, ergo. Explicatur; correlativum alicujus relativi debet eſſe extra ipſum, ſed correlativum relativi ut ſic non eſt extra relativum ut ſic, ergo. Aliter etiam ſic: correlativum relativi ut ſic debet æquè latè patere, ac ipſum, tum quia non poteſt correlativum relativi ut ſic eſſe ad aliquod particulare, alioquin nulla relatio in ſpecie extenderet ſe ultra illud particulare, tum quia relativa dicuntur ad convertentiam & æqualitatem; atqui non poteſt aliquid æquè latè patere ac relativum ut ſic, alioquin illud non eſſet relativum ut ſic, ſeu univerſaliſſimum: ſequitur ergo duo eſſe ſuprema in hoc genere.

5. Standum nihilominus eſt concluſioni poſitæ ex Doct. quanquam Maſius appoſitam ei aſſignet, & Roderiquez alio trahere eum nitatur reclamante textu ejus apertiſſimè, ut patet ex themate primo ſuprà. Dicendum quòd *generaliſſimum in genere relationis eſt unum.*

Solvamus ergo rationem in contrarium, quæ quidem duplex ſeu bipartita eſt; altera procedit de relativo ut ſic, altera de relatione, & quidem illa de relativo poſita *num.* 4. eſt ſatis moleſta quibusdam, iis ſcilicet, qui ponunt relationem terminari ad correlationem: qui autem veriùs tenent nobiſcum relationem terminari ad abſolutum termini, facilè excutere eam poſſunt in forma negando ſequelam majoris; & ad probationem ejus negando iterum minorem, & alia conſequentia ad hæc, quia nimirum omnia ſupponunt falſum, ſcilicet relativum habere pro termino aliud relativum formaliter ſive reduplicativè, hoc eſt, cum relatione ſumptum, quod falſum eſſe vidimus, non enim terminatur ad correlativum ſic, ſed materialiter tantùm & pro ſubſtrato ſumptum, quantumvis illud ubique adſit.

Sed inſtat Amicus; quantumvis terminus relationis non ſit alia relatio, ſed ſubſtratum ejus,

Digitized by Google

ejus, adhuc ſequitur abſurdum illud ultimum, ſcilicet quòd detur correlativum æquale relativo ut ſic; nam licèt relatio non terminetur ad correlationem, tamen ipſa correlatio datur; quæcumque autem ſit, eſt par ſeu æquè latè patens, ac relatio ut ſic, quia æquè latè patet ac ejus correlatio, correlatio autem ejus eſt relatio ut ſic, ergo.

6. Reſpondeo: Hoc argumentum jam tranſiit in primum initio actionis poſitum *num. primo*; ad quod nego Minorem, & dico dari poſſe relationem, quæ contineat ſub ſe omnes relationes, etiam illam, quæ eſt in ſuo correlativo, cujus oppoſitum erat totum fundamentum objectionis. Ego autem hîc datâ inſtantiâ manifeſtè oſtendam poſſe aliquam relationem continere ſub ſe ſuam correlationem; quod magis clarè exprimemus dicendo relativum poſſe continere ſub ſe ſuum correlativum: vel ſic, poſſe inferius & contentum ſub alio eſſe correlativum ſui ſuperioris: id enim de facto contingit in genere, ſpecie, & univerſim in omnibus univerſalibus, quorum correlativa ſunt ipſorum inferiora: Generis correlativa ſunt ſpecies, & tamen ſpecies ſunt inferiora generis; idem eſt de ſpecie ratione individuorum.

Fateor tamen, hoc non caret difficultate, quæ videtur facere, ut ſolutio non ſufficiat, quia correlativum univerſalis ſunt inferiora, non aliqua aut pauca, & multò minùs unum, ſed omnia, at verò omnia inferiora æquant ſuperius, nam multitudo tota hominum eſt idem ac omnis homo. Idipſum eſt de multitudine ſpecierum reſpectu generis ſine dubio, atque ita non habetur adhuc aliquod unum inferius poſſe eſſe correlativum ſuperiori. Relatio autem correlativè reſpondens relationi ut ſic eſt una, ergo jam non eſt adducta paritas aut inſtantia quæ ſolveret objectionem.

Reſpondeo primò jam reſponſum eſſe ſuprà negando relationem ut ſic habere correlationem, quod ſanè efficaciter convincit inſtantia illa de relationibus tertii modi ſuprà in refutatione reſponſionis datæ argumento principali. Ad rationem contra hoc adductam, dicendum eſt, quòd quidem relationes tertii modi ſint relationes menſurabilis ad menſuram ſignatè, non exercitè, ſive ſpecificativè, non reduplicativè; hoc eſt, ſunt quidem tales in re, at non in illis terminis ſcilicet menſura & menſurabilis (illi enim termini ſunt manifeſtè correlativi) ſed in aliis, in quibus nulla reciprocatio aut correlatio exprimitur, ut ſi dicam, Quantitas & Mathematica, dico menſurabile & menſuram, ſcilicet objectum & ſcientiam, non tamen exprimo aliquod relativum niſi unum, ſcilicet ſcientiam, quæ eſt relativa ad ſcibile, alterum autem extremum non item, nam quantitas quis neſcit quod ſit abſolutum quid?

7. Reſpondeo ſecundò, quantumcumque multa ſint illa, puta individua vel ſpecies eſſe inferiores univerſalis, non enim correlativum univerſalis eſt unum aliquod, ſed multa. Ex quo habetur evidenter quòd aliquid inferius poſſit eſſe correlativum ſuperioris. Unde relatio ut ſic poterit comprehendere ſub ſe omnes relationes quantumvis habeat pro correlativo aliquam relationem. Nec eſt verum idem eſſe univerſale aliquod, verbi gratiâ homo ut ſic, vel homo cum ſyncathegoremate univerſali, ut ſi dicam *omnis homo* ac multitudinem ſingulorum hominum, quia illud eſt unum, hæc ſunt multa; illud poteſt eſſe medium, ex quo inferatur hæc; valet enim dicere, omnis homo eſt riſibilis, ergo hic, & iſte, & ille, clarum eſt autem, quòd idem non poſſit ſequi ex ſe ipſo, ergo non eſt idem homo ut ſic, & omnes aut ſinguli homines.

ACTIO II.

Quæ Relatio ſit tranſcendentalis? quæ relatio rationis? & denique quæ ſint relativa ſecundum dici?

Breviarium.

N. 1. *Scopus controverſiæ. Varietas quorundam Recentiorum notabilis.*

2. *Alius lapſus eorum in aſſignanda differentia harum. An relatio tranſcendentalis poſſit eſſe eſſentialis rei?*

3. *Thomiſtæ quomodo diſtinguunt relationem tranſcendentalem à prædicamentali? ibidem refutati.*

4. *Tertius modus diſtinguendi has relationes defenditur ut probabilis.*

5. *Argumentum Recent. contra dictam viam ſeu differentiam aſſignatam inter utramque relationem, ſolvitur.*

6. *Alia objectio. An idem poſſit tranſcendentaliter referri ad ſe?*

7. *Quarta via diſtinguendi hujuſmodi relationes, refutatur. Relatio realis poteſt eſſe ad terminum non realem.*

8. *Inſtantia contra probationes hujus doctrinæ, adfertur & ſolvitur; Scotus explicatus.*

9. *Ultima reſolutio & diſtinctio harum relationum, aſſignatur ibidem.*

10. *Quid requiratur ad propriè tranſcendentalem? quædam dubia ſoluta.*

11. *Quæ relativa ſecundùm dici?*

12. *Quæ relationes rationis?*

1. CErtum eſt dari relationes aliquas, quæ non ſint prædicamentales, hoc eſt, quæ non ſint tertii prædicamenti, quod vocavit Philoſophus *ad aliquid*, quia hæ omnes ſunt accidentia, dantur autem relationes, quæ non ſint accidentia, nã ſubſtantiæ in ſe ipſis conſideratæ ſunt relatæ, homo verbi gratiâ eſt ad Deum multis modis,

eſt ab eo, eſt propter eum, ſimiliter cætera. Item potentiæ quantumvis abſolutæ præciſo quocumque alio ſunt ad actus, v. g. riſibilitas eſt ad riſum; item ſcientiæ ſunt ad objecta, & tamen ſunt qualitates, non verò relationes. Hic ergo quæritur diſcrimen exactum harum: In quo genere miranda eſt inconſtantia quorundam qui quum relationes prædicamentales nolint eſſe unum aliquid, ſed plura ſimul, hîc tamen contendunt ſalvare relationem tranſcendentalem in uno, quaſi verò magis poſſit intelligi iſta ſine termino, quàm relatio prædicamentalis; quod evidens eſt eſſe falſum, tam enim impoſſibile eſt intelligi potentiam calefactivam v. g. non intellecto calore, quàm ſimile non intellecto altero cui ſimile ſit. Imò inter prædicamentales invenitur genus aliquod relationum ejuſdem ferè rationis formalis ſive tribuens eundem effectum, quem tribuunt aliquæ tranſcendentales. Nam relatio ſervitutis eſt relatio dependentiæ ſine dubio, & tamen relationes dependentiæ creaturarum ad Deum apud omnes ſunt tranſcendentales; & verò mihi dependentiæ illæ videntur eſſe etiam ſervitutes quædam; hoc ſaltèm certum eſt creaturam omnem eſſe Dei ſervam. Illud jam diſcere vellem ex Recentibus, cur ſervitus, quæ eſt in creatura ad Deum, ſit una ſola res ſcilicet creatura, ſervitus autem creaturæ ad creaturam ſint duæ res ſcilicet dominus & ſervus?

2. Sed & iterum videntur hîc lapſi putantes relationem tranſcendentalem eſſe eſſentialem fundamento, prædicamentalem non item. Hoc enim diſcrimen eſt intolerabilius præcedente, nulla enim relatio poteſt eſſe eſſentialis abſoluto, alioquin abſolutum eſſet eſſentialiter non abſolutum: Quæro enim ex iſtis, an exiſtiment relationes tranſcendentales eſſe aliquid ex parte objecti nec ne? verbi gratiâ an in homine dependentia ejus ad Deum ſit aliud quàm animal rationale? ſeu an coincidat cum aliquo, aut in utroque horum? ſi coincidat omnino, ita ut nec realiter, nec formaliter ſit diſtinctum, tum non relativum, ſed abſolutum eſt de eſſentia abſoluti, & dividere relationem in tranſcendentalem & prædicamentalem, erit dividere ipſam in abſolutum & relationem, ſi autem ſit formalitas aliqua diſtincta, certè non poteſt eſſe de eſſentia hominis, & homo ipſe eſſe abſolutum; nam & relationes divinæ ad ſummum diſtinguuntur formaliter ab eſſentia, cum qua componunt aut quaſi componunt hypoſtaſes, & tamen, quia veræ relationes ſunt etſi indiſtinctæ, efficiunt ut compoſita, ſeu quaſi compoſita hoc eſt perſonæ conſtitutæ per ipſas ſint ſimpliciter reſpectivæ, non autem abſolutæ. Videatur Maſtrius noſt. *diſp 8. Log. quæſt. 2.* ubi plures rationes ſatis efficaces ad hoc affert, propter quas ex noſtris Gulielmus Camerarius, negavit abſolutè relationes tranſcendentales, & pro ſuo placito citavit præter Scotiſtas etiam Ferrarienſ. Singletium.

3. Antiqua traditio Thomiſtarum fuit, quòd relatio prædicamentalis reſpiciat terminum, nihil circa illud exercendo, ſed merè gratis, ut loquuntur: at verò tranſcendentalis non ita, ſed ulterius aliquid circa ipſum præſtando, vel ſcilicet producendo, vel recognoſcendo, ipſum. Hanc differentiam utriusque relationis olim noſtri Scotiſtæ impugnarunt frequenter quidem, at non efficaciter. Sic impugno eam, & quæro, quòd munus exercet ſimilitudo circa terminum ſuum? ſanè nullum; & tamen eſt relatio prædicamentalis. Deinde relatio paternitatis & univerſaliter omnis cauſæ ad effectum ſive producentis ad productum eſt relatio prædicamentalis, & tamen aliquid præſtat ſubjecto, imò totum quod habet. Denique (quod ſupradixi) relatio ſervitutis ad dominum, non requirit ipſum dominum ocioſè, ſed ad aliquid ipſi præſtandum, & tamen eſt prædicamentalis? urgeo, quia dependentia creaturæ ad Deum eſt tranſcendentalis aut non? aliquid præſtat Deo aut nihil? ſi aliquid, quidni etiam dependentia ſervi ad Dominum? ſi nihil, malè aſſignatur tanquam conſtitutivum tranſcendentalis relationis quòd aliquid præſtet termino.

4. Eſt adhuc alius modus non indignus examine, qui dicit relationem prædicamentalem exigere terminum realiter diſtinctum, tranſcendentalem non item, ſed poſſe eſſe ad aliquid identificatum; quod dupliciter intelligi poteſt, vel, ut terminus poſſit eſſe indiſtinctus à relatione, vel ut indiſtinctus à fundamento, aut etiam ab utroque, & quidem quocumque modo ex his intellecta iſta ſententia nunquam hactenus in ſcholis cum bona gratia illius audiri potuit, ut videbis apud Suarium, Oviedum.

Cenſeo tamen hujusmodi cenſores nimium fuiſſe ſeveros in ſententiam nondum convictam; & puto hanc viam diſtinguendi has relationes non eſſe improbabilem. Oſtendo autem probabilitatem ejus ſive relationem prædicamentalem poſſe eſſe indiſtinctam à termino. Quia nimirum quædam ſunt, quæ non poſſunt intelligi ſine aliis realiter ſibi identificatis; hoc autem eſt eſſe relativum tranſcendentale, ergo. Aſſumptum oſtendo in ſcientia Dei, quâ novit eſſentiam ſuam, nam hæc ſcientia non poteſt intelligi, niſi intellectâ eſſentiâ ipſâ divinâ, cùm ſit imago ejus, & tamen ſcientia eſt identificata realiter eſſentiæ, ergo. Idem eſt de amore ejus reſpectu ſui ipſius, etſi qui ſint alii actus in Deo, quos poteſt exercere reſpectu ſui ipſius. Nam revera ipſe ſolus ferè dare poteſt exemplum hujus, in creatis enim vix tale quid oſtendas.

Aliqualis tamen inſtantia hujus eſt in ipſo homine rationis intellectûs & voluntatis, nam quum potentia quælibet ſit etiam tranſcendentaliter relativa ad objectum, & intellectui poſſit verſari circa voluntatem, ſuppoſitâ identitate reali harum potentiarum illæ erunt aliquod exemplum hujus, nam intellectus refertur ad voluntatem, tanquam ad aliquid intelligibile, & tamen voluntas identificatur intellectui. Deinde etiam exemplum hujus dici fortaſſe poteſt actus quiſque vitalis, v. g. ille quo hæc ſcribo, vel quo video ſcripturam meam, nam ille actus non ſolùm attingit ſcripturam, ſed ſe ipſum; illo enim experior me videre, atque ita illo ipſo actu attingo ipſummet. Alii afferunt inſtantias actuũ reflectentium ſupra ſe ipſos, ſed non facilè aſſignabunt eos, aliter quàm ut jam dixi. Poteſt tamen exemplum illud de potentia ampliùs extendi etiam uſque ad ſenſibiles potentias, nam oculus in ſpeculo videt ſe ipſum, adeòq; cùm potentia referatur tranſcendentaliter ad objectum, jam aliqua potentia referetur ad ſe ipſum.

5. Contra hanc veritatẽ quidam Recens ſuſcepit patrocinium hujus ſententiæ volentis etiam

tranſcen-

tranſcendentalem relationem debere eſſe realiter diſtinctam à termino, & arguit ita: Relatio tranſcendentalis conſiſtit in hoc, quod eſt rem aliquã abſolutam in entitate non poſſe intelligi ſine alio aliquo ſaltèm obliquè, adeòque reſpectus etiam tranſcendentalis eſt alius ſive ad aliud: atqui nulla una res eſt alia à ſe ipſa & in particulari illa cognitio quando eſt reflexa ſuper ſe ipſam, non eſt alia formalitas à ſe; quando enim dicitur *cognitio* in recto & *ſui ipſius* in obliquo, idem bis dicitur, & hic non ſolum non eſt alietas realitatum ſed nec formalitatum. Reſpondeo: Inſtantia hæc Recentis convincit non quamlibet rem poſſe eſſe relativam tranſcendentaliter ad quamlibet; non tamen convincit quin aliquid poſſit eſſe relativum tranſcendentaliter ad aliquid ſibi identificatum. Evertit ergo aliquas inſtantias, non evertit omnes, adhuc enim ſtat illa inſtantia de cognitione divina ac etiam de potentia creata, quia nimirum inter has eſt alietas, ſcientia Dei aliquo modo aliud eſt ab eſſentia ejus. In his ergo identificatis quæ non obſtante identificatione reali ſervant aleitatem, poteſt ſtare reſpectus tranſcendentalis intermedius, in aliis non. Ex quibus ſolvet hoc quod antiquitus

6. Objici ſolebat: ſi poſſit eſſe relatio ad aliquid idem, ipſi relato nihil obſtat, quo minùs dicam aliquid eſſe ſimile ſibi, & identitatem alicujus ſibi eſſe relationem realem, etſi tranſcendentalem: Hæc autem ſunt inaudita & intolleranda in ſcholis, ergo patet ſequela, quia ſecundùm nos non requiritur diſtinctio fundamenti à termino; hic autem nihil deeſt niſi diſtinctio. Reſpondeo negando conſequentiam, obeſt enim aliud ſcilicet omnimoda identitas tam realis quàm formalis fundamenti ac termini hic. Quia ergo idem eſt omnino ſibi idem non poteſt ne tranſcendentaliter quidem referri ad ſe. Eſſentia autem Dei & ſcientia ejus, intellectus & voluntas creata non ſunt omnino ſynonyma, ſed formaliter diſtinguuntur adeòque poſſunt invicem referri.

7. Eſt etiam alia via diſtinguendi hæc per reſpectum ad terminum, ut relatio prædicamentalis ſit illa, quæ petit terminum realem ſive realiter exiſtentem, tranſcendentalis autem, quæ non petit, ſed poteſt eſſe ad non realem & non exiſtentem: ſic potentia eſt relata tranſcendentaliter ad actus qui non ſunt cauſa ad effectus futuros aut poſſibiles, nam ad effectus quos actu habet ſupponitur referri relatione prædicamentali.

Non placet hæc via, placet oppoſita, ſcilicet poſſe relationem eſſe realem, quantumvis non habeat terminum realiter exiſtentem, quod probo duabus inſtantiis; una eſt corruptio, quæ ſinè dubio eſt actio realis, cùm requirat virtutem realem & phyſicam in agente, & præterea habeat exiſtentiam actualem & realem, nam res corrumpenda utique renititur deſtruenti ipſam, unde & deſtruens repatitur ab eâ, ex qua reactione & repaſſione oritur mora & productio hujus deſtructionis; atque ita ſine dubio relatio eſt realis, & tamen non habet terminum realem, ſed potiùs non-terminum realem, quia terminus ejus eſt non eſſe rei, etſi ſit forma phyſica, terminus ejus eſt privatio quam quiſque novit eſſe nihil.

Altera inſtantia hujus eſt motus cœli & quicumque alius in vacuo, ſive terminato, ſive interminato; hic enim eſt relatio realis, & tamen non habet terminum realem. Quod ſit quid reale patet, quia producitur per actionem realem, actio enim moventis cœlum habet pro termino ubi illud cœli, non poteſt autem actio talis realis habere pro termino aliquid non reale. Quod autem ubi non habeat terminum realem, etiam patet quia vacuum non eſt reale.

8. Dices has probationes repugnare ſibi, ſi enim prior probatio aliquid valet, poteſt actio realis non habere terminum realem: Hæc autem probatio non poteſt valere, ſi actio aliqua realis poſſit habere terminum non realem.

Reſpondeo probationes non pugnare, quia nimirum una procedit de actione deſtructiva; altera de generativa. Itaque abſurdum eſt actionem generativam eſſe realem, & non habere terminum realem, quia nimirum non poteſt eſſe productio realis alicujus entis rationis, & multò minùs alicujus nihili; actio autem corruptiva bene poteſt, talis ſine termino tali, imò debet eſſe quia aliter non eſſet corruptiva. Itaque ad realitatem hujuſcemodi attendenda eſt potiùs realitas termini à quo quàm termini ad quem. Sed

Objici videtur vehementiùs poſſe Scotus, qui loco illo cit. 1. *d*. 31. *q. un.* dum docet relationem realem exigere tria illa, diſtinctionem extremorum, realitatem termini utique apertè declaravit ſe habere pro non realibus illas relationes, quarum termini non ſunt reales, ergo jam contrà Scotum facimus, quod ponimus realitatem relationis ſine realitate termini. Reſpondeo, ſi attentè cogitetur materia in qua verſatur Doctor apparebit ſtatim ipſe nobiſcum ſentire. Nempè agit ibi Doctor de ſimilitudine, æqualitate & aliis relationibus tertii prædicamenti quas ipſe vocat intrinſecus advenientes & alii prædicamentales appellant; & de his tradit regulam: at verè relationes quas nos exemplificavimus pro non habentibus terminos reales, ſunt relationes extrinſecùs advenientes, nec propriè prædicamentales, ſunt enim ubi & paſſio, *&c.* ergo.

Poſt tot capita quidam ex noſtris ſententiam ſuam de relationibus protulit dicens, quod Scotiſticè loquendo illæ cenſendæ eſſent relationes prædicamentales, quæ realiter diſtinguerentur à ſubjectis, illæ tranſcendentales quæ identificarentur. At hoc neque Scotiſticum eſt neque verum ſed ne longius feramur.

9. Dicendæ ſunt relationes prædicamentales illæ, quæ ſunt formæ relativæ diſtinctæ & ſeparabiles à fundamento; Tranſcendentales autem, quæ non item, ſed identificantur fundamentis abſolutis, & proinde vagantur per plura prædicamenta. Poſt tot impugnationes aliorum modorum dicendi non eſt quærenda ratio hujus, ſed tantùm defenſio, nam improbationes aliarum probationum ſunt probationes hujus. Objici autem poteſt quod hoc modo intelligendo relationem tranſcendentalem relinquerentur aliquæ relationes quæ ſub neutro membro continerentur, atque ita diviſio non eſſet adæquata; Nam quum duæ quantitates ſunt æquales ipſæ tunc æqualitates ſunt ſimiles relativè, & tamen relatio quæ eſt ſimilitudo eorum non videtur pertinere ad ullum ex his membris hoc modo explicatis; non enim eſt relatio prædicamentalis, quum non diſtinguitur realiter à fundamento,

to, certum eſt enim ſimilitudinem illius æqualitatis non diſtingui ab illa æqualitate, quum ſit inſeparabilis ab ea. Sed nec dici poteſt eſſe tranſcendentalis relatio, quia non identificatur abſoluto fundamento, quum fundamentum ejus non ſit abſolutum, ſed relativum ſcilicet æqualitas. Reſpondeo tamen relationem illam ſimilitudinis eſſe manifeſtè prædicamentalem, nam quomodo non eſt prædicamentalis, ſi ſit æqualitas, æqualitas autem ſit manifeſtè prædicamentalis?

Dicet fortè adverſarius illam ſimilitudinem eſſe materialiter prædicamentalem, eo quod ſit materialiter & realiter æqualitas, formaliter autem tranſcendentalem: Audio, ſed ſi ita ſit, ſequitur infinita abſurditas de proceſſu infinito relationum tranſcendentalium; nam ſi in illa æqualitate detur formalitas ſimilitudinis diſtincta, quæ ſit relatio tranſcendentalis, debet dari alia & alia formalitas ſimilitudinum & diſſimilitudinũ conſurgentium inter has ſibi invicem comparatas, quod, quia abſurdum eſt, ſtandum erit in prima relatione, ſcilicet in ipſa æqualitate, quæ eſt relatio prædicamentalis & dicendum quod ſe ipsâ formaliter ſit ſimilis alteri ſine ulla relatione etiam tranſcendentali ſuperaddita.

10. Et verò, quod hujusmodi relationes identificatæ aliis relationibus aut ullis particularibus ſubjectis, non ſint cenſendæ tranſcendentales, patet ex ipſa vi vocabuli, non enim tranſcendere dicitur, niſi quod excedit alia, atque ita tranſcendens quum opponatur prædicamentali latiùs patere debet omni prædicamentali: non ergo ſufficit ad relationem tranſcendentalem, quod identificetur ſubjecto, niſi excedat quodlibet prædicamentum, & vagetur per plura prædicamenta. Propterea relatio potentiæ ad actus, actus ad objecta, ſcientiæ etiam ad eadem & ſimiles ſunt propriè tranſcendentales, quia competunt rebus plurium prædicamentorum, dantur enim potentiæ ſubſtantiales ut vegetativa & generativa: dantur ſcientiæ quæ ſunt qualitates, ut ſunt omnes creatæ; datur etiam ſcientia quæ ſit ſubſtantia, & talis eſt divina; dantur potentiæ accidentales qualis eſt calor reſpectu calefactionis, quæ proinde propriè loquendo ſunt relationes tranſcendentales.

Dices, hoc modo noſtro dependentiæ creatæ ad Deum non eſſet relatio tranſcendentalis, univerſaliter contra Doctorem (*b*) conſequentia patet, quia aliquando coincidit cum relatione prædicamentali, quando ſcilicet res dependens eſt relatio prædicamentalis. Reſpondeo negando conſequentiam, imò oppoſitum ſequitur, quia dependentia ad Deum eſt in omnibus omnino rebus, adeòque vagatur per plura prædicamenta tam abſoluta quàm reſpectiva. Reſpondeo ſecundò Doct: ibi agere de dependentia Angeli ad Deum, & doctrinam agere de dependentia abſolutorum, non de dependentia relationum. Confirmo quia in ea quæſtione ſermo eſt de iis quæ producuntur à Deo (hinc enim dependentia eorum dicitur creatio vel productio paſſiva) at verò relationes non producuntur quia ad ipſas non eſt motus, ergo.

(b) 2. d. 1. q. 4.

Per hucuſque dicta reſpondi ad has quæſtiones:

1. *An relatio aliqua poſſ t eſſe ad aliquod realiter ſibi aut fundamento idem?*
2. *An relatio petat terminum realem & realiter exiſtentem loquendo de prædicamentali, ſive de aliqua, quæ ſit forma realiter diſtincta a fundamento?*
3. *An omnes relationes realiter identificatæ fundamentis ſint tranſcendentales?*

Reſpondendum enim eſt *ad primam affirmativè. Ad ſecundam & tertiam negativè.*

11. Quoad alias duas partes cavenda eſt imperitia cujusdam Recentis, qui aggreſſus eſt explicationem relationis ſecundùm dici putans relationem diviſam eſſe in relationem ſecundum eſſe & ſecundum dici, quum implicet relatio ſecundùm dici duntaxat, & ſolum eſſe poſſit relativum ſecundùm dici, id eſt aliquid, cui non ſit eſſentialis relatio, nam dari relationem, cui non ſit eſſentialis ratio relationis aut reſpectus, eſt impoſſibile.

Quæ autem ſint hujusmodi relativa ſecundùm dici? Logici plura dicunt quàm res ipſa meretur, aliqui confundunt ea cum relativis tranſcendentalibus; alii cum relativis rationis; & licèt auctores primæ viæ habeant ſpeciem aliquam veritatis, ut infrà patebit, tamen abſolutè loquendo neutris aſſentiendum eſt, quia nimirum ſic coinciderent tres iſtæ diviſiones, quas tamen communis ſententia ſemper hucuſque diſtinxit.

Exiſtimo relativa ſecundùm dici eſſe illa, quæ ſub nomine abſoluto efferuntur; poſſunt tamen commode ſub eodem nomine ad aliud referri, dummodo ordinentur aut comparentur ad ea. Exempla ſunt illa, quæ adduxit Ariſtoteles, ut: ala, manus, caput; hæc enim & ſimilia eſſe abſoluta nemo neſcit, & tamen ſtatim reddi poſſunt correlativa alterius, quod ipſe etiam Ariſtoteles ibidem fecit, quia omne caput eſt alicujus capitati caput, & ala eſt alati ala. Per quod equidem reputo hanc viam ſatis probatam, quia nimirum exprimit mentem Ariſtotelis circa hæc.

Præterea etiam inde probanda eſt, quia diſtinguit inter mera abſoluta & mera relativa; ſine dubio enim relativa ſecundùm dici ſunt media inter hæc duo, nam neque præſeferunt relationem expreſsè, ſicut pater aut dominus; neque ſunt ſimpliciter abſoluta, ſaltèm non æquè abſoluta ac alia, v. g homo, lapis; non enim tam propriè dixeris homo eſt numani homo lapis eſt lapidi lapis, ſicut dices ala eſt alati ala.

12. Relationes rationis explicandas reſervo in metaphyſicam, non enim hic dubitatur de alio, quam de eo quod eſt eſſe quid rationis, quia quid ſit relatio, jam conſtat. Ex dictis autem hic, etiam hoc habetur contra quosdam Scotiſtas, quòd non ſtatim ſit relatio rationis illa cui aliqua ex tribus illis conditionibus à Doct. aſſignatis deeſt ut ſcilicet habeat extrema realia, ut realiter diſtincta nam oſtenſum eſt aliquas relationes eſſe reales quorum extrema omnia non ſunt realia. Exempla ſunt corruptio & ubi item duratio in ſpaciis imaginariis nam poteſt res comparari ad ſpacium non reale temporis tam bene quàm ad ſpacium loci. Tamen quum exempla ſint de relationibus extrinſecùs advenientibus crederem illa tria eſſe ſigna vera relationis realis intrinſecùs advenientis. Reliqua exſpecta loco citato.

ACTIO III.

Vnde deſumenda ſit ſpecificatio relationum?

Breviarium.

N. 1. *Explicatur quæſitum in titulo.*

2. *Reſolvitur & probatur relationem ſpecificari à fundamento.*

3. *Probatur etiam terminum concurrere ad ſpecificationem relationum.*

4. *Illuſtratur doctrina exemplis.*

5. *Concluſionem tenere debent etiam illi, qui tenent relationem eſſe ipſa extrema.*

6. *Objiciuntur aliqua contra utrumque extremum, maxime contra terminum.*

7. *Objicitur adhuc, & reſpondetur. Motus ſucceſſivus num differat ſpecie ab inſtantaneo?*

8. *An filius reſpiciat patrem & matrem unicâ relatione?*

9. *Non requiri diverſitatem ſpecificam relationis.*

10. *Non eſſe abſolute verum, quod ſpecificatio realis habeatur ab extremis.*

11. *Aſſignatur ratio hujus.*

(a) Poncius *diſp.* 15. *q.* 5.

1. NOn eſt intelligenda difficultas (ut quidam (*a*) volunt) quoad nos, quaſi quæratur, unde nos poſſimus colligere unitatem aut diſtinctionem ſpecificam relationum? ſed quæritur de re ipſa, quid ſit quod det ſpeciem relationibus, aut faciat illas eſſe in tali aut tali ſpecie; alioquin enim de ſpecificatione formali relationis certum eſt quod fiat per propriam cujusque differentiam.

Lis eſt autem inter tria, ſcilicet fundamentum, terminum & utrumque: quidam enim, quos referunt Comp *hic diſp.* 14. *q.* 7. volunt relationem ſpecificari à fundamento ſolo; alii à ſolo termino; & alii denique (quæ eſt communior ſententia) dicunt utrumque concurrere.

Complut. Soncin. 5. *Met. q.* 32. Strau. *ibi q.* 5. *a.* 6. (b) 2. *d.* 1. *q.* 5. Suar. *d.* 47. *Met. ſ.* 17. Rub. *hic q.* 6. &c.

2. Dicendum cum ultimæ ſententiæ auctoribus, quorum princeps eſt D. N. (*b*) ſequuntur Subtiles communiter, *Maſtr. Bell. Poncius*, & olim *Ioann. de magiſtris* ac noviſſimè Recentes.

Probanda eſt per partes; prima de concurſu fundamenti probatur, quia ab eo accipit res ſpecificationem à quo accipit eſſe, ſed relatio accipit eſſe à fundamento, ergo & ſpecificationem.

Dices argumentum hoc eſſe in oppoſitum, certum eſt enim, quod res non ſpecificentur ab efficientibus, nam homo productus à Deo immediatè, & alius productus ab homine ſunt ejusdem ſpeciei, & tamen habent diverſas ſpecies efficientes. Reſpondeo inſtantiam hanc convincere quod diverſitas quæcumque cauſarum non ſufficiat ad diverſificandum effectum, non tamen quod nunquam ſufficit. Itaque non ſufficit quando eſt mera efficientia phyſica alicujus ſubſiſtentis extra producentem, ut contingit in caſu hominis aſſignato. Quando autem productio eſt emanatio ſufficit, & ita eſt in præſenti, quia relationes non tam producuntur quàm emanant à fundamentis, & idipſum eſt in aliis quæ emanant, nam propriæ paſſiones, quæ ſimiliter emanant à ſubjectis, diſtinguuntur ſpecie per diſtinctionem ſpecificam ſubjectorum, neque enim unâ ſpecie paſſio poteſt emanare à diverſis ſpecie ſubjectis.

Probatur ſecundò principaliter, quia relationes diſtinctæ ſunt in ſuas claſſes penes diverſas rationes fundandi, ut patet apud Ariſtotelem. Nam tres modi relativorum diviſi ſunt penes tres rationes fundandi ſpecie diverſas, ſcilicet unitatem & multitudinem, actionem & paſſionem, ac denique menſuram; ſed rationes fundandi ſunt illæ quæ conſtituunt fundamenta in eſſe talium, imò ſunt ipſa fundamenta formaliter ſumpta, & de iis loquimur, ergo

3. Probo jam concurſum termini ex hoc ipſo concurſu fundamenti, quia nimirum ratio fundandi, quæ ſpecificat ex parte fundamenti variatur à termino; v. g. unitas, quæ eſt ratio fundandi relationes primi modi, comparata ad quoſdam terminos non manet unitas ſed multitudo, & proinde fundat relationem diſſimilitudinis, ergo ſequitur ſi fundamentum ſpecificet, quod etiam terminus ſpecificet. Hæc ratio clariùs ſic proponeretur. Idem fundamentum fundat diverſas relationes ratione diverſorum terminorum, ergo diverſitas relationum non ſolùm ſumitur à fundamentis: Item aliter ſic; ſi ſpecificatio relationum ſumeretur à fundamentis, & non à terminis, ſequeretur quod omnes relationes ejusdem fundamenti eſſent ejusdem ſpeciei; hoc autem eſt manifeſtè falſum, quia idem homo eſt filius unius, & ſervus alterius, eſt præſens uni abſens alteri, ſequela autem eſt manifeſtiſſima, ergo jam aliud quidpiam concurrit, non aliud à termino, ergo.

Nec valet dicere illas relationes variari, quia variatur fundamentum proximum ſeu ratio fundandi: hoc, inquam, non valet, quia eſt falſum ut patet initio argumenti. Ratio enim fundandi ſimilitudinem & diſſimilitudinem in Petro eſt eadem ſcilicet unitas formalis naturæ ejus, quæ quia in Paulo eſt eadem fundat ad illum relationem identitatis, quam vulgus vocat ſimilitudinem: at verò quia in Leone offendit aliam unitatem, facit cum ea multitudinem, & fundat relationem diſſimilitudinis aut diverſitatis, ergo.

Probo iterum idipſum quia relationes omnes ſunt de genere modorum; propter quod ſunt affixæ certis terminis ut non poſſint ad alios referri aut referre, hoc autē ſine dubio non provenit relationi à fundamento, ergo à termino, adeòque terminus habet influxum in relationes, utique enim relatio habet aliquod prædicatum in ſe ratione cujus ei repugnat ferri in alium terminum, hoc autem à termino accipit, ergo

4. Totam hanc doctrinam de ſpecificatione relationum per utrumque extremum oſtendo hâc inſtantiâ: accipio lapidem & comparo ipſum ad lignum atque etiam ad angelum, utrique diſſimilis eſt, & tamen diſſimilitudo, quâ diſſimi-

ſimilis eſt ligno, aliâ ſpecie eſt à diſſimilitudine, quâ diſſimilis eſt angelo, ergo jam terminus concurrit ad ſpecificationem relationis, nam utraque illa relatio non differunt niſi termino. Deinde ex altera parte accipio diſſimilitudines ligni & angeli ad lapidem; iſtæ duæ ſine dubio erunt ſpecie diſtinctæ, & tamen non diſtinguuntur termino, ſed fundamento, ergo etiam fundamentum concurrit ad diverſitatem ſpecificam relationis, atque ita adæquata ſpecificatio relationis provenit ab utroque extremo ſcilicet termino & fundamento.

Confirmo totum, utique enim illa concurrunt ad ſpecificationem, quæ concurrunt ad definitionem rei, ſed utrumque extremum concurrit ad definitionem relationis, ſi enim voluero definire paternitatem v.g. debeo dicere quod ſit habitudo geniti eſſe in vivente ad vivens ejuſdem naturæ, ubi vides naturam & quaſi nomina utriusque poni.

5. Et hæc doctrina tota verificatur etiam in ſententiis ponentibus relationem eſſe utrumque extremum aut alterum tantùm: nam, qui dicunt relationem eſſe utrumque, ſine dubio ponunt utrumque concurrere ad ipſammet ſpecificationẽ ejus, ſicut ad numerum nulla una unitas ſola concurrit ſed utraque. Quod etiam verificatur in omnibus ſpeciebus numerorum, nam ſicut dualitas non fit ex ulla una unitate ex duabus trinitas non fit ex dualitate ſola ſed ex illa & præterea ex unitate, & ſic de cæteris.

Sed hinc ſurgit difficultas adversùs concluſionem, nam duæ dualitates ſunt ejusdem ſpeciei, atque ita non habent diverſum concurſum ad ſpecificandam quidpiam, ergo relatio, quæ eſt inter ipſas non ſpecificatur ab ipſis, atque ita falſo dictum eſt requiri concurſum utriusque extremi tanquam alium & alium. Deinde adhuc actiùs: Dualitas & trinitas ſunt diverſi ſpecie numeri, & tamen faciunt eundem ſpecie numerum, ergo ſi ſit paritas inter numeros & relationes, non ſpecificabitur relatio ab ullo extremorum, ſed utrumque impertinenter ſe habebit ad eam, ergo. Minor in qua eſt vis probatur, quia numerus quaternarius v.g. eſt unus ſpecie, & tamen componi poteſt ſive ex duabus dualitatibus, ſive ex trinitate & unitate. Reſpondeo tamen facilè ad primum, quod licèt non habeant diverſum ſpeciei concurſum tamen poſſunt ſpecificare; ſic duo alba ſpecificant ſimilitudinem, & tamen ſunt in eadem ſpecie. Ad ſecundùm quod plus urget, dico etiam numerum ſpecificari à componentibus ipſum, ſed advertendum quod numerus per ſe non componatur ex numeris, ſed ex unitatibus: imo ſi diceretur componi ex numeris, eo ipſo diceretur componi ex unitatibus, quia nimirum numerus eſt multitudo compoſita ex unitatibus. Standum tamen eſt in priori modo loquendi, quod ſcilicet immediatè componentia numeros etiam compoſitos & quantumvis magnos ſint unitates. Suadet hæc ratio, quia in exemplo dato de numero quaternario quem voluit arguens componi ex duobus binariis, hoc, inquam, non ita eſſe id ſuadet quoniam binarius prius fit terminarius quàm fiat quaternarius adeòque non accedit ei altera dualitas uno impetu tota, ſed per partes quæ ſunt unitates ejus.

Quod etiam concluſionem tenere debeant, qui dicunt relationem eſſe unum tantùm extremum, oſtendo. Nam nec illi ponunt relationem eſſe unum illud in eo ſiſtendo; aliter eſſet propriè abſoluta res, non relatio, ſed ponunt eſſe unum cum connotatione alterius, ſicut cœna & comeſtio connotant veſperam: tum ſic, certum eſt, quod veſpera ſpecificet comeſtionem quæ eſt cœna, ergo etiam in hac ſententia relatio ſpecificatur à termino.

6. Objicio tamen contra ſpecificationem, quæ fieri dicitur à termino. Terminus non dat eſſe relationi, ergo nec ſpecificationem, conſequentia patet quia ſine dubio ab eo res accipit ſpecificationem à quo accipit eſſe quum quodlibet per eſſentiam ſuam ſpecificetur. Antecedens autem eſt noſtrum ſupra; & confirmatur actiùs adhuc, quia ad eundem terminum poſſunt terminari relationes ſpecie diverſæ, ergo terminus non eſt qui ſpecificat relationem: antecedens conſtat ſive loquamur de termino materiali, ſive etiam loquamur de termino formali, nam non ſolùm Petrus v.g. qui eſt terminus materialis terminat plures relationes ſed etiam unitas formalis ejus eas terminat, & eſt ratio terminandi, nam ratione hujus unitatis formalis Petrus eſt ſimilis ut ſic loquamur Paulo, & diſſimilis leoni, ergo jam neque terminus formalis nec terminus materialis ſpecificat relationes ſed permittunt ſpecificari ab aliis.

Reſpondeo primò, etſi relationes non accipiant eſſe à terminis, poſſe tamen ſpecificari ab eis, nam & potentiæ ſpecificantur per actus, & tamen potentiæ non accipiunt eſſe ab actibus ſed ècontrà actus à potentiis. Itaq; dupliciter poteſt aliquid ſpecificare aliud; primò influendo in ejus eſſentiam immediatè & ſic fortaſſis ſolum fundamentum ſpecificat relationem, ſecundò nequidem influendo per ſe ſed efficiendo ut vera cauſa ejus ſic influat, & hoc modo terminus poteſt ſpecificare relationem. Ad alterum quod plus facit, ſatisfactum eſt in probationibus concluſionis ſupra *num.* 2. & 3. nam non eſt eadem ratio formalis terminandi aut fundandi in illis caſibus, quia nimirum unitas naturæ humanæ Petri comparata ad leonem fit multitudo quæ eſt alia ratio formalis terminandi ab unitate, ſine dubio.

7. Objici denique poteſt contra utrumque ſimul. Idem effectus poteſt ab aliqua cauſa ſucceſſivè, & ab eadem (ſupponimus) etiam inſtantaneè produci, quo caſu productio eſſet diverſæ ſpeciei ſine dubio, & tamen tam fundamentum, quàm terminus ejus eſſent ſpecie eadem, imò etiã numero, adeòque falſum eſt ſufficere fundamentum & terminum ad ſpecificationem relationis quod videmur ſuppoſuiſſe in concluſione. Reſpondeo non carere dubio quod productiones illæ ſint ſpecie diſtinctæ.

Dices, diviſibile & indiviſibile differunt etiam genere; ſucceſſivum ſive tempus & inſtans ſunt diviſibile & indiviſibile, ergo. Reſpondeo, etiam albedo & nigredo differunt ſpecie, & tamen paries albus & niger non differunt ſpecie, ita ſucceſſio & inſtans differunt non tamen productio ſucceſſiva & inſtantanea.

Scio inſtari poſſe contra hanc ſolutionem, quod ſucceſſio aut tempus non ſit aliud à motu. Tranſeo ergo antecedens, & diſtinguo conſequens, ergo non ſufficiunt fundamentum & terminus ad ſpecificationem formalem relationis nego, ad materialem tranſeat. Concluſio autem

ſicut

Digitized by Google

ſicut & quæſtio intelligitur de ſpecificatione formali, quam ſic explico: Pono duas relationes ſimilitudinis, v. g. inter eosdem terminos, unam ſpiritualem, aliam corporalem in entitate ſua: dico illas eſſe ſimiliter ſpecificatas, & tamen differre eſſentialiter, quia nimirum differunt in materia ex qua; ſicut etiam ſyllogiſmus factus in materia neceſſaria fit demonſtratio, in materia probabili Topicus tantùm; quum tamen utrobique ſit ejusdem formæ, ita hic.

8. Quæro, quid ſit cenſendum de relatione filii ad utrumque parentem, ſitne unica an duplex? Reſpondeo de hoc multas tragædias excitari hic à Thomiſtis, quum tamen videatur quæſtio ſimilis ei quâ quæreretur an relatio ſervi ad herum & heram ſit eadem, an duplicata & diviſa in duas? & ſaltèm habeat inſtantiam in quocumque effectu ratione quatuor cauſarum, efficientis, finalis, formalis. Solet etiam hæc res objici contra ſpecificationem relationis à terminis, nam ſi in patre & matre ſint relationes ſpecie diverſæ quum terminentur ad eundem filium videtur terminus nihil facere ad identitatem ſpecificam relationis; & ex altera parte relatio filii cùm ſit una, & habeat terminos ſpecie diverſos, aut ſaltèm rationes terminandi ſic diverſas, ſcilicet actionem generativam utriusque parentis, videtur multitudo ſpecifica terminorum nihil obeſſe unitate ſpecificæ relationis, atque ita à primo ad ultimum terminus omnino eſt impertinens ad relationem.

Reſpondere primò poſſem me ſuprà præcidiſſe occaſionem huic argumento, negando paternitates & filiationes in creatis; ſed revera non abſtuli per hoc difficultatem, nam, licèt non dentur paternitates dantur ſaltèm generationes activæ & paſſivæ & in illis redit tota difficultas. Dico nihilominus eam non eſſe ſingularem ſed obviam & ſimilem illi quâ quis dubitaret utrum currus dicat duas habitudines ad utrumque equum, à quo trahitur an duos id eſt ad ſingulos ſuum? quamvis ibi agatur de multiplicatione ſpecifica, hic tamen de numerali. Reſpondeo ergo ſive ponendæ ſint paternitates & filiationes, ſive tantùm ſint generationes activæ & paſſivæ hinc inde, ponendas eſſe duas in utroque parente, & totidem in filio ad ipſos: & quidem in parentibus eſſe duas numero relationes ita verum eſt ut ſint & jam duæ ſpecie diſtinctæ propter diverſum ſpecie modum concurrendi; quod equidem exiſtimo dicendum eſſe quantumvis teneatur mater activè concurrere, atque ita diverſitas concurſus eorum non eſt quod unus concurrat activè & altera paſſivè ut quidam imaginantur.

Dices hæc eſſe incompatibilia, ſi enim uterque concurrunt, jam ſinguli ſunt cauſæ partiales; ſi autem ſint ſpecie diſtinctæ, non ſunt cauſæ partiales, ſed quælibet in ſua linea eſt totalis, alioquin ſingula genera cauſarum ex quatuor illis vulgatis efficienti, finali, eſſent cauſæ partiales, quod nemo dixit, ergo. Reſpondeo: Nondum dixi illas eſſe cauſas partiales, at jam dico; nec ratio ad oppoſitam adducta convincit, quia ex illis quatuor quodlibet eſt in diverſo genere; at verò pater & mater ſunt in uno genere, uterque enim hoc modo eſt efficiens. Ex quo apparet dicendum, ſi mater non niſi paſſivè concurrat, quod nequaquam ſint cenſendæ duæ cauſæ partiales.

Quod verò in filio viciſſim ſint duæ relationes ad duos illos, patet, quoniam ſi una eſſet ad utrumque non maneret, ſed deſineret quocumque uno ex parentibus decedente, impoſſibile eſt enim manere relationem non manente ejus termino totali; ſi ergo mortuo uno ex parentibus filio adhuc refertur ad alterum, ſignum eſt quod aliâ relatione reſpicit unum & aliâ alterum.

Dices, in divinis Spiritus Sanctus una ſpiratione paſſivâ reſpicit duos ſpirantes activè ergo poteſt filius in creatis unicâ relatione reſpicere duos generantes. Reſpondeo diſparitatem in promptu eſſe, quia nimirum duo illi ſpirantes unicâ ſpiratione activâ ſpirant, unde mirum non eſt ſi in termino ſufficiat una ſpiratio paſſiva ad ipſos.

Dices cum D. Th. etiam filius creatus unâ nativitate naſcitur ex utroque parente, ergo habet unicam relationem ad ipſos. Reſpondeo etiam compoſitum phyſicum unicâ generatione gignitur ab omnibus quatuor cauſis, & tamen aliter & aliter ad illas refertur; gignitur enim *ab* efficiente, *propter* finem, *ex* materia, *cum* forma, ita hic, unde etiam exiſtimo in filio relationes ad utrumque parentem eſſe ſpecie diverſas.

9. Inſtabis, ſi ita ſit, falſum erit quod fundamentum det ſpeciem relationi, quia filius eſt idem fundamentum & fundat diverſas ſpecie relationes. Deinde redit idem argumentum ex parte ejus ut termini, ipſe enim eſt unus in ſpecie terminus, & tamen terminat relationes ſpecie diſtinctas & denique idem eſt in quocumque compoſito phyſico ad quod referuntur quatuor diſtinctæ ſpecie relationes.

Reſpondeo hæc omnino convincere, quod non requiratur diverſitas ſpecifica fundamenti & termini ad diverſitatem ſpecificam relationis, ſed ſufficere diverſitatem alicujus ex illis, non autem probare quod utrumque non concurrat ſuo modo licèt ſingula non ſufficiant.

Quod autem ita ſit, & quod in caſibus propoſitis idem terminus det ſpeciem aliquo modo ſaltèm partialiter relationi, oſtendo; quia ſi faber generet filium, & producat vermem vel ſcamnum ex eadem materia, alia relatio erit in filio ab ea, quæ erit in verme vel ſcamno, tam ad fabrum quàm ad materiam, aliter enim exit filius à fabro atque ex materia, & aliter vermis vel ſcamnum, adeòque idem terminus etiam quando videtur efficere identitatem ſpecificam relationis facit ad ejus diverſitatem ſpecificam. Nihilominus propter alia quæ in hac materia occurrunt, exiſtimo.

10. Dicendum, quod hæc doctrina, quam Scotiſtæ abſolutè tradunt de ſpecificatione relationis per utrumque extremum, non ſit omnino abſoluta & univerſalis: etſi quæras ad quid ſit reſtringenda? dico eam habere locum in relationibus prædicamentalibus, & quidem primi modi, ſive illis quæ fundantur in unitate & multitudine in aliis autem rela-

Digitized by Google

relationibus ſex poſteriorum prædicamentorum, quas nos vocamus extrinſecus advenientes non item, nec etiam adeò propriè in illis relationibus ſecundi modi.

Moveor, quia calefactio facta (ut ſic dicam) à ſole & producta aut habita ab igne ſunt ejusdem ſpeciei; cur enim calefactiones non ſint, ſi calores ſunt? certè reſpondeti non poſſunt adverſarii niſi petendo principium ſeu dicendo quod relatio ſpecificetur à fundamento. Deinde clariſſimum eſt impulſum factum à me & factum à vento eſſe ejusdem ſpeciei, & tamen ego & ventus qui ſumus impellentes ſumus diverſæ ſpeciei, ſicut etiam ſol eſt diverſæ ſpeciei ab igne. Vbi angeli & corporis Chriſti in Euchariſtia eſt definitum, adeòque homogeneum, & tamen ubicata ſunt ſpecie diverſiſſima Motus gravis deorſum & motus non gravis ſunt ſimilia, & tamen mobilia non ſunt, ſed diſſimilia. Non enim refert quod grave connaturaliter moveatur, non grave autem non, illud enim *connaturaliter* non eſt ex parte actionis, ſed ex parte agentis, ut alibi oſtendi, adeòque.

11. Denique aliàs etiam tota ferè doctrina de relationibus veritatem habet in illis tertii prædicamenti, quas dicimus intrinſecùs advenire; in aliis non item, v.g. dicitur ad relationem non eſſe motus, & tamen id non eſt verum de relationibus extrinſecè advenientibus, nam ad ubi eſt motus, & tamen ubi eſt relatio & extrinſecùs adveniens. Ita ſimiliter quod dicitur relatio ſpecificari ab extremis accipiendum eſt de intrinſecùs advenientibus, ſive illis tertii prædicamenti: cujus ratio quaſi à priori eſt quia relationes ideo dicuntur ſpecificari ab extremis quia emanant ab ipſis, exiguntur ac poſtulantur ab eis ſicut etiam ipſæ exigunt ac poſtulant talia ſubjecta, atque ita ſe habent ad modum proprietatum aut paſſionum. At verò id verificatur ſolùm de relationibus tertii prædicamenti nam aliæ non emanant ſed producuntur, *ubi* enim producitur actione rectè terminata ad ipſum, ipſa etiam actio producitur, etſi non aliâ actione, & multò magis paſſio, adeòque ſit

ACTIO IV.

De proprietatibus *ad aliquid.*

Breviarium.

N. 1. *Error communis circa proprietates relativorum.*

2. *Relationes habent aliquando contrarium. Probatio ab exemplis ubicationum & motuum.*

3. *Alia probatio hujus. Contrarietas quædam inter paternitatem, oſtenditur.*

4. *Inſto tamen contra allatam probationem. An quis poſſit eſſe ſucceſſive pater & filius ejusdem?*

5. *Explicatur, quomodo contraria expellant ſe mutuo è ſubjectis.*

6. *Adferuntur alia inſtantiæ ad probationem concluſionis.*

7. *Objicitur contra rationes: an omnia incompatibilia ſint oppoſita?*

8. *Objectio contra concluſionem in ſe. An ad relationem ſit motus?*

9. *Relatio ſuſcipit aliquo modo magis & minus. Probatur dupliciter.*

10. *Roboratur ſecunda probatio.*

11. *Expenditur probatio ab aliis adhiberi ſolita.*

12. *Alia abſoluta probatio de ſimilitudine. Vna res magis ſimilis alteri.*

13. *Non omni relationi competit magis & minus.*

14. *Expenditur ſimultas naturâ relativorum. An cauſa ſit ſimul natura cum effectu?*

15. *Objectiones aliquot ingenioſæ contra hæc ex D. Subtili.*

16. 17. 18. 19. *Examinatur ſimultas cognitionis relativorum Correlativa ſimul natura, ſunt unum relativum formaliter & aliud materialiter ſumptum.*

20. *Objectiones ſolutæ. Relationes divinæ an & quomodo ſint ſimul natura?*

1. Recenſentur vulgò quinque, ſcilicet habere contrarium, ſuſcipere magis & minùs, dici ad convertentiam, eſſe ſimul naturâ, ac denique eſſe ſimul cognitione & definitione. Sed eſt error conceptus ex textu Ariſt. qui duas definitiones relationis aſſignavit, & utrique ſuas proprietates. Cùm ergo prima definitio non fuerit de mente ejus, ſed antiquorum, proprietates eam conſequentes, non videntur ab illo agnitæ.

Nihilominus poſteriores philoſophi ſuſceperunt patrocinium etiam earum, quæ videntur ad errantem definitionem conſequutæ, qualis in primis eſt prima, ſcilicet habere contrarium. Quæ proprietas communiter quidem negatur relationibus, ſed in Doctore ſubtili habet fundamentum ut patet ex ipſo in ſecundo themate.

2. Dico reſolutivè defendi poſſe, quod relationes habeant contrarium. Ita (a) D. ſaltèm tacitè locis citatis, quem deinde ſequutus eſt *Ockam* (b) hunc *Averſa* (c) contra magis communem *Alberti*, quem ſequuti ſunt ex noſtris *Tartaret.* & *Poncius*, *Maſtrius* utroſque, nam in ſummulis communem ſententiam tradidit in logica hanc concluſionem.

(a) *q.* 38. *prædic* & 1. *d.* 3. *q.* 7. & 2. *d.* 25. *q. un.* (b) 1. *p. log. cap.* 52. (c) *q.* 19. *log. ſ.* 8.

Moveor primò ratione, quâ convinco Scotiſtas, quia ubi ſuperius & inferius ſunt contraria, ſunt autem relativa domi noſtræ, ergo aliqua relativa ſunt contraria. Quod ſint contraria inde probo, quia ad ipſos ſunt motus contrarii aſcenſus & deſcenſus. Ad ipſa ordinantur qualitates contrariæ ſcilicet gravitas & levitas. In eodem genere ubi ſeu loci ma-

Digitized by Google

maximè diſtat; hoc eſt, ſummam oppoſitionem habent, magis enim opponuntur quàm duo ubi lateralia. Imò concluſio probari poſſet per ipſos motus quia videntur etiam relationes & tamen ſunt oppoſiti.

Nec quiſquam dicat hic eſſe oppoſitionem ratione materiæ aut fundamenti ſive etiam terminorum, nam ſi motus locales opponantur contrariè ratione terminorum, jam ipſa ubi opponentur contrariè, quia ſunt termini illorum motuum, ipſa autem *ubi* non poſſunt dici opponi contrariè ratione ſubjecti, quia ſubjectum eorum eſt quantitas, quantitas autem non habet contrarium. Vel ſi dicatur ſubjectum eorum eſſe ſubſtantia redit in idem, nam nec ſubſtantia habet contrarium, ergo.

3. Adducor etiam his rationibus: Paternitas & filiatio contrariantur, ſunt autem relationes, ergo. Quod paternitas, *&c.* contrarientur, inde probatur, quia opponuntur incompatibiliter, & una ex illis recepta in ſubjectum excludit indiſpenſabiliter aliud; neque id poteſt provenire ex oppoſitione relativa, aliqua enim relativè oppoſita inveniuntur in eodem ut patet in cognoſcente & cognito; in medico ſanante ſe ipſum; & ſi fortè videantur hæc eſſe formæ morales tantùm aut rationis, inſtantia illuſtris eſt in animali movente ſe ipſum.

Et hæc ratio æſtimanda eſt, quia non poſſunt adverſarii accommodare ei ſolutionem ſuam de oppoſitione fundamentorum aut rationum fundandi, quaſi ideo relationes iſtæ opponuntur quia rationes fundandi eas opponuntur, id enim non poteſt hic prætendi, quia ratio fundandi has ſecundum ipſos eſt potentia generativa, hæc autem eſt in utroque omni modo; nam filius habet potentiam generandi activam, & pater habet paſſivam. Si autem dicantur fundari in actione & paſſione, hoc eſt in actione generativa & paſſione correſpondente ei, incidunt in noſtram concluſionem quia quum hæ ſint relationes, & ſecundùm ipſos habeant contrarietatem (dicunt enim quod propter eorum contrarietatem paternitas & filiatio contrariantur) jam etiam ipſi affirmant aliquas relationes habere contrarietatem.

4. Habeo tamen contra hanc rationem unum, & eſt iſtud; quod contraria eidem ſucceſſivè ineſſe poſſint ex doctrina Philoſophi; &, ut communiter dicitur, expellant ſe mutuò ab eodem ſubjecto, non poteſt autem paternitas expellere filiationem ab eodem ſuppoſito (loquor de paternitate correlativè oppoſita filiationi) non enim poteſt quiſpiam, poſtquam eſt filius alterius eſſe ejus pater, ergo Reſponderi poſſet etiam hoc fieri poſſe, ut qui modo eſt filius alicujus fiat ejus pater ſi ſcilicet deſtruatur pater in primo eſſe, tum enim poterit accipere ſecundùm eſſe à filio. Sed non puto per hoc ſatisfactum difficultati, etſi enim id fieri poſſit (ut nos dicimus) tamen fieri non poteſt niſi per potentiam abſolutam & ſupernaturaliter; at verò quæ contraria ſunt naturaliter ſibi ſuccedunt in eodem ſubjecto.

5. Itaque exiſtimo ſenſum hujus, quod eſt ſuccedere ſibi in eodem ſubjecto, & ab ipſo mutuò ſe expellere, eſſe iſtum, quod contraria ſint incompatibilia, & unum efficiat ne alterum ineſſe poſſit ſubjecto, quamdiu primum ei ineſt, non autem quod revera debeant ſe ſequi in ſubjectu; quod etiam ſic ſuadeo; quia ubi ſurſum & deorſum ſunt contraria ut vidimus, & tamen non debent ſuccedere ſibi, poteſt enim mobile ferri circa medium, v. g. quum aſcendit à terra ad concavum cœli, qui eſt motus à medio atque adeo ſurſum non eſt opus ut feratur iterum ad medium hoc eſt deorſum per eandem lineam, ſed poteſt circumferri id eſt moveri circa medium ſicut movetur ipſum cœlum. Deinde virtus & vitium contrariantur, & tamen non debet vitium expelli per virtutem, poteſt enim expelli etſi nulla virtus ſed ſolùm habitus indifferens aut etiam nullus ſequatur.

6. Alia inſtantia in probationem concluſionis adduci ſolet de ſimilitudine & diſſimilitudine ad idem, non enim poſſum ego eſſe ſimilis & diſſimilis eidem uni, atque adeò iſtæ relationes incompatibiliter opponuntur; non autem opponuntur relativè, cum non ſint correlationes, quia correlatio ſimilitudinis non eſt diſſimilitudo ſed ſimilitudo, quum ſit relatio æquiparantiæ: Item de abſentia & præſentia, æqualitate & inæqualitate, nihil enim idem poteſt eſſe abſens & præſens eidem; & abſentia ac præſentia non opponuntur correlativè ſicut nec æqualitas & inæqualitas, quia nimirum abſens quà talis ab abſente eſt abſens, & inæquale eſt alteri inæquale. Quæ ratio habet etiam vim (ſicut ſuperior) ex eo quod non poſſit prætendi contrarietas hæc oriri à fundamentis ſemper, nam fundamentum contrarietatis eſt qualitas ſecundùm adverſarios, at verò abſentia & præſentia non competunt rebus ratione qualitatum; & in æqualitate eſt evidens, quia fundamentum ejus eſt quantitas, quæ manifeſtè non habet contrarium.

7. Objici tamen poteſt contra has rationes, non omnia, quæ repugnant eſſe oppoſita (& multò minùs contraria) ut patet in duabus formis ſubſtantialibus quæ non poſſunt ſimul eſſe, nec tamen opponuntur propriè, ſed duntaxat una dat locum alteri propter anguſtiam ſubjecti, adeòque non videntur hæc & ſimilia argumenta ſufficere concluſioni. Reſpondeo argumento ſufficere, quod etiam colligi poteſt ex ipſa hac ratione, nam niſi hæc propriè contrarientur cum ſint incompatibilia ipſorum incompatibilitas deberet oriri ex ſubjecto; at verò ita non eſſe ſive incompatibilitatem horum non provenire ex limitatione ſeu anguſtia ſubjecti conſtat inde, quia ſubjectum recipit alias formas ejuſdem generis, qui enim eſt pater, ſimul habet ſimilitudinem etiam ad ſuum filium, & fortaſſis æqualitatem, certè autem habet ipſam vel inæqualitatem, habet abſentiam vel diſtantiam & alias multas quarum quælibet æquè ſolida eſt ac filiatio, quod ergo filiatio non poſſit ſimul eſſe cum paternitate, non poteſt provenire ex anguſtia ſubjecti, atque ita neceſſariò provenire debet ex ſpeciali oppoſitione paternitatis & filiationis inter ſe, hæc autem non eſt relativa ut vidimus & multò minùs eſt privativa aut contradictoria, ergo contraria.

8. Objectio contra concluſionem: Si relationes haberent contrarietatem ad relationem, eſſet motus, non eſt autem, ergo

 non

non habent contrarietatem. Minor eſt doctrina communis, Maior autem patet, quia motus nullibi opportunus eſt, quàm inter oppoſita, quum termini ejus debeant eſſe incompatibiles. Reſpondeo primo non eſſe tam certum quod ad relationes non detur motus, ſed relecto hoc dico argumentum probare, quod prima contrarietas non ſit inter relationes non verò quòd nulla. Jam de altero proprietate

Examinatur & deciditur ſecunda proprietas: *habere magis & minus.*

9. Cenſeo, quod etiam relationi competat ſuſcipere magis & minùs.

Moveor, quia niſi relationi competat non facilè defendi poterit quod competat qualitati: hoc autem eſt quod adverſarii contendunt, ſcilicet id competere qualitati, non competere relationi: probo ergo majorem, dicunt illi albedinem & rubedinem ſuſcipere magis & minus, ſed id non poteſt conſiſtere niſi relatio ſuſcipiat, quia eſſe magis album eſt eſſe magis diſgregativum viſûs, non poteſt autem eſſe magis diſgregativum viſûs, niſi eſſe poſſit magis diſgregans diſgregatio autem ſicut & quælibet alia actio, eſt relatio: ergo à primo ad ultimum non poteſt eſſe magis in qualitate niſi ſit in relatione.

Arguo etiam ſecundò ad idem: datur magis dependens, dependens autem quà tale eſt relativum, & ipſa dependentia eſt relatio, ergo. Probo aſſumptum inſtantiâ cauſæ primæ, quia magis dependet ab ea effectus quicumque quàm à cauſa ſecunda, quod ſic ſuadeo. Ab eo magis dependet effectus, cujus influxus in illum effectum non poteſt diſſimulari aut omitti: influxus cauſæ primæ non poteſt diſſimulari aut omitti, poteſt autem influxus cauſæ ſecundæ, ergo. Hoc ſic aliter proponi poteſt: Magis dependet effectus quicumque à cauſa per ſe, quàm à cauſa per accidens; efficiens creatum eſt cauſa per accidens effectus, fieri enim poteſt ſine illo, ſine Deo autem fieri non poteſt, v. g. Petrus qui producitur à Paulo, poteſt à Deo produci ſine concurſu Pauli, adeòque per accidens dependet à Paulo; non poteſt autem à Paulo produci ſine Deo, adeòque per ſe dependet à Deo.

10. Æſtimo hoc argumentum, quia non poteſt eludi dicendo, quod dependentia ſit major à Deo non autem magis; hoc, inquam, prætendi non poteſt quia eſt manifeſtè falſum, major enim eſt dependentia ejus à patre Paulo & à matre, atque etiam ab aliis cauſis quàm à Deo, illæ enim ſunt cauſæ principales ejus & Deus dicitur concurrere cum ipſis, non autem ipſi cum Deo, adeòque exceſſus ex parte ejus eſt ſecundùm magis, non ſecundùm quantitatem & majus. Confirmatur quia cauſæ particulares majus agunt circa effectum quàm cauſa univerſalis, alioquin dicere poſſemus quod majus generat ſol & corpora cæleſtia Petrum quam Paulus Pater (nam etiam ſol & homo generat hominem) confirmatur iterum quia magis debet cenſeri effectus provenire ab eo à quo eſt ſpecificatio ejus, quam ab eo à quo eſt præciſè individuatio ejus; ſpecificatio ejus eſt à cauſis ſecundis, & individuatio à prima, ergo. Confirmo tertio, quia quod determinat aliquam cauſam ad effectum magis influit in eam, quàm quod determinatur; cauſa ſecunda determinat, prima autem determinatur, quia prima eſt univerſalis, & concurſus ejus applicatur à cauſis ſecundis juxta earum naturas. Vis hujus explicari poteſt in effectibus liberis, magis enim tribuenda eſt actio libera ei à quo provenit ſpecificatio ejus, quàm à quo individuatio, magis enim eſt imputanda volitio peccaminoſa ei à quo provenit ut nolitio ſeu odium eliciatur præ amore, quàm ei à quo provenit ut eliciatur una nolitio præ alia, quia non eſt ulla malitia in eſſe hanc numero nolitionem præ alia, eſt autem malum habere nolitionem ſeu odium Dei aut proximi præ amore. Si ergo à cauſa ſecunda ſeu libero arbitrio creaturæ provenit ut ſpecificetur actus & habeatur odium præ amore magis dependet ab ea actus quàm à cauſa prima, quæ determinat ad hunc actum odii præ alio.

11. Probant alii ex inæqualitate, nam unum corpus eſt magis inæquale alteri, & unum magis diſtat ab altero, ſicut etiam contingit duo corpora eſſe etiam magis vicina. Sed non reputo probationes has efficaces, nam in primo caſu non idem eſt primo æquale & poſtea inæquale, aut primò minus & poſtea plus inæquale, ſed eſt aliud & aliud, & attendendo ad idem ſemper invenietur eadem inæqualitas, v. g. palmus eſt inæqualis ſemipalmo, palmus ille augeatur & fiat ſeſquipalmus, dico non eſſe idem nec magis inæquale quod antea fuit minus tale, quia magis inæquale eſt ſeſquipalmus, in quo proinde mutata eſt proportio totaliter quia mutatum eſt fundamentum. Explico & probo ſolutionem: Magis & minus fit per additionem novorum graduum formæ in eadem parte ſubjecti, at verò nova inæqualitas non eſt in eadem parte ſubjecti, in qua fuit antiqua & minor, nam antiqua ſemper eſt eadem, ſemper enim palmus eſt ſimiliter inæqualis ſemipalmo.

Idem dico ad illud de diſtantia, tota enim eſt mutata & nova, non verò antiqua aucta aut imminuta, quia nimirum diſtantia fundatur in præſentia ſeu ubi; at verò præſentia omnino mutata eſt, quando facta eſt res magis diſtans. Sed hâc viâ non ſalvatur ab utraque parte, ſed tantùm ab una quod non detur intenſio diſtantiæ, nam alterum extremum poteſt eſſe immotum & retinere priſtinum *ubi*, v. g. ego factus ſum magis diſtans à turri quia mutavi ubi ſed turris non mutavit ſuum ubi, & tamen facta eſt magis diſtans. Ideo aliter exiſtimo dicendum quod non rectè dicatur ulla res magis diſtare, quia diſtantia non recipit magis ſed majus; nam diſtantia bis mille paſſium non eſt magis diſtantia quàm diſtantia ſemel 1000. paſſuum, licet bene ſit major diſtantia. Non ergo dicetur rectè aliquid magis diſtare ſicut nec res dicitur propriè eſſe magis extenſa, quia extenſio eſt quantitas, nam

nam etiam diſtantia eſt quantitas, adeòque.

12. Meliùs probatur concluſio per inſtantiam ſimilitudinis & diſſimilitudinis, quia una res eſt magis ſimilis alteri manifeſtè, quod negari non poteſt; atqui etiam magis eadem alteri, nam album ut ſex eſt magis ſimile alteri albo ut ſex, quàm alteri albo ut quatuor, & individuum eſt magis idem individuo ejusdem ſpeciei quàm individuo ejusdem generis, v. g. Petrus eſt magis idem Paulo, quàm Bucephalo.

Nec valet dicere hæc eſſe magis ſimilia fundamentaliter, atque ita ſequi hinc, quòd fundamenta eorum ſcilicet albedines illæ recipiant magis & minus ſive intentionem & remiſſionem, non autem ipſæ relationes: nam contra hoc in primis eſt illud de identitate, cujus extrema cùm ſint ſubſtantiæ non recipiunt (ſecundùm adverſarios ſaltèm) magis & tamen verum eſt, quòd aliqua ſint magis & minus eadem, nam ſine hoc caſu, & independenter ab omni intenſione, magis convenit Petrus cum Paulo, quàm cum Bucephalo.

Deinde de ipſa relatione ſic arguo: Si negetur magis & minus in relatione, neganda eſt abſolutè relatio; atqui adverſarii nolunt negari relationem, ergo. Majorem ſic oſtendo, ſicut enim ipſi dicunt non requiri ad veritatem magis ac minus, quòd detur aliquod magis & minus relativum ſive intenſio ulla ex parte relationis, ſed ſolùm ex parte fundamenti, ita poterunt Nominales negare nobis relationes abſolutè, & dicere quòd denominationes relativæ ſalventur per fundamenta: cur enim magis & minus relationis ſalvetur per magis & minus fundamenti, & non ſalvetur eſſe ſimpliciter relationis per eſſe ſimpliciter fundamenti?

Deinde hîc locum habet replica, quam ſuprà notavi de incremento relationis ex decremento fundamenti; creſcit enim relatio, ſive intenditur, quando decreſcit, & remittitur fundamentum (ex quo videtur evidenter ſequi, quòd augmentum relationis non ſit augmentum fundamenti ſeu qualitatis) ſint enim duo alba, unum ut duo & alterum ut quatuor, ſunt ſimilia, ſed magis erunt talia, ſi remittatur aliquis gradus de albedine ut quatuor; & adhuc magis ſi remittantur & auferantur duo, adeòque ſequitur ut dixi quòd aliud ſit augmentum relationis & aliud augmentum fundamenti.

Denique contra oppoſitæ ſententiæ auctores hoc habeo; quòd, niſi velint tenere nobiſcum, tenentur dicere, quòd ad quamlibet quantumvis minimam mutationem fundamenti detur nova relatio totaliter; evidens enim eſt, quòd res denominentur, & ſint magis relativæ, v. g. magis ſimiles; atque ita aut præcedens relatio ſimilitudinis intenditur ut nos volumus, aut perditur tota, & una alia tota generatur; hoc autem abſurdum multò majus quàm concedere magis & minus in relationibus; inde enim tenentur concedere infinitatem relationum in quantumvis minimâ mutatione qualitatis, v. g. ad gradum unum albedinis puta gradum tertium, per quem album ut dico ſit magis ſimile albo ut tria; nam cùm hîc gradus producatur ſucceſſivè, habet totidem partes quot motus, qui, cùm ſit de genere continuorum, non poteſt habere pauciores partes quàm infinitas.

Dices, ſi neceſſariò fatendum eſt ipſum motum habere infinitas partes, cur trepidemus admittere relationum infinitatem? Reſpondeo cauſam eſſe iſtam, quia infinitas motus eſt infinitas partium, adeòque infinitas tantùm ſecundùm quid, quæ relinquit ſimpliciter finitum: at verò infinitas relationum ſecundùm ipſos, qui nolunt relationem augeri per partes aut gradus, eſt infinitas non partium, ſed totorum, atque ita infinitas ſimpliciter entium, & quæ non poteſt cenſeri ſimpliciter finitas, ergo.

13. Dico ergo magis & minus competere relationi, non tamen omni; non enim aliquid eſt alicui magis æquale altero, nec aliquod dimidium eſt magis dimidium; ſic nec duplum eſt unum alio magis tale, & (verbo) omnia, quæ ſignificant æqualitatem aut contingunt eam paria ſunt, eò quòd æqualitas in indiviſibili conſiſtat, quod omnes fatentur, & ego exiſtimo extendendum ad inæqualitates ut ſuprà ſignificavi; non tamen ad diſſimilitudines. Teneo etiam in relationibus intrinſecùs advenientibus paternitatem & filiationem non ſuſcipere magis & minus. Item ſubtilitatem & ſcivitatem, hoc eſt habitudinem ſcientiæ ad ſcibile aut è contrà. In relationibus etiam extrinſecùs venientibus *ubi* non ſuſcipit magis, ſed conſiſtit in indiviſibili, aut enim res in loco eſt, aut eſt extrà, & idem eſt de *quando*. De ſitu autem oppoſitum potiùs credo, poteſt enim aliquis eſſe alio magis pronus & magis ſupinus. De habitu dubito, nec nimis curo, non enim refert quid dicas.

Expenditur ſimultas naturâ Relativorum.

14. Sunt aliæ relativorum proprietates ferè homonymæ & incidentes; dici ad convertentiam eſſe ſimul naturâ, ac denique eſſe ſimul cognitione. De convertentia, & quomodo differat à converſione, videri poteſt ex noſtris Maſtrius, ex alienis Amicus. Dignius examine eſt ſecundùm illud ſcilicet ſimultas naturæ relativorum: eſt autem ſimultas naturæ quædam coexiſtentia plurium, quo fit ut quandocumque unum eſt & aliud ſit, atque ita illa ſe mutuò inferant ac deſtruant, ſicut poſito uno ponatur aliud, & depoſito, deponatur; ut, ſi non ſit ſervus, non erit dominus, nec è contra, ſi non ſit duplum, non erit dimidium & vice versâ, & hoc conſequens eſt ad id quod alibi docent Logici, ſcilicet illud eſſe priùs naturâ, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia, cui etiam addere poſſumus illud eſſe poſteriùs naturâ, ad quod non valet ſubſiſtendi conſequentia, ſic quia homo eſt poſterius animali, non valet ad ipſum ſubſiſtendi conſequentia ab animali, atque ita relinquitur ut illa ſint ſimul naturâ, inter quæ valet ſubſiſtendi conſequentia, qualia ſunt jam aſſignata & ſimilia; quam doctrinam omnes recipiunt.

Contra eam tamen eſt non levis difficultas ex alia definitione ipſorum Logicorum, quòd ſcilicet omnis cauſa ſit prior ſuo effectu, quum tamen cauſa & effectus ſint correlativa, ex quibus ſequitur ſtatim, quòd aliquid ſit prius & ſimul naturâ cum altero, atque ita prius eſſe ſimul cum ſuo poſteriori.

Ad evadendum hunc ſcopulum Logici ſtatuerunt duas conditiones eis, quæ dicenda ſunt ſimul naturâ; una, quòd ſe mutuò inferant, altera

tera, quòd neutrum ſit cauſa alterius. Sed quis non audeat in hac ſecunda conditione retractari regulam illam ſive doctrinam Ariſtotelis de hac proprietate, aut certè negari cauſam & effectum eſſe correlativa? quod etiam manifeſtè falſum eſt, nam pater eſt cauſa filii, & tamen eſt ei correlativum. Reſpondet Merinerus (& credo eſſe communem ſolutionem) patrem eſſe cauſam filii materialiter ſumpti, non verò formaliter ſumpti, at verò eſſe ſimul naturâ cum filio formaliter ſumpto, atque ita ſtare ſimul quòd ſit prius naturâ & correlativum ejus ſeu ſimul naturâ cum ipſo, quia eſt prius naturâ uno modo, ſimul autem alio modo.

At non evadit ille per hæc, ſed involvitur ſuâ ſolutione; ſi enim pater ſit cauſa filii, materialiter ut homo eſt, ſequitur quòd ſit cauſa ejus formaliter, & ut filius eſt, atque ita ſequitur quòd ſit cauſa ejus quatenus eſt ſimul cum ipſo. Sequelam oſtendo ad hominem, quia ſecundùm ſic reſpondentem pater eſt cauſa filii materialiter ſumpti, hoc eſt ſubſtantiæ & entitatis ejus; at verò ſubſtantia filii eſt cauſa filiationis ejus, ab illa non remanat, & in illa recipitur filiatio, ex hoc autem ſequitur quòd pater ſit cauſa filiationis, atque ita filii formaliter ſumpti, quia nimirum quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, ſi ergo filius materialiter eſt cauſa filii formaliter ſumpti, & pater eſt cauſa filii materialiter ſumpti, quid tunc ſequitur, niſi quòd pater ſit cauſa filii formaliter ſumpti? Itaque exiſtimo illam conditionem Logicorum, quòd ſcilicet unum non ſit cauſa alterius non eſſe neceſſariam, ſed nec verâ, & eâ non obſtante haberi ſimultatem naturæ; nam non poteſt eſſe major ſimultas aliquorum quàm ut unum non poſſit cogitari niſi alterum adſit cogitandum, ſic autem ſe habent cauſa & effectus, non enim poteſt cogitari aliquid eſſe cauſa, niſi ut ſit alicujus cauſa, adeòque in omni inſtanti quo eſt cauſa eſt cauſatum. Major hujus ſe ipſâ patet & nihilominus adhuc ampliùs probatur, quia quod nihil cauſat, non cauſat, ſicut inquit Philoſophus, res quæ nullibi eſt abſolutè non eſt, quòd verò non cauſat clarum eſt quòd non ſit cauſa, ergo.

Sed inquies, ſi hæc ita ſint, quando ſalvatur prioritas naturæ quæ eſt inter cauſam & effectum? Reſpondeo ſalvam eſſe illam, nihilominus, quia non eſt in eodem ordine aut in eadem linea cum iſta, eò quòd prioritas cauſæ ad effectum ſit prioritas à quo, non autem prioritas in quo; ſimultas autem eorum & aliorum correlativorum ſit ſimultas in quo; ſic in divinis tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & tamen una eſt principium alterius, propter quod ibi etiam eſt una prima & alia ſecunda non obſtante ſummâ æqualitate earum, quia nimirum æternitas non exigit niſi ſimultatem in quo, & hanc habent omnes tres perſonæ, in quocumque enim inſtanti eſt una, in eodem eſt alia; principiatio autem non prohibet ſimultatem in quo, ſed tantùm ſimultatem à quo, ergo.

Argumenta contra hæc proponuntur, & ſolvuntur ex Subtili.

15. Objici tamen adhuc poſſunt aliqua, quæ ingenioſè congeſſit Doct. circa hanc proprietatem, & ex ipſo alii, quæ quidem nullis verbis meliùs exprimentur quàm ipſius in hunc modum *Quia ſecundùm Porphyrium* cap. de ſpecie *genus*
Scot q. 7 prædicam. *refertur ad ſpeciem, & è converſo, ſed hæc non ſunt ſimul natura, quia illud eſt prius natura à quo non convertitur ſubſiſtendi conſequentia & non è converſo, igitur conſimiliter poteſt argui fere in omnibus intentionibus relativis ad invicem, ut de prima ſubſtantia, & ſecunda, de univerſali & particulari.*

Item ſecundùm Porphyrium c. de differentia. *Socrates ſenex differt à ſe puero, ſed differentia eſt quædam relatio, igitur Socrates ſenex & Socrates puer referuntur ad invicem, ſed hæc non ſunt ſimul natura. Ita poteſt argui de omnibus quæ non ſunt eadem, ſed ordinata ad invicem quoad iſtas relationes, differentia & diverſitas.*

Item ſcibile & ſcientia referuntur ad invicem, & non ſunt ſimul natura, quia deſtructo ſcibili deſtruitur ſcientia & non è converſo; ſimiliter de ſenſu & ſenſibili, ut arguit Ariſtoteles, quia deſtructo ſenſibili, deſtruitur corpus animalis, licet non corpus, ut genus in genere ſubſtantiæ vel in genere Quantitatis, quia deſtructo corpore animalis deſtruitur ſenſus, quia ſenſus eſt in corpore, ut in ſubjecto, etſi ſit in anima ut in principio vel cauſa, igitur à primo ad ultimum deſtructo ſenſibili deſtruitur ſenſus; ſed non è converſo, quia ſenſus deſtruitur deſtructo animali, ſed deſtructo animali non oportet ſenſibile deſtrui, poſſunt enim illa manere adhuc, ex quibus eſt animal, quia ſunt naturaliter priora animali. Iſto modo contingit arguere de omnibus relativis ſecundùm tertium modum qui ponitur in 5. Metaph. context. 20. *ſcilicet quæ referuntur ut menſura & menſurabile, & è converſo*

Item pater dicitur relative ad filium, & pater poteſt manere deſtructo filio, igitur non ſunt ſimul natura. Probatio minoris, tum quia deſtructo iſto filio poteſt alius filius manere, ad quem poteſt pater dici, tum quia deſtructo filio poſſibile eſt nullam mutationem fieri circa idem ſubjectum paternitatis. Sed impoſſibile videtur, formam talem prius exiſtentem in ſubjecto poſtea non eſſe in ſubjecto, niſi ſubjectum mutetur, ergo impoſſibile eſt paternitatem prius exiſtentem in iſto, poſtea non eſſe in iſto propter iſtam ſolam deſtructionem filii, igitur deſtructo filio manebit iſte pater ſicut prius. Tum quia pater dicitur, eo quòd genuit, impoſſibile autem eſt eum qui aliquando eſt pater, poſtea non eſſe patrem, neceſſariò igitur pater manet deſtructo etiam filio.

Item prius in quantum prius refertur ad poſterius, in quantum poſterius, & cauſa in quantum cauſa refertur ad cauſatum; ſed prius in quantum prius non eſt ſimul natura cum poſteriori, neque cauſa cum cauſato, igitur neque omnia relativa ſunt ſimul natura.

Item relativa ſecundum genus ſunt per ſe relativa, quia in eorum per ſe intellectu ſunt eorum genera, ſecundùm quæ referuntur, & non habent alia correlativa, quàm correlativa generis, ſed correlativum generis eſt ſimul natura cum genere, quod eſt prius naturaliter ſpecie, igitur & illud correlativum eſt prius naturaliter ſpecie, igitur. Stat tamen Doctor in concluſione à nobis poſita; unde & reſpondet; præmiſsâ diſtinctione de relativis per ſe, qualia ſunt illa primi & ſecundi modi relativorum; & de relativis per accidens, quæ ſunt tertii modi menſurabilis ad menſuram. Dicit ergo ordine: *Ad rationes, ad primam dicendum, quòd intentiones Generis & Speciei referuntur ad invicem, & ſunt ſimul natura ſed quod ſubeſt intentioni generis, non in quantum ei attribuitur illa intentio, ſed in quantum exiſtit, prius eſt eo cui attribuitur intentio ſpeciei, & inter illa quæ ſubſunt eſt conſequentia non mutua, de illis enim ſequitur, ſi ge-*

nus

nus eſt, ſpecies eſt, & è converſo. Subjecta autem harum intentionum ſunt relativa per accidens, hujuſmodi relativa non oportet ſimul eſſe natura.

Ad ſecundam Socrates puer & Socrates ſenex ſunt relativa per accidens, quia in relativis æquiparantiæ utrumque per ſe extremum eſt ad aliquid nominatum eodem nomine, unde hæc per ſe extrema ſunt differens & differentia, & illa ſunt ſimul natura. Cùm enim Socrates eſt puer, eſt differens à Socrate ſene, & Socrates eſt ſenex, eſt differens à Socrate puero, quia utrumque eſt ſimul differens ab alio, licet non utrumque ſit ſimul.

Ad tertiam, illa ratio verum concludit de relativis, quæ non dependent ad ſe mutuò. Ad quartam dico, quod licet ſola ſubſtantia patris poſſit manere deſtructo filio, tamen pater non poteſt manere. Cùm probatur oppoſitum: ad primam probationem dico quod pater non refertur ad hunc filium niſi per accidens, ad filium autem per ſe & ideo deſtructo hoc filio dummodo maneat alius filius poteſt & pater manere, quia non opportet relativum eſſe ſimul natura cum ſuo correlativo per accidens.

Ad aliam probationem dico, quod poſſibile eſt formam realem ineſſe ſubjecto vel non ineſſe ſine mutatione ſubjecti in ſe, quia quod ineſt ſubjecto tantùm in comparatione ad aliud, poteſt illi non ineſſe tantùm altero tranſmutato.

Ad tertiam probationem, ſi concedatur aliquando patrem non poſſe non eſſe patrem, concedendum eſt aliquando filium non poſſe non eſſe filium, quia ſicut de eo, qui genuit ſemper eſt verum dicere, quod genuit, ita de eo qui genitus eſt ſemper eſt verum dicere quod genitus eſt, licet non ſemper exiſtat & per conſequens ſemper manet filius, ſicut & pater.

Sed ſi dicatur patre exiſtente, & nullo exiſtente, qui eſt filius, verum eſt dicere quod pater eſt, & filius non eſt, quia eſſe, quando prædicat ſecundum adjacens, prædicat eſſe exiſtere ſecundùm Boëtium. Igitur non ſunt ſimul natura. Dici poteſt, quod relativa ſunt ſimul natura ſecundùm illud eſſe, quod eſt eis proprium, in quantum ſunt relativa, ſed illud non eſt eſſe exiſtere, quia hoc accidit eis in quantum referuntur, & ideo unum relativum poteſt ſic eſſe non exiſtente alio, unde hæc conſequentia non tenet: Pater eſt, hoc eſt, exiſtit, igitur filius eſt, ſcilicet exiſtit: licet teneat ſumendo eſſe ut eſt proprium patris in quantum refertur, & conſimile eſſe filii, & ita intelligenda eſt conſequentia Ariſtotelis quâ probat relativa ſimul eſſe natura.

Ad quintam dico, quòd iſtæ intentiones, prius & poſterius & cauſa & effectus referuntur ad invicem, & ſunt ſimul natura, ſed non res, quæ ſubſiſtunt.

Contra hoc, quod eſt ſimul cum poſteriore, in quantum poſterius, eſt poſterius, ſi igitur prius, in quantum prius, refertur ad poſterius, in quantum poſterius, & ita eſſet ſimul cum poſteriori, prius in quantùm prius eſſet poſterius, ſed hoc eſt inconveniens loquendo de intentionibus, quia prædicatur oppoſitum de oppoſito. Ad hoc poteſt dici, quod major propoſitio eſt vera ſumendo ſimul eodem modo quo ſumuntur prius & poſterius; ſic non eſt in propoſito, quia prius & poſterius ſumuntur pro ipſis intentionibus, & ſimul ſumitur pro ſimultate naturæ, vel aliter, quod prius & poſterius ſumuntur ſecundùm rem, ſimul autem ſecundùm rationem. Sed tunc videtur ſequi, quod relatio priorũ & poſteriorũ ſit tantùm ſecundùm rationem, ſi extrema ſint tantùm ſecundùm rationem.

Ad ſextam dicendum, quod illa ratio concludit verum de correlativis generum, ad quæ dicuntur aliqua alia relative ſecundùm genus; inter illa enim non eſt dependentia mutua per ſe.

Simultas cognitionis Relativorum.

16. Ultimum, quod Ariſtoteles aſſignavit relativis, eſt eſſe ſimul cognitione, quod communiter intelligitur de definitiva, quum tamen Ariſtoteles de diſtinctiva, id eſt firma & determinatâ cognitione, non verò de diſtinitiva id eſt eſſentiali loqueretur, nihilominus plures rem ita intelligunt, etiam practicè, & unum relativum per aliud definiunt, ſed malè, quid enim ineptius quàm ſervum per dominum, & rurſus dominum per ſervum definire ſic: Dominus eſt qui habet ſervum ſubjectum, ſervus eſt qui domino ſubjicitur: aut, Rex eſt qui habet regnum; regnum autem quod habet regem? Reſpondet Averſa, hoc eſſe privilegium relativorum: ſed hoc nullius privilegium eſſe poteſt, quum ſit rotundus circulus, & proinde non ſolùm non poteſt definitio eſſe, ſed nec ulla omnino rei deſcriptio aut notificatio, quia nunquam poteſt hoc modo incipi cognitio, quum quodlibet ante alterum debeat eſſe notum.

Dicet non debere ullum ante alterum cognoſci, ſed utrumque ſimul. Audio hoc, ſed non poteſt ſtare, quia ſic neutrum eſſet definitio, ſed utrumque, aut certè utrumque eſſet definitum, quum tamen hîc ſalvari debeant, quòd unum eorum ſit definiens, & alterum definitum; patet hoc, ſi enim ſint ſimul cognitione, quomodo unum per aliud cognoſcitur magis quàm vice verſâ, alterum per illud? confirmatur & explicatur, quia ſic non differrent iſtæ duæ deſcriptiones: Servus eſt, qui habet dominum: dominus eſt, qui habet ſervum ſubjectum: nec iſtæ duæ Porphyrii: Genus eſt quod prædicatur de ſpeciebus, ſpecies eſt quæ generi ſubjicitur, ſimul enim utrumque ſcitur, non autem unum per aliud. Diſparitas quidem aliqua eſſe poteſt quòd in una incipitur à genere, in altera à ſpecie. At hoc nihil facere ad rem patet, quia ſi dicam, homo eſt animal rationale, &; animal rationale eſt homo, non proinde feci duas definitiones, nec reddidi ly homo definitionem, quum ſemper ſit definitum quocumque loco aut ordine ponatur. Confirmo, quamvis dari poſſit exceptio aut diſpenſatio ne definitio tradatur per priora, non poteſt tamen dari exceptio aut diſpenſatio ne detur per notiorem; & alioqui ſi licet definire per æquè ignotum, licebit idem per ſe ipſum definire.

17. Quidam (a) ex noſtris putant ſe ſuperaſſe omnem difficultatem hujus rei, dicendo, quòd relativa ideo ſunt ſimul cognitione, quia quum cognitâ relatione cognoſcatur terminus, & cognito termino ſtatim cognoſcatur correlatio quæ in ipſo fundatur, eo ipſo verum erit dicere, quòd cognitâ unâ relatione cognoſcatur alia. Ita illi non intelligentes hanc explicationem manifeſtè deſtruere quod aſtruendum & probandum erat. Si enim cognitâ relatione paternitatis debeat cognoſci abſolutum termini & ex cognitione hujus abſoluti oriatur cognitio relationis ei inſiſtentis ſcilicet filiationis, ſequitur manifeſtè quòd

(a) Lychet 1. d. 30. q. 1. Maſtr. diſp. 8. Log. q. 11 Bellut. ibid.

quòd correlationes non ſint ſimul cognitione, ſed una prior alterâ, nam quum una ſit ſimul cum entitate termini, & entitas termini ſit prior correlatione in ipſo fundatâ, prior inquam cognitione, eò quòd cognitio correlationis proveniat ex cognitione termini, ſequitur evidenter unam relationem ante aliam cognoſci. Explico & approbo quod dico ſic: Quod eſt ſimul cum priori, utique eſt prius poſteriori: prima correlatio eſt ſimul cum termino, qui eſt prior correlatione cognitâ quum ſit cauſa illius in cognoſci, ergo jam prima correlatio non eſt ſimultanea, ſed prior alterâ in cognoſci.

18. Dicendum eſt itaque correlativa eſſe ſimul cognitione, verificari per hoc, quod primum correlativum, aut etiam (ſi majus) prima correlatio ſit ſimul cognitione cum abſoluto termini. Ita Subtilis *locis action. citatis*: & ratio in promptu eſt, quia relatio pendet in cognoſci ab iis tantùm, à quibus pendet in eſſe, unde ſi eſſet ad ſe, poſſet ſine ullo ſimultaneo cognoſci. At vero non pendet in eſſe niſi ab abſoluto correlativi, pendet enim ab eo *ad quod* eſt, eſt autem ad abſolutum correlativi, non autem ad formale ſive ad ipſam correlationem, ergo. Minor ſuprà demonſtrata eſt *act. illa*.

19. Itaque correlativa, quæ ſunt ſimul cognitione ſunt unum relativum formaliter & aliud materialiter ſumptum: v. g. pater ſumptus tam pro materiali humanitatis, quàm pro formali relationis ex una parte, & ex altera filius ſumptus pro materiali tantùm, id eſt pro humanitate abſque relatione filiationis. Unde pater definiendus eſt quòd ſit is qui genuit aliud vivens ejusdem ſecum naturæ: filius, qui genitus eſt ab alio ejusdem ſecum naturæ. Similiter dominus qui habet hominem (aut perſonam aliam) ſibi ſubjectum diſpoſicè, *&c.* ſervus ſic ſſim qui diſpoſicè ſubjectus eſt alteri perſonæ. Non verò dicendum fuit quòd ſervus ſit, qui habet dominium, nec dominus qui habet ſervum. Quod cùm ſit evidens propter circulares definitiones, quæ ab adverſariis fieri ſolent, & excuſari non poſſunt relinquitur improbabilis eſſe illa ſententia Thomiſtarum & aliquorum Recentium quòd ſcilicet relatio terminetur ad formale ſui correlativi, ſive ad correlationem ei reſpondentem; ex illa enim ſententia omnia hæc abſurda ſequuntur ipſos.

20. Objicio ſpeciem definiri per genus, & viciſſim genus per ſpeciem; quod quum Porphyrius feciſſet, ait ſe neceſſitate compulſum feciſſe, ſed multò magis

Objici poſſunt relationes divinæ, in his enim non tantùm eſt ſimultas cognitionis inter relativum & abſolutum, ſed inter duo relativa; imò, ſi comparetur relativum unius extremi ad abſolutum alterius, non erit ſimultas, ſed prioritas, v. g. Pater æternus, ſi comparetur ad abſolutum filii comparabitur ad prius, abſolutum enim filii eſt eſſentia quæ aliquo modo præcedit paternitatem, & cætera nationalia, ergo. Reſpondeo definitiones illæ Porphyrii aut bonæ ſunt aut vitioſæ; ſi vitioſæ non debent trahi in exemplum aut in doctrinam: ſi autem bonæ ſint, dico illas eſſe traditas per relativum unius extremi, & abſolutum alterius: Et ſanè ſic ſonat definitio generis apud Porphyrium, dicitur enim prædicari de pluribus differentibus ſpecie, ubi correlativa ſunt plura differentia, id eſt res ipſæ habentes ſpecificationem.

Alterum illud de relationibus divinis non patitur hanc aut ſimilem ſolutionem, quia nimirum ſingulare eſt, & proinde non habet exemplum. Si tamen attendatur favebit concluſioni noſtræ, quia nimirum relationes ibi, non tamen ſunt referentes ſed quodammodo relatæ, atque adeò quòd ſint ſimul cognitione probat relativum ex una parte & fundamentum ſeu ſubſtratum ex parte altera eſſe ſimul, licèt etiam fatendum ſit quòd probet ipſas relationes formaliter hinc inde eſſe ſimultaneas: ſed non eſt mirum ſuppoſito priori. Et ad ſummum adverſarii ſunt pares nobis in hac inſtantia, quia hæc eſt pro utriſque. Imò dicere poſſem illos non eſſe pares nobis, nec inſtantiam illam utriſque æquè favere, ſed magis nobis; poſſum enim diſtinguere relationes illas in conſtituentes & in referentes, ac deinde dicere relationes illas eſſe ſimul ut conſtituentes quo modo gerunt munus abſoluti, non autem eſſe ſimul quatenus referentes, quod ſolùm faceret pro adverſariis ex his.

Redeundo ad præcedentem proprietatem ſeu ſimultatem correlativorum dico eam intelligendam eſſe de correlativo ex una parte & ſubſtrativo correlativi ex altera; v. g. pater formaliter ſumptus eſt ſimul cum filio fundamentaliter ſumpto, id eſt accepto pro materiali humanitatis; at verò ſi comparetur cum filio formaliter ſumpto, ſive accepto cum relatione filiationis, non eſt ſimul, ſed prior ipſo, quia quum ſit ſimul cum ſubſtrato hujus relationis & ſubſtratum ſit prius relatione, neceſſariò debet eſſe priùs ipſâ relatione.

Scriptores

Vide deſcriptos apologiâ ſeptimâ præcedenti.

APOLO-

Digitized by Google

APOLOGIA X.

De ſex poſterioribus prædicamentis.

ACTIO I.

De diviſione Relationis in intrinſecùs & extrinſecùs advenientem.

ACTIO II.

Vtrum ſex poſteriora prædicamenta ſint relationes extrinſecùs advenientes, nec ne?

Scotus 4. d. 13. q. 1. n. 9.

SI ergo debet ſalvari illa diviſio famoſa prædicamentorum, quia ſecundùm Avicennam 4. *Metaph.* cogimur obſervare illam diviſionem prædicamentorum famoſam, quâ dicuntur eſſe decem generaliſſima propter Philoſophorum antiquam auctoritatem, cui non debet facilè contradici, neceſſè eſt dicere quòd reſpectus habeant ſufficienter rationes formales ſufficientes inquam ad diſtinctionem generum; hæc autem differentia ſufficiens ad iſtud quæ probabilius colligitur ex dictis auctorum eſt reſpectus intrinſecùs & extrinſecus adveniens, ut ille dicatur extrinſecus adveniens, qui neceſſariò ſequitur ambo extrema in actu poſita; vel, quod idem eſt, neceſſariò ſequitur ſuum fundamentum termino non excluſo ſed poſito. Extrinſecus autem eſt qui non ſequitur neceſſariò extrema etiam ambo ſimul in actu poſita.

Idem quodlibet 11. num. 12.

POteſt diſtinctio reſpectuum, quos important illa ſex *ultima* genera ab illo reſpectu, qui propriè dicitur relatio quæ eſt quartum genus, accipi ex illo communi, quo dicuntur reſpectus de genere relationis ille reſpectus intrinſecus advenientes; reſpectus autem illorum ſex generum extrinſecus advenientes.

ACTIO I.

De diviſione relationis in intrinſecùs & extrinſecus advenientem.

Breviarium.

N. 1 *Exponitur doctrina Scoti & diviſio relationis apud ipſum.*
2. *Impugnatur à Thomiſtis. ſed fruſtra.*
3. *Argumentum Recentiorum contra eam rejicitur. An illuminatio ſit relatio extrinſecùs veniens?*
4. *Quarta objectio, ſolvitur. An aliqua relatio ex ſex ultimis ſurgat poſito fundamento præciſè.*
5. *Quinta objectio, diluta. An relatio cauſæ ad cauſatum ſit intrinſecùs adveniens?*
6. *Moventur adhuc duæ difficultates contra concluſionem. Tertius modus Relationis malè aſſignatus.*
7. *Solvuntur difficultates. An ſervitus unquam deſinere poſſit?*
8. *Inſtauratur argumentum. Paternitas & filiatio quomodo accipienda, ut opponantur: ſolvitur.*
9. *Secundò ſolvitur.*

1. SUprà *Apolog. antepradicamentali act. ultimâ* vidimus multorum capitum ſententias circa rerum diviſionem ſive numerum prædicamentorum. Alii addunt, alii demunt decadi, quam Ariſt. aſſignavit. N. D. pro ſuo acumine modum invenit quo & Ariſtotelem tuetur, & addiſcentium memoriam exonerat; nam relictis quatuor primis generibus, ut ante ſe illa invenit, ſex poſteriora ſub uno compræhendit, quod eſt relatio extrinſecùs adveniens.

Diviſit ergo relationem ut ſic in duas, unam vocavit intrinſecùs advenientem, eam ſcilicet, quæ poſitis fundamento & termino, ſubitò ſine ulteriori diligentia conſurgit. Aliam, quæ non ſtatim ſurgit poſitis fundamento & termino, ſed aliud requirit. Exemplum utriuſque: Similitudo eſt relatio intrinſecùs adveniens, quia nimirum poſitis duobus albis verbi gratiâ, ſubitò conſurgit illa non expectato ullo præterea. At verò *ubi* non eſt intrinſecùs ſed extrinſecùs veniens, quia non ſufficit poni in rebus locum & corpus ut reſultet inter ipſa habitudo ubi ſeu locati eſſe ut patet cuique.

2. Hanc tamen tam apertam veritatem Thomiſtæ olim, & nunc Recentiores libentiſſimè impugnant; quod ut conſtet eos fruſtra tentaſſe, ſubjiciam eorum impugnationes, & oſtendam eas ſe ipſis

ipſis tuere, utpootè quæ nõ poſſint fundamentũ habere niſi in ignorantia textûs & opinionis Scoti. Dudũ objecerunt Thomiſtæ nõ ſufficere differentiã originis ad multiplicandas res in ſpecie; hæ autem relationes intrinſecùs & extrinſecùs venientes non differunt, niſi in modo productionis aut originis earum, ut patet, tum ex ipſarum nominibus, tum ex mente Scoti, ergo. Major conſtat, quia cauſa efficiens eſt extrinſeca rei, & non mutat naturam ejus, ut patet in calore, qui ejusdem naturæ eſt, ſive à ſole ſive ab igne producatur. Reſpondeo huic facilè, non ſufficere diverſitatem cauſarum, ſed bene diverſitatem cauſalitatum, ſive, ut aſſumptum fuit in argumento, diverſitatem originum, hoc eſt diverſum modum accipiendi eſſe aut exiſtentiam. Hoc autem convenit his relationibus, & inde nos illas diſtinguimus.

Inſtari tamen poteſt nec hoc ipſum ſufficere, idem enim effectus non ſolùm ab aliis aliisque cauſis, ſed alio, & alio modo produci poteſt, & adhuc manere in ſua ſpecie, quod contingit in generatione univoca & æquivoca ejusdem, nam Adam erat ſine dubio ejusdem ſpeciei nobiscum, & tamen non eodem modo productus eſt, ſed æquivocè, quod etiam ex parte contigit in generatione Chriſti *Domini*, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, haud dubiè aliter agente, atqui ageret pater creatus, ergo.

Itaque credo nec etiam modum diverſum ſufficere, quando terminus producendus indifferens eſt ad diverſos modos: quando autem terminus aliquis determinat ſibi certum modum originis, ut non poſſit aliter fieri, tum dicendum eſt eum neceſſario diſtingui ab omni eo qui non poteſt, aut non poſtulat illo modo produci. Cujus rei illuſtre exemplum eſt in divinis perſonis, hæ enim ejusdem eſſentiæ ſunt, & tamen diſtinguuntur ſpecie (ut ſic dicam) perſonali, non aliunde, niſi quia aliter & aliter procedunt, una quomodo nata, altera quomodo data: Ita in propoſito, nam relationes primi generis determinant ſibi unum modum, ut non poſſint alio produci; & è contra relationes alterius generis determinant ſibi ſecundum modum ut non poſſint alio produci, *&c.* contra Relationes alterius generis determinant ſibi ſecundum modum ut non poſſint primo illo produci.

(b) Petrus Hurt. *diſp.* 15. *Met. ſect.* 10.

3. Objiciunt Recentiores (b) Multæ relationes extrinſecùs advenientes oriuntur neceſſariò poſitis actu extremis, ergo (inquiunt) malè deſcribuntur à Scoto extrinſecùs advenientes, vel certè intrinſecùs advenientes erunt extrinſecùs advenientes. Antecedens probant actione, quâ ſol illuminat ſuam materiam aut cœlos, vel etiam aërem noſtrum, quæ omnino neceſſaria eſt, nec aliud petit quàm exiſtentiam extremorum ut patet, & tamen hæc apud Scotum incidit in claſſem extrinſecùs advenientium.

Reſpondeo multa peccari ab hoc arguente; primò enim, quis intelligat ſolem illuminare ſuam materiam, nunquid materia illuminat ſe ipſam? Deinde quæro ex ipſo, an ſufficiat extare ſolem & cœlos ut ſol illuminet eos? ſi non ſufficiat, pugnat argumentum ejus pro nobis. Quòd autem non ſufficiat oſtendo, nam ſi cœli projicerentur ad vaſtam diſtantiam à ſole in ſpacio imaginario, vel etiam ſi interponerentur corpora opaca inter ipſum & cœlus, tum certè non illuminaret eos, ſicut nec modo illuminat viſcera terræ aut aërem in iis exiſtentem. Denique (ut notavit etiam quidam ex ſuis) iſte non videtur intellexiſſe opinionem noſtram; nos enim ponimus relationes illas intrinſecùs advenire, quæ poſitis extremis non poſſunt impediri de ullius potentia, certum eſt autem, quòd actio quæcumque ſolis in cœlos & aërem poſſit impediri, adeòque hæc ratio quidlibet potiùs verberat, quàm concluſionem. Melius.

4. Objicit alter ſic: Quum Scotus dicit relationem intrinſecùs venientem conſurgere poſitis extremis ſcilicet fundamento & termino, vel loquitur de fundamento & termino proximis, vel de fundamento & termino remotis. Si ſecundum, tum omnes relationes erant extrinſecùs advenientes, etiam ſimilitudo, quia ſicut poteſt eſſe hic ſol & aër ſine eo, quòd ille hunc illuminet, niſi applicentur, ita poteſt eſſe hic & ille paries abſque eo, quòd ſint ſimiles, ſi ſcilicet non habeant qualitatem, verbi gratiâ albedinem in qua aſſimilentur, atque ita ſimilitudo conſurgit poſitis fundamento & termino remotis. Unde ſi hoc ſit extrinſecùs advenire, etiam ſimilitudo dicenda eſt extrinſecùs adveniens, ſi autem ſermo ſit de fundamento & termino proximis, tum etiam relationes extrinſecùs advenientes intrinſecùs advenient, quia nihilominus nulla relatio tam extrinſeca eſt, quæ non reſultet poſitis extremis proximis, verbi gratiâ actio, licèt non reſultet poſitis extremis ſcilicet agente & paſſo in eſſe, reſultat tamen ipſis approximatis. Item unio licèt non reſultet poſitis abſolutis extremorum, reſultat tamen poſitâ actione unitivâ quæ eſt ratio fundandi. Reſpondeo nihilominus hîc intelligi debere fundamentum proximum. Et ad rationem contra hoc addductam dico relationes, quas vocamus extrinſecas, non reſultare ne quidem poſitis fundamento & termino proximis: falſum eſt ergo quòd relatio actionis reſultet poſitâ approximatione, nam ſaltèm voluntas poteſt non agere, licèt millies approximetur objecto, & in aliis agentibus naturalibus, licèt debeat connaturaliter loquendo ſequi actio, tamen non debet abſolutè ſequi, poteſt enim impediri; at verò relatio intrinſecus adveniens non poteſt pronus impediri.

Quòd verò in aliis prædicamentis, puta actione & paſſione, ita ſe res habeat, patet ad hominem, quia ſupponit arguens approximationem eſſe rationem fundandi ipſas, & tamen non reſultant poſitâ approximatione, eò quòd poſſint res applicari, & non agere aut pati. De *ubi* etiam eſt certum, quia licèt hîc detur approximatio, tamen non poteſt aſſignari approximatio præcedens ubi, ſed ipſum ubi eſt approximatio, atque ita reſpectu ubi approximatio non eſt fundamentum proximum, quo poſito conſurgat; aliud tamen non poteſt aſſignari, quod etiam in ultimo prædicamento eſt evidens, nam habitus non reſultat, quantumvis intimè applicetur veſtis corpori, imò ne quidem ſi penetretur. Quòd autem habeatur ex determinata ſeu tali applicatione, non eſt mirum; nec juvat adverſarios, quia dici poteſt ipſa illa talis determinata applicatio eſſe *habitum* ſicut ſuprà dictum eſt talem determinatam corporis & loci eſſe *ubi*.

Præterea non poteſt eadē eſſe ratio fundandi rela-

relationes genere diverſas; ſex poſteriora illa differunt genere, ergo non poteſt eadem eſſe ratio fundandi eas, adeòque non approximatio, atque ita falsò intulit arguens, quòd conſurgant poſitâ ratione fundandi, quia conſurgunt poſitâ approximatione. Confirmatur, quia relationes tertii prædicamenti quæ ſunt omnes unius generis, habent diverſas rationes fundandi, ergo non poſſunt alia genera convenire in una ratione fundandi. Deinde ſaltèm relationes tertii prædicamenti differunt in ratione fundandi ab aliis relationibus, & tamen aliquæ ex ipſis habent pro ratione aut conditione approximationem ut patet.

5. Objici acriùs poteſt, quòd relatio producentis ad productum eſt apud nos intrinſecùs adveniens, & tamen non ſurgit ſtatim poſitis extremis, poſſunt enim extrema ejus eſſe ſine ejuſmodi relatione, poſſet enim Petrus & Paulus eſſe abſque eo, quòd Petrus eſſet pater Pauli. Idem eſt de propinquitate & diſtantia quæ etiam cenſentur relationes tertii prædicamenti, nec tamen ſufficit ad ipſas entitas extremorum: alioquin ſemper eſſent diſtantes aut ſemper propinquæ. Confirmatur: Si enim *ubi* ſecundùm nos eſt relatio extrinſecùs veniens, eò quòd ad ipſum debeat præcedere actio, cur diſtantia aut propinquitas, cur paternitas & filiatio non ſunt extrinſecùs advenientes, quum ad ipſas requiratur æquè indiſpenſabiliter actio? Reſpondeo primò hoc argumentum non impugnare directè hanc concluſionem, ſed aliam quæ aſſignat relationes ponendas ſub hoc aut illo genere, ſive eam quæ reſolvit quænam ſint intrinſecùs quæ extrinſecùs advenientes: imò probat dari extrinſecùs advenientes, qui eſt articulus principaliter inter nos controverſus, nam ſi paternitas & propinquitas ſint relationes extrinſecùs advenientes, utique dantur tales.

Reſpondeo ſecundò, & do diſparitatem ſive cauſam, cur paternitas non ſit extrinſecùs adveniens licèt ad eam requiratur actio? Eſt autem hæc, quia nimirum aliter ſupponitur actio ad paternitatem & aliter ad *ubi*; ad paternitatem ut conditio tantùm aut quid ſimile; ad *ubi* ut effectio. At verò relatio extrinſecùs adveniens eſt illa ad quam actio concurrit non quomodocumque, ſed ut cauſa aut effectus.

6. Habeo tamen adhuc, quod opponam: primò de tertio modo relationum, ſcilicet menſurabilis ad menſuram, ubi dicendum potiùs foret menſura & menſuratum, nam menſurabilis ad menſuram relatio tranſcendentalis eſt, non prædicamentalis, quum poſſit eſſe ad non exiſtens. Relatio menſuræ in actu ſecundo neceſſariò exigit applicationem, nec ſufficit exiſtentia duorum, & tamen illa relatio cenſetur etiam à nobis intrinſecùs adveniens, ergo.

Alterum eſt de dominio & ſervitute, quæ cenſentur relationes intrinſecùs advenientes, & tamen requirunt aliquid ultra exiſtentiam extremorum, clarum eſt enim potuiſſe illos duos, quorum alter eſt dominus alter ſervus exiſtere abſque eò quòd ullus eſſet ulterius dominus aut ſervus, ergo jam non ſatis diſtinguitur relatio intrinſecùs adveniens ab extrinſecùs adveniente, per hoc quòd intrinſecùs adveniens nihil requirat præter extrema ad ſui reſultantiam. Hæc difficultas videtur eſſe eadem cum alia, quam ſuprà movi de paternitate, ſed urgeri aliter poteſt ſic: Relatio ſervitutis cenſetur eſſe de ſecundo modo, & fundari ſuper actionem & paſſionem; at verò, quæ fundatur ſuper actionem manent etiam poſtquam illa præteriit, atque ita non poſſunt deſinere, quia nimirum quum non requirant in fundamento ſuo ſeu ratione fundandi niſi quòd fuerit, & hoc quod eſt fuiſſe actionem ſit indelebile, ſequitur relationes eſſe indeſtruibiles; quod videmus experimento quodam contingere in paternitate, quæ quia fundatur in actione præterita, ſemper manet & indelebilis eſt. Id autem falſum eſt in ſervitute; ſæpe enim deſinit, etiam in oppoſitam relationem, ut ſcilicet, qui fuit ſervus fiat dominus ejus cui ſervivit.

7. Ad primum reſpondeo nolle Peripateticos illam explicationem tertii modi relativorum; ſed immeritò, ni fallor, nam, ut in argumento dictum eſt, ſi alteram illam explicationem admittant, menſura & menſurabile incidunt in relationes tranſcendentales; vel, quod ineptius fortè erit, debebunt admitti relatio prædicamentalis & tranſcendentalis in eodem ad idem. Si enim detur relatio tertii modi in ſcientia ad ſcibile, cùm certiſſimè referatur tranſcendentaliter ad ipſum, jam bis referetur & duplici relatione ad idem. Itaque cenſerem expungendum eſſe hoc tertium genus ex toto indice relationum niſi obviaret Doctor (c) ſed enim hic ſecutus eſt Ariſtotelem.

(c) 1. d. 35. n. 9. & alibi.

Ad ſecundum dico non eſſe mirum, quòd relatio ſervitutis deſinat ſi inducta ſit ut deſitura; id eſt, quæ non ſit perpetua, ſed ad certum tempus; ut ſi actio quâ convenerunt inter ſe partes fuerit pro determinato tempore, puta pro ſeptennio, tunc enim nihil mirandum ſi manumittatur ſervus, ſeu expiret ejus ſervitus, quia non fuit fundata à principio niſi eò uſque. At inquies: Ad ſervitutem ſufficit actionem fuiſſe, hoc autem nunquam deſinit, ſed ſemper eſt verum, ergo ſemper manet fundamentum ſervitutis, atque adeò ipſa. Reſpondeo diſtinguendo aſſumptum: Ad ſervitutem pro ſemper ſufficit actionem fuiſſe pro ſemper concedo, ad ſervitutem pro ſemper ſufficit actionem quomodocumque aut pro aliquando fuiſſe nego.

8. Inſto tamen, & ſic arguo. Ad paternitatem ſufficit fuiſſe actionem aliquando, & quidem ſemel pro ſemper, ergo & ad ſervitutem, quam paritatem probo, quia ſi deſinat filius, & iterum incipiat eſſe, puta, ſi moriatur & reſurgat, retinebit relationem ad patrem qui eum olim genuit, quamvis hoc ſecundum eſſe ab eo non accepit, ergo ſimiliter quantùmvis elapſo illo ſeptennio homo non ſit ſub poteſtate alterius, tamen ſemper retinebit denominationem ſervi. Antecedens autem ſuprà poſitum patet, tum in communi omnium etiam Philoſophorum uſu & ſenſu, ſic enim ſentiunt & loquuntur: Tum etiam ex creditis noſtrâ fide; Nam Chriſtus Dominus dicitur hodie filius MARIÆ Virginis, & tamen eſſe quod hodie habet non accepit à Maria Virgine per generationem (perdidit enim illud in morte) ſed à Deo per reſurrectionem. Reſpondeo primò: Concedo paritatem & dico ſervum etiam emancipatum multorum uſu dici adhuc ſervum, licèt jam non ſerviat, ſicut in Evangelio Matthæi

dicitur Simon lèproſus etiam, poſtquam fuerat mundatus à lepra.

Sed contra hoc facit, quod tum dici poſſit idem ſervus & dominus ejusdem; demus enim ſervum emancipatum aſcendiſſe eum gradum in republica, ut qui olim fuerat ei dominus jam debeat ſervire; eo caſu dicetur dominus & ſervus ejusdem; dominus, quia jam dominatur, ſervus, quia aliquando ſervivit, quod ſufficit ſecundùm te, ergo. Reſpondeo nullum hîc abſurdum incurri quod non redit de paternitate & filiatione; ſi enim demus patrem alicujus mori, & filium inter ſibi natos generare illum, quod non videtur impoſſibile, tunc ſecundùm omnes admitti debent in eodem oppoſito correlationes patris & filii quæ ſunt oppoſitæ non minùs, ſed plurimæ magis quàm ſint illæ domini & ſervi. Itaque ad utrumque exiſtimo idem dicendum eſſe, has correlationes non eſſe oppoſitas, niſi uniformiter ſumantur hinc inde, ut ſcilicet ſi una ſignificet ſtatum correlativi præſentem, etiam altera cùm ſignificet, & ſimiliter ſi una præteritum; non autem quòd una ſignificet ſtatum præteritum, & altera præſentem, ex quo patet non eſſe repugnantiam in caſu illo domini & ſervi, quæ etiam naturaliter & ordinariè contingit, neque in caſu patris & filii, quia ſaltèm ſupernaturaliter & extraordinariè poteſt evenire, & fortaſſis naturaliter, imò neſcio, an non naturaliter & de facto eveniat in aliis agentibus; quis enim ſciat, ſi unus ignis non gignat inter alios eum, à quo jam antè genitus eſt? certè in ſententia tenente quòd poſſit infinitos producere videtur hoc involvi, quia nimirum inter infinitos ignes involvitur ille à quo hic genitus eſt. In homine eſt major difficultas propter animæ remanentiam quæ non poteſt ab ullo iterum produci, nec fortaſſis uniri eidem aut alteri materiæ ſaltèm naturaliter.

9. Poſſumus etiam negare paritatem fundati in meliori & magis communi acceptione ſervi, qui non ſolet dici, niſi de actu ſervientibus. Atque ita erit diſparitas inter denominationem ſervi & patris talis, qualis eſt inter prædicata ſecundi adjacentis, & illa tertii, ſive inter prædicata eſſentialia & accidentalia. Hæc enim, homo eſt animal, ſemper eſt vera, quia non requirit actualem exiſtentiam ſubjecti, iſta verò, homo currit, non ſemper, quia requirit actualem exiſtentiam prædicati & ſubjecti, ita hîc.

ACTIO II.

Vtrum ſex poſteriora prædicamenta ſint Relationes extrinſecùs advenientes, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Varietas authorum in hac materia.*

2. *Concluſio Scotiſtica affirmat ſex ultima genera eſſe relationes, probatur efficaciter & ſæpe.*

3. *Probatur adhuc ſecundò principaliter: Quænam oppoſitio cenſenda ſit relativa?*

4. *Tertia ratio principalis pro concluſione.*

5. *Oſtendo has non eſſe denominationes extrinſecas.*

6. *Quòd iſta non ſint formæ abſolutæ ſimpliciter, oſtenditur.*

7. *Prima objectio expedita. Iſta genera non ſolùm ſunt* in *alio, ſed* ad *aliquid.*

8. 9. *Secunda: adduntur huic alia. Quomodo aliquid movet ſe?*

10. 11. *Solvuntur ordinatè. An ſcientia cenſeri poſſit relatio? ſuit* quando *ſive tempore.*

12. *An debeant his prædicamentis aſſignari correlativa?*

1. DUo continet & quærit titulus: unum, an hæc ſint relationes? alterum, cujus generis ſint intrinſecùs an extrinſecùs advenientes? Qui prius illud negant, ſine dubio diſcordant à nobis in ſecundo; negant autem Thomiſtæ & Recentes paſſim volentes ea eſſe aut denominationes extrinſecas ut *Soncin.* aut formas ſimpliciter abſolutas ut *Complut.* & nuperrimè *Meriſan.* noſtras hic *diſp.* 5 *quæſt. un.* & alii, qui tamen ut plurimum volunt eas eſſe relativas ſaltèm ſecundùm dici. Nec deſunt, qui dicant ea eſſe utriusque generis, partim abſoluta, partim reſpectiva, de quibus videndi Capr. & recenter Rub.

Vid. Gilbert. *lib. de ſex princ.* Lovan *hic* Ven. 5. *Met.*

2. Dicendum tamen cum Doct. in primis hæc omnia eſſe relationes propriè & perfectè. Ita ille plùs ſemel 3. *d. & q.* 1. *& in* 4. *d.* 13. *q.* 1. & alibi ſequentibus Scotiſtis ſine exceptione & numero hucuſque, quamvis aliqui jam incipiant reſilire ab eo quòd iſta omnia ſint relationes reales, ſed id non cadit in præſentem controverſiam.

Mayron. *paſſim* 8. Card. Sarnan. *in formal.*

Probo reſolutionem, quia hæc non ſolùm habent totum eſſe ad aliud, ſed in abſtracto ſumpta, ſunt puræ, ut ſic dicam ad aleitates, ſive actuales referentiæ unius ad alterum; quid autem eſt relatio, niſi hoc ſit? ergo. Aſſumptum patet in primo prædicamento horum quod eſt Actio, hæc enim eſſentialiter eſt alicujus actio non minùs quàm pater alicujus pater, & tam implicat eſſe actionem aut agens, niſi aliquid agatur quàm aliquem eſſe patrem qui nullius filii ſit pater. Confirmo efficaciter quod dico; Eſſe producentem eſt eſſe relativum ſecundùm Peripateticos univerſaliter ſicut etiam eſſe productum, hæ enim ſunt relationes ſecundi modi apud ipſos, ergo eſſe agentem; dent enim diſparitatem ſi habent, certè nondum apparuit apud ipſos, quod viderim hactenus: ego autem confirmo hanc confirmationem, iterum ex doctrina Ariſt. quam hi homines profitentur, nam conceptus productivi & producibiles quæ ſunt de futuro, & aliæ de præterito ſunt verè relativi & in abſtracto ſumpti ſunt relationes tranſcendentales.

Ponc. *diſp.* 7. *log. q.* 1. Maſtr. *&* Bellut. *d.* 5. *log. q.* 11. Guliel Camer. 19 *ſelect. qq. q.* 16. *&c.* Aretin. 1. *phyſ. ad q.* 12. Scot.

Im ò

Imo aliquæ ſunt etiam prædicamentales, ut apparet in tertio modo, ubi Philoſophus repoſuit ſenſibile & ſcibile, ergo & conceptus agentis de præſenti, quæ conſequentia non ſolùm eſt à paritate ſed à majori & fortiori, utique enim res in actu ſecundò perfectius eſſe habent quàm in actu primo; & ſcientia actualis perfectior eſt ac dignior eo nomine quàm habitualis, ſicut etiam in moralibus exercitia virtutum majus bonum ſunt quàm inclinationes aut facilitates ad ipſas. Proſequor jam illud de relatione tranſcendentali, quia etſi differant relatio tranſcendentalis & prædicamentalis, non tamen in ratione relationis ſed in alio, in hoc autem conveniunt ſecundum Adverſarios ſaltèm communiter.

3. Probo iterum intentum. Inter hæc omnia datur oppoſitio relativa, ergo ipſa ſunt ſingula relativa. Patet ſequela, & probatur antecedens, quia actio & paſſio, v. g. generatio activa & paſſiva opponuntur ut non poſſint coincidere in idem, ſicut nec etiam generatio & corruptio, atque item nec creatio & creatum eſſe, ſimile eſt de locare & locari quæ ſpectant ad prædicamentum ubi; item de veſtire & veſtiri quæ ſpectant ad ultimum illud habere.

Dici poteſt hic peti principium ſaltèm æquivalenter, vel nihil dici, nam, ut hæc haberent oppoſitionem relativam deberent eſſe relationes, adeòque aſſerere hoc eſt uti principio & aſſumere quod probandum erat. Reſpondeo tamen non eſſe petitionem principii, ſed videri propter additam oppoſitioni ly *relativam*; eſt autem conſequentia ſimilis iſti B. eſt riſibile ergo rationale, quæ videretur petitio principii ſi formaretur in hunc modum B. habet paſſionem humanam ergo eſt homo.

Dici ſecundò poteſt incompatibilitatem horum oriri ex oppoſitione contraria non relativa, adeòque non bene inferri ex illorum oppoſitione, quod ſint relationes. Antecedens ſuprà à nobis traditum eſt. Reſpondeo quod ſuprà dixi ibi probavi, neque hic nego, poteſt enim utraque oppoſitio inter eadem verſari. Quod autem aliqua ſaltèm incompatibilitas horum oriatur ex relativa oppoſitione oſtendo in primis philoſophicè, tum theologicè. Primum ſic, quia contrariè oppoſita etiam in ſummo poſſunt ſibi conciliari, non poſſunt autem iſta, ergo iſtorum oppoſitio non eſt ſolùm contraria. Patet major, quia calor etiam intenſus poteſt abſolutè loquendo compati cum frigore: Minor etiã quia non poteſt eadem res eſſe agens & acta. Idem ſecundò probatur, quia perſonæ divinæ opponuntur incompatibiliter, opponuntur autem relativè & quidem oppoſitione horum prædicamentorum, intellige ex genere ſuo (nam prædicamenta propriè in Deo non ſunt) ergo hæc habent aliquam incompatibilitatem ex oppoſitione relativa, quod fuit probandum. Major & minor probatur ſic, quia pater opponitur filio propter generationem activam quàm clarum eſt eſſe actionem; uterque Spiritui Sancto propter ſpirationem quæ ſimiliter eſt actio, quod ita verum eſt ut nulla diſtinctio foret in divinis niſi occurreret hujuſmodi relationis oppoſitio, atque adeò jam ex actione & paſſione præciſè oritur relationis oppoſitio.

4. Probo aliter, quia ex deſtructione abſoluti extremi deſtruuntur ſingula ex iſtis quod eſt ſignum infallibile hæc eſſe relationes aliter enim non deſtruerentur deſtructo altero ex illis niſi ipſa conſiſterent in illis aut in altero eorum, ſed hæc prædicamenta deſtruuntur deſtructio altero ex illis, & non conſiſtunt nec in altero nec in utroque v. g. *ubi* deſtruitur deſtructo aut corpore aut loco, & tamen non conſiſtit aut in corpore aut in loco cum poſſint utrumque eſſe in rerum natura ſine eo quod eſſet *ubi*.

5. Improbo jam poſitionem adverſarii; & oſtendo, quod hæc neque in denominatione extrinſecè conſiſtant neque in modo abſoluto, quod quidem videor hâc ratione conficere: nam ſi dicatur actio v. g. & ubi conſiſtere aut in denominatione aut in abſoluto, licebit etiam mihi dicere quod ſimilitudo & paternitas conſiſtit ſimiliter aut in denominatione, aut in modo, quidni enim?

Arguo etiam ſpecialiter contra denominationes extrinſecas ſic: Juxta doctrinam Ariſt. ſcibile denominatur extrinſecè à ſcientia, *eò quod aliud ad ipſum*, & tamen hoc non conſtituit prædicamentum de mente Ariſt. quia ſi aliquod maximè relativum (tale enim erit prædicamentum qualis denominatio ſine dubio) quod autem illa denominatio non ſit in prædicamento relativo, probo, quoniam non eſt in prædicamento relationis intrinſecùs venientis, alioquin eſſet correlatio prioris relationis. Non etiam in prædicamento relationis extrinſecùs advenientis alioquin datur tale prædicamentum, & ita vicimus adverſarios ad hominem.

Denique pleraque ex his ſunt termini actionis realis, denominatio extrinſeca non, quia nec ipſa eſt realis, ergo. Major patet, quia ubi producitur & adquiritur actione reale, ſimiliter *ſitus* & *habere*.

6 Quod verò non poſſint hæc poni eſſe formæ abſolutæ, inde patet quia ſi eſſent qualitates, at verò qualitas non facit nobis poſteriora prædicamenta, ſed propriũ quod eſt quartum. Confirmo hanc rationem contra dicentes quod ſit forma abſoluta cum reſpectu aliquo ſecundùm dici aut ſimili, quia ſi hujuſmodi formæ facerent poſtrema prædicamenta, tum priora prædicamenta manifeſtè eſſent poſteriora. manifeſtè enim quædam ex illis habent hujuſmodi reſpectus ſecundùm dici, nam albedo eſt albi albedo, & ut inquit ipſe Ariſt. ala eſt alati ala, & temo temonati temo.

Standum ergo eſt reſolutioni Doctoris, quod omnia propriæ relationes ſint, ſed alterius rationis ab illis tertii prædicamenti *ad aliquid* quam diverſitantem ſignificanter expreſſit Scotus his vocibus *extrinſecùs advenientes*, quia nimirum opus eſt ad eorum reſultantiam extrinſeco aliquo, nec ſufficiunt ea quæ propria & quaſi intrinſeca ſunt relationi *ad aliquid* ſcilicet fundamentum & terminus. Atque ita hæ erunt relationes quidem & ad aliquid ſed non in omni rigore quo illæ tertii prædicamenti Quam doctrinam habet etiam Porreranus *lib. ſex princ. cap.* 1. dicens. *Ea vero quæ intrinſecùs contingunt aut actus aut pati, aut diſpoſitio aut eſſe alicubi aut mora, aut habere neceſſario erunt* ubi vides enumerari ab eo omnia ſex ſub nomine extrinſecus advenientium: quod etiam ante eum docuit Boët. *libro de Trinitate* dicens tria eſſe prædicamenta abſoluta, & ſeptem relativa, ac proinde Doctorem in hoc ſequuti ſunt primò Lovanienſ. hic tum etiam Venetus 5. *Met. cap.* 36. & ex Thomiſtis Capr. defendit hæc

Digitized by Google

prædicamenta ſimpliciter eſſe relationes, contra quod

7. Objiciunt aliqui: Propria ratio relationis eſt eſſe *ad*, horum autem non, ſed eſſe *in*. Proprium enim *ubi* eſt reddere rem *in* loco, & proprius eff. ctus *quando* eſt facere rem *in* tempore exiſtentem, & ſic de aliis, ergo. Reſpondeo non eſſe ſic de aliis, nam actio aut productio non facit rem *in* præcisè ſed *ad* ut patet in actione generativa & ſpirativa in Deo quæ ſunt *ad* alia & proinde diſtinguunt atq; etiam conſtituunt perſonas illas. Sed neque ita eſt in ipſis enumeratis. Imò hoc probat ipſa ratio adducta in oppoſitum, ſi enim *ubi* facit rem eſſe in loco jam ordinat rem ad locum, utique enim res locata reſpicit locum in quo eſt non reſpicit autem niſi per locationem, adeòque. Quod ſi hoc ita ſe habet in corpore locato, utique etiam idipſum erit in loco ipſo locante, utique enim locus reſpiciet id quod locat, reſpicit autem ipſum per *ubi* adeoque: idem eſt de *quando*, ergo.

8. Poſſunt etiam objici nobis, & retorqueri rationes noſtræ ſuprà *num.* . . & *n.* factæ: Nam ſi hæc forent relativa, opponerentur invicem & excluderent ſe ſubjecto quod non faciunt, idem enim poteſt eſſe agens & patiens, non ſolùm intentionaliter ut in cognitione, ſed phyſicè & realiter ut patet inſtantia ſupra adducta de animali movente ſe, quòd facit non ſolùm motu lationis, ſed accretionis, & diminutionis, nutritionis. Deinde ſi valent ibi dicta, ſcientia etiam deberet cenſeri relatio ſaltèm extrinſecùs adveniens, quia non poteſt concipi niſi ad aliud.

9. Addo hæc duo: unum eſt contra ſitum, qui non poteſt eſſe relatio, cùm ſit ad ſe; videtur enim error concipientium ſitum in ordine ad locum, cum ſitus ſit inter ipſas partes animalis, dicitur enim quis pronus, quia habet tergum ſuperpoſitũ aut imminens pectori, & ècontra ſupinus, quia habet pectus & ventrem ſuperiora tergo. Deinde duratio quæ facit nobis prædicamentum *quando* poteſt eſſe ſine tempore ad quod relativè eſt ſecundùm nos, nulla autem relatio poteſt eſſe ſine termino ad quem, denique relationes paſſim ſunt mutuæ, iſta non vel ſi ſint ſequitur ineptè factum quod non habuerint prædicamenta correlativa. Explico argumentum: Actio eſt prædicamentum relativum, cujus correlativum eſt paſſio ſecundùm nos; ſi ubi etiam ſit cur non eſt factum prædicamentum ei correlativum? cur non quando?

10. His reſpondeo utique dari oppoſitionem inter correlativa: nam, licèt idem ſit movens & motum, realiter ſicut etiam idem eſt album & ſimile, tamen non eſt idem motus ſive actio & res acta ſeu producta, ſicut nec eſt idem ſimilitudo & albedo. Ipſa ergo correlatio indiſpenſabiliter exigit diſtinctionem realem relatorum, adeòque aliquam oppoſitionem.

Ad illud de ſcientiâ reſpondeo ſcientiam eſſe ad aliud tanquam relatum, non tanquam relationem, hæc verò ſcilicet actio, *&c.* ſunt non tantùm ad aliud, ut relativa, ſed etiam ut relationes, & quædam adaleitates.

11. Et quidem in re credo ita eſſe, tamen poteſt vis fieri in voce ſaltèm, ut ſcientia ſit etiam quædam referentia & adaleitas, cur enim ſcientia non, & inhærentia ſic? ſed hoc facilè referri poteſt in naturas iſtorum, quas aliunde colligimus, quod ſufficit dixiſſe.

Ad illud de ſitu reſpondeo: Etſi demus totum, quod contendit argumento adhuc ſitum eſſe relationem quia nimirum eſt ſaltèm inter ipſas partes animalis, quæ quum ſint reales, & realiter diſtinctæ bene poſſunt fundare reſpectum. Illud de duratione ſimiliter recurrit contra ubi, nam & jam hoc aliquando poteſt eſſe ſine ſpacio reali loci, ſicut ergo ſuprà dixi poſſe eſſe relationem ad ſpatium non reale ſed imaginarium loci, ita conſequenter dicturus ſum utique quod poſſit eſſe relatio *quando* ad ſpacium non reale temporis, & omnino contingeret ſi ceſſarent motus, nam tum permanentia omnia eſſent & durarent abſque tempore quia tempus non eſſet, quum non eſſet motus niſi imaginariè, & tũ tamen res poſſent durare non ſolùm inſtantibus ſed annis, & facilè credo tale quid eveniſſe in mundi principio, quando creavit Deus cœlum & terram, nam nec terra movebatur, cùm fuerit in centro nec cœlum, quia motus ejus eſt propter aſtra, tum autem non habuit aſtra, maximè illa principalia propter quæ circumferenda movetur, & quæ *ſunt* in tempora & dies & annos, ut loquitur ſcriptura, ſcilicet ſolem & lunam. Itaque in veſpere primæ diei mundi fuit quando & non fuit tempus: imo dici poteſt quod biduo ita fuerit, nam primo biduo licèt fuerit viciſſitudo lucis & umbrarum, tamen interim nullum corpus eſt motum, ſed ſola lux ut ſuprà vidimus ex D. Baſilio. Motus autem localis, qui maximè facit tempus ſit per motum corporis, non autem per motum ſolius qualitatis, ſicut inquit Philoſophus *phyſic.* quod locus in quo eſſet ſonus & odor duntaxat eſſet vacuus.

12. Vltimum illud de reciprocatione relationum probat, quod veriſſimum eſt, prædicamenta potuiſſe, & quidem cum fundamento, aliter diſponi, ut ſcilicet aut deleretur de numero prædicamentorum Paſſio, aut adhiberentur alia quatuor correlativa reliquis prædicamentis. Sed fortaſſis, qui poſuit paſſionem, voluit rem ita intelligi & proinde exemplum in uno poſuit, reliqua autem prædicamenta correlativa omiſit viſitandi tædii causâ, quum omnia intelligi poſſint ex uno.

Sunt quidem aliquæ objectiones contra ſecundem partem concluſionis, quæ ſcilicet probant hæc prædicamenta etſi ſint relationes, tamen non omnia poſſe eſſe extrinſecùs advenientes; ſed illa opportunius adferentur & ſolventur in actionibus propriis ſingulorum.

Plura de his

Ariſt. *in prædic. c.* 8. *&* 9. Aug. *in Categ. c.* 8. 13. 14. Boët. *de Trinit.* S. Thom. *opuſc.* 43. 3. *phyſ. lect.* 5. *p* 9 *&* 5. *Met. lect.* 5. *par.* 3 Durand. 3. *d.* 5. *q.* 2. Gabr. E. 16. *diſt. & q.* 1. Doctor Lovanienſ. *in expoſ. prædicam. ad aliquid* Ock 1. *d.* 30. *q.* 2. Mayron. *part.* 49. *cap.* 2. *d* 2. *q. & art.* 1. Paul. Venet. 5. *Met. c.* 36. Cajet. *in prædic.* Hær. *quodl.* 7. *q.* 14. Soncin. 5. *Metaph. q.* 39. Soto *in prædic. cap. de ad aliquid. &* 5. *phyſic. q. & art.* 2. Jandl. 5. *Met. q.* 23. Arauſ. *ibid. quæſt.* 7. *art.* 1. Franciſc. Suar. *diſp.* 48. *Met. ſect.* Maſius *in prædic. cap.* 9. Card. Sarnan. *in direct. Theolog. pag.* 400. Vallo *in formalit. fol.* 41. 42. 43. *&* 44. Anton. Syrect. *apud ipſum ibid.* Franciſc. de Piag. 1. *phyſic. in com. q.* 12. Scot. Camerar. 1. *parte philoſoph. q.* 10. Gonzal. 1. *p. q.* 10. Ponc. *diſp.* 27.

log.

log. q. 1. Raphaël Averſa *quaſt.* 21. *log. & ſeq.* Nig. *clyp. q.* 61. Fonſeca 5. *Met. cap.* 15. *q.* 7 Complut. *diſp.* 15. *log. q.* 1. *& ſeq.* Franc. Gonzal. 2. *p. log.* *Real. q.* 7. Maſtr. & Bell. *q.* 12. *log. artic.* 1. Moril. *diſp.* 9. *q. unic.* Joann. à S. Thoma *q.* 19. *art.* 1. Barr. Amicus *tract.* 27. *logic. q.* 1. Hurtado *diſp.* 16. *Met.* Singlet. *diſp.* 11. *q.* 4. Merin. *diſp. unic. de ſex ult. prædic. q.* 1.

APOLOGIA PENVLTIMA.

De prædicamentis (in particulari) actionis & paſſionis.

ACTIO I.

De prædicamento actionis.

ACTIO II.

An mediet aliquid inter cauſam & effectum, nec ne?

ACTIO III.

De ſubjecto actionis prædicamentalis.

ACTIO IV.

De prædicamento paſsionis.

Scotus quodlib. 13. n. 27.

ALio modo poteſt actio de genere actionis dividi in actionem immanentem & tranſeuntem, ſicut ſuperiùs in inferiora. Nam non ſolùm ad formam inductam per motum in paſſum ab agente eſt actio de genere actionis, ſed etiam ad formam inductam per mutationem in ipſomet agente. Illa enim forma abſoluta, cùm ſit nova eſt terminus alius actionis propriè dictæ per quam accipit eſſe & communiter intelligimus per hoc quod eſt *elicere* quando dicimus quòd potentia elicit operationem & per hoc quod eſt *dicere*, & quando dicimus quod memoria ſive ſuppoſitum per memoriam dicit verbum & per ſpirare.

Idem 4. d. 13. q. 1. n. 10.

DIcatur ergo, quòd actio eſt reſpectus extrinſecùs adveniens & in agente, ut in ſubjecto, in forma autem quæ dicitur potentia activa ut in fundamento proximo. Similiter paſſio dicit reſpectum oppoſitum correſpondentem iſti, & in paſſo, ut in ſubjecto, & in potentia paſſiva ut in fundamento proximo.

ACTIO I.

De prædicamento actionis.

Breviarium.

N. 1. *Communis doctrina Scotiſtarum circa acceptionei actionis de mente Scoti.*

2. *Apertè monſtratur Scotus non ſenſiſſe, quod ſentiunt Scotiſtæ.*

3. *Movetur difficultas contra; ſive ad probandum, quòd actio ſit reſpectus tranſmutantis, non autem producentis.*

4. *Solvitur ſemel & iterum.*

5. *Non eſſe concedendos reſpectus inducentis ad inductum, educentis ad eductum, tranſmutantis ad tranſmutatum.*

6. *Notabile vitium hujus doctrinæ quæ, cùm ſit valde ſuperflua eſt adhuc diminuta*

7. *Objectio ſoluta: duæ relationes admittendæ, ſcilicet illa producentis & inducentis.*

Decepti Scotiſtæ circa mentem Scoti.

1. DEfenſurus Scotum ſententiam ejus eruere debeo, & vera ab apparentibus diſcernere. Scotiſtæ enim veteres atque etiam nonnulli Recentes pleraque nobis vendunt pro Scotiſtis principiis, quæ attentius inſpecta legenti Doctorem probari non poſſunt; ponam ergo hic ipſorum communem traditionem.

Scot. Dicunt ex *D.* 4. *d.* 13. *q.* 1. actionem quintupliciter ſumi, quibus ſi adderent locum ejuſdem *quodl.* 13. *in them* 1 haberent ſex acceptiones, & totidem enumerat *Poncius.*

At quoniam duæ ex his ſunt abſolutæ, hoc eſt, actio accepta duobus modis ex illis non ſignificat reſpectum, ſed quid abſolutum, omittendas duxi illas, & numerandas alias, quæ dicunt ipſos reſpectus. Horum unus eſt qui producto termino reſultat in ipſo ad cauſam, & dicitur producentis ad productum quamvis credam illud *producentis* non ſignificare quod ſonat ſed aliud, quod ſit de præterito potius quàm de præſenti, in quo, ut id obiter notem, dolenda eſt penuria linguæ Latinæ quæ non habet participia præteriti.

Secunda relatio & acceptio actionis eſt, quâ ſignificat reſpectum educentis ad formam eductam; tertiò ſignificat reſpectum inducentis ad inductum: quartò denique reſpectum transmutantis ad transmutatum, & in hoc ultimo volunt Scotiſtæ conſiſtere propriè hoc prædicamentum.

Declarari jam dicta poſſunt exemplis: nam, quando gignitur compoſitum aliquod phyſicum v. g. ignis ex ligno, educitur forma ignis ex materia, atque ita habetur relatio educentis ad eductum, ſcilicet efficientis ad formam, inter quæ etiam eſt relatio inducentis ad inductum.

Præterea etiam idem efficiens reſpicit materiam, & immutat eam inducendo ei formam novam, unde inter illa ponitur intercedere relatio transmutantis ad transmutatum, ut denique inter compoſitum generans & genitum eſt relatio cauſæ & effectus, quæ eſt producentis ad productum, & cenſetur ſpectare ad tertium prædicamentum ac ſecundum modum ejus. Hæc illi fundati in textu D loco citato, ubi negari non poteſt, quin hæc omnia aut quaſi omnia & fortè plus habeat.

2. Sed enim illi, priuſquam intruderent nobis tot nomina & genera relationum quæ doctorem odioſum reddant, attendere debuerunt, num hæc ille omnia ex ſua ſententia, an aliqua ſaltem ex ſuppoſitis aliorum principiis tradat, quod ſe-

Scot. cundum feciſſe *Doctorem* colligo ex eodem *ibid. n.* 9. ubi antequam illam ſeriem relativam numeraret quam hi tantopere venerantur, ait: *Si ergo debet ſalvari illa famoſa diviſio prædicamentorum quia ſecundùm Avicenn.* 3. *Met. cogimur obſervare illam diviſionem famoſam prædicamentorum quâ dicuntur eſſe decem generaliſſima, cogimur, inquam, propter Philoſophorum antiquam authoritatem, cui non debet faciLe contradici, neceſſe eſt dicere,* ubi ſubdit illam multitudinem relationum concurrentium in cujuſque quantumvis exigui generatione, atque ita apparet eum multiplicaſſe relationes, non tam ex ſua, quàm antiquorum mente, ut exactius ſuſtineret eam.

Quod verò ita ſit, & Scotus nequaquam de mente ſua voluerit, quod hi ei imponunt, ſcilicet actionem conſiſtere ſolùm in reſpectu transmutantis ad transmutatum, ſed potiùs in effectione & productione rei, manifeſtè patet in ipſo *lib.* 1. *d.* 3. variis locis, nam *q.* 6. *n.* 35. §. *ad argumenta principalia* ait *intelligendum quod actio propriè ſumpta tres habet proprietates, una eſt quod eſt in continuo fieri, æquè enim dependet in ſecundo & ultimo inſtanti, & in primo, imo in quolibet quantum durat. Secunda proprietas,* &c. *Tertia quod eſt circa aliquem terminum ad quem terminatur, qui accipit eſſe per eam.* Audis Scotum exigere ad actionem ut producat & det eſſe alicui, adeòque cum ſit reſpectus ſecundùm ipſum, ſequitur quod reſpiciat id cui det eſſe, at verò illa transmutantis ad transmutatum, non reſpicit id cui dat eſſe agens, nam transmutatum quum ſit materia non accipit eſſe tunc, ergo Ad hæc ejuſdem *d. q.* 7. *n.* 33. §. *Iſta tamen* ait: *ad agendum requiritur ratio formalis agendi, & ratio agentis: agens eſt ſuppoſitum: ratio agendi eſt forma elicitiva actionis.* Et *q. illa* 6. *n.* 31. repetit quod ſuprà dixit *præterea* (dicens) *actionis eſt aliquis terminus,* quibus probat, quod intellectio non ſit actio propriè de prædicamento actionis, quia nihil producit ſeu nulli rei dat eſſe. Qui diſcurſus ſanè torqueri ſtatim poteſt contra relationem hanc tam commendatam Scotiſtis, quæ eſt transmutantis ad transmutatum, nam hæc nihil producit, quod enim hic fit eſt vel forma vel unio, vel compoſitum, at verò per hunc reſpectum transmutantis nihil horũ producitur; non forma quia hæc fit relatione educentis; non unio, quia hæc fit relatione inducentis, non compoſitum, quia huic ſimiliter correſpondet relatio producti ad producens, & præterea manifeſtum eſt quod per compoſitum nihil transmutetur, quum compoſitum non ſit in ſubjecto, ergo.

Hanc interpretationem meam de mente Scoti, quod ſcilicet actio ſit ei reſpectus transmutantis ſolùm de mente Ariſt. non autem in rei veritate patet expreſsè eſſe ipſius, quodlib. illo in primo them. citato, ubi poſtquam dixit actionem accipi pro productione rei ſubdit. *Iſte intellectus licet ſit verus, non tamẽ eſt de intentione philoſophi.*

3. Vnum contra hoc habeo, & eſt, quod actio eſt reſpectu ejus quod dicitur pati, at verò materia vel ſubjectum in quo recipitur forma eſt quæ dicitur pati, adeòque actio debet eſſe reſpectu ejus: ipſius autem eſt ille reſpectus transmutantis ad transmutatum, ergo actio denique conſiſtit in reſpectu transmutantis ad transmutatum. Minor in qua eſt vis probatur, quia quando ignis calefacit aliquid, v. g aquam, calefactum eſt quod dicitur pati ſcilicet aqua, hæc autem eſt ſubjectum caloris, qui eſt forma producta, adeòque jam verum eſt quod actio eſt reſpectus ad ſubjectum, & ſi ullus ſanè erit reſpectus transmutantis ad transmutatum.

4. Reſpondeo primò non ſemper reſpondere actioni paſſionem, id eſt mutationem, de qua in argumento ut patet in creatione; ſed quia hoc ipſum eſt pars controverſiæ, dico ſecundò non ſolùm materiam, v. g. aquam in propoſito exemplo pati ſed etiam calorem productum, ille enim

enim habet ſuam productionem paſſivam, ſicut agens ſuam activam, de quo infrà ſuo loco latius act. interim

Dicet aliquis, ſaltèm refertur agens ad illud paſſum, nam negari non poteſt, quin hoc patiatur, v. g. aqua patitur, quum calefit, quæ paſſio magis ſenſibilis eſt quando contingit animali, ut ſi homo vehementer ad dolorem uſque calefieret; apertiſſima enim eſſet paſſio hujus: Hinc autem ſequitur quòd detur actio reſpondens ei, nã omni paſſioni reſpondet ſua actio. At verò actio quæ reſpondet ei, eſt illa transmutantis ad transmutatum, ergo denique datur hæc, adeòque immeritò repræhendimus apud Scotiſtas tot actiones ex hoc capite ſaltèm.

Reſpondeo: Non nego agens v. g. ignem in eo caſu agere in ſubjectum, puta in aquam, id enim nimis manifeſtè verum eſt, ſed nego ullam eſſe actionem, quâ non aliquid producatur, atque ita dico non dari ullam formam terminatam ad ſubjectum, quæ ſit propriè dicta actio, ſed jam ingredimur principalem difficultatem.

Ratione impugnantur ſic ſentientes.

5. Dixi doctrinam illam de inductionibus, eductionibus, &c. non eſſe Scotiſticam, dico jam eam non eſſe veram. Moveor primò quia eſt multiplicatio ſine cauſa, & quidem nominum duntaxat: nã relatio educentis eſt ipſa relatio inducentis, ubi fit eductio, v. g quando forma ignis educitur de materia, eodem modo & medio inducitur in ſubjectum neque enim poteſt educi, & non induci, ergo.

Deinde neque inductio neque eductio contingere poſſunt ſine transmutatione, adeòque fruſtra diſtinguuntur aut omnes aut ſingulæ illæ relationes à relatione transmutantis: antecedens probatur, quia non poteſt contingere alterum ipſorum ſine unione formæ ad ſubjectum, at verò per unionem ſeu acceptionem formæ utique mutatur ſubjectum, ergo.

Denique ſuprà oſtendi non dari relationes producentis ad productum, ſive rectiùs, ejus quod produxit, ad id quod productum eſt, quum negavi paternitates & relationes ſecundi modi apud Ariſt. fundatas ſuper actione & paſſione, vel etiam ſuprà potentiam activam & paſſivam, prout voles, atque ita truncata eſt ex magna parte iſta ſeges relationum.

6. Imò quantumvis ſuperflua, videtur diminuta, non enim comprahendit omnem motum, qui in qualibet generatione phyſica concurrit: Quum enim fit homo, dicent mihi, ad quam claſſem ex his referenda ſit productio animæ? certè non eſt relatio educentis ad eductum, quum anima non educatur de potentia materiæ: nec inducentis ad inductum, quia hæc contingere poteſt abſque productione animæ, & de facto fiet in reſurrectione cujusque, propter quod etiam non poteſt eſſe habitudo transmutantis ad transmutatum, transmutatur enim ſubjectum per receptionem formæ quomodocumque hæc, & quandocumque producatur, ſive tum quum inducitur ſubjecto ſive prius.

7. Objici poteſt contra me: Quum abſtulerim ex his quatuor relationibus tres, reliqui ſolùm unam, quæ eſt productio formæ: At verò una illa manifeſtè ſufficere non poteſt, quia poteſt dari productio formæ, ſicut etiam conſervatio ejus abſque eo quòd fiat generatio compoſiti naturalis, ut ſi producatur extra ſubjectum aut conſervetur, ergo velim nolim debeo multiplicare cum ipſis relationes. Reſpondeo: Duplicabo relationes, idque volens amplius non multiplicabo, duas ſcilicet concedam, unam quæ ſit productio formæ, alteram quæ ſit unio ejus ad ſubjectum, nec eſt verum quòd omnes tres abſtuli, ſed ſolùm confudi inductionem cum eductione, neutràm autem abſtuli.

Dici tamen adhuc poteſt, ſi concedam duas, jam dedi actionem, quæ non ſit productio, quia formæ producuntur per unam tantùm: ex altera autem parte non datur hic alia productio terminata ad compoſitum. Reſpondeo negando ſequelam, quia per alteram actionem producitur unio formæ ad ſubjectum.

ACTIO II.

An mediet aliquid inter cauſam & effectum?

Breviarium.

N. 1. *Communis acceptio actionis. Singularis opinio Nominalium.*

2. *Dari actionem, quæ ſit forma diſtincta ab extremis, ſcilicet agente & re acta, probatur.*

3. *Evaſio Nominalium. Refellitur.*

4. *Aliæ duæ probationes concluſionis, an coincidant cum iſta?*

5. 6. *Evaſiones aliquot Nominalium à jam dictis rationibus.*

7. 8. *Aliæ adhuc reſponſiones eorum, ſed irritæ.*

9. *Inſtantia una ſatis valida. An Deus creet accidentia, quæ conſervat ſeparata?*

10. *Ultima reſponſio eorum, multipliciter refutata.*

11. *Objectio pro ipſis. Actio quomodo agatur?*

12. *Deum etiam producere res actione diſtincta, & quando?*

13. 14. 15. *Adferuntur plures probationes hujus.*

16. 17. *Alia probatio theologica concluſionis: Perſonæ divinæ actionibus producuntur.*

18. 19. *Tertia probatio; quarta etiam. An poſſit quæpiam produci habere per formam neceſſariam.*

20. 21. *Objectiones aliquot contra dicta. An Deus producat actionem cauſæ creatæ?*

22. 23. *Inſtatur aliquoties pro objicientibus, & ſolvuntur inſtantiæ.*

24. *Incommoda, quæ ſequuntur adverſarios noſtros in hac cauſa.*

25. *Objectio ultima, ſoluta. An actio media impediat immediationem cauſæ reſpectu effectûs?*

1. INter alios plures conceptus, qui communiter actioni attribuuntur, unus eſt & magis proprius, quòd ſit aliquid medians inter cauſam & effectum, tanquam via quâdam ad terminum, & veluti quidam influxus cauſæ in effectum, cui proinde in effectu reſpondet aliquid tanquam fluxus & nativitas quædam ejus ab cauſa. Qui quum foret antiquus & ſatis communis ut credo conceptus cauſæ & cauſalitatis (effectivæ intellige) tam in ſcholis quam vulgò, Ockam oppoſitum cenſuit, & cum ipſo ſequaces Gab. Aliac. ſcilicet non mediare aliquid inter cauſam & effectum quod ſit quaſi cauſalitas aut effectus hujus, ſed actionem aut productionem unius ab alio non eſſe niſi utrumque illud ſimul ſumptum, ſicut ſuprà dixerunt de relatione tertii prædicamenti, & alibi dicunt de unione, quod non ſit aliud quàm extrema unita.

(a) Ponc. *infra citand.* Quidam etiam (a) Scotiſta nuper ex parte in hanc ſententiam declinavit hoc loco, ubi tria dicit: unum, diſtingui actionem ab extremis: alterum, quòd quando cauſa aliqua producit effectum qui non poſſit ab alia produci, tum non diſtinguatur actio ab effectu: tertium quod quando Deus aliquid producit non ſit opus ullâ omnino actione ſed ſufficit effectus; ex quibus utrumque ultimum exiſtimo falſum eſſe; ſed in primis contra negantes omnem omnino actionem.

2. Dico in efficientia cauſarum ſecundarum intervenire actionem ſive formam aliquam diſtinctam ab agente & effectu. Abſtraho nunc, quando hæc reſultat, utrum antè, an verò ſimul cum effectu? Concluſio eſt certiſſima Doct. 4. *d.* 13. *&* 1. *d.* 6. *& quodl.* 13 & alibi paſſim D. Th. ſimiliter ſæpiſſime, maximè verò 2. contra Gent. *c.* 17. *&* 18. *&* 17. & ſequacium utriuſque.

Probatur, quia poteſt dari id quod agit & id quod fit ſine eo quod hoc ab illo fiat, ergo actio ſeu fitio hujus ab illo eſt aliquod diſtinctum ab utroque illo. Conſequentia patet, aliàs idem eſſet ſimul, & non eſſet, ſcilicet actio; non eſſet ex hypotheſi. Eſſet autem quia eſſent extrema quæ ſecundùm adverſarios ſunt actio.

3. Viderunt Nominales vim hujus, & evadere eam conati ſunt dicendo, quòd per eam rectè probetur actionem eſſe quid diſtinctum ab abſoluta entitate cauſæ, atque etiam effectus, nec tamen ab effectu taliter ſumpto, atque ita dicunt actionem eſſe effectum, ut *ab hoc*. Sed contra hos efficaciter facit, quod illud eſſe *ab hoc* in effectu aut eſt aliquid diſtinctum ab entitate ejus, aut non. Primum eſt intentum, quum enim actio ſit *eſſe ab*, & eſſe ab ſit quid diſtinctum, jam actio erit quid diſtinctum. Secundum autem dici non poteſt, quia poteſt entitas tam effectus quàm cauſæ exiſtere ſine eo quod exiſtat actio ſeu productio aut proceſſio hujus ab illo; ſuppono enim effectum, qui eſt ab uno efficiente poſſe eſſe ab alio propter quod opus eſt determinatione cauſæ ſecundæ ad individuum ſui effectus. Sed quidquid ſit de hoc extra controverſiam eſt effectum cauſæ ſecundæ quemcumque ſaltèm poſſe à cauſa prima fieri, quo caſu daretur id, quod jam eſt cauſa, & id, quod jam eſt effectus ſine eo quòd daretur cauſalitas aut efficientia creata hujus effectus quæ modo datur; & denique ſine his caſibus haberetur experientia hujus nam cum una creatura ab alia producitur, in primo inſtanti datur quidem actio & productio hujus ab illo, ſimul cum hoc & illo; at verò in ſecundo & ſequentibus inſtantibus datur quidem hoc & illud, at non datur productio hujus ab illo, quod patet in igne generante alium ignem, & in homine qui genuit hominem.

4. Hoc argumentum validum eſt, & vexat inſigniter adverſantes: dicuntur etiam coincidere cum ipſo alia duo: iſtud in primis. Non poteſt dari tranſitus de contradictorio in contradictorium ſine mutatione in aliquo, adeòque, quod ex non agente fit agens mutatur, & proinde habet formam novam. Item hoc: Non poteſt haberi denominatio nova ſine forma nova, quod eſt principium lumine naturæ notum, vel ſaltèm noſcibile, & tamen falſificaretur per oppoſitum concluſionis, ergo. Sed quoad hoc ſecundum.

Puto, quòd iſta probent quidem concluſionem, at non puto quod omnino coincidant cum illo ſuprà: nam ſi agens in primo inſtanti productionis ſuæ producit aliud, ut ſol lumen, intellectus verbum dabitur actio (ſecundum ſic diſcurrentes) & tamen non dabitur denominatio nova. Ubi enim eſt nova, debuit fuiſſe antiqua: ibi autem nihil antiquius fuit ipsâ denominatione cauſæ, adeòque aſſumendum fuit quod non poſſit haberi denominatio diverſa ſine forma diverſa & in caſu poſito formandum eſſet ſic argumentum. Non poteſt perdi denominatio aliqua realis præhabita ſine perditione alius realis præhabiti at verò in caſu illo ignis perderetur denominatio aliqua, quia de producente in primo inſtanti fieret non producens in ſecundo inſtanti; non enim *ignis* calorem productum producit amplius, ergo.

5 Facilius evadi poteſt alterum illud, quòd ſcilicet non detur tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine mutatione vel poſitione alius formæ; diceret enim Nominales dari hic aliquid reale novum ſcilicet entitatem effectus, atque ita non eſſe mirum ſi tranſeat agens à non producente ad eſſe producens, quia habetur aliquid reale novum à quo poſſit provenire denominatio, ſcilicet effectus.

Sed hæc evaſio refutata eſt proximè in ſuperiori, non enim poteſt accommodari illa ad tranſitum, qui fit ab extremo poſitivo ad privativum, nam, quum cauſa tranſit ab eſſe cauſantem ad non eſſe cauſantem realiter, quandoquidem hic fit jactura aut perditio alicujus denominationis realis, debet etiam deperdi aliqua forma realis; ſed non debet perdi effectus, poteſt enim hîc manere etiam quando cauſa non eſt amplius cauſans, ergo jam effectus non poteſt eſſe illâ formâ à qua habetur denominatio agentis aut cauſantis, adeòque nec actio. Aliter ergo variis viis evadere has rationes conati ſunt Nominales, ſed melius conarentur ſuam ſententiam evadere & amplecti communem, quod patebit ex ipſorum reſponſionibus, quæ parum eos juvant.

6. Reſpondet enim Greg. non eſſe mirum,

quod

Digitized by Google

quod poſt primum inſtans manente cauſâ & effectu non maneat cauſalitas aut actio, quia non manent omnia, quæ tunc erat, non enim manet applicatio. Sed in primis hoc ſæpiſſime falſum eſt, nam quum aqua calefacta eſt, & reducit ſe ad frigiditatem priſtinam, tam eſt intima & applicata ſibi & frigori in ſecundo inſtanti & cæteris, ſicut in primo, & tamen in ſecundo & cæteris inſtantibus non producit frigus, producit in primo, ergo quando deeſt actio non ideo deeſt quod deſit applicatio, aut quod applicatio requiratur ad ipſam. Deinde quod deſit applicatio non facit deeſſe actionem niſi approximatio ipſa ſit actio vel aliquid ejus, ſi enim ſit effectus, & non deſit effectus non deerit propterea, ſi autem approximatio ſit actio aut aliquid ejus, jam habetur actio eſſe aliqua forma realis præter entitatem effectus.

7. Aliter ergo incedunt quidam dicentes actionem eſſe hoc quod eſt effectum non eſſe ab alia cauſa: ſed malè, nam non eſſe ab alia cùm ſit hypothetica, includit has duas cathegoricas, eſſe ab hac cauſa, & non eſſe ab alia; & ita redit contra hos quod ſuprà poſui de eo quod eſt effectum eſſe ab hac cauſa, tenentur enim illi reſpondere, quid ſit effectum eſſe ab hac cauſa? ſi autem nolint primam cathegoricam in illa hypothetica, ſcilicet quod ſit ab hac cauſâ, remanet ſolùm ſecunda, ſcilicet actionem hujus cauſæ. v. g. ignis A. in ignem B. eſſe quòd ignis B. non ſit ab alia cauſa & tum ſequitur quod etiam Deus ſit ab igne B. quia nimirum Deus non eſt ab alia cauſa.

8 Tertiò ergo veroſimilius, ſaltèm magis conſequenter ad alia horum principia dicunt aliqui actionem conſiſtere in extremis, vel uno vel utroque; & ad rationem illam de ſeparatione ejus ab his dicunt manere extrema quoad entitatem, non quoad denominationem, quemadmodum apud ipſos relatio eſt unum extremum, ſcilicet fundamentum, quod tamen non denominat niſi adhibito termino. Vnde manet relatio quoad entitatem, non manet quoad denominationem, v. g. ſimilitudo hujus extremi eſt albedo ejus, quod ſi deſit altera albedo ſive alterum album, manebit in ratione albi, non manebit in ratione ſimilitudinis.

Sed ſi ipſi reſpondent repetendo ipſorum principia, poſſumus & nos refellere ipſos repetendo ipſorum impugnationes, quas proprio loco latè poſuimus; oſtendimus enim improbabilem planè eſſe hanc explicationem relationis.

9. Sed inſtant: Separatis accedentibus in Euchariſtia Deus dicitur & eſt creator (conſervat enim accidentia illa ſine ſubjecto, quod eſt continuatio creationis) antea non fuit, & tamen nihil hîc eſt novi nec ex parte Dei, qui non poteſt mutari, neque ex parte accidentium ſaltèm in noſtra ſchola, ita enim tradit D. 4. d. 12. (b) ergo ſimiliter,

Reſpondeo: Supradixi (c) meum ſenſum de ſeparatione accidentium in Euchariſtia, quem qui ſequetur, nullam patietur difficultatem ab hac inſtantia. Reſpondeo ſecundò non eſſe ducendam conſequentiam à Deo ad creaturas. Fatendum enim eſt Deum dici agentem & deſtruentem de novo, idque liberè ſine forma nova, ſaltèm ſine libera aut contingenti, quod non audebunt Adverſarii creaturis concedere, nec enim ſalvari in illis poteſt actio libera per formam neceſſariam, ſalvatur autem in Deo adeòque. Tertiò ad rem Reſpondeo hîc nullam eſſe difficultatem, quia revera contingit hîc realis mutatio, deſinit enim concurſus cauſæ ſecundæ reſpectu illorum accidentium, & in Deo licèt non ſit nova actio realiter eſt tamen intentionaliter & virtualiter quia eſt nova & major applicatio virtutis ſuæ in illam creaturam; cùm enim antea ageret ad conſervationem illorum concurſu partiali tantum eò quod adeſſet cauſa partialis creatâ ſcilicet materiâ, jam agit concurſu totali ſe ſolo.

(b) *quæſt.* 3. n. 4.
(c) *apolog.* 4. *act.* 1. n. 2.

10. Vltimò ergo confugiunt ad hoc, quod eſt denominationem illam novam provenire ab rebus non mutatis ex eo, quòd Deus ſic velit. Forma itaque antiqua denominabit taliter qualiter antea non denominabat, & deſinet denominare taliter qualiter antea denominabat, eò quòd Deus velit illam denominare & non denominare reſpectivè In propoſito, effectus denominabit cauſam in primo inſtanti agentem ſe ipsâ; in ſecundo autem non denominabit licèt adſit ipſa quia Deus non vult eam ampliùs conferre hanc denominationem.

Quæ doctrina ut ut vera fortaſſis eſſet, certè non decet philoſophum, cujus munus eſt aſſignare in creaturis rationem eorum, quæ in ipſis eveniunt, nam ſi licet recurrere ſtatim ad cauſam primam, jam etiam indocti erunt doctiſſimi, poterunt enim aſſignare cauſas (in quo conſiſtit propriè ſcientia) omnium rerum, dicendo hæc ideo ſic ſe habere, quia ita Deus voluit.

Deinde ſcitum eſt effectus formales rerum non eſſe in ullius poteſtate quoad poſitionem aut depoſitionem, non enim ſitum eſt in ullius poteſtate, quod albedo inſit ſubjecto & non reddat illud album, neque quòd fiat album niſi ei inſit albedo, & ſic de aliis, adeòque ſine fundamento dicitur, quod voluntas divina faciat formam aliquam dare nunc aliquam denominationem quam antè non dedit; v. g. quod effectus det cauſæ eſſe agentem nunc & poſtea non, vel ècontra, & vero ſi ita ſit, nemo poteſt eſſe certus de ullius formæ exiſtentia neque quidpiam poterit colligi niſi à conſequentiâ quantumvis neceſſariâ. Explico quod dico: Si Deus facere poſſit ut entitas aliqua det novam denominationem ſe ſola, unde conſtat mihi dari albedinem in pariete? poteſt enim alius dicere, quod quidquid video & experior in pariete proveniat ab ipſo pariete accedente voluntate divina. Confirmatur, & accedo ad alterum membrum: quum enim demonſtratur homo eſſe riſibilis, poteſt conſequentia eſſe mala, & conſequens falſum, non enim eſt certum quod homo ſit riſibilis, quamtumvis ſit rationalis, quia poteſt Deus efficere, ut quod reddet eum riſibilem id non faciat, & quis ſcit an non Deus id velit facere? Itaque nihil indignius philoſopho dici potuit.

11. Objiciunt tamen: poteſt aliquid à cauſa immediatè procedere, non ergo tantopere notari debet ſententia iſta. Antecedens patet in actione, quæ ſe ipsâ ſine ullo medio egreditur à cauſa. Reſpondeo poſſe actionem ita egredi, non poſſe effectum; cujus ratio eſt, quia actio eſt determinata ad eſſe modum hujus cauſæ tanquam ſubjecti: at verò effectus ille non eſt determinatus ad eſſe effectum hujus cauſæ. Vnde actio non eguit aliquo ſe determinante, ut eſſet actio hujus agentis, quia ſe ipsâ eſt talis; at verò effectus eguit quia ſe ipſo non eſt talis, quum potuerit eſſe effectus alterius.

Vtrum mediet aliquid inter Deum & effectum ipſius?

(d) P. Joann. Ponc. *diſp.* 17. q. 3.

12. Negavit Scotiſta citatus (*d*) quando effectus eſt ab eo ſolo productus, ſed malè; dicendum eſt enim quod terminus ab eo ſolo productus poteſt ab eo non ſolo produci. Caſus eſt; Deus vult calorem ſe ſolo producere, quem aliàs producturus erat cum igne; negat ille aliquid ſuperaddendum; aſſero ego, & probo: In primis autem præmitto quod agimus & intelligendi ſumus de actione eo modo quo in Deo eſſe poteſt, non autem eo modo quo non poteſt dari in eo actio; atque ita non quærimus an detur forma aliqua accidentalis realiter diſtincta in productione alicujus effectus, quia hic pars negativa eſt certa, & ille non poſſet habere hic adverſarios ullos Catholicos ut omnino habet. Quæritur ergo de actione divina ut in ipſo cogitari & eſſe poteſt eo modo quo de facto ad alia terminatur: quo poſito.

13. Formo rationem ſic: Quando effectus aliquis eſt à Deo ſolo, qui poteſt eſſe ab ipſo non ſolo addendum eſt aliquid per quod fiat ſeu reddatur fectus ab eo ſolo potiùs quàm ab eo non ſolo; hoc erit actio, ergo opus eſt actione. Probatur major, quia quando aliquid de ſe eſt indifferens ad plura, non ſufficit poni ipſum ut ponatur determinatum aliquid ex pluribus, adèoque quando adeſt determinatè aliquid ex multis illis debet adeſſe aliquid præter entitatem illius tertii, ut v. g. quia ignis eſt indeterminatus ad calefaciendum calefactione A. potiùs quàm calefactione B. non ſufficit haberi ignem & calorem ut habeatur calefactio A. ſed opus eſt aliquâ determinatione alterius cauſæ, quæ eſt prima, & ſuâ actione aut concurſu reſtringit ad calefactionem A. præ calefactione B. Tum ſic: Effectus ille indifferens eſt ad quodlibet ex his multis, ſcilicet ad eſſe à Deo ſolo aut à Deo non ſolo ut ſupponimus, loquimur enim de calore v. g. ergo ut verè denominetur productus à Deo ſolo debet aliquid ei addi, quod non habet quando eſt à Deo non ſolo.

14. Explico & confirmo: Cauſa creata idcirco agit actione diſtinctâ in effectum ſuum, quia effectus poteſt eſſe ab alia cauſa, atque ita additum eſt aliquid, per quod determinatè fiat ab hac cauſa. Si ergo indifferens eſt, ut ab eadem cauſa hoc potiùs quàm illo modo procedat addendum erit huic aliquid per quod agit potius actione hujus generis quàm illius. Quod etiam confirmari poteſt ex ipſa actione, quæ ideo non eget aliâ actione aut formâ ſuperadditâ quia determinata eſt ut ab hoc agente, hoc modo procedat; ergo cum hic effectus indeterminatus ſit, partim quoad agentia partim quoad modum, ſequitur.

15. Hæc confirmatio aditum dedit novæ rationi, quia non ſolùm eſt aleitas in actione Dei tum ex eo, quod ſit ſola, quæ aliàs fuiſſet cum alia, vel quod ſit adæquata actio quæ fuiſſet alioqui inadæquata, ſed eſt diverſitas in ſpecie productionis, nam hunc calorem poſſet ſe ſolo producere, ſive educendo ſive creando, debet ergo jam aliquid haberi per quod denominetur Deus magis ſe ſolo creans quàm ſe ſolo educens; revera enim entitas effectus ad hoc non ſufficit, ut patet. Diceret fortaſſis adverſarius in caſu eductionis Deum non agere ſe ſolo, quia concurrit etiam materia: & verum diceret, ſed non nimis pro ſe ipſo; utique enim intelligit ille Deum ſe ſolo producere quando producit ſolus efficienter, ita ut nullum aliud efficiens concurrat, non verò ad hoc requirit quod nulla omnino cauſa concurrat, nam etiam cauſa quæ producit ſine materia, non producit ſine fine, atque ita concurrit cauſa finalis; concurrit etiam cauſa formalis ſine dubio, atque ita ſecundùm hanc viam Deus non poſſet omnino effectum ullum ſe ſolo producere quod negant illi, adeòque malè reſpondent.

16. Probo ſecundò: Pater æternus ſe ſolo producit filium, & tamen habet actionem propriè productivam filii, ergo non eſt univerſaliter verum, quod, quando Deus ſe ſolo producit terminum nullam habeat actionem. Ni fallor hic omnia liquent, nec quidquam eget probatione, quia hic eſt unus caſus quo Deus ſe ſolo agit, hic eſt actio, adeòque. Diceret fortè Adverſarius hoc nimium probare, probat enim quod etiam tunc detur actio quando non ſolùm agens determinatum eſt ſed etiam modus agendi; nam Pater determinatus eſt etiam hoc modo producere filium, ſcilicet dicendo. Reſpondeo fortaſſe nimium probat contra ipſum. Ego nondum dixi tunc ſolùm dari actionem, quando modus inducendi eſt indeterminatus adeoque contra me non nimium facit.

Aliter ergo reſpondere potiùs deberet in divinis dari illas actiones, quia ſunt conſtitutivæ perſonarum, atque adeò, licèt non requirantur, ut actiones, tamen adſunt ex alio capite, quod nihil obeſt concluſioni ejus. Sed ego huic reſpondeo multùm obeſſe ei, quia nimirum concedo ego divinis perſonis neceſſario debere adeſſe ſua conſtitutiva (aliàs non adeſſent ipſæ perſonæ) ſed contendo hæc conſtitutiva non fore relationes & actiones niſi poſſint eſſe actiones ad terminos, qui à ſolo Deo producuntur; imo niſi debeant eſſe tales actiones, nam ſi non debeant eſſe actiones illæ in divinis, ſunt inutiles ibi,

adeo-

adeòque non neceſſariæ, quod eſt falſum, imò hæreſis, ſed erunt abſoluta aut ſaltèm alterius generis relationes, quæ ambo falſa ſunt.

17. Explico vim hujus argumenti paulò ampliùs: De facto dicuntur perſonæ conſtitui per relationes originis, & fortaſſis in re ipſa propterea hoc ita factum eſt, quia, cùm relationes ibi ſint neceſſariæ propter proceſſus, & aliàs conſtitutiva aliqua perſonarum erant neceſſaria, ut quàm parciſſimè multiplicarentur entia divina, utrumque factum eſt per unum, ſcilicet conſtitutio & productio, & ita coiverunt in unum duo illa, ſcilicet relatio & perſonalitas. At verò in oppoſita ſententia id non deberet dici, quia non eſſet opus hoc ſecundo ſcilicet relatione, ſed ſufficeret ſimplex aliqua forma perſonalitatis abſoluta. Confirmo non parum, quia revera non paucas difficultates patitur conſtitutio perſonarum per relationes, & facillimè expedirentur multa quæ jam faceſſunt negotium in fide, ſi dicerentur perſonæ conſtitui per abſoluta, adeòque niſi arctiſſimè cogamur non debemus id aſſerere: non cogeremur autem ſi non eſſet opus actionibus ibi, ergo. Dices eſſe de fide aut prope fidem, quod ſola relatio multiplicat Trinitatem, ergo neceſſariò ponendæ ſunt. Reſpondeo ideo ita eſſe de facto, quia illæ actiones ſunt de facto, alioquin enim oſtendat adverſarius ullam rationem aut probabilem cauſam hujus definitionis, hoc enim eſt munus Theologi aſſignare rationes fidei. Deinde quantumvis neceſſariò fatendum eſſet quòd relatio multiplicet Trinitatem, ſi non ſint neceſſariæ actiones, ut ipſe contendit, non neceſſariò fatendum eſt quòd Trinitas multiplicetur per relationes quæ ſint actiones, ergo.

18. Sit tertia probatio; quia Deus in eo caſu quum ſe ſolo aliquid efficit, liberè efficit. ex quo infero, ergo actio ejus non poteſt eſſe effectus; probo conſequentiam, nihil poteſt dici liberè agere per actionem neceſſariam, Deus tunc eſt liberè agens, & effectus eſt neceſſarius, ergo non poteſt Deus dici agere per effectum tanquam per actionem. Diceret fortè quis effectum, v. g. calorem aut Mundum eſſe liberè productum; ſed malè, peteret enim principium, nam in ſubſtantia & entitate certum eſt, quòd mundus hic corporum ſint entia naturalia, atque ita contingentiam aut libertatem poſſunt habere ſolùm quoad fieri, ſi ergo fieri ipſorum eſt neceſſarium, reſtat ut illa abſolutè ſint neceſſaria & naturalia. Hoc autem ſecundum ita eſſe probo ex primo, quia ſecundùm adverſarios fieri ipſorum eſt eſſe ſeu entitas ipſa illorum, hæc ſecundùm illos & omnes eſt naturalis, quid ergo ſupereſt dicendum, niſi quòd productio eorum tam activa quàm paſſiva ſit naturalis; quod conſequens quia falſum eſſe conſtat, corrigendæ ſunt præmiſſæ, & dicendum quòd fieri rerum non ſit ſubſtantia earum.

19. Alia hujus probatio mihi eſt iſta. quia, ut infrà videbimus, actio eſt in agente, non verò in paſſo, & univerſaliter improbabiles ſunt denominationes à forma quæ extrinſeca ſit rei denominatæ, atque adeò non rectè dictum eſt Deum denominari agentem ab effectu qui extra ipſum eſt. Proſequor hoc argumentum & inquiro, quando dicunt adverſantes quòd Deus aut aliud denominetur agens ab effectu, utrum cenſeant dari actionem aliquam hîc an nullam? utrum ſcilicet teneant quòd quanquam non detur forma aliqua diſtincta à termino, quæ ſit actio, credant tamen quòd ipſe terminus aut aliquid ejus ſit actio; an verò exiſtimant non eſſe concipiendam realitatem aut formalitatem aliquam quæ ſit actio, ſed tantùm abſolutus effectus? ſi primum, ſequitur quòd aliquid ſit poſterius ſe ipſo, talis enim eſt effectus ille, quodlibet enim eſt poſterius actione productivâ ſui; effectus ille eſt actio productiva ſui, ergo poſterior ſe. Dicet aliquis prioritatem quæ eſt inter actionem & effectum non eſſe prioritatem in quo, ſed prioritatem à quo: Accipio ſolutionem & infero, ergo effectus ille eſt à ſe, intellige productus à ſe, quod multò duriùs eſt quàm ſi eſt poſterior ſe. Deinde ſive ſit hoc ſive illo modo prius, eſt ad ſe, relativè intelligo, agens enim relativè eſt ad actum ſeu effectum; At hæc iterum eſt implicantia quòd aliquid ſit relativè ad ſe.

Contra ſecundum autem facit, quòd ſi dicatur non dari hîc aliquid, quod ſit actio, nec etiam datur aliquid quod ſit agens, atque ita non datur creatura generans alteras. Sequela patet, quia ubi non eſt actio, nec agens erit, quum actione fiat formaliter agens.

Ulteriùs contra ſic opinantes habeo, quod ſine fundamento dixerint, quando aliquid producitur à Deo ſolo tunc non dari actionem diſtinctam, non enim debuerunt rejicere ab hoc modo agendi caſum illum, quo Deus producit cum cauſa ſecunda effectum, ſed multò magis includere hunc, quia non poteſt eſſe effectus ſine hac dependentia à Deo, quocumque demum modo producatur effectus, ſive totaliter aut partialiter à Deo ipſo, ſive totaliter aut partialiter à creatura, atque adeò debuerunt dicere, quòd etiam quando producitur effectus à Deo ſimul & creatura, quod inquam tunc actio Dei non eſt diſtincta ab effectu; hic tamen diſcurſus non eſt pro me, ſed contra ipſos.

Tenendum ergo eſt, quòd ad quemcumque effectum datur actio, cum eo tamen diſcrimine, quòd actio Dei non ſit quid diſtinctum ab ipſo Deo, licèt ſit quid diſtinctum ab effectu. Creaturæ autem actio ſit ab utroque diſtinctum. Ubi iterum vides inconſequentiam adverſarii, qui excepit caſum illum, quo producitur effectus à ſolo Deo, nam ſive producatur à Deo ſolo vel non ſolo, actio Dei non eſt aliud ab ipſo cùm ſit volitio ejus, de quo erit proprior & amplior campus dicendi *in ſecundo phyſ.* ſufficit hîc tetigiſſe generalem rationem actionis.

20. Objicies: Ideo ponitur actio in productione rei à cauſa creata, quia effectus eſt indifferens, ut ab ea vel alia fiat; ſed non eſt indifferens, ut à cauſa prima procedat, ergo non debet poni actio reſpondens cauſæ primæ. Solvi hoc jam in probatione concluſionis bis; ſemel oſtendendo etiam ratione cauſæ primæ eſſe indeterminationem: ſecundò, quia non ſolùm ob indeterminationem ponenda eſt actio, ſed ad denominationem formaliter habendam vide dicta *num. 2.* &c.

21. Objici ſecundò ſic poteſt: Si detur actio in cauſa efficiente creata ad terminum, qui ab ipſa procedit, v. g. in igne ad calorem, ſequitur, quòd ad quemlibet effectum cauſæ creatæ darentur duæ actiones in Deo; hoc autem eſt abſurdum, cùm in ipſa cauſa ſecunda ad unum effectum ſufficiat una actio; ſequi tamen patet, quia datur actio ſeu concurſus in Deo ad effectum,

Digitized by Google

v. g. ad calorem, quod omnes concedunt; datur & ad actionem, v. g. ad calefactionem, nam cùm hæc ſit quid creatum, debet à Deo dependere, atque ita debebit Deus ad eſſe ejus concurrere, concurſus autem Dei eſt actio, ergo. Reſpondeo: Propter hoc tenent aliqui non eſſe impoſſibile quòd Deus & cauſa ſecunda eâdem actione concurrant ad effectum. Sed his obſtat primò quòd contingeret tunc denominatio per extrinſecum, utique enim illa actio eſt extrinſeca Deo, cùm non in ipſo ſit, ſed in cauſa ſecunda. Secundò quòd actio Dei non eſſet divina nec æterna: Deinde quòd modus eſſet extra modificatum, actio enim eſt modus reſpectu agentis, ſi ergo Deus eſt agens per hanc, jam modus ejus eſt extra ipſum, quod apud nos etiam inde repugnat, quia ſequeretur relatio eſſe extra fundamentum.

Præſtat ergo dicere, quòd dentur hîc quidem duæ actiones cauſæ primæ, at non ratione ejuſdem effectûs; cauſa eſt, quia actio cauſæ ſecundæ eſt effectus reſpectu Dei licèt non ſit effectus reſpectu cauſæ ſecundæ ſed efficientia; non ergo datur hîc actio ad actionem, ſed ad effectum. Confirmo hanc ſolutionem, & oſtendo quòd hîc non ſit abſurdum concedere actionem cauſæ primæ ad actionem ſecundæ. Proinde renuunt Philoſophi concedere quòd ad actionem detur actio, quia inde ſequeretur infinitus proceſſus actionum: at verò hîc non ſequitur iſte proceſſus, ſed eſt ſtatus in ipſius Dei actione, neque enim ad ipſam datur alia, ergo ſignum eſt quòd actio ad actionem quam negant Philoſophi non ſit iſta, ſed illa contingeret ſi idem ſuppoſitum produceret unam actionem ſuam aliâ actione.

22. Dices, licèt per hæc defendatur, quod non ſit abſurda actio Dei in actionem cauſæ ſecundæ, non tamen defenditur, quin ſit ſuperflua ſaltèm actio Dei in effectum cauſæ ſecundæ ſuppoſitâ actione ejus in actionem cauſæ ſecundæ. Videtur enim ſufficere quod agat in actionem cauſæ ſecundæ, eo enim ipſo agit in effectum ſeu in terminum actionis. Reſpondeo id non eſſe improbabile, veriùs tamen eſt quòd habeat Deus actionem in utrumque, quia tenendum eſt quodlibet creatum dependere à Deo immediatè, illo autem modo non dependeret effectus, v. g. calor à Deo immediatè, ſed mediatè duntaxat, mediante ſcilicet actione.

23. Dices, effectus puta calor dependet immediatè à cauſa ſecunda, & non dependet ab ea niſi per actionem, ergo ſimiliter poſſet immediatè dependere à Deo, licèt dependeat ab eo mediante actione. Reſpondeo diſparitatem eſſe, quia actio non eſt effectus cauſæ ſecundæ, ſed efficientia ejus, adeóque non impedit quo minus res ipſa, puta calor in propoſito ſit effectus immediatus ejus: At verò reſpectu Dei actio cauſæ ſecundæ eſt effectus, atque ita medians inter ipſum & effectum principalem, ſcilicet calorem, faceret, ne calor eſſet effectus ejus niſi ratione alterius.

Hîc dictis addo tria paradoxa, quæ adverſarii ſequuntur dum docent quòd actio cauſæ ſecundæ ſit res producta; primò enim ſequitur quòd res perpetuò producatur à ſua cauſa ſaltèm exiſtente; ego v. g. producar ſemper à meo patre, & illa imago perpetuò depingetur à pictore: Cauſa patet, quia tamdiu debet dici producens quàm dum manet productio, productio autem & actio ejus ſemper manet quamdiu ego ſum, quia illa eſt ego, & imago eſt actio pictoris, quo nihil ineptiùs.

Secundò ſequitur, quòd actio cauſæ primæ producatur à cauſa ſecunda. Ratio, quoniam actio cauſæ primæ eſt effectus ſecundùm hos, hîc autem ſine dubio producitur à cauſa ſecunda. Hoc autem nemo neſcit eſſe abſurdum, quia præter alia ſequitur quod cauſa ſecunda aliquando agit ſine concurſu primæ, nam ſine dubio actio ejus quâ attingit concurſum primæ non eſt concurrente primâ cùm intelligatur concurſus ille poſterior hâc actione. Imò ſequitur, quod utriuſque actio producit ſeipſam, quia producit terminum qui eſt illæ actiones. Denique ſequitur correlativa etiam ipſas correlationes eſſe idem realiter, ſcilicet actionem & paſſionem utique enim paſſio etiam eſt identificata termino ſicut actio, actio autem & paſſio ſunt correlativa: ſed de hoc ſtatim infrà, ampliùs autem pro adverſariis adhuc.

24. Objici poteſt, ſive retorqueri ratio jam ſuprà facta quoad cauſam primam, nam, ſi detur actio media inter cauſam & effectum, jam effectus non immediatè producitur à cauſa, v. g. calor, ſi detur calefactio media: patet ſequela, non enim eſt immediatum quod habet medium. Nec valet dicere hoc eſſe medium ut quo, non autem ut quod: id enim falsò dici videtur, quia actio non tantùm eſt quo aliud dependet, ſed ipſa etiam eſt dependens à cauſa. Reſpondeo tamen ſic eſſe dicendum, quia media ut quo non impediunt immediationem ſic materia immediatè unitur formæ, & tamen unitur mediâ unione; ita hîc. Nec obſtat quod contra hæc objectum eſt, quòd ſcilicet ipſa actio ſit dependens, eſt enim dependens tanquam dependentia, non tanquam ſubjectum dependentiæ, quod opus eſſet ut impediret immediationem.

Inſtari tamen poteſt adhuc ſic: Cauſa prima, ſi attingeret ſolùm actionem cauſæ ſecundæ non diceretur cauſa effectûs, v. g. ſi attingeret calefactionem non eſſet cauſa ipſius caloris, ergo etiam ipſa cauſa ſecunda non tantùm attingit effectum per actionem, ſed ipſum immediatè, ita ut etiam egrediatur ab ea proximè ſicut ipſa actio, aliàs non diceretur cauſa ejus, ſed actionis. Reſpondetur negandam eſſe conſequentiam propter diſparitatem ſuprà datam, quia nimirum calefactio reſpectu ignis eſt actio, reſpectu autem Dei non eſt actio, ſed terminus actionis.

Objici poteſt Doct. qui 2. *d. q.* . ait ad abſolutum cauſæ ſequi abſolutum effectûs, ex quo ſequitur non dari actionem, quæ ſit forma media: Reſpondeo ſecundò locum illum Scoti intelligendum eſſe de cauſa prima, de ea enim ibi agit, quæſtio enim eſt, utrum Deus poſſit creare, & difficultas fuit de mutatione quæ conſurgeret in Deo, negat ea Scotus, quia ad abſolutum cauſæ ſequitur abſolutum in effectu, intellige cauſæ increatæ, creatas enim non eſt abſurdum mutari. Confirmo expoſitionem, quia in margine hujus quæſtionis ubi Scotus univerſaliter loquitur de cauſa quòd poſſit producere ſine omni novitate in ipſa, ponitur hoc. Deus poteſt producere effectum abſque ſui mutatione, ergo jam doctrina illa indefinita Scoti ibi accipienda eſt ex mente ipſiuſmet de Deo ſolo.

Confirmo ulteriùs ex ipſo Scoto 4. *d.* 13. *q.* 1. ubi infert contra ponentes actionem eſſe quid abſolutum, quòd agens prius mutaretur ſecundùm

dùm formam abſolutam, quàm paſſum mutaretur ab ipſo, hoc autem non eſſet verum, niſi actio prius ineſſet agenti, quàm terminus ejus reciperetur in paſſo, adeóque de mente vera Scoti actio in creatis eſt prior termino.

ACTIO III.

De ſubjecto actionis prædicamentalis.

Breviarium.

N. 1. *Recentium principia.*
2. *Concluſio reſolutiva, quòd actio ſubjectetur in agente.*
3. *Oſtendo actiones non poſſe ſalvari per denominationes extrinſecas.*
4. *Probatio theologica concluſionis, cur non ſufficiat filiatio ſine paternitate in divinis?*
5. 6. *Extenditur, & explicatur ratio poſita ſpiratio activa cur in Patre & filio?*
7. *Objectio contra; ſolvitur. An agens agendo mutetur?*
8. 9. *Aliæ objectiones, etiam expeditæ. An actione formaliter aliquid fiat?*
10. *Objicitur adhuc alia difficultas. Quomodo detur aliqua actio tranſiens ſecundùm nos?*
11. *Vltima objectio. Actio & paſſio quomodo idem?*

1. SUpponit reſolutionē proximè datam de actione media & diſtincta ab extremis, de qua Recentior aliquis ita ut ſibi principia aliquot tanquam idola, quæ vellet ab omnibus adorari; iis autem ſuppoſitis nihil mirum, ſi concludat. Supponit ergo hic & ante eum alius effectum formalem actionis eſſe hoc quod eſt reddere terminum dependentem ab agente. Creationem nullum habere ſubjectum: quare putas? quia ipſa reddit terminum independentem à ſubjecto, & cætera his ſimilia. Sed huic novitati contraria ſemper fuit communis philoſophia, quæ aſſignavit actioni ſubjectum, & quidem id intelligebant de actione cauſæ ſecundæ plerique. nam divina non eſt viſa omnibus capax ſubjecti, ſed eo nunc miſſo litem intendimus iis, qui ponebant actionem cauſæ ſecundæ in paſſo. Scotus enim in ipſo agente eam poſuit, & cum eo plerique ex Thomiſtis *Cajet. 1. Hiſpalenſ. Flandria, &c.* Scotiſtæ numerum non habent, recenſuit eos ex parte Maſtr. *hic diſp. 7. q. 3.* Cum his ergo

2. Dicendum eſt omnem omnino actionem in agente eſſe (licèt non omnis ſit in eo inhæſivè) nullam in paſſo, loquendo (ut hîc facimus) de actione productiva. Sic docet Doct. *q. 23. prædic.* & *in 4. d. 13 q. 1.* Probo doctrinam argumentis, tum naturalibus, tum divinis. Primò ſic, quia, niſi illa eſſet in agente, nunquam denominaret ipſum agens, non enim ſufficit formam & ſubjectum aliquod eſſe in rebus, ut forma denominet ſubjectum, ſed opus eſt eorum unione, ſicut opus eſt ad efficientiam applicatione. Dicent: Eſſe verum de denominatione intrinſeca, non autem eſſe denominationem extrinſecam tantùm. Sed ſic reſpondentes tenentur aſſignare rationem cur denominatio patientis ſit intrinſeca, denominatio autem agentis non. Deinde contra ipſos faciunt exempla ipſorum, quòd ſcilicet viſio in oculo ſit, & denominet murum; poterunt enim illi adferre exempla in quibus aliquid denominetur paſſum extrinſecè, non facilè autem adferent aliqua in quibus quodpiam dicatur agens extrinſecè, niſi repetendo ſua principia, imò.

3. Probo ego hoc oſtenſivè, & ſimul concluſionem, quia actio & agere debet aliter explicari, quàm ut dicatur eſſe hoc quod eſt terminare dependentiam alicujus; Atqui modo illo adverſarii non aliter explicatur quàm dicendo quòd ſit terminatio dependentiæ alicujus cauſæ, ergo non eſt vera explicatio eorum. Major patet, quia aliquid terminat dependentiam alterius, quod non cauſat nec producit ipſum, ut patet in humana natura Chriſti reſpectu verbi divini, quod quidem terminat dependentiam illius, ſed nihil agit circa ipſam. Confirmo, non poteſt aliquod terminare dependentiam ejus niſi uniatur ei vel egrediatur ab ipſo; ſed terminus productus non neceſſariò unitur agenti, ut evidens eſt in duobus ignibus puta in duabus candelis, quarum una accendit aliam & aufertur ſtatim: In patre cujusque & filio, ergo opus eſt ut egrediatur tanquam effectus ab ea. Concedunt hoc ipſi: ſed inſto ego: Non egreditur ab illo otioſo, aut tanquam per portam vel canalem, ſed egreditur ab eo agente & occupato; ergo jam neceſſariò ponenda eſt forma aliqua in ipſo agente per quam ſit occupatum, & laboret in productione effectûs.

4. Probo tertiò idipſum ex divinis: Nam ibi actiones ſunt in ſuppoſitis, quæ dicuntur agere, non verò in terminis productis; Generatio activa eſt in patre, non verò in filio, unde inſtruo argumentum ſic: Si vera eſſet ſententia adverſariorum, non deberet poni in Deo paternitas, ſed ſola filiatio, hæc enim poteſt denominare patrem & filium ſive generantem & genitum, atque ita paternitas divina eſſet ſupervacanea, quod eſt blaſphemum. Reſpondent non eſſe ſuperfluam, ſed neceſſariam quia eſt conſtitutiva perſonæ: & ego hanc reſpondeo utique conſtitutivum perſonæ non eſſe ſuperfluum in illa perſona, at verò non debere dici quòd quidpiam in divinis conſtituatur per aliquid quod ex natura ſua petit eſſe extra ipſum. Actio autem ex natura ſua petit eſſe extra agens ſecundùm nos, ergo non debent illi aſſerere rationabiliter quòd pater conſtituatur per actionem. Explico me; & quæro ex his utrum velint duas tantùm aut tres eſſe actiones in paſſis, an verò actionem ut ſic ex genere ſuo hoc exigere? ſi primum, non habent controverſiam quam credunt nobiſcum, & valde inconſequenter philoſophantur: ſi ſecundum, cum ſatis toto impetu. Declaro rem adhuc, quia enim communiter tenetur in Eccleſia perſonas conſtitui originibus, ita debet quisque diſpo-

diſponere ſua principia, ut defendat hoc neceſſariò verum eſſe. Id autem non poſſunt facere qui tenent actionem eſſe in paſſo; nam ſi id dicant debent fateri perſonas innaturaliter & violenter conſtitui, quandoquidem conſtituitur una per id quod deberet eſſe in alia.

5. Urgeo adhuc argumentum: Diſtinctio paternitatis à filiatione colligitur ex oppoſitione relativa productionis activæ & paſſivæ: At verò ſecundùm illas non datur ejusmodi oppoſitio inter hæc, cùm utrumque ſit idem realiter.

Dices eſſe idem in creatis, non in divinis: Audio, ſed tum conſequentia illa nulla eſt, nam in antecedente aut aſſumuntur producentia creata & eſt falſum, aut increata & eſt identicum.

6. Urgeo adhuc tertiò principaliter contra illam ſolutionem Recentium; nam non ſolùm in divinis relationes conſtitutivæ ſunt in agentibus, ſed etiam relationes non conſtitutivæ, ſive una ſive plures, nam ſpiratio activa eſt in ſpirantibus, & tamen non eſt conſtitutiva ullius ex ipſis, nec enim Pater aut filius conſtituuntur ſpiratione activâ, unde repeti poteſt hic ratio ſuprà poſita, quia, ſi vera eſſet ſententia adverſarii, non daretur omnino ſpiratio activa, ſed ſola paſſiva: Quæ ratio plùs urget hic, quia non poſſunt prætendere neceſſitatem ſpirationis activæ ad conſtituendas perſonas, ergo.

7. Objicere tamen poſſunt: Si actio eſſet forma aliqua ſubjectata in agente, ſequeretur, quòd agens agendo mutaretur, & quidem priùs, quàm paſſum, quod falſum eſt tum aliunde, tum ex illo Ariſt. *Nullum movens movetur.* Imò ſequeretur quòd actio eſſet paſſio, ratio, quia agens per actionem patitur, recipit enim eam, ſi autem patitur per actionem, actio erit paſſio, nihil enim reddit patiens niſi paſſio. Dices paſſionem non conſiſtere in forma ſed in unione ejus. Audio, ſed ſit ita, adhuc actio eſt paſſio, quia nimirum actio eſt ſua unio, unitur enim ſe ipsâ. Vnde habetur denique oppoſitum concluſionis, nam ſaltèm in hoc caſu actio eſt in paſſo, eſt enim in agente ſed agens eſt paſſum, ergo. Reſpondeo ad primum meritò Subtilem N. uſum eſſe hoc argumento ad probandum quòd actio non conſiſtat in abſoluto, quia tum agens mutaretur ad hoc ut mutaret: At verò quoniam actio apud nos eſt relatio non patimur hoc inconveniens, quia receptio relationis non eſt ſimpliciter mutatio ſed ſecundùm quid.

Dici tamen poteſt id fortaſſis eſſe verum de relationibus intrinſecùs venientibus, at verò de iis, quas vocamus extrinſecùs advenientes, non poſſe verificari apud nos, qui ponimus ad hujusmodi relationes dari motum. Reſpondeo totum rectè dici, & proinde agens agendo non mutari ad formam aliquam ad quam ſit per ſe motus, non eſt autem inconveniens quòd mutetur ad actionem, quia ad actionem non eſt per ſe motus cùm eam unet ſe ipsâ.

8. Objicitur ſecundò: Actio cauſæ ſecundæ eſt eductio formæ ex ſubjecto, ex quo ſequitur, quòd ipſa actio educitur ut quo. nam quòd aliqua forma præſtat alteri, etiam ſibi præſtat; ſic unio unit ſe ipſam, & præſentia eſt præſens. non poteſt autem educi ex ſubjecto niſi in illo ſit, ergo ſi educitur ex paſſo eſt in eo. Hujus argumenti auctor deceptus eſt confundendo eductionem activam cum paſſiva; ſive, quod idem eſt, ſupponendo dari unam tantùm, quod falſum eſt, quum agens educat, forma educatur (ſive id fiat diſtinctis formis ſive unâ, quod addo, ne dicat petere principium) Diſtinguo ergo antecedens ſive eductionem in activam & paſſivam, & nego conſequentiam; non enim ſequitur hinc actionem, ſed paſſionem educi ex ſubjecto, paſſio enim formaliter educitur, actio non ſed efficienter, ex hoc ſolves ſequens.

9 Generatio eſt ratio formalis educendi aliquid ex ſubjecto, nihil autem faceret ex ſubjecto, ſi ipſa manet in agente. Confirmatur, quià actio nihil efficienter facit, ſed formaliter, ergo debet eſſe in ſubjecto, ut aliquid circa ipſum agat. Reſponſum eſt huic in ſuperiori, neganda eſt enim minor, & tum ad confirmationem quâ probatur illa, dico actionem etiam facere aliquid efficienter, ſed ut quo, adeòque debere eſſe in efficiente; unde ratio verti poteſt in auctores ut probet actionem eſſe in agente.

Reſpondeo jam ad aliquot puncta primi argumenti *num.* . quòd actio ſit paſſio, & quòd aliquando ſaltèm actio ſit in patiente: Dico enim utrumque eſſe verum de paſſione, quæ coincidit cum actione, & de agente, quod etiam eſt patiens, ut contingit non ſolùm in eo caſu, quem nos admittimus, ſed etiam in caſu quem omnes admittunt, de animali movente ſe ipſum, ibi enim actio quia in agente recipitur facit agens pati, quum receptio ſit paſſio. Nos autem loquimur de agente & paſſo diſtinctis, & de actione, quæ etiam diverſa ſit à paſſione. Verto etiam hoc argumentum in auctores; nam in caſu animalis moventis ſe etiam paſſio eſt in agente (& non tantùm actio) id autem abſurdum eſt apud adverſarios; qui enim ponunt actionem eſſe in paſſo, quantò magis dicent paſſionem eſſe in ipſo?

10. Addam hæc duo, quæ etiam retorquebo: Si omnis actio eſt in agente, ergo malè diſtinguitur actio in tranſeuntem & immanentem; quia nimirum nulla datur tranſiens, quum omnes maneant in agente. Reſpondeo, ſi actio ſit in paſſo, diviſionem fore malam, quia nimirum nulla dabitur tranſiens. In re ergo dicendum eſt diviſionem eſſe bonam, quia ſenſus ejus eſt, quòd actionum aliquæ ſint, quarum termini manent intra ipſum agens: aliæ, quorum termini ſunt in externo ſubjecto. Exempla primi generis ſunt actus omnes vitales, v. g. viſio, intellectio. Exempla ſecundi calefactio, frigefactio ut plurimum, ædificatio, generatio abſolutè, &c.

Sed revera hæc expoſitio aliquid violenti habet, hoc enim eſt dividere terminum actionis non ipſam: & ex ea colligitur, quòd actio ſaltèm identificetur termino producto; quòd ſi verum eſt, dicenda erit eſſe in paſſo. Dico tamen ad hoc, quod non magis me premit, quàm adverſarium; nam ſicut hinc ſequitur contra me quòd detur aliqua actio in agente, ita ſequitur aliqua quæ non ſit in paſſo. Standum eſt ergo ab omnibus illi expoſitioni.

11. Alterum, quod ſpopondi objiciendum & retorquendum eſt iſtud: Actio & paſſio ſpectatis omnibus cenſenda ſunt unum quid; ita enim videtur docuiſſe Ariſtoteles, & ratio ſuadet ut infrà; propter quod aliquid tale dicetur à nobis quoque *att. ſeq.* ergo bene philoſophatur qui dicit ipſam eſſe in patiente. Ita illi communiter, quod miror, quum non magis hinc ſequatur, quòd ſit in paſſo quàm in agente; dicam enim

ego, quòd actio & paſſio ſint idem, quia paſſio & actio eſt in agente.

Do etiam huic probabilitatem, quia nimirum actio quodammodo prior eſt paſſione, adeòque potiùs debet paſſionem ad ſe trahere, quàm ipſam ſequi. Item eſt cauſa paſſionis, adeòque quid nobilius ipsâ, propter quod ut dixi judicandum eſt, quòd natura voluerit paſſionem potiùs actioni accidere, quàm quòd actio paſſionem ſequatur. Cæterùm de identificatione actionis & paſſionis motui, & conſequenter inter ſe, partim in ſeq. partim expectanda ſunt, dicenda *libro ſecundo phyſicorum.*

ACTIO IV.

De prædicamento paſſionis.

Breviarium.

N. 1. *Significationes paſſionis.*
2. *Non omni actioni reſpondet paſſio, probatur.*
3. *Objectio. Actio quomodo ſit relatio ſine correlatione.*
4. *In rebus productis à ſolo Deo deeſt paſſio. Probatur.*
5. *alia probatio hujusdem.*
6. 7. *Inſtatur contra rationem & concluſionem ſæpe & acriter.*
8. 9. *Effectus omnes Dei, qui non ab eo creantur, & omnes omnino aliarum cauſarum habent paſſionem quæ eſt productio paſſiva & forma ſuperaddita illis. Ratio.*
10. *Notatum de illa ratione, quòd minùs valeat in cauſa ſecunda quàm in prima.*
11. *Alia ratio pro concluſione. Impugnatur, & denique defenditur, quomodo verificetur de re corrumpi.*
12. *Aſſignantur adhuc aliæ rationes plures in unum pro concluſione.*
13. *Objectio difficilis. Oſtenditur premere etiam adverſarios, ſolvitur.*
14. *Notatur & impugnatur inventum quoddam Recentiorum. Actio diſtinguitur realiter à paſſione.*
15. *Objectio contra diſtinctionem earum. Solvitur ter. An quidquam actione patiatur.*
16. *Alia objectio, ſoluta. Quomodo res ſe ipſas conſervent.*
17. *Vnio, ad quod prædicamentum horum ſpectet.*

1. Præmitto paſſionem duo ſignificare, aliquando enim reſpondet ex diametro actioni; & tum idem eſt ac produci rem, ſicut actio eſt producere. Aliàs ſecundò ſignificat receptionem alicujus, per quod quidpiam dicitur propriè pati, ut, quum quis caleſit aut flagellatur, dicitur pati, quia recipit calorem, contuſionem, & quidem Scotiſtæ leviter tranſiliunt hanc materiam, in qua tamen mihi ſentio arduas difficultates oriri; earum aliquas ſequentibus concluſionibus ſignificabo, & reſolvam.

2. Dico ergo primò: Non omni actioni reſpondet ſua paſſio.

Ratio & inſtantia hujus eſt in actionibus corruptivis ſeu deſtructivis, quomodocumq; fiant: dum v. g. Deus annihilat angelum; dum agens naturale corrumpit formam eductam, his enim & ſimilibus non reſpondet paſſio, eò quod non reſpondeat paſſum (utique enim paſſio illa deberet eſſe in ſubjecto, ſive inhæſivè ſive aliter, de quo nunc non refert) nam quod annihilatur non eſt, adeòque annihilatio ejus paſſiva non eſt.

3. Objicies ſequi hinc, quòd actio non ſit relatio, nam, ſi eſſet, haberet correlativum, cum ergo hoc non habeat, videntur meliùs dicere illi, qui aſſerunt paſſionem eſſe quid abſolutum. Reſpondeo non eſſe ita, ſed illos potiùs incidere in hoc ipſum abſurdum; nam etiam illi volunt actionem eſſe relationẽ ſaltèm tranſcendentalem vel ſimilem, at verò etiam hujusmodi relatio exigit ſaltèm ſimilem correlationem, & tamen hîc nullam habet, quia nec ullum correlativum, adeóq; propter hoc illi non ſunt melioris conditionis, quàm nos. Deinde non neſciunt illi dari relationes etiam tertii prædicamenti, quæ non habent correlationes, tales enim ſunt illæ menſurabilis & menſuræ. Contra rationem relationis in actione magis facit quòd in hiſce caſibus non habet terminum, correlativum enim annihilationis eſt quod annihilatur, corruptionis quod corrumpitur; at verò quod annihilatur non eſt; ſed huic jam ſatisfeci ſuprà (a) (a) *apol.* 9. *act.* 2. *n.* 1.

4. Dico ſecundò: Quando quidpiam producitur totaliter à Deo, & non poteſt ab alio produci, ſed nec ab ipſo *Deo* aliter: in eo caſu nõ dari paſſionem actioni reſpondentem, hoc eſt enim dari formam aliquam relativam aut aliam, per quam terminus ille denominetur paſſivè productus. Caſus eſt, quum angelus aut materia à *Deo* creantur, dico non dari in angelo aut materia paſſiones ſuis productionibus correſpondentes, hoc eſt formas aliquas accidẽtales ipſis ſuperadditas, per quas fiant & dicantur paſſivè producti. Hæc eſt aperta & ſubtilis ſententia doct. 2. *d.* (b) (b) *q.* 4. *n.* 21. & ſuorum conſequenter, quanquam pauci; quod ſciam, doctrinam illam huc applicaverint.

Ratio: Quia ad productionem rei abſolutam ſufficit ipſa, ipſa enim æquè tranſit de non eſſe ad eſſe, & modò relinquatur ipſa ſibi, ablato quocumque verum adhuc erit, quod ſic tranſit quidquid ſic producitur, ſed nec ad determinationẽ productionis hîc adhibenda eſt aliqua forma diſtincta, quia nimirum hîc nulla eſt indeterminatio ſolvenda, quum ſupponamus non poſſe rem alio modo à Deo produci: puta non poſſe angelum produci aliter quàm per creationem.

5. Ratio altera eſſe poteſt illa regula doct. cit. Quando fundamentum non poteſt eſſe ſine termino nõ refertur ad illud relatione ſuperadditâ, quod ſuppono alibi oſtenſum, ſed creatura illa, puta angelus aut materia nõ poſſunt eſſe ſine *Deo*, ergo relatio ſeu habitudo, quâ refertur ad *Deum* producentẽ non eſt aliquod ſuperadditum ipſi.

6. Dices, poteſt dari angelus & etiam Deus ſine eo, quòd Deus ſit producens angelum, aut angelus in fieri à Deo, ergo neque angelus, neque Deus, ſed nec utrumque eſt forma à qua deno-

denominatur angelus productus paſſivè. Patet antecedens in angelo heri producto, nam hodie eſt ille angelus & Deus, nec tamen hodie producitur angelus à Deo. Reſpondeo primò negando antecedens: Hæc reſponſio ſupponit angelum quaſi continuò produci à Deo, ſive conſervationem & productionem eſſe idem, quod ferè verum eſt, nam differunt tantùm penes præſupponere aut non præſupponere immediatè non-eſſe. Ex quo poteſt dari altera ſolutio diſtinguendo antecedens, poteſt dari in primo inſtanti, nego, in aliis ſequentibus, transeat; atque ita creatio erit angelus proximè poſt non eſſe.

Dices, ſaltèm hoc ipſum addendum eſt, ſcilicet connotatio non-eſſe, hoc eſt aliquid, ergo jam non poteſt haberi productio paſſiva angeli ſine forma aliqua ſuperaddita angelo, quod eſt intentum adverſæ ſententiæ, ſi enim detur aliqua forma talis, quidni dicatur productio paſſiva in ea conſiſtere?

Reſpondeo non poſſe hoc dici, nam etiam connotatio temporis veſpertini tam neceſſariò requiritur ad cænam, neque tamen connotatio illa eſt cæna; Ita hic, atque adeò verum erit, quòd creatio angeli non ſit quid diſtinctum ab ipſo.

7. Magis moveor contra ſolutiones & concluſionem hâc ratione: Si productio paſſiva angeli ſit entitas ejus, non poterit dari entitas angeli ſine eo, quòd detur productio aut poſitio angeli in eſſe quoad ſubſtantiam, licèt aliqua differentia ſit in connotatione temporis, de qua non curo, nam hoc ipſum videtur falſum, atque hâc ratione probari: poſtquam res aliqua producta eſt non eget tanto influxu ſuæ cauſæ quanto egebat à principio antequam produceretur, & in ipſa ſui productione, ex quo ſequitur, quòd poſtquam producta eſt, habet entitatem ſuam, & non habet dependentiam aut influxum paſſivum cauſæ talem, qualem antè, ſcilicet totalem: ſed implicaret eam non habere dependentiam totalem à cauſa, ſi ipſa entitas ejus eſſet dependentia totalis à cauſa, ut patet, quia aliàs idem maneret, & non maneret, ergo. Probatio illius aſſumpti patet evidenter in effectis naturalibus, nam ignis v. g. eget influxu alterius ignis ut ſit, non eget ut maneat, quia ablato aut deſtructo eo manet, ſicut & manent filii mortuis parentibus, qui tamen gigni non poſſent mortuis parentibus, ergo jam manifeſtum eſt quòd effectus non egent tanto influxu cauſæ poſt productionem eorum ſicut in ipſa productione; cujus ratio fortè eſt, quia ipſi habent virtutem defendendi, & quodammodo conſervandi ſe, ut patet in naturalibus quæ reſiſtunt corrumpenti, Si ergo hunc diſcursũ ſequamur, oportet dicere, quanquam aliqua dependentia ſeu productio paſſiva identificetur, angelo non tamen tota, quia aliquid ejus ſeparatur ab ipſo, quod equidem reputo ſaltèm in aliis probabile.

8. Poteſt tamen ſuſtineri concluſio poſita: de angelo, anima rationali, materia & ſimilibus, quæ accipiunt eſſe per creationem, quia hæc non habent contrarium, cui reſiſtant, & deſinere poſſunt per ſolam annihilationem cui non poſſunt réſiſtere, quum ſit mera voluntas Dei, adeòque videntur perpetuò dependere à Deo, ſicut dependet à ſole radius, qui non habet contrarium, unde hic non minùs dependet in conſervari, quàm in fieri, & filius in divinis ac ſpiritus perpetuò quaſi accipiunt eſſe, pergo, &

9. Dico tertiò: Effectus alii, ſive Dei, ſive cauſarum ſecundarum habent paſſionem correlativè reſpondentem actioni ab ipſis diſtinctam, hoc eſt productionem paſſivam, ſive formam aliquam, per quam denominentur & ſint producti. Ita Doct. citatus tum hic tum Act. præcedenti, & poſt eum alii DD. ſequuti ipſum, etiam Recentes, quanquam hi non diſtinguunt illam ab actione. Caſus eſt in igne, quem dico habere productionem paſſivam quando producitur à Deo, ſive creetur ab eo ſive generetur. Ratio, quia niſi habeat, tum ſi ſupponamus ignem creari à Deo, impoſſibile erit ipſum generari ab eo, ſed neceſſariò debuit per creationem produci, quia nimirum creari identificatur realiter ei, propter quod implicat eum eſſe & non creari: Eadem ratio redit contra generationem, nam ſi generatio paſſiva identificaretur igni, implicaret eum creari, ſeu non generari. Formari etiam poteſt ratio ſic; quando aliquid eſt indifferens ad plura, implicat eum habere aliquod ex ipſis niſi addatur ei aliquod præter ſe ipſum, alioquin enim manens indeterminatum eſſet determinatum; effectus illi, puta ignis, & alia elementa ac mixta ſunt indifferentia ut producantur à Deo, ſive per creationem ſive per generationem, ergo aliquid addendum eſt ipſis, ut dicantur potiùs facta per generationem quàm per creationem, vel è contra.

Hæc ratio probat etiam in productione effectûs à cauſa ſecunda aliquid addendum eſſe, quia nimirum potuit produci ab alia cauſa, ſcilicet prima, unde redit illa ſolemnis ratio: Potuit exiſtere hic effectus & illa cauſa ſpecificativè, abſque eo quòd illa eſſet ipſius cauſa, verbi gratiâ ignis B. potuit eſſe, atque etiam ignis A; ſine eo quòd ignis B. produceretur ab igne A, adeòque ignis B. non producitur ſe ipſo ab igne A. conſequentia liquet, atque etiam antecedens ex his dictis toties, ergo.

10. Et quidem hæc ratio valida eſt planè juxta intellectum recentium Philoſophorum, qui pro eodem accipiunt Actionem & Paſſionem; revera enim convincit aliquid addendum eſſe, ſive ſit Actio, ſive paſſio, ſive utrumque. At verò ſtando in propriis, id eſt veris principiis, quæ diſtinguunt actionem à paſſione, exiſtimo rationem minùs valere in cauſa ſecunda quàm in prima. Moveor, quia in cauſa ſecunda aſſignari poteſt actio quæ ſit forma à qua provenit hæc denominatio, at verò in cauſa prima non, nam non datur actio aliqua in cauſa prima quæ aliquando ſit, aliquando non ſit, ſed una ſemper; atque adeò variatio denominationis (puta quòd creetur res potiùs quàm generetur) non poteſt ab ea tam facilè provenire. Contrarium eſt in cauſa ſecunda, adeòque magis opus eſt paſſionibus quando producitur res à cauſa prima, quàm quando à ſecunda.

11. Pro eodem formo hanc rationem: Dicitur & eſt res, v. g ignis corruptus & deſtructus; & tamen denominatio illa non habetur per aliquam paſſionem, hoc eſt per aliquam formam ſuperadditam & accidentalem, ut nos intelligimus paſſionem, ergo ad denominationes producti eſſe non eſt opus paſſionibus, ſed ſufficiunt actiones, ſicut in eo caſu denominatio deſtructi, eſt à deſtructione activa.

Solvi tamen poteſt hæc ratio, aut ſaltèm retorqueri, quia in hac propoſitione *ignis corruptus* eſt nõ ſolùm prædicatum, ſed etiam ſubjectũ dicen-

dum

Digitized by Google

dum eſſet denominatio extrinſeca, ſi ſequeremur illum modum philoſophandi; adeòque non eſt approbandus. Antecedens patet, quia etiam *ignis* in ſe non eſt, ſicut nec corruptio paſſiva eſt, imò ideo corruptio paſſiva non eſt, quia ignis quod eſt ſubjectum ejus non eſt. At verò id omnino eſt ineptum & riſu dignum, dicere ſcilicet quòd primum eſſe alicujus poſſit haberi per denominationem extrinſecam, nam ſic poſſent res omnes eſſe, & interim omnes illæ nihil eſſe. Sicut ergo ſubjectum illius propoſitionis, ſcilicet *ignis*, non eſt mera denominatio extrinſeca, ita prætendi poteſt, quòd nec prædicatum ſcilicet *corruptus*, ſit.

Quæres ergo, quomodo habeatur veritas illius propoſitionis? Reſpondeo dicendo, quòd propoſitio non ſit de præſenti ut apparet, ſed de præterito, quod ſufficit pro nunc dixiſſe, ita enim ſalvatur quòd ſubjectum ſaltèm ejus non ſit denominatio tantùm extrinſecè licèt prædicatum fortè ſit.

12. Standum tamen eſt concluſioni, quòd ſcilicet etiam in effectibus cauſarum ſecundarum ſit productio paſſiva, tum ne dentur denominationes extrinſecæ, quæ apud doctos pleroſque ſunt omnino infames, tum à paritate productionum cauſæ primæ, ut ſcilicet eſſe productum à prima & ſecunda, ſit quid univocum, ſicut revera eſt, non minùs quàm alia prædicata, quæ inter utramque verſantur, tum denique quia niſi demus productiones paſſivas reſpondentes activis, non facilè ſalvabimus denominationes communiſſimè admiſſas puta paternitatis, filiationis, & ſimiles, ibi enim negavimus relationes ſuccedentes productioni ſive poſteriores ipsâ, ſi ergo negetur ipſa etiam productio non videtur relictus modus ſalvandi denominationem illam, quam tamen neceſsè eſt admittere, ergo. Nihilominus contra hæc vehementer pugnat hæc

13. Objectio: Paſſio eſt productio paſſiva, & productio paſſiva eſt id, per quod res producitur: atqui hoc non poteſt eſſe forma aliqua in ſubjecto exiſtens, ergo implicat hoc prædicamentum paſſionis, ut nos illud explicamus. Vis eſt in minori, quam ſic demonſtro: Id, à quo res habet eſſe productum eſt prius ipsâ, cùm ſit quædam cauſatio ejus; at verò nulla forma in ſubjecto manens eſt prior ipſo, ergo nulla forma eſt cauſatio ſubjecti. Major probata eſt, minor etiam probatur, quia quælibet talis eſt etiam poſterior ſubjecto, cùm ſit effectus ejus, utique enim in ea ſubjectatur & ſuſtentatur, quod eſt eſſe cauſam materialem ejus, ergo.

In hac tamen id ſaltèm pro nobis habemus, quòd non ſit peculiariter contra nos, nam etiam Recentes ac Thomiſtas premit, ſiquidem illi ponunt actionem & paſſionem eſſe idem; actionem autem eſſe in paſſo, adeòque etiam paſſionem, contra quod ſtatim inſurgit illa ratio, quæ ſanè non videtur aliter ſolvi poſſe quàm ut concedatur hîc mutua cauſalitas, ſicut inter materiam & formam; imò videtur non eſſe hîc ſimile, ſed idem; quia nimirum paſſio illa eſt forma, & ſubjectum eſt reſpectu ejus materia: non eſſe autem impoſſibilem hanc reciprocationem cauſalitatum ſuo loco ſum oſtenſurus.

14. Recentes autem, dum fugiunt difficultatem hanc, in majorem inciderunt; ait enim eorum unus (c) & ex ipſo alius (d) paſſionem hanc ſive creationem (quæ apud ipſos eſt actio) eſſe quidem in re creata, at non inhæſivè, ſed (neſcias, quo) alio modo quaſi ſemipendulam. Ita illi, quos tamen facillimè inde trudas; quæres nimirum, utrum creatio illa ſit ex ſe ſubſtantia, an accidens tantùm? Alterum ſanè debet eſſe, neutrum autem poteſt, non ſubſtantia, quia Deus poteſt creare accidens, abſurdum autem eſſet quod creatio paſſiva accidentis eſſet ſubſtantia, & ipſummet accidens duntaxat, ergo. Non etiam accidens propter difficultatem ſuprà tactam, & primò principia philoſophiæ quæ ſemper docuit accidens eſſe ens inhærens, & inhærentiam aliquam eſſe ei eſſentialem: neque actualem inhærentiam poſſe niſi miraculosè ab eo ſeparari; & tamen ipſi dicunt creationem ſuam, quæ eſt accidens, naturaliter eſſe ſine inhærentia: neque enim credendi ſunt exiſtimare quòd fiat perpetuum miraculum quotieſcumque aliquid creatur & quamdiu conſervatur. Et ſanè qui coëgit eos ad hoc dicendum, non debuit ultra perſequi, cum non potuerint incidere in majores ſcopulos, quàm ut neceſsè habuerint nova principia philoſophiæ cudere, quæ nos ſuo loco refutabimus. Imò incidunt in ipſum quod fugiunt, quòd ſcilicet creatio ſit ſubſtantia, quia eſſe in aliquo non inhærenter eſt eſſe ad modum ſubſtantiæ in illo; ſic enim eſt anima humana in ſubjecto, atque ita ſequitur quòd ſubſtantia ſit in accidenti, dum nolunt concedere accidens eſſe in ſubjecto; Cauſa eſt, quia creatio illa eſt ſubſtantia, eſt autem ſecundùm ipſos in accidenti, adeòque.

(c) Hurt. d. 13. phyſic. ſect. 7.
(d) Arriaga diſp. 9. ſect. 4.

Ex his facilè reſpondebis ad quæſtionem: An actio & paſſio ſunt unum realiter, nec ne? Dic enim ea diſtingui, quod per jam dicta probavi.

15. Objici tamen poteſt hoc: Ipſa actio eſt ſua paſſio, non enim in actione datur productio paſſiva, ergo univerſaliter falſum eſt ea diſtingui. Reſpondeo negando ſequelam, quia actio non eſt actio ſui, alioquin ad actionem daretur actio, ſed eſt actio termini, vel diſtinguo conſequens, ergo actio termini non diſtinguitur à paſſione, nego, actio alicujus enim tanquam termini, tranſeat; neque de hoc ago. Iterum ſic; ergo actio non diſtinguitur à paſſione ſibi correlativa, nego, à non correlativa, tranſeat. Tertiò ſic: Actio ut relatio prædicamentalis non diſtinguitur à paſſione, nego; ut tranſcendentalis tranſeat. Actio autem comparata ad ſe ipſam eſt tranſcendentalis relatio non verò prædicamentalis. Sed contrà inſtari &

16. Objici ſecundò poteſt: Quando res conſervat ſe ipſam, ut ſuprà dictum eſt fieri ab entibus naturalibus, ſaltèm tunc eſt actio propriè ſumpta & prædicamentalis, & tamen tunc non diſtinguitur à paſſione, ergo. Minor hæc probatur, quia, quando producens non diſtinguitur à producto ſanè non videtur rationabile quod producere diſtinguatur à produci: tum autem producens non pro diſtinguatur a producto, ergo. Reſpondeo non dari veram actionem alicujus in ſe ipſum, quæ ſit productio ſive incæpta ſive continuata ſui: Quod autem dictum videtur ſuprà & communiter dici ſolet rem conſervare ſe in eſſe, intelligendum eſt de reſiſtentia quam facit contrariis conatibus ipſum deſtruere

 (non

(non autem de productione aliqua ſui.) Iſta autem actio non habet pro termino agens, ſed contrarium potiùs aut rectiùs impreſſiones factas à contrario. Itaque res ad ſummum ſe conſervant in genere cauſæ formalis, ſcilicet retinendo ſuum eſſe, quod non eſt propriè agere ut vides, ergo.

Dic denique paſſionem, quæ vulgò uſurpatur, & à quo quidquam dicitur pati, nequaquam in agente eſſe, ſed in paſſo ſeu mobili; quia nimirum hoc eſt quod dicitur pati, v. g. ignis me calefacit, dico paſſionem eſſe in me non in igne, cujus ulterior ratio à priori eſt, quia hæc paſſio eſt receptio, ego autem ſum recipiens calorem.

17. Per quod ſatisfactum eſt cujusdam Recentioris ſcrupulo: contra hæc ultima prædicamenta, quæ Scotus voluit eſſe relationes extrinſecùs advenientes; dicit ille diviſionem non eſſe adæquatam, quia datur aliqua relatio extrinſecùs adveniens, quæ ad nullum horum pertinet, ſcilicet unio. Erravit enim, quia unio eſt paſſio, etenim res dicitur pati per unionem formæ ad ipſum; unio enim eſt receptio formæ.

Videtur tamen pro ipſo inſtari poſſe ſic: In eo caſu paſſio eſt à calore, etenim ego calorem patior, & ſicut actio eſt calefactio, ita paſſio eſt calefitio, atque ita calor neceſſariò ingreditur paſſionem. Confirmatur, quia paſſio illa eſt violenta ſubjecto, & tendit ad deſtructionem ejus: at verò relatio nulli ſubjecto eſt violenta, neque quidquam phyſicè deſtruere poteſt, ergo. Hoc tamen argumentum ſolvit ſe ipſum, nam non minùs calor ingreditur actionem, quàm paſſionem; quia, ut bene aſſumpſit arguens, ſicut calefitio eſt paſſio, ita calefactio eſt actio, & tamen non agit agens per calorem vel qualitatem, ſed per actionem. Itaque diſtinguo antecedens; Paſſio eſt à calore tanquam termino, concedo; tanquam formâ, nego. Iterum ſic: Paſſio eſt à calore ut quod, concedo, calorem enim patior; eſt à calore ut quo, nego, ſed ab unione, ſed hæc ſunt acumina tantùm, & de re non multùm habent.

De his conſulendi

Authores apologiâ præcedenti deſcripti.

APOLOGIA VLTIMA.

De quatuor poſtremis prædicamentis.

ACTIO I.

De prædicamento Vbi.

ACTIO II.

Vtrum *ubi* habeat figuram, nec ne? & utrum ſit modus, an res?

ACTIO III.

Vtrum *ubi* poſſit ſenſu percipi?

ACTIO IV.

De ſitu Prædicamento: De habitu.

ACTIO V.

De Quando.

Scotus quodlib. 11.

VBi, ut videtur, non eſt forma abſoluta, ſed reſpectus corporis contenti ad locum continentem. Reſpectus autem non neceſſariò conſequens extrema poteſt habere propriam novitatem abſque novitate unius vel alterius extremi, & ideo poteſt habere propriam adquiſitionem, nam ita videtur eſſe de *ubi*.

Idem 4. d. 10. q. 1.

POſitio autem, quæ ponitur à quibusdam aliud dicit, præſuppoſito enim ordine partium in toto poſito dicit ultra hoc ordinem partium ad locum ſive ad partes loci vel locantis, hoc eſt dictu, quòd partes coextendantur partibus Loci, ſicut totum dicitur primo commenſurari toti loco in quo habet ubi, ita quòd poſitio prædicamentum præſupponit poſitionem differentiam Quantitatis, & ſpecificat *ubi*.

ACTIO

ACTIO I.

De prædicamento Vbi.

Breviarium.

N. 1. *Quid, & cum quibus hìc controvertitur?*

2. *Vbi eſt quid ſuperadditum loco & locato: probatur.*

3. *Reſponſio ad probationem. Quid ſit in loco, quod facit eum eſſe violentum aliquando locato?*

4. *Objectio ſatis urgens: Reſponſio Recentium: refutata.*

5. *Refutatio alterius reſponſionis ad eandem. An Vbi ſit indiſtantia?*

6. *Nova refutationes primæ ſolutionis.*

7. *Scotiſtarum aliquot reſponſio rejecta, ibid. ſolutio ultimata difficultatis.*

8. *Alia objectio, an ubi prærequirat applicationem?*

9. *Tertia: an admiſſo Vbi ſuperaddito ſequatur infinitas? rejecta ſolutio Recentiorum.*

10. *Quarta: an locus continuetur corpori locato?*

11. *Solutio hujus & diſparitas inter contigua & continua*

12. *Vltima objectio ſoluta. An producens rem locet eam eo ipſo?*

1. ESt autem Vbi hìc forma, à qua quodpiam denominatur locatum aut præſens, de qua duo reſolvam: unum in quo conſiſtat ſeu quæ ſit entitas illa quæ reddit ſe ipsâ rem præſentem? Alterum, quibus competat? Reliqua differri oportet in tractatum phyſicum, de loco, ubi ſeu in quo res eſt.

Hìc autem eaſdem controverſias & adverſarios habemus, quos ſuprà de actione & alibi de unione. Qui enim illas negant, etiam *ubi* auferunt, & dicunt ipſum nihil eſſe niſi locum & rem locatam; ſicut actionem & unionem dixerunt eſſe ipſarum extrema, non autem formam mediam, ſive abſolutam ſive reſpectivam. Ita Ockamiſtæ tam parci rerum, quas dum carò vendunt, caro etiam defendunt. Minoris enim conſtaret ipſis liberaliter hæc admittere quàm negare, ut patuit hactenus, & patebit.

2. Dico ergo ubi ſeu id, à quo formaliter quidquam eſt præſens ſpacio aut loco, eſſe aliquid ſuperadditum, tam rei locatæ, quàm loco ſeu ſpacio. Ita Subtilis *metaphyſ. q. 6. & quodlib.* 11. & alibi, quem ſequitur non ſui ſolùm, ſed & externi, Recentes præſertim, *Gabriel Vaſq. Franciſc. Suar. Amicus, Arriaga, Hurtado.* Repugnant autem præter Nominales etiam Aureolus, qui quidem concedit aliquid ab extremis diſtinctum, ſed negat eſſe reale; contra quos

Probo concluſionem inprimis, quia terminus actionis realis debet eſſe realis, & non tantùm rationis; *ubi* eſt terminus actionis realis, ſcilicet loco motivæ, ergo. Probo iterum, quia inclinatio realis non poteſt eſſe ad aliquid purè rationis eſt autem ad ubi, quia gravitas & levitas inclinant realiter ad ſurſum & deorſum. Confirmo, & ferè redit in idem; nihil rationis poteſt eſſe connaturale aut violentum enti phyſico & reali; ubi eſt aliquando connaturale, aliquando violentum, ut patet, ergo.

Poteſt etiam prima ratio confirmari ſic: Non eſt rationabile actum primum realem datum eſſe à natura ad actum ſecundum rationis, dati autem ſunt actus primi & principia realia ad ubi, ſcilicet primæ qualitates, quas jam dixi gravitas, levitas, ergo non eſt credibile ubi eſſe aliquid rationis duntaxat.

3. Reſponderet fortè Aureolus ad aliqua horum id, quod eſt connaturale aut violentum, non eſſe ubi, ſeu formam mobili ſuperadditam, ſed ambientem locum. At enim non ſufficit ſic reſpondere, primò, quia locus ambiens ſcilicet ſuperficies eſt ejuſdem rationis utrobique ſcilicet ſurſum & deorſum, nec enim hucuſque audita eſt diſtinctio ſpecifica ſuperficierum, ergo violentia quæ ſit gravi exiſtenti ſurſum non ſit à ſuperficie. Secundò, quia etſi poneremus grave ſurſum in vacuo terminato, ſine dubio violenter ibi eſſet, & tamen non eſſet in ſuperficie, ergo.

Fateor tamen ex altera parte difficile etiam eſſe, quòd relatio ſit violenta alicui, & tendat ad deſtructionem aut conſervationem ejus, quod etiam ſuprà tetigi, atque ita exiſtimo tenendum eſſe, quòd relationes purè prædicamentales, ut ſunt ſimilitudo aut filiatio, vel inæqualitas, non ſint formæ phyſicè violentæ aut etiam connaturales, at verò aliæ iſtæ extrinſecùs advenientes ſicut ab aliis legibus relationum excipiuntur ita ab iſtis, atque inde poſſunt eſſe naturales aut violentæ.

Denique hæc ſententia Aureoli facilè verberatur in eorum principiis, qui cenſent ens rationis non fieri niſi per fictionem intellectû., clarum eſt enim ubi rerum non egere fictione. Demus nullum intellectum eſſe in mundo, niſi divinum, adhuc res omnes ſua *ubi* habebunt, Terra in centro erit cælum in circumferentia alia elementa & mixta in medio erit ergo ubi, non erit fictio (nec enim Deus fingere poteſt) ergo ubi non eſt quid rationis aut fictum.

4. Objicies, res jam ſunt locatæ & ubicatæ; auferatur illis omne, quod ineſt præter ipſas, v. g. huic turri auferantur omnia accidentia, imò deleantur res omnes præter ipſam adhuc turris erit ibi. Confirmo; projiciatur jam res extra convexum cæli, ibi nihil habebit præter ſe, & tamen ibi erit, ergo jam ibi & ubi nihil reale dicunt. Reſpondeo etiamſi auferantur omnia entia rationis, adhuc turris erit *ibi*, atque adeò nec per ens rationis reddetur præſens ibi; vel ſi Aur. hoc neget, negabo ego illi futuram ibi turrim ſi auferantur omnia realia. Itaque hoc argumentum rectè pugnat pro Nominalibus, qui negant omnes omnino modos, & volunt denominationes haberi per ipſa extrema, ſed malè propter rationem toties ſuprà inſinuatam; poſſunt enim extrema illa eſſe in rerum natura, & res non eſſe taliter; v. g. poſſunt eſſe locus & res locata, puta aqua & amphora, abſque eo quòd aqua

ſit in amphora, ergo *ubi* aquæ non conſiſtit neque in aqua, neque in amphora, ſed neque in utroque.

Duo ad hæc dicunt adverſarii Recentes: aliqui diſtinguunt antecedens, poſſunt eſſe quoad entitatem, concedunt, quoad denominationem negant, unde concludunt *ubi* non eſſe aliam entitatem aut realitatem, licèt ſit alia denominatio. Sed hæc evaſio ſuprà vapulavit ſatis, ut non ſit opus toties ad id ipſum redire. Præterea etiam aſſignanda eſt cauſa aliqua, cur antiquæ illæ entitates jam denominent, & non antè. Et, ſi aſſignetur creatum aliquod, dicam ubicationem eſſe illud creatum. Quòd autem voluntas divina non poſſit eſſe illa cauſa probatur, quia voluntas divina (quandoquidem facit objectum ſuum, & non tantum proſequitur, ſicut nos) debet habere novum objectum pro novo actu. Præterea novitas actuum divinorum non eſt intra Deum, ſed extra ipſum in creaturis, ſi ergo Deus habet actum aut quaſi actum novum in eo caſu, debet aliquid novum poni extra. Aut ergo denominatio illa eſt aliquid reale novum, & ſuperadditum entitatibus extremorum; & tunc dicam ubicationem eſſe denominationem & habebo intentum, aut non eſt, & debent neceſſariò addere, ſive aliud aſſignare, aliàs non poterit divina voluntas circa illa hoc modo verſari.

Tertiò etiam contra hanc viam ſic: Quando Deus vult, quòd illa duo, ſcilicet locus, corpus, dent illam denominationem novam, aut hoc liberè vult aut non liberè, ſed neceſſariò; neutrum dici poteſt: ſi enim liberè, jam poterit etiam id nolle, & ſaltèm non velle Demus ni eum facere: certe adhuc res ibi erit, id eſt corpus in loco (quod evidens eſt) uſquequo amovebitur inde realiter, atque ita ſignum eſt quòd eſſe *ibi* non provenit à voluntate Dei præcisè. Non poteſt autem dici quòd hæc neceſſariò velit, tum quia Deus nihil vult neceſſariò extra ſe, tum quia ſi Deus neceſſariò vult ut aqua & amphora quando ſunt taliter ſimul dent denominationem *ubi* & non neceſſariò vult ut dent denominationem quando ſunt ſeorſim, aſſignandum eſt aliquid in ſimul poſitis quod non eſt in illis ſeorſim, aliàs temerè dicitur quòd neceſſariò hoc velit, & non illud.

5. Fatemur ergo aliam evaſionem, quæ dicit Ubi ſeu præſentiam eſſe indiſtantiam atque negationem. Contra quam ſi referas rationem jam propoſitam, quòd indiſtantia ſit aliquid aut nihil: nihil non ſufficit; aliquid autem eſt intentum: Reſpondent indiſtantiam eſſe quòd inter corpus & locum non poſſit interponi aliud corpus: contra quam definitionem malè mihi pugnaſſe videtur qui ſic arguit (a) Duæ ſuperficies corporum ſe tangentes non admittunt inter ſe corpus interjectum, & tamen una non eſt ubi eſt alia id eſt in loco alterius, ergo jam eſſe in loco non eſt propriè nihil poſſe inter corpus & locum interponi. Hoc inquam invalidè dixit, quia primò debuit adferre ſuperficiem ambientem, hujus enim indiſtantiam dicunt adverſarii eſſe *ubi*, non autem cujuscunque. Deinde etiam peccavit inferendo tanquam abſurdum quòd una non eſſet ubi eſt alia: verum quidem eſt id, ſed non efficit quò minus una ſit loco alterius, nam etiam res locata non eſt ubi eſt locus, alioquin penetraretur, & tamen locatum eſt ibi, ſive habet ubi in eo, ergo debet eſſe intra locum, non verò ſeorſim propriè.

(a) Rob. Arriaga disp. 14 phyſ. ſect. 2.

6. Refello aliter ſic: *Poſſe interponi*, quod dicis eſſe *ubi*, aut eſt potentia activa interponentis, ſeu potentis interponere, aut eſt potentia paſſiva ſeu interponibilitas corporis, neque enim tertia eſſe poteſt. At ex his neutra eſſe poteſt, ſi enim ſit potentia activa v.g. ſequitur in primis *ubi* eſſe aliquid ſuperadditum duobus illis ſcilicet loco & corpori, utique enim potentia Dei & creaturarum loco motivæ tales ſunt. Secundò etiam ab ipſis malè allata eſt illa potentia tanquam ſolutio argumenti noſtri, redit enim hoc contra ipſam non minùs. Utique enim poteſt à parte rei exiſtere illa potentia, locus, & corpus, ſine eo quòd corpus ſit in loco.

Præterea indiſtantia eſt præſentia, & eſt negatio ſecundùm hos; contra quod ſic arguo: Nulla negatio poteſt ſe ipsâ auferri; poteſt præſentia, ergo. Major hujus patet à pari vel potiùs à majori, ſi enim relatio (loquor de intrinſecis) non poteſt ſe ipsâ auferri, ſed tantum ad ablationem alicujus poſitivi, quantò minus negatio? ſi indiviſibile non poteſt movere ſeparatum, ſed tantùm conjunctum, quantò minùs negatio? quia illud eſt aliquid, hoc nihil eſt. Minor autem eſt clariſſima, quia ad ubi eſt per ſe motus, ergo. Deinde nulla negatio auferitur, niſi per poſitionem affirmationis oppoſitæ, alioquin inter contradictoria daretur medium; poteſt autem ubi auferri per aliud ubi, ergo utrumque non eſt negatio. Minor hujus eſt etiam clara, quia quocunque alio ubi habito præter illud ditas in amittitur illud, neque enim illa duo ubi quantumvis immediata poſſent eſſe ſimul in eodem, ergo.

Adhuc aliter: Si ubi ſeu præſentia ſit negatio, jam abſentia debet eſſe affirmatio, hoc autem non videtur rationabiliter dictum propterea, quòd veriſimiliùs eſt id quod exigit realem contactum & applicationem eſſe reale, quàm quòd non exigit talem; præſentia autem ſeu ubi exigit, aut eſt hoc, abſentia non item, ergo. Adhuc inſuper; quod promovet actiones reales, debet potiùs cenſeri reale quàm quod impedit eas; præſentia ſeu ubi promovet, diſtantia impedit, ergo potiùs præſentia eſt reale, quia connaturalius eſt ut res ad res, & non-entia ad non-entia mutuo conducant, quàm ut transverſè res ad nihil, & nihil ad res conducant.

Secundè principaliter contra hoc, quod eſt: non poſſe interponi: Poteſt res aliqua habere *ubi*, nec tamen verificari illa non interpoſitio, hinc autem ſequitur ſtatim *ubi* non eſſe explicandum per non interponi, ergo. Aſſumptum patet in re poſita in ſpacio imaginario, quod ne quis putet eſſe imaginationem, dico talem ubicationem non ſolùm eſſe poſſibilem, ſed factam, ſic enim convexum cæli ubicatur, neque enim habet extra ſe ſpacium reale. Subſumptum autem probatur, quia interpoſitio & negatio ejus ſi propriè loquamur eſt inter plura, quoniam ly *inter* importat mediationem, mediator autem unius non eſt, ſed ſaltèm duorum. At verò in eo caſu non ſunt plura. Breviter ſic: Interpoſitio non poteſt eſſe ſine pluribus, *ubi* poteſt, ergo. Minor hujus probatur, ſi demus unam tantùm rem eſſe in Mundo, unum corpus intelige, nam extra illam rem non eſſet alia, nec ipſum ſpacium in quo exiſtit eſt reale, adeòque interpoſitio ibi locum non habet.

Sit tertia refutatio ſolutionis iſta: Demus Angelum occupare locum tripalmarem incipientem

Digitized by Google

rem à muro hujus urbis Romæ, dico angelum non eſſe in loco illo per negationem interpoſitionis aut interponibilitatis; & probo, quia poteſt interponi corpus inter angelum & murum, & nihilominus angelus eſſe ibi, ergo ibicatio angeli nō eſt non-interpoſitio, alioquin ſimul eſſet, & non eſſet idem, quod patet. Probandum eſt aſſumptum, quod facio ſic: Manente angelo in toto illo loco ſive eo occupante tres illos palmos poteſt corpus bipalmare poni in duobus palmis vicinioribus muro, quod quidem evidenter eſt verum, & falſificat aſſertionem illam adverſar. quia tunc eſſet *ubi* angeli, non eſſet negatio interpoſitionis, ergo jam ubi non eſt negatio interpoſitionis; Reſpondebunt fortè non poſſe quidquam interponi inter murum & angelum totaliter ubicatum. Bene eſt, ergo jam in explicatione interpoſitionis cadit ubicatio & in explicatione ubicationis apud adverſarios.

7. Aliqui ex noſtris adhibent diſtinctionem illam familiarem de fundamento & forma, dicentes in eo caſu rem fore in loco fundamentaliter, non formaliter. At hæc diſtinctio prorſus evertit totam hanc machinam de forma diſtincta quæ ſit *ubi*. Si enim poteſt res eſſe in loco alio modo, quàm per ipſam, certè non ſolùm in illo caſu, ſed nec in ullo alio ponenda eſt alia forma. Quæ ratio magis urget ſi explicare cogantur hi homines quid ſit eſſe in loco fundamentaliter? utique enim dicturi ſunt, quòd ſit res eſſe intimè contiguas, unam extra aliam, & ſimilia, quibus habitis nunquam admittenda eſſent *ubi* ſeu modi per quos res fierent in loco formaliter, etiamſi gratis concederentur. Reſpondendum eſt ergo in hoc & ſimilibus implicari tacitam contradictionem, quæ eſt, ablatis omnibus præter ipſam rem locatam, remanſuram illam in loco, eſt enim dicere, quòd remaneat res ablata remanentiâ, quia remanentia quæ eſt *ubi*, eſt unum ex accidentibus ejus. Itaque hoc argumentum procedit ex errore putantium poſſe auferri *ubi* ſine mutatione locali, quaſi per annihilationem aut corruptionem ejus vel ſimile, quod falſum eſt, quum illud ſicut nec poteſt poni, ita nec poſſit auferri niſi per motum localem. Reſtat nihilominus contra hoc

8. Objectio ſecunda: *ubi*, quæ eſt forma diſtincta ſupponit rem eſſe in loco, ergo per *ubi* non redditur res in loco. Sequela eſt evidens, nam nulla cauſa ſupponit effectum ſuum, ſed facit, adeòque effectus formalis *ubi* non eſt ponere rem in loco. Antecedens autem videtur ſic probari, quia illud ubi non poteſt reſultare niſi in rebus intimè applicatis, alioquin dicam, quòd hic Romæ manens poſſim habere ubi Hybernicum aut Neapolitanum, ſi ergo non poſſum habere ubi Hybernicum, niſi in Hybernia ſim, ſignum eſt, quòd prius ſit me eſſe intra ſuperficiem aliquam Hybernam, quàm habere reſpectum ad illam, qui ſit ubi. Sed nego huic antecedens, nam *ubi* non ſupponit rem eſſe in loco, ſed facit. Probationem etiam diſtinguo: ubi non poteſt reſultare niſi in rebus intimè applicatis antecedenter, nego, niſi in applicatis concomitanter, concedo, hæc autem applicatio eſt ipſum *ubi*. Vnde dicere quòd ubi non poteſt reſultare, niſi in rebus applicatis eſt una veritas ſynonyma iſti, Applicatio non poteſt eſſe niſi in rebus applicatis. Tertio

9. Objicere ſolent nobis infinitatem, ſi enim dentur, ubicationes illæ habebunt infinitas partes, quæ videntur abſurdæ ſicut quælibet infinitas in creatis. Huic argumento reſpondit Recentior aliquis non eſſe cavendam infinitatem hîc, quia etiam res ubicata habet ſuam infinitatem partium, unde non eſt mirandum, quòd ipſum *ubi* eam habeat. Rod. Arriaga *citat. 1. ſubſ. 6.*

Sed enim iſte non invenit hic paritatem; minùs enim abſurda eſt infinitas materiæ, quàm infinitas ubicationum, eò quòd materia, puta corpus ubicatum, ſit quid permanens, ubicationes autem ſunt fluentes plerumque, ut quando aliquid ſucceſſivè tranſit per plura loca. In caſu materiæ habetur una tantùm infinitas, & quidem manens, hîc autem habentur infinitates rerum, quæ etiam ſtatim corrumpuntur, & totidem de novo producuntur.

Melius ergo attuliſſet paritatem ipſius motûs, qui conſtat infinitis partibus, & quidem corrumpendis ſtatim: ſed nec iſta paritas eſt plena, quia in motu corrumpuntur res, quæ non poſſunt durare ſcilicet partes ipſius motûs, quæ cùm conſiſtant in fieri & fluxu, nec poſſit una alteri coexiſtere, debent neceſſariò aboleri ſtatim & deſinere. At verò ubicationes non ita, poſſunt enim ubivis durare, ut patet in corpore quieto, quod retinet permanenter ſuum ubi, ergo.

Hoc argumentum duabus viis evacuatur omni vi: Primâ, ſi dicatur *ubi* eſſe indiviſibiliter in rebus, tum enim nulla infinitas habetur, ſed ſola unitas, ac non tantùm paucitas. Secundâ, ſi negetur infinitas partium materiæ & conſequenter cujuſque continui. Præcedens via eſt improbabilis propter rationes in oppoſitum facientes; ſecunda propter Ariſtotelem, qui eſt ab oppoſito. Reſpondendum ergo eſt pro nunc dari & corrumpi aliquando infinitates ubicationum circa idem corpus, quod non eſt ſingulare, quia etiam dantur & corrumpuntur infinitæ etiam alterationes circa idem, quum v.g ſol ſucceſſivè illuminat, & colorat aërem. Item, cùm agens naturale deſtruit unum contrarium per inductionem alterius in ſubjecto diviſibili, tum enim contingit corruptio & generatio cujuſdam infinitatis hinc inde

10. Objicio ipſe quartò: Si daretur *ubi*, quæ eſſet forma ſuperaddita & non tantùm ipſa duo applicata ſequeretur locum & locatum eſſe continua loquendo de corporibus, hoc eſt falſum, ergo. Minor vel inde patet, quia tum locus non eſſet locus, nulla enim pars rei eſt locus ejus, at locus tunc eſſet pars locati, ergo non eſſet locus ejus. Sequela majoris probatur, quia illa ſunt continua inter quæ datur unio, datur autem inter locum & locatum in eo caſu, quod probo oſtendendo illud *ubi* eſſe unionem. Quod non poteſt auferri niſi per ſeparationem eſt unio, non poteſt illud ubi auferri niſi per ſeparationem, ergo eſt unio: Major hujus diſcurſûs accipienda eſt de corporibus & ſuperficiebus, cæterum enim notum eſt multa uniri, quæ non ſunt materia continuationis, ut accidentia & formæ omnes ſuæ materiæ. Ad hoc reſponderi poteſt negando ſequelam eò quòd continua uniantur in diviſibilibus, quale non eſt *ubi*. Fateor, valet reſponſio ex ſuppoſitione illius ſententiæ: quia autem probabilis eſt illa, quæ abſtulit omnia hujuſmodi indiviſibilia mathematica ex continuo, & ponit uniones relativas, redit argumento ſua vis. Reſponderi ſecundò poteſt illa non eſſe continua,

Digitized by Google

nua, talia enim ſunt illa, quorum uno motu movetur alterum; at verò locus & locatum non ſunt talia, quum locus ſit immobilis. Hæc ſolutio facit ne ſequatur locum eſſe continuatum locato, non facit ne ſequatur ſuperficiem ambientem eſſe continuam illi quod ipſum tamen falſum eſt; v. g. non probat quin vinum continuetur vaſi.

11. Reſpondeo ergo aliter dando diſparitatem inter continua & contigua, etiam renunciando pro nunc indiviſibilibus, & eſt iſta, quia continua reſiſtunt ſeparanti, contigua non. In noſtro caſu locus & locatum non reſiſtunt ſeparanti, adeòque ſunt contigua tantùm non continua.

Dicet aliquis contrarium eſſe verius, nam, quum quis movet grave, experitur reſiſtentiam, & tamen grave non eſt contiguum loco. Reſpondeo dupliciter, & primò dico diſparitatem nihilominus & definitionem meam eſſe ſalvam, quia licèt grave reſiſtat, tamen locus non reſiſtit. Dixi autem illa eſſe continua, quæ reſiſtunt ſi enim grave eſſet continuum loco, non minus ipſum reſiſteret quàm locus, ſecundò dico reſiſtentiam illam gravis non fieri ſeparanti præciſè, ſed elevanti: non ergo patitur quis difficultatem loco movendo grave, quia avellit ipſum à loco, ſed quia detinet ſupra centrum, cujus ſignum eſt quod in locis æqualiter elevatis ſupra centrum æquam patitur difficultatem; & adhuc evidentius ſignum eſt iſtud, quia mejorem aliquando patitur difficultatem in loco-motione gravis parvi quàm magni. At verò in magno corpore major eſt ſeparatio, ergo non eſt unitas aut continuitas quæ reſiſtit, ſed pondus.

12. Objicio ultimò: Poteſt aliquid eſſe in loco ſine ulla cauſa *ubi*; non poteſt autem eſſe *ubi* ſine aliqua cauſa ſui, ergo res non eſt in loco per *ubi*. Minor & conſequentia liquent. Probo majorem, demus enim Deum aut aliam cauſam habere actionem creativam vel generativam præciſè, nullam aliam circa Lapidem; fiet lapis eo ipſo, & non fiet tantùm, ſed etiam in loco erit. Ibi autem non eſt cauſa ulla ubicationis, quæ ſit forma diſtincta, ergo nec illa eſt talis, neque datur quod eſt intentum. Ratio hujus eſt, quia ſi ibi eſſet, eſſet improductum, à nullo enim producta eſt, quia hìc interceſſit productio ſubſtantiæ tantùm ſcilicet generatio vel creatio, qui non ſunt motus ad ubi, ergo. Sed nego huic majorem, & dico non poſſe haberi actionem purè generativam vel creativam; aut enim ſimul dabitur actio localis ſeu locativa termini producti, aut ipſa productio ſe ipsâ erit locatio ejus; quod ſecundum ſi quis teneat, tenere etiam debet quòd in hâc productione non poſſit terminus, puta lapis ille produci in alio loco. Non eſt autem mirandum, ſi dicamus quòd non poſſit haberi actio productiva rei ſola, quia neque ipſa res poteſt haberi ſola, ſcilicet ſubſtantia ſine omni accidente: non enim poteſt haberi quantitas ſine figura, nec qualitas ſine intenſione aut remiſſione, nec quidquam ſine *quando*, ſive coexiſtentia aliqua ad durationem aliquam. In quo ſanè dici poſſum petere utcumque principium; revera enim idem eſt de *quando* ratione reſpectu rei, ac de *ubi* & hæc ipſa ratio de *quando* formari poteſt ut probet ipſum non eſſe aliquid ſuperadditum rebus; ſed de hoc infrà.

ACTIO II.

Vtrum *ubi* habeat figuram, nec ne? & an ſit modus, an potiùs res?

Breviarium.

N. 1. Ubi *omnium tam corporum quàm ſpirituum eſſe figurata; probatur.*
2. *Objectio: an ſpiritus ſit capax formæ diviſibilis?*
3. *Solvitur, & deciditur num ubicatio transferri poſſet extra locum ſuum?*
4. *Objectio altera ſoluta. An indiviſibile replicatum faceret figuram?*
5. *Alia dubia adhuc ſoluta. An corpus Chriſti ſit in punctis panis & vini? Item an figuratum in Euchariſtia?*
6. *Explicatur natura modi, ut modus opponitur rei?*
7. Ubi *eſt modus, non verò res, probatur?*
8. *Alia probatio hujus; quid ſit actus ſecundus,*
9. *Tertia & quarta probatio: an formæ præſtare poſſint effectum ſuum ſeparata?*
10. *Cur aliquid ſit judicandum modus, & non res?*
11. *Objectio altera, an actus vitales ſint modi?*
12. *Quid de formis abſolutis generaliter quoad hoc cenſendum ſit?*
13. *Num in Euchariſtiæ Sacramento ſint plures formæ ſeparatæ an una tantùm?*
14. *Vltima objectio expedita, an perſonalitas ſit modus?*

1. Circa primam partem dubitari poteſt, de quibus ſit quæſtio? de corporibus tantùm, an de rebus omnibus etiam ſpiritibus? quia nimirum videtur de ſpiritibus non poſſe dubitari, eò quòd pars negativa videatur certa. Ratio, quia indiviſibile non poteſt figurari, ſpiritus eſt indiviſibilis, adeòque.

Dicendum tamen exiſtimo *ubi* tam corporum quàm ſpirituum eſſe figurata. In hac non invenio auctores pro aut adverſum me, vix enim hactenus ventilata eſt: videtur tamen Scotus dicturus hoc ipſum, ſi dubitaret aut quæreretur, quia *2. d. 2. q. 6. n. 11. & 12.* ponit angelum in loco redigi ad quadraturam.

Ratio, quia omne diviſibile finitum eſt: figuratum; *ubi* cujuslibet exiſtentis eſt diviſibile & finitum, ergo figuratum. Vis eſt in minori, in qua moneo mihi ſermonem eſſe de corporibus ac ſpiritibus finitis in ſubſtantia & quantitate ſeu extenſione; nam neque ubi Dei finitum eſt, neque corpus infinitæ molis figuraretur, ſi daretur, cùm figura ſit in finibus ſeu extremitatibus rei,

iſta

Digitized by Google

iſta autem non habeant fines, ſed eſſent immenſa, ſi darentur. Probo jam ipſam minorem, cujus difficultas eſt ex parte ſpiritus; oſtendo autem ubi illius etiam eſſe diviſibile: Demus angelum occupare integram aulam, dico occupationem illam in angelo eſſe diviſibilem, quia nimirum non eſt eadem forma, quâ occupat hunc angulum & quâ occupat angulum ex diametro oppoſitum, ergo jam forma quâ occupat utrumq; eſt diviſibilis: illa eſt ubi totale ejus, ergo hæc eſt diviſibilis. Antecedens probatur, quia poteſt angelus ſe retrahere ab illo angulo Boreali v. g. & eſſe totus in Auſtrali, quo caſu haberet ubicationem & occupationem anguli Auſtralis non habendo occupationem anguli Borealis; id autem eſt certiſſimum ſignum diſtinctionis horum, atque adeò diviſibilitatis, quia indiviſibile non poteſt diſtingui aut ſeparari, eſſet enim diſtinguere & ſeparare idem à ſe, quod implicat, ergo.

2. Objicies: Diviſibile non poteſt ſubjectari in indiviſibili: Angelus eſt indiviſibilis, ergo ubi ſubjectatum in eo non eſt diviſibile. Nego huic majorem, & oſtendo negandam, quia qualitates angeli poſſunt intendi & remitti, utique enim unus eſt alio ſapientior, unus alio beatior. Deinde poteſt ſucceſſivè moveri, omne ſucceſſivum involvit partes; ſi ergo in angelo motus eſſe poteſt, clarum eſt in eo poſſe eſſe aliquid diviſibile in partes.

Videor tamen inſtaurare rationem ſic: Aut ubicatio illa & occupatio anguli Borealis eſt in angelo poſito in angulo Auſtrali, aut non; ſi non, tunc non ſolùm ubicatio angeli eſt diviſibilis, ſed ipſe: habet enim partem, in qua eſt illa ubicatio, & aliam, in qua non eſt. Si autem ſit, tum imminet aliud non minùs inconveniens quòd angelus in Boreali angulo ſit in angulo Auſtrali, id eſt, quòd ille etſi non conſideretur niſi ut in angulo Boreali, ſit in Auſtrali, quod videtur repugnare terminis: & confirmatur clariùs, quia, ſi angelus in angulo Boreali habet ubicationem anguli Auſtralis ſequitur quòd ubicatio Boreæ eſt in Auſtro, adeòque ubicatio trahi poteſt extra locum ratione cujus ubicat ſeu locat, quod eſt intolerabile, ſi enim ubi eſt affixum ſubjecto, multò magis loco. Et ſi locus ſit immobilis, certè etiam locatio.

3 Occurrendū tamen eſt dicendo, quòd ubicatio Borealis non ſit in angelo poſito apud Auſtrum, quod neceſſariò tenendum eſt ob rationem contra oppoſitum adductam, quia nimirum aliàs ubicatio Boreæ eſſet extra Boream. Ad rationem contra hoc nego angelum proinde eſſe diviſibilem, nam non eſt, ut imaginatur arguens, ubicatio illa in una parte angeli, & in alia non, ſed eſt in toto angelo poſito in Borea, & non eſt ullatenus in eo poſito in Auſtro: ſimile eſt, ſi ego hîc manens replicarer in Hybernia, vel, quod magis rem declarat, ſi punctum aliquod eſſet ſimul hîc Romæ, & in Hybernia replicatum (quod dicemus poſſe fieri) eo autem facto, ubi Romanum non foret in Hybernia, cujus cauſa non eſt quòd punctum haberet partes ut patet, ſed quia non poteſt hoc transferri extra Romam. Imò id non eſt ſingulare in præſentia aut *ubi*, ſed verificatur etiam de aliis multis quæ competunt rei exiſtenti in uno loco nec comitantur ipſum in alio, de quo alibi.

4. Objicio ſecundò: Quum angelus non habeat partes, non poteſt eſſe figuratus v. g. rotundus, niſi, quatenus ipſe in una parte loci poſitus replicaretur in alia vicinia & iterum in tertia per lineam curvam & magis curvam uſque dum peracto primo circulo rediretur ad primū punctum: Hoc autem non poteſt contingere angelo, aut, ſi poteſt, non ſufficit ad figuram, quod oſtendo exemplo, ſi enim accipiamus punctum mathematicum & illud replicemus juxta ſe ipſum non faciet figuram; imò nequidem ſi ponantur alia puncta loco ejus in ſecundo & tertio, ac reliquis partibus ſpacii per lineam curvam ut ſuprà, quod quidem ex terminis notum aut propè notum eſt propter principium illud: Indiviſibile additum indiviſibili non facit majus: ſi autem non facit majus, certè non faciet figuram aut figuratum, quia quodlibet figuratum eſt majus indiviſibili, quum ſit diviſibile.

Reſpondeo hoc argumentum nimium probare, probat enim, quòd angelus aut ſpiritus non poſſit occupare ſpacium diviſibile, quod falſum eſſe conſtat in anima rationali, quæ coextenditur corpori diviſibili & magno. Concedo ergo principium hujus diſcursûs, & nego id non poſſe angelo contingere, neque oppoſitum convincitur ratione ſequenti, quia nimirum procedit de indiviſibilibus illis mathematicis, & quantitativis duntaxat, aliàs neque Deus poſſet occupare ſpacium diviſibile (cùm tamen occupet omnia) quia eſt etiam ſpiritus, atque ita indiviſibilis. In forma ergo diſtinguo aſſumptum illud & ipſum axioma: Indiviſibile tam formaliter quàm virtualiter additum ſimili non facit majus, concedo: Indiviſibile formaliter tantum non facit, nego: talis autem eſt ſpiritus, qui cum hoc quòd ſit formaliter indiviſibilis eſt virtualiter diviſibilis, quia habet virtutem coextendendi ſe corpori diviſibili & extenſo.

5. Habeo tamen aliqua in oppoſitum (propter quæ poſui concluſionem indefinitam, non verò univerſalem) & ſunt iſta; quia ubi corporis propriè ſumpti, hoc eſt profundi aut profunditatis, non eſt figuratum, cùm ſit medium in dimenſionibus, figura autem ſit in extremitatibus.

Deinde corpus tam ſubſtantiale, quàm quantitativum redactum ad punctum non eſſet figuratum, quia nec extenſum. Quod fortiori dicendum eſt de angelo retrahente ſe ad punctū ſpacii.

Dices: Corpus Chriſti in Euchariſtia habet figuram, & tamen eſt in quolibet puncto, ergo ſine cauſa excipimus à corporibus figuratis corpora reducta ad punctum. Reſpondeo: Non cogor concedere corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe in quolibet puncto, ſed tantùm in qualibet parte, quia ſuccedit pani.

Inſtabis, in ipſo pane fuerunt puncta, habent enim ſubſtantiæ ſua puncta ſubſtantialia, in quibus ſubjectantur puncta quantitativa, ergo, ſi ſuccedit pani ſuccedit punctis. Nego conſequentiam & do rationem negatæ, quia nimirum Corpus Chriſti Domini ſuccedit pani tanquam alimento, puncta panis non ſunt alimentum, neque enim aleretur quis etſi converteret in ſe infinitatem punctorum. Adhuc tamen inſtari poteſt ex Tridentino quod *ſeſſ* 13. *cap.* 4 *& can.* 2. definit converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in Chriſti corpus, ſubſtantia autem panis totaliter ſumpta includit etiam ſua indiviſibilia, quod patet, & probatur nihilominus, quia ablatis omnibus punctis nō remanet panis quum nō remanet continuum. Sed ℞, etiā huic negando conſequentiam Concilium Trident.

vel diſtinguendo majorem ſic: Subſtantia panis totaliter ſumpta includit indiviſibilia, tanquam partes nego, tanquam vincula partium concedo: Id autem non facit illa converti in corpus Chriſti: quod à ſimili declaratur; ſi enim corpus Chriſti converteretur in alium hominem, deberet quidem ſuccedere animæ & corpori ejus, non tamen unioni eorum. Vnde, ſi ſuccederet per præſentiam circumſcriptivam, non deberet eſſe ibi ter ſed bis, ad numerum partium non computatâ unione.

Aliter dici poteſt ad dubium principale quòd quidem corpus Chriſti habet figuram quantitativam de qua loquimur, ut eſt in tota hoſtia, non autem ut eſt in ſingulis punctis. Sciendum enim duplicem eſſe figurā unam ſubſtantialem, quæ eſt ordo partium ad ſe in qua conſiſtit organizatio, alteram quantitativam, ratione cujus corpus dicicitur quadrum rotundum & ſimilia; hanc non habet niſi ut in tota hoſtia eſt, vel in parte diviſibili: Aliam habeat ut voles, noſtra non refert in præſenti, ſive ſic, ſive non.

6. Quoad ſecundam tituli partem, quidam ex Recentioribus viſus eſt ſibi cæteros correxiſſe aſſerendo quòd *ubi* non eſſet modus, ſed res Intelligit autem per modum formam, quæ ſe ipſo determinata eſt ad hoc ſubjectum, atq; ita ſe ipsâ afficit illud, ſicut dicitur actio ſe ipsâ egredi à ſubjecto ſine alia actione, actionis enim non datur actio: *Quando* etiam ſe ipſo dicitur eſſe in tempore, & ſimilia omnia ſibi dant ſuos effectus, & ſe ipſis affixæ ſunt ſubjectis illis quibus inſunt de facto, aliàs ſequeretur infinitus proceſſus formarum, v.g. niſi actio, quâ ego ſcribo, ſe ipsâ eſſet determinata ad me, ita ut non poſſet eſſe alterius egeret aliquo determinante ipſam ad me; de illo autem determinante quærā, ſitne indeterminatum an non? ſi ſic? egebit determinante in infinitum; ſi non, jam erit ſtatus in illo, imò propter eandem rationem erit ſtatus in ipſa actione, & hic diſcurſus vadit per omnes modos & per omnia ſex ultima prædicamenta, propter quod illa cenſendi ſunt modi. Contrariū eſt in eo quod dicitur *res*. Sic albedo non eſt ſe ipsâ hujus muri magis quàm alterius; ſit autem hujus muri per unionem.

Hoc poſito ille ſtatuit concluſionem contra communem, dicens *ubi*, ſeu præſentiam non eſſe modum: quam aſſertionem tuetur ſive defendit tantùm; ſcilicet nō probat oſtenſivè, ſed conatur tantùm evadere aliorum argumenta, quod revera facit de illis, quæ ante ſe vidit; adferam etiam infrà poſitivum fundamentum pro ipſo, quo non obſtante

7. Tenendum eſt mordicus *ubi* ſeu præſentiam localem eſſe modum. Ita D. Subt. *quodlib.* 11. *citato* in themate, quo loco non quidem in terminis quæſtionem tractat, ſed ea principia tradit, quæ neceſſariò referunt hanc veritatem, quam ſequuntur non ſolùm Subtiles, ſed Recentes uſque ad hunc noviſſimum excluſivè, ut ipſe fatetur. Addo tamen ex Recentibus hunc optimè omnium de *ubi* ſenſiſſe. Si enim teneatur (quod Thomiſtæ communiter docent) *ubi* eſſe forma abſoluta, veriùs eſt, quòd ſit res, & non modus.

Primam partem probo ex oppoſito ſecundæ; quia nimirum relatio omnis eſt modus. Omne ubi eſt relatio, adeóq; omne ubi eſt modus. Probatio majoris: relatio omnis eſt eſſentialiter hujus ad hoc, ergo ſe ipsâ eſt hujus ad hoc, atq; adeò ut ſit hujus tanquam fundamenti, non eget alio ſuperaddito: non poteſt eſſe hujus, ut fundamenti, niſi ſit hujus tanquam ſubjecti, ergo denique ſe ipſo eſt in hoc ſubjecto, & non per aliam unionē quod eſt propriiſſimè apud hos eſſe modum.

Explicatur ratio: ut *ubi* v. g. ſit ad hunc locum non eget formâ determinante, quia æquè habet ubi & relatio omnis iſta duo eſſe ſubjecti atque eſſe ad terminum; eſſentialiter enim eſt alicujus ad aliud, dicere, jam quòd ſit *ad aliud* determinatè *alicujus* indeterminatè eſt planè gratuitum, ac voluntarium, ex quo aliter inſtaurari poteſt argumentum ſic: Si dicatur quòd *ubi* ſit unitum huic ſubjecto per aliam formam, poterit dici ubi eſſe omnino forma abſoluta, quæ ratio currit de omnibus relationibus, etiam ſimilitudine: hoc autem eſt intolerabile ut ſuppono, ſed probo ſequi, quia ſicut tu dicis quòd ubi aut ſimilitudo ſit hujus ſubjecti per formam ſuperadditam, ita dicam ego quòd ſiat ad hunc terminum per aliam formam quæ ſit terminatio, atque ita relatio ſecundùm ſe conſiderata erit in entitate ſua quid abſolutiſſimum, nec referet, ſed referetur, idq; per formas ſuperadditas, ſicut qualitas aut ſubſtantia.

8. Probatio ſecunda ejuſdem, quanquam ferè recidat in priorem: Omne exercitium actuale ſive actus ſecundus neceſſariò eſt modus; *ubi* eſt tale, ergo *ubi* eſt modus. Minor non eget probatione, quia eſt actualis poſitio rei aut detentio actualis ejus in hoc loco, ut ſupponimus, alioquin non poterit res ulla ubicari ſine infinita catena ubicationum, ut ſuprà ſæpe deductum eſt. Major ergo probatur, quia actus ſecundus apud Philoſophos eſt ultimus, nec enim hactenus in ſcholis auditus eſt actus tertius aut alius ulterior. Atqui non eſſet ultimus, niſi ſe ipſo eſſet determinatus ad hoc ſubjectum, quod probo facilè, nam ſi eſt indeterminatus, jam eſt potentialis ad aliud ſubjectum, nec poteſt eſſe hujus præ illo, niſi actuetur, & quaſi contrahatur ad hoc ſubjectum, patet, ergo.

9. Tertia probatio ſit iſta: Quia formæ illæ cenſendæ ſunt res, & non modi, quæ poſſunt habere effectum ſuum extra ſubjectum, & conſequenter ſeparari poſſunt: ſic quantitas, quia ſe ipsâ extendi & extendere poteſt, eſt res, atque ita ſeparabilis à ſubjecto, quod de facto contingit ei in Euchariſtia; ſic albedo & calor (quia fungi ſuis muneribus poſſunt extra ſubjectum, albedo enim ſeparata diſgregaret viſum & calor calefaceret) & ſic de aliis, hæc inquam omnia ſunt res, & proinde ſeparari poſſunt à ſubjecto; ex quo ſtatim ſequitur quòd non ſe ipſis uniantur ei, aliàs non poſſent manere poſt ſeparationem, at verò quæ non poſſunt frui ſuo effectu formali & fine ad quem ordinata ſunt niſi unita ſubjecto, ni fallor rationabiliter dicentur ſe ipſis uniri ſubjecto, & non poſſe ſeparari, ac ſeparatim manere, ne contingeret in natura eſſe aliquid cujus nullus ſit uſus. Sic eſt ubicatio, non poteſt enim dare effectum ſuum quod eſt conſtituere rem, hîc aut ibi, niſi ipſa inſit rei, ſic ut non poſſit ſeparari. Quod autem inſeparabile eſt, ſine cauſa dicitur uniri aliâ unione, ſuperflueret enim illa manifeſtè, ergo. Non utor rationibus Recentiorum, quia fragiles ſunt & obnoxiæ ſolutionibus quas jam citatus adhibuit.

Libet tamen contra hunc adhuc etiam ad hominem argumentari: Actio ſecundùm ſe eſt modus, ergo ubicatio. Vis argumenti eſt in paritate,

quam difficillimè evadere poterit adverſarius; ſicut enim dicit ipſe, quòd *ubi* conjungitur corpori ubicato per unionem, quæ eſt forma ſuperaddita, ita dicam ego de actione; vel ſi actio poteſt ſe ipsâ uniri ſubjecto, quidni ubicatio? Quod argumentum inde fortius evadit, quia ſi ſequimur hujus hominis ductum non dabitur ullus modus in rebus præter unionem, quælibet enim alia forma conjungetur ſubjecto mediâ unione, nam quidni? ſed audiamus ipſum.

10. Objicit autem: Ideo aliquid eſt modus, quia, ſi non eſſet, daretur proceſſus in infinitum. Sed etſi ubicatio non ſit modus, non proinde dabitur proceſſus in infinitum, quia ſtatus erit valde vicinus, ſcilicet in ſecunda forma, quæ erit unio. Reſponderi poteſt majorem negandam eſſe etiam ipſi arguenti, nam licèt actio non eſſet modus; ſeu, licèt non uniretur ſe ipsâ, non daretur proceſſus infinitus formarum, quia ſtatus eſſet in ſecunda quæ eſſet unio. Sed revera non puto ipſum teneri ad negandam majorem; nec ad retractandam ſententiam ſuam de actione; cujus rationem aſſignare poſſet iſtam, quia ſi actio non uniatur ſe ipsâ debet uniri per unionem; Illa autem unio debet produci per actionem ſine dubio, atque ita dantur duæ actiones; hæc actio non unitur ſe ipsâ ſubjecto, debet ergo habere diſtinctam unionem, & diſtincta unio diſtinctam actionem, & ſic in infinitum, quod non habet locum in ubi, ut videre eſt, ergo. Reſpondeo ergo rationem jam eſſe aſſignatam cur aliquid cenſendum ſit modus, & quidem ſæpe: prima enim cauſa hujus cur aliquid ſit modus eſſe poteſt, quia eſt relatio, omnis autem relatio eſt modus. Secunda cauſa eſt, quia eſt actuale exercitium & actus ſecundus; Tertiò, quia aliàs eſſet otioſum in rerum natura & inutile. In his autem, maximè in prima includitur ratio illa de proceſſu infinito, quem libet mihi in gratiam Lectoris ſic deducere, ſi enim ubicatio v. g. aut ſimilitudo ſit relatio, & non ſit modus ſive non uniatur ſe ipsâ, dabitur proceſſus infinitus unionum; prima erit illa quâ unitur ſimilitudo aut ubicatio ſubjecto; ſecunda erit unio hujus primæ unionis, tertia unio ſecundæ, & ſic in æternum & ultra. Dicturus eſt adverſarius ſtatum eſſe in prima unione, ſed ego dico non eſſe, niſi ſit ſtatus in ipſa ſimilitudine, ſicut enim ipſe imaginatur ſibi ſimilitudinem tanquam formam aliquam abſtractam, quæ poſſit pluribus applicari & nullius ſit determinata ante illam applicationem, ita ego intelligam unionem illam eſſe quidem unionem ſe ipsâ, at non eſſe ſe ipsâ unionem hujus aut illius antequam per aliam formam determinetur. Vides proceſſum æquè longum utrobique, ſed

11. Objici poteſt adhuc ſecundò: Si ubi ſit modus & rationes concluſionis hoc de ipſo probant, debet dici quòd etiam actiones vitales puta viſio, intellectio, amor ſint modi: hoc autem eſt novum, & contrarium eſt receptiſſimum in ſcholis, ergo. Sequela probatur, quia iſta ſunt actus ſecundi, & exercitia potentiarum, præterea ſunt hujus ab hoc, id eſt ſunt attingentiæ horum objectorum, ab his potentiis ut ſuprà, ergo jam non ſufficiunt probationes concluſioni. Reſpondeo primò nondum probatam eſſe abſurditatem ejus ſententiæ quæ diceret actiones vitales eſſe modos, quòd autem oppoſitum dicatur eſſe receptum in ſcholis, eſt quidem verum, ſed non prohibet contrarii probabilitatem, imò nec veritatem. Reſpondeo ſecundò negando conſequentiam ab ubi ad actiones vitales, quia nimirum actiones illæ, aut, ut proprius dicam, actus ſunt entitates abſolutæ, tales autem non facilè eſſe poſſunt modi ut in concluſione dixi & hîc.

12. Probo, quia, ſi formæ abſolutæ eſſent modi, non daretur unio, nec eſſet modus, hoc omnes negant, ergo. Sequela autem probatur, quia ad uniendas relationes non eſt neceſſaria, ſi ergo nec ad abſoluta unienda requiritur, jam omnino ſuperfluit in natura, nec eſt quòd quiſpiam dicat requiri ad aliqua non requiri ad omnia, ſtatim enim patietur hoc dicens conſequentiam à paritate, quam non facilè evadet, & quæ aliter probat concluſionem, ſic:

Videmus aliqua abſoluta accidentia non uniri ſe ipſis (id autem apud hos eſt non eſſe modum) ſed non eſt, cur dicamus hoc de illis magis quàm de aliis, imò communiter colligitur ex ſeparatione actuali aliquorum accidentium abſolutorum ſeparabilitas ſaltèm aliorum, ergo nulla abſoluta dicenda ſunt eſſe modi. Major hujus patet in Euchariſtia, in qua accidentia abſoluta ſeparantur à ſubjectis, ſi autem eſſent modi non poſſent ſic ſeparari, quia quod ſe ipſo unitur, impoſſibile eſt ut ſit niſi ſit unitum, modus autem ſe ipſo unitur, ergo illa non poſſunt eſſe modi, nec alia abſoluta à paritate. Confirmo, quia alioquin non rectè diceremus accidentia ullius ſubjecti poſſe ſeparari ab ipſo niſi ſolius panis & vini, id autem certum eſt eſſe falſum, ergo jam hîc eſt locus paritati; atque ita quandoquidem videamus dari aliqua abſoluta quæ non ſunt modi, debemus cenſere quòd abſolutum ex ſe excludat rationem modi, eò magis quòd videmus relationes omnes eſſe modos, ut ita utrique enti aſſignemus conditiones univerſaliter oppoſitas, & dicamus relationibus omnibus convenire rationem modi, abſolutis omnibus negationem modi.

13. Dices me non videre in Euchariſtia aliqua accidentia ſeparata præter ſolam quantitatem, qualitates enim ſunt in quantitate. Reſpondeo primò Sit ita, ex ipſamet quantitate poterit trahi paritas, quia etiam ipſa eſt accidens abſolutum. Reſpondeo ſecundò admittenda eſſe in Euchariſtia plura extra ſubjectum, quia in Concilio Conſtantienſi tam in corpore Concilii *ſeſſ.* 15. quàm in bulla Martini Pontificis definiuntur accidentia ibi eſſe ſeparata, hæc autem dicunt plus, quàm unum: Et Trident. *ſeſſ.* 13. dicit eſſe ibi ſpecies ſeparatas, quæ verba ſine dubio important plus quàm unum, ergo. Sed non auſim fidere his definitionibus, poſſunt enim exponi de ſpeciebus ſeu accidentibus pluribus numero, hoc eſt de quantitate panis & iterum de quantitate ſeparata vini, & revera Tridentinum non obſcurè ſignificavit ſe ita intellexiſſe negotium, nam *can 3* ait: *ſi quis negaverit in venerabili Euchariſtiæ Sacramento ſub unaquaque ſpecie & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri anathema ſit*, ubi ſine dubio loquitur de Sacramento confecto in pane & vino, & ſingulis ſuam ſpeciem, atque ita unam tantum aſſignat, unde in toto Sacramento & ſacrificio duæ tantùm ſpecies erunt, quod etiam ſignificavit *cap. 3.* ſuprà, docens *corpus quidem ſub ſpecie panis & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum*

Concil. Conſtant. Martinus P. V. Tridentin.

animamque ſub utraque exiſtere. Vbi patenter vides in pane & calice non agnoſci à Concilio niſi duas ſpecies, ſi autem qualitates hîc numerarentur, & non ſola quantitas, utique eſſent plures quàm duæ, ergo.

Itaque ſtandum puto replicæ factæ & huic rationi præterea; quia quantitas non erat ſubjectum ultimatum & totale qualitatum, ſed ſubſtantia; huic autem non inhærebant ſe ipſis qualitates, aliter ab ea ſeparari non poſſent, ergo.

14. Objici poſſunt duo: Primum eſt perſonalitas, quæ eſt abſolutum in creatis ſaltèm, & tamen eſt modus, & ſe ipsâ unitur, quod probo; nam, niſi ſe ipsâ afficeret naturam non eſſet perſonalitas propria illi, ſed communis, quia nimirum poſſet ſimiliter uniri alteri naturæ ante vel poſt hanc adhibitâ aliâ unione intermediâ, ſicut adhibetur hîc: Alterum ſunt actus vitales, quos jam diximus poſſe reputari pro modis, & tamen ſunt entia abſoluta. Reſpondeo primò non eſſe certum, quòd perſonalitas etiam creata ſit quid abſolutum, imò nec quòd omnino ſit poſitivum. Si autem ſit tale, aut teneatur eſſe, fateor argumentum non caret difficultate, propter quam & aliam ſequentem ibi, in concluſione non abſolutè poſui negativam, ſed dixi eam partem eſſe veriorem ſeu probabiliorem. Itaque ut dicam quod ſentio, non conſtat mihi certò, quin aliquid abſolutum poſſit eſſe modus.

ACTIO III.

Vtrum *ubi* poſſit ſenſu percipi?

Breviarium.

N. 1. *In quam partem hîc Scotus inclinet?*

2. *Concluſio affirmativa quod ſentiatur* ubi; *probatur.*

3. *Aliæ duæ probationes ejuſdem.*

4. *Objectio: ſoluta, decipimur aliquando circa* ubi.

5. *Alia objectio, an oculus diſcernat unum* ubi *ab alio? ſolvitur.*

6. *Explicatur ſolutio;* ubi *comparatum ad videntem & ad polos fixos.*

7. *Alia objectio, an ſenſus videat durationem ſui objecti. Et an ipſam ſenſationem?*

8. *Rejecta quorumdam Rec. ſolutio.*

9. *Adſertur fundamentum Rec. quomodo videatur in ſpeculo res coram, id eſt quæ retro ſunt?*

10. *Qui ſenſus attingunt* ubi?

1. NEgavit Conynck. *q.* 75. *art.* 4. *d.* 1. unde neſcio, ubi apud eum legerit Maſtrius probationem partis affirmativæ: Res eſt non nimis neceſſaria ſcitu, ſicut nec eſt facilis aut aperta. Doct. Subt. videtur potiùs in affirmativam partem inclinare, nam in 4. *d.* 1. *q.* 9. *n.* 5. ubi reſpondet affirmativè ad dubium; an Corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit videri oculo corporali? ſubdit rationem, *quia viſio eſt forma abſoluta, ergo ſine contradictione poteſt fieri ſine reſpectu præſentialitatis ad objectum vel quocumque tali reſpectu.* Cenſet ergo, niſi fiat miraculum, quòd viſio rei fiat cum tali reſpectu præſentialitatis, atque ita viſione attingetur præſentia.

2. Dicendum eſt ergo, quòd ſentiatur *ubi* Ratio, quia ſenſus v. g. oculus videt hoc album præſens; non poteſt autem videri præſens ſine præſentia, ergo. Negari poteſt conſequentia, vel diſtingui antecedens dicendo quòd videatur ab oculo præſens ſpecificativè, non autem reduplicativè, quod neceſſarium eſſet ad valorem conſequentiæ, nam etiam oculus videt dulce, nec tamen videt dulcedinem.

Sed hoc non enervat argumentum, aliter enim videt oculus objectum præſens, & aliter videt dulce: ita enim videt objectum præſens, ut ipſe intellectui ſignificet rem eſſe revera præſentem, unde intellectus propter relationem ſenſûs judicat rem eſſe revera præſentem, & meritò, non fallitur enim, &, niſi id faceret, nunquam ſciret præſentiam. At verò dulcedinem eſſe vel non eſſe non videt oculus, unde, niſi intellectus habeat aliunde indicium dulcedinis, nunquam ab oculo diſcet objectum aliquod eſſe dulce. Atque ita neceſſariò fatendum eſt non ſolùm videri ab oculo præſens ſpecificativè, nec oculum attingere præſentiam ſicut dulcedinem. Tum ſic: Non poteſt hæc diverſitas explicari niſi dicendo quòd videatur præſens reduplicativè, atque ita ipſam in ſe præſentiam, ergo.

3. Probatur ſecundò, quia ſenſu percipitur motus & quies, imò pluribus, ſcilicet viſu & tactu, & fortaſſis etiam guſtu, unde dicuntur hæc eſſe ſenſibilia omnia, ergo ſenſu percipi poteſt etiam ubi: Probo conſequentiam ex utroque capite, ex motu quidem, quia motus (localem intelligo) nihil eſt aliud quàm ſucceſſiva adquiſitio ubicationum, qui autem videt adquiſitionem ut talem, utique videt terminum ejus ſive id, cujus eſt adquiſitio. Ex quiete etiam, quia quies nihil aliud eſt quàm continua retentio *ubi*, ſive *ubi* immutatum & retentum.

Denique probatio hujus eſt experientia, ut meritò ajunt aliqui apud Cardin. de Lugo; & ſanè ita vulgus reſpondet ſe ſcilicet videre præſentiam; & abſentiam rei proinde attingere, quia non videt eſſe præſentem prorſus, ſicut dicimus de lumine & ſimilibus, quæ non aliter novimus abeſſe, niſi quia non movent nos ſuâ præſentiâ ſive (ut utar ipſorum phraſi) quia, ſi adeſſent viderentur: at verò in hujuſmodi negotio ſenſuum, judicium ſimplicium eſt vox naturæ, ergo. Vlterior probatio erit reprobatio oppoſitæ partis fundamentorum ſic.

4. Objiciunt autem: Cùm quis eſt in navi, quæ leniter & tranquillè movetur, ſi claudatur camera aut etiam in foris navis, ipſe homo ſibi claudat oculos, non percipit ſe mutare *ubi*, nec quidquam circumſtans ipſum, ergo *ubi* non eſt quid ſenſibile, nam ſi eſſet, tum ſentiretur. Reſpondeo, ſi argumentum valet, probaret quòd nec figura ſentiatur, nam multa habemus coram nobis quorum figuram non videmus. Item probaret nec motum eſſe ſenſibilem, quum tamen

ſit

ſit pluries ſenſibile. Caſus utriusque eſt in cælis & aſtris, quæ nos putamus eſſe plana, quum tamen ſint ſphæricæ figuræ. Concedendum eſt ergo huic argumento, quòd contingat aliquando nos non videre ubi, ſeu non diſcernere ipſum; non verò quòd omnino non ſit illud cognoſcibile viſu vel alio ſenſu. Confirmo adhuc ſolutionem, nam ſi plus probaret argumentum, dicendum eſſet quòd nec ſenſibile proprium, ſenſibile eſſet; aliquando enim contingit ipſum non ſentiri quum ſcilicet ipſum organum, à quo ſenſatio provenire debet, eſt imbutum tali qualitate, quod uſu venit ſummè calidis aut ſummè frigidis, qui proinde non ſentiunt calorem aut frigus externum. Cæterùm exactior hujus ſolutio dabitur in ſequenti.

5. Objicit enim Cardinalis ſecundò: Si oculus percipit immediatè ipſum ubi coloris, poterit diſcernere unum ubi ab alio: at verò id non facit, ſed nec poteſt, ergo. Major inde conſtat, quoniam oculus percipit diſcrimen coloris albi à nigro, eò quòd percipiat ipſos colores immediatè, ſi ergo percepit præſentias, & ubi poterit diſtinguere ipſas ab invicem, quod non fieri probatur, quia ſi quis dormiens transferretur cum ſuo lecto & cubiculo in aliam regionem, evigilans ille neſciret utrum mutaverit regionem nec ne? ſi v. g. Roma in Hyberniam transferretur, utique putaret ſe excitatum eſſe Romæ à ſomno, quia ibi correptus eſt ſomno, quum tamen id non fuerit Romæ factum, ergo ſignum eſt quòd *ubi* aut præſentia non cadat ſub ſenſum. Reſpondeo. ſine cauſa computatum eſt hoc argumentum pro ſecundo aut alio, coincidit enim quoad difficultatem cum præcedenti, ſi quis advertat. nam ſi ſimiliter ille qui vigilat & incluſus eſt in camera navis non videt ſe mutaſſe ubi, & tamen poſſet mutare ſeu transvehi per tantundem ſpacii, imò poſſet ipſum illud iter facere Roma in Hyberniam. Deinde dico argumentum plùs facere quàm auctor optaret, probat enim quod nequidem intellectus judicat ubi, quia nimirum ille qui dormivit interim, cùm evigilat non intelligit etiam ſe locum mutaſſe, & putat etiam judicio intellectuali ſe in priori loco eſſe, quod idem crederet qui in cymba concluſa undique & leniter mota transferretur alio. 3. reſpondeo ultimatè dandum eſſe huic argumento quod aliquid præſentiæ non videatur, & proinde id tantùm efficere quòd concluſio paulò exactiùs debeat explicari.

6. Quum ergo dicimus *ubi* ſeu præſentiam eſſe quid ſenſibile, ſenſus eſſe debet de ubi comparato ad videntem, non autem comparato ad ſpacium fixum ſive imaginarium aut in ordine ad centrum Mundi & polos. Video ergo *ubi* ſeu præſentiam muri v. g. quia video ipſum in ſpacio tantæ diſtantiæ aut propinquitatis ad illud ſpacium in quo ego ſum, non autem video *ubi* ſeu determinatum ordinem muri ad ſpacium imaginarium vel ad polos, à quibus ſumitur immobilitas & ultima determinatio hujus *ubi* præ alio. Quòd autem propter hoc non debeat negari me abſolutè videre ubi, oſtendo, quia hoc tantum facit ut ego non videam ſingularitatem ſeu individualitatem illius ubi, quod ſi requireretur, ut quis attingeret, nequidem colorem ſenſu videretur, aut figuram, quia nec video individuationem coloris aut figuræ, nam ſi mihi proponantur ſucceſſivè duo alba ejuſdem figuræ, v. g. duo ova, ego non potero inter ea diſcernere, nec ſcire, utrum utrobique habeam idem ovum, an plura diverſa.

Objici acriùs poteſt, quòd auditus etiam percipiendo ſonum attingit utcumque propinquitatem objecti; ſcit enim (ut ſic loquar) unde venerit ſonus, ſaltèm ejus beneficio intellectus novit hoc, nec tamen quiſquam dixit ubi attingi ab audita, quia ſenſibilia communia ſunt motus & figura, numerus, quies, magnitudo, quæ non percipiuntur auditu, atque ita *ubi* non percipitur ab auditu tanquam ſenſibile commune, & multò minùs ut proprium, adeóque reſpondeo potiùs eſſe multiplicanda communia ſenſibilia, quàm negandam concluſionem. Certè perſpectivi plura addiderunt ut aſperitatem, diſtantiam, *&c.* Denique nonne auditus percipit harmoniam & muſicam quæ ſunt numeri ſonori?

7. Objicies: Si oculus videt ubicationem, videt etiam durationem; id autem eſt falſum, quia, ſi ſenſu ſciretur, non eſſet locus controvertendi de ea, utrum eſſet abſolutum an relatio? & ſimilia: utrum permanens, an, *&c.* Imò quandoquidem ſenſu externo percipi poſſit ſucceſſio, videretur continua mutatio ſaltèm relationum rei durantis ad menſuram in qua durat. Reſpondeo: Non dubito videri etiam durationem, idque ante omnia ferè, & ab omnibus ſenſibus, quum quilibet ſenſus certus ſit de exiſtentia ſui objecti, eò quòd ſentiri non poſſit niſi quod eſt; unde fit ut omnis cognitio ſenſitiva ſit intuitiva. Ratio autem dubitandi in argumento allata, nulla eſt, quia etiam ſenſibile proprium quod certiſſimè attingitur eſt obnoxium controverſiis, quot enim ſunt qui dicunt calorem non eſſe accidens diſtinctum ut communiter intelligitur: Quantitas certiſſimè eſt ſenſibilis & quidem pluribus ſenſibus, & tamen dubitatur uſque hodie in ſcholis utrum ſit accidens, an ſubſtantia? Altera ratio etiam vacillat, non enim omnis ſucceſſio cadit ſub ſenſum, ſed notabilis, & quæ fit per intervalla. Certè ſyllabam longam putat ſenſus diu durare, quaſi idem ſit in principio & fine, cùm tamen ſit in perpetuo fluxu; & poteſt fieri quòd albedo illa muri mutetur in omnibus inſtantibus horæ, ſine eo quod ego advertam: & quod pu[?]ſit de colore, de luce eſt certum, quòd ſit in perpetuo fluxu, & tamen niſi id per diſcurſum colligeremus, ſenſu nunquam ſciremus. Itaque ſicut dixi quòd ſenſus non percipit immobilitatem ubi, ita nec mobilitatem aut ſucceſſionem durationis.

8. Adverſarii quum premerentur experientiâ, quâ percipimus ubicationem & propinquitatem rerum, dixerunt id fieri, quia ſpecies impreſſæ venientes per talem vel talem lineam viſualem diverſo modo movent, unde colligunt ex parte objecti ſolum attingi colorem: *ubi* autem & diſtantiam ac propinquitatem ſe habere ex parte viſionis. Sed, ni fallor falluntur; primò quia nihil quod eſt ex parte ſolius ſenſationis ſentitur, cùm hæc ſolùm ſit ratio cognoſcendi non cognita, unde nemo ſcit utrum ſenſatio ſua ſit diviſibilis an indiviſibilis? imò etiam intellectio ipſa non intelligitur, & adhuc dubia ſunt de ipſa, utrum ſit v. g. in genere actionis, an in genere qualitatis. Secundò, quia etſi demus (quod fortaſſis volebant illi dicere) *ubi* eſſe ex parte ſpecierum, adhuc non facit quin videri poſſit etſi contingat interim deceptio aliqua, nam inter-

poſito cryſtallo apparent res croceæ & virides, quum tamen viror, non ſint niſi ex parte ſpecierum. Sicut ergo negari non poteſt, quin videatur ab oculo color in eo caſu, ſimiliter nec negari debet quòd videatur *ubi* licèt ſit ex parte ſpecierum.

Itaque hæc via non multùm juvat ipſos, & multò minus alia, quam invenerunt, dicentes, quòd ſcimus *ubi* per viſum, eò quòd aliàs quando ſimilem oculo immutationem experti ſumus, invenimus objectum eſſe diſtans. Quæro enim, quomodo in eo caſu ſcivimus objectum eſſe diſtans per ſenſum an per intellectum? non poteſt dici ſecundum niſi dicatur primum, nam pro nunc intellectus nihil ſcit, niſi quod à ſenſu didicit. Si dicatur per ſenſum, quæram utrum tunc novèrimus diſtantiam relativè ad aliam cognitionem an abſolutè? ſi relativè ad aliam priorem, dabitur proceſſus in infinitum, vel ſi non detur, dabitur ſtatus in aliqua cognitione quæ directè tendit in *ubi*. Hæc ratio aliter ſic formari poteſt: Omne per accidens reducendum eſt aliquid per ſe tale, impoſſibile enim eſt dari aliquid ſecundariò duntaxat tale, ſed ſi detur ſecundo tale, debet dari aliquod primò tale, aliàs inciperetur à ſecundo quod eſt ſtultum, ſi ergo in his ſenſationibus ſecundariò, per accidens & relativè tantùm novimus *ubi* debet dari aliqua ſenſatio quâ abſolutè & per ſe illud novimus.

9. Pro ipſis adferri poſſunt experientiæ, quia, quando quis ſpeculum intuetur, res à tergo poſita apparet eſſe ex adverſo, quia taliter immutat oculum propter reflexionem ſpecierum ac ſi fuiſſet ex adverſo, ergo jam ubi vel præſentia eſt tantum ex parte viſionis. Ratio hujus conſequentiæ & vis argumenti in eo eſt, quia hìc non poteſt prætendi quòd *ubi* illud viſum ſit ex parte rei, cùm revera res non habeat illud ubi, ſed oppoſitum erit ergo ex parte ſolius cognitionis, & quoniam hîc atque in ſimilibus videmus ſufficere, quòd ſit diverſitas ex parte ſolius cognitionis fruſtra dicemus aliam unquam requiri. Hoc argumentum cui maximè innituntur adverſarii verto ego in rem meam, & retorqueo in ipſos faciliimè; ſi enim videri poteſt præſentia, quæ non eſt, quanto magis præſentia quæ verè eſt. In ſpeculo videtur res eſſe ex adverſo, ſeu è regione videntis & tergo ſpeculum, quum tamen ſit è regione ſpeculi & tergo videntem; ſi (inquam) hoc *ubi* videt oculus, quantò magis ubi rei quæ verè eſt, ſive rem quæ verè eſſet ubi apparet, puta ex adverſo ipſius videntis. Cæterùm non caret difficultate quomodo illa viſio & ſimiles contingant, quum omnis cognitio ſenſitiva ſit intuitiva, adeóque rei exiſtentis quâ talis; unde videre ſenſu id quod non eſt apparet quædam implicita contradictio. Sed quantumvis magna ſit difficultas, non nocet concluſioni, nec enim plùs petunt ab adverſariis quàm ut concedant ubi ſeu præſentiam videri eo modo quo videntur colores crocei per cryſtallum & res è regione per ſpeculum, quod ſufficit dixiſſe, res enim ipſa alio ſpectat.

10. Itaque ubi ſeu præſentia atque etiam diſtantia attingi poteſt viſu, tactu, auditu atque etiam odoratu; De duobus primis res eſt experientiis comperta, & quidem claris; De auditu & odoratu ratio eſt, quia percipiendo ſonum, ſcio unde inceperit, idem eſt de odore paulò minus.

Quæres, cur non etiam numeraverim hîc guſtum, cùm certum ſit guſtum etiam tendere in præſens, & quidem multo magis præſens & applicatum quàm aliorum ſenſuum objecta, oculus enim & auris itemque odoratus percipiunt res eminus, guſtus non item? Reſpondeo cauſam eſſe, quia cenſeor numeraſſe aut nominaſſe eum in tactu, cum quo quoad hoc coincidit.

ACTIO IV.

De ſitu prædicamento, &c.

Breviarium.

N. 1. *Expenditur, & rejicitur doctrina Porretani & aliorum.*

2. *Quid de hoc prædicamento ſcitu dignum?*

3. *Diſtinguo ſitum ab* ubi.

4. *Num ſedere & ſtare ſint ſitus ſpecie diverſi?*

5. *An ſitus competat tantùm corporibus.*

6. *Aliquorum ineptiæ circa declarandum* Habitum.

7. *Habitus non dicit formam diſtinctam à veſte ipſa.*

8. *Quomodo adhuc ſtet numerus denarius prædicamentorum.*

1. VOluerunt aliqui corrigere antiquos tanquam male dixerint prædicamentum hoc eſſe *ſitum* in concreto, quam debuerit proferri in abstracto verbo *poſitio* aut ſimili, non intelligentes ſitum etiam ſubſtantivè dici. Magis miranda eſt ejus definitio apud Porret. quod ſit *generationis ordinatio*, quid enim ſitui cum generatione? Dicunt aliqui propterea id dictum eſſe, quia ſitus non conveniat niſi animali; talem textum talis gloſſa decebat. Detur ita eſſe, quomodo hoc exprimitur τὸ *generatione*. Nego autem in re ſic eſſe, nam & arbor erecta eſſe poteſt, & poteſt eſſe proſtrata; &, ne fortè dicatur aliquid generationis aut animalis eſſe in arbore, etiam columna poteſt & dicitur ſtare & jacere ſive erecta eſſe & proſtrata. Deinde quid ſi hic ponam chartam explicatam & complicatam? quia revera habet diverſos ordines partium, tam inter ſe quam in ordine ad locum: Vel, ſi poſitio chartæ omittatur, dicam non ſufficere prædicamenta rebus, aut certè propter ſitum abundare, ſive propter ordinem partium animalis: Sed de his non eſt laborandum.

2. Sufficit ſcire ſpecies ſubalternas hujus prædicamenti eſſe, rectum ac flexum, ſeu obliquum: infimas verò, ſedere, ſtare, jacere; ipſum vere prædicamentum eſſe ordinem partium locati ad locum, per quem conficiuntur illæ diverſæ poſitiones, ſeu diverſimodi eſſendi in loco.

Eſt enim alius ordo inter partes; at iſte non reſpicit extrinſecum aliquid, ſed ſiſtit inter ipſas

& per eum habetur organizatio animalis. Vnde ſine illo non maneret vivens, propter quod debet eſſe in corpore quantumvis ſpirituali modo ac definitivè poſito, & ideo invenitur in corpore Domini in Euchariſtia, in quo nec eſt hic ſecundus modus ſeu ſitus, qui exigit ubi circumſcriptivum, ille autem non exigit eum, ſufficit enim ei quòd organa ſervent ordinem inter ſe, licèt non ſervent eum in loco; eſt dicere, quòd per prius illud fiat ut caput ſit primum in partibus animalis, poſtea autem ſequatur non thorax aut humeri, ſed collum, licèt omnia iſta ſint loco confuſa, & in eadem imò in qualibet parte ejus.

Vna ſupereſt quæſtio, quæ ſit lite digna, num ſitus & ubi realiter diſtinguantur, & conſequenter debuerint facere diverſa prædicamenta, nec ne? neglecto cenſu opinionum Breviter

3. Dico tenenda ea eſſe tanquam diſtincta. Ratio, quia videmus unum abſcedere altero manente; Abit *ubi* manet *ſitus*; nam qui in curru ſedet, dum trahitur currus mutat *ubi* ſine dubio, non mutat *ſitum*, quod quidem magis evidens eſt, quàm ut poſſit negari.

Dicet aliquis ſitum eſſe differentiam *ubi*, eſt quippe modus eſſendi in loco; quærenti enim, quomodo ſit in loco? reſpondetur, quod eſt ibi pronus vel ſupinus, ſtans aut ſedens. Reſpondeo etiam quærenti, quid quiſpiam facit, reſpondetur, quòd ſtat aut ſedet, nec tamen ſeſſio aut ſtatio eſſe ſupinum aut pronum ſunt differentiæ actionum propriè, ſed poſitionum. Nego ergo huic ſedere & ſtare eſſe differentias ubi propriè, ſed differentiæ ubi ſunt ſurſum & deorſum, fortè etiam circumſcriptivum & definitivum.

4. Quæres, utrum jacere & ſtare ſint ſitus ſpecie diverſi? vulgus affirmat, ſed mihi eſt dubium, quia eſt idem ordo partium inter ſe ipſas in jacente, qui in ſtante; & poteſt jacens erigi ſine ulla perturbatione ordinis aut diſpoſitionis partium. Idem eſt de prono & ſupino. Sed exiſtimo etiam in hoc poſſe nos ſentire cum plebe, tum quia res eſt non admodum gravis, tum quia aſſignanda eſt aliqua differentia inter pronum & ſupinum, non eſt autem quoad ubi, nam poteſt idem locus occupari à jacente & ſtante, ſicut poteſt etiam circulus reduci ad quadraturam, erit ergo quoad poſitionem & ſitum.

5. Quæro, utrum ſitus competat tantùm corporibus? communiter reſpondent affirmativè, ſed non video, cur ſpiritus non poſſit alio & alio modo occupare locum. Si enim diximus eum poſſe habere figuram, & accommodari poſſe loco, ſicut aqua vaſi propter flexibilitatem ejus cur non poſſit ſic ſe componere aliquando ſicut ſedens, aliàs ſicut ſtans?

De Habitu.

6. Expedit multa neſcire, quæ Peripatetici tanquam myſteria proponunt, quàm ineptè enim huc aliqui admittunt arma defenſiva non verò offenſiva, tanquam hoc prædicamentum foret ſacris ordinibus initiandum, & proinde teneretur à vi & vulnere abſtinere. Alii nolunt geminis locum hic dare, volunt calceis. Species ejus ſubalternæ apud Ariſtotelem ſunt calceatum eſſe, ſeu rectius, veſtitum, armatum eſſe: quæ poſtea deſcendunt in alias inferiores, ut tunicatum ac loricatum eſſe ac ſimilia.

7. Unicum hic dubium eſt, an hoc prædicamentum dicat ſimplicem aliquam formam, an non, ſed ipſas veſtes aut ad ſummum unionem earum? Ad quod reſpondendum puto negativè; eſt dicere quod non importat tertiam aliquam formam. Moveor ratione, quia homo eſt veſtitus ipſis veſtibus, & eſt armatus ſuis armis v. g. galeo, thorace, clypeo, ergo non debet quæri, imò nec admitti aliâ formâ, à qua habeatur hæc denominatio. Confirmo, quia ſi ſit ulla talis, cum ablatis ſive realiter, ſive per intelintellectum veſtibus & armis, homo eſſet veſtitus & armatus, quod eſt inconceptibile, adeòque nulla talis forma cogitari poteſt, ſi enim ſit, ipſa eſt, quæ tribuit has denominationes, & propterea excogitata eſt.

8. Objicies: Si ita ſit, ruit decas prædicamentorum, ultimum enim hoc coincidit cum primo, eſt enim ſubſtantia. Reſpondeo: Hâc ruinâ nemo opprimetur, imò per hoc nihil prædicamentis perit; nam quod deeſt ad numerum, adeſt ad pondus; habitus enim quod ſubtrahitur decimo prædicamento, aſſignatur primo. Tertiò dico non debere nos magis anxios eſſe de prædicamentis aut auctoritate Ariſtotelis, quàm fuerit ipſe de ſua, qui hæc ex populari ſenſu & ſermone ad decem uſq; multiplicavit, aliàs enim ipſe modò unum modò aliud omittit. Reſpondeo denique quartò & ultimatè adhuc ſtare decadē prædicamentorum, licèt non detur tertium quid quod ſit habitus, quia datur adhuc aliquid quod ſufficiat prædicamento, ſcilicet unio veſtis cum homine, iterumque unio armorum. Non enim omnis applicatio veſtis facit veſtitum ut patet, imò ne quidem ſi penetrentur. Illa ergo unio erit quod importatur hoc prædicamento, ſi debeas neceſſariò Peripateticis hoc vectigal.

ACTIO VLTIMA.

De Quando.

Breviarium.

N. 1. *Deſcribitur prædicamentum* quando.
2. *Objectio ſatis ardua. Quomodo* quando *poſſit eſſe relatio extrinſecùs tantùm adveniens?*
3. *Aliorum ſolutiones rejectæ. Mea ipſius olim.*
4. *Vltimata reſponſio.*

1. HIc quoque oportet multiloquium inhibere: Dic breviter *quando* eſſe ordinem rei ad menſuram extrinſecam, in qua eſt vel durat, temporis quàm maximè differentiæ enim Quando, ſunt, hodie, heri; quæ non niſi in tempore inveniuntur. Ex quo patet cuivis, quàm rectè dictum ſit Quando eſſe relationem, non enim poteſt intelligi niſi pluribus intellectis, ſcilicet re quæ agitur & duratione in qua fit. Nec id ſolum, ſed debet concipi per modum medii inter utrumque ſignificati per τὸ *in*, quod rectè exprimit formam hujus prædicamenti, nam *heri* & *cras* idem ſunt ac *in* craſtino & *in* hesterno die qui ſunt characteres & indices hujus prædicamenti, ſicut in generibus cauſarum illud *per* ſignificat efficientem *propter* finalem *ex* materiam.

2. Objici unum poteſt, quod quanquam bene admittatur Quando eſſe relatio, at non bene eſſe relatio extrinſecùs adveniens, hæc enim apud nos eſt illa, quæ non reſurgit poſitis præcisè extremis, niſi (neſcio quid) aliud habeatur, ut patet apud Doct. 4. *d.* 13. & ſuos. Id autem in Quando non habet locum, quin potiùs hoc conſurgit poſitis præcisè extremis, nec poteſt impediri ne conſurgat, poſitâ enim re aliquâ temporali & hodiernâ die ſimul neceſſariò illa erit hodie, neceſſariò coexiſtit hodiernæ diei, in quo ſita eſt ipſiſſima ratio prædicamenti *quando*, ergo. Hæc objectio hactenus ſemper fuit admodum moleſta Scotiſtis, quos etiam adegit in varias, nec valde ſolidas ſolutiones.

3. Aliqui dixerunt poſſe rem & tempus poni, quin hoc illam menſuret, ſi v. g. ponatur res extra convexum cæli, aut in alio Mundo, eò quòd motus hujus cæli (in quo conſiſtit tempus) non menſuret niſi res ſubjectas ipſi, & nequaquam extrà poſitas ac multò minùs in alio Mundo locatas. Sed hoc nimis friget; quis enim neſciat poſſe reſponderi per noſtrum tempus ad quæſtiones de illa re factas, ut, quòd inceperit tali die, quod duravit his & his annis. Alii ergo dicunt (& ego ita olim reſpondi) non eſſe cenſendam hanc relationem intrinſecùs advenientem, quia non conſurgit extremis ſimul poſitis, eò quòd ipſa ſit eorum ſimultas. Sed neſcio, an hìc bene dixerim, & videor mihi oſtendere, quòd non, hoc medio ad me hominem; ſi enim relatio quæ conſurgit poſitis extremis ſimul ſit intrinſecus adveniens, quantò minùs illa quæ non exigit ſimultatem, ſed ſola ipſa extrema. Atqui ſimultas non exigit ſimultatem, id enim eſſet exigere & præſupponere ſe ipſum, ergo ſimultas eſt quàm maximè intrinſecùs adveniens. Tum ſic *quando* ſecundùm hanc viam eſt ſimultas, ergo quando eſt intrinſecùs adveniens.

4. Addam ergo aliam, ſi fortè plùs placeat, & dico poſſe rem eſſe cum tempore abſque eo, quod menſuretur tempore: hoc autem ſtabilito ſtatim conſtat relationem hanc poſſe detendi extrinſecus advenire, pro hac autem

Noto rem, quæ menſuranda eſt tempore propriè, debere eſſe ſucceſſivam, quia ipſum tempus tale eſt, & menſura ſemper debet eſſe homogenea, id eſt ejuſdem rationis cum menſurando; quàm ineptè enim adhibeas ſucceſſivum ad menſurandum permanens, v. g. horologium ſeu clepſidram ad ſciendam longitudinem panni? aut è contra arundinem vel lineam ad explorandam durationem alicujus rei in eſſe. Hoc poſito, dico rem temporalem poſſe eſſe quin talis ſit: Ratio, quia ut jam vidimus res temporalis eſt ſola ſucceſſiva, ut ſunt plerumque actiones v. g. curſus, ſcriptio, quæ ſiunt cum motu non ſolùm locali, ſed alterationis augmentationis, ut calefactio, nutritio. Hoc autem dico poſſe fieri ſine tempore, quia termini ipſorum poſſunt adquiri in inſtanti, nam calor qui producitur lentè poteſt produci citò, imò in inſtanti, eo autem poſito quamvis decurreret interim tempus aliquod hæc calefactio non menſuraretur eo, quia non eſſet diviſibilis & ſucceſſiva, adeòque non conſurgeret interea *quando*.

Doctores horum citati ſunt ſuprà apologia ſeptima in fine.

Finis prædicamentorum & ſecundæ partis Logicæ.

f 80.425

INDEX REPERTORIVS
DOCTRINARVM NOTABILIVM
Vtriuſque partium Logices.

Primus numerus eſt paginalis, ſecundus Marginalis niſi ſicubi à Typographo erratum eſt in numeris paginarum quo caſu recurritur ad Apologias & Actiones.

Abſtractio.

1. ABſtractio non facit Univerſale Logicum pag.82 num.2. Poteſt tamen ſufficere utcunque ad ipſum.ib. n.3.

Accidens.

2. Accidens quæ, & quomodo habeat ſubjicibilia, 90.4. An aliquod ſit inſeparabile? 153. 2. Quintum prædicabile num prædic. de ſpecie, an de numero tantum differentibus? 154.5. Definitur de novo exactè. ibid. revera eſt univerſale, 155. an diſtinctum à Proprio? num.3. Requirit ſui & ſubjectorum exiſtentiam, n.5. datur tamen caſus in quo eam non requirat. 6. nullum ineſt à natura 156. 7. aliquid eius contineri poteſt ſub quarto Prædicabili, num. 8. idem an poſſit pluribus ſubjectis inhærere? (2. parte) 176.n.5.

3. Accidentis inferiora quæ?

4. Accidentia quæ conſervantur ſeparata, an tum creentur (2.p.) 183.9.

ACTIO.

5. Actio apud Scotum quid (2.p.) 281.2. eſt reſpectus tranſmutantis, non autem producentis. ib.n.3. eſt forma diſtincta ab extremis, ſcilicet agente & re acta 282.2. quomodo agatur? 284.11. media, an impediat immediationem cauſæ reſpectu effectus 286.25. ſubjectatur in agente, 287. 2. non poteſt ſalvari per denominationes extrinſecas, actio & paſſio quomodo idem. 288.11.

6. Actione an res formaliter fiat. 288.8.

7. Actiones eſſe ſuppoſitorum quam verum 284.11. Dei ad extra an praxes? 33.2.

8. Actus incorrigibiles an praxes? ibid. externus quomodo participet naturam interni. Poteſt eſſe proprius, id eſt pertinere ad 4. prædicabile. 148.6. primus quomodo debeat præcedere ſecundum? ib. 7. num menſuretur objecto in ſe an in ſpecie ſui (2.p.) 29.4. Voluntatis quomodo requiritur ad fidem. 99.9.

12. Agens in agendo an mutetur? (2.p.) 288.7.

Æquivoca.

9. Æquivocum an aliquid idem ſæpe (2.p.) 130.

10. Æquivoca definiuntur ex Ariſt. num.

11. Æquivocatio an ſit in mente? item an inter individua (2.p.) 129.3.

Analogia.

13. Analogiæ ſpecies recenſentur (2.p.) 131.n. 1. attributionis & proportionis expenduntur: n.2. item proportionalitatis ex Euclide & Ariſtotele 132.3. Recipiendæ aliquæ ex jam enumeratis: n.4.

14. Analogia non eſſe media inter univoca & æquivoca: ibid.n.5.

Anima.

15. Anima rationalis quomodo exigat quantitatem. (2.p.) 152.12.

Animal.

16. Animal contrarium homini; id eſt ex materiâ ſpirituali, & formâ materiali, an poſſit dari? (2.p.) 198.8.

Ariſtoteles.

17. Ariſtoteles an uſus ſit voce *Logica* ſubſtantive? item an unquam adjective? ibid quid per ly *Dialectica* intellexerit? ib. quomodo uſus ſit vocibus πράξιν & ποιεῖν 15.31. num.2. quid ſenſerit de Logicâ in eſſe practicæ aut ſpeculativæ. 42.n.4. In ſua Logicâ fuit nominalis 47.nu.4. Cur, & quomodo Logicam ſuam de vocibus tradiderit. 48. 5. Immerito diſtinxit inter propoſitiones univerſales & particulares de futuro contingenti. 2.p. 31. 5. quid ſenſerit de cælis quoad eſſe vel non eſſe univerſales. 94.9. & 10.

18. Ariſtotelis mens de ſyllogiſmo quoad eſſe objectum Logicæ. 5. 7.1. & 5. de veritate propoſitionum futuri contingentis. 2.p.29.1. de demonſtratione ſingularis: ib 77.5.

19. Ariſtoteli quid, *dici de ſubiecto*. item quid: *in ſubiecto eſſe*. 2.p. 152.n.2.

Ars.

20. Ars quid. 19.nu.1. An opponatur ſcientiæ. ibid.num.2. arte facta Logica, & mathematica ſimilia. 42.4.

Aſſenſus.

21. Aſſenſus concluſionis etiam probabilis habet neceſſitatem exercitii: 2.p. 97.12.

Aſſumptio.

Aſſumpti hypoſtatica an neceſſaria ad curationem noſtri. 2.p. 136.14.

Aureolus.

22. Aureoli conglobata argumentatio pro ratione practicæ ſcientiæ in Logica: 42.3.

Authoritas.

23. Authoritate negativa quando utendum. 2.p. 133.8.

Axioma.

24. Axioma celebre Scoti.

Breve.

2. BReve Apoſtolicum Sixti Papæ IV. ſuper propoſitionibus de futuro contingenti.

Bonitas.

1. Bonitas conſequentiæ influit in aſſenſum concluſionis; & quæ? objectiva an formalis. 68.2. & 3.

Calor.

1. CAlor an ſit ſpecies quantitatis: 2.p. 219.6. Habet aliquid illius generis. n.8.

Cauſa.

2. Cauſa an ſignum. 2. p.3. 8. Cauſalitas cauſæ formalis an ſupplebilis à Deo. 2.p. 178.4.

Chriſtus.

3. Chriſtus an omnia noſtra aſſumpſerit. 2. p. 163. 13. unde conſtet quod non habeat ſubſiſtentiam creatam ib. 170.6.

4. Chriſti corpus an ſit in punctis panis & vini. item an figuratum in Euchariſtiâ. 2.p. 297.5

Circulus.

5. Circulus an deſcriptus à Porphyrio in duplici definitione ſpeciei. 114.3. Syllogiſticus quid 2.p. 126.1.

Concilium.

9. Concilium Alexandrin. de vocibus *hypoſtaſis* & *perſona* quid ſtatuerit. 2.p.155.num.5. Tridentinum poteſt ſalvari ſine ſeparatione accidentis à ſubjecto.2.p.186.2. Exponitur in ſeſſ. 13.195.14.

Cognitio.

6. Cognitio Dei ex creaturis an ſit ex ſigno. 2.p. 15.8.

Cognitum.

7. Cognitum ab homine primo eſt qualitas tangibilis. 1.2. primò cognitum intellectui ſeparato & expedito eſt Deus.ibid.n.3. ex aliis autem omnibus primo cognitum intellectu eſt ſpecies ſpecialiſſima, 10.2. In ordine cognitionis diſtinctæ primo cognitum pro nunc eſt magis univerſale 6.num. 7. Patitur tamen hæc veritas exceptionem; & quam.ibid. ſeq. cognitione confuſa minus univerſale eſt primo cognitum. n.3.

Color.

8. Colores quomodo elementis proprii. 146. 4 hæc: *Petrus eſt albus*: non eſt omnino quinti prædicabilis: 147.n.5.

Concluſio.

10. Concluſio an ſit intra præmiſſas. 2.p. 122. num. 12. Concluſiones aliquæ ſunt æquales præmiſſis in evidentiâ.2.p. 122.10.

Conditio.

11. Conditiones requiſitæ ad univerſale 74. numm. 1.2.& 3.

Converſio.

15. Converſio non exigit conſtantiam eiuſdem qualitatis in convertente & converſa. 2.p. 44.2. Univerſalis & particularis negativæ, qualis? 46.8. eſt conſequentia formalis. 82.1. æquivalet argumentationi: n.2. an enthymema.83.6. parvi æſtimata.n.5.

Conſequentia.

12. Conſequentia quid. 2.p. 68.1. ſequitur à propoſitione negativâ de prædicato finito ad affirmativam de prædicato infinito. ibid. 49.1. oppoſitum tamen non caret probabilitate 42.n.10. Idemque eſt de conſequentia ductâ ab enunciatione affirmativâ de prædicato infinito ad negativam de prædicato finito: 52.num.1.2.3.&4. eſt enim reſolutio ubique problematica.

13. Conſequentiæ inferendæ regulæ. 2.p.68 n. 1. non ſemper ſequi oppoſitum antecedentis ex oppoſito conſequentis. 2.p. 69.2.

Contrarietas.

14. Contrarietas an relationibus competat. 2.p. 225.10.

Corpus.

15. Corporis ratio non conſiſtit in diviſibilitate, ſeu in habere partes. 2.p. 150.2. nec in impenetrabilitate 151.num. 7. nec bene explicatur per materiam aut ordinem ad ipſam, 151.10. Vera aſſignatur.ibi. Chriſti Corpus an ſit in punctis panis & vini in Euchariſtia.2.p. 297.5.

Definitio.

1. DEfinitio & Demonſtratio an diverſa inſtrumẽta ſciẽdi.2,p 93,8, definitio cur tractetur in Dialectica.55.4. an faciat ſextũ univerſale.85.3. non omnino excludenda eſt à numero univerſalium 111.num.6. Accidentis V. Prædicab. defenditur. 153.nu.1. Nominis ab Ariſtotele poſita vitioſa, idque pluries. 2.p.12.n.1.2.&4. aſſignatur alia exacta: n.6.

2. Definitionem aliquam eſſe per additamentum quid ſit. 97.n 2.

3. Definitum & definitio an diverſi termini. 2.p. 61.num.9.&10.

Demonſtratio.

4. Demonſtratio quomodo potuerit eſſe ante Logicam: 16.n.8. Logica an laboret vitio alicujus præmiſſæ contingentis. 17.11. Quid addat ſupra ſyllogiſmum 65.7. an poſſit fieri de ſingulari. 2.p. 77.4. non eſt Logicæ objectum 55.3. Definitur ex Ariſtotele 2.p. 116.1. an tota ipſa reddat ſcientem.92.8.& abſolute potiſſima eſt quæ habet pro medio definitionem ſubjecti: 124. n.7. non tamen eſt de paſſione ſpeciei atomæ: 125 9.

5. Demonſtrationis diviſio in *Quia*, & *propter quid*, adæquata: 118.8. ſpecies *quia*, & *propter*; univocantur in primâ definitione: 117.n.4.5.6.7. præmiſſæ ſunt notiores concluſione 2.p. 119 3. media poſſunt eſſe tria genera cauſarum & quæ. 122.n.1. Cur non ſit inter illas efficiens? n.2. num etiam definitio ſive ſubjecti, ſive paſſionis? 123.n. 3. utraque quoad hoc pæne par. 124.7.

Denominativa.

6. Denominativa definiuntur. 2.p.130 n.6. aliqua exemplificantur, n.7. an aliquando incidant in univoca. 131.n.8.

Deus.

7. Deus quomodo non ſit ſpecies. 119. 5. An poſſit ſupplere defectum ſubjecti reſpectu accidentis in fieri? Apol.5. prædicam. Act.1.n.7. an ſit quantus. ibid.n. 11. producit res actione diſtinctâ: & quomodo? 284. 20. & 21. an in prædicamento, aut ſub ullo genere. 2 p. 125. 6. an in potentiâ ad ſua attributa. 18.

Dici de &c.

8. *Dici de ſubiecto*: item *in ſubiecto eſſe* quid apud Ariſtotelem. 2.p. 152.n.2.

Differentia.

9. Differentia ipſa non eſt propriè differentia: 133.num.5. quum dividitur in communem, propriam, & propriiſſimam, neque diviſum, neque dividentia pertinent ad 3. Prædicabile; imo in rigore loquendo ad nullum: 133.2. numerica ad quod membrum ex tribus pertineat. 134.num.6. Propria IV. Prædicabilis, ad quod.ibid. nu.7. differentia Differentiæ ab univerſali ut ſic: 135.9. non includit genus quod contrahit: 136.2. nec inferior ſuperiorem.ibid. num abſtractum an concretum: 130.n.7. non debet, nec poteſt dividi in duo prædicabilia. 131.2. niſi forte teneatur differentia ſuperior includi in inferiori. ib.3.

10. Differentiæ differentia an eſſe poſſit. 130.8. differentia Differentiæ à genere: 112.n.9.& 10. Individualis an de eſſentiâ individui. 118. 3. ratio Theologica reſolutionis negativæ: 119.4. definitiones apud Porphyrium quot. & quæ. 129.n. 11. ſecunda quæ communiter uſurpatur an exacta. ibid.n.2. quomodo illa defendi poſſit.3. & omnibus differentiis accommodari.ib. n.5.&6.

Diſcrimen.

11. Diſcrimen primi & quinti Prædicabilis: 73. 6. totius integralis & eſſentialis, 85.9. differentiæ Metaphyſicæ & formæ phyſicæ: 108.8. Divinorum & creatorum attributorum 151 10. quarti & quinti Prædicabilium: 153.2. notitiæ per auditum & viſum 2.p.13.2. individui & perſonæ, 157.6. oppoſitionis contrariæ & contradictoriæ 2.p. 42. 4. differentiarum poſitivarum & negativarum. Apol.5. prædic. Act 4.n.4. loci & medii 2.p.166 1. loci & ſuppoſiti.ibid. 175.12. Continui & contigui, ibid. 298.11.

Diſcurſus.

12. Diſcurſus in nobis ſemper habet plures actus, non tamen neceſſario de ſe. 2.p. 72. 2. & 4. proba-

probabiliter non eſt tertia operatio intellectus, ib. 80. 1. ſuadetur nihilominus oppoſitum. ibid. Cur Deo non competat. 72. 2. an dici poſſit cognitio beata rerum in Verbo. 75. 8. num fides. 9. Tres habet ſpecies, & quas. 76. 2. an debeat habere plures terminos in antecedenti & conſequenti. 78. 11.

Diſpoſitio.

13. Diſpoſitio ad formam in quo ſubjecto ſit. 2. p. 195. 15.

Diſtinctio.

14. Diſtinctio concluſionum, unde. 2. p. 103. 8. ſenſus compoſiti & diviſi, quid juvet. 2. p. 36. 18.

15. Diſtributio quomodo facienda inter ſyllogiſandum in divinis 2. p. 89. 14.

Diviſio.

16. Diviſio Proprii apud Porphyrium inadæquata: 144. 1. adæquata tamen ſpeciei infimæ, n. 2. ſed analoga.

17. Diviſiones generum plurimorum qualiter ſane inſtitui poſſint & intelligi. 141. 3.

Docere.

18. Docere, & docens quid ſit in quæſtione de naturâ Logicæ. 25. n. 1.

Effectus.

1. Effectus ſecundarii formarum an poſſint ſemper impediri. 2. p. 124. 11. formalis quantitatis permanentis. Ap. 5. prædicam. Act. 2. nu. 9. quantitatis communiſſimè ſumptæ: ib. n. 13.

Ens rationis.

2. Ens rationis an neceſſarium. 15. n. 6.

Enthymema.

3 Enthymema an reddat ſcientem & quomodo. 2. p. 116. 3.

Error.

4. Error contingere poteſt in intellectione & productione rei ſimplicis: 70. 5.

Eſſentiale.

5. Eſſentiale eſſe quid ſit. 107. 4.

Exemplum.

6. Exempla individui à Porphyrio allata an exacta. 126. 3.

7. Exigentia alicujus non poteſt ab extrinſeco provenire. Apol. 5. prædicam. Act. 2. n. 6.

Extenſum.

8. Extenſum eſſe, & impenetrabile, an idem. Apol. 5. prædicam: Act. 2. n. 12.

Falſitas.

9. Falſitas an ſufficiat propoſitioni ad oppoſitiones. 2. p. 44. n. 7.

Fides.

10. Fides quomodo ſit libera. 2. p. 97. n. 13. Sacramenti Euchariſtiæ an cogat nos admittere ſeparabilitatem accidentis à ſubjecto. 2. p. 186. 1. ejuſdem Euchariſtiæ quomodo ſuſtineri poſſit ſine quantitate. Apol. 5. prædicam. Act. 1. n. 6.

Figura.

3. Figura quam inſeparabilitatem à corpore habeat. 146. 2. Syllogiſtica, Galeni coincidit cum primâ Ariſtotelis. 2. p. 108. 5. Rationes medicorum pro eâ: ib. n. 5. Poteſt admitti aliqua quarta, etſi non illa Galeni: 109. 8. imo quarta præfertur primæ, &c. 110. 9. an tranſponat terminos primæ. 113. 6. ſecunda & 3. habent modos indirectè concludentes: 112. 2.

Filiatio.

4. Filiatio in Divinis cur non ſufficit abſque paternitate. 2. p. 287. n. 4.

Filius.

5. Filius an reſpiciat patrem & matrem unicâ relatione filiationis. 265. 8.

Forma.

6. Forma ſubſtantialis, an: & quomodo ens per ſe. 2. p. 145. 5. ſpiritualis non poteſt inhærere materiæ, ſeu de potentiâ eius educi. 2. p. 197. 5. nec viceverſá: 197. 198. n. 5. & 6.

7. Formæ Sacramentorum quomodo ſint veræ. 2. p. 23. 6. Subſtantiales ſuccedentes ſibi in eodem ſubjecto an ſint contrariæ. 224. 6. ſeparatæ an poſſint effectum ſuum præſtare. 2. p. 298. 19.

Galenus.

1. Galenus non judicavit majorem propoſitionem eſſe eam quæ primo loco profertur; nec majorem extremitatem eam quæ in concluſione prædicatur. 2. p. 107. n. 1. Quam formam voluerit revera eſſe ſuæ figuræ. ib. n. 2. Reprobatur quæcunque illa ſit; 108. 3. quamvis habeat validam, & legitimam conſequentiam. n. 4.

Generatio.

2. Generatio una poteſt eſſe duorum: 2. p. 255. 17.

Genus.

3. Genus quomodo eſſe poſſit ſpecies uſlius. 89 2. Ipſum & ſpecies quomodo faciat duo prædicabilia, non item differentiæ generica & ſpecifica. 90. 5. oſtenditur eſſe definibile: 95. 1. An conſtet genere. 96. 2. an ſit univocum omnibus generibus. nu. 3. Bene definitum à Porphyrio: 97. nu. 1. etiam reſpectu individuorum eſt genus: 103. 2. mediatè prædicatur de individuis comprehenſis. numer. 3. poteſt etiam dici quod prædicetur de illis immediate, 104. numero 4. non requirere plures ſpecies quomodo intelligatur, & quam variè. 106. 1. prædicatur ut totum non ut pars: 108 2. etiam in actuali prædicatione retinet univerſalitatem: 109. 5. poſt contractionem manet indifferens ad plura 110. numero 6. Eadem habitudine reſpicit ſpecies & individua: 111. 2. an contrahatur per differentias numerales. 116. num. 4. magis requirit plures ſpecies, quam ſpecies plura individua: 123. 3. non includitur in differentiis contrahentibus ipſum. 136. 2. an unquam contrahat differentias. 142. numer. 5.

4. Generis definiti quid ſit genus? 9. num. 4. ſecunda definitio apud Porphyrium expenditur: 100. num. 10. Definitione definitur natura non intentio: 100. & 101. num. 3. & 5. idemque de aliis univerſalibus ſimiliter definitis ſimiliter cenſendum. ibid. Diverſæ conſiderationes, 108. nu. 1. ſubjicibile non poteſt abſtrahi à ſpecie & individuo: 112. 8.

5. Generi neceſſaria ſunt plura individua, ac non tantum plures ſpecies. 106. num. 2. item plures ſpecies, ac non tantum plura individua: 107. num. 6. pro correlativo non ſufficiunt ſpecies & individua ſecundum communem ſententiam: 117. num. 7.

Gilbertus.

6. Gilbertus Porretanus circa prædicamentum Situs, rejectus. 2. p. 302. num. 1.

Gratia.

7. Gratia, & cætera accidentia ſupernaturalia, an educantur. 2. p. 191. 10. Sanctificans an det exigere gloriam. Apolog. 5. prædicam. Act. 2. numer. 6.

Guilielmus.

8. G. Camerarius Scotus perſtringitur negans ignotum ſibi Breve Apoſtol. Xiſti Pp. IV. 2. p. 40. num. 13.

Habens.

1. HAbens plures paternitates an ſit pluries pater? (2.p.) 256.9. an per illas fiat idem pater? ib.n.10.

Habitus.

2. *Habitus* non dicit formam diſtinctam à veſte (2.p.) 303.7. quo non obſtante numerus prædicamentorum eſt denarius.8.

Hæcceitas.

3. Hæcceitas num differentia propria habentis? 144.3.

Homo.

4. Hæc: *Homo eſt rationale*? an propoſitio per ſe?

5. Hæc: *homo eſt albus*: an quinti Prædicabilis? 147.5.

6. ὑπόςασις, quid propriè? 154.n.2.

Idea.

1. IDea Platonis an ſubjicibile ſpeciei? 120.8.

Idem.

2. Idem poteſt eſſe in IV. & V. Prædicabili. 156. 10. An poſſit eſſe ſui ſignum? (2.p.) 3.6. an bis terminari. ib. 176.17. an eſſe virtualiter & formaliter tale? 191.8. an tranſcendentaliter referri ad ſe. 261. 6.

Ignis.

3. Ignis Inferni quomodo cruciet damnatos? 199.n.9.

Illatio.

4. Illatio eſt actus Logicæ utentis. 2.p. 81.8.

5. Illatum ex revelatis an revelatum. 2.p.120,6.

Incommunicabile.

6. Incommunicabile an poſſit eſſe eſſentiale? 119.4.

Incompatibilia.

7. Incompatibilia omnia an oppoſita? 2.p. 267.7.

Indiviſibile.

8. Indiviſibile an poſſit reddi diviſibile? Apol. 5. prædicam. Act.3.n.11. & 12. replicatum an faceret figuram. 2.p.297.4.

Individuum.

9. Individuum an primo cognitum: Apolog.1. Act.3.pag.10. & 11. Vagum cur non faciat Univerſale? 86.n.4. aliud mediatum, aliud immediatum 103.1. diverſis relationibus reſpicit ſpeciem & Genus: 111.n.5. an reſpiciat genus eodem reſpectu quo ſpecies? 112.n.7.

10. Individua incompleta reſpiciunt genus tanquam ſpeciem: 105.n.7.

11. Individui prædicabilitas 126.n.4.

12. Inhærentia inhærentiæ cur non detur. 2.p. 189.13. aptitudinalis eſt eſſentialis accidenti. 190. 2. actualis eſſentialis accidenti reſpectivo. 191.9.

Influxus.

13. Influxus Logicæ in alias ſcientias eſt ab ipſâ ut ducente. 68.4.

In quid.

14. *In quid* quomodo intelligendum in definitione generis &c. 98.6.

Intellectus.

15. Intellectus agens, & intellectus poſſibilis Ariſtoteli quid? 81.n.1. neceſſitatur ad concluſionem per præmiſſas neceſſitate ſpecificationis. 2.p. 93.n.2. etiam illâ exercitii. ib. 94.n.4. non poteſt per voluntatem impediri ab aſſenſu concluſionis: 95.9. niſi duntaxat indirectè. 97.14. An? & Quomodo poſſit diſtrahi? 96.n.10. & 11. Aſſenſu concluſionis non fertur in præmiſſas. 2.p.101.2.

16. Intellectui quomodo poſſit concedi habitus. 2.p.95. 7.

Inventio.

17. Inventio prædicationis exercitæ & ſignatæ quanti facienda? 102.8.

I. Cæſ. Scalig.

18. Julii Cæſaris Scalig. inepta criſis de Logicâ item de Ariſtotele & Scoto: 18. col. 2. argumenta non inepta contra rationem ſcientiæ in Logicâ: ibid.

Linea.

1. LInea omnis incompleta. 2.p. 148.6. an aliquando penetretur. 212.n.5.

Lingua.

2. Lingua ſeu idioma quomodo addiſcatur, arduum explicatu. 2.p.5. & 6.

Logica.

3. Logica naturalis, item artificialis quid. 13.n.2. Ariſtotelis an diſtinguenda à Logica ſecundum ſe. 51. n.3. Illa Ariſtotelis videtur eſſe de ente rationis ut de objecto. n.4 Cur poſſit dici eſſe de vocibus, licet non de ente rationis. n.4. Ariſtotelis videtur ſyllogiſmum pro objecto habere. 57.n. 1. Eſt vere ſcientia: 13.n.3. Eſt etiam ars. 19.n.1. eſt pars philoſophiæ 20.3. potius quam inſtrumentum 4. habet cognitiones verè ſpeculativas. 43.n.1. In rigore nec practica eſt, nec ſpeculativa: 44.n.4. dirigit judicia & apprehenſiones, etiam quando non ſequitur diſcurſus: 56.n.8. Docens quid. 22. n.1. Utens quid ib n.3. hæc Peripateticè ſignificat partem Topicam: ib.n.4. non eſt de vocibus; 46. 2. utens non eſt ſcientia. 28.1. Tota eſt verè docens & utens. 23.1. probabiliter tamen ſuſtineri poteſt non eſſe utens niſi in parte Topicâ: 25.4. dici poteſt ſano ſenſu practica: 4 .n.1, 2. & 3. verius tamen eſt ſpeculativa. 41.5. Habitualis artificialis non eſt ad alias ſcientias neceſſaria. 65.n.2. actualis de poſſibili non eſt neceſſaria ad eas: de facto eſt: 66.3. Logica ad Logicam requiritur. n.4. naturalis communiter ſed male dicitur requiri ibid.n.5.

4. Logicæ utentis actus non omnes diſtinguntur ab actibus Logicæ docentis: 25.2. oppoſitum tamen eſſe probabile. n.3. Utentis & docentis habitus diſtinguitur realiter. 4. totius abſolutum objectum eſt inſtrumentum ſciendi 59.n.1. ipſius, & beatitudinis paritas. 63.n.8. item ejuſdem & artis pictoriæ ib. pars Topica non eſt ſcientia: 20.n.4. ipſius & Phyſicæ diſparitas, 58.6.

5. Logicam phyſice influere in alias ſcientias, probabile: 67.n.1.

6 Logicæ tres non ſunt diſtinguendæ 49.n.1.

7. Logica inſtrumenta quomodo effectum realem habere poſſint quum ſint entia rationis. 69.n. 5. non fiunt ex rebus, ſed ex conceptibus. 49.n.3.

8. Logici antiqui & moderni ut diſcrepant. 5.n. 1. antiqui quomodo diviſerunt Univerſale. 72 1. nominales & grammatici fuerunt. 2.p.130.

9. Logicorum diſſidium circa ſubalternationem generum. 2.p.138.2.

10. Loquenti an neceſſaria intellectio. 2.p.6.n.2.

Magis & Minus.

1. MAgis & minus extra qualitatem inveniri. 2.p.225.11. in ipſis etiam qualitatibus extra intenſionem. ib.13.

Major & Minor.

2. Major & minor extremitas an deſumi poſſint ex concluſione. 2.p.105.3.

Mas & fœmina.

3. Mas & fœmina in animalibus an differant ſpecie. 119.7.

Materia.

4. Materia an ſpectet ad artificem. 50.n.6.

Mechanica.

5. Mechanicæ facultates an ſcientiæ. 17.n.10.

Medium.

6. Medium quomodo identificetur extremis in ſyllogiſmo. 62.n.6.

Mendacium

Mendacium.

7. Mendacium quomodo fiat,2.p.67.n.6.

Metaphyſica.

8. Metaphyſica patitur eandem difficultatem cum Logica circa obiectum ſuum,60.n.6.

Modus.

9. Modus ut opponitur rei, explicatus, 2.p. 298.n.6.

Modi an cenſendi actus vitales, 2.p.299.11.

Motus.

10. Motus etiam reputandus eſt ſpecies quantitatis,2.p.215.5. An ſit ſua duratio, ib.n.6. Intenſior ad centrum an ab intenſiori gravitate, 267.8.

Natura.

1. NAtura an ſemper progrediatur ab imperfecto ad perfectum? Apol.1. Act. 2 pag. 6. & 7. Immultiplicabilis non poteſt fieri univerſalis 92.3. Divina an ter perſonetur, 2. p. 175.13. Poteſt aliqua à parte rei ſervari abſque omni perſonalitate,2. p. 177. 3. Caſus de facto quodam modo contingit in accidentibus Euchariſtiæ,ibid.n.3.

2. Naturam ullam duplici ſubſiſtentiâ ſubſiſtere repugnat; quæcunque demùm illa ſit, 2. p. 171.2. Idque tenendum eſt quodcunque teneatur perſonalitas eſſe; ſive poſitivum, ſive negativum,177.n.9.

Neceſſitas.

3. Neceſſitas duplex, ſpecificationis & exercitii,2.p.93.n.2.

Nomen.

4. Nomina,perſona,ſuppoſitum, πρόσωπον & c.explicantur,2.p.154.& 155.tot.

Nota Muſica.

5. Notæ Muſicæ,& numeri Arithmetici,quomodo ſignificent, 2.p.11.n.6.

Nutus.

6. Nutus ſignificant ſicut voces, 2.p.10.n.3.

Objectum.

1. OBiectum & ſubiectum ſcientiæ quantum differant. 45.n.1. Materiale & formale ſcientiæ quid,ibid. n. 2. Logicæ non ſunt voces, 46.n.2. Artis an artificiale,52.n.5. Logicæ non neceſſariò ens rationis, 52.n. 5.& 6. Pro formali tamen convenienter dicitur ens rationis, num 8. Non tamen totum illud eſt ens rationis, ſed magis reale,n.5. Scotiſticè dici poteſt eſſe argumentatio,54,n.1. Non tamen eſt demonſtratio, 55. 2. Abſolutum Logicæ obiectum eſt inſtrumentum ſciendi, 59. n. 1. Eſt modus ſciendi formalis,61. num. 2.

2. Obiecti & ſubiecti ſcientiarum ſignificatio à Recentioribus mutata.45.n.3. Vera quæ,ibid. num.4.

Ockam.

3. Ockam non eſſe nominalis oſtenditur, 46. num.1.

Operatio.

4. Operationes intellectus omnes ad Logicam pertinent,ac non tantùm tertia,69.2.

Oppoſitio.

5. Oppoſitio relativa habetur ſine relationibus,2.p.255.16. quænam cenſenda,277.n. 2.

Oratio.

7. Oratio Ariſtoteli quid,2.p.20.n.1. Abſolutè quid,2.& 6. An ſit ſpecies numeri,2.p.217. num 19.

8. Oppoſitio (propoſitionum) definitur & dividitur,2.p.42.n.1. Notantur defectus definitionis. n.2.& 3. Omnium maxima eſt contraria, 43.6.

Pars.

1. PArs in toto an aſſumi hypoſtaticè poſſit,2.p. 182.7.

2. Partes quem locum habeant in prædicamento,2.p.148.7,

Paſſio.

3. Paſſio inferior an includat ſuperiorem,152. 22.

Pater, Paternitas.

4. Pater an quis poſt obitum filiorum, 2.p. 249.11.

5. Paternitas & filiatio,quomodo accipienda ut relativè opponantur, 2. p.275,8 An terminetur ad filium,25.6.

6. Pater & filius eiuſdem an quis eſſe poſſit ſucceſſivè,2.p.267.n.4.

Perſona,Perſonalitas.

7. Perſona, aut perſonalitas non conſiſtit in incommunicabilitate,2.p.156.3, Eſt principium *quod* operationum,158.9.

8. Perſonæ non debent aſſignari duæ negationes dependentiæ, 2.p. 157.7. Verus effectus aſſignatur,n.8. Plures tam divinæ, quàm humanæ ſunt incompatibiles. 164.19.

9. Perſonalitas probabiliter in poſitivo conſiſtit, 2 p.159. Defenditur nihilominus in negativo conſiſtere,25.

10. Perſonalitatis unius ſupplementū,an ſuppleret aliam,178.7.

Phyſica.

11. Phyſica in nobis cur non ſit ſcientia practica;36.6. Cur non poſſit dici, quòd ſit de vocibus, 48.n.6.

Plato.

12. Plato quomodo diſpoſuit ſuas ideas, 77. n.1. Refutatur à quibuſdam,ſed malè, ib. 2.Dupliciter ſolidè impugnatur. 3. Defenditur utcunque. 4.Quid ſenſerit de ſeparabilitate accidentis à ſubiecto,2.p.192.11. Vide plura in Appar.§.3.

13. Platonis ideæ an ſubiicibilia ſpeciei, 120. ποίησις; quid Ariſtoteli,31.n.3.

14. Pondus non eſt ſpecies quantitatis, 2. p. 218.1 Unde dicatur æquale, 2. Utrùm augeatur intenſione,an extenſione,ib.

Porphirius.

15. Porphirius quot definitiones ſpeciei aſſignaverit,113.n.1. Excuſatur ab errore in una,114 Adhuc ſecundò & tertiò,n.3, & 4. Denique ſolidè,ib.n.7.

Praxis.

16. Praxis à Scoto definita,30.& 31.n.1. πρᾶξις & ποίησις an ? & quomodo diſtincta? n. 2. Ab Ariſtotele quomodo intellecta,n.3. In ſacris Literis quomodo accepta, n. 4. Supponit cognitionem,& quam,33.n.1.

Præmiſſa.

26. Præmiſſæ duplices obiectivæ & formales,2.p.98.1,formales non concurrunt efficienter ad aſſenſum concluſionis , objectivæ autem ſic, n.13.

Prædicamentum.

17. Prædicamentum deſcribitur ſaltem quoad quid nominis,2.p.124. num.1. Prædicamenti partes an ſint ſuprema ipſa genera? quodlibeticè deciditur,2.p,124.nn.2.3.4.5.

18. Prædicamento an contineatur Deus, 2.p. 135.7. an ullum infinitum, 137. 13. an relationes divinæ,14.

19. Prædicamenta non omnia ſunt genera generaliſſima, 2.p. 141. n. 3. probabile eſt realiter diſtingui, 142.6. poſſunt tamen utcunque identificari 143.8.

22. Prædicamentorum numerus & nomina, 140.

Principium.

21. Principium ut ſic, univocum, an denominativum, 2.p.133.11.

Principia ſcientiæ ſubalternantis quando fiunt practica, 38. n.5. Communiſſima ſcientiarum recipi poſſunt pro univerſalibus Porphirianis, 722. Prima principia, an primò intellecta, 7. n.9.

Proceſſus.

Proceſſus M. Petri de Rivo authoritate Apoſtolica factus de veritate contingentiū, 2.p.37.21.

Principium: *Propter quod unumquodq;* &c. expéditur, 2.p.120 5.

Præciſio.

17. Præciſio formalis Recent. impugnatur, & oſtenditur univerſale non fieri per ipſam. 84.n.7.

Prædicabile.

21. Prædicabilia priora propriiſſime talia ſunt, 83.5.

Prædicabilitas.

22. Prædicabilitas quomodo aſſumatur, ut quid eſſentiale.

Prædicatio.

23. Prædicatio ſignata & exercita, quid? 100, n.2.

Produci.

27. Produci num quid liberè poſſit per actionē neceſſariam, 285.nn.18. & 19.

28. Producens rem, an eo ipſo locet. 2.p.296. 12.

Propoſitio.

29: Propoſitio ſignificat pro inſtanti copulæ, 2.p.22.4. Non poteſt de vera in falſam mutari, 25.1. Num poſſit continuari, 26.4. Univerſalis affirmativa converti poteſt in univerſalem negativam, 2. p. 45. 3. Caſus & regulæ huiuſmodi converſionis, ibid 4. Modalis propriè quæ? 46.1. Admittendæ ſunt modales communis ſcholæ ultra illas Scoti, 46. 2. Modi propoſitionum modalium quot, n. 3. Modalis affirmativa de ineſſe, non convertitur ſicut ſua categorica de ineſſe 47.5. Per ſe nota non omnis, eſt in primo modo dicendi, 2.p.58.3. definitur ib. n.6. non rectè dividitur in per ſe notam ſecundùm ſe, & per ſe notam nobis, 60.7.

30. Propoſitioni per ſe notæ ſufficiunt termini confuſi, 2.p.57.4.

31. Propoſitiones aliquæ ex myſterio Incarnationis exigunt proprium prædicabile, 87.5. an verificentur pro omnibus inſtantibus temporis ſignificati. 2.p.27 6.

34. Πρόσωπον quid Græcis, 154 2.

Proprium.

Proprium IV. Prædicabile complectitur ſecundum modum proprii, ac non tantùm quartum, 144. 5. Logice eſt univocum ſecundo & quarto modis proprii apud Porphirium; Proprium autem phyſicum non, 145. n. 6. Exactè definitur de novo 146.2.

Propria paſſio identificatur realiter ſubiecto, 145.1.

Paſſio.

Paſſio quid, 2.p. 289. 1. Non omni actioni reſpondet, 2. In productis à ſolo Deo non eſt paſſio. 4. Eſt tamen in omnibus aliis, etiam non productis ab ipſo per creationem, 290. n. 8. & 9.

Prædicari.

24. Prædicari ut totum potentiale quid, 109. nn.3 & 4.

25. Prædicationes univerſalium de inferioribus quomodo verificentur, 81.n.10.

Propoſitio.

32. Propoſitio aliqua, an poſſit eſſe à principio indifferens ad veritatem & falſitatem, 2.p.28.1.

33. Propoſitiones Theologicæ quando faciunt canonem fidei, 38. n. 6. Propoſitiones de futuro contingente ſingulares ſecundùm ſe ſpectatæ non ſunt determinatè veræ, nec determinatè falſæ, 2.p.32.8, & 33. nn.9. 10. & 11. Subalternæ an verè opponantur, 43.5.

Prudentia.

35. Prudentia an practica, 32.5.

Quæſtio.

1. Quæſtio moveri ſolita de definibilitate generis, non eſt propria generi, 96.col.1.

2. Quæſtiones proœmiales Logicæ non ſunt Logicæ, Apol.1.proœm. Act.2.13.

Qualitas.

3. Qualitas ab Ariſtotele ineptè definita, 2.p. 220.1. Etiam à D.Thoma, n.2. Bis aliter rectè deſcribitur 221.4. Necdum tamen plenè, n.6.

4. Qualitatis diviſiones ex Scoto, 2.p.222.n.2 Combinationes non eſſe diverſas ſpecies num.3. Exactior diviſio aſſignatur, n. 4. Proprietatum numerus, & nomina apud Ariſtotelem, 223. 1. Qui gradus primò expellantur è ſubjecto.

5. Qualitati an competat contrarietas, 2. p. 223. Primo tantùm modo eſt proprium habere contrarium, non tamen primo modo Porphirii, n.4. Non omni competit, 2258.

6. Qualitates, & reliqua accidentia abſoluta, immediatè ſubjectantur in quantitate, 2 p.193.2. An id probari poſſit ex Sacramento Euchariſtiæ, num.3. Probatur ex raritate & denſitate 194.10. Sine quantitate, an forent extenſæ. & quomodo? Ap.prædicam.5.n.9. Oppoſitæ, an? & quomodo ſe compatiantur in gradibus remiſſis? 2.p.2[illegible]3. num.3.

Quando.

7 *Quando* fuit ſine tempore, 2.p.278.10. & 11. *Quando* prædicamentum deſcribitur., 304. 1. Quomodo poſſit eſſe ralatio extrinſecus adveniens? n.2.3. & 4.

Quantitas.

8. Quantitas probabiliter identificatur ſubſtantiæ materiali, 2. p. Qualitatum an penetretur cum illa ſubſtantiæ? Apol.5. prædicam. n.8. Soni.num ſit ipſe ſonus.an alia extenſio ejus, n.10 Non tribuit partes ſubſtantiæ. ib. Act.31.n.3. An requiratur ad diviſionem? ib.n. 10.

9. Quantitatis ſpecies inveniuntur intra genus ſubſtantiæ, 2 p.202.4. Permanentis effectus formalis, Ap.prædic. 5. n.9. Continuæ ſpecies, 2 p.210.n.1. Probantur eſſe tres, & quæ? ib. 211. n.1.3.4. Dimenſiones an componant ſe invicem 212.n.8. Non ſunt veræ ſpecies dimenſionum, 213. 9.

10. Quartum Prædicabile complectitur ſecundum modum Proprii apud Porphirium, ac non tantum quartum. 145.5.

Quodlibet.

11. Quodlibet ſequitur ad impoſſibile, ſive ad duas contradictorias; demonſtratum, 2 p. 70,6.

12. Quomodo quidpiam movet ſe, 2,78. n.8. & 9.

Rationale.

1. *Rationale eſt ſenſitivum*, an ſit propoſitio per ſe? 136.9. Item an hæc: *rationale eſt animal*? 140.ibid.

Regula.

2. Regula: *Diverſorum generum &c.* accipienda eſt de differentiis ſpeciei atomæ, idque ex mente Ariſtotelis, 2 p.159 4.

3. Regulæ Ariſtotelis pro converſione modalium, 2.p 47,n.3. Regulæ Scoti pro eadem, n 4. Aliæ ad diſcernendas propoſitiones per ſe notas, 63.1.26. Conſequentiæ inferendæ, 2.p.68.1. Illa: quòd *ex oppoſito conſequentis, ſequatur oppoſitum antecedentis*: improbatur, 68. 2. & 4. Sed veteres Logici veniunt ei in ſubſidium, ibid n.3.

Regreſſus.

4. Regreſſus admittẽdus inter plures demonſtrationes imò inter propoſitiones unius. 2.p.126. 2. Poteſt incipi à demonſtratione *Quia* n.3. Poteſt dari inter plura in eodem genere ibid.

Relatio.

5. Relatio an opponatur priuſquam referatur 2.p.25.11. ſuſcipit aliquo modo magis & minus. 2.p 278,9. non omnis tamen n. 13. extrinſecus adveniens, quæ ſecundùm Scotum? 2.p.273.1. Illuminatio an talis 274,3. an aliqua conſurgat poſitis fundamento & termino præcisè? 274, 4. Cauſæ ad cauſatum an ſit talis? 275, 5.

6. Relationis convertentia quomodo accipienda? 253,14. Tertius modus malè aſſignatus, 275.n.6.

7. Relationes terminantur ad abſoluta terminorum, non verò ad oppoſitas correlationes, 2.p.50,n.30. probatur pluries, nn. 4,5,6,8, ubi refelluntur evaſiones Thomiſtarum, 252, divinæ enim relationes nihil illis favent, n.13, aliquæ tamen terminantur ad correlationes, 253,17. Habent aliquando contrarium, 2.p. 268,2, Divinæ an & quomodo ſimul natura? 272,n.20.

Relativum ut ſic, an poſſit eſſe ad aliud? 2. p. 258,14.

8. Relativorum naturæ ſimultas expenditur, 2.p.269.14. Simultas eorum cognitione, 270, nn. 16,17,18.

Reſpectus.

9. Reſpectus inducentis ad inductum, educentis ad eductum, tranſmutantis ad tranſmutatum, negandi omnino 2.p.280,5. admittendi duo producentis & inducentis, ibid.n.7.

Schema.

1. Schema æquipollentiarum &c. 2.p.48.10.

Senſatum.

2. Senſatum primum ab homine quodnam? pag.1.n.2.

Senſus.

3. Senſus an videat durationem objecti, atque etiam ipſam ſenſationem? 3.p.301.n.7.

Senſibile.

Senſibile, 2.p.300,2. unum ab altero an ſenſu diſcernatur, 301,15. comparatur ad videntem, & polos fixos mundi, 302.n.10.

Scientia.

4. Scientia an cenſeri poſſit relatio? 2.p.278.

Scotus.

5. Scotus habet aliquid Auſtriacum: *in epiſt. dedicat* Quam meritò à ſua Religione electus in ducem ſcholæ Philoſophicæ &c. in Appar. §.2. Minus vixit quàm S. Thomas, & plus ſcripſit in Philoſophia ibid. à Scotiſtis non ſat intellectus 2.p.180,1. à Recentibus immeritò traductus. Quid ſenſerit de primo cognito, Apol.1. Act. 3. pag 9.col.1.&2. à contradictione vindicatus, 59,2 perperàm citatus à Scotiſtis pro prædicari intentionum & ineſſe rerum, 76. n 6. Quid ſenſerit de univerſali quoad eſſe, aut non eſſe in rebus, 78. n.5.& 6. Quid de eodem quoad fieri ab intellectu agente, vel poſſibili, 84, 6. In quo differat ab aliis quoad converſionem propoſitionum, 2.p.44.n.1

6. Scoti celebre axioma, 251,9. aliud de duplici cauſa ejuſdem effectus, 2 p.170,3. ſenſus de inſtanti pro quo ſignificat enunciatio, perperàm à Recent, 2.p. acceptus: 2.p.22,12. Veriùs refertur ibid.n.3. Opera philoſophica, in Appar.§.3. vera mens de materia ſine forma.

7. Scoto imponitur à Recent. circa naturam diſcurſus, 2.p.72.n.1.

Servitus.

8. Servitus an unquam deſinere poſſit, 2.p. 275,7.

Significare.

9. Significare non eſt quomodocunque notificare, 2.p.9.10. Significare cum tempore quid, 15,2, ibid.

Signum.

10. Signum propriè quid, 2.p.2,n,4,& 10. aliud formale, aliud inſtrumentale, n,2. formale nõ eſt propriè ſignum, n,3. ad quem actum intellectus pertinet, n,5. an requirat inſtitutionem, 3,7. an intentionem ſignificandi, 9.

11. Signa bonæ conſequentiæ, 2.p.71,8.

Syllogiſmus.

12. Syllogiſmus pendet ab Inductione 2.p.78, 9.& 10. Definitur ab Ariſtotele, 85, 1. rectius aliter ibid.n,2. non nititur illo principio, *Quæcunque ſunt eadem uni tertio &c.* 86.3. In divinis qualis, 88, 9. Probabiliter conſiſtit in ſolis præmiſſis, 90, n.1. non conſiſtit in concluſione, 4. an diſcurſus, 63,7. Expoſitorius, an univerſaliter ſit conſequentia formalis, 2.p,114,2. An nitatur *Dicti de omni, & de nullo*, n.3. Poteſt fundari in illo: *Quæcunque ſunt eadem uni tertio*, 115,4.

13. Syllogiſmi fundamentum, 87,6, illius de medio communi ſunt *Dicta de omni, & nullo*, ibid. Expoſitorii eſt illud: *Quæcunque ſunt eadem uni tertio*, 115.4 Modorum indirectorum diſtinctio, 91, 3. Major & minor extremitas quæ cenſenda? itemque major & minor propoſitio. 105, 1, & 2. Cur quoad hoc extremitas potiùs quàm medium attendatur, 106,5.

14. Syllogiſmorum omnium quotquot fieri poſſunt, Summa, 2.p.111.n.11.

Syncategorema.

15. Syncategorema an pars propoſitionis, 2. p.831,4.

Singulare.

16. Singulare poteſt eſſe univerſale quarti Prædicabilis, 155,4. aliquod cognoſcitur ante omne univerſale: & quod, Apol.1. Act.3.pag.10.

Singularitas.

17. Singularitas utrum ſit accidens an ſubſtantia, 78,4.

Spacium.

18. Spatium in quo recipiuntur corpora, an merum nihil: 2,d,215,1. an cõponitur ex lineis ib.

Species.

19. Species ſola correlativum generis 115. n.1. atoma probabiliter dici poteſt conſtitui pluribus differentiis, non verò unâ ſimplici, 145,2.

20 Speciei ſecundi Prædicabilis definitio cõmuniter recepta non eſt recipienda, 113,2.

Conceptus an univocus prædicabili, & ſubjicibili, 124, 7, Prædicabilitas prior eſt ſubjicibilitate, 125.n.8. Oppoſitum nihilominus defenditur. 9.

21. Species quinque vulgatæ univerſalis non ſunt immediatæ, 91, 6.

Specificatio.

22. Specificatio relationis ſumitur à fundamento 2.p.263,2. Terminus tamen concurrit ad eam, n.3. Hujus praxis profertur. n.4.

Spiratio.

23. Spiratio activa cur in Patre, & Filio, 2.p. 288.nn.5,& 6. An perſonetur in Filio 176, 15.& n.16,

Spiritualitas.

24. Spiritualitas ſubſtantiæ & Accidentis an univoca, 138,7.

Spiritus.

25. Spiritus an ſit capax formæ diviſibilis, 2.p. 297,n.2.

Subordinatio.

26. Subordinatio vocum Scripturæ, & conceptuum. 62.4.

Subſiſtentia.

27. Subſiſtentia non eſt modus: & adhuc creata poteſt alienam naturam terminare, 2. p. 168,2. An uniatur ſubjecto per unionem ſuperadditam, 169,5. an dividi poſſit, 182,6. Totius phyſici an fieri poſſit una & indiviſibilis, 183. n. 8.

28. Subſiſtentiæ partiales dantur in partibus tam eſſentialibus quàm integralibus, 2. p. 180,2. Concedendæ omnino ſunt à ponentibus totum diſtingui à partibus, an ſunt principia operationum, 183,1.

Subſtantia.

29. Subſtantia per quid conſtituatur, 2. p. 145, n. 2. non per ſubſtare accidentibus aut ſubſiſtere, 146, 5. Pluries deſcripta, 144, n. 1. an poſſit inhærere?

30. Subſtantiæ proprius cōceptus, 2. p. 145, n. 2. non in ſubſiſtendo, 146. n. 5. Oppoſitum tamen explicari, & ſuſtineri poteſt. n. 6. Supremum genus eſt ſubſtantia communis completæ & incompletæ, 147, 2. Partes ſunt ſubſtantiæ, idque univocè cum toto, 3.

31. Suppoſitio disjuncta quomodo differat à ſuppoſitione disjunctiva, 2. p. 30, 2.

Suppoſitum.

32. Suppoſitum Verbi an extrinſecum humanitati, 2. p. 162, 10.

Suſpiria.

33. Suſpiria an ſigna naturalia doloris, 2. p.

Synodus.

34. Synodus VII. quid de vocibus, hypoſtaſis, perſona? 2. p. 155, 6.

Tactus.

2, TActus eſt primus ſenſus, Apol. 1. Act. 1. pag. 2.

Terminus.

2. Terminus ab Ariſtotele definitus, 2. p. 26, n. 1. Iterum ab authore ibid. adhuc tertiò, ibid. n. 3. A Recent. definitus, & diviſus, 67. Num poſſit eſſe vox non ſignificativa? n. 5.

Tert.

3. Tertia ſpecies animæ, an includat alias duas? 213, 11.

S. Thom. Aquin.

4. S. Thomas Aquinas ſpeculativos Doctores ſcholarum ſanctitate antecedit, acumine & philoſophiæ ſcitu, an item in Apparat. §. 3.

5. S. Thomæ Opera philoſophica, ibid. Laudes plerumque ad ſanctitatem referendæ, ibid.

Thomiſtæ.

6. Thomiſtæ non poſſunt reddere ſuos angelos ſpecies, quamvis conentur, 121, n. 4. & 5. Ut diſcordent à ſubtilibus in negotio relationum quoad terminos, 2. p. 254, 1.

Topica.

7. Topica an pars Logicæ? 12, 3. Quid veteribus ſignificabat? ibid.

Totum.

8. Totum integrale, cur non ſit univerſale, 27. n. 3.

Varietas.

1. VArietas Logica per quid inducatur? 88, n. 8. Authorum in explicando nomine *perſona* 2. p. 156, 2.

Vbi.

2. *Vbi* & *Habitus* cur ſingula non faciant duo prædicamenta ſicut *Actio* & *Paſſio* faciunt? 2. p. 141, 4. *Vbi* an transferri poſſit aliò, 177. 8. Eſt quid ſuperadditum loco & locato, 2. p. 292, 2. an ſit indiſtantia, 294. an prærequirat applicationem 295, 8. admiſſo *ubi* ſuperaddito an ſequatur infinitas, n. 9. an habeat figuram, 2. p. 296. 1. Eſt modus non res, 298, 7. Veteres an ignoraverint perſonam, 2. p. 156. 1.

Verbum.

3. Verbum Dei num aſſumpſerit hominem, an humanitatem, 2. p. 168, 10. Aſſumpſit immediatè partes, 181, 4.

4. Verbum logicum quid ex Ariſtotele, 2. p. 15, 1. quo ſenſu eſt nomen apud eundem? n. 4. non eſt aliquid prædicati in propoſitione, 17. n. 1. habere poteſt aliquam infinitatem in propoſitione, 5. an affixum tempori, 27, 5.

5. Verbi eſt aliqua æquivocatio, 19. n. 6.

Veritas.

6. Veritas an identificetur actui vero, 2. p. 29. 5. rigoroſa non habetur in proportionibus de futuro ib. 30, 3. hæc tamen ipſa veritas patitur exceptionem, n. 4. Disjuncti eſt impertinens ad veritatem affirmationis de futuro, 31. n. 6. propoſitionis de præſenti ad verificandam propoſitionem ſemper ante futuritionem 36. n. 17.

Viſio.

8. Viſio rerum in ſpeculo, quomodo fiat? 2. p. 302, 9.

Vnio.

9. Vnio in compoſito phyſico an habeat ſuam ſubſiſtentiam, 2. p. 183, 9. ad quod prædicamentum ſpectet actionis, an paſſionis? 292, 17.

Vnitas.

10. Vnitas quomodo pugnet multitudini? 79. n. 7.

Vnivoca.

11. Vnivoca definiuntur 2. p. 128, n. 1. defenduntur item, 129, 2.

Vniverſale.

12. Vniverſale non fit per prædicabilitatem, ſed potiùs per ineſſe 74, n. 4. requirit non ſolùm aptitudinem, ſed etiam actum eſſendi 75. 5. Eſſentialiter eſt unum in multis; accidentaliter unum de multis, ibid. Conjunctum non datur, ut nec ſeparatum, 78. 5. non ſequitur ex unitate formali naturarum, 78. 6. Tametſi illud daretur & ſequeretur, adhuc non daretur myſterium Trinitatis in creaturis, 80, 8. non fit per comparationem complexam, ſeu judicativam, 83. n. 4. diviſum in quinque ſpecies univocè participatur à membris dividentibus, 89. n. 1.

13. Vniverſale ut ſic, quomodo ſit genus, 89. 2 non cuilibet ſubjicibili identificatur, 92, 1. an ſemper debeat latius patere ſuo ſubjicibili, 155. 2.

14. Vniverſalis diviſio in quinque vulgatas ſpecies approbatur, 85. 1. prædicatio de uno ſubjicibili, non eſt perfectè univerſalis. 92. 2.

15. Vniverſali non ſufficiunt inferiora ficta, 127. 3.

16. Vniverſalia, priora propriiſſimè talia ſunt, 83, 5. &c. probabiliter tenentur eſſe tantùm quatuor, 88. n. 7.

Vox.

17. Voces complexæ cenſendæ ſint orationes? 2. p. 20 4.

18. Vocibus non ſignificantur conceptus, 2 p. 6. 3. Sed res extra, 7. imò res & conceptus importantur per ipſas, n. 8. res tamen non propriè ſignificantur per ipſas, 9.

Vſus.

19. Vſus regularum antepraedicamentalium, 2. p. 138. n 1.

Xiſtus.

1. XIſti Pp. IV. Breve Apoſtolicum ſuper veritate propoſitionum de futuro contingenti, 2. p. 38. 22.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google